HISTORIÆ VNIVERSÆ, SACRÆ ET PROFANÆ

Tomus alter.

QVI EST, DE REBVS AB ALEXANDRI MAGNI MONARCHIA, GESTIS, AD ſalutiferum CHRISTI DOMINI Natalem.

AD ILLVSTR.mum ET REVER.mum DOM.

D. IACOBVM BOONEN,


ECCLESIÆ MACHLINIENSIS ARCHIEPISCOPVM, ET BELGICÆ PRIMATEM, &c.

Auctore D. ANDREA Hoio Brugenſe, Regio, in Academiâ Duacenâ, Eloquentiæ & Hiſtoriarum Profeſſore.



DVACI,
Ex Officinâ Typographicâ BALTAZARIS BELLERI, ſub Circino aureo. Anno 1629.

Cum Gratiâ & Privilegio.



Illuſtr.^mo^ & Rever.^mo^

IN CHRISTO PATRI,

D. FRANCISCO BOONEN.

METROPOLITANÆ MACLINIENSIVM
ECCLESIÆ ARCHIEPISCOPO;

ET BELGICÆ PRIMATI.

AFFLIGINIENSIS COENOBII ADMINISTRATORI.

SALVTEM, ET OBSEQVIVM.



Vsvs ſum, & pro officio meo debui, Illvstr. & R. Dom. huius Hiſtoriæ Vniverſę, & ſacro-profanæ, partem priorem; quæq; priora ab Orb. Cond. ad Christi Dom. Natalem, Sæcula cõprehendit: Sereniſſimo Principi, S. Roman. Eccleſiæ Cardinali, & Toletanę Archiepiſcopo; Hiſpaniarum Infanti & Primati. Academiæ noſtrę, ex Iuris hereditarij, & primævę fundationis, ab Avo uſque p. m. Philippo II. prærogativâ, Tutori & Patrono: inſcribere, & nuncupare. & aliquem eidem Scripto, & Auctori ſplendorem indè mutuari. Alterius Tomi, (qui pro multiplici rerũ deinceps, paucioribus licet ſæculis, conſecutarum varietate, vaſtior evaſit) tutelam, Tuę, Illuſtr.^mæ^ & Rever.^mæ^ Dominat.^i^ ut committerem; verecundè & prętimidè, licet multis privatim & publicè nominibus obſtrictus; induci me paſſus ſum.

ã ã 2 Defugere

Defugere etenim non potui; quin te Metropoliten meum, (qui BRVGAS, in cæteris, natale mihi solum; & non ignobile Provinciæ. V.ª membrum, latè patentibus sacræ iurisdictionis limitibus complecteris,) ac proinde Sacrorum, in potiore Belgicæ portione, Principem, agnoscerem. Cuius iudicio & Censuræ, hæc de rebus præsertim sacris Historia, Profanis pro re natâ permista, subijceretur. Quamque, tàm illustri similiter nomine præscriptam, tutò in publicum prodire; & ceu quemdam testandæ ex parte, & pro præsenti tenuitate, gratię arrhabonem, & pignus, apud te deponi posse existimarem.

Caussæ certè complures, eæque peculiares, cur Te colere, suspicere; venerari, & quo licet modo honestare; debeam, sese offerre visæ. N. Eetveldium, ad S. Donatiani, Brugis, Canonicum, virum venerandâ tum canitie & auctoritate gravem, puer olim, & eiusdem Ecclesiæ Scholæque alumnus, venerari memini; & munificum, in cęteris, studiorum meorum fautorem experiri. Quem Mater ista Tua, matronarum nostri sæculi decus, ætate & viduitate longęva, Patruum fortè agnovit. Et carissimum Coniugem, Genitorem Tuum, Curię Brabanticę Senatorem: Filiumque, natu à te proximum, magnæ spei adolescentem. (Illum medicatâ ab impijs & seditiosis potione; hunc pręmaturâ Lovanij morte, sublatos) & alterum è Brimęâ gente Generum; tot annis lugére sustinuit: & nunc in Tuâ, maioris filij, Caritate & Dignitate acquiescit.

Perveterem deinde mihi, cùm Amplissimo Viro, p. m. PETRO PECQVIO, Equite, Regio Ex-Legato & Consiliario, Magno Brabantiæ Cancellario, BARBARÆ, sororis tuæ, lectissimæ feminæ, Marito; ex ingenuo communium litterarum fœdere, familiaritatem intercessisse; & honori vertisse, gloriari possim.

Accessit huc postremò novum à Te beneficium, & gratâ memoriâ dignum. quod me vel solum, ad hocce meæ ergà V.am Illustr.mam & Reverend.mam Dominationem observantię; & paris, quo Pater filiusque obstringimur, vinculi, testimonium solenniter perhibendum, impellere potuerit.

Filium scilicet meum, primę ætatis, Timotheum, sacerdotem. qui sęcularis Pompę, & adridentis pro eo tempore fortunę transfuga;

transfuga; & in Gallicanam Proseucham, (si hâc voce uti liceat) coöptatus, tantos ibidem in pietate, & Christianæ Disciplinæ Exercitationibus progressus fecisse visus est: ut & in negotijs gerendis. & in sacris pertractandis, aliquanto in posterum usui esse possit.

Illum, inquam; quâ nescio forte destitutum, in familiæ contubernium; in curarum arcanorumque partem, pridem adsciscere non es dedignatus. Quo quidem nomine cum mihi vehementer sum gavisus, & immortaleis T. Illustr.mæ & Rever.mæ Dominationi gratias debere profiteor; Tum illi quoque gratulari meritò possum; cui pòst vulgatiora communis prudentiæ, in Romanâ & Gallicanâ Aulâ; & in eâ, quam dixi, Proseuchâ, experimenta, coràm isthîc oculis, ad admirandum; ad imitandum; ad prædicãdum, usurpare licebit, tot excellentissimarũ virtutũ ornamenta, magno Heroë & primario Pontifice longè dignissima.

Vt namque eximiam istam rerum ac scientiarum peritiam, cum singulari iudicij acrimoniâ coniunctam, prætereamus. Istam *animi* minimè elati *submissionem*; quæ vel merita suarum laudum præconia non ferat, aut agnoscat.

Benignitatem; quæ in egenos facultates suas ut liberalissimè eroget. ita misericordissimè dispenset.

Comitatem, & adfabilitatem; quæ sine discrimine quemlibet ad se accedere; neque pro meritis tristem decedere patiatur. Quis non admiretur; & rarũ istum, tum in emendandis Cleri moribus; tum in restituendâ Ecclesiastici, & Hierarchici Iuris ditione (quã τῶν ἐξαιρέτων quidam, certatim, & uno velut agmine, infringere, an coërcere! contẽdunt) Zelum, prędicet; & in summâ laude ponat? Qui eâ fini, ex eâ, quam dixi, Proseuchâ, Ascetas; illos assiduo Hierarcharum Subsidio, quasi ad nutum, Devotos, peregrè arcessierit: & maximis sumtibus, fundoque ad sedes locandas coëmto; Collegium iisdem Lovanij, matrice Academiâ, aperuerit. Vndè in propinqua Diœceseôs suæ opida, novum paullatim isti- usmodi (in Vineâ DOMINI excolendâ) Adiuvarum, examen, feliciore omine, diffumdat.

Qui in Cœnobium Affliginiense; fidei suę patrocinioq; commissum, Lotaringicam Benedictini Instituti Censuram introduxerit. Ad quam, ceu rectiorem Salutaris Decreti normam reliqui, in Flandris Brabantisque, eius ordinis Sodales, sese conformare contendant: alijq; adspirare incipiant.

 Et quis

Et quis profectò cordatè Catholiceque sentiens, ista, aut nulla alia, Hæreseôn, nunc passim, non in Germaniâ modò, aut Britaniâ; sed in ipsis, eheu! Belgicæ etiam nostrę visceribus grassantûm, everricula esse, non perspiciat?

Vt res nimirum Christianæ religionis, in eum locum, ex quo multis abhinc annis deciderit; sive in antiquum suum statum, restituatur.

A capite morbum medullitùs depellere: atque ita reliquí corporis vitiositatem sanare velle. Patrio quodam in commissam promiscuè plebem animo esse: eamq; non verbis solùm ad salutaris disciplinæ fidem simul & amorem, pertrahere, aut adlicere; sed morum etiam honestate, vitæque innocentia, cæteris prelucere. Caritatem deniq́ue, hoc est, Pium, & Christianis ingenijs dignum, ergà omneis generatim homines, benignitatis adfectum. non modò uti totius felicitatis, & publicę concordię matrem; sed omnium etiam dissidiorum, atque ipsarum adeò hęreseôn victricem atque interfectricem; fovére passim, atque omnium animis sedulò inculcare?

Hic itaq́ue tàm illustrium in te Virtutum splendor, Illustr.[me] & Rever.[me] Dom. Hæc publica tàm pręclarorum Conatuum admiratio. ut quibusdam quasi radijs mentis nostræ aciem perstrinxit; ita tacitâ vi impulit, ut hocce cuicuimodi meæ, ergà tàm beneficum, & de Ecclesiâ, Réquepublicâ Belgicâ benemerentissimum Archipræsulem, observantię testimonium, publico etiam Orbis præconio subijcere non dubitarim.

Quod quidem ut æqui boni consulas; & DEVS Opt. Max. Te, cum in isto summariæ Dignitatis fastigio; tum in laudabili benè de Christianitate merendi instituto, quamdiutissimè & felicissimè incolumem conservet; ex animo voveo & opto.

Duaci, Kal. Ianuar. anni ∞ DCXXIX. auspicibus,

V.[æ] Illustriss.[mæ] & Reverendiss.[mæ]

Dominat.[i] Devotissimus cliens,
ANDR. HOIVS Brugensis.

ELENCHVS ET CONSPECTVS,

SIVE SVMMA TOMI II.

HISTORIÆ VNIVERSÆ.

EA EST ÆTATIS QVINCTÆ PARS POSTERIOR, AB ALEXANDRO MAG. ad salutarem CHRISTI DOM. Natalem.

Pag. 1. ALEXANDER Mag. Macedonum; & Darius Codomanus, Persarum, REGES.
Nova Atheniens. Rebellio. Venia data.
2. Alexander, Persicæ Exped. Imperator. finitimos domat, & pacat.
Thebæ funditùs excisæ.
3. Lampsacus servata.
Expeditio in Persas. Pugna ad Granicũ.
4. Multæ in Asia provinciæ & urbes Alexandro deduntur. Darij Adparatus, & copię.
5. Alexandri morbus, Tarsi.
Pugna ad Pylas Cilicias, sive ad Issum.
6. Alexandri in captivos moderatio. Amyntæ & Thymodæ in Ægypto conatus. Agis Lacedæm. Persis socius.
7. Damascus capta & direpta.
Darius pacis conditiones proponit.
Rex Sidonijs datus.
8. Variæ ducum Alexandri victoriæ, Tyri obsidio ac clades.
9. Novę pacis leges à Dario.
Reip. Iudaicæ status. Manasses Sanaballetæ gener, Templum novum in Garizim erigit.
10. Gaza expugnatur.
Alexander Hierosolyma ingressus, Iaddo Pontifice.
11. Ægyptij à Persis deficiunt.
Alex. Iovis Hammonis oraculũ cõsulit.
Alexandria in Ægypto conditur.
12. Novus belli utrimque adparatus. Litteræ à Dario de pace.
13. Pugna ad Arbela fatalis.
14. Alex. victor, Rex Asiæ, & Monarcha.
15. Bella, Agidis Laced. Alexandri Epirotę. Sopyrionis.
16. Babylon & Susa Alexandro dedita. In Persidis interiora penetratum.
17. Persepolis excisa, direpta.
18. Conspiratio Bessi aliorũque in Darium. Miserabilis regis exitus. Alexander Monarcha.
19. Eius in remotiores Asiæ genteis Expeditio. Luxus. Procerum aliquot in eum Coniuratio.
20. Philotæ & Parmenionis mortes. Vlteriora tentat; Bactra & Caucasum.
21. Bessi supplicium.
22. Alexandria ad fluv. Oxyartem condita. Bellum cum Scythis.
23. Alexander Clytum occidit.
24. Roxanen coniugio sibi adiungit.
25. Eius ambitio divinitatis. In eum altera Coniuratio. Bellum Indicum.
26. Petræ, Aorni, expugnatio. Omphis, Abisares, & Porus, Indorum reges.
27. Pugna cum Poro ad Hydaspem, & Alexandri victoriæ.
28. Milite ita volente, ab ulteriore in Ortum expeditione pedem refert.
29. Oceanum tentat: naufragia in fluminibus. Ex temeritate invadẽdi periculũ.
30. Græcorum militum seditio.
Dioxippi Pugil. & Horratę Macedonis duellum. Varij reges subacti.
31. Admirandus Indici Oceani æstus: naufragium.
32. Rex cum exercitu Bacchatur.
Ambitiosa eius instituta. Orsinis Satrapæ casus. Bagoas spado.
33. In Gręcia tumultus, duce Harpalo. Calanus Philosophus Indus. Luxus regis.
34. Seditio militaris, ob novos militum delectus ex Barbaris.
Hephæstionis mors. Variæ ad regem Legationes.

Pag.35. Varia de morte Alexandri præsagia. Amilcar Pœnus explorator. Mors Alexandri.
36. Interregnum à morte Alexandri. De regni statu inter proceres disceptatio, & mòx discordia. alijs Perdiccam, alijs Aridęum sive Philippum eligentibus.
37. Meleager seditiosus astu Perdiccæ perit. Asiæ & Satrapiarum descriptio.
38. Earum inter principes distributio. Lagidæ. Ptolemæus Lagi Filius primus Ægypti rex. (sed posteriùs.)
39. Græcorum in Satrapijs militum seditio, & clades.
Rhodiorum & Athiensf. rebellio.
Bellum Lamiacum. Perdiccæ ambitio.
40. Atheniensf. & aliorum rebellium clades: deditio, & pax. Variæ principum inter se molitiones.
41. Ptolemæi Lagidæ incrementa
Adversùs Perdiccam conspiratio & ducum Disscidia. Alexandri sepultura.
Eumenis victoriæ.
42. Crateri & Neoptolemi & Perdiccę mortes. Ptolemæi victoris modestia.
Aristotelis & Demosthenis exitus.
43. Ætolorum & Acarnanum factiones. Nova provinciarum inter duces partitio.
Bellum Antigoni cum Eumene.
Duces regiæ dignitatis titulos adfectant.
44. Bellum Antigoni cum Alceta & Pisidis.
Antipatri circà Athenas gesta, & eius Exitus.
45. Cassandri & Antigoni Molitiones. Polysperchontis adversarij conatus.
Eumenes Asiæ Imperator.
46. Argyraspidum impotentia & perfidia.
47. Athenæ variè tentantur.
Pugna navalis ad Hellespont.
Altera Antigoni cum Eumene pugna.
48. Agathocles Siciliæ tyrannus, cum Hamilcare Pœno societatem init.
49. Eurydices importunitas, & Olympiadis crudelitas.
Eumenes in Asiâ ulteriore bellum & copias parat.
50. In eumdē Antigoni expeditio, & pugna.
51. Olympias Pydnæ à Cassandro obsessa.
Antigonus cum Eumene cōfligit. Huius exitus. Argyraspidū perfidia, & pœna.
52. Pythonis exitus. Antigoni ambitio.
53. Olympiadis exitus. Cassandri crudelitas. Cassandriæ conditus, Principum in Antigonum conspiratio, & acre bellum, terrâ mariq̀ue.
54. Agathoclis in Sicilia progressus.
55. Novi principum conatus & bella.
56. Ptol. Lagidæ, res in Libya & Cypro. Bellum eiusdem cum Demetrio.
57. Epirotæ turbant.
Seleuci Nicanor, res prosperæ. Æra Seleucidar. sive Anni Græcor.
58. Ptol. cladem accipit. Antigoni in Arabas expeditio. Demetrij successus.
59. Agathocles res suas firmat.
Fedus inter Principes, & Ambitio.
Pœnor. adversùs Agathoclē expeditio.
60. Pœni Syracusas obsident.
61. Agathocles in Africam traijcit exercitū; & Pœnos vincit, agros vastat, urbeis capit.
62. Principes varijs locis inter se conflictantur. Res in Bosporanis.
63. Cassandri & Polysperchontis perfidia. Amilcar Pœnus ad Syracusas.
64. Motus in castris Agathoclis.
Cleopatræ, sororis Alex. Mag. exitus.
65. Varij in Africa bellor. casus. Ophellæ Cyrenæi clades. Bomilcar tyrannus.
66. Demetrij in Græcia & alibi progressus, & cum Ptolemęo ad Cyprum conflictus.
67. Principes regium nomen adsumunt. Agathoclis sęvitia, & in Siciliam reditus.
68. Archagathi F. successus, & mòx clades. Pœni copias reparant. & Agathocles in Africam redit. Leptinis gesta.
69. Panicus in castris Agathoclis terror. Ipse victus ex Africa fugit. Sævit in suos.
70. Antigoni in Ptol. expeditio, & clades. Novæ in Sicilia turbæ.
71. Bellum Antigoni cum Rhodijs: Agathocles rebelleis domat.
72. Rhodus à Demetrio oppugnatur, & cū eodem pacisčitur. Agathoclis sacrilegium.
73. Demetriadis Conditus.
Cleonymi Lacon. flagitia
Nova æmulorum Princip. in Antigon. Coniuratio.
74. Lysimachi genus, & casus, & gesta.
75. Irrita Sidonis obsidio per Ptolem. Seleuci res in Asia ulteriore. Historiæ Græc. & Roman. series.
76. Ingens & fatalis inter principes pugna. Antigoni exitus. Atheniensf. ingrati.
77. Adfinitas inter principes, & mòx discordia. Agathoclis exitus.
78. Hieronis Siculi initia.

Cassandri filij inter se discordes.
Athenienses Demetrio se dedunt. Sparta tentatur.
79. Demetrius Macedon. rex,
80. Thebanos subigit. Ptol. Lagi, Iudæos victos in Ægyptum transportat.
81. Demetrij cum Pyrrho pugnæ.
Eius ambitio ab æmulis repressa.
Lysimachus & Pyrrhus, ex amicis, discordes.
82. Demetrij casus & Captivitas.
Lysimachi domesticæ calamitates.
Idolum Synopense.
83. Demetrij mors; & liberi.
Ptol. Philadelphus II. Ægypti rex.
84. Reip. Achaicæ initia.
Alter Gallor. in Italia motus.
85. Lysimachi, & dein Seleuci Exitus.
Antioch. Soter F. II. Syriæ Asiæq. rex.
Ptol. Ceraunì perfidia, & crudelitas.
86. Ipse à Gallis cæsus. Novi Macedō. reges.
Bellum Tarentinum.
87. Pyrrhus in Italiam transit, & cum Roman. pugnat. Altera Gallor. in Græciam irruptio.
88. Bibliotheca Alexandriæ. Lxx. Biblior. Interpp.
89. Tertia Gallor. in Græciam Irruptio.
Antigonus Gonatas eos vincit.
90. Pœnor. ad Roman. Legatio. Medici règij perfidia candidè detecta. Pyrrhus in Siciliam transit. Ptol. Philadelphi potentia.
91. Pyrrhus in Italiā redit. victus à Roman. Græciam redux turbat.
92. Eius exitus. Philadelphus Rom. amicus.
Samnitium pax cum Roman. Tarentini Roman. dediti.
93. Rhegini perfido præsidio liberati, Hierō. Siciliæ rex. Legationis violatæ Pœna.
94. Brundisini Portûs opportunitas.
Vulsinij servili malo liberati.
Romani Italiæ Domini, Siciliæ inhiant.
95. Bellum Siculum & Punicum.
Hieronis cum Romanis societas.
96. Novarum in Græcia Tyrannidum vindex Aratus.
Antiochus Theos III. Syriæ rex.
Pœnor. expeditio in Siciliā, & Romanos.
97. Classis navalis Romanor. & pugna cum Pœnis.
98. Duillij Triumph. navalis. Variè pugnatū.
99. Coss. Roman. victores in Africā traijciūt.
Attilius, in legibus victis dandis, durior.
Eius casus, Xāthippo Lacedæm. duce.
Antiochi Thei, & Antigoni Gonatæ dissensiones, Græciæ funestæ.
100. Galli cæsi in Macedon. Fortunæ ludus ibidem alternāte inter reges victoriā.
Novus utrimque classium, in Siciliam, adparatus.
101. Crebra inter pugnas & tēpestates naufragia. Longa ad Lilybæum sessio.
102. Reguli fides & supplicium.
Magas Cyrenæor. rex, hostis & mòx adfinis Philadelpho fratri.
Parthorum initia.
103. Siciliç Descriptio. Lilybæum oppugnatur diu & acriter, ac defenditur.
Aratus Sicyonios tyrannide liberat.
104. Romani variè à Pœnis victi. Caussa ex superstitione in contemtum auspiciorum reiecta.
105. Arati Industria.
Variæ iterū inter Rom. Pœnosq; pugnę.
Antiochi Thei, cum Philadelpho, bellum & pax.
106. Pt. Euergetes III. Ægypti; & Seleucus Callinicus IV. Syriæ, Reges.
Res & motus in Iudæa. Iosephi, qui Oniæ, ex sorore, nepos erat, Industria.
Claudiæ Appiæ vox fastuosa.
107. Agidis regis prçclari conatus in restituendā ἀνομία, Spartæ.
Arati & Achçorum progressus, captā Acrocorintho.
108. Mors Antigoni Gonatę. Demetrius F. succedit. Motus Lacedæmone, & Agidis Exitus. Ætolorum societas cum Achæis.
109. Naval. Roman. adparatus; conflictus & victoria. Pax cum Pœnis, & finis I. belli Punici.
110. Attali Pergam. fortuna, & Liberi. Poëseos Roman. initia. Falisci subacti. Intestina Afror. seditio.
111. Motus in Sardiniā. Seditiosor. in Africā crudelitas & supplicium.
112. Sardiniam cedunt Pœni Romanis. Bellum cum Boijs & Liguribus.
113. Novi motus Spartæ rege Cleomene.
114. Bellum Gallic. & Ligustinum.
Annibal devotus Romanor. hostis. Pax irrita cum Corsis.
115. Arsacis in Parthis initia.
Motus in Epiro. Sardinia Roman. provincia fit.
116. Corsi & Ligures domiti.

Sardi

Sardi & Ligures iterùm deficiunt.
Antiochus Doson, Philippi Macedonis tutor, & regni administrator.
Achaicæ reip. incrementa, & cum Ætolis dissidia.
117. Sardi iterùm domiti.
Bellum cum Boijs, & cæteris Gallis, ob legem Flaminiam.
Athenienses Arato federati.
118. Triumph. de Sardis & Corsis.
Cleomenes turbat, & novat.
Arati imprudentia, an Invidia?
119. Bellum Gallic. & Illyricum.
Teutæ reginæ impotentia.
120. Terræmotus Rhodi. Pax cum Illyrijs.
Pœnor. in Hispan. progressus.
121. Arati res gestæ. Seleucus Ceraunus rex Syriæ. Eius & fratris Hieracis exitus.
Eumenes Pergamenus rex.
Gallici belli tumultus; & de ijs Victoria.
122. Iosephi Iudæi cuiusdam casus.
123. Arati in Cleomenem invidia.
Bellum Insubric.
124. Cleomenis conatus in rep. constituẽdâ, & dissidium cum Antigono.
Pugna extrema, quâ victi Lacedæmonij.
125. Sparta Antigono dedita.
Philippus Antiocho Gonatę succedit in Macedon. regnum: tutori pupillus.
Seleuci Cerauni exitus.
Antiochus Magn. succedit. Regũ Ponticorum origo.
126. Dies Consulatui, Romæ, stati.
Belli Gallici finis. Virdumari cædes.
Cleomenis in Ægypto calamitas.
Medi & Persę ab Antiocho deficiunt.
127. Ptol. Philopator Ægypti rex.
Regum eâdem ætate indoles.
Philopatoris nequitia & ignavia.
Bellum Istricum.
128. Ætoli inquieti grassantur.
Bellum Punicum II.
129. Bellum Rhodior. cum Byzantijs.
Antiochi in Molonẽ defectorẽ expedit.
130. Res Annibalis in Hispania.
Saguntum tentat. Illyrior. rebellio.
Cynæthensium in Arcadiâ clades.
131. Ætolor. cum Achæis certamina.
132. Bellum Sociale contrà Ætolos.
Cleomenis miserabilis exitus.
133. Bellum Byzantinum componitur.
Antiochi altera in Asiam expeditio.
134. Herméæ Caris exitus.
Bellum cum Illyrijs.
Saguntinor. obsidio & clades.
Legatio Romanor. Carthaginem.
135. Novi motus Spartæ. Lycurgus rex.
Motus in Cretâ.
136. Bellũ Philippi cum Ætolis & Dardanis.
Clades Ætolor. Euripidâ duce.
137. Achęi rebellio adversùs Antiochum.
Antioch. Seleuciam obsidet & capit.
In Ptolemæum Philop. ducit exercitũ.
138. De regnorum iure disceptatio.
Annibalis in Italiam expeditio.
139. Adparat. Romanor. contrà eumdem.
Boiorum Insubriúmque defectio.
140. Pugna inter exploratores utriusq; partis. Annibal regni arbiter inter fratres.
Alpeis transcendit. Primum cum Scipione pugnat ad Ticinum.
142. Sempronij Cos. res in Sicilia gestæ. Ad Trebiam Scipioni se coniungit.
143. Altera ibidem cum Annibale pugna, & clades.
144. Res in Hispan. prosperiùs gestæ.
145. (sic emend. pro 159.) Philippus Psophidem & Tryphaliam subigit.
Chilon Spartæ tyrann.
146. Apellis In Aratum malitia. Et in regem Phil. coniuratio.
147. Philippi in Laconicam excursio: & cũ Lycurgo certamina.
148. Coniurati supplicijs adficiuntur.
Pax per legatos tentata & irrita.
Belli inter Syrũ, & Ægypt. reges adparat.
149. Antiochus multis locis potitur.
Pedneliss æ in Pamphylia obsidio.
Achęi ibidem conatus, & pax cum Selgensibus.
150. Achæi cum Attalo bellum.
Novum Ptol. Philop. cum Antiocho bellum, & pax.
151. Ptolemæi Panicus stupor.
152. Arati præt. industria.
Dercyllaidas à Philippo deficit.
Pugna ad Thrasymenũ cum Annibale.
153. Trepidatum Romæ ob cladem.
Fabius Pro-dictator.
154. Libri Sibyll. inspecti. Fabius cunctando eludit Annibalem.
155. Annibalis Strategema, bobus ardẽtibus.
Bellum in Hispan. ducibus Scipp.
156. Obsides Hispanor. liberantur.
Philippus, & Gręci in Romanos incitati.
157. Pax in Græcia. Athenienś. fluctuant.
Philippi in Illyr. bellum. Philopatoris in Iudæos iniquitas. Minutij Mag. equit.

quir. temeritas & pugna.
158. Ipse Dictatori exæquatur: Et victus ab eodem liberatur.
159. Ducis & Militum submissio. Servilius Cos. in Africâ rem malè gerit.
Legatio Roman. ad Philippum.
Dictatura, & Interregnum Romæ.
160. Exercitus. Legionumque incrementa. Hieronis munificentia. Penuria in castris Annibalis. Varronis Cos. temeritas. Et Paulli Cos. solertia.
161. Pugna & clades Cannensis.
162. P. Scipionis pro patriâ studium.
163. Romæ trepidatum.
Legatio Captivor. Romam, irrita.
164. Defectio socior. à Romanis.
Capuanorum luxus & perfidia.
165. Capuani cum Annibale paciscuntur. Pœnor. ex eâ victoriâ gaudium.
166. Nuceria dedita Annibali. Pugna ad Nolam. Casilinum acriter defensum.
167. Petellinor. constantia. Senatus suppletur.
168. Clades à Gall. ad Silvam Litanam.
Varia inter duces in Hispan. certamina.
Petellia expugnata. Croton dedita.
169. Philippi maritimæ molitiones. Sardinia ad Pœnos deficit. Prusias cum Gallis confligit.
170. Legatio Philippi ad Annibalem.
Cumanorum dolus in Campanos.
171. Cumæ oppugnantur.
Legati Philippi Romæ sistuntur.
Nova Philippi ad Annibal. Legatio.
Bellum in Sardin. cum Harsicorâ.
172. Annibal Nolam cum clade tentat. Memorab. Scipionum in Hispan. victoria.
173. Locri deduntur Annibali.
Intestina in Vrbibus Italiæ dissidia.
Hieroni succedit Hieronymus. Eius luxus & fastus.
174. In eum coniuratio, & exitus. Q. Fab. IV. & Marcell. III. Coss. creati. Belli adparatus.
175. Annib. à Tarentinis invitatur.
Pugna Gracchi ad Beneventum.
176. Pugna altera ad Nolam.
Censoria Romæ decreta:
Casilinum Fabio deditur.
In Lucanis, malè; In Samnio benè pugnatur.
177. Tarentum frustra tentat Annibal. Factiones Siculorum.
178. Hippocr. & Epycyd. Prætt. Syracus.
179. Syracusæ à Rom. obsessæ.
180. L. Pinarij solertia apud Ennæos.
Bellum motum cum Philippo.
In Hispaniâ continuatur.
181. Victoriæ ex Hispanis. Maiestas Cōsularis. Cassius Altinus proditor Arporum. Societatis cum Syphace initia.
182. Masanissæ cum eodem bella. Varij in Bruttijs prœlior. casus. Achæi exitus.
183. Nova delectûs militaris ratio. Tarentinor. coniuratio & proditio.
184. Ludi Apollinares. Capua obsidetur.
185. Metapontinor. & Thurior. defectio. Centenij temeritas & clades.
186. Fulvij prætt. clades. Syracusæ oppugnantur. Gravis in castris pestilentia.
187. Transfugæ pacem turbant.
Merici Hispani opportuna deditio.
188. Scipionum in Hisp. exitus. L. Martij Virtus & victoria.
189. Luxus Romam ex Sicil. invectus. Mutinæ, ducis Afri, virtus.
190. Capua capitaliter oppugnatur. Annibal à Capuâ repulsus Romam contendit. Capuanor. pertinacia, & supplicia.
191. Cl. Nero res in Hispan. gerit. Scipio iunior provinciam belli suscipit.
192. Marcelli de Syracus. triumphus. Pœni Siciliam depopulantur. Societas Romanor. cum Ætolis.
193. Horum in Acarnanas expeditio. Arati exitus. Incendium Romæ. Querelæ Campanor. & Siculor. in Senatu.
194. Remigij supplendi ratio. Annibalis rapacitas. Salapia recepta. Pugna navalis ad Sacriportum. Agrigentū receptum. Sicilia omnis debellata.
195. Nova Carthago à Scipione oppugnatur. Certamen de coronâ murali. Obsides Hispaniæ remissi.
196. Fulvij Procos. clades. Pugna Marcelli cum Annibale. Novum Capuanor. facinus. Amicitia Romanor. cū Syphace.
197. Romanor. consilia contrà hostium passim molitiones. Dictator, & Coss. creati. Querelæ Coloniar. Italiæ.
198. Variæ ad Canusium pugnæ. Tarentum à Fabio expugnatur.
199. Pugna Scipionis cum Asdrubale.
200. Scipio regis nomen aspernatur. Massiva captivus ad avunculum missus. Marcellus in Senatu se purgat.

Oniæ

Oniæ Pontific. Liberi. Ludi Apollinares. Inquisitio in Etruscos.

201. Decretum in Tarentinos. Coss. clades, & Marcelli interitus. Pœni ad Salapiam cæsi.

202. Annibal Locros obsidione solvit. Græci in factiones discissi. Induciæ, & publici federis ibidem tentamenta. Philippi popularitas & luxus.

203. Conflictus ad Elidem. Dardani regem bello lacessunt. Livij Salinatoris laus; Neroni reconciliatur.

204. Hasdrubal in Italiam destinatus. Eódem penetrat. Claudij cum Annibale conflictus.

205. Claudius Asdrubali adventanti occurrit. Livio iungitur, & Asdrubalem cum copijs profligat.

206. Novum in Hispanis bellum.

207. Oringis opid. oppugnatio. Sulpitij Proc. & Attali molitiones adversus Philipp. Oréum expugnatur.

208. Opus capta, & recepta. Philippus res civitatium componit. Coss. Livius & Claudius triumphant.

209. Inquiritur adhuc in Etruscos. Hispania iterùm turbat. Ingens ad Bæculam pugna.

210. Pœni omni Hispaniâ pulsi. Scipio iamtum Africam spectat. Eò ad Syphacem traijcit. Syphax Scipionis & Asdrubalis hospes.

211. Castulonens. & Illiguritani defectores castigantur.

212. Scipio Patri patruoque parentat. Astapensium ex desperatione facinus. Mago res novat in Hispan.

213. Seditio militaris inter Romm. Auctores puniuntur. Hannonis conatus interruptus.

214. Conflictus navalis Lælij & Asdrubalis. Nova Mandonij & Indibilis defectio. eorumdem reconciliatio. Colloquium Scipionis cum Masanissâ. Mago in Italiam cogitans, Hispanos aliósque expilat, &c.

215. Scipio Romam redit. Saguntini honorantur. Scipio in Africam traijcere parat.

216. Mago in Italiam venit. Scipio res in Siciliâ constituit. Rebellio Hispaniæ, duce Indibile. Et mox quies reddita.

216. Lælius Africam incursat. Magna Carthagini trepidatio. Masanissæ prudens consilium. Locri à Rom. recepti.

217. Pleminij Præf. scelera, in Locris. Oraculum de Matre Idæâ.

218. Ætolor. Epirotar. & Romanor. Pax cum Philippo. Idolum Pessinunt. Romæ acceptum.

219. Coloniæ refractariæ supplent exercitũ. Legatio Locror. contra Pleminium. Inquisitio in Scipionem, in Siciliâ.

220. Syphax Pœnis socius. Scipio in Africam traijcit. Varij Masanissæ casus.

221. Vtica oppugnatur à Scipione. Annibal ad Crotonem victus.

222. Censorum discordia. Ptol. Epiphanes rex Ægypti mulierosus. Castra Pœnor. incensa.

223. Clades Pœnor. Nova de Syphace & Pœnis victoria. Pugna classica.

224. Syphax captivus. Cirtha capta, Sophonisba Syphacis, Masanissæ nubit.

225. Eadem veneno perit. Masanissa rex salutatur. Legatio Pœnor. ad Scipionem de pace. Pugna cum Magone in Insubribus.

226. Annibal Italiâ excedit. Legatio Pœnor. Romam. Servilij Cos. ambitio. Naufragium ad Ægimurum. Pœnor. perfidia in naufragos.

227. Bellum Prusiæ cum Cianis. Querelæ Græcor. de Philippo. Annibal in Africam adpulsus.

228. Colloquium Scipionis & Annibalis. Pugna inter utrumque fatalis, victore Scipione. Legatio supplex Pœnor.

229. Nova ab ijsdem Legatio. Pax data. Irritus Claudij Cos. conatus.

230. Decretum Senatûs de comparandis inter Coss. Provincijs. Legati Philippi Macedon. Legati Carthaginiens. Pax ijs publicè data & probata.

231. Scipionis reditus & triumphus. Mors Syphacis. Bellum I. Macedonicũ. Bellum cum Boijs, & clades accepta.

232. Querelæ de Philippo. Bellũ ei indictũ. Tumultus belli Gallici.

233. Antioch. Mag. Philippo federatus, Ægyptum invadit. Bellum huius cum Atheniensib. Abydi obsidio & clades.

234. Bellum Gallic. continuatur. Gallor. cædes. Chalcis intercepta. Philippus Athenas frustrà oppugnat. Nabis Spartæ Tyrannus.

235. Philippi

Pag. 235. Philippi sacrilega crudelitas. Macedonia à Roman. vastatur.
Concilium Ætolorum. Ibidem inter Philipp. & Roman. disceptatio.

236. Velitationes utrimque: & mòx iusta pugna.

237. Ætoli Romanis coniuncti Philippum infestant & cęduntur. Dardani vincũtur. Atheniensium in Philippũ diræ. Andros expugnatur, & Insulæ aliç tentantur.

238. Oréum capitur. Furij præt. de Gallis triumphus. Res in Hisp an. gestæ.

239. Thaumaci obsessi. Castra Philippi oppugnantur. Res in Insubribus improsperæ. Flamininus ex prætore Cos.

240. Antiochus Attalum bello lacessit: Huius ad Senatum querelæ.
Eiusdem Antiochi cum Ptolemæo bellum: & in Iudæos benignitas.
Quinctius in Macedoniam ducit. Pax tentata.

241. Ad bellum utrimque procinctus. Macedonum fuga. Ætoli & Athamanes Macedoniam incursant. Epirotis venia data. Thessalia vastatur.

242. Maritima Roman. in Philipp. expeditio. Eubœa vastatur. Rhage frustrà obsessa. Phocis vastatur.

243. Concilium Achaicum: Ibidem altercatio de federe cum Roman. iungendo. Corinthus oppugnatur. Elatia deditur.

244. Argivi ad Philipp. deficiunt.
Coniuratio servorum apud Setiam detecta. Colloquium de pace ad Maleã.

245. Bellum cum Boijs & Insubribus.
Colloquij Maliaci continuatio.

246. Legatio sociorum, & Philippi Romam, irrita. Phil. Nabidem socium adsciscit. Nabis Argis grassatur: eius perfidia.

247. Nabidis, eiusque uxoris rapacitas. Bœotia astu conciliati Romanis. Attali morbus. Castra utrimque ad Scotusam. Pugna fatalis ad Cynoscephalas.

248. Acarnania subacta. Dardani victi. Antiochus Philippo federatus, Romanor. hostis.

249. Rhodij Antiocho se opponunt.
Mors Attali. Coss. de Gallis triumphus.
Legatio Philippi Romam.

250. Novum in Hispan. bellũ: & clades ibi accepta. Bœotorũ ingratitudo & crudelitas: reconciliati. Pax cum Philippo.

251. Ætolorum cõtumacia. Græciæ libertas data. Cõditiones pacis Antiocho propositæ. Coniuratio servorum, in Etruscis oppressa.

252. Prœlium anceps in Boijs. Boij Liguresque victi. Antiochus cum Ptolemæo belligeratur; & Asiæ Europæq; imminet. Legatio ad eumdẽ cum mandatis.

253. Intestina Carthaginiens. mala. Calumniæ in Annibalẽ, & suspicion. Oppia lex abrogata.

254. Acre in Hispanos defectores bellum. duplex Strategema Catonis. Hispani victi.

255. Hispani & Boij iterùm victi. Bellum in Nabidem decretum.

256. Lacedæmon, & Gythium oppugnantur.

257. Pax Nabidi data. Et mòx violata.
Sparta obsessa. Induciæ. Argos receptum. Ætolor. querelæ de pace.

258. Pleminius incendiarius pœnas luit.
Novæ coloniæ. Anceps in Boijs pugna.
Captivi Romani restituti.

259. Agathocles, Tutor Ptol. Epiphanis.
Novus à Liguribus motus.
Legatio Antiochi Romam. Quinctius Proc. cõtroversiarũ in Græcis arbiter.

260. Novæ turbæ Carthagine ob Annibalẽ.
Nova in Hispanijs rebellio repressa.
Bellum cum Boijs & Liguribus.

261. Bellum Ætolicũ. Legatio ad Antioch.
Colloquium Scipionis cum Annibale.

262. Minio carpit Romanor. ambitionem.
Ligures iterùm domiti. Res prosperè in Hispanijs.

263. Bellum Antiochinum.
Philopoemonis cũ Nabide certamina.

264. Thoas belli Ætolici incentor, Antiochum arcessit.

265. Temeritas Ætolorum.
Nabidis exitus. Thoas Chalcidem oppugnat. Antiochus in Europam traijcit irritò conatu.

266. Aminandri vanitas. Variæ in Achaico Concilio de bello sententię. Sana Cõsulis ad Achæos consilia.

267. Antiochus ad Aulidem: Eubœa potitur. Variæ Romam legationes. Bœoti fluctuant: & Thessali tentantur.

268. Annibalis consilium de bello. Philippus in Antiochum exacerbatus. Huius in Thessaliã progressus.

269. Eius ignavia. Multæ urbes à Romanis captæ aut deditæ.

Athamania Philippo tradita.
Thaumaci oppressi. Descriptio Thermopylarum.

270. Pugna fatalis ad Thermopylas. Classis regia dissipata.

271. Bellum Ætolicum. Consilia Consulis ab ijs reiecta. Heraclea deditur. Ætoli pacem petunt; sed leges respuunt.

272. Novum cum ijsdem bellum. Naupacti obsidio. Zacynthus Romanis reddita: & Demetrias dedita.

273. Concil. Achaicum. Indè Legati Romam. Bellum iterùm cum Boijs & Liguribus. de ijsdem triumphus. Annibal belli & Antiochi incentor. Maritimus utrimque adparatus.

274. Pugna navalis. Ætolorum Legati duriùs accepti.

275. Legati ab Ægypto. Scipio ad bellũ proficiscitur. Lamia expugnata. Atheniẽses pro Ætolis intercedunt.

276. Philippi in Romanos studium. Antiochi adparatus. Navalis Romanorum in eumdem expeditio.
Polyxenidæ fraus in Pisistratum Rhodium.

277. Pugnæ varijs locis navales, inter Antiochinos, & Romanor. socios.

278. Æmylij Regilli, & Antiochi, mari molitiones. Prusias ab Antiocho sollicitatur.

279. Pugna navalis ad Teon insulam. Teiorum pœna.

280. Antiochi stupor. Phocæa expugnatur & diripitur. Cos. Scipio Helles-Põtum traijcit. Antiochus pacem tentat.

281. Novus belli adparatus. Castrorũ utrimque metatio. Cavillum Annibalis.

282. Pugna fatalis ad Caicum.

283. Vrbium multarum deditio.
Antioch. pacem petit & impetrat.
Acilij triumphus. Coloniæ novæ in Italiâ.

284. Ætolor. legatorum præfidentia. Legati Antiochi, aliorũque Romam. Hispania turbat & pacatur. Varij triumphi.

285. Bellum Creticum. Athamanicum. Ætolicum. Ambraciæ obsidio.

286. Legatio Ætolor. ad Cos. Ambracia dedita. Ætolor. legatio Romam. Pacis leges impositæ.

286. Bellum Galaticum, seu cũ Gallo-græcis.

287. Gallor. olim in Europam Asiamque expeditio & propagatio.

288. Manl. Consulis ulterior in Galatiam expeditio & victoriæ.

289. Captivæ cuiusdam facinus.
Bellum cum Tectosagis. Cephallenia tentatur.

290. Samæorum temeritas & cædes.
Tumultus in Peloponneso, & Lacedæmone. Legatio Achæor. Romam. Forumdem immoderatio in Spartanos.

291. Variæ ad Cos. Manlium Legationes. Fedus cum Antiocho. Vrbes in Lyciâ receptæ.

292. Civitates Asiæ constitutæ. Cos. à Thracibus spoliatur. Provinciæ prætoriæ.

293. Tumultus à Liguribus. Calũnia in Proc. Fulvium. Manlij triumphus.
In Scipionem Asiatic. calumnia. De eodem Tib. Sempronij sententia.

294. Catonis invidia. L. Scipio accusatur δωροδοκίας. ab eodem Sempronio defenditur. Bellum cum Ligurib.

295. Cænomani restituti. Inquilini Româ domos dimissi. Fulvij triumphus.
Antioch Magni exitus.
Seleucus Philopator rex Syriæ.
Luxuriæ apud Rom. origo.
Bacchanalia Romæ detecta & punita.

296. Improspera in Liguribus pugna. Nova belli origo cum Philippo. Res variè in Hispan. gestæ.

297. Philippi purgatio. Prætores in Hispaniâ nunc victi, nunc victores.

298. Ligures victi.



ALTERA PARS TOMI II.

299. Res Iudæorum. Heliodori ibidem molitiones.

300. Protasis belli & Imperij Machabaïci, Græcia iugo Macedonico liberatur.
Philippi offensa & ultio in Maronitas.
Lycortæ prær. Achæor. facinora.

301. Catonis censorij laus. Censoriæ severitatis exemplum. Plautus Comicus. Galli oppidum condunt in Venetis. Novæ de Philippo querelæ.

302. Disceptatio Romæ, inter Demetrium Philippi F. & adversarios.
Philopæmonis exitus. Annibalis extrema, & exitus. P. Scipionis exitus.

303. Demetrij reditus Patri ingratus. Galli ex agro Veneto Italiâque decedunt.

Bellum

Bellum Istricum. Novæ coloniæ.
304. Legationes transmarinæ. Theoxenæ facinus. Philippi filiorum discordia. Solennis lustratio exercitûs Macedonici.
305. Ligurum deditio. Bellum cũ Celtiberis. Disceptatio agraria inter Pœnos & Masanissam. Bellum cum Liguribus.
306. Navalis rei cura. Philippi vani conatus. Demetrium veneno exstinguit. Bellum cum Liguribus Ingaunis.
307. Arcæ cum libris in agro repertæ. Bellum iterùm cum Celtiberis. Contrebia capta.
308. Pax cum Liguribus; cum Pœnis: Et Corsis. Decreta de militiâ Hispaniensi. Quæstio de Veneficis. Bellum iterùm de Liguribus.
309. Bellum iter. cum Celtiberis: cum Liguribus. Querelæ de Gentio rege.
310. Exitus Ptol. Epiphanis. Ptol. Philometor succedit. Lex Annaria.
Hiemis sævities. Censores Romæ inter se conciliati. Munda & Certina in Hispan. captæ.
311. Pugna ad Alcen, opidum, ibidem. Exitus Philippi Maced. eius anxietas.
312. Perseus postrem. Macedon. rex Bastarnę auxiliares Macedonum. Triumphi de Ligurib.
313. Antiochus Epiphanes Syriæ rex. Eius hypocrisis & ambitio. Bellum cum Istris.
314. Morus in Sardiniâ. Lyciorum de Rhodijs Querelæ.
Tribb. in Manlium criminatio.
Legatio & Querela Latin. de inquilinis.
Istri domiti. Claudij Cos. temeritas.
315. Ne satium in Istris oppugnatur. Dirum civium facinus & cędes. Sardi domiti.
Ligures victi, iterùm rebellant.
Inopina mors Cos. Cornelij.
316. Mutina recepta. Sardi iterùm domiti. Ligurum feritas. Omen infaustum Consulis, & exitus. Ligures cæsi.
Impia Iasonis apud Iudæos nundinatio: & publici mali labes.
317. Metus belli à Macedone. Dardani oppugnant Bastarnas. Persei mores, & inconstantia. Gravis pestilentia.
318. Pœni suspecti. Persei expeditio in Dolopas. Ipse civitates solicitat.
Ætolor. intestinus furor; & indè Cretensium. Celtiberi iterùm domiti.
319. Patavini pacati. Triumphus de Sardis. Postumius exactor: res mali exempli in posterum. Ædes Fortunæ Equestris: & Iunonis Laciniæ detecta. Persei molitiones. Eius cum Eumene comparatio.
320. Ætolorum seditiones compositæ.
Legatio Antiochi Epiphanis Romam.
Corsi pacati; & Ligures.
Duritias Cos. in deditițios.
321. Mira locustarum lues.
Dissidia in Iudæis, & Pontificum nundinationes. Crimina in Perseum. Legatio eius Roma reiecta. Rhodij Legàti intemperantia.
322. Perseus sicarios Eumeni immittit.
Attali credulitas. Indices cædis, Eumeni intentatæ. Tacitus belli in Perseum adparatus. Exambitæ regum societates. Rogatio Martia de Liguribus restituendis.
323. Disceptatio de agro inter Pœnos, & Masanissam.
Legatorum de Persei conatibus renuntiatio. Querelæ & suspiciones de Gentio rege. Reges in Asiâ Romanis fidi. Rhodij suspecti.
Belli terrâ marique adparatus.
324. Fœda mors Fulvij Pontif.
Bellum Macedonicum II.
Regum ergà Romanos studiâ.
Masanissæ cautio. Populorum de eòdem bello opiniones.
325. Cos. Prætorumque in delectu militari nova potestas. Legati Persei, Româ, re infectâ, dimissi. Legati Romanorum provincias obnoxias partiuntur.
326. Achæi murmurant. Epirotæ parent; alij fidem operamque pollicentur.
Thessali fidi. Rex in colloquium cum Martio venit. Induciæ regi concessæ. Bœoti Romm. se permittunt.
327. Chalcis præsidio Achaico defensa.
Legati ad Insulas. Rhodij opem pollicentur. Rex eosdẽ, & Bœotos solicitat. Martij astus à cordatis reprehensus.
Legati regis auditi, & decedere iussi.
328. Perseus ad bellum accingitur. Copiæ & opes regis. Ipse multa opida præoccupat. Romm. in regem ducunt. Jis Eumenes iungitur.
329. Rex Pheræos incursat. Pugna dubiâ. Rex prœlio victor. Pacem petit, neque impetrat.
330. Multis grata regis victoria.

Haliartum euersum. Thebæ receptæ.
Irritus regis in castra Roman. conatus,
Pabulatores cædit. Præsidium Romanum frustrà oppugnat. Tumultuaria pugna: præda amissa.

331. Regis stupor. Corys ad sua tuenda digreditur à rege. Cos. Roman. multas urbeis expugnat.
Res in Illyrico gestæ. Cassij Cos. vani conatus. Querelæ Hispanor. de Magistratibus, elusæ.

332. Carteia colonia condita. Legati ex Africâ. Lenitas prætoris laudata. Abderitarum querelæ de Hortensio, non irritę. Legati è Græciâ & Asiâ: eorumque obsequia.

333. Legati ex Africâ & Cretâ.
Chalcidēsium querelæ. Lucretius violentiæ damnatus. Rex Gentius suspectus. Furij ex temeritate clades. Discordia inter Ptolemæos fratres.

334. Antiochi Epiphan. perfidia, & in Hierosolymitanos sævities. Res in Macedoniâ minus prosperæ. Censorum concordia. Legatqr. Rom. in Græcis, fides.

335. Persei expeditio in Illyricum. res secundæ. Gentius à Perseo solicitatur.
Appij ignauia.

336. Gentius mercedem à Perseo captat.
Ptolemæi fratres reconciliantur.
Antiochi calliditas, & in Iudęos iniquitas. Cos. cum copijs aduentus. Hostilij laus. Persei perplexitas.

337. Castrorũ positus. pugnæ præludia. Romani, stupente rege, euadunt.
Dium, desertum occupatur à Roman. idem à rege recipitur.

338. Heracléa expugnatur. Rex attonitus.
Thessalonica frustrà oppugnatur.
Clades alterna ad Antigoniam. Cassandréa frustrà, & cum clade, oppugnatur.
Item Melibœa & Demetrias.

339. Eumenes rex suspectus. Variæ Romam legationes. Rhodiorum in postulando superbia. Censor. seueritas. Alexandrinorum de Ant. Epiphane querelæ.

340. Reges bello abstinere iussi. Status Romani exercitûs in Macedoniâ. Perseus Gentium, aliosque solicitat.
Galli auxiliares reiecti.

341. Gentius à Perseo abalienatus.
Galli cæsi à classiarijs Persei.
Deli Insulæ religio. Legati Gentij & Persei apud Rhodios.

342. Anicij Proc. laus. Scodra oppugnatur.
Rex Gentius pacem petit.
Scodra capta, & rex vinctus. Persei turbatio. Rhodior. legati in castris.
Castra utrimque ordinata.

343. Perseus vndique circumuentus, & ad pugnam procinctus. Lunæ defectio hostijs procurata. Ardor ad pugnam.

344. Casus pugnæ fortuitus. Aciei Roman. ordo. Fuga regis. Scipio de filio solicitus. Ciuitatum ad Roman. defectio.

345. Regis Persei, desperatio & solitudo. Multæ ciuitates Cos. deduntur. Fama victoriç anticipata. Rhodior. legatorum dissimulatio. Regis litteræ.

346. Samothracæ religio à rege violatur. Ipse fugam circumspectat: & mòx se dedit, cum liberis. Exemplum Humanæ mutabilitatis.
Regum Macedon. Series, sub unum conspectum data.

347. Popilius Rhodios increpat. ad Antiochum Epiph. legatus.

348. Fratrum Ptolemæor. Syncretismus, suspecto iã Antiocho. Is ad Legator. aduentum obstupet, & ab Ægypto desistit. Variæ Romam Legationes, & de Victoria gratulationes.

349. Inter Pontific. Hierosol. contentio.
Antiochus Iudæis infestus.
Iudæorum in pietate constantia. Matathias pij belli ante-signanus. Cædes Iudæorum.

350. Libertinor. Romę status. Libertas victis Macedonib. & Illyrijs data. Attali gratia.
Rhodij legati supplices in gratiã recepti.

351. Rhodij defectores castiganr. Anicius res in Illyrico constituit: Epirotas domat. Illyrijs libertas confirmata: Prouincia tripertita.

352. Rebelles in Macedoniâ domiti.
Proc. Paullus Græciæ celebriora perlustrat.
Cædes Principum in Ætoliâ. Perseus artiùs custoditus. Libertas Macedonib. confirmata: Prouincia quadripertita. Leges de Connubijs & commercijs.

353. Ætoli duriùs habiti. III. Principum in ciuitatibus genera. Calumniarum seges.
Arma cremata. Præda Romam deuecta.

Romani

Romani indignè Illyrios & Epirotas diripiunt.
354. (Em. pro 358.) Paulli & Anicij in Italiam reditus.
Galli ad pacem præfracti. Reges captivi in custodiam dati. Victores triũphant. Invidia fortunæ comes. Obtrectatio Paulli Proc. & triumphus. Eiusdẽ calamitas domestica. Triumphus Navalis Octavij.
355. Humanitas Roman. ergà Cotyn regem. Anicij triumphus de Gentio. Levitas Samaritarum.
Matathię succedit Iudas Maccabę⁹. Prusias rex Romę honoratur: Eius adulatio.
356. Eumenes rex urbe exclusus. Iudę & Antiochi bella. Iudæ variæ victoriæ. Severitatis Paternæ exemplum.
357. Iudas Templum expiat. Æmuli Iudęor. domiti.
358. Temeritas Sacerdotum. Sacrilegium Antiochi, & Exitus. Eupator succedit. Horologium Romæ.
359. Octavij cædes. Paulli Æmilij abstinẽtia. Rex Eupator in Iudęos benignus, mox alienatus.
360. Eleazari virtus. Bethsura regi dedita. Rex à templi obsidione avocatur; & cũ Iuda pacem facit. Alcimus Menelao suffectus Pontifex.
Onias Tẽplũ in Ægypto ędificat, Oniõ.
361. Vanitas augurior. Romæ. Demetrius Syriæ rex.
362. Leges sumtuariæ Romæ. Alcimus Iudam criminatur, & Demetrium in bellum concitat.
Bacchidæ sævities. Nicanor dux perfid⁹.
363. Idẽ vincitur & cæditur. Iudas Roman. socius. Nova Bacchidæ expeditio.
364. Iudæ generosus exitus. Alcimi exitus. Demetrij regis expeditiones.
365. Iudæi miserè addicti. Ionathas dux electus. Bacchides in Ionathã ducit. Vltio fraterna. Perfugæ Iudæam turbant.
366. Bethagla oppugnatur. Ionathas Bacchidæ federatus. Belli Ligustini finis. Ærarium Romæ.
357. Legati Athenienf. Philosophi. Varijs ex gentibus triumphi. Veneficij pœna.
368. Bellum cum Celtiberis. Dies Consulatui status.
Duces belli Numantini. Fastus Demetrij regis.
Alexander Veles, Syriæ rex.
369. Ionathæ societas à regib. exambita. Vectigalia Iudææ. Demetrius in pugna cadit.
370. Varia in Hispanijs prœlia. Galbæ perfidia. Syri regis cum Ægyptio adfinitas. Honor Ionathæ ab ijsdem habitus. Samaritar. contentio.
371. Belli III. Punici initia. Prusiæ regis cædes.
372. De bello Punico disceptatio. Pœni se dedunt: deinde ad bellum se parant. Scipionis præclara facinora.
373. Demetrius Nicanor, Syriæ rex. Apollonius armis repressus. Scipio tutor liberorum Masanissæ.
374. Bellũ cum Andrisco. Scipio Cos. & Imperator. Alexander regnum amittit. Ionathas se purgat.
375. Alexandri & Ptolemæi regg. exitus. Scipio Carthaginem oppugnat & obsidet. Ptolem. Euergetes, Ægypti rex.
376. Bellũ Achaicum; & Corinthi exscidiũ.
377. Metelli Macedon. rara fortuna. Carthago expugnatur.
378. Bellum Viriathinum; variáque eius alea. Ionathas Arcem Sioniam obsidet: & Demetrio reconciliatur.
379. Iudæi Demetrio auxiliares & fidi. Idem in eosdem irritatus. Vanitas testamenti. Antiochus Theos rex.
380. Idem Ionathæ socius. Huius Legatio Romam & Spartam.
Tres Iudæorum sectæ. Duces Demetrij fugantur.
381. Legati Romani res in provincijs transmarinis cõstituunt. Virgo sacra triumphum Patri extorquet.
Arsacidarum in Parthis regnum. Ibidem Demetrij molitiones, & casus.
382. Tryphonis ambitio, artes. Ionathas captivus.
Simõ dux electus in fratris locum. Nova Tryphonis fraus: Ionatham interficit.
383. Tryphon Syriæ rex. Simon Demetrio reconciliatus. Eius res gestæ & Æra. Legati Iudæi Romæ. Res variè in Hispan. gestæ. Metelli Cos. malignitas.
384. Censor. Romæ discordia. Pseudo-Philippus Macedo.
Iudicium de corruptela. Paterna severitas. Pax turpis cum Viriatho. Belli Numantini occasio.
Demetrius Nicator è fuga retractus.
385. Prosper Iudææ status sub Simone.
Pax cum Viriatho abrupta. illius exitus.

Pompeius victus perfidè paciſcitur.

386. Antioch. Sedetes Syr. rex, Simoni amicus.
Bellum cum Numantinis renovatum. Tryphon obſidetur. Romani in Simonem benivolentes. Eidem Antioch. amicus. Tryphonis exitus.

387. Scipionis conſtantia. Bruti Coſ. res in Luſitaniâ geſtæ. Antiochus Simoni bellum faceſſit.
Simonis filij vincunt regios. Iudæorum ſervitus, ad Simonem uſque.

388. Infauſta Mancini expeditio. Ipſe hoſti deditur. Lepidi Proc. res contrà Vaccæos. Illyrij & Thraces obiter domiti.

389. Bellum ſervile in Siciliâ. Ptol. Abobi perfidia: Simonis cædes. Ioan. Hyrcanus ſuccedit.
Arcis Dochæ obſidio: pietas ibi Ioannis in matrem.
Antioch. Hieroſolymam fruſtrà obſidens, pacem cum Hyrcano facit.

390. Scipio bello Numantino Imperator.

391. Iugurtha Scipioni auxiliaris. Theſauri Davidis reperti. Tribunitiæ poteſtatis incômoda. Seditio Gracchana. Leges Agrariæ.

392. Servi ſeditioſi in Sicilia oppreſſi. Attalus, homo inſanus, popul. Rom. heredem nuncupat.
Numantinor. deſperatio, & exſcidium.

393. Triumphi ex Callæcis & Numantinis.
Craſſi Pontif. cum Ariſtonico pugna, & exitus.

394. Ptol. Phyſconis barbaries. Scipionis Africani exitus. Ariſtonicus captivus. Aſiæ provinciæ Romanis cedunt.

395. Phocenſes veniâ dignati. Præmia fidis regib' reddita. Regina mater venefica. Sideræ expedit. in Parthos, comite Hyrcano. Demetrius Nicator iterũ regnat.

396. Res ab Hyrcano geſtę. Ludi Terentini. Legatio Hyrcani Romam. Syri deficiunt à Demetrio.
Alexander Zebina Syriæ rex.

397. Demetrij exitus. Fulvij Flacci obſtinatio. Ex Locuſtis peſtilitas. Cenſoria ſeveritas. Bellum cum Tranſalpinis. Cõiuratio Latinor. repreſſa.

398. Bellum Balearicum. Altera Gracchana Seditio. Carthago Nova Roman. colonia. Bellum Allobrogic. Bellum inter Syriæ reges.

399. Antioch. Grypus Syriæ rex. Bellũ cum Bituito Arverno, & Allobrogibus. Narbonenſis provincia. Gracchi leges ſeditioſæ. cædes auctorum.

400. Opimius nimius in ulciſcendo. Cleopatra veneficij pœnas luit.

401. Marij Initia. Triumphus ex Dalmatis, & inalpinis. Cyzicenus, Grypi hoſtis.
Ptol. Phyſcon II. Ægypti rex.

402. Cleopatra turbat regiam familiam.
Bellum inter fratres reges, & ſorores. Scauri claritati reſtituti.

403. Ligures domiti paludibus exſiccatis. Inſania gulæ, Romæ. Iudææ tranquillitas. Bellum cum Scordiſcis. Antonij oratoris crimen.

404. Cimbri in Italiã irrũpunt. eorũ origo.
Antioch. Cyzicenus Syriæ rex. Belli Iugurthi initia.

405. Iugurthæ fratricidæ bellum indicitur. Romam arceſſitus, corruptis auro Nobilibus evadit.

406. Maſſivæ cædes. Albin' in Africã venit. Auli fratris cũ Iugurthâ pax. Ioan. Hyrcanus Samariam obſidet, & evertit.

407. Cimbri Hiſpanos & Gallos bello laceſſunt.
Albini in Numidiâ conatus irriti. Metelli Coſ. induſtria, & cum Iugurthâ prælia.

408. Phariſæi & Saducæi exorti. Hyrcani offenſa à Phariſæis.

409. Res In Hiſpaniâ, & Numidiâ. Iugurtha deditionem detrectat. Marij ambit. & calumn.

410. Vaccenſiũ perfidia. Thala expugnatur.

411. Bocchus, Iugurthæ ſocius, tẽratur. Marius Coſ. Metello ſufficitur. Clades à Tigurinis. Capſa capitur & incenditur.

412. Pugna varia cum Iugurthâ. Aurũ Toloſanum, & indè conſecuta clades.

413. Syllæ & Bocchi colloquiũ de prodendo Iugurthâ. Ariſtobulus Pontif. & rex Iudææ.

414. Antigoni, fratris regij, cędes. Ariſtobuli pænitentia, & mors. Alexander Iamnæus rex.

415. Cimbrorum irruptio: ab ijs clades. Seditio Tribunit. Romæ.

416. Marij Coſ. triumphus. Bellum cũ Cimbris. Cleopatræ ambitio, & iniquitas. Ptolemaïs obſeſſa.

417. Ptol. Alexander, Ægypti rex. Bellum Cimbricum, & clades. Marius Catulo collegæ ſuccurrit.

418. Altera Cimbror. clades. Seditio Saturnini.

419. Servile

419. Servile in Sicil. bellum. Q. Metelli ab exsilio reditus. Ptol. Lathyri bellum cum Iamnæo.
420. Iamnæi fedus cum Cleopatra. Fius Victoriæ. Bellum cum Celtiberis. Duronij Trib. luxus.
421. Iamnæus Gaza potitur. Cyrene in Africa, pop. Romani provincia. Origo belli Italici.
422. Seditio in Iamnæum coorta. Cleopatræ exitus.
Belli Mithridatici initia. Regum Asiæ bella.
423. Bella inter Syriæ reges.
Seleucus, Antiochus, & alter Antiochus, ibidem reges.
Ptol. Lathyrus iterùm regnat.
424. Philippus & Demetrius Grypi FF. reges. Latini Rhetores Romæ. Phariseorum cum Iamnęo bellum. Seditio Liv. Drusi.
425. Bellũ Italicũ. Belli Mithridatici fomes.
426. Censoria Romæ decreta.
427. Improsperũ cum Mithridate bellum. Sulla Cos. Bellum civile Sullanum. Q. Pompeij cædes.
428. Mithridatis progressus, & victoriæ. Pharisæi regem Alexandrum oppugnant: & puniuntur.
Seditio Cinnana.
429. Marij in civeis crudelitas. Syllæ in Mithridatem Græciamque expeditio.
Marij exitus. Athenæ à Sulla captæ.
430. Eius de pręfectis regijs victoriæ. Demetrij Eucæri captivitas. Ptol. Auletes, Ægypti rex.
431. Flacci Cos. cædes. Mithridates pacem tentat. Philippus Syriæ rex. Fius cum Iamnæo, cum fratre, & Areta, bella.
432. Cinnæ Cos. cędes, & Fimbriæ. Pacis leges Mithridati datæ. Tigranes Armenius, Syriæ rex. Capitoliũ instauratum.
433. Factiones contrà Syllam; & huius victorię. Marij Junioris conatus repressi.
434. Eius cædes. Sulla Felix & Dictatos dictus. Tabulæ proscriptionis: cędes civium. Murænæ cũ Mithridate bellum.
435. Triumphi Syllę. Res Põpeij in Sicilia & Africa, & Triumphus. Iamnęus regnũ ampliat. Ptol. Auletes regno pulsus.
436. Sertorij molitiones in Hispan. & bellũ. Syllæ Ex-dictatoris mors fœda.
437. Iamnæi moribundi monita. Pharisęorũ impotentia. Alexandra, Iudææ regina.
438. Seditio M. Lepidi Cos. Pompeius Sertorio opponitur.
439. Querela Cottæ Cos. de statu reip.
Sertorij prospera. Bellum Piraticum.
P. Servilius, Cilicas domat.
440. Pompeij res in Hispaniã. Sertorij cum Mithridate fedus. Lucullus Mithridati opponitur.
Cyzicus obsidione liberatur, cæsis hostibus.
441. Sertorij exitus. Perpennæ perfidia. Põpeij integritas. Bellum Spartacinum: prædones grassantur.
442. Mithridates bellũ reparat. Pharisæi sub Alexãdrã dominãtur. Tigranis in Syriã expeditio, & cum Iudæis societas. Ariovistus Germanus, Galliã potitur.
443. M. Lucullus varias gẽteis domat. Spartacus cum suis deletur. Triumphi ex Hispaniã.
Luculli & Mithridatis certamina.
444. Luculli in Pontó progressus. Metelli integritas in Siciliã. Discidium inter Iamnæi liberos.
445. Luculli de Mithridate, & Tigrane victoria. Antiochus Commagenus, Syriæ rex ultimus.
446. Nisibis capitur. Vterque rex rerum suarum satagit.
Bellum Creticum. Bellum Piraticum, duce Pompeio.
447. Militum in Lucullum cõtumacia. Metelli in Cretes sævitia.
448. Pompeij gratia. Lex Manilia, de bello Mithridat. Tigranes se dedit.
449. Fedus cum Oræse Albano. Coniuratio Crassi & Cæsaris. deinde Catilinæ. Põpeij cum varijs regibus fœdera.
450. Phrahatis in Armeniam expeditio.
Cleopatræ, reginæ Ægyptiæ, mariti.
451. Cicero Cos. legibus Tribunitijs obsistit.
Antiochus Commagenus regno Syriæ exclusus.
Regum Seleucidarum Series.
452. Mithridatis exitus. Filius rebellis. Pompeij progressus. Antipater fratres in Iudæa committit.
Pompeius Hierosolymam obsidet.
453. Capta urbe, ingens cædes. Hyrcanus Pontifex.
Aristobulus captivus. Iudæa provincia facta.
454. Pompeius Imperium prolatat. Altera Catilinæ Coniuratio.
455. Catilina pugnat, & cadit. Luculli triumphus.

Antonij clades in Macedoniâ.
456. Pompeij triumphus triplex. Helvetij in armis.
Cæsar in Lusitaniâ res gerit.



TERTIA PARS TOMI II.

457. Inclinatio Imperij Romani. Triumviratus Pompeij, Crassi, & Cæsaris. Provinciarum partitio.
458. Leges & actiones Cæsaris populares. Clodius Trib. pleb. Ptol. Auletes amicus pop. Rom. Cæsaris sordes.
459. Clodij Leges populares. Ciceronis exsilium. Ptol. Ægyptius Cypro & vitâ decedit. Cato regiam gazam Romam deportat.
460. Bellum Cęsaris cũ Helvetijs, Ariovisto. Cicero ab exsilio revocatur. Ptol. Aulet. restitutus.
461. Antipater Scauro opitulatur. Alexander Iudæus se dedit. Gabinius Iudææ res constituit.
Bellum Belgicum, Veneticũ, & Celticũ.
462. Ptol. Auletæ mors. Bellum Venetic. & Aquitan.
463. Seditio cruenta Romæ. Metelli res in Hispaniâ. Pompeius suffectus. Aristobulus Iudæam turbat; captivus. Alexander F. turbat.
Bellum Cæsaris cum Germanis Transrhenanis.
464. Cæsar in Britaniâ. Gabinius peculator. Crassus in Parthis infeliciter pugnat.
465. Treviri & Britani domantur. Q. Cicero in Nervijs. Crassi clades & cædes. Iuliæ mors.
466. Induciomarus in pugna cadit. Treviri, & finitimi vincuntur. Cæsar Rhenum transit. Bellum cum Ambiorige.
467. Eburonum viciniam vastat Cæsar. Q. Ciceronis, & Crassi virtus. Milo Clodium occidit.
468. Vercingetorix Arvernus Gallos concitat.
Avaricum expugnatum. Ædui à Litavico deficiunt.
469. Res ad Gergoviam. Noviodunum ab Æduis interceptum.
Labienus Luteriam tentat. Cæsar Alexiam obsidet.
470. Copiæ Gallor. ad Alexiam obsidione liberandam.
Tribus prœlijs vincuntur. Vercingetorix se dedit.
Diversæ Romæ pro Cæsare sententię.
471. Initia belli Civilis. Vota pro Pompeij salute.
Curio incentor belli. Res in Ciliciâ.
472. Res in Syriâ. Parthici belli finis. Bituriges & Carnutes domiti. Expeditio in Bellovacos. Commij virtus. Treviri, Eburones, Carnutes, Pictones, variè domiti.
473. Vxellodunum obsessum & deditum. Aquitani domiti. Commij virtus.
474. Fomes belli civilis. Galliæ pacandæ rationes. Cæsaris gratia apud Italos. Cõpendium rerum in Gallijs gestarũ. Pompeio Vrbis exercituumque cura commissa.
475. Curio turbator. Pacis studiũ in Cæsare. Adparatus belli civilis. Cæsaris ad Romam progressus.
476. Trepidatum Romæ. Fuga Pompeij & Senatorum.
Vrbes Italiæ Cæsari se dedunt. In deditítios Corfinij clementia.
477. Pompeius deserto Brundisio in Gręciam fugit.
Insulæ Italiæ propinquæ per Cęsaris Legatos occupantur.
478. Acta Cęsaris Romæ. Ærariũ compilat. In Hispaniam movet. Massilia oppugnatur.
Domitio Brutus opponitur ad Massiliã. Pompeiani in Hispan. duces. Certamina ad Ilerdam.
479. Auxilia Cæsari submissa fugantur. Annonæ inopia: & Pontes ad Ilerdam. pugna navalis Massiliens. & Bruti.
480. Bellum in Celtiberiam trãslatum. Mutua inter milites utrimque colloquia, de pace, disturbantur.
481. Pompeiani victi pacem impetrant. Massilia oppugnatur. Pacem petunt, & violant.
482. Varro se cum provinciâ dedit. Cæsaris moderatio.
483. Cęsar dictator Romã redit, victis Massil. Res in Africâ inter Curionem, & duces Pompeij.
484. Curio victus & cæsus, Iuba victore.
485. Iubæ sævities. Seditio militũ compressa. C. Iul. Cos. & I. Roman. Imperator.
486. Cæs. in Græciã trajcit: Põpeij adparat. M. Octavij res ad Salonam.
487. Cæs. pacis conditiones proponit. Vr-
beis

beis maritimas cum Epiro occupat. Castra ad Dyrrachium. Conatus in traiectu.
488. Colloq. de pace irritum. Motus Romę. Milonis & M. Cælij exitus. Libo ad Brundisium.
489. Coponij cōflictus cum Cæsarianis. Antonius milites traijcit & exponit. Aristobuli & Alexandri exitus.
Antipatri uxor & Liberi.
490. Scipionis in Syriâ rapinæ. Res in Thessaliâ. Cōflictus Impp. ad Dyrrachium.
491. Cæsarianor. tolerantia. Inopia Pompeianor.
492. Fratrum Allobrog. defectio. Pugna inter utrâque castra.
Castra ad Apolloniam translata.
493. Cæsarianor. à clade consternatio. Eos Pompeius persequitur. Domitij copiæ Cæsari iunguntur. Multæ Thessaliç urbes Cæsari deditæ.
494. Scipio Pompeio iungitur. Pompeij cōsilium reiectum. Eius acies ad pugnam progressa: & Cæsaris procincta. Pugna Pharsalica. acierum ordinatio.
495. Stupor omnium antè pugnam. Crastinus antesignanus. Fuga Pompeianorum. Tesseræ utrimque.
496. Pompeij fuga. Eius castra expugnata. Cæsar fugienteis supplices in gratiam recipit.
497. Cassij circà Siciliam Italiamq; conatus. Cæsar Pompeium fugientē persequitur, in Ægyptū usque. Exitus Pompeij.
498. Cassius cum classe Cæsari se dedit; in Ægyptum tendit. Athenæ & Megara eidem deditæ. Res Gabinij & Octavij in Illyrico.
499. Motus in Hispan. ex Q. Cassij immanitate. M. Lepidi in rebus componendis æquitas. Cassij exitus.
Cæsar Dictator, & M. Antonius Mag. equitum.
500. Dissidium inter Dolabellam & Treboniū. M. Catonis res gestæ post pugnā. Provincias partitur.
Dissensio inter Pompeianos.
501. Scipio Imperat. exercitûs reliqui. Cęsar ad capitis Pompeij conspectum illacrymat. Vim parat contrà Alexandrinos. Photinus & Achillas conspirant. Cleopatra Cæsari se sistit.
502. Cæsar oppugnat. Reges Ægypti constituit. Achillas urbem cum copijs invadit. Pugna ad Portum & Pharum.
Arsinoe regina salutatur. Auxilia adversùs Cæsarem.
503. Achillæ cædes. Ganymedes suffectus. Strategema aquarium. Pugna navalis, & ad Pharum, varia.
504. Cæsar natando periculum evitat.
505. Alexandrinor. perfidia. Pugna navalis. Mithridatis Pergameni, & Antipatri conatus, pro Cæsare.
506. Rex Ptol. submersus, & castris exutus.
507. Ptol. iunior & Cleopatra reges Ægypti. Cæsaris luxus. Domitius à Pharnace vincitur.
508. Cæs. Antipatrum Iudææ præficit, reiecto Antigono.
509. Deiotarus in gratiam receptus. Bellum cum Pharnace, qui feliciter vincitur.
510. Regna fidis regibus attributa. Cæsar non sine notâ rapacitatis in Italiā redit. Antipatri prudentia. Varium Cæsaris ingenium, & largitas.
511. Seditio Veteranor. compressa. Vatinij Consulat.
512. Cęsar in Siciliam. Africę status. Bellum in eâ. Pugna ad Adrumetum.
513. Iuba rex imperiosus in Roman. Pugna ad Ruspinam.
514. Scipionis copiæ. Cn. Pompeius in Mauritaniâ. Egregia Sitij & Bogudis opera pro Cæsare.
515. Afrorum querelæ; & perfugia. Pręludia pugnæ fatalis.
516. Speculatores Scipionis ad Cæs. deficiūt. Crebræ utrimque velitationes.
517. Irrita Acillæ obsidio. Magnanimitas Pontij Centurionis. Rex Iuba Scipioni coniungitur.
518. Cæsaris castrorum situs. Pugna secūda. Perfugia Gætulorum ad Cæs.
519. Maritima Vari & Cæs. conflictatio. Insidiæ Labieni. Castra ad Agar.
520. Cæsaris equitatus è pugna ancipiti expeditus. Vaccæi proditionis pænas luunt. Sarsura expugnata.
521. Thabennenses se dedunt. Velitatio ad Tegeam. Pugna ad Thapsum fatalis. Scipio tribus castris exutus, cum exercitûs sui clade.
522. Thapsus obsessa. Equitum Scipionis immanitas. Varia fuga Ducum Pompeianor. hortante Catone.
523. Catonis obstinatio, exitus, & sepultura. Vtica Cæsari dedita. Cæs. clementia in supplices.
524. Crudele Iubæ decretum. Zamensium defectio.

defectio. Confidij exitus. Tisdra deditur. Iubæ & Petreij; Fausti, Afranij & Scipionis exitus.

525. Cæs. Romam redit. Honores ei decreti. IV. eius Triumphi in Vrbe.

526. Epulum. Congiarium, Ludi &c. Cæs. remp. ordinat, Fastos corrigit. Fert leges salutareis.

527. Vastitatis resarciendæ remedia. Comitiorum Iura & Annua magistratuum. Antipater filijs suis, Herodi &c. Imperia distribuit.
De hoc querelæ; & in iudiciũ vocatur.

528. Semææ Pharisæi de Herode præsagium. Fuga eiusdem, & ab eo metus.
Bellũ Hispaniẽse contrà Põpeios fratres.

529. Cæs. in Hispaniã venit: Attegua obsidet.

530. Prodigia ante pugnam Mundensem. acerrimum ibidem prœlium. Anceps Cæsaris eo prœlio fortuna.

531. Munda expugnata cum reliquijs exercitûs. Fuga Pompeianor. Corduba & Hispalis captæ.

532. Carteia dedita. Cn. Pompeij cædes. Cæs. Romam redit. Triumphus ex Hispan. Coss. suffecti.

533. Clementia Cæs. Eius nimia largitas. Honores ei delati. odiosa arrogantia.

534. Ridiculus Caninij Cõsulatus. Novi magistratus. Statuæ & Leges à Cæs. Coloniæ novæ. Præsumtæ Cæsaris expeditiones.

535. Magistratus in annos designati. Ambitiosa Senatûs decreta. Regij nominis adfectatio in Cæsare.

536. Adulatio Antonij. Brutus & Cassius cõspirant. dies & locus constituti.

537. Prodigia cædem Cæs. antegressa. Interregnũ. coniurati Capitolium occupãt.

538. Cinnæ & Dolabellæ ingratitudo. Lepidi & Antonij pro Cæsar. studia. Lex Amnestiæ. Antonius reconcillationem procurat.

539. Testamentum Cæsaris. Funus, rogus & luctus popularis. Ara & Templum.

540. Vitæ & rerum gestar. epitome. Antonij auctoritas. Percussorum fuga, aut ex Vrbe decessio.

541. C. Octavianus, Augustus Cæsar, II. Rom. Imper. Eius cum Antonio dissensio. Ambitio.

542. Trebonij exitus. Antonij molitiones. Offensæ utrimque. Antonij contrà D. Brutum Expeditio.

543. Mutinensis obsidio. Cæsaris prærogativæ. Iniqua Antonij postulata.

544. Ciceronis auctoritas, & metus. IV. ad Mutinam prœlia. ea liberata. Cæsaris cum Bruto simultas.

545. Cæsar Senatui formidabilis. Cõsulatum petit. Antonij cum Lepido, Cæsare &c. coniunctio.

546. Cæsaris postulata. Vrbẽ occupat. Cos. leges perrogat: cũ Antonio paciscitur. D. Bruti exitus. III. Virat⁹ & proscriptio.

547. III. Viri provincias partiuntur. Tabulæ proscriptionis. Ciceronis exitus.

548. Triumphi ex Hispan. & Galliâ. Bruti & Cassij copiarum adparatus, & progressus. C. Antonij exitus.

549. Par Bruti Cassijque fortuna. Q. Bassi seditio. Cassij incrementa.

550. Trebonij exitus, & Dolabellæ. Cassij rapacitas. Iudæis tributa imponit. Herodes adiutor.

551. Malchi Arabis malignitas. Herodes Cœle-Syriæ. Præfectus. Antipatri exitus. Malchi exitus. Seditio Hierosolymis.

552. Herodes Mariammen ducit. Expeditio in Lycios & Rhodios. Xanthiorum calamitas.

553. Cõsules Suffecti. Murcus ad Brũdisium. Cæs. & Anton. in Græciam traijciunt.

554. Brutus & Cassius eódem tendunt. Spectrum Bruti. Summa copiarum: & castrorum situs. Pugnæ tentamenta.

555. Pugna Philippensis. Brutus Cæsarẽ; Antonius Cassium vincit. Huius exitus.

556. Brutus novam pugnam detrectat: à suis urguetur. Infaustum auspicium.

557. Catonis Iunioris exitus. Bruti & alior. Victores provincias partiuntur. Lepidus suspectus.

558. Fulvia res novat. L. Antonius Perusij captus. Tib. Neronis conatus.

559. Fuga Fulviæ & Iuliæ. L. Anton. & Lepidus in provincias ablegari. M. Antonius Asiæ gravis. Eius & Cleopatræ amores. Herodes ab eodem regno præfectus.

560. Alterum bellũ Parthicũ, duce Labieno. Antigon. in regnum restitutus. Phasaeli casus.

561. Herodis fuga & victoria. Hierosolyma diripitur.

558. (emend. 562.) Hyrcanus mutilatus. Phasaeli exitus. Fuga Herod. in Italiam Anton. Cæsari bellũ facessit. socio Pompeio. Fulviæ exitus. Fedus Brundisinum.

559. Pax

559. Pax cum Pompeio (emend. 563.)
560. (Nota malè reperi. emend. 564. &c.) Herodes rex appellatus. Cæſ. & Anton. Româ digreſſi.
561. (deb. 565.) Antonij Athenis vanitas. Ventidij ex Parthis victoria. Iudæos ludificatur. Herodes Hieroſolymam obſidet. Romanor. hyberna.
562. Latrunculos perſequitur Herodes. Aſinius Pollio in Dalmatiâ. Agrippa in Galliâ. Livia Cæſaris uxor.
563. Bellum Siculum cum Pompeio. Pugna navalis ad Cumas. Cæſar. periculum. Pompeij vanitas.
564. Altera Ventidij victoria. Eius fortuna. Anton. cum Cæſ. reconciliatur. Herodes ab Anton. auxilium impetrat.
565. Ioſephi frat. exitus. Herodes ulciſcitur: & Hieroſolyma obſidet. Ea capta diripitur.
566. Antigoni exitus; qui poſtremus Aſſamonæor. Res in Africâ inter reges. Pompeij victoria.
567. Pugna ad Naulochos fatalis. Meſſana direpta. Lepidi vanitas, & ſubmiſſio. Cæſaris virtus.
568. Seditionem milit. reprimit. Honores ei delati. Samæi Phariſæi de Herode præſagium.
569. Hyrcanus ex Parthiâ reuocatur. Ananelus Pontif. Alexandra turbat. Ariſtobuli Pontificis exitus.
570. Herodis excuſatio: adfectus Vxorius. Antonij cum Parthis alijſque bellum.
571. Artavaſdis perfidia: Antonij clades. reditus in Ægyptum. Zelotypia Herodis. Salomes calumniæ.
572. Cleopatræ ambitio, Herodi inſidiatur. Anton. in Armenios. Regem capit. Octaviam repudiat.
573. Sex. Pompeij exitus. Bellum cum Pannonijs, Iapydibus, Dalmatis &c.
574. Antonij vana largitas. Fedus cũ Medo. Belli Civilis fomes.
575. Diſſenſio inter Cęſ. Antonium & Cleopatram.
576. Herodes à Malcho victus. Præludia pugnæ Actiacæ.
577. Pugnæ Actiacæ eventus. Fuga Antonij, & ſtupor.
578. Auguſtus Monarcha. Terræ-motus in Iudæâ. Bellum cum Arabibus.
579. Hyrcani exitus. Herodis ad Auguſtum profectio.
580. Novum in Anton. bellum. Cleopatræ molitiones.
581. Corn. Galli ad Paratonium res geſtæ. Cæſar Ægyptum invadit. Herodes Cęſari reconciliatur.
582. Antonius à Cæſare profligatur. Illius deſperatio.
583. Antonij exitus. Cleopatra Cæſari ſupplex.
584. Cleopatræ exitus. Liberi eiuſdem.
585. Regum Lagidar. ſeries. Ægyptus provincia.
586. M. Cicero F. Patris ultor. Lepidi iunioris exitus.
587. Cæſar Romæ gratioſus, & largus. Eiuſdem Triumphi.
588. Gazæ Ægyptiæ copia. Res in Daciâ. Ianus clauſus.
589. Cæſar remp. ordinat. Salutis augurium. Eiuſdem de imperio retinendo Conſultatio.
590. Inter ipſum, & pop. Rom. provinciarum diſtributio.
591. Opera urbana. Herodes uxorem & ſocrum occidit.
592. Cæſar Auguſtus dictus, Remp. conſtituit. Novæ expeditiones. Britannia vectigalis.
593. Gallia quadripertita. Bellum Cantabricum.
595. Indi & Scythæ ſocietatem expetunt. Corn. Galli exitus. Coſtobari in Herod. conſpiratio, & exitus.
596. Herod. in Ethniciſmum degenerat. Sebaſte condita.
597. Arracilium everſum. Bellum Aſturicum. Novæ in Hiſpan. Coloniæ.
598. Iubæ & Cleopatræ coniugium. Arabica Expeditio.
599. Herodis in Iudæos alioſquę benignitas. Nuptiæ.
600. Muſa Medicus. Cæſar annonam procurat. Marcelli Nepotis laus & exitus.
601. Agrippæ ſimultates. Rationarium imperij. Salutares à Cæſare leges.
602. Moderatio Auguſti. Cantabri & Aſtures domiti.
Bellum Æthiopicum.
603. Cæſaréæ Cõditus. Herodis filij Romam. Eiuſdem cum Agrippâ congreſſus.
604. Agrippa gener Auguſti, & Vrb. præfectus. Auguſtus è Siciliâ in Græciam, & in Aſiam.
605. Herodes à Cæſare abſolutus. Variæ rerum in Armeniâ vices. Parthus pacem petit.

606. Pax

606. Pax cum Indis. Honores Cæſari delati. Garamantes, Germani & Cantabri domiti.
607. Aquæductus Romæ. Pannones domiti. Nova Templi Hieroſolymit. fabrica.
608. Salutaria Cæſaris in omnem partem decreta.
609. Decreta de maritandis ordinib. Nuptijs, &c.
Liberi Herodis Româ reduces. In eoſdem odia & calumniæ.
610. Sibyllæ, & carmina Sibyllina.
611. B. Virg. MARIÆ Ortus. Ludi ſæculares. Publicæ pudicitiæ cura. Cæſaris liberi adoptivi.
612. Bella cum Sicambris, Dacis, Pannonijs &c.
Licinij rapacitas in Galliâ. Agrippa ab Herode hoſpitaliter acceptus, & bello Boſporano adiutus.
613. Bellum cum Rhætis, Noricis &c. Agrippa Iudæor. privilegia confirmat.
614. Vedij Pollionis gula. Bellum cum Boſporanis, Pannonijs, Liguribus.
615. Miſſio militaris reſtricta. Lepidi exitus. Annus ordinatus. Rationarium Augusti. Ludi Natalit.
616. Agrippæ exitus, & varij caſus. Tiberius gener Auguſti. Pannonij domantur.
617. Expeditio in Sicambros, Friſios &c. Maris Septemtrionalis exploratio. Herodis regia turbat.
618. Herodes filior. accuſator. Senatus Romæ reſtitutus. Druſi ex Germanis victoriæ.
619. Octaviæ mors. Variæ Legator. Auguſti victoriæ.
Eius in Herodem munificentia.
620. Herodes ſucceſſores ſibi deſignat. Spectrum Druſi: exitus, & Laudes.
621. Prætorum prærogativa. Germania domita. Herodes Cæſaream, aliaſque urbeis condit.
622. Eius ſacrilegium. Virgines Veſtales leguntur. Mæcenatis obitus. Tiberius de Germanis triumphat.
623. Tropæum Auguſti. Pomœrium prolatum.
624. Herodis aula turbat. Alexandri F. criminatio.
625. Bell. Arabicum contra Syllæum & latrones. Ille Romæ Herodem accuſat.
626. Cæſar Herodi indignatur. Syllæus accuſatur. Tiberius Româ deſertâ Rhodi degit.
627. Caius in Aſiam miſſus: Cum Tiberio ſimultas. Criſpini Fæſulani proles. Eurycles Lacon.
628. Herodis ſævities in filios & familiam.
629. Syllæus accuſatur & damnatur. Filij Herodis condemnantur, Patre accuſante.
630. Côiurationes in Herodem. Filiorum exitus.
Fed⁹ Caij Principis cũ Phrahate Partho.
631. Ioan. Baptiſtæ conceptus. Filiorum & Nepotum Herodis coniugia.
632. Herodis Magn. progenies.
634. Phariſæor. obſtinatio. Domeſticæ turbæ in regiâ Herodis. Antipater Syllæũ accuſat.
635. Pheroræ exitus. Antipater Patri exoſus ob veneficium. Pontificum in Iudæis Series.
638. Novæ turbæ in regiâ. Caij & Lucij exitus.
639. B. Virgo Maria deſponſa. Ioſephi Genealogia.
640. Salutat Angelus B. Mariam.
641. D. IESV CHRISTI Conceptus. Maria viſit ad Eliſabet.
642. Ortus Ioannis Baptiſtæ. Vitę auſteritas. Antipater accuſatur & condemnatur.
643. Quinctil. Varus, Syriæ præſes.
Teſtamentum & legata Herodis.
644. Seditio in Herodem. Eius morbus & diritas.
Antipatri & Herodis exitus. Captivi laxantur.
645. Edictum Auguſti, & Deſcriptio Orbis. IOSEPH. & B. MARIA Bethlehemum profecti.
D. IESV CHRISTI Ortus, & miracula.
Paſtores Chriſtum adorant & prædicant.
646. Dom. CHRIST. Puer circumciditur.
947. Scriptorum Chronologia, per annos digeſta.

FINIS ELENCHI SECVNDI TOMI.



HISTORIÆ VNIVERSÆ,

SACRÆ ET PROFANÆ,

TOMVS ALTER.

AVCTORE ANDREA HOIO BRVGENSE.

Quæ est ætatis Quintæ pars posterior; ab* ALEXANDRO *Magn. Rege & Monarchâ, ad salutarem* DOM. CHRISTI *Natalem.

ALEXANDER MAGN. MACEDONVM; ET DARIVS, PERSAR. XI. ET VLTIMVS.

3616. 1. Alexand. & Dar. | *Quo ferè itaq; tempore, Philippo mortuo, Alexander in Macedonia regnum successit; Principatum itidem in Persis suscepit Darius.* | 334.

Et hic quidem BAGOAM, quamvis dignitatis, an fortunæ! suæ, auctorem; sed parricidijs regijs iam adsuetum; atque adeò vitæ etiam suæ insidiantem; eodem, quod sibi ille porrexerat, veneni poculo, ad mortem adegit. *Magno procerum, populiq; gaudio.*

Res autem gestæ ALEXANDRI, cognomine Magni, pænè incredibiles, & à profanis scriptoribus immensùm exaggeratæ viderentur; nisi & 1. Machabæor. Libri, cap. 1. cædem Magnificorum facinorum laudes commemorarentur: Et DANIEL ipse, acerrimum Imperatorem commendaret; cumque sub figurâ HIRCI depingeret: qui victum Arietem (Regem Persarum illum ultimum) funditùs esset prostraturus.

Et hic certè inter Heroas illos nō postremus, qui Maiorū splendore, generisq; claritate nobiles, *Deo favente & providente*, succedaneam, in hoc infernati Orbe, Imperiorum Maiestatem, suâ quisque ætate, tutati sunt, & conservárunt.

Paterno namque genere, HERCVLEM: Materno, Æacidas attingebat. *Vide sup. Seriem Reg. Macedon.*

Erat ille XX. tùm natus annos; quùm prima illi paternarum exsequiarum; & circà cædis conscios, ultiónis, cura fuit.

Déinde, quùm in exercitu PHILIPPI, sicuti variæ gentes erant; ità, eo occiso, varij animorum motus existerent. Alij inulta, uti putabant, servitute oppressi, ad spem se pristinæ libertatis erigerent: Alij in tam subita rerum mutatione, reputantes nunc provocatam Asiam; nunc Europam nondum perdomitam, aut pacatam: haud mediocriter novo & adolescenti regi submetuerent.

Ipse tàm intrepidè, tamque prudenter se gessit; & genteis rebellanteis compescuit, orienteisque seditiones exstinxit: ut Macedones, corpus & nomen hominis; non virtutem Regis, mutásse se, dicerent.

NOVA ATHENIENS. REBELLIO.

Athenienses nihilo-minus, à DEMOSTHENE, qui deletas à Triballis omneis, cum rege, copias, falsò in concione adfirmárat; & Persico auro ad rebellandum corruptus erat, inducti; iugum Macedonici imperij à se deijcere: & ATTALVM, qui res novas in Asiâ tentabat, ad societatem solicitare, contendebant.

Thebani itidem regium præsidium ex Arce Cadmeâ depellere. Alijque Græcorum, reciperandæ, aut retinendæ, libertatis studio incitari.

ALEXANDER verò sibi non deesse; sed strenuum & vigilantem Imperatorem agere. Et tantâ celeritate instructo, paratoque exercitu, Græciam ipsam, Barbaris iam debellatis, opprimere: ut Thessali, beneficiorum Patris, & maternæ suæ, cum Æacidarum gente, necessitudinis, in transitu, commo-

 niti;

miti; non cupidè modò paterent; sed traditis etiam vectigalibus, exemplo Patris, universæ eum gentis Ducem creárint.

Quumque superatis ille Thermopylis, copias in Bœotiam traduxisset; & positis ad Cadméam castris, Thebanos in magnam trepidationem conjecisset; Athenienses, sicuti primi defecerant; ità primi pœnitere cæperint: & missis legatis, bellum deprecari. Et hostis bellum, Oratoribus tantùm graviter increpitis, remittens, magno eam remp. metu liberárit.

Evocatis denique Corinthum Civitatibus, & Amphictyonum concilio, Dux, sive Imperator Persicæ expeditionis, in locum Patris, publico decreto, sit substitutus.

Quibus peractis in Macedoniam reversus, & in belli tàm longinqui adparatu occupatus, nuntium de cæde ATTALI, quem HECATÆVS, in Asiam alteris cum copijs olim illus, suo jussu, per insidias oppresserat; lætus accepit.

DARIVS, qui vivente adhuc PHILIPPO, de bello in ipsam Macedoniam transferendo cogitárat; & morte illius nuntiatâ, omni curâ liberatus sibi esse videbatur; quòd ALEXANDRI adolescentiam haud magnopere sibi formidandam judicaret: posteaquam à Græcis omnibus declaratum ducem; & magnâ illum in rebus agendis industriâ, neque minore celeritate uti, intellexit; attentiorem vicissim bello, & exercitui comparando animum adpellere cæpit.

MEMNONEM itaque Rhodium, cum mercenario milite, ad Cyzicum oppugnandam, sed irrito conatu; misit. Is CALLIAM tamen, qui Troadi præerat, prœlio vicit: & PARMENIONEM, qui Grynnium vi occupárat; à Pitanæ oppugnatione dejecit.

ALEXANDER, sedatis Græciæ motibus, in Thraciam contendit. & populos, qui tumultum fecerant, propinqui exercitus terrore, in officio fideque continuit. & totum, quàm latè patet, Pæoniæ, Illyrici, & finitimæ regionis tractum, regibus aut victis; aut pulsis; & inter cæteros, SYRMO Getarum, capto; obsequentem sibi reddidit.

ALEXANDRI DE THEBANIS FVNDITVS EVERSIS VICTORIA.

Cognito autem Thebanos, præ cæteris, palàm & iterùm à se defecisse; & Cadméam, inviso Macedonum præsidio infestam, præaltis fossis, valloque munitissimo, ita cinxisse; ut neque auxilia, neque commeatus, obsessis importari possent.

Ab illis prætereà Peloponnesios, & Athenienseis, ad communem rebellionem solicitari. invitus iterùm in Bœotiam exercitum, è veteranâ militum manu conflatum, reduxit. *Indulgentiâ in rebelleis usurus, si pœnitentiam invenisset.*

Solos enim ab ijs factionis duces deposcebat, quorum suppli io iram suam satiaret. Sed illi; *Se non tantum suæ, sed totius Græciæ libertatis vindices esse,* respondent. Et armis atque obstinatione, non precibus aut supplicatione, uti pertendunt.

Et licet multis prodigijs terrerentur; inauditâ quâdam temeritate, signo etiam publicæ ad Persas defectionis sublato; ad patriæ internecionem præcipitárunt.

Rex tripertito exercitu, hos in vallum obniti; illos pugnam ciére; alteros fessis & laborantibus succedere, præliumque renovare jubet.

Thebani, equitibus intrà vallum collocatis; & peregrinis servisque locum propugnare jussis; ipsi cum Macedonibus, qui regem stipabant, manus conferunt.

Quùm itaque ob egregiam pugnantium utrimque virtutem, prœlij fortuna diu anceps stetisset: neque Thebani, licet à recentioribus subsidijs obruti, absterrerentur. simul atque PERDICCAM, angustâ & aversâ Portâ, quæ negligentiùs custodiebatur, in Vrbem irrupisse; & partem ejus captam esse, sensérunt: ulteriùs sibi exspectandum esse non putárunt, quin intrà muros sese reciperent.

Sed quùm eodem pænè momento, & equites, Peditum exemplo, in urbem concurrerent; câque in trepidatione, & inter angustias, commisti, alteri alteros obterrerent. Et simul Cadméæ arcis præsidiarij, egressi, & Thebanos à tergo adorti, magnam cædem facerent: insolitæ crudelitatis spectaculum editum est. dum & Macedones irritati, nulli Thebanorum parcerent; neque Thebanorum ullus, ut sibi parceretur, ulli Macedoni, nedum Græco, supplicaret. sed saucijs etiam corporibus, quoad spiritus superesset, suam & patriæ vicem, ad ultimum resistendo, ulciscerentur.

Victi tandem, quos Martis alea reservárat; gravissima quæque miserrimæ captivitatis supplicia. & Græcæ nationis homines, qui ALEXANDRI, hâc expeditione, socij, & victoriæ participes fuerant; quàm Macedonas ipsos, acerbiores adversarios experti sunt.

Nocte ingruente, domus omnes sævissimè direptæ, (Parcitum solùm Sacerdotibus; Macedonum hospitibus; PINDARI Poëtæ familiæ; & siquis probare poterat; bellum se dissuasisse.) Feminæ, pueri, & senes. qui ad templa Deorum confugerant; omni contumeliarum genere vexari.

Cæsi e Thebanis, ad sexies-mille. (Plut. & Ælian. ad XC. Millia. fortè, unà cum mercenarijs & peregrinis) captivi, plus XXX. Millibus.

In Concilio, quùm de excidio Vrbis deliberaretur: cùjque res Græcorum, sociorum, judicio à rege integra relicta esset; Thespienses, & Platæenses, Orchomenij & Phocenses, qui omnes jurejurando obstrictos se dicerent, ut victis aliquandò Persis, Thebas ipsi diruerent: non tantùm nupera suarum, ab ijs, urbium excidia meminerant; sed & præsentia eorum in Persas studia; & veteres, adversùs publicam Græciæ libertatem, moliriones, increpabant. Et sic regis, cæterorumque animos, in Thebanorum odium, Vrbisque exitium, inflammabant.

Vrbs itaque, in paucis, inclyta; quæ non tantùm viros eximios, verum Deos etiam sive Heroas, vulgò habitos, BACCHVM, & HERCVLEM, aliosque

aliosque genuerat: & PHILIPPUM, ipsius ALEXANDRI Patrem, educarat: à rege, apud quem *potentior ira, quàm preces*, fuere; funditùs eversa est.

Agri, inter victores sunt divisi: Captivi, sub coronâ venditi. Quod pretium, non ex emenitum commodo, sed ex inimicorum odio, ità extensum est; ut ad regem CCXL. talentûm argenti summa redierit.

Quùm autem rex, qui fugitivos conquiri & mancupio dari iusserat; Athenienfibus, quòd portas suas receptaculus profugorum, Thebanorum, contrà eius interdictum, aperuissent; gravirer offensus esset: tum ijs, alterâ demùm legatione bellum deprecantibus, culpam eâ lege remitteret; ut Oratores, & duces (quorum fiduciâ toties rebellâssent) sibi dedantur. Ipsi, agente contrà PHOCIONEM, DEMOSTHENI adversantem, DEMADE, ne bellum subire cogerentur; eò rem deduxére;

„ *Vt retentis Oratoribus, ceu innoxijs, & reip. salutaribus viris; duces tantùm in exsilium agerentur.* Qui ex continenti ad DARIUM profecti, (inter quos CHARIDEMUS; Curt. Eudemus) non mediocre momentum, Persarum viribus, accessére.

3619. 2. Dar. & Alexand. — 331.

LAMSACENI SERVATI.

LAMPSACENIS in Asiâ, qui Persis adversùs Macedonas favisse traducebantur (quod crimen in Græcis tum piaculare censebatur) idem, qui Thebanis, exitus imminere videbatur.

Sed illi irato, & ad iter procincto regi, ANAXIMENEM Philosophum obviàm mittunt, cum ipsi, tum PHILIPPO Patri notum, & carum.

. Rex, non exspectato, quid pro ijs dicturus ANAXIMENES esset; frustrà deprecatione usurum eum prænuntiat. Se namque iurâsse; nihil minus facturum, quam quod ille dicturus aut petiturus esset.

Hic subitò ANAXIMENES subiecit; Peto, rex, ut Lampsacum evertas. Hæc solertiæ gratia, oppidum, vetusta nobilitate inclytum, exitio eripuit.

EXPEDITIO PERSICA.

ALEXANDER itaque, (relicto in Europâ, cum X. Peditum, & II. equitum Millib. ac D. ANTIPATRO) ad Persicum bellum proficiscens, omneis novercæ suæ cognatos, quos PHILIPPUS in excelsiorem dignitatis locum provectos provinciarum imperijs præfecerat; & ATTALUM in primis, uti diximus, interfecit.

Et ne qua seditionis materia, se procul agente, in Macedoniâ, remaneret; ne suis quidem, qui apti regno viderentur, pepercit.

Sacris, in Dio, Macedoniæ urbe; & certaminibus Iovi Musisque novendino peractis; cum exercitu in Hellespontum profectus est. Vndè conspectâ Asiâ, incredibili mentis ardore accensus, XII. aras Deorum, in belli vota, statuit, & hostias cecidit: petens victoriam bello, quo, scilicet, toties à Persis appetitæ Græciæ ultor sit electus.

Illis iam longa satis & matura imperia contigisse.

Tempus esse, ac vices, ut meliùs moderatiùsque, alturos exciperent.

Indè navibus, exercitu oneratis, quùm delatus in continentem esset; primus iaculum, velut in hostilem terram, emittit. & litori infigit: armatusque de navi emicans, & tripudianti similis, prosiluit.

Et apud Ilium, ad tumulos eorum, qui Troiano bello occiderant; parentavit. Cæsisque iterùm hostijs, precatus est; *Ne se, regem, terra illa invita accipiant.*

In exercitu eius fuére, Peditum XXXII. & Equitum, minimum, ad V. Mill. (Alij, ad summum, Equitum IV. & Peditum CXX. Millia excrevisse prodidérunt.) Omnes veterani, & emeritæ ferè militiæ; in quibus ordines nemo, nisi sexagenarius, ducerit.

Hâc tàm parvâ manu universum terrarum orbem adgressus est, & vicit.

Quum autem præfecti & Duces DARII regis, neglecto MEMNONIS Rhodij consilio, (qui partim hosti procuratâ, ex vastatis, aut demessis passim in Asiâ agris, commeatûs difficultate; partim bello, & copijs ex eâdem Asiâ, in Macedoniam, terrâ marique translatis; aleam prœlij in præsentiâ declinandam suaderet) Regi suo, virium fiduciâ elato; *Occulta furtivæ victoriæ consilia non convenire: & gloriosius repellere bellum, quam non admittere*; censerent, in Phrygiam, ad Hellespontum, progressi, in Campis Adrastij, quos Granicus amnis intersecat, & Troadem à Propontide disterminat; castra posuêrunt, Copijs, quæ longè Macedonicis numerò (Iustin. ad 6. c. Mill.) præstarent, undique accessitis: & ripis fluminis opportunè munitis.

PUGNA AD GRANICUM.

ALEXANDER, magnis eos itineribus insecutus, amnem traiecit. Et non minus arte suâ, & præsenti, inter vulnera vitæque discrimina, animi fiduciâ, (immò impetu potius, non consilio) quàm Thessalorum equitum Macedonumque virtute, hostem, magnâ cæde profligatum, terga vertere coëgit.

E Persis X. Peditum; & bina amplius equitum Mill. desiderati: Ad vicies Mille, capti.

Ipse Pedites omninò IX. & CXX. equites amisit. Quos impensè, ad cæterorum exemplum & solatium, humatos, statuis equestribus donavit.

(Hæ, victo posteà PERSE, à Romanis, ex Dio, Romam adlatæ sunt; & à PAULLO ÆMILIO, aut OCTAVIO in Porticibus collocatæ. teste VELLEIO.

 Post

Post hanc victoriam, non modò Græcæ in Asiâ urbes tegi, spe certæ libertatis, se dediderunt: sed maior etiam regionis pars, quæ intrà Taurum & Euphratem est, ad victorem defecit.

Et ipse varios DARII præfectos, non tàm armis, quàm terrore sui nominis, ad urbium, quas tenebant; Magnesiæ, Trallium, aliarumque, deditionem, adegit.

Sardeis, cum thesauris regijs, in Lydiâ, à METHRINNE: deinde & Ephesum recepit.

Et Mileto; quò Persæ plerique, adverso prælio superstites, duce MEMNONE se receperant; pulsis per vim præsidiarijs, & civibus sese, urbemque, in fidem eius tradentibus; potitus, ut tum inutili sumtu se levaret; tum omnem suis redit ûs in patriam, aut fugæ spem, intercideret; classem domum remisit.

Et ad Halicarnassum, primariam Cariæ Vrbem, quam idem MEMNON, rei summæ à DARIO rege præpositus, & Navarchus constitutus; cum ingenti Persarum & mercenariorum manu defendendam susceperat; castra posuit, propinquis Græcorum civitatibus ad libertatem iuvatis: & Caribus, ob redditum ADÆ reginæ (IDRIÆI sorori) regnum, quo ab ORONTOBATA pulsa fuerat; benivolentibus.

Hic, Rex, muris Vrbis ariete, & omni machinarum genere, anteà conquassatis: & hostibus, qui erumperent, sæpius in urbem, nec sine mutuâ clade, compulsis; postquam ORONTOBATES & MEMNON, qui arceis præsidio firmârant; & reliquam civium multitudinem, cum pecunijs, in Côn Insulam asportârant; Vrbem destruxissent; eam ipse captam diruit. Et arceis, in quibus pro tempore obsidendis tempus minimè terendum existimabat; muro fossâque circumsepsit.

His actis, cum per duces suos, quos in Mediterranea dimiserat, regiones omneis, Phrygiâ maiore tenùs, devicit; tum ipse ad maritima Lyciæ & Pamphyliæ digressus, post arduam multarum Vrbium, castellorumque Hyparnorum, Telmissi, Pinarorum, Xanthi, Patarorum, Piraseli) expugnationem; omnia sibi ad Ciliciam usque prona subiugavit.

Et huius in extremis sitam, munitissimam Marmârum, qui iniuriâ se suoque lacessierant, Rupem, vi adortus; iuventute in propinquos montes indè dilapsâ; &, iniecto de industriâ igne, ædibus universè, cum imbelli turbâ, deflagrantibus; desertam occupavit. Atque ita oræ pænè totius maritimæ potens, classem hostium inutilem effecit.

Devictis exinde Pisidarum rebellantium populis, in Phrygiam ingressus, inter alia, Celænas, Marsyâ amne nobileis; & Gordium, MIDÆ olim ad Sangarium regiâ, Iovis Templo, & GORDII regis vehiculo, ac vinculo, nodis compluribus adstricto, (quod ipse, ut ex oraculo fide Asiæ potiretur, gladio disrupisse ibi traditur) inclytum; in deditionem accepit.

3620. 3. Dar. & Alexand. — 330.

MEMNON, quem à DARIO universæ classi, oræque maritimæ præfectum fuisse; & ex Halicarnasso profugisse, diximus; de bello in Macedoniam, Græciamque transferendo; & hoste ex Asiâ avertendo, iterùm, seu repetito consilio, cogitans; cum CCC. navium classe, Chium petit, & proditione occupat: omneisque Lesbi civitates, præter Mitylenen, in suam potestatem redigit.

Iam trepidabat tota Eubœa: & multæ ex Cycladibus ad federa, Persicamque societatem, inclinabant. Et ipsi Lacedæmonij, à Macedone alieni, eventum rei spectabant, quùm dux, ille, difficili Mitylenæorum obsidioni intentus, ex morbo decessit: & vanas illorum spes fefellit. Mitylene nihilominus à PHARNABAZO legato, & terrâ interclusa & mari ingenti classe obsessa; ad pactiones descendit.

ALEXANDER, qui DARIVM regem, ubicumque esset, occupare statuisset; ut à tergo tuta omnia relinqueret; AMPHOTERVM classi ad oram Hellesponti; copijs verò præfecit HEGELOCHVM: qui Insulas, Lesbum, Chium & Con, præsidijs hostium liberaret.

Vbi ad Ancyram Galatiæ ventum: initusque ibi copiarum numerus; Paphlagones, per legatos se dedunt: hostilem ingressum in fineis suos cum exercitu, & tributi exactionem, tantùm deprecati.

Atque indè adsumtis, tum qui ex Macedoniâ, (quò in hiberna, & prolis ex novis coniugijs procreandæ gratiâ, nuper fuerant dimissi) tum qui recèns ex Peloponneso conducti advenerant: in Cappadociam contendit. Et omnem, quæ cis Halyn fluvium est, regionem; & partem ulterioris, subegit.

DARII ADPARATVS.

DARIVS contrà, morte MEMNONIS, strenui iuxtà ac prudentis viri, haud secus, quàm par est, motus; omissâ omni aliâ spe, ipse cum hoste decernere: &, licet EVDEMVS Atheniensis dehortaretur; seque pro rege cum exiguis copijs ultrò ducem offerret; in aciem prodire, constituit.

Castris itaque ad Babyloniam positis, intrà vallum, XERXIS primi exemplo, per Myriades, copias suas recensuit.

(Erant eæ, (Arriano & Plut. DC. hominum M. Diodor. & Iustin. CD. Peditum, & C. equitum M. Curtio, LX. equitum, & CCL. Peditum M.) Easque in Mesopotamiæ campos emittit, & castra ad Euphratem movere iubet. Ipse unà secum, matrem, Vxorem, filium unum, duas filias, cum incredibili pompâ, in expeditionem deducit.

Verùm ALEXANDER, quod iam fama esset, DARIVM, omnibus cum copijs, Babylone discessisse; Ciliciam petens, in regionem Myliadem, (quæ

(quæ Cyri, sive Maioris, adversùs Crœsum, in Lydiam, ducentis; sive Minoris, fratri Artaxerxi rebellantis; castra appellant) pervenerat. ut vix L. stadijs, ab artissimis Pylarum faucibus, sive ab aditu, quo in Ciliciam intratur, abesset.

Quùm Arsanes, Ciliciæ præses, reputans, quod initio belli Memnon suasisset; quondam salubre consilium, serò & præposterè exsequi statuit.

Et quùm longe utilius esset, Angustias, quas dixi, valido occupare præsidio; & iugum itineri imminens obtinere, undè subeuntem prohibere aut opprimere hostem potuisset: igni ferroque Ciliciam vastat, ut hosti solitudinem faciat.

Et paucis, qui collibus præsiderent, relictis, retrò ipse concessit; populator terræ, quam à populatione vindicare debuerat.

Alexander, paucis illis, qui relicti erant, & proditos se rebantur; ne adspectum quidem, nedum imperum hostis, sustinere volentibus; iugi fauceis, sive Pylas, impunè intravit.

Et ad Tarsum, urbem opulentam, cui Persæ, Arsanis iussu, ne eâ hostis potiretur, ignem tum maximè subijciebant; Parmenione ad incendium inhibendum præmisso, pervénit.

ALEXANDRI PERICVLVM

EX MORBO.

Hic regem, pulvere ac sudore simul perfusum, amœnus & adridens Cydni fluminis liquor invitat, ut calidum adhuc corpus, veste depositâ, ablueret.

Vix in præfrigidam undam ingressi, subito horrore artus rigere cæperant: & totum propemodum corpus vitalis calor reliquerat.

(Alij, præ nimio labore, & lassitudine, qui L. stadia eo die confecisset; in morbum acrem incidisse tradunt.) Eamque ob rem ingens solicitudo, & pænè iam luctus in castris erat:

Quùm in summâ Medicorum diffidentiâ; (quòd interfectori Alexandri Darius Mill. talenta daturum se, palàm pronuntiari iussisset) unus Philippus Acarnan, (licet eum nuperæ Parmenionis litteræ. regi, eodem crimine, falsò tamen, suspectum fecissent) remedium polliceri ausus est; vim morbi medicatâ potione levaturum esse.

Alexander, cui omnis sanitatis reciperandæ, & victoriæ ex Dario adpropinquantis, mora, morte ipsâ gravior esset. & qui dubiæ se fidei medico credere, quàm indubitato morbo perire mallet: quùm litteras amici, sanè fidelis, sed molestè officiosi, medico legendas tradidit; tum simul ab eo (qui nullum trepidationis signum daret) poculum, in quo medicamentum diluerat; acceptum, interritus hausit. sanitatemque IV. post die recepit.

At Darius nuntio de adversâ eius valetudine accepto, quam-maximâ potuit celeritate, tàm immensum exercitûs agmen, (DC. Mill.) ad Euphratem contendit: eoque pontibus iuncto, V. tantum diebus traiecit exercitum, Ciliciam occupare festinans.

Alexander vicissim, viribus corporis receptis; & Parmenione ad angustias alteras, quibus Assyria à Ciliciâ dispescitur, occupandas, præmisso; è Tharso, Anchialon; & inde Solos; & CC. ibi argenti talentis. multæ nomine, exactis, votisque pro salute persolutis; Mallon, Castabalamque, pervénit.

Hîc Parmenio regi occurrit, qui angustijs saltûs occupatis, Isson quoq; à barbaris desertam occupárat: & non alium prœlio aptiorem locum edocebat. ubi utriusque regis copiæ, diversâ licet ratione, futuræ essent pares. Quòd multitudinem Persarum angustiæ illæ non caperent; sed veluti mole suâ obruerent: Planities autem camporum Macedonibus vitanda esset; ne pauci à pluribus & quidem equitibus circuiri; vel ancipiti acie opprimi, possint.

Thymondas, unà cum Græcis militibus, quos ad XXX. Mille à Pharnabazo acceperat; præcipuum exercitûs robur; maturè ad Darium perveniens: magnoperè eidem suadebat, ut retrò cum copijs abiret; & spatiosos Mesopotamiæ campos repeteret. Aut saltim copias; quæ innumerabiles mole suâ ibi laboraturæ essent; divideret: neu sub unum fortunæ ictum, totas regni vireis cadere pateretur.

Id consilium à purpuratis, qui mercede venalem in illo duce proditionem interpretarentur; & ceu auctorem consilij ad præsens supplicium temerè deposcerent; explosum est.

Et rex, pecuniâ omni, rebusque pretiosissimis, & impedimentis, Damascum Syriæ, cum modico militum præsidio, transmissis; reliquas copias in Ciliciam traduxit.

Et eâdem fortè nocte, Alexander quidem ad fauceis, quibus Syria aditur; Darius verò, ad eum locum, quem Amaneas Pylas vocant; pervenére. Persis haud dubitantibus, quin Isso relictâ, quam pridem ceperant, Macedones, ad strepitum sui adventûs, diffugerent.

Nam & saucios quosdam atque invalidos, qui agmen, receptâ iam ab hostibus Isso, non poterant persequi, exceperant: & barbarâ feritate præcisis, adustisque manibus, per castra sua circumduxerant: & quas ibi regis Persici copias coràm, inspectâssent, regi Alexandro nuntiatum ire iusserant. Motis itaque castris, Pyramum amnem superant, in tergis hostium, uti credebant, fugientium hæsuri.

PVGNA AD PYLAS CILICIAS,

SIVE AD ISSVM.

Alexander, cùm à mutilis illis, & exploratoribus; tum nocturno ignium per campos incendio, certior factus, Darium cum exercitu universo adventare; castra eo ipso in loco suos metari iussit. Lætus, quod omni expetiverat voto; in illis potissimum angustijs, (Ciliciæ, & Syriæ Pylis) prœlij decernendi copiam sibi oblatam. Et animo ad fiduciam, victoriæque præmia composito; & sacrificio Dijs, locorum præsidibus, peracto: milites, curatis iàm corporibus, & itineri simul prælioque paratos, ad eas angustias, à quibus vix XXX. stadijs Darius aberat, quasque occupare decreverat, perducit.

Dario propinquum hostis adventum pavidi

agrestes renuntiarunt; vix credenti, occurrere etiam sibi, quem, ut fugientem, sequebatur. & uti serpentem, in ipso lustro proculeandum, sibi persuaserat.

(Diodor. tradit; Earum regionum incolas, contemtâ Macedonum paucitate, DARIO, qui immensis stipatus esse copijs videretur, sese adiunxisse: & commeatum aliaque necessaria exercitui eius abundè suppeditâsse.)

Re itaque propiùs exploratâ, non mediocris formido & tumultus exercitum eius, nec unius imperio intentum, compleverat.

Ipse interim DARIVS aciem hunc in modū constituit. Vt NABARZANES quidem equitatu, & xx. ferè funditorum sagittariorumque Millib. cum THYMODE, qui xxx. Græcorum Millib. erat præpositus; dextrum cornu tueretur.

ARISTOMEDES verò Thessalus, qui pugnacissimas genteis in subsidijs locárat; lævo in cornu, xx. Barbarorum Peditum Mil. haberet.

Et rex, eodem cornu dimicaturus, præter III. delectorum, sive prætorianæ turmæ, equitum M. Pedestrem xl. M. aciem duceret.

Hyrcani deinde, Medique; & bis proximi cæterarum gentium equites, non sine funditoribus & iaculatoribus, dextrâ lævâque dispositi, cōsisterent.

Atque ità cornua, hinc à Iugo, illinc à Mari starent; & domesticum regij Gynæcéi gregem, aliaque impedimenta, in medium agmen acciperent.

Ipse contrà ALEXANDER, Phalange in fronte constitutâ, NICANOREM, PARMENIONIS F. cū alijs agminum ducibus, dextrum cornu tueri iussit.

In lævo, quod ad Mare pertinebat, PARMENIONEM ipsum statuit. equitibus similiter, cum funditoribus levisque armaturæ ferentarijs, ad utrumque cornu collocatis.

Postquàm acies utrimque ad teli iactum, cum truci, hinc indè, clamore, adpropinquâsset: & pòst densam missilium nubem, vanosque exinde, in consertis, ictus; gladios impigrè strinxissent; multum sanguinis fusum est. Quòd acies ità cohesæ, armis armá pulsarent, & mucrones in ora dirigerent: & collato quisi singuli pede, inter se dimicarent: neque ex acie, cum hostes à fronte, tum sui à tergo instarent; excedere possent.

ALEXANDER non ducis magis, quàm militis munia obiens, quùm opimum victoriæ decus, ex cæso rege DARIO, qui curru sublimis eminebat, & suos ad rem benè gerendam incitabat; pro se expeteret: & obvium OXYATHREM, regis fratrem, haberet; post ingentem utrâque ex parte, circà currum DARII, cadentium stragem; ipse quoq; dextrum femur mucrone perstrictus est.

Et DARIVS, quem equi vectores, vulnerum dolore efferati, curru excutere cæperant; in equum alium impositus; & insignibus imperij abiectis, fugam circumspectans; cæteros, quà cuique patebat via, proiectis pariter armis, ad fugiendum induxit. Qui à PARMENIONIS equitatu plerique aut cæsi, aut prostrati.

Et Thessalis in dextro cornu, post anceps certamen, expeditâ equorum agilitate, Persas gravi armaturâ impeditos, vincentibus; & peditatu deinde profligato; tum demùm ALEXANDER fugientibus instare, & cum Mil. equitibus insequi; eosque, pecorum modo, agere, cæpit.

Soli Græci, qui in partibus DARII steterant, AMYNTA duce, transfugâ, à cæteris abrupti, compositâ acie discessére.

E Barbaris verò, alij, quà rectum iter in Persidem ducebat, fugam intendérunt: quidam occultos montium saltus petivére: Pauci, in castra DARII refugerunt. In quæ iam hostis victor tum intrárat, omni quidem opulentiâ referta. Ingens auri argentique pondus, non belli, sed luxuriæ adparatu. Eaque milites ità diripuerant; ut nec feminarum corporibus vis aut lubido parceret. & solum DARII tabernaculum omiserunt intactum; quo, tradito more, rex victor excipi soleret.

Ille autem persequendo DARIVM fatigatus, quùm nox appeteret; & adsequendi, quem equis subinde mutatis longiùs fuga abstulerat; spes non esset; in castra, à suis iam, uti diximus, capta; pervénit.

Iustin. tradit; LXI. Peditum, & equitum X. M. è Persis, cæsa. Ad XL. M. captos. Diodor. XII. Peditum Myriadas. Curt. C. Mill. Pedit.

E Macedonibus, Pedestres, CXXX. cesos; & MDIV. saucios. Equites CL.

Inter captivos in castris, DARII regis mater SISYGAMBIS; Vxor, eademque soror, cum filio sexenni; & filiæ duæ, adultæ virgines, fuére.

ALEXANDER, posteaquàm curam sepulturæ suorum impendisset; & Persarum nobilissimis, eumdem honorem haberi iussisset; ad captivas visit; easque in summo luctu, quòd DARIVM in acie cæsum temerè exaudissent; consolatus; & DARIVM vivere significavit; & bonum animum habere iussit. Ipsas non incolumeis modò; sed pristinæ etiam fortunæ adparatu reginas fore; datâ dextrâ, & filio in tutelam recepto, promisit.

Quâ quidem animi moderatione & clementiâ, omneis antè se reges vicisse: Et beatior maiorq; esse creditus est; quàm si geminos insuper mundos debellâsset.

Memor tamen adhuc DARIVM vivere; PARMENIONEM ad occupandam Persarum classem: aliosq; ex amicis, ad recipiendas in fidem Asiæ civitates, dimisit. Quæ statim auditâ famâ victoriæ, ipsis Darianæ factionis præfectis, magno cum auri pondere se tradentibus, in potestatem victorum venérunt,

DARIVS autem, qui Persarum reliquijs, & IV. Græcorum Millib. è fuga recollectis, ad Thapsacum urbem. (Curt. Vnchas) & Euphratem, (quem medium sibi & ALEXANDRO esse cuperet) cum equitatu contenderat; & (Diodor.) Babylonem pervenerat; id demum credebat fore ipsius, quod celeritate præripere potuisset.

AMYNTAS porrò ANTIOCHI; & THYMODES, MENTORIS, Filij; alijque transfugæ, è montibus, ubi, ceu in statione, fuerant collocati; è pugná statim, cum IIX. pænè militum Millib. Tripolim, Phœniciæ urbem, se recepérunt. Et navibus, è navali, quot sibi transportandis satis esset, adsumtis, in Cyprum, & indè in Ægyptum, perfugérunt.

PHARNABAZVS verò & AVTOPHRADATES, diutius apud

pud Chium commorati, parte navium in Cón, atque Halicarnassum, missa; c. navibus benè instructis Siphnum adpulli sunt. Vbi cum AGIDE Lacedæmon. rege, novam belli intestini societatem molienteis, inopinatus de prælio, ad Issum commisso, & clade acceptâ, nuntius, perturbavit.

ALEXANDER, III. aris, in Pyrami (al. Pynari) amnis ripa Iovi, HERCVLI, & MINERVÆ, sacratis; Syriam petit; PARMENIONE, Damascum, ubi regis Darij gaza erat, celeriter præmisso.

Satrapa, eius opidi præfectus, tam-tum litteras, per Mardum quemdam, ad ALEXANDRVM perscripserat, ut ex ducibus suis aliquem, exiguâ cum manu, mitteret. Omnem regiam supellectilem, cum pecuniâ, traditurum pollicitus.

Quæ interceptæ, PARMENIONEM perpulérunt eâ uti celeritate, ut IV. die ad urbem perveneīt.

DAMASCVS CAPTA ET DIREPTA.

Præfectus, quasi parum munimentis opidi fidens, & hinc metum fugamque simulans; revera, ut prædam hosti offerret: antè solis occasum, regiam Gazam, cum pretiosissimis rerum, ex urbe efferri iubebat. Eumque itâ excedentem, multa virorum mulierumque millia, sequebantur; Nobiles, & prætorum coniuges, aut liberi; & Græcarum Civitatium legati. quos DARIVS, velut obsides, ibi in arce tutissimâ collocârat; & in proditoris, imprudens, reliquerat manibus.

Quùm autem baiuli, alijs egredientibus permisti, non spernendi agminis speciem præberent; PARMENIO proditionem, ob MARDVM e manibus custodientium elapsum, suspectaus, suos acri impetu, velut in hostem, invehi iubet.

Atque tum illi, qui sub oneribus erant, inermes, omissis illis, per metum capessunt fugam. tum armati, qui sequebantur, armis abiectis, & præfecto terrorem simulante, eodem metu, nota diverticula petere cæpérunt.

Sic opes regiæ, illustrium virorum & feminarum cultus, vasa, vehicula, & tabernacula ingentis opulentiæ plena, à suis destituta; totis campis iacuére. *Vt vix avaræ militum manus prædæ sufficerent.*

Inter feminas, quarum pleræque parvos trahentes liberos ibant; Vxor, & tres Virgines, OCHI, qui antè DARIVM regnârat, filiæ, fuére. Et OXYATRIS (frater hic erat DARII) filia. Et ARTABAZ., PHARNABAZI, & MEMNONIS, Coniuges & filij.

Vixque ulla purpurati domus à tantâ clade expers evasit.

Aliquot præterea ex Lacedæmonijs & Atheniensibus, nobiles, qui violatâ societatis fide Persas fuerant secuti. Sed ex ijs, incolumes plerique domum paullo-pòst sunt remissi.

Summa pecuniæ signatæ fuit, Bis Mille, & Lx. talenta: argenti pondus, D. æquabat. Hominum xxx. & Iumentorum VII. Millia, quæ dorso onera portarent, capta sunt. Proditor ab uno ex conscijs interfectus est; eiusque caput ad DARIVM perlatum; opportunum scilicet, & ipsi, & proditis, solatium.

3621. 4. Alexand. | 329.

PACIS CONDITIONES A DARIO PROPOSITÆ.

ALEXANDRO victori, in Syriam proficiscenti, obvij cum infulis, multi eius regionis reges fuére. Et inter cæteros, STRATON; GEROSTRATI, Aradiorum (al. Sidoniorum) & finitimorum regis, Filius in fidem accipi postulans, Aradum Insulam, & MARATHON, aliaque opida tradidit.

Ibi litteræ ALEXANDRO à DARIO traduntur. quibus ipse postulabat; ut acceptâ pecuniâ, matrem sibi, ac coniugem, liberosque restitueret. De regno, æquo, si vellet, marte contenderet.

Si sapiat, contentus patrio, cederet alieni imperij finibus: & ex fœdere paterno, quod cum ARTAXERXE decessore, intercesserit, socius amicusque Persarum esset.

ALEXANDER contrà; iniurias à Persis acceptas; & Græciæ, ac Macedoniæ, earumque incolis, illatas, ab ultimâ memoriâ DARII, qui Hystaspis dictus; eiusque filij, XERXIS; & MARDONII, huiust præfecti; repetens; PHILIPPVM, parentem suum, à subornatis, & auro Persico corruptis, insidiatoribus interfectum; & in caput suum, proximè redemtum talentis Mill. percussorem, exprobravit.

Se itaque repellere, non inferre bellum. Cui, novis iniurijs lacessito, ne belli quidem iura priùs servata fuisse.

Si rex acie iàm bis victus, & magnâ Asiæ parte exutus, supplex nihilominus ad se venerit; res carissimas, quas postulet, sine pretio à se recepturum.

REX SIDONIIS DATVS.

Ipse Byblo deinde, ac Sidone, in fidem acceptis: & STRATONE, cuius fides suspecta, deposito, (quùm prius HEPHÆSTIONI potestatem fecisset, ut amicorum suorum cuipiam regnum illud traderet: Et hospes quidam Sidonius, ab HEPHÆSTIONE hoc beneficio ornatus, recusaret; & regiæ stirpi regnum deberi confirmaret) ABDALONYMVM quemdam, ab hospite illo HEPHÆSTIONIS delectum & commendatum, (qui lōgâ quidem cognatione regiæ stirpi adnexus esset; sed ob inopiam suburbanum hortum exiguâ stipe coleret) quod brevi & generoso sermone magnæ indolis & probitatis specimen præbuisset.

(Rogatus namque à rege, quâ patientiâ inopiam tulisset; Vtinam, inquiebat, eodem animo regnū pati & ferre

& ferre possim. Manus suas suo ipsius desiderio suffecisse: nihil habenti, nihil defuisse) regem Sidoniorum, amplificatâ dignitate, & ditione, creavit.

Eumdem Diodor. vult, Tyrijs, post exscidium Vrbis, regem fuisse præpositum.

AMYNTÆ TRANSFVGÆ EXITVS.

Intereà AMYNTAS transfuga, qui Ægyptum, prætore suo in prœlio cæso, nutantem; & præsidijs invalidam, spe & cupiditate devorârat: & milites suos, Ægyptiosque, quasi ad certam, inclinatæ nupero regis casu, provinciæ possessionem, aut ad libertatem excitârat: Dum Pelusij potitus, ad Memphim copias promovet, agrosque impunè populatur; à Persis, duce MAZ cæ, ex Vrbe erumpentibus, occisus, geminatæ perfidiæ pœnas luit.

VARIÆ DVCVM ALEXANDRI VICTORIÆ.

ANTIGONVS, Lydiæ præfectus, alios DARII prætores, qui prœlio ad Isson superfuerant; & eum fugientium reliquijs, adsumtâ etiam Cappadocum, Paphlagonumque Iuventute, Lydiam reciperare tentabant; tribus prœlijs, aliâ atque aliâ regione commissis, fudit & compressit.

ARISTOMENEM, similiter, qui ad oram Hellesponti reciperandam à DARIO missus erat; Macedones, qui classem è Græcia properè acciverant; captis eius, aut demersis navibus, superârunt.

AGIS Lacedæmon. rex, IIX. Græcorum Millib. qui ex Ciliciâ profugi domos repetierant, contractis; bellum ANTIPATRO, Macedoniæ pro-regi, moliebatur. Et Creta, pro factionum studio, nunc Spartanorum, nunc Macedonum præsidijs, occupabatur.

TYRI OBSIDIO, AC CLADES.

Sed inter hæc leviora partium discrimina, unum certamen, ex quo cætera penderent, fortuna intuebatur.

Iam tota enim Syria, iam Phœnicia, exceptâ Tyro, Macedonum erant. Habebatque rex ibi castra in continente; à quâ, urbem illam, angustum fretum dirimeret.

Legati Tyriorum, præter auream coronam, gratulationis de victoriâ vicem; cômeatus etiam haud malignè, & hospitaliter, ex opido adduxerant. sic tamen ut societatem potiùs, quàm obsequium offerre viderentur.

Et ALEXANDRVM, qui ne in DARIO quidem societatis nomen tulisset; irritabant istiusmodi officia magis, quàm demerebantur.

Quùm itaque rex HERCVLI TYRIO, unde ipse genus ducere falsò gloriabatur, vota solvere, & sacra ex oraculo peragere; idque in ipsâ Vrbe, & solenni Æde, prætenderet: Et illi, qui pro re natâ belli eventum exspectare; neque temerè à DARIO deficere, constituerant; cuiusvis, Græci sive Macedonis, ad se, introitum deprecarentur. In Palætyro, (sive Tyro-vetere) & Templo illic vetustiore, regem, sacra, quæ cuperet, ritè Deo facturum.

Ille, isthoc sophismate, quod in sui contumeliam interpretaretur; & innatâ irâ itâ exarsit, ut misso feciali, vel ingratijs, intraturum se urbem, aut expugnaturum minaretur.

Illi verò loco, quem à continente, IV. Stadiorum, & præaltum, muros turreisque ambiens, fretum, divideret: & præsentibus copijs, quibus rorum illud Mare obtinebant; satis confisi; obsidionem ferre, quâ ALEXANDRI conatus necessariò distraherentur; & DARIO gratificari, cui spatium ad belli reliqui adparatum daretur; decreverunt.

Pœnis etiam, qui ad Sacrum more patrio anniversarium, tum fortè venerant; & ut fortiter ipsi agerent, hortantibus; & auxilia mox Carthagine, stirpis suæ coloniâ, ventura pollicentibus; quò & imbellem ætatem, sexumque, ex urbe oblesâ, transportare fas esset.

ALEXANDER, quantumvis & classem, (absque quâ, nec tormenta procul excussa emitti; nec scalæ mœnibus adplicari possint) in promtu non haberet: & longinquiorem obsidionem, magno sibi ad cætera impedimento, fore prospiceret. Caduceatorum tamen, quos vel belli denuntiandi, vel pacis conciliandæ, Tyrum præmiserat; & Tyrij in mare præcipitârant: indignâ, contra ius gentium, cæde, commotus; urbem obstinatis viribus oblidere constituit.

Et cum iaciendæ altè moles essent, quæ Vrbem continenti committeret; & magna, eâ fini, vis saxorum è Palætyro, quam everterant; & materies ex Libano monte adveheretur; tum iteratis circà molem certaminibus; & Tyrij enavigantes opera incendio subinde consumserût; & venti vehementiores compagem aggeris, interfluente undâ, & sæviente Mari, disrupere.

Arabes insuper finitimi, dum moles obsidioni adparatur, & materia è longinquo comportatur; excursiones crebras in lignatores fecere.

Tandem ALEXANDER, classe Rhodiorum & Lyciorum, Phœnicum & Cypriorum, qui certatim ei se dediderant, adiutus; & novi operis molem orsus; & terrestri simul navalique clade, è propinquo, urbem undique opprimens: Tyrios, à Pœnis (qui domestico bello; & Syracusanis Africam urguentibus impedirentur) destitutos, in summam desperationem adegit.

Et post animosa cominùs utrimque ad ipsos muros prœlia, Vrbem VII. post mense (Iust. per proditionem) captam, miserabili clade sævitieq; evertit. *Vt nec veteris, nec novæ Tyri vestigia ulla exstarent.*

VI. virorum M. intrà urbis munimenta trucidata sunt; eorum, qui captâ etiam patriâ, pervicaciter cum armis obstitissent. Bis mille, in quibus occidendi defecerat rabies, crucibus per litus adfixi.

Capta XIII. Mil. (Arrian. XXX. M. sub hastâ venisse, tradit) XV. Mil. à Sidonijs cognatis, elàm, huc illuc, subducta.

ALEXANDER cópedibus, quas Tyrij, per dementiam, Apollini, ne se desereret, iniecerant, detractis; Herculi, quod ante voverat, sacrificium exsolvit.

NOVÆ

NOVÆ A DARIO PACIS CONDITIONES.

Alteræ, iisdem ferme diebus, DARII litteræ ad ALEXANDRVM adlatæ; & uti Regi inscriptæ.

Dotem dare filiæ suæ, Satipnæ, si ALEXANDER nuptiis eam sibi adiungere velit; regionem omnem, quæ Hellespontum inter, & Halyn amnem, sita est.

Se terris, indè ad Ortum obversis, contentũ fore.

Consideraret; Homines, quantamcumq́; felicitatem habeant; maiori tamen invidiæ esse obnoxios.

Vereri se, ne avium modo, quas naturalis levitas ageret ad sidera; inani ac puerili mentis adfectu efferatur, & tandem concidat.

Nihil difficilius esse, quàm in illâ ætate tantam capere fortunam. Vt regno se pellat; multos amneis & mõteis, magna rei sui munimẽta, superandos esse.

Senescendum ipsi fore, antè, quàm tantum terrarum & gentium, quot Persico imperio pareant; vel sine prœlio, obeat & emetiatur.

ALEXANDER; DARIVM, respondit, aliena promittere: quodq́ue totum amiserat: velle partiri. Quæ doti diceret; *victoriæ suæ esse præmia*. tanti belli exiguam mercedem, nisi Persepolim, Bactra, Ecbatana, & ultimi Orientis terminos, imperio suo iam destinásset.

Et certè tum Rhodii urbem suam, portusq́ue ALEXANDRO dediderant. Et Græci, in solenni Isthmiorum concilio, & Ludicro. Regem, ob res pro salute Græciæ & libertate gestas, aureâ coronâ donandum decreverant.

Neq́ue ipse modò Vrbeis, quæ iugum imperii adhuc recusarent, obibat; sed prætores ipsius & duces, pleraq́ue invaserant: Paphlagoniam, Lycaoniam, Miletum, & Insulas Achaiæ & Asiæ interiectas; Tenedon, Chium, Côn; Lesbum, & in eâ Mitylenen.

DARIVS contrà, desperatâ à Macedone pace, ad reparandas vireis, bellumq́ue impigrè administrandum, animum adiecit. Et suarum copiarum duces in Babyloniam convenire; & in cæteris, BESSVM, Bactrianorum Satrapam, suspectâ iam-tum perfidiâ dubium; cum exercitu quàm possit maximo, ad se descendere iubet.

ALEXANDER, ob miram in Persis arcana regni cælantium fidem, eorum, quæ apud hostem gererentur, ignarus; Gazam Vrbem, nihil Tyriorum casu territam, obsidebat. Cui BATIS (Ioseph. Babamesses) Satrapa, sive Eunuchus, eximiæ in DARIVM, regem suum, fidei præerat; & muros ingentis operis, modico Arabum præsidio, tuebatur.

IVDAICÆ REIP. PRO TEMPORE STATVS.

Sed & hîc, inter profanos Regum motus, Iudaicæ reip. statum, qui pro tempore fuit, inspiciamus.

Paucis antè annis, quàm IOHANNI (al. Ionathani, qui IOIADÆ Filius, & ELIASIBI Nep. erat) IADDVA, qui & Iaddua, Filius; in Pontificatum, Hierosolymis, successisset; eiusq́ue frater MANASSES, SANABALLETIS Chutæi, quem DARIVS Samariæ Satrapam præfecerat; filiam, Nicasôn, Vxorem sibi adscivisset. Et connubium socer, sibi honorificum; & ceu pignus quoddam exoptatæ cum Iudæâ gente amicitiæ, & hospitii fore, ratus esset. Proceres Hierosolymitani, qui molestè ferrent, istiusmodi externæ mulieris coniugio, ceu gradum factum, ad patrias de Connubiis leges, quæ cum profanis gentibus misceri vetant; antiquandas.

Atque adeò pristinarum calamitatum meminissent; quas DEVS istiusmodi flagitiis iritatus, sibi, Iudæis, invexisset. postulabant; *Vt Manasses, aut Vxorem peregrinam missam faceret; aut ab Altaris Templique ministerio arceretur.*

Ille itaque à fratre Pontifice sacris prohibitus; quum apud soccerum; *Nolle se uxoris caussâ, quantumvis eam eximiè diligeret; gentilitio*, & honorarissimo apud populares suos, *sacerdotii honore privari*; protestaretur:

Et socer, si filia eius, uxor retineatur, generum, non sacerdotio tantùm; sed Pontificatu etiam, cum totius provinciæ, quam teneret, principatu, aucturum. & in Garizimo, monte totius Samariæ editissimo, & Sichimis proximo, Templum Hierosolymitano geminum, ædificaturum, polliceretur.

MANASSES apud socerum, ætate iam grandiorem, remansit: & bonâ regis DARII gratiâ, Pontificem se creatum quandoque iri confidens; permultos è sacerdotibus, & Israëlitis, rerum novarum cupidos; qui paribus secum exterarum mulierum coniugiis impediti essent; in fidem recepit. Quibus socer, ambitioni generi velificatus, & pecuniam, & agros quos colerent, cum domiciliis, liberaliter attribuit.

Quo autem tempore DARIVS, traducto Euphratem exercitu, in Ciliciâ ALEXANDRVM prælio excipere constituerat; SANABALLETES, statim à regis Persæ victoriâ, (quam certam illi, in tantâ Macedonum paucitate, animo informárat & ominabatur) ea, quę MANASSI, & Iudæis desertoribus, erat pollicitus; præstaturum iactabat.

Verùm ubi, rege victo & in Persidem refugiente, ALEXANDER in Syriam ingressus, Damasco & Sidone occupatis, Tyrum quoque oppugnare perstitit. & scriptis ad summum Iudæorum Pontificem litteris, auxilia, & liberum exercitui suo iter, & rerum venalium forum; aliaq́ue, quæ DARIO Iudæi anteà præstiterant, obsequia imperavit.

Et Pontifice (qui sacramento obstrictus, adversùs DARIVM, dum viveret, perfidè & hostiliter se gerere, nefas esse duceret) ad ea obnitente; minatus est idem; *Se, Tyro captâ, in Iudæos Hierosolymamq́; ducturum.*

Tum demùm SANABALLETES, temporis opportunitate

tunitate usus, à DARIO defecit: & IIX. è provinciâ suâ Millib. adsumtis, in castra ALEXANDRI, ad Tyrum, se contulit: & in fidem receptus, cum, pro DARIO, dominum & regem agnovit.

Et liberè quid vellet, elocutus; Generi sui, aliorumque Iudæorum, de Templo, in Samariâ construendo, petitionem, regi exposuit, caussamque commendavit.

,, In rem novi regis esse, ut Iudæorum, gentis, fais omni memoria regibus infida, & usque rebellantis, potentia dividatur.

Id posquam à rege impetratum est; omni ille ope adnixus Templum in Garizimo ædificavit: & MANASSEM eidem Antistitem præfecit, amplissimum, filiæ suæ postens, hunc honorem relicturum ratus.

Hinc principium acerbissimi inter vicinos populos odij, & in religione dissidij, quod ad CHRISTI usque Servatoris tempus; atque adeò ad supremum Vrbis Hierosolymitanæ excidium, durârit. Dumalij, MANASSIS Templo & doctrinæ adherescunt: alij, IADDO, (quem quidam Simonem Iustum putârunt) & Hierosolymitano, veterum regum & Prophetarum communi, Templo, & avitâ pietate, participant.

Hunc SAMBALLETEN putant Genebr. & Scalig. eumdem esse, cuius mentio 2. Esdr. c. 13. Oroniten, Samaritanorum principem. Cuius filiam, licet alienigenam, quidam, de genere ELIASIBI Pontificis (quem hîc MANASSEM, IADDI Fratrem, ELIASIBI Pronepotem, esse volunt) in uxorem duxerit: quique eo nomine à NEHEMIA sit repulsus.

Et Nehemiam scilicet, ad ALEXANDRI Mag. in Asiam, adventum, pertigisse: & vixisse, plus minus CXXX. ann. à CYRO, scilicet, ad VI. aut VII. ALEXANDRI annum. Vid. sup. ad Nehemiam, quæ in contrarium attulimus, de II. Sannaballathis; & II. generis eorumdem.

GAZA EXPUGNATUR.

ALEXANDER Gazam, unam sibi urbem, quo minùs securus in Ægyptum intraret, obstare; & se gemino, inter prœliandum, vulnere ab obsessis adfectum, ægrè ferens; aggerem, quo mœnium altitudinem æquaret (cuius latitudo, duorum stadiorum; & altitudo pedum esset c c L.) eduxit: & velut ex continenti, crebris arietibus & cuniculis, urbem subrui iussit. sic ut interiora quæque, infesta telis essent; & per ruinas milites irreperent.

Cecidére è Persis & Arabibus, qui II. mensium obsidionem fortiter toleràrant, circiter X. Mill. non incruentâ Macedonibus victoriâ. Hostes namque adversis omnes vulneribus, suo quisque loco, cecidisse sunt reperti.

BATIS, cuius fidem & constantiam hostis admirari, & colere debebat; ab iracundo rege; & gloriante; ACHILLEM, à quo genus ipse deduceret, pœnâ in hostem capiendâ, imitari se voluisse; loris per talos traiectis, ad currum religatus, & ab equis admissis, circà urbem, Hectoris exemplo, raptatus & distractus est.

HIEROSOLYMA PERICLITATUR: ALEXANDRI IN EAM INGRESSUS.

Quùm autem Gazâ expugnatâ, & SANABALLETE ibi, in castris, defuncto; ALEXANDER Hierosolymam iter properè, & infesto exercitu intendêret; IADDUS Pontifex, consilij inops; & extrema, rege sibi, ob neglecta imperia, irato, metuens; supplicationibus populo indictis, & victimis Deo immolatis, ad opem eius confugit: & publicam illi gentis suæ incolumitatem commendavit.

Nocturno itaque per quietem oraculo à Deo cōmonitus, & bono esse animo iussus; *Portas adventanti regi, urbe passim coronatâ, aperiret*. Et populus quidem, candidis vestibus; ipse verò, & reliqui sacerdotes, solenni quisque ordinis cultu, obviam prodirent. Novâ hac & venerabili pompâ, ad nuntium propinquantis regis, Sapham usque progressus est.

Et quùm Chaldæi ac Phœnices, ceu furoris regij administri, Vrbis direptionem, & dira civium supplicia, animis præcepissent, & adhuc sperarent; ALEXANDER è longinquo, candidatum populi agmen, & Sacerdotes byssino amictos; Pontificemque, præcinctam auri laminâ, eâque Dei nomen insculptâ, tiaram, capite gestantem, & hyacinthinâ stolâ exornatum, conspicatus; solus, & extrà ordinem, proximè accessit. Eoque comiter salutato, *Nomen illud & Numen arcanum* adoravit.

(Alij addunt, ex equo desiluisse; in genua procidisse; & ad pedes Pontificis prostratû, supplicâsse.)

Quumque Iudæi omnes, uno ore, regem ALEXANDRUM consalutarent, & in orbem cingerent. Et Syriæ reges, aliique proceres & amici regis, in hâc insolita animi in rege, tàm subitò commutati, demissione, & clementiâ, obstupescerent: Rex PARMENIONI curiosiùs percontanti; *Quid ità ipse, à Principibus adorari solitus, reum nunc supplex adoraret!* hanc caussam subiecit.

Se, dum in Dio adhuc Macedoniæ esset, & istam Asiæ expeditionem animo versaret; DEUM, *sub eo ipso habitu, quem Pontifex preferret, visum esse*: A quo, macto ut animo esset, & exercitum sine morâ in Asiam deportaret; fuerit confirmatus. *Eius nempe auspicijs; Persarum imperio potiturum*. Vnde nec vanâ spe, nec sine Numine, exercitum in DARIUM duxerit; & iam victoriæ compos factus sit.

Ipse itaque, deducente sacrificorum cœtu, in urbem ingressus, & in Templum conscendens, Deo victimas, præeunte sacerdote, immolavit; & suum Pontifici honorem exhibuit.

Qui quùm illi arcanum DANIELIS Vatis librum ostendisset, quo præsignificatum erat; *è Græcis Principibus quemdam, Persas aliquando esse debellaturum*; eum ipso se esse laeto omine interpretatus; Iudæis liberam suis legibus vivendi potestatem; & VII. quoque anno tributi immunitatem, concessit: & privilegia, quæ sub Persis habuerant, confirmavit. Eandem gratiæ prærogativam, ijs

etiam

etiam Iudæis, qui Babyloniam, Mediamve incolerent, impertitus.

Templum quoque ingentibus donarijs locupletâsse, traditur: & hinc ad matrem scripsisse; sibi à sacerdote quodam revelatum; *Deos Gentium, homines fuisse.*

Datâ verò civis facultate, militiam suam, salvis ubique patriæ religionis ritibus, sequendi; permulti è Iudæis in eam expeditionem nomina dederunt.

Samaritæ autem, quorum tunc caput Sicima, ad montem Garizimum sita, & desertoribus gentis, ac religionis Iudaicæ, habitata; postquàm animadvertissent, Iudæos ab ALEXANDRO tàm comiter munificèque habitos esse; pro desultoriâ animorum & studiorum levitate; quâ fortunæ præsenti semper obsequi soliti essent; se quoque Iudæos profiteri decreverunt.

Sed neque recens Sicimitarum Templum suâ præsentiâ ALEXANDER dignatus est; neque Sabbatici ijs anni tributum remisit.

IADDO, paullo post defuncto, ONIAS F. successit.

Annus ille ALEXANDRI, Iudæis, tamquam sui ex Ægypto olim Egressûs Millesimus, in celebratæ fuit. Et pactus cum ijs rex dicitur; *Vt ab eo dicincept anno, publica & privata actorum conventorumque instrumenta obsignarentur.*

Sub idem tempus, ex quibus nescio Rabbinis, vult Genebr. EZRAM, ZACHARIAM, AGGÆVM, & Vatum omnium postremum MALACHIAM, è vita decessisse. Vid DARII Hystaspidæ priores regni annos. Res refutatione vix digna.

3622. 5. Alexand. | 328.

ÆGYPTIORVM A PERSIS DEFECTIO.

Ægyptij, Persarum in imperando crudelitati, & exercitæ ab ijs subinde, in patria Deôrum delubra & sacra (uti interpretabantur) impietati, iamdiu infensi; ad spem advenientis ALEXANDRI erexerant animos.

Atque ille, vii. die pôst quàm à Gazâ copias moverat; in eam Ægypti regionem pervenit, quæ Castra dein ALEXANDRI dicta sunt. Et pedestribus copijs Pelusium, quò naves è Phœnice erant adpulsæ, petere iussis; ipse, cum expeditâ manu, Nilo amne vectus est.

Eumque MAZACES (Curt. Astaces) Ægypti Satrapa, rebus DARII iam inclinatis diffisus; in provinciam interiorem, & in urbeis, Memphim & Heliopolim, amicè & sine certamine, traditis etiam DCCC. talentis, & regiâ supellectili; recepit.

Rebusque ibi compositis; & sacris ludisque perfectis; ità ut nihil ex patrio Ægyptiorum more, salvo etiam API; mutaret: IOVIS HAMMONIS oraculum, (exemplo PERSEI, & HERCVLIS, progenitorum suorum) adire statuit; de futurorum eventu, & origine suâ, Deum consulturus.

Quem generis sui auctorem, haud contentus mortali fastigio, aut credebat, aut credi volebat. quòd mater OLYMPIAS ex serpente concepisse, vito olim confessa esset; & ipsâ, ceu stupri comperta, ab eo dimissa.

IOVIS HAMMONIS ORACVLVM.

Viæ, ob aquarum penuriam, & campos alto sabulo horrenteis, impeditissimæ; sive serpentes, sive corvi, ceu præcursores & duces, fuisse traduntur.

Sedes Deo illic consecrata, (& à DANAO Ægyptio olim condita) inter vastas solitudines; ambientibus undique arborum fructiferarum ramis, & umbris contecta. Et multi fontes, dulcibus aquis passim manantes, non sine perpetuâ verni cœli temperie, (quod sub ipsis Caneri ardoribus, mirum) silvas alunt.

Rex, à sacerdote subornato, sive in adulatione, sive imperito; *Iovis filius* (ficto linguæ errore; χαῖρε παῖ Διὸς, pro χαῖρε παιδίον) salutatus: & humanæ sortis oblitus, nomen, uti omen, accepit, & agnovit.

„*Sibi totius orbis imperium fatis destinari; & invictum fore, donec excederet ad Deos.* PHILIPPI quidem interfectores luisse supplicia; sed Patrem eius nullo scelere posse violari.

Comitibus quoque eius, aulicis, responsum; gratum fore Hammoni, Iovi, si regem divino honore colerent.

Porrò HAMMON iste, Arietis supernè, & infernè Hominis specie, adoratus; videtur esse Ham, sive Cham, à Patre Noacho olim diris devotus.

Et ipse ALEXANDER, ut eius se filium preferret; Cornutus fingi à statuarijs voluit; & hominis pulcritudinem bellumo cornu dehonestavit.

Hinc aucta illi insolentia, qui nimiæ felicitatis modum ferre non posset. Exemtâ illa comitate, quam & Græcorū litteris, & priscis severisq Macedonum institutis, didicerat.

In itinere Cyrenæi, è Libya, obvij ALEXANDRO se suaque omnia, pacem petentes, ultrò dedidere. cum quibus amicitiam pro tempore coniunxit.

ALEXANDRIÆ CONDITVS.

Ab Hammone autem reversus; ut à Mari (& Parætonio) ad Mareotim Paludem, quæ haud procul insulâ Pharo, iuxta Canobicum Nili ostium, sita est; pervenit. Et insulam eam, haud magnæ sedis capacem esse existimans; alium condendæ, urbi ex suo nomine, ALEXANDRIÆ, locum, (qui antiquitus, in sacris, No; & Straboni, Rhacotes, dictus,) in Africæ parte, elegit.

Complexusq; quidquid spatij est inter Paludem & Mare, LXXX. stadiorum muris ambitium, destinavit.

stinavit: DINOCRATE ita metante, ut vici omnes Etesiarum flatibus perspirarentur: & ipse situs, Macedonicæ Chlamydis instar præferret; atque in angulos promineneis hinc inde procurreret.

Omissâ in præsens ulterioris in Ægyptum, & Æthiopiam, peregrinationis cupidine, ad imminens à DARIO bellum, cuius multo maior superérat moles; se convertit. Et colonis ex finitimâ regione Alexandriam commigrare iussis, novam Vrbem magnâ Macedonum multitudine implevit; & caput Ægypti esse voluit.

Et quùm sub id tempus Samaritæ ANDROMACHVM, quem ipse Syriæ præfecerat, vivum cremâssent; ad eius necem vindicandam, summâ cum celeritate in Palæstinam contendit: & tanti sceleris auctores, sibi traditos, extremo ignis supplicio adfecit.

AMPHOTERVM, classis præfecto, ad liberandam Cretam (cuius pleraque, & Persarum, & Piratarum armis, obsidebantur) mitit. Et Mare, quod rege utroque in bellum converso, prædonibus erat obnoxium & infestum; à Piraticis conatibus vindicare iussit.

3623. 6. Alexand. | | 327.

NOVVS VTRIMQVE BELLI ADPARATVS.

DARIVS verò, ubi cognovit ALEXANDRVM, rebus in Ægypto Africâque compositis, iter suis ad Euphratem pronuntiâsse: eumque cum omnibus copijs, quamcumque ipse petijsset regionem, eòdem venturum. Omnia longinquarum etiam gentium auxilia ad Babyloniam contrahi iussit: ut dimidio fermè maior esset exercitus, quàm in Ciliciâ fuerat.

Et motis Babylone castris, quùm Tigri superato, haud procul abesse hostem audîsset; MAZÆO prætori VI. equitum Millia attribuit. qui partim transitu amnis hostem arceret; partim regionem, quam ALEXANDER esset aditurus, popularetur atque incenderet. Credens *inopiâ debellari posse, qui nihil haberet, nisi quod rapiendo occupâsset.* Ipsi autem, & suis, commeatus alij terrâ; alij Tigri, adfatim subveherentur.

Iamque Lyco amne Ponte iuncto, ad Gaugamela; & indè, Bumado transito, haud procul ab Arbelis, (quem vicum novâ suorum clade nobilem esset facturus) castra posuerat:

Quùm ALEXANDER, Vndenis castris, ad Euphratem pervenit; & MAZÆO non auso sui periculum facere, sed ultrà amnem omnia flammis vastante; ripâ iam desertâ, & Pontibus, quos ille mutilârat, refectis; exercitum transduxit. Et quarto die, præter Arbela, ad Tigrim progressus, copijs, non sine molestiâ & sarcinarum iacturâ, transmissis; ibi stativa habuit.

Milites, Lunâ tum deficiente, & sanguinis colore offusâ, perturbatos, editis in vulgum Ægyptiorum vatum responsis; *Lunam, quæ Persarum sit propria, quoties deficit; cladem & ruinam illi genti portendere;* ad fiduciam erexit.

Atque iter, Tigrim inter à lævâ, & Gordyæos (al. Sogdianos) monteis, à dextrâ, ingressus; in Persicos Darij exploratores, sive equites præcursores, incidit. quorum plerisque, aut cæsis, aut captis; flammas, quas fugientes illi tectis & horreis passim inijciebant, exstingui curavit. Atque itâ copiâ commeatuû iustructus, quatriduû eodem loci substitit. Vbi interceptas Darij literas, quibus Græci milites ad regem suum interficiendum aut tradendum solicitabantur; silentio salutari suppressit.

Et quùm castrâ indè moventi nuntiatum esset, Vxorem Darij, & viæ labore, & animi ægritudine (al. Partûs dolore, sive ex collisione fœtûs abiecti) inter focrûs, & virginum filiarum, manus, collapsam, & exstinctam esse; eius, quam semel tantùm viderat, morti illacrymatus, & exsequias benignè prosecutus est.

Quæ officia in hoste per spadonem DARIO nûtiata, ALEXANDRO, qui castè sanctéque captivam regînam habuisset, eique veris lacrymis parentâsset; *non tàm iusto hosti, quàm misericordi victori*, benè precari; & regnum Asiæ, secundum se, augurari, impulérunt.

Itaque, quamquàm pace frustrâ bis petitâ, omnia in bellum consilia converterat; victus tamen clementiâ & continentiâ hostis, per legatos, è cognatis intimos, novas pacis conditiones tulit;

,, *Se, qui anteà imperio Alexandri finem destinâsset Halym, amnem, qui Lydiam terminet: nunc quidquid Hellespontum inter, & Euphratem est, in dotem filiæ, quam eidem lubens tradat, offerre.*

,, *Pro III. corporibus, matris, & filiarum, XXX. (fort. CCC.) auri talenta acciperet.*

,, *Et Ochum F. quem in potestate habeat; pacis ac fidei obsidem, retineret.*

Alia, ad animi moderationem, addita. Et gratiæ actæ, quod nihil hostile aut inclementius in captivos designâsset.

Ad hæc ALEXANDER; qui non pecuniam, uti PARMENIO suadebat; sed gloriam mallet: neque se mercatorem, sed regem esse meminisset; respondit:

,, *Quæ clementer & liberaliter fecisset, non amicitiæ Persarum tribuisse, sed naturæ suæ.*

,, *Persam, bonâ fide à se pacem non petere; qui modò milites suos ad proditionem; modò amicos in perniciem suam, pecuniâ solicitârit.*

,, *Eum itaq. ad internecionem sibi persequêdam; qui non iustus hostis, sed veneficus sit percussor.*

,, *Iam se ultrà Euphratem esse: Et summam dotis, quum promittat, terminû castris suis transisse.*

,, *Si rex ipsi secundus, & non par haberi velit; verbum non commutare. Alioqui, mi nec II. Solibus regi potest mundus; itâ nec duo summa imperia, salvo terrarum statu habere posse. Proinde aut deditionem*

ditionem hodie, aut in crastinum bellum pararet.

Legati ad Darium dimissi, certamen adesse denuntiant.

PUGNA AD ARBELA.

Ille, qui memor, superiore prœlio, plurimum copijs suis explicandis Ciliciæ angustias incommodâsse; patentibus in campis decernere optabat; iussis armari Militibus, aciem disponit.

(Cuius exercitûs summa. Curtio, xlv. equitum: & cc. Peditum Millib. comprehenditur.

Arriano, cii. equitum, & decies centenis peditum, Millib. præter cc. currus falcatos, & xv. elephantos.

Iustin. c. equitum, & cd. peditum Millib.

Diodor. cc. equitum, & dccc. peditum Millib.)

Alexander, qui, Ariano teste, vii. equitum Millia, & quadragies Mille tantùm pedites habebat: suos, ex subito, ob hostium multitudinem, pavore confirmatos, collem editum, quem Mazævs; à Dario ad itinera, quà hostis cumque transiturus esset, occupanda, præmissus, cum xxx. equitum Millib. insederat; & ad suos rediens mòx deseruerat; occupare iussit. Vnde acies hostium, quæ in camporum planitie explicabatur, despici posset.

Quo in loco quùm castra munijsset, & vallum iecisset: & in tantâ extremi periculi propinquitate, (Eò quippe ventum erat, undè recipi exercitus, nisi victor, aut sine clade, non posset) consilium adhiberet, quid optimum factu esset, exquirens. reiectâ Parmenionis suasione, qui furto, non prœlio, opus, pro tempore, esse censebat: *Intempestâ scilicet nocte, hostes moribus, & linguâ discordes, opprimi posse.* Ipse palàm, luce, hostem adgredi, & aperto Marte victoriam adipisci, decrevit.

Nocte, in merâ solicitudine, utrisque castris, transactâ; quùm Darius, unà cum ducibus, agmina in armis stantium, non sine exhortatione, circumiret; tum Alexander somno, (quem partim dubia animi, omnia circumspectantis, anxietas; partim repentina, rebus in utrumque eventum libratis, securitas, conciliâsset. ob exoptatam diu, etiam ultrò oblatam, sine morâ, cum universis Darii copijs confligendi facultatem) correptus. & ægrè à Parmenione excitatus; Ab hoste, aciem instructam propè iam admoveri: Et militem ipsius, adhuc inermem & incompositum, ducis exspectare imperium, cognovit, Mox itaque signum pugnæ, tubâ dari imperans, copias prorupto vallo excuntes, hoc ordine disponit.

Lævum cornu Parmenioni tuendum dedit: Ipse in dextro stetit.

Et insidiarum loco, quem transfuga quidam demonstrârat ferreis muricibus stratum esse, circuitu quodam, prudenter evitato; Dario regi, qui lævo suorum cornu præerat, occurrit.

Ille equitibus Messagetis, duce Besso, in lævum Alexandri cornu invehi iussis; falcatos currus, quos antè se agebat, signo dato, universos in hostem obiectum effudit. Et Macedones, qui laxatis sensim ordinibus, contrà, ac moniti, non cesserant; effusâ fugâ aciem ibi turbavêrunt.

Alterâ ex parte equites à Mazæo, ad diripienda hostis impedimenta (quæ cum captivis, in colle, quem dixi, modico cum præsidio, Alexander constituerat) circumvecti, tantum perculsis metum iniecêrunt; ut postea-quam Parmenio, contemnere sarcinarum damnum, & nihil subsidij aut virium ex acie subducere à rege iussus esset; plerosque custodum impune cæderent: & captivi, vinculis ruptis, obvia quæque, queis armari possint, raperent: & suorum equitatui aggregati, Macedonas, ancipiti circumventos malo, invaderent.

Neque tamen Sisygambin, cui vicisse Darium filium nuntiabant; quòd præcoce gaudio fortunam iritare vereretur; inducere ad fugam possent.

Licet Amyntas, equitum Alexandri præfectus, qui opem impedimentis laturus, cum paucis turmis, advenerat; vix tentato, adversus Scythas raptoras, certamine, ad regem, eâ re solicitum, refugisset. Et Aretes, hastatorum, (quos sarissophoros vocant) dux, eòdem submissus, quantumvis ducem Scytharum occidisset; Bactrianis à Dario supervenientibus, pænè cum suis obtritus esset.

Quùm Persæ itaque clamore tùm sublato, qualem victores solent edere, in hostem, quasi ubique profligatum, incurrerent: Alexander, quà rarior in dextro Persarum cornu erat acies, in laxatos, ex Bactrianorum ad impedimenta discessu, ordines invadit, & multâ cæde invehitur.

Sed Persis, qui in lævo cornu erant, spe posse eum includi, agmen suum à tergo dimicantis opponentibus: & Agrianis vicissim Barbaros adortis; & aversos cædendo, ut se, à rege oppugnando, in ipsos converterent, cogentibus; turbatæ erant utrimque acies.

Et quoniam Bactriani, impedimentis hostium direptis, reverti, ordines suos reciperare non poterant; plurima simul, abrupta à cæteris, agmina, ubicumque alium alij sors miscuerat, dimicabant.

Et duo reges, iunctis propè agminibus, hic curru, ille equo vectus, suos ad prælium accendebant. Eosque delecti quique, non sine mutuo periculo tuebantur: quod sibi quisque cæsi regis, huius, aut illius, decus expeterent.

Aquila intereà paullulùm suprà caput Alexandri, placidè volitans, & pendenti similis; & militibus, in pugnam intentis, monstrata, haud dubium victoriæ auspicium fuisse proditur.

Quò & alter accessit casus; qui totam ferè Persarum, æquo adhuc Marte pugnantium, aciem & spem, turbavit.

Nam quùm auriga Darij, hastâ, sive telo, quod Alexander in ipsum regem contorserat, & aberrârat; transfixus esset: diditus est incondito clamore per agmina rumor, de regis cęde. ut cognati eius, atque armigeri, currū in fugam, equis temerè raptantibus, effusum destituerunt. Et ipse stricto

acinace dubitaret; an fugæ dedecus honestâ morte præverteret.

Sed dum pugnanteis etiam-num suos destituere erubescit; & spem inter, metumque, hesitat: ipsi Persæ sensim cedere, & ordines laxare.

At Macedones, rege instigante, & equos subinde mutante; aut resistentium adversa ora, aut fugientium terga fodere. Quumque iam non pugna, sed cædes esset, Darius quoque currum suum in fugam vertit.

In lævo autem Macedonum cornu, quod Parmenio tuebatur; longè aliâ fortunâ res utriusque partis gerebatur. Vbi Mazaus, cum omni suorum equitatu, vehementer urguebat Macedonum alas. Et iam aciem circumvehi cæperat; quum Parmenio, Alexandro, per equites, nuntiari exercitûs sui discrimen iubet.

Sed ille iam fugientium, cum rege Dario, tergis imminens, multum viæ processerat. & isto nuntio eripi sibi è manibus victoriam, frendebat.

Interim ad Mazæum, superati, & fugientis regis Darij, fama pervenerat. Atque is fortunâ partium territus, licet validior, perculsis segniùs instabat.

Quâ vincendi, & suî expediendi occasione utendum sibi ratus Parmenio, Thessalos equites, in hostem, qui pedem referret, & pavorem proderet; subditis calcaribus, proruere iubet. Vt illi iam non sensim, sed citato gradu recederent. nec quidquam fugæ, nisi quod terga nondum verterant; deesset.

Quumque Parmenio, fortunæ regis ignarus, suos ab insequendo repressisset; Tum Mazaus, dato fugæ spatio, non rectâ, sed maiore circuitu, & Tigrim superavit, & Babylonem, cum devicti exercitûs reliquijs, intravit.

Darius autem, paucis fugæ comitibus, ad Lycum amnem contenderat. Quem postquàm ponte traiecisset; eum non recidit; sed suorum, è fugâ consequentium, vicem miseratus, & salutis consultum cupiens, intactum reliquit. Qui, *Insequenti hosti iter dare malle* se diceret, *quàm suis fugientibus auferre*. Atque ità ingens spatium fugâ emensus. mediâ ferè nocte ad Arbella pervenit.

Sed hîc scriptores Græci, loca & flumina confundunt. dum loci celebritate moti, Arbella potiùs, urbem eâ tempestate nobilem; quàm Gaugamela, vicum incelebrem, à Dario Hystaspide conditum; & Camelo, annona regia olim baiulo, consecratum; huius prœlij memoriâ, an clade! insignire voluérunt.

Alexander, ad Lycum usque amnem fugienteis, quos nô modò pons, quem dixi, sed ne amnis quidem capiebat, persecutus; suorum ulteriùs cursum inhibuit. Et tempus quidem diei, in noctem præceps, caussatus; sed re-verâ de lævo cornu, & Parmenione, ibi laborante, adhuc solicitus; ad opem suis ferendam, reverti statuit.

Dumque submissi à Parmenione equites, eidem, signa iam convertenti, illius quoque partis, sive Cornu lævi, victoriam in itinere nuntiarent: & ipse copias in castra reduceret: Paucis incomposité sequentibus, & victoriâ quasi perfectâ ovantibus; repentè, ex-adverso, hostile equitum agmen apparuit. & conspectâ Macedonum paucitate, turmas suas in obvios concitavérunt.

Rex, præfectum equitatûs, incautiùs in se tuentem, hastâ transfixit: Eoque ex equo labente, proximum, ac deinde plureis eodem telo confodit. Amicis quoque eius, turbatos itâ adorientibus; ut Barbari tandem (quibus, obscurâ luce, fugatutior videretur, quàm pugna) diversis agminibus abirent. Et rex periculo extra-ordinario defunctus, incolumeis suos in castra demùm perduceret.

Cecidisse hoc universè prœlio, è Persis, Curt. tradit, xl. Mill.

Macedonum verò minùs quàm ccc. esse desideratos.

Diod. xc. Mill. tàm Peditum, quàm equitum Persarum: Macedonum, d. cæsos.

Orosius; Tribus, quæ memoravi, prœlijs, Quindecies-centena Persarum Millia, variâ peste, fuisse absumta.

(Chytr. et Lesnor. pugnatum volunt, xxvi. Augusti. Curt. Iulio. Arrian. mense Pyanepsione. hoc est, Octobri.)

Hoc prœlio, inquit Iustin. Asiæ imperium Alexander rapuit. v. post acceptum Macedoniæ regnum, anno.

Curt. lib. 5. ex personâ Darii. *Ità Dij fata ordinavére. ut Persarum imperium, quod secundo cursu per annos, ccxxx. ad summum fastigium evexerant; concuterent. Admonerentque nos fragilitatis humanæ; cuius nimia in prosperis rebus oblivio est.*

Scalig. l. 5. Em. Temp. Initium, inquit, Imperij Asiatici, Alexandrei, (quod & Græcorum dicitur) pertinet ad cladem Darij, & prœlium ad Gaugamela commissum, Calend. Octob. Tunc enim Alexander Imperator Asiæ salutatus est ab exercitu. Ex Plutarc. *Hoc pugna illius eventu, imperium Persarum omninò subverti visum est: & Alexander rex Asiæ renuntiatus*, Dijs magnificè sacrificavit. Amicis opes, domos, provincias est elargitus. Et ambitiosè ad Græcos scripsit; *Velle se, ut iniusti dominatus passim tollantur; & immunes suis ipsi legibus vivant.*

Genebr. ait Hebræos tradere; Monarchiam Persicam tantum lii. annis durâsse. quòd post Darium (Medum) aut certè Cyrum, iv. tantum imperatori adfirmentur, Dan. 2. Ipse verò colligit, cxli. ann. multis regibus omissis.

Sev. Sulpit. Regnum Persicum vult stetisse, ccl. ann. pro ccxl. quòd Artaxerxi ii. tribuat annos lxii. Alioqui nobiscum consentit.

In hunc vi. Alexandri annum, qui est primus Monarchiæ, incidit principium Περιόδου Callippicarum. annor. lxxvi. Constabat enim ista Periodus iv. Cyclis Metonis; sive xix. Olympiadas

piadas complectebatur. Eam autem à Lunę Eclipsi, quæ pugnâ ad Arbela antecessit, CALLIPPVS, exorsus est. Scal. in annum sequentem distulisse putat.

PLIN. Nobili apud Arbela, ALEXANDRI Mag. victoriâ Lunâ defecisse noctis horâ II. prodita est.

Capell. Luna deficit, primo Magnorum Cereris mysteriorum die, Boëdromionis XVI. Septembr. XX. undecimo die ante pugnam.

Hæc PERSICA MONARCHIA ità eversa, permansit usque ad ARSACEM Parthum, per C. ann. cuius posteri Arsacidæ.

In potestate verò posterorū ALEXANDRI, per CCC. ann. usque ad Iul. & Aug. Cæsares, variè perstitit.

CALLISTHENES, Nepos Aristotelis, Alexandreæ expeditionis Comes, scripsisse ad avunculum traditur:

A primo Babyloniæ & Ninives rege, ad ALEXANDR. Magnum, M. DCCCCIII. annos intercessisse. Idque ex cœlestibus Babylonior. observationibus.

Qui numerus si trahatur à Diluvio; CXXXI. anni commodùm reperientur, quùm NIMRODVS regnare occepit.

I. BECAN. CRONIOR. 4. Quum ALEXANDER Babyloniam occupavit, MMMICXXXVI. anni ab Orb. Cond. numerabantur. Vndè colligatur; Observationes Babylonior. ad Mundi annum, MDCCXXXI. adscendere; quo tempore NEMARODVS potuerit esse natus, plus minus, XLI. ann. Si CHVS, statim à Diluvio genitus, NIMBRODVM anno ætatis suæ XXX. procreárit.

Sic Func. Ab Orb. C. ad Nat. CHRIST. putat ann. 3963. Demtis hinc 327. ann. antè Nat. CHR. ab Alexandri Monarchiâ existunt illi 3636. ab Orb. Cond. ad ALEXANDRVM.

Dissentit à nostrâ Chronologiâ, in annis 13. uti & Chytræus.

BELLA ALIBI GESTA.

Antè quàm ad res gestas ALEXANDRI Magn. quæ prœlium ad Arbela sunt consecutæ, ulteriùs persequendas adgrediamur; ea quæ sub idem pęnè tempus, aut paullo anteriùs, diversis locis contigérunt: & de quibus per epistolas, è Macedoniâ ab ANTIPATRO, vicario Græciæ moderatore, redditas, certior tum commodùm factus est idem ALEXANDER. Bella nempe, AGIDIS, regis Spartanorum, in Græciâ: & ALEXANDRI Epirotæ in Italiâ; & SOPYRIONIS in Scythiâ; breviter delibanda esse, haud abs re duximus.

Post ALEXANDRI namq; in Asiam profectionem, & prospera aliquot eius cum DARIO, Persisque ducibus, prœlia, Græcia fermè omnis (præter Athenienseis) Macedonicæ fortunæ incrementa reformidans; & rebus Darij nondum penitùs accisis; in reciperādæ libertatis occasionem intenta: & Thracum exemplo, (qui duce MEMNONE, ab ALEXANDRO deficere, & bellum pro Persis moliri cæperát) invitata: Et Lacedæmoniorum, qui PHILIPPI ALEXANDRIQVE pacem legesque soli spreverant, auctoritatem secuta: ad arma concurrebat.

Sed ANTIPATER, rebus in Thraciâ utcumque compositis; & contractis è sociorum delectu, ad XL. hominum Millia, copijs, motum illum in ipso pęnè ortu oppressit.

Nam & Lacedæmonij, magno prœlio in ipsâ Peloponneso victi sunt: & ipse rex AGIS, licet fortiter pugnans, occubuit. Cecidére ex Lacedæmonijs, V. Mill. & CCCLX. Ex Macedonibus haud amplius CCC. (al. III. Mill. & D.)

ANTIPATER ipse, agere arbitrum victoriæ, ob perspectam sibi ALEXANDRI ambitionem, non ausus; Concilium Græcorum, quid fieri placeret, cōsuluit. Et ab illo Lacedæmonij, nihil aliud, quàm ut Oratores mittere ad Regem liceret. precati, gratè veniam defectionis, præter auctores, impetraverūt.

Megapolitani, quorum urbs obsessa erat, à defectione; Achæis & Ætolis (al. Eléis) CXX. talenta dare iussi.

Porrò ALEXANDER, Epiri rex, Molossus cognomine, in Italiam à Tarentinis, in auxilium adversus Bruttios (Strab. l. 6. Messapios & Lucanos) solicitatus, ità cupidè, ex æmulatione, fuerat profectus; *quasi diviso inter se orbe terrarum*, ALEXANDRO Macedoni, OLYMPIADIS, sororis suæ Filio, *Oriens; sibi Occidens sorte contigisset. Et non minorem ipsè rerum materiam, in Italiâ, Africâ, Siciliâq; quam ille in Asiâ & in Persis, habiturus esset.*

Huc accedebat; quòd sicut ALEXANDRO Macedoni Delphica oracula insidias in Macedoniâ; ità huic responsum Dodonæi Iovis, urbem Pandosiā, amnemque Acherusium; loca fatalia prædixerat. Quæ utraque quùm in Epiro essent; ignarus eadem in Italiâ esse, ad declinanda fatorum pericula, peregrinam militiam cupidius elegerat.

Primùm ibi cum Apulis bellum gessit: & mòx, ob quædam antiquitatis fata, quibus illi Brundisiū ab Ætolis conditum, & interceptum sibi olim vindicárant; composuit. Et pace cum Metapontinis, alijsque; & cum Romanis etiam factâ; quùm Lucani Bruttijque, ex quibus aliquot urbeis ceperat, finitimorum auxilijs aucti, acrius bellum repeterent; ipse rex iuxtà urbem & flumen, quorum fatale nomen non prius; quàm occideretur, cognoverat; interfectus est. Et moriens, *Non in patria sibi fuisse periculosam mortem, propter quam patriam fugerat;* intellexit. Corpus eius; quod hostes inde gne conciderant & mulcarant, Thurij publicè redemtum, sepulturæ tradidérunt.

Agell. l. 17. tradit eum in Italiam venisse; ut bellum pop. Rom. faceret: Cuius fama & virtus apud exteras genteis enitescere iam-tum cæptabat. Sed priusquam bellum iniret, vitâ decessisse. Eumq; in traiectu iactâsse; *Se quidem ad Romanos ire, quasi in* ἀνδρωνῖτιν: *Macedonem isse ad Persas, quasi in* γυναικωνῖτιν.

Diodor. Hæc à Molosso in Italiâ gesta putat, PHILIPPO ALEXANDRI M. Patre adhuc superstite, & bello nondum in Asiam translato.

SOPYRION intereà, quem Ponti Thraciæque prefectum ALEXANDER reliquerat, & ipse audendum sibi aliquid ratus; coacto ad XXX. M. exercitu, Scythis finitimis bellum intulit. Cæsusque cum omnibus copijs, pœnas genti innoxiæ, & temerè ad bellū solicitatæ, expendit. Vid. inf. ad ann. O.C. 3627.

ALEXANDER, ab asperâ & ingenti illâ, quam memoravimus, ad Gaugamela, victoriâ, opulentissimis Darij castris potitus; & postero die victoriæ vestigia acriter persecutus; Arbellam, DC. indè stadijs dissitam, petivit.

Eodem namque, mediâ ferè nocte, DARIVS, cum magnâ amicorum militumque parte, è fugâ pervenerat: & plenâ desperationis apud suos oratione, ALEXANDRI eiusque militum aviditati celeberrimas urbeis, agrosque omni copiâ rerum abundanteis; aliaque, *ceu onera & ulterioris victoriæ, sive expeditionis impedimenta*, relinquenda esse persuaserat. *Id suis scilicet rebus, tali in statu, saluti fore*: qui deserta cum expeditâ manu petere; & ex ultimis regni, quæ adhuc intacta essent, bello vireis haud ægrè reparare constituisset. quibus hostem, *prædâ, & pretiosâ supellectili onustum*, & pellicum spadonumque agmine stipatum, vicissim vinceret.

Quod eius sive imperium, sive consilium secutis ducibus, ipse in Mediæ fineis ingressus est. Ibi prœlij fugæque reliquias, inermeis, armat: è finitimis gentibus novum militem evocat: & earum regionum præfectos, ut in pristinâ ergà se fide persistent, commonefacit.

ALEXANDRO verò advenienti, Arbella, quò totius pænè exercitûs opes fuerant initiò congestæ; cum diti gazâ, (quæ IV. Millib. (al. C. Millib. & XX.) talentûm, æstimaretur) ultrò tradita sunt.

Inde itinere, per uberrimos, Mesopotamiæ campos, Tigrim inter & Euphratem, instituto, quartis castris ad Mennin urbem pervenit.

Et Babylonem procedenti, MAZÆVS, quem ex acie in eam urbem confugisse diximus, obvius cum liberis, & supplex, urbem seseque dedidit. Et Bagophanes, Arcis, regiæque pecuniæ custos, cum magni pretij muneribus, & lætis Magorum Chaldæorumque carminibus, & effusis civium in victorem laudibus, in urbem arcemque, quadrato agmine cinctum & curru vectum, lætus excepit.

Hâc in urbe, *ad illectamenta voluptatum, & disciplinæ militaris corruptelam: ad convivaleis ludos, & publicas lubidines*, instructissima, diutiùs commoratus, rex cum exercitu; pecuniâ Darij recognitâ, & factâ liberaliter militibus donativo; dum castra indè movéret; nova militiæ, peditum equitumque supplementa, ab ANTIPATRO, ex Macedoniâ, Thraciâ, Peloponneso, duce AMYNTA, Andromenis F. præter L. Macedoniæ Principum liberos, regij corporis custodes & ministros, adducebat.

Præfectis deinde, citeriori cuique regioni, iusto cum præsidio relictis; & rebus in Babyloniâ compositis; postquam in Satrapenen, terram omni commeatu abundantem, pervenisset; & rem ibi militarem per otium, delectis Chiliarchis, & equitum præfectis, ex antiquâ disciplinâ, constituisset; Susa iam-tum adituro, ABVLITES, regionis eius præfectus; sive Darij iussu, ut ALEXANDRVM prædâ retineret; sive suâ sponte, filium obviàm misit, traditurum se urbem pollicens.

Eò ut intravit, incredibilem ex thesauris pecuniæ summam egessit: L. M. talentûm argenti rudi pondere, & IX. M. talentor. auri, Daricâ formâ signati. *Sic opes tantæ, à multis regibus, & longâ ætate, in spem posterorum, cumulatæ, unâ horâ in externi regis manus sunt delapsæ.*

Indè rex quartis castris ad fluviū pervenit, quem Pasitigrim incolæ vocant; quique in montibus Vxiorum (qui Susis finitimi, in primam Persidem excurrunt) ortus, post disparem, & longum aquarum tractum, Persico se Mari insinuat.

Præerat regioni MADATES, ultima pro fide, & DARIO, quem propinqua cognatione contingeret, experiri, locumque tueri certus.

Rex amne superato in impeditam asperamque Vxiorum regionem, ingressus, & à peritis locorum edoctus, occultum iter esse per calleis, & aversum ab urbe. Si paucos misisset leviter armatos, super capita hostium evasuros.

Id consilium quùm placuisset, & tum ipse admotis à fronte turribus, urbem adoriretur; tum ij, qui submissi per calleis penetrárant, sese super Arcem de-improviso ostentarent: ad ancipitem utrimque conspectum, & animi hostium labare, & Macedones acrius prœlium inire cœpérunt. Magna itaque illorum pars, urbe desertâ, in arcem concessére.

Quibus quùm initiò, licet oratores ad deprecandum misissent, nullum veniæ esse locum, rex respondisset; tandem SISYGAMBIS, quam illi, mitigando regi, clàm per nuntios subornárant, intercessione; non MADATI modò, uti reginæ propinquo, ignovit; sed omneis, & deditos, & captivos, libertate atque immunitate donavit; & urbe intactâ, agros sine tributo colere permisit.

ARRIAN. tradit, Vxiorum eos, qui plana incolerent, & Persicæ Satrapiæ antè paruissent, ALEXANDRO deditionem fecisse, Montanos verò, Persis subiectos numquam fuisse. Eosque ALEXANDRO advenienti nuntiasse; se nequaquam passuros, ut cum exercitu in Persas transeat, nisi tantumdem daret, quantum à Persarum regibus, pro libero transitu, accipere consuessent.

Sed ALEXANDER eo, quo diximus, strategemate usus, utrimque oppressos, & Macedonum celeritate consternatos; vel cecídit, vel in fugam vertit. Et illi ægrè ab eodem impetrárunt, ut salvâ agrorum suorum possessione, annua tributa victori penderent. Equos nempe C. iumenta D. & XXX. Pecudum Millia; quibus solis abundabant.

Tunc divisis cum PARMENIONE copijs, illum quidem campestri itinere procedere iubet; ipse verò, cum expeditis, iuga montium cepit, quorum perpetuum dorsum in Persidem excurrit. Et tertio die, Persidem; quincto, angustias intravit, quas illi Susidas Pylas vocant: quasque ARIOBARZANES, cum XV. Peditum Millib. (al. XX. Peditum, & VII. equitum Millib.) occuparat.

Indè rex, licet multa, in prærupta cautium entendo, conatus, & sæpius cum damno ac pudore repulsus; atque adeò signo receptui dato quùm ex angustijs, in quas temerè exercitum coniecerat ægrè & retrò elapsus esset; tādem à Lycio quodam, (cui editæ sortis, è patriâ, oraculū favebat; quique olim à Persis, in patriâ, captus; tum ab ALEXANDRO iterùm captivus detinebatur) per abruptos, & nivibus obsitos colleis; & longo usu, sibi, herilia pecora pascenti, lustratos; itâ deductus est: ut, ex summâ itinerum aversorum desperatione, in edita montium iuga, positasque ibi hostium stationes, terrore undique illato, evaserit. Et ARIOBARZANEM, nihil tale cogitantem, à tergo adgressus, in fugam verterit.

Hic tamen,

Hic tamen, per mediam Macedonum aciem perrumpens; & Persepolim, caput regionis, occupare festinans; sed hoste strenuè consecuto, ab urbis custodibus exclusus; cum omnibus fugæ comitibus, prœlio renovato, cæsus est.

Regi sensim indè & cautè, locis suspectis, progredienti, TYRIDATES; regiæ pecuniæ, apud Persepolim, custos, per litteras, indicat, eos qui in urbe essent, audito eius adventu, diripere velle thesauros: & Darij auxilia exspectari. properaret occupare.

Quumque ille Araxem, qui interfluebat, subitario ponte transmisisset; & haud procul ab urbe abesset; miserabile & triste ei spectaculum offertur.

Græci, DCCC. (al. IV. Mil.) quos Persæ (Diod. superiores Persarum reges) vario suppliciorum modo, & captivitatis pœnâ adfecerant: & extremis membrorum partibus, pedibus, manibus; naribus; auribus; truncaverant) ex urbe, velut ergastulo, ad regem egressi, *Iovem, Græciæ ultorem*, tandem oculos aperuisse conclamant: Et solatium aliquod ab eius liberalitate expetunt.

Eos ille, quùm præ cicatricum, & inhonestæ mutilationes pudore, reditum in patriam respuerent; pecuniâ, veste, & frumento donatos, certis sedibus collocavit, & agros colendos attribuit.

Hæc tàm Barbara in suos sævitia, regis animum in ultionem & Persepoleos excidium exacerbavit. Huius tàm infestæ urbis, unde illa immensa agmina in Græciam olim infusa; undè DARIUS priùs; deinde XERXES, impium Europæ bellum intulerint; occasu; *parentandum esse maiorum Manibus.*

Barbaris itaque ex opido, qua quemque metus agebat, diffugientibus, rex phalangem nihil cunctatus inducit. Et insolentis exercitûs sævitiæ, luxũ & urbis opes; virorum vitam, & feminarum pudorem, exponit. *ut non avaritia solum, sed etiam crudelitas in captà urbe grassaretur.* Et multi, host[illegible] manus voluntariâ morte occuparent, aut è muris semetipsi in præceps iactarent, quidam etiam igneis ædibus subijcerent, & cum suis vivi cremarentur.

Eius in urbis gazâ creditum est fuisse, CXX. Mil. talenta (XL. circiter auri Milliones.) In eius namque urbis arcem & regiam, iam-tum à CYRO usque primo. totius Persidis opes congesserant Barbari.

Ad hanc pecuniæ summam, captis Pasargadis, (quam urbem CYRUS condiderat, sepulturæq; delegerat: & ALEXANDRO, præfectus GOBARES tradiderat) VI. talentum Mill. (III. Milliones) accessére. Ad quæ vehenda (namq; ad usus belli secum omnia portare decreverat) dossuaria iumenta à Susis, & Babylone contrahi iusserat.

Ipse magnâ exercitûs parte, & impedimentis ibi relictis, quũ PARMENIONEM, CRATERUMQUE ijs præfecisset; cum expeditâ manu interiora Persidis, sub ipsum Virgiliarum sidus, petivit. Et silvas propemodum invias, & itinera nivibus obsita, & solitudinum squallentia emensus, vastatis Persiæ agris, & vicis cõpluribus in potestatem redactis; Mardorũ gentem bellicosam, & belluinâ feritate in montium lustris degentem, eodem fortunæ impetu perdomuit.

Et tricesimo, postea quàm profectus fuerat, die, Persepolim reversus: ibi quattuor mensium hibernis, exercitum suum *delicijs fregit potiùs, quàm à laboribus recreavit.* Atque ipse *ingentia animi sui bona, assiduâ compotatione & vini cupiditate fœdabat*; & de die convivia, quibus & pellices interessent, sine modo inibat.

Ex quibus una THAIS, Attica genere, & ipsa temulenta, *Dijs Græciæ tutelaribus, haud uno urbis Persepoleos excidio, satisfactum esse*, omnium exclamásset; Ultionem tot iniuriarũ, quas à Persis Græci accepissent, Arcis ipsius & Regiæ, rei apud Persas pulcerrimæ & nobilissimæ, incendio, explendam & exercendam.

Hoc quasi celeusmate, sive tamquã Megeræ cuiusdam œstro, perculsus ALEXANDER; & è mensâ exsiliens, cum adolescentulis, & muliercuiis, Liberi Patris orgia simulantibus, arreptam tędam in Regiã iaculatur. Eum prima THAIS; deinde cæteri omnes consecuti sunt.

Atque ità superbum illud *Palatium, Persicæ potentiæ decus*, tot annorũ opus, *tot regum domicilium*, uno penè momento *meretricis unius proterva subvertit ebrietas.* Et impietatem XERXIS; Persarũ regis, quam in Atheniensium Arcem olim exercuerat, eodem cladis genere ulta est.

Rex quiete menti, ebrietate gravatæ, redditâ, pœnitens, hoc tantum adiecit: *Maiores pœnas Græcis Persas daturos fuisse, si ipsum in solio regiâq;* XERXIS sedem eius conspicere coacti essent.

Inde ad cæteras Persidis urbeis cum exercitu cõtendens, alias vi cepit; alias vulgatâ iam passim benignitatis suæ famâ, in deditionem accepit.

Hinc in regionem Mediæ transeunti, novorum è Ciliciâ militum supplementum, duce PLATONE Atheniensi, occurrit. Quibus copijs auctus DARIUM persequi statuit.

Hic autem Ecbatana iã pervenerat, caput Mediæ. Et quum deinde in Bactra cogitaret; veritus ne celeritate ALEXANDRI occuparetur; consiliũ iterq; mutavit. & tam se prœlio magis, quàm fugæ præparabat.

XXX. cum Peditum M. sequebantur; in quibus Græci quater mille, fide ergà regem ad ultimũ invictâ. Præter funditores & sagittarios, III. M. & CCC. equites, maximè Bactriani; quibus BESSUS, regis agnatus, & regionis eius Satrapa, præerat.

NABARZANES interim, cum eodem BESSO, inauditi anteà facinoris societate initâ, regem suum per milites, quibus ambo præfecti erant, comprehendere & vincire decreverant. eâ mente, ut si ALEXANDER ipsos insecutus foret; tradito in manus rege vivo, inirent gratiam victoris. Sin autem effugere eum potuissent; interfecto DARIO, regnũ sibi vindicarent; bellumq; se adversùs exteros renovarent.

Hoc parricidium quum diu voluta̋ssent; & NABARZANES, quasi regnum salubri ratione conservatum vellet, coràm rege, & in consilio proponeret, ac suaderet; Quoniam *Dijs adversis bellum hactenus gestum sit; & pertinax fortuna Persas urguere non desinat*; donec Asia decedat hostis; BESSUM, Bactrorum, (quò tutissimum post, DARIO & copijs, pro re nata receptaculum sit) præfectum, oportere temporis gratiâ regem statui & appellari. qui rebus compositis, iusto regi fiduciarium restitueret imperium.

Eaque tàm flagitiosâ oratione, vix animo temperaret DARIVS; & parricidij aperti nefas perfidiamque increparet. Et NABARZANEM strictô acinace interfecturus videretur: ni BESSVS & Bactriani, tristiū specie, deprecantes; cæterùm, si perseveraret, vincturi, circumstetissent. Vterque à rege digressi, copias etiam, quibus præerant, à cætero exercitu secedere iusserunt, secreta inituri consilia.

Hic DARIVS, quamvis ARTABAZVS, amicorum vetustissimus, & PHILIPPI Macedon. olim hospes, animo eum bono esse iuberet; & imperatorijs officijs inter milites sedulò fungeretur. Atque adeò, dux militum Græcorum, PATRON, suos ad exsequendum regis imperium paratos haberet; attonitus tamen mœstitiâ simul & desperatione, tabernaculo se inclusit. Et in castris varij animorum motus erant; nec in commune, ut anteà, consulebatur.

BESSVS interim, & NABARZANES, regni cupiditate incensi, quod, DARIO incolumi, tantas opes sperare non possent; diu omnibus, quæ sceleri exsequendo essent, cogitatis, constituerunt, per milites Bactrianos, ad omne obsequium destinatos, regem vivum comprehendere: & eius rei nuntium ad ALEXANDRVM mittere. Si, id quod timebant, proditionem aspernatus esset; occisuri DARIVM; & Bactra, cum suarum gentium manu, cum sedem belli, petituri.

Sed quùm propalàm DARIVS comprehendi non posset; quod vi nequibant, fraude adsequi rentant. Ipsi, pœnitentiam secessionis simulant. DARIVS fictis lacrymis mitigatus, eos in pristinum amicitiæ gradum recipit. PATRON, qui BESSI & parricidarum facinus insidiasque regi detexerat; & corporis eius custodiam sibi Græcisque depoposcerat; ab ijs, ceu perfidus homo & mercede conductus; qui ALEXANDRI opes spectaret, & omnia venalia haberet; apud regem, cui tàm periculosum esset, eo rerum statu, non credere suis, quàm decipi; impunè traducitur. Ita rex destinatus sorti suæ, & iam nullius salutaris consilij patiens, inimicorum lubidini patebat.

Custodibus namque, qui Bactrianis, imperante BESSO, armatis haud se pareis futuros erant rati, aliò dilapsis; BESSVS & NABARZANES in tabernaculum ingressi, regem (quem antè à semetipso & sponte interemtum ex suis falsò intellexerant, & tunc vivere adhuc comperiebant) comprehendi per sceleris sui satellites vincirique iusserunt.

Ille aureis compedibus, ad fortunæ ludibrium, colligatus, in sordidum vehiculum, pellibus undique contectum, & ab ignotis actum, imponitur. Pecunia eius & supellex, quasi iure belli diripitur. Persæ, qui sub ARTABAZO meruerant, BESSI promissis onerati, Bactrianis se coniungunt.

ALEXANDER autem audito, DARIVM ab Ecbatanis movisse, omissô itinere, quod in Mediam patebat, fugientem insequi pergit. Et iam D. stadia cursu emensus, in vicum, ubi regem suum vinxerat BESSVS, pervenerat; quùm DARIVS aut destitutus à suis, aut oppressus, à transfugis nuntiatur. Et iam ulterius ad CCC. stadiá progressus, BESSVM haud amplius quam CC. stadijs abesse, & DARIVM vivere intelligit, si festinaret sequi, exercitui hostili, qui nihil præcaveret, & incompositus procederet, superventurum.

Iamque in conspectum Barbarorum venerant Macedones, nequaquam futuri pares, si BESSO tantùm fuisset animi ad prœlium, quantum ad parricidium fuerat. Numero namque & robore, præstabant Barbari; & præterea refecti, cum fatigatis, certamen inituri erant. Sed nomen ALEXANDRI, & virtutis fama, *maximum utique in bello momentum*, pavidos in fugam convertit.

BESSVS & cæteri facinoris participes, vehiculum DARII assecuti, hortari cum cœperant, ut equo conscenso, & fugâ, hosti sese eriperet. Ille verò *Deos ultores* adesse testatus, & ALEXANDRI fidem implorans; negat se parricidas velle comitari. Vndè irâ quoque accensi tela in regem conijciunt, multisque confossum vulneribus relinquunt. Iumenta quoque ipsa, ne longiùs prosequi possent, convulnerant; & servos duos, qui regem comitabantur, interficiunt.

Hoc edito facinore, ut vestigia fugæ spargerent, NABARZANES in Hyrcaniam; BESSVS in Bactra, cū exiguo equitatu, contendebant.

Barbari ducibus destituti, quà quemque aut spes ducebat, aut pavor, dissipati: III. fermè Mill. resistentium occisa sunt. donec rex à cædibus abstineri iuberet. & plures captivi, quam qui caperent, fuere.

Iumenta interim, quæ DARIVM semivivum vehebant, nullo regente, decesserant viâ militari; & errore delati per IV. stadia, in quâdam valle constiterant, æstuque simul & vulneribus fatigata.

Ad fontem, qui haud procul erat, fortè POLYSTRATVS, Macedonum unus, siti maceratus, accesserat; & tela, deficientium iumentorum corporibus infixa conspexerat; confossa ea potius, quam[illegible] cta, miratus. Quùm propiùs accedens, DARIVM, in sordido vehiculo, post vulnera adhuc spirantem, interprete captivo, cognovit: & postrema ab eo ad ALEXANDRVM perferenda, mandata accepit,

Agere se ALEXANDRO gratias pro beneficijs, in matrem, coniugem, liberosq́, suos impensis. quibus & vitam, & pristini status reverentiam concesserit. *Sibi* autem *à cognatis atque amicis, quibus & regna & vitam dederit; illa omnia erepta esse. precari se, ut illi victori terrarum omnium imperium contingat. Vltionem sceleris ergà se perpetrati*, vel exempli causà. *ne negligeret*. In eam rem *unicum regiæ fidei pignus, dextram* se ferendam ALEXANDRO *dare*. Posthæc porrectâ manu exspiravit.

Quæ ubi ALEXANDRO nuntiata sunt, visô demortui corpore, tàm indignam illo fastigio mortem lacrymis prosecutus est. demtâque sibi Chlamyde corpus illius contexit: & regio ornatum cultu ad matrem SYSIGAMBIN, patrio regioque more sepeliendum, atque regijs maiorum suorum tumulis inferendum, transmisit.

His

Hic Darij, & Imperij Persici exitus. quorum ille VI. ann. regnarit, hoc, (NABARZANI apud Curt.) 230. ann. durârit.

Alij tribuunt 210. quòd CYRVS ann. 20. in patria regnâsset, antè, quam captâ Babylone novam sui imperij Æram ordiretur.

Quod & in ALEXANDRO servatum, qui ann. VI. in Macedonia regnârat ante, quàm novam ALEXANDREI imperij Æram inchoarent Græci.

A morte itaque DARII initium ducit prima CALLIPPI Cyziceni Periodus, complectens IV. Cyclos Lunæ, sive ann. LXXVI. idque Hecatombæonis neomenia, Cancri III. & Iunij duodetricesimo. Complectebatur ann. ille XIX. Olympiadas.

ALEXANDER MONARCHA.

ALEXANDER à DARII morte, tripertito agmine In Hyrcaniam contendens; quò, eo in itinere, expeditior esset, ignem in sarcinas suas coniecit; & reliquis, ut idem facerent, exemplum dedit.

In itinere NABARZANES, ille Darij Chiliarchâ, & BESSI socius; & PHRADAPHERNES Hyrcaniæ & Parthyenæ Satrapa, alijque: Et postquam Hyrcaniam attigit, peregrinorum militum (hi M. D. Græci fuisse dicuntur) dux, & Tapirorum præfectus AVTOPHRADATES; & ARTABAZVS. spectatâ in DARIVM fide nobilis, & PHILIPPI Patris olim hospes; cum liberis, & nobilissimis quibusque Persarum; ALEXANDRO se dediderunt.

Hinc in Mardos, (vel alios à prioribus; vel eosdem iterum rebellanteis) profectus, eos ferarum instar, in suis ipsorum lustris, indagine quàdam deprehensos, subegit. Et in Zadracortâ, Hyrcaniæ metropoli, ob Talestrim, Amazonum reginam, ad XV. dies commoratus est.

Illa, regioni, Thermodontem inter & Phasim sitæ, imperâsse; & cum CCC. Amazonibus in urbem advenisse fertur; tum videndi regis, tum liberûm ex eo procreandi cupidine.

Licet verius sit, nullum eâ tempestate Amazonum ijs in locis imperium exstitisse. sed mulieres illas, sive captivas, sive dedititias, fuisse quasdam è Barbaris viragines, quæ veterum Amazonum habitum originemque mentirentur.

Hinc Parthyenos & Arios sibi adiungit. Sed horum Satrapa SATIPARZANES hoc tantum præproperâ deditione lategisse visus est, ut ALEXANDRO à se ulterius remoto, copias per otium maiores colligeret; & BESSO coniunctus, regem faciliùs oppugnaret.

Quo cognito ALEXANDER, quantumvis plurimum viæ emensus, parte exercitus in castris, cùm CRATERO, relictâ. ipse Arios adgressus, prius prævaricatorem, quàm copias idoneas colligere potuisset, XXX. dierum spatio oppressit. Et gentis caput, Artacoanam, aliamque arcem locis abruptis munitissimam, expugnavit.

Dein Drangas, qui & Zaragræi, adortus, eorum Satrapam, BARSAENTEM, necis & sceleris in DARIVM pattati conscientiâ vecordem, in Indiam profugere coëgit: Eumque ab Indis correptum, & sibi traditum meritâ pœna adfecit. Parthis domitis, præfectum, ex nobilibus Persarum, Andragoram statuisse dicitur: unde posteà originem Parthorum reges habuerint.

ALEXANDRI LVXVS.

Hic verò rex palàm cupiditates suas solverat; & continentiam ac moderationem, quæ in altissimâ quâque fortunâ eminent bona, in superbiam ac lasciviam verterat. Patrios mores, & disciplinam Macedonum regum salubriter temperatam; civilemque habitum, velut leviora magnitudine suâ ducens, Persicæ regiæ, par Deorum potentiæ, fastigium æmulari cæpit; purpureo diademate & veste Persicâ. Pellicibus CCCLX. spadonum gregibus; Principibus etiam militum in peregrini luxus imitamenta traductis.

Quæ quùm veteres PHILIPPI milites, rudis etiamdum natio, palàm aversarentur; sæpius comparatæ in eius caput insidiæ, secessio, & liberior inter mutuas querelas dolor, & vicissim eius iræ & suspiciones, aliaque his similia, deinceps sunt consecuta. Et tum provectam eius felicitatem inopinata quædam, mœstini facinoris calamitas pæne interrupit.

PERICVLVM ALEXANDRI A CONIVRATIONE.

DYMNVS, è Macedonibus unus, modicâ apud regem gratiâ; magnæ in regem & arcanæ coniurationis conscius, rem cum exoleto, delicijs suis, cui nomen NICOMACHVS, communicârat.

Hic licet prius amatori fidem silentij iureiurando pollicitus esset; fratri tamen CEBALLINO negotium detulerat, ut rem totam regi aperiret.

Sed CEBALLINVS, quùm regis adeundi potestas non fieret; PHILOTÆ, Parmenionis Filio, qui erat quasi magister equitum, & regi perfamiliaris, rem patefacit. Et is, sive quòd & ipse sceleris conscius; sive per incutiam, sibi commissa, regi non aperuit. Et sub vesperam rogatus à CEBALLINO, an mandatum exsecutus foret: atque iterum postridie commonitus; negat sibi id per alios cum rege sermones licuisse. Sibi tamen curæ fore, respondet; neque ea tamen, quæ audierat, enuntiat.

CEBALLINVS itaque PHILOTAM, uti suspicioni adfinem, non ultrà interpellandū ratus, MENTORI (al. Memnoni) armamentarij præfecto, quod scelus

scelus in regis caput pararetur, indicat.

ALEXANDER ab eo certior factus, missis extemplò ad comprehendendum DYMNVM satellitibus, ex CEBALLINO ordine, quæ noscenda erant, cuncta cognoscit.

Iam diem tertium quidem esse, ex quo frater indicium sibi detulisset: sed eodem temporis momento, quo audisset, ad PHILOTAM, in regiam, decucurrisse, & institisse; ut eadem regi nuntiaret.

DYMNVS interea gladio à se grauiter vulneratus, & in regis conspectum perductus; edito gemitu, collapsus est, & exstinctus.

PHILOTAS deinde in regiam venire iussus, CEBALLINVM quidem, scortisermonem ad se detulisse fassus est: sed iurgium, inter amatorem & exoletum, fortè exortum, tanti non duxisse, ut ad regem deferretur. Regem itaque orare, ut præteritam vitam potiùs, quàm culpam silentij, non facti ullius, intueretur.

Rex qui vel crederet contemptum magis ab illo, quam celatum indicium fuisse; vel altiùs in præsens iram supprimeret; dextram, reconciliatæ gratiæ pignus, ei obtulit.

Sed aduocato mox amicorum consilio; & iisdem, quæ antè ad regem detulerat, à CEBALLINO coràm & ordine repetitis; CRATERVS, regi in paucis carus, & eò PHILOTÆ, ob æmulationem dignitatis, aduersus; odioque suo pietatis præferens speciem; monet regē, ut latus à domesticis hostibus muniat. Nec cæteri dubitabant, quin cōiurationis indicium suppressurus non fuisset, PHILOTAS, nisi au&ctor, aut particeps. Nunc verò præ conscientiâ pariter atque ignominiâ, non cessaturum in posterum, donec cogitata perpetrârit. Proinde quæstionem de eo, ut participes sceleris indicare cogeretur, habendam decernunt.

Denuò itaque ille correptus, sub equuleo, siue vera; siue ut tormentis grauioribus sese eriperet, falsa, de suo etiam Patre confessus, cum cæteris à DYMNO notatis, & læsæ Maiestatis conuictis, more maiorum, saxis obruitur.

His accessit, ALEXANDER Lyncestes, qui tertium iam annum in vinculis custodiebatur: PHILIPPI cædis anteà, cum Pausaniâ, conscius; & qui ALEXANDRVM quoque occidere voluisset.

Aberat interim PARMENIO, Mediæ præfectus, qui & regis thesauros (CLXXX. talentûm M.) Ecbatanis adseruabat.

Mittitur itaque POLYDAMAS, PARMENIONI olim acceptissimus, cum duobus Arabibus. Fratribus illius, & horum coniugibus ac liberis, ceu quodam fidei vinculo, apud regem detentis.

Qui citatis itineribus, per deserta siti loca, camelis vecti, litteras ad CLEANDRVM, regium prætorem: ad SITALEM & MENIDAM, Mediæ duces; perferrent.

A quibus, iussu regis, Parmenio per fraudem, & inter legendum, literas, à rege, & alteras filij nomine datas, occideretur.

Milites interim, sicut recentibus sceleris vestigijs, eos qui coniurâssent, iure affectos supplicio censuerant; ita postquam desierant esse, quos odissent; ira & inuidia in misericordiam vertit: & seditiosæ voces ad regem referebantur.

Ille, & eos, qui PHILOTÆ & PARMENIONIS mortem conquestos esse: & quos litteris ad agnatos quisque suos, in Macedoniam, de rege, & ingratâ sub eo militiâ, liberiùs scripsisse & expostulâsse, compererat, separandos à cætero exercitu ratus, in unam cohortem secreuit. & seorsum, ignominiæ caussa; tendere iussit. ducemque his Leonidam dedit. Quod consilium, forsitan temerarium (fortissimos quippe Iuuenes hâc contumeliâ in se irritârat) sicut omnia alia, felicitas regis excepit, & bene vertit. Nihil illis ad bella promtius fuit; ut quibus & virtus, ignominiæ demendæ cupidine incitaretur: & proditionis suspicio, fortioribus factis, quæ in paucis & extraordinarijs latere non poterant; facilè dilueretur.

3625. | ——— | 325.

ALEXANDER itaque, ut exercitûs, otio lasciuientis, vitia negotio discuteret; rebus in Ariene compositis, iter pronuntiari iubet in Arimaspos, (qui & Agriaspæ.) Quos iam tunc mutato nomine Euergetas appellabant; ex quo CYRVM, in Scythiam cum exercitu tendentem, frigore victúsque penuriâ adfectum, tectis & commeatibus, abundè iuuerant. Cuius beneficentiæ & fidei memoriâ, nō modò apud consecutos Persarum reges; sed & apud ALEXANDRVM, ipsi non indigni maiorum gloriâ, & nihil barbaræ feritatis præferre visi; omnem à tributis immunitatem sunt adepti.

Eamdem ALEXANDRI liberalitatem, in gratijs referendis finitimi Gedrosij, ob parem mutuamque in exteros beneficentiam sunt experti.

Rex misso in Satibarzanem, qui ad Bessum defecerat; & cum equitum manu in Arieos irruens, ad rebellionem iterum incitabat; Carano, cum VI. Pedit. Millib. & DC. equitibus; Arachosios (quorum regio ad Ponticum mare, Curt. (Veriùs, ad Sinum Persicum, & Indum) pertinebat) subegit. Ibique exercitum, qui sub Parmenione fuerat (VI. Macedonum Mil. cum CC. Nobilibus, & V. Græcor. Mil.) robur haud dubiè regiæ militiæ, occupauit.

Hinc Paropannisadas, agreste hominum genus, & inter Barbaros maxime inconditum, quorum ingenia locorum quoque asperitas duraret; adortus est.

Hi montis cognominis, (qui totam Asiam quasi perpetuo premens iugo, alia alibi sortitur nomina; & à quibusdam Caucasus ubivis vocatur) incolæ, gelidum Septemtrionis axem, magnâ ex parte, spectant. (Verius tamen est, frigoris istam vehementiam non Septemtrioni vicino, sed montium altitudini, tribui.) Bactrianis, ad occasum, sunt coniuncti: sed Meridiana regio ad Indicum Mare vergit.

Hic militi non nisi cum nive, glacie, & frigore, maximè penetrabili, certamen fuit. Incolæ, qui numquam

numquam in terris suis, tàm inaccessis, advenam viderant; quum armatos repentè conspicerent, metu exanimati, quidquid in tugurijs erat ultro adferebant, Corporum salutem deprecantes.

Quùm verò ad cultiora perventum esset; & exercitus largiore commeatu recreatus; in Caucasum montem tandem processum est. Isque XVII. dierum spatio superatus; & condendæ in eius radicibus urbi sedes electa est, quam ALEXANDRIAM dixére; & VII. Mill. seniorum Macedonum, alijque milites, quorum opera desita, insedérunt.

BESSVS intereà, licet ALEXANDRI celeritate perterritus, parto tamen per scelus regno superbus, & inter vina vix potens mentis, inter suos iactabat; *Socordiâ Darij crevisse Macedones famam:* cui in angustissimis Ciliciæ faucibus ille occurrisset: quùm retrocedendo, incautum, & exiguo militum numero stipatum, in loca naturæ situ invia, sine ullâ fugæ, nedum resistendi, spe, pertrahere potuisset.

Sibi placere, in Sogdianos recedere. *Oxum amnem, velut murum, hosti esse obiecturum,* dum ex finitimis gentibus, Chorasmiorum, Daharum, Sacarum & Indorum; & à Tanai Scytharum, auxilia concurrant.

IIX. Bactrianorum M. habebat armata BESSVS; qui postquam adventare ALEXANDRVM compertum est, in suos quisque vicos dilapsi, ducem & regem deseruérunt. Ipse cum fidâ clientum manu, Oxum amnem transmittit; & exustis, quibus usus erat, navibus, novas copias in Sogdianis contrahebat.

ALEXANDER verò Caucaso, uti diximus, transito, cum summâ rerum necessariarum, olei, vini, frumenti pænuriâ, conflictatus, herbis & piscibus & carne demum veterinâ, donec in Bactrianos perveniretur, sustentare exercitum coactus est.

Bactriana autem, præside sive rege destituta, ultrò ALEXANDRO sese dedidit: licet Bactriani equites XXX. Mil. explérent. & præsens Macedonibus terror adferretur; Scythas, qui ultrà Tanaim amnem colunt, adventare, BESSO opem ferenteis.

Regi præterea ad Bactra, regionis caput, (quam urbem sub monte Paropanniso sitam, Bactrus, amnis cognominis, præterfluit) stativa habenti nunciata Laconum & Peloponnesiorum defectio.

Sed iam illi ab Antipatro victi erant.

Verum eodem tempore lætior accepit, quæ CORANVS, in Ariorum gente, contrà SATIBARZANEM transfugam (quem EVGYIVS singulari certamine congressus, confoderat; & duce amisso, Barbari arma victori tradiderant) feliciter fortiterque gessisset.

Rex agris Bactrianorum peragratis; & arenarum syrtibus exanclatis; in Susitanorum deserta incidit. in quibus, per CD. stadia, ne modicus quidem humor exsistit. Arenas vapor æstivi solis accendit, quæ ubi flagrare cæpérunt, haud secus quàm continenti incendio cuncta torrentur. Caligo deinde, immodico terræ fervore excitata, aërem lucemque tegit. camporumque non alia, quàm vasti & profundi æquoris, species est.

Nocturnum iter tolerabile videbatur; quia rore & matutino frigore corpora levabantur. Cæterùm cùm ipsa luce æstus oritur, omnemque naturalem absorbet humorem; siccitate ora visceraque penitùs uruntur. Quæ res eò admirabilior, quòd ea loca, quàm Paropanisus ipse, Boreæ sint viciniora.

Primum itaque in militibus animi, ob æstũ sitimque intolerabilem, & aquarum pænuriam; deinde corpora defecerant; quùm ad flumen Oxum primâ ferè vesperâ, rex cum primo agmine & expeditis, pervenit. & hi maturè cibo ac potione firmati, ijs qui ægrè sequebantur, utres aquâ impletos attulérunt. Sed qui intemperantiùs hauserant, intercluso spiritu exstincti sunt. multoque maior horum numerus fuit, quàm ullo prælio desiderati.

Nec postero die, lætior rex erat. quia nec navigia habebat; nec in solo, circumquaque amnem, nudo, & materiæ sterili, pons erigi poterat.

Consilium itaque, quod unum necessitas subiecerat, init. Et tum pelles tentoriorum; tum utres quamplurimos, stramentis infertos, inter se committit: quibus incubantes amnem transnavére. ut sexto demum die exercitus totus in ulteriorem ripam impunè expositus sit.

Iamque ad persequendum BESSVM statuerat prosequi; cum SPITAMENES, adscitis in societatem præclari facinoris, DATAPHERNE & CATENE, quos inter amicos BESSVS præcipuo honore coluerat; partim metu, partim promerendæ gratiæ cupidine, (cui vindicta Darij, ceu speciosus titulus, prætexeretur,) BESSVM, detepto ex capite regni insigni, laceratâque veste, quam spolium occisi regis induerat; vinctum, & nudum ad ALEXANDRVM, qui ad Tanaim amnem (alium ab Europæo,) iam processerat; perduxére.

Ille OXYATRI, Darij fratri, quem inter corporis custodes tum habebat, eum tradidit: ut cruci adfixum, auribus naribusque mutilatis, Barbari sagittis configerent: eoque loco, in quo Darium ipse occiderat, necarent.

Haud procul hinc Branchidæ, exigui opidi incolæ, qui Miletum Xerxi olim prodiderant; & Templũ Didymæum, in gratiam eius, violárant: Eoq; translati longinquâ sede constiterant; magno cũ gaudio regem excepére, urbem seq; dedentes. Ille pietatis specie, veterem ulturus iniuriam, Branchidas illos, Milesiorum, qui apud ipsum militabant, aliorumq; Macedonum, sævitiæ lubidinique exponit. Incolę, promiscuis cædibus; urbis mœnia, ruinis funditus exscinduntur. *Sic culpam maiorum posteri luére.*

Sed nec Macedones impune tulerunt. Dum enim ad pabulum petendum ègressi liberiùs palantur; à Barbaris, qui proximos montes ad XX. M. insidebant, oppressi sunt; & plures capti quàm occisi. Et ipse rex, dum inter promtissimos dimicat; sagitta ictus est; quę in medio crure fixa reliquerat spiculum. Illi nihilo minus postero die legatos ad regem misére; & veluti virtute illius superati, in fidem se, gentemq; suam dedidére. Sed nisi captivis receptis, in deditionem accepti.

Castris, indè motis, quarto die ad Maracanda, urbem, cuius murus, LXX. stadia complectebatur; perventum: præsidioque ibi relicto, proximos vicos depopulatus est.

Et Legatos Scytharum, qui Abij dicti, & inter Asiaticos iustissimi: quique, ex quo CYRVS decesserat,

decesserat, liberi, tum imperatâ facturi esse, & nisi lacesserentur, ab armis abstenturi, viderentur; benignè est adlocutus.

Sogdiani nihilo minus VII. equitum Millib. freti, iam ad defectionem inclinabant; & SPITAMENES, cum CATENE, qui Besso tradito magna à rege dona acceperant; Bactrianos, vanis de ALEXANDRI sævitiâ rumoribus, & pœnæ universè impendentis metu, ad arma concitabant.

ALEXANDER transfugarum defectione compertâ, ut eam maturè compesceret; CRATERO negotium dat, Cyropoleos, Vrbis à Cyro conditæ, obsidendæ. ipse Gazam, eâdem in regione, coronâ capit. Signoque, ut puberes interficerentur, dato, reliqui in prædam cessére victoris.

Memaceni, gens valida, & utrimque interiecta, quòd equites præmissos, & clementiæ regiæ, si se dederent, sponsores, hospitaliter quidem acceptos, sed epulis somnoque graveis, intempestâ nocte adorti interfecissent; urbe captâ, & per delectos Macedones, haud iniuriâ infestos, direptâ, gravissimè mulctati sunt.

Cyropolis verò, longè cæteris, & murorum altitudine, & fluminis profunditate munitior, quam præterea XIIX. armatorum Mill. tuerentur; post crebras oppugnantium cædes, & ultimum pæne ipsius regis ex vulnere periculum; mœnibus cuniculo suffossis, & alveo fluminis siccato, capta, & dirui iussa est.

SPITAMENES transfuga, præsidium Macedonum ex Maracandis deiecerat, seque eius muris incluserat. neque opidani prohibere poterant. Adversùs hunc MENEDEMVS, cum III. Peditum Mill. & DCCC. equitibus, à rege submissus est; dum ipse interim ad ripam Tanais, (qui revera Orxantes, al. Oxyartes, est) urbem LX. stadiorum ambitu, quantum ibidem soli occupaverat castris; condidit, & muro circumdedit. quam de suo nomine ALEXANDRIAM appellari iussit. Opus tantâ celeritate perfectum, ut XVII. die, quàm munimenta excitata erat, tecta quoque urbis absolverentur. Incolæ novæ urbi dati, captivi; pretio dominis restituto.

Hanc urbis condendæ sedem, ceu claustrû quoddam perdomitis gentibus, & quas deinde adire decreverat, opponendum; multo antea præceperat, & delegerat.

Rex Scytharum (cuius tum ultrà Orxantem (quem milites ALEXANDRI Tanaim vanè indigetabant) longè lateque imperium erat) ratus novam urbem suis impositam esse cervicibus; fratrem, CARTHASIM nomine, cum magnâ equitum manu, misit, qui eam dirueret; & Macedonum copias procul amne submoveret.

ALEXANDER, morbo, ex cervicis ictæ dolore; & ancipiti, hinc Bactrianæ defectionis, inde Scythicæ insultationis periculo implicitus; non modò agitatis inter amicos consilijs; sed ex superstitione etiam, per ARISTANDRVM vatem, cui credulitatem suam addixerat; sacrificijs, rerum eventum exploravit. Et quum illi regem à præcipiti tranandi amnis, in tantâ hostium ad ripas propinquitate, proposito deterrerent; hic modò tristia exta, modò lætiora & prioribus longè diversa, significaret. Consultanti postremùm; *Quonam modo flumen transiret*; ea aliundè nuntiata sunt, quibus continuæ ipsius rerum felicitati, quamdam labem impositam esse sensit.

MENEDEMVS, ut suprà dictum est, ad obsidendum Maracandis SPITAMENEM missus, ab ipso desertore, qui urbis muris includi caverat, in insidias pertractus; & unà cum HYPSIDE, memorabili pugnâ editâ, cæsus est. Et cæteros, qui cædi supererant, & tumulum paullò editiorem ceperant; SPITAMENES ipse fame in deditionem subacturus obsedit. Eo prœlio II. Peditum M. & CCC. equites cecidére. Eamque cladem rex solerti consilio ad tempus texit.

Quumque ille nihilo minus in amnis ad Scythas tranandi proposito persisteret; & ratibus equitem Phalangemque transportaturum esse pronuntiâsset; & super utres, eos qui leviter armati essent, nâre iussisset; tantâ alacritate rates iunctæ sunt, ut in triduum ad XII. Mill. effectæ sint.

Iamque omnibus ad transeundum aptatis, Legati Scytharum ad eum cum mandatis in castra advenerunt. Qui cum illi *fortunæ in rebus humanis varietatem* ob oculos proposuissent; & ipsis, bonis amicis, si bello non lacessantur, uti posse declarassent. *Quod inter pareis, qui nondum inter se virium periculum fecerint, amicitia, sit firmissima: & qui victi sint semel, solidè constanterq́, amici esse non possint.*

Et rex contrà, cum fortunâ suâ, cui confidat; tum consilijs eorum, nequid temerè faciat, se usurum esse respondisset; ijs à se dimissis, in præparatas rates exercitum imponit. Et ipse cum delectis primus ratem solvit, & in ripam dirigi iussit. Eique Scythæ, ripæ ulteriori præsidentes, admotus equitum ordines, ne rates adplicari terræ possent, opposuere.

Hic in magnâ navigantium, obliquo flumine impulsorum, perturbatione; tormenta, quibus in confertos, temereque se offerenteis, tela eminus, neo frustrà excutiebantur, saluti fuére. quantumvis Barbari ingentem vicissim sagittarum vim ratibus offunderent, & scuta perforarent.

At postquam ratibus iam terræ applicatis, acies Clypeata, quæ eatenus, ad evitandos sagittarum ictus, in genua subsidere erat iussa, consurgeret; & hastas certo ictu emitteret; territis mox, & recipientibus hostium equis, alacres mutuâ adhortatione in terram desiliére; pedemque acriter inferre cœperunt. Equitum deinde turmæ, perfregére Barbarorum aciem. Omnesque hi effusis habenis confestim fugam capessivérunt. quorum tergis rex, & deinde alij, vel ultrà LIBERI Patris terminos, assiduè cædendo in seram noctem inhæsérunt.

Hæc expeditio, deficientem magnâ ex parte Asiam, famâ tàm opportunæ victoriæ domuit, aut in officio fideque continuit. Scythis enim fractis, quos invictos esse crediderant; *quæ gens Macedonum armis par fore* sperabatur? Itaque & Sacæ miserê legatos; qui gentem imperata facturam pollicerentur: quos regis non virtus magis, quàm clementia in devictos Scythas, exciverat. Is namque captivos omneis sine pretio dimiserat; fidem facturus, sibi cum ferocissimis gentium, de fortitudine & gloriâ, non de irâ fuisse certamen.

Benignè

Benignè itaque legatos excepit, & cum spe amicitiæ dimisit.

Ipse, CRATERO, cum maiore exercitûs parte, modicis itineribus consequi iusso, ad Maracanda urbem pervenit. Sed inde SPITAMENES, cognito eius adventu, Bactra perfugerat.

Vbi pòst longinquum itineris, & quatridui spatium, in eum locum perventum est, in quo MENEDEMO duce, bis Mille Pedites, & tercentum equites amiserat; eorum ossa legi, & contegi tumulo, & inferias more patrio fieri iussit.

Postquam verò cum Phalange CRATERVS accessit; copijs divisis, eorum, qui rebellárant, agros flammis vastari, & puberes interfici imperavit. ut istiusmodi strage Macedonum cæsorum Mánibus parentaret.

Ex captivis Sogdianorum, XXX. nobilissimi, eximio corporum robore, ad eum perducti, eiusque iussu ad supplicium trahendi; carmen, lætantium more, canere, & tripudijs quoddam animi gaudium ostentare cœpērunt. Caussam rogati; Quod à tanto rege, omnium gentium victore, occidendi, maioribus suis redderentur; mortem honestam carminibus sui moris, lætitiâque celebrare se respondérunt.

Siquis ipsos beneficio, quàm iniuriâ, experiri maluisset; certaturos fuisse, ne vincerentur officio. Numquam se inimicos regi; sed bello lacessitos, apertè hosteis fuisse.

Quumque ex ijs rex quæreret; Quo pignore fidem ei, cuius beneficio victuri essent, obligare promitterent? *Vitam, quam acciperent, pignori futuram* esse, dixérunt: reddituros, quandoque repetisset.

Neque illi promissum fefellérunt. Qui namque remissi domos ierant; in fide continuére populareis: Et IV. ex ijs, inter corporis regij custodes, retenti, nulli Macedonum in regem caritate cessérunt.

Rex indè Bactra pervenit; & BESSVM adhuc captivum, Ecbatana perducendum curavit, ubi DARIO, à se cæso, pœnas capite persolveret.

Hinc exercitu, supplementis militum, tum ex Europâ, tum ex Asiâ citeriore, submissis, (erant XXI. tàm equitum, quam peditum Mill. & D.) immensùm aucto; & interfectis passim defectionis, & consternationis auctoribus, IV. die ad flumen Oxum processit.

Eodemque, & deinde Ocho altero superatis, ad urbem Marginiā pervénit. Et circà eam VI. Opidis condendis sedem elegit. Ex quibus duo ad Meridiem; IV. ad Orientem versa, & in editis collibus sita, modicis inter se spatijs distarent: ut propior mutui auxilij copia; & domitarū gentium freni essent;

3626. | 324.

Iam cætera pacárat; quùm ab ARIMAZE Sogdiano Petram quamdam, cum XXX. armatorum Mill. & alimentis antè, vel in biennium, congestis, obtineri intelligit.

Petra ea in altitudinem XXX. eminebat stadijs; & circuitu CL. complectebatur. Aquæ è fontibus collatæ, per prona montis flumen emittebant. Rex spectatâ iam loci difficultate, prius quam fortunam obsidionis experiretur; misit COPHEN, ARTABAZI F. qui Barbaris suadêret, ut rūpem, secum, dederent. neque regem, maiora molientem, in unius rupis obsidione herére cogerent.

Illi superbè respondent: &, An ALEXANDER, *cum suis, volare possit*; interrogant. Quæ nuntiata regi sic accendere animum, ut CCC. ex toto exercitu iuvenes, pernicitate pariter & animi robore præstanteis, selegerit: & non laudum modò aculeis, sed & præmiorum magnitudine incitárit, ad verticem montis occupandum. Illi, amissis tantùm, in adscensu, XXXII. per asperrima enisi, & omnia rimati, cuneis, paxillis, funibus, alteri alteris opem ferentes, Petræ fastigiū superárunt; & hastis, quod convenerat, signum, candida vela, imposuérunt. Quo conspecto, rex, fecialem rursus ad rupices misit, ut sibi maturè prospicerent, commonentem.

Quem illi quùm priùs irrisissent; & mox ostentatis a tergo, qui in cacumen, quasi pinnis usi, evaserant, militibus; & sublato à fronte, atque è castris Macedonum totius exercitûs clamore, iamtum abeuntem revocássent; XXX. cum eo Principes misére, qui Petram tradant, & ut incolumibus abire liceat, paciscantur.

Quumque rex ARIMAZIS, & sannionum superbiæ infensus, ullam se deditionis conditionem accepturum negasset; ARIMAZES, cum quibusque gentis suæ nobilissimis, in castra descendit: eosque omneis rex sub ipsis radicibus Petræ, crucibus iussit adfigi. Et multitudo dedititiorum, novarum, quas dixi, urbium incolis, cum pecuniâ captâ, dono data est.

His ita gestis, Barbarorum quidam, armis subacti; plures, antè certamen, imperata fecérunt. & hisce, eorum, qui defectionem perseverabant, urbeis vacuas, agrosque adsignari iussit.

ARTINAM ab exsulibus Bactrianis, & equitibus Massagetis, in insidias pertractum, & cum CCC. equitibus, cæsum, ultus est CRATERVS, Dahis Mill. oppressis. quorum clade totius regionis finita defectio.

Postquam Rex Maracanda redijt; ibi Legati, à Scythis, qui supra Bosporum colunt; & à Massagetis Dahisque, qui regionum confinio adiuncti sunt; imperata facturos polliciti, & mutuas per connubia adfinitates pacti; utrique à rege benignè auditi sunt.

In Bazariam quùm venisset, regionem nobilium ferarum gregibus opulentam; & in saltum, muris cinctum, ingressus, feras agitari iussisset; ipse Leone occiso, & IV. ferarum Mill. deiectis, cum toto exercitu ibidem est epulatus.

Maracandis, & finitimæ Sogdianorum regioni, CLITVM, Dropidæ Macedonis F. & HELLANICES, nutricis suæ fratrem, veterem PHILIPPI militem, & multis bellicis operibus clarum, præfecerat.

Fortè accidit, ut anniversarium sacrificium LIBERO Patri, & stato tempore, non redderet; sed DIOSCVROS solenni convivio celebraret,

braret. In quo cum multo incaluisset merò, immodicus sui æstimator, non modo sua facta in maius extollere; sed & PHILIPPI Patria res gestas deprimere; aut eorum maximam partem, ac præcipuam ex ijs gloriam, sibi ipse adrogare cæpit.

Ibi Clytus, ne ipse quidem satis sobrius; non modò PHILIPPVM, sub quo diutiùs militâsset, tueri; sed & ALEXANDRO multa, & in cæteris, PARMENIONIS mortem, & Iovem Patrem; exprobrare. nec finem orto procaciter sermoni, (licet rex dolorem premeret, & convivio eum excedere tantùm iuberet,) imponere. Donec ALEXANDER iræ, animiq; impotens, è lecto repentè prosiluit; & raptâ ex armigeri, seu vigilis, manibus lanceâ, CLYTI; qui ultimus è regiæ vestibulo, cæteris qui unâ cœnaverant, elapsis, exire contendebat; latus transfixit: & ad PHILIPPVM & PARMENIONEM porrò ire iussit.

At postquam ira mente decesserat; & iam ebrietate discussâ, magnitudinem facinoris perspexit; propè abfuit, quin pænitentiâ in desperationem abreptus, vel eâdem lanceâ, in semet retortâ; vel obstinato ad moriendum animo, & ad quatriduum ieiunio sibi vitam eripuerit.

Tandem superstitione (cædis, scilicet ob sacra LIBERI intermissa, inter epulas, manifestâ Dei irâ, commissæ excusatione) & Macedonum, (qui iure interfectum CLYTVM, & tantum-non sepulturâ indignum decrevissent) adulatione, elusus est dolor. LX. diebus, maximè ad confirmandum pudorem, apud Maracanda consumtis; & provinciâ AMYNTÆ traditâ, ipse in Xenippa, confinem Scythiæ regionem, pervenit, Bactrianorum exsulum receptaculum.

Sed hi, rege adventante, pulsi ab incolis, & ad bis Mille & ducentos equites, congregati, AMYNTAM, ALEXANDRI prætorem, ex-improviso adorti sunt: & ancipiti initiò prœlio, ad extremum, DCC. suorum amissis, & CCC. captis, cæsi, aut in fugam fusi; veniam tamen, post alteram etiam defectionem, impetrârunt.

His in fidem acceptis, in regionem, quam Naura appellant, rex cum toto exercitu venit. Cuius Satrapa SYSIMETRES, præter alias regionis fauceis, Rupem quamdam, valido munimento sepserat. Cuius altitudo XX. stadijs eminebat; & ambitu circiter LX. complectebatur.

Sed Barbaros, ob excitatam ex cæsis arboribus, & saxis, molem, subito metu pavidos, rex ad deditionem compulit. Ei imperium SYSIMITHRI restituit; licet mater eius, eademque coniux, morituram se antè denuntiâsset, quàm in ullius veniret potestatem. Duos tantùm filios, ex suâ matre genitos, tradi, & secum militaturos sequi iussit.

Dahas deinde statuerat petere; ubi SPITAMENEM illum, bis perduellem, esse cognoverat. Is Vxorem, cuius immodico amore flagrabat, in omne discrimen comitem trahebat. Quæ fugæ & exsilij pertæsa, maritum admotis liberis, monet, ut ALEXANDRI clementiam, quàm iram, experiri malit.

Ille se prodi ab eâ, quæ formæ fiduciâ quamprimùm ALEXANDRO dedi cuperet; non moneri, ratus; stricto acinace abire è conspectu iubet. Sed eam continuò, uti erat uxorius, futuram de cætero in viri potestate, & casus, quem fortunâ cumq; tulisset, sociam, revocavit. Ipsa verò noctu, vino & somno sopitum, iacentemque adgressa, caput eius abscissum, servo facinoris conscio tradit, & eodem comitante, in Macedonum castra ad ALEXANDRVM perfert.

Ille, ut meritum in semet ingens, credebat, transfugæ & proditoris necem; ita cruentum adeò in coniuge, communium liberorum parente, facinus aversabatur. Et quùm gratiam meriti, sceleris atrocitas vinceret, procul eam à castris arceri imperat. *ne tam Barbaræ licentiæ exemplar in Græcorum mores, & mitia ingenia, transferretur.* Dahæ, SPITAMENIS cæde compertâ; DATAPHERNEM. defectionis eius participem, vinctum ALEXANDRO; seseque dedidérunt.

His curis rex liberatus, ad vindicandas eorum iniurias, quibus à prætoribus suis avarè & superbè passim imperari cognoverat, animum convertit; & deiectis, qui peccârant; lectiores & moderatiores provincijs præfectos dedit.

Moto deinde post tertium mensem ex hibernis exercitu, in regionem, quæ Gabaza appellatur, profectus est. Quo in itinere insolitis tempestatibus, cœli fragore & fulguribus, imbribus grandine mistis, & intolerabili aeris rigore, adflictus exercitus, rege uno tanti mali patiente, Mille militum & lixarum desideravit, quos pestis illa consumserat.

SYSIMETRES ille, cui rex provinciæ in Nauris imperium restituerat, gratiam relaturus, cognitâ exercitus calamitate, multa iumenta. & bis mille camelos, coctis cibarijs oneratos, in castra adduxit. quæ distributa pariter militem, & damno, & fame, liberavérunt. Rex vicissim totam Sacarum ditionem depopulatus, XXX. Pecorum M. ex prædâ, Satrapæ dono reddidit.

Quumque indè in regionem pervenisset, cui OXYATRES (al. Cohortanus) nobilis Satrapes præerat; seque regis potestati fideique mox permiserat; filiam eius ROXANEN, eximiâ corporis specie, in convivium, cum alijs virginibus, introductam, matrimonio sibi adiunxit. *Socero*, inter vinum & epulas, *ex deditis, electo; è captivâ geniturus, qui victoribus imperaret.* Itâ rex, qui uxorem DARII antè, eiusque filias, formâ pulcerrimas, haud alio animo, quàm parentis, adspexerat; nunc in virgunculæ, longè ignobilioris, amorem effusus, *Inter obsequia fortunæ, contrà quam, non satis cauta unquam mortalitas est*; minus suis iam cupiditatibus imperabat.

Cæterùm Indiam, & inde extremum Oceanum petiturus, ne quid à tergo, quod destinata impedire posset, relinqueretur; XXX. Millia. Iuniorum ex omnibus provincijs legi iussit, & ad se armata perduci. *Obsides simul habiturus, & milites.* CRATERVM autem, ad persequendos HAVSTANEN & CATHENEN, in Bactris adhuc rebellanteis, misit. Ex quibus HAVSTANES captus est; CATHENES in prœlio occisus.

Regio quoq;, quæ Bubacene dicta, à Polysperconte, sub idem tempus, in deditionem redacta est.

Omnibus

Omnibus itaque compositis, cogitationes in bellum Indicum vertit. CXX. armatorum M. erant, qui regem ad id bellum sequebantur; armis ad luxum magis, quàm ad magnificentiam, ut cum Indis certarent, exornati.

DIVINITATIS IN ALEXANDRO AMBITIO.

Sed omnibus ita præparatis, quod olim pravâ mente conceperat, tunc esse maturum; quonam modo cælesteis honores usurparet, cæpit agitare. IOVIS FILIVM non dici tantùm se, sed etiam credi volebat: & more Persarum, à Macedonibus, *prostratis humi corporibus, salutari.*

Nec deerant talia concupiscenti, perniciosi ex Græcis adulatores, qui professionem honestarum artium malis corruperant moribus.

AGIS quidam Argivus, pessimus, post CHOERILVM, carminum conditor; & ex Siciliâ CLEON, cæteraque urbium suarum purgamenta. *Cælum regi suo aperiebant.* HERCVLEMQVE & *patrem Liberum*, & cum POLLVCE CASTOREM, *novo Numini cessuros esse*, iactabant.

CALLISTHENES contrà (cuius viri gravitas, & prompta libertas iampridem regi erat invisa, quasi solus Macedonas, paratos ad tale adorationis obsequium, moraretur) acerrimum patrij moris, & publicæ libertatis vindicem sese ferebat. Regi verò iræ, in CALLISTHENIS contumaciam explendæ, matura obvênit occasio.

ALTERVM ALEXANDRI PERICVLVM A CONIVRATIONE.

Mos erat principibus Macedonum, adultos liberos régibus tradere, ad munia, haud multum servilibus ministerijs abhorrentia. qui inter cætera, servatis noctium vicibus, proximi foribus eius ædis, in quâ rex acquiescebat, soliti erant excubare. Et honor ijsdem præcipuus, sedentibus cum rege vesci: neque, præter ipsum, à quoquam verberibus castigari.

Ex hâc cohorte HERMOLAVS, SOSIPPI F. quùm, inter venandum, aprum telo occupâsset, quem rex ferire destinaverat; iussu eius verberibus adfectus est. Hanc ignominiam SOSTRATVS, collega & æqualis, amore eius ardens, haud minùs ægrè, quàm læsus ipse, accepit.

Hi ergo inito inter se occidendi regis consilio, septem alios in societatem sceleris adsciverunt. tantâ silentij pertinaciâ, ut dum rei exsequendæ occasionem exspectant, in permutandis stationum vicibus, cæteroque adparatu, XXXII. dies absumti sint. Quumque iam nox adesset, quâ coniurati simul excubare debebant; & ad fores ædis eius, in quâ rex fortè vescebatur, adstarent; facinori ipsorum obstitit convivium, fanaticæ mulieris monitu, in lucem extractum. Quippe alios in stationem oportebat postridie, & primâ luce, succedere. ipsorum post VII. demum dies, rediturâ vice.

Interea dum cæteri proximam stationis suæ noctem pertinaciter & mutuâ fide exspectant: EPIMENES, unus ex coniuratis, sive comitate regis, (qui coniuratis, quòd traditâ etiam alijs vice, excubare tamen (sed spe in facinus pertinaci) eâ nocte perseverâssent; L. singulis sestertia (hoc est, Quingenos Daricos;) dederat.) Sive quia Deos cæptis obstare credebat; propriòne metu, an sceleris conscientiâ inductus, fratri suo EVRYLOCHO, quem antea expertem esse consilij voluerat; quid pararetur, aperuit.

EVRYLOCHVS, fratrem manu prehensum, ad regem, mero adhuc & somno sopitum, apertis per excubitores foribus, & lumine illato, in cubiculum perducit. eique cuncta ordine, & consciorum nomina EPIMENES exposuit. Ille, condonatâ EPIMENI veniâ, fratrem EVRYLOCHVM L. talentis donavit.

Sceleris autem auctores, & inter eos CALLISTHENEM (quem tamen, non ut participem facinoris nominatum esse constabat; sed solitum puerorum sermonibus, regem criminantium, faciles aureis præbere) vinctos in posterum diem adservari iussit.

Coniurati, præter CALLISTHENEM, in concilium introducti, quæ agitaverant, sine cunctatione sunt confessi. & mox damnati, traditique hominibus, qui ex eâdem erant cohorte. Hos illi, ut fidem suam sævitiâ regi adprobarent, excruciatos necaverunt.

CALLISTHENES quoque antè tortus, interijt. initi in caput regis consilij innoxius; sed haud quamquam aulæ, & adsentantium accommodatus ingenio. Nullius itaque cædes maiorem apud Græcos regi excitavit invidiam; quàm quòd virum, optimis moribus artibusque prædıtum, (ARISTOTELIS ex sorore nepotem) non tantùm occiderit; sed etiam, & indictâ quidem caussâ, torserit. Hanc *crudelitatem sera regis pænitentia est consecuta.*

Sed ne *otium serendis rumoribus natum aleret*; in Indiam movit: semper bello, quàm post victoriam, clarior.

BELLVM INDICVM.

ALEXANDRO fineis Indiæ ingresso, gentium suarum reguli occurrére, imperata facturi. Illum, *tertium Iove genitum*, ad ipsos pervenisse memorantes. Rex benignè acceptos sequi iussit, ijsdem itinerum ducibus usurus. HEPHESTIONEM & PERDICCAM cum copiarum parte præmissos, subigere, qui imperium aversarentur, & ad flumen Indum procedere, iussit: & navigia facere, queis in ulteriora transportari posset exercitus.

Ipse, CRATERO cum Phalange subsequi iusso, equitatum & levem armaturam educens, eos, qui primi occurrérunt, levi prœlio in urbem proximam cōpulsos obsedit. & quòd inter obequitãdum sagittâ ictus fuisset; capto opido, & omnibus incolis eius trucidatis, incendio etiam in tecta sævitum est.

Inde domitâ ignobili gente (Arasacis fort. & Aspijs) ad Nysam urbem pervenit. cuius incolæ, post aliquantum inter se dissidium, obsidionis malis fatigati, dedidére se. A LIBERO patre conditos se esse haud vanè iactabant. Sita est sub radicibus

montis, quem Merou incolæ appellant: in quo multa edera, vitisque gignitur. Lauri quoque & baccæ, & agrestia in rupibus silva.

Hic non instinctu divino, ut volunt; sed lasciviâ provecti milites; hederæ vitiumque folia passim decerpsére; & frondibus capita redimiti, toto nemore, similes bacchantibus, pervagati sunt.

Et rex fortuitam licentiam non aversatus, omnibus largè ad epulas præbitis, per x. dies LIBERO patri operatum habuit exercitum.

Hinc ad regionem, quæ Dædala vocatur, traiecto Choâ, perventum est: cuius incolæ, desertis sedibus, in avios monteis confugerant. Sic & Acadera transit, incolentium æquè fugâ destituta.

Superato deinde Choaspe; & COENO duce, ad Bezitæ, opulentæ urbis, obsidionem relicto, ipse ad Mazagas venit: urbem non situ solùm, sed opere munitam. quam CLEOPHIS, ASSACANI nuper demortui mater, cum xxx. peditum M. tuebatur. (Arrian. In ipsâ urbe VII. tantum peregrinorum M. sed xxx. M. toti provinciæ (Assacenorum) tutandæ adfuisse tradit) ALEXANDER, per Guræos eò profectus, dum urbis munimenta contemplatur, è muro sagittâ percussus est, quæ in suram incidit. Nec tamen antè se in castra recepit, quàm cuncta perspexit; & quæ opera fieri vellet, militibus edixit. Quæ tam ingenti militum ardore, intra nonum diem absoluta sunt; ut & immanes cavernæ arborum stipitibus saxisque explerentur; & turribus erectis; machinæ proximè admoverentur: è quibus crebra telorum, pilorum, & hastarum vis in propugnatores est effusa.

Illi itaque, desperatâ urbis tutelâ; in arcem concessére. Et inde confestim legatos ad regem misére, veniam petituros. Quâ impetratâ, Regina quoque, parvo filio genibus regis admoto, non veniam modò, sed pristinæ etiam fortunæ decus impetravit. Tradunt concubitu redemtum regnum. & filium ex eo genitum, qui postea regnarit.

Polysperchon, urbem Noram, (al. Oram) opidanis è prœlio intrà munimenta compulsis, in deditionem redegit. multaque minoris notæ opida, à suis deserta, in potestatem regis venére.

ADMIRABILIS PETRÆ CVIVS-DAM EXPVGNATIO.

Eorum locorum incolæ, cum Bezitensibus, catenus superbis, armati, Petram, Aornon nomine, occupàrunt. Petra illa in metæ maximæ modum erat erecta, ut summa eius in acutum cacumen exsurgerent. Radices eius Indus amnis subibat, præaltis utrimque & asperis ripis. Alterâ autem ex parte, voragines eluviesque erant præruptæ. Ambitus cc. altitudo xi. minimùm cubitorum erat. Hanc ab HERCVLE frustrà obsessam esse; terræque motu coactum absistere, fama vulgaverat.

Inopem consilij ALEXANDRVM, senior quidam, peritus locorum, adit; se aditum monstraturum esse promittens. Huic, leviter armati, duce MVLLINO, scribâ regis, additi, qui in summum iugum occulto circuitu evaderent. Ipse intereà truncis arboribus cavernas explebat. Et quùm sagittarios, aliosque ex suâ cohorte promtissimos, per ardua niti iussisset; ne manifesto quidem periculo contineri potuit, quin corporis custodibus sequi se iussis, primus in Rupem invaderet: & Macedones relictis stationibus, certatim, & suâ sponte regem sequerentur.

Vbi post miserabilem multorum ex præruptâ rupe casum; nec minùs crebram, promtissimorum iuvenum, à Barbaris, ingentia saxa in subeunteis provolventibus, cædem, & interitum; rex signum receptui dedit.

Indi tamen, cognitâ regis pertinaciâ, qui licet desistere incepto statuisset; speciem in obsidione perseverantis ostendebat: obscurâ nocte, sed facibus totâ Petrâ accensis; per invia saxa effugérunt. quorum plerosque rex insecutus cecidit, aut territos in præcipitia adegit.

Inde Ecbolima, ad fluvium Cophenem, processit. Et cognito angustias itineris ab ERYCE quodam (Diodor. APHRICE) xx. armatorum millibus insideri; ipse CRATERO gravius exercitûs agmen modicis itineribus ducere iusso; cum funditore & sagittario prægressus, eos, qui insederant saltum, deturbavit. Et Indi, sive odio ducis, sive victoris gratiam inituri, ERYCEM fugientem adorti interemerunt: caputque eius, atque arma ad ALEXANDRVM detulerunt. Ille *facto impunitatem dedit; honorem denegavit exemplo.*

Hinc ad flumen Indum; XVI. castris pervénit: omniaque, ut præceperat, ad traijciendum ab HEPHÆSTIONE præparata, (naves erant ita iunctæ, ut solutæ plaustris vehi possent rursusque coniungi) in tempore, repperit.

Hic OMPHIS, qui eâ in regione regnabat; quique patri etiam fuerat auctor, regni ALEXANDRO ante vim dedendi; & missis antea ad eumdem legatis, gratuitum frumentum HEPHÆSTIONI, eiusque copijs fuerat admensus: venienti regi obviam, cum armato exercitu, egressus est. Elephanti quoque, per modica intervalla, militum agmini immixti, procul castrorum fecerant speciem.

ALEXANDER non socium, sed hostem adventare ratus, aciem explicat, & ad pugnam procingit. At Indus, cognito Macedonum errore, iussis subsistere cæteris, equum, quo vehebatur, concitat. Idem ALEXANDER facit, vel suâ virtute; vel illius fide tutus.

Barbarus occurrisse se dixit eum exercitu, totas sui imperij vireis protinùs traditurum: corpus suum, & regnum illi permittere. Rex vicissim dextram, Fidei suæ pignus dedit, & regnum restituit. Ille LVI. elephantos, multaque pecora eximiæ magnitudinis, & tauros ad III. M. ALEXANDRO tradidit. Et bellum sibi esse cum duobus regibus, exposuit: quorum uterque ultra HYDASPEM amnem regnarent; & belli fortunam, quisquis arma inferret, experiri decrevissent.

Hi; ABISARES & PORVS, erant. Sed in PORO eminebat auctoritas. OMPHIS, & regium insigne sumere; & nomine, quod patris fuerat; quodque more gentis, regum commune, TA-

XILIS

xiles appellari, permissus est. Eius liberalitatem ALEXANDER M. talentis, & convivalibus ex auro atque argento vasis, alijsque, compensavit.

Postero die legati ABISARÆ, ad regem: & omnia ditioni eius, ita ut mandatum erat, permisere, firmatâque invicem fide, ad regem suum remissi.

PVGNA CVM PORO AD HYDASPEM.

ALEXANDER PORVM quoque, nominis sui famâ, ratus ad deditionem posse compelli, misit CLEOCHAREM, qui ei denuntiaret, ut stipendium penderet: & in primo finium suorum aditu occurreret regi. Ille alterum ex his facturum sese respondit: uti intranti regnum suum, præstò esset, sed armatus.

Interea BARZENTES, defectionis in Arachosijs auctor, cum GAMAXO Indorum regulo, vincti ad regem adducti sunt, & in custodiam traditi.

PORVS in ulteriore Hydaspis ripâ consederat, hostem, qui eò pervenisse nuntiabatur, transitu prohibiturus. LXXXV elephantos (Arrian. CC.) obiecerat: ultráque eos, currus CCC, peditum XXX. & equitum IV. M. Præsidia præterea varijs fluminum locis, & propioribus intervallis disperserat.

Macedonas non conspectus hostium solùm, sed etiam fluminis, quod transeundum erat, magnitudo deterrebat. Levia tantùm prœlia in Insulis, medio amne crebris, in quas utrimque enatare poterant, conserebantur.

Ibi SYMMACHVS & NICANOR, nobiles Iuvenes, & perpetuâ partium felicitate ad spernendum omne periculum accensi, post magnam Indorum cædem, circumventi ab his, qui occulti enataverant, eminùs telis obruti sunt, alijque aut impetu amnis abrepti, aut verticibus implicati. Eáque pugna multû fiduciæ PORO, cuncta ex ripâ adversâ cernenti, addiderat.

ALEXANDER inops consilij, tandem ad fallendû hostem, talem dolum intendit.

Erat Insula in flumine amplior, silvestris eadem, & tegendis insidijs, & transvectioni idonea. Fossam quoque ipse tenebat, haud procul ripâ præaltã; quâ non pedites modò, sed etiam cum equis viri facilè poterant abscondi.

Vt igitur ab huius opportunitatis custodiâ hostiû oculos averteret; PTOLEMÆVM cum omnibus turmis obequitare per ripam iussit; & sublato subinde clamore Indos terrete, quasi tranaturus esset. Atque ita PORVM agmen suum ei semper parti, quam peti credebat, advertere coëgit.

Post varia huius fraudis, sive consilij tentamenta; Rex, averso hoste in eos, qui cum PTOLEMÆO inferiorem, & ab Insula remotam, obsederant ripam; noctis obscuræ & procellosæ occasione usus, dato signo, ut sui omnes silentio adscenderent in rates, eâ fini paratas; eam, quâ ipse vehebatur, primam iussit expelli.

Vacua erat ab hostibus ripa, quæ petebatur. cæteræ itaque naves, Insulam prætergressæ, in adversum evadunt: & milites mox arma capere, & in ordinem ire iussi.

Iamque agmen in cornua divisum ipse ducebat, quùm PORO nuntiatur, armis virisque ripam obtineri. Ille confestim, C. quadrigas & IV. milia equitum venientibus, duce HAGE fratre, obiecit.

Summam virium in curribus collocarat, qui senos singuli viros vehebant, clypeatos, sagittarios, & aurigas à iaculis instructos. Quùm Scythæ & Dahæ, ALEXANDRO militantes, primi omnium Indos invaderent; & hinc PERDICCAS cum equitibus in dextrum eorum cornu; illinc rex a fronte, expedito agmine strenuè inveheretur; & pugna undique se moveret: Tum ij, qui currus agebant, effusis habenis in medium discrimen ruere cœperunt. Anceps utrisque malum, quùm & Macedonum pedites primo impetu obtererentur; & per lubricos ex immodico imbre campos immissi currus, non in voragines modò & lacunas, sed in amnem etiam, excussis rectoribus, & equis turbatis, præcipitarent.

Tum belluæ, alterum auxilium, inter armatos à PORO dispositæ. Et ALEXANDER, mandato ducibus singulis dato, quid à lævâ & dextrâ; quid mediâ in acie & fronte geri, pro re natâ, placeret: & vectoribus per hastatos deturbari, & belluis confodi iussis; primus equum concitat, & in hostium ordines invadit.

COENOS verò ingenti vi in lævum cornu invehitur; & phalanx simul, unoque impetu, in mediam aciem prorumpit.

Belluæ contrà, à PORO adversus equites agi iussæ, equorum velocitatem æquare non poterant. Nec sagittarum quidem ullus barbaris erat usus, quòd ijs longis & prægravibus uterentur. & nisi prius arcus in terrâ statuerent, haud satis aptè & commodè imponerentur. Tum humo lubricâ, & ob id impediente conatum, molientes ictus celeritate expeditorum hostium occupabantur.

In hâc acierum perturbatione, PORVS cum paucis obvius hosti ire pergit; & elephanthos ante agmen suorum agi iubet.

Magnum initiò belluæ terrorem iniecerant; donec Macedones securibus pedes amputare, & copidibus, (gladijs leviter & falcium in modum curvatis) manus belluarum appetere didicerunt. Atque ita elephanti, vulnerû impatientes, suos impetu sternebant, & rectores in terrâ præcipitatos obterebant.

PORVS à pluribus destitutus; & quod ipse procero corpore esset; & emminente inter cæteras belluâ veheretur; expositus ad ictus, undique petebatur.

Illum vulneribus confectum, & iam deficientem, belluâ in fugam concitatâ, rector extra teli iactum abripuerat; quùm ALEXANDER, Buchephalo etiam saucio, & ex instituto procumbente, equum mutare coactus, tardiùs fugientem est insecutus.

Interim frater TAXILÆ, de quo suprà, ab ALEXANDRO ad PORVM præmissus, ut se victori dederet; néve ultima experiri perseveraret, monere cœperat; quùm ille, quamquam sanguine deficiente vires essent exhaustæ, telum, quod reliquum erat, in eum contorsit, quod per medium pectus penetravit ad tergum. addiditque: *Agnoscere se TAXILA fratrem, qui imperium, regnumq́ suum prodidisset.*

Iamque ALEXANDER consecutus erat: & PORVS telis undique iterû in ipsum, peditesque eius, quos recens obiecerat, congestis, tãdem gravatus, è belluâ labi cœperat: quùm Indus, qui elephantum regebat,

descendere eum ratus, more solito belluam procumbere iussit in genua. Qui ut se submisit; cæteri quoque (ita enim instituti erant) corpora in terram demisére.

Eares & PORVM, & cæteros victoribus tradidit.

Quùm verò ALEXANDER, qui interemtum crederet, spoliari eius corpus, & loricam cum veste detrahi iussisset; bellua iterum dominum tueri, & spoliantcis cæpit appetere; levatumque eum rursus dorso suo excipere: donec ipsâ confossâ, captus PORVS in vehiculum imponeretur.

Ad regem adductus, & rogatus: *Quâ dementiâ, in tantâ victoris, rerumq; gestarum famâ, belli fortunam experiri tentâsset, quùm* TAXILEM, *suæ in deditos clementiæ tam propinquum habuisset exemplum*; Ipse, *Neminem se fortiorem esse*, qui nondum alienas expertus esset vireis, hactenus *censuisse*; respondit. *Nunc* ALEXANDRVM *fortiorem esse belli eventu didicisse.* cui, quod in parte felicitatis putet, ipse secundus sit.

Rursus interrogatus: *Quid à victore statuendum esse censeret?* Quod hic, inquit, dies regi suaserit: quo expertus esset, *Caducam esse mortalium felicitatē*.

Rex tam interritam animi in victo magnitudinem, ac ne fortunâ quidem infractam, non misericordiâ modo, sed etiam honore dignatus est. Ægrum sedulò curavit; & confirmatum; contra spem omnium, in amicorum numerum recepit: mox donavit ampliore regno, quàm tenuerat.

ALEXANDER, tam memorabili victoriâ lætus, quâ sibi Orientis fineis apertos esse censebat; & militibus pro concione laudatis, persuadere conatus: *Quidquid Indis virium fuisset, illo conflictu esse prostratum*: iisque cum bona spe novæ ex Indiâ ulteriore prędæ & gloriæ in præsentiâ dimissis, navigia ędificari iubet. ut cum totam Asiam percucurrisset; finem terrarum, Mare inviseret.

Et duabus urbibus in utrâque fluminis, quod superaverat, ripâ conditis; NICÆA, victoriæ nuperæ; & BVCEPHALA, equi eo prœlio mortui, monimētis; duces & milites, præmiis pecuniâque donavit.

ABISARES, qui ante conflictum legatos ad ALEXANDRVM miserat; rursus alios mittit: qui omnia quæ imperâsset; facturum polliceantur. modò ne cogeretur corpus suum dedere. Illi ALEXANDER nunciari iussit: *Si gravaretur ad se venire, ipsum ad eum esse venturum.*

Hinc PORO, amneque superato, ad interiora Indiæ processit.

Per silvas, in immensum propè spatium diffusas, serpentibus frequenteis; & per deserta ventum erat ad flumen Hyarotim (al. Hydraotim) Vnde castris motis, opidum haud procul oppositum coronâ capit; obsidibusque acceptis, stipendium imponit.

Ad magnam deinde urbem pervenit, non muro solùm, sed etiam palude munitam. Quùm barbari; vehiculis inter se iunctis dimicaturi, occurrerent, quibus tela, hastæ, aut secures essent; Macedones ab utroque latere circumfusi, vinculis curruum incisis, repugnanteis fodiebant. DCCC. itaque suorum amissis, in opidum refugérunt.

Postero die, scalis undique admotis, muri occupantur. pauci perniciores, cognito urbis excidio, paludem tranavére; & in vicina opida ingentem intulére terrorem.

ALEXANDER ad vastandam eam regionem PERDICCA cum expeditis misso, partem copiarum HEPHÆSTIONI & EVMENI tradit, ut ij quoque barbaros aliâ ex parte ad deditionem compellerent: Ipse cæteros ad urbem validam, in quam aliarum quoque confugerant incolę, induxit.

Opidani, missis initiò, qui regem deprecarentur; nihilo-minus bellum parabant. & vulgus ortâ seditione, in diversa consilia diducebatur. Sed dum nihil in commune consulitur, qui deditioni imminebant, apertis portis hostem recipiunt.

Omnibus, etiam belli auctoribus, venia à rege data; & obsidibus acceptis; ad proximā deinde urbem castra promota. Incolæ cum obsidibus, qui ante agmen ducebātur; quosque è muris, ut pote eiusdem gentis, agnoscebant, in colloquiū venérunt. Ab ijs clementiā regis, & simul vim edocti, se dedidére. cæteręque urbes simili modo deditæ, & in fidem acceptæ sunt.

Hinc in regnum SOPHITIS perventum. Gens ea, ut barbari, sapientiâ excellit; & bonis regitur moribus SOPHITES ex opido, cū duobus adultis filijs, regi occurrit; mirifico, ex auro, purpurâ & margaritis, vestium cultu. ALEXANDER illum suo in regno reliquit; & ad fluv. Hypasin processit.

PHEGELAS (Diod. Phegeus) gentis proximæ rex, popularibus suis colere agros, ut adsueverant, iussis; ALEXANDRO cum donis occurrit. & nihil quod imperaret detrectans, biduum apud eum substitit.

Rex tertio die amnem superare decréverat, transitu difficilem, non spatio solùm aquarū, sed saxis etiam impeditum. Ipse intereà PHEGELAM percontatus; Vltrà id flumen, XI. dierum, per vastas solitudines, iter esse cognoscit. Excipere deinde Gangem, maximum totius Indiæ fluminum. Vlteriorē ripam à Gangaridis & Parrhasijs coli; eorumque regem esse AGRAMMEN, (al. Sandramen) qui XX. (al. XXX.) equitum, & CC. pedit. millib. vias obsideat. Ad hæc quadrigarum II. (al. VI.) mill. trahere; & elephātos III. (al. IV. al. IIX.) millium numerū explere. Eadem, licet incredibilia viderentur, [illegible] CRO cognoscit. Cæterum, qui regnaret, non modò ignobilem esse, sed etiam ultimę sortis. cuius pater tonsor, propter habitum haud indecorum, cordi fuerit reginæ: & rege per insidias interfecto, regnum invaserit. & necatis pupillis, hunc qui nunc regnat generâsse, paternæ magis fortunæ, quàm suæ memorem.

Hæc quò fide maiora videbantur; tantò acriùs insatiabilis in rege glorię famęque cupido ad omnia ardua spernenda incitabat.

Sed Macedones, tot itinerum laboribus, tot bellis fracti, tot incommoditatibus & vulneribus exhausti; nullis neque blanditijs, neque publicæ gloriæ stimulis, neque minis flecti potuerunt, ut ultrà pergerent.

Itaque ALEXANDER, quàmlibet fremens, pedem ab expeditione in Ortum longiore, referre coactus est. Sed priùs erigi XII. Aras, ex quadrato saxo, (L. cubitorum) expeditionis suæ monimentū. Munimenta quoque castrorum fossâ cingi (quæ L. cubitis latâ; & XL. alta esset) iussit extendi. Cubiliaque amplioris formæ, quam pro corporum habitu; & præsepia relinqui. ut speciem omnium augeret posteritati fallax miraculum.

Properè hinc repetens, quæ emensus erat, ad flumen

men Acesinem castra locavit. Etiam in aquâ, classis quam ædificari iusserat, stabat: quùm MEMNON interim ex Thraciâ, in supplementum, equitum VI.M. præter eos, ab HARPALO peditum, XXX.M. adduxit. &, arma, quantum XXV. hominum millibus satis esse possit. (Diod. addit, advecta *ἰατρικῶν φαρμάκων* C. talenta.)

Mille itaque navigijs aditurus Oceanum, ex veteri odio inter se discordeis, PORVM & TAXILEM, firmatâ per adfinitatem gratiâ, suo quemque in regno reliquit. summo amborum in ędificandâ classe studio usus.

Elephantis deinde & impedimentis terrâ sequi iussis, secundo amne defluxit: & in regionem, ubi Hydaspes amnis Acesini committitur, pervénit.

Hinc in fineis Sobiorum (Diod. Ihorum) decurrit, qui se ab exercitu HERCVLIS oriundos esse memorabant: & post irritam Aorni Petrę oppugnationem, relictos ægros, sedem ibi obtinuisse. Iis pelles ferarum pro veste, & clavæ pro telis erant: aliaque stirpis insignia.

Hîc excensione factâ, CCL. stadia processit: depopulatusque regionem, opidum, caput eius, coronâ cepit.

In ripâ, quæ dixi, fluminum, alia gens (Diod. Agalasses vocat) III. equitum, & XL. peditum millia opposuerat. Hos, amne superato, in fugam compulit, inclusosque mœnibus expugnat. Puberibus interfectis, cæteri veniérunt.

Alterius urbis incolæ, post primam Macedonum impressionem magnâ vi depulsam; quùm rex, multis licet amissis, in obsidione perseveraret; desperatâ salute, ignem subiecére tectis, & se cum liberis coniugibusque incendio cremárunt. Quod cum ipsi augerent, & hostes immissi exstinguerent; *ipsa natura rura, ex bello, in contrarium mutari censebantur*. In arce, quæ erat intacta, III. mill. præsidio dereliquit: cui III. flumina, quæ in Indum paullo-infrà confluunt, munimento, suas quodque adplicant undas.

Hîc quùm crebri fluctus maritimis similes se inveherent; & navium hinc proras, inde latera pulsarent; nautis præ rapida fluminum coeuntium celeritate in subducendo occupatis; duo maiora navigia in oculis submersa sunt. levioribus, quæ & ipsa regi nequirent, citra noxam, in ripas expulsis.

Rex ipse, qui navigio arcem circumvehi voluerat, in rapidissimos vertices inciderat. quũ vix concitatis remis navis ex undis erepta, non tamen ripæ adplicita est; sed in proximũ vadũ, rege salvo, illita.

Inde, sacris peractis, & Aris pro numero fluminum positis; in regionem Oxydracarum, Mallorumque pervénit. Quos aliàs bellare inter se solitos, communis tunc periculi societas iunxerat, IX. M. Iuniorum peditum (Arr. *ἐννέα μυριάδας* Diodor. LXXX. pedit. M.) in armis erant. & præter hos, equites decies mille, nongentæque quadrigæ.

Hîc Macedones improviso integri belli metu territi, seditiosis rursus vocibus regem increpare cœpérunt. Ipse verò, concione advocatâ, facilè multitudinem militarem, quæ *mobili plerumque impetu fertur*, compescuit; & ad desitum officium reduxit, *Seditionis quippe non remedia, quàm principia, maiora esse solent.*

Rex lætus, novis militum acclamationibus, iubentium duceret *Dijs secundis, & æquaret gloriâ* HERCVLEM *&* LIBERVM *patrem*, quos ęmularetur, & quorum terminos transire contenderet: ad hosteis protinùs castra movit.

Validissimæ Indorum gentes erant; ducemque belli spectatâ inter Oxydracas virtute elegerant. Sed rex nihil clamore eorum, & patrij moris ululatu territus; quin fiduciæ ac spei plenus; alacreis milites arma capere, & exire in aciem iubet. At barbari, metune, an seditione inter ipsos obortâ, subitò profugérunt. Rex persecutus, impedimenta cepit.

Iamque opido, in quod plerique confugerant (Syracusas quidam nominare videntur) vim admovebat; quùm Vates DEMOPHOON monere eum cepit; *Vita eius periculum ostendi*. ne in præsens committeret; aut certè obsidionem differret.

Ille molestum Vatē neglexit, & scalis admotis, primus evasit in murũ. Quumque, plures veriti, ne rex solus, qui undique petebatur, & incidentia tela clypeo propulsabat; vel obrueretur, vel hostibus dederetur; pro se quisque in muri fastigium evadere certarent; scalis ex onere perfractis devoluti, unicam spem regis velut in solitudine destituti, fefellérunt.

Ille, clamantibus infernè amicis, ut ad ipsos desiliret, labentem excepturos; rem ausus est, *magis ad temeritatis famam, quàm gloriæ, insignem*.

In urbem scilicet hostium plenam, & intus opseptam, præcipiti saltu semet ipse immisit; corpore ita librato, ut se pedibus exciperet. Hic aliquamdiu se arboris & clypei obiectu tutatus est, donec continuo labore gravia genua succiderent: & ipse prægrandi sagittâ percussus, & magnâ vi sanguinis emicante, exanimis posthmodùm procumberet.

Tandem PEVCESTES per aliam opidi partem irrumpens, & muri vestigia. deturbans propugnatoribus, persecutus; regi supervénit.

Subiérunt inde TIMÆVS, LEONATVS, & ARISTONVS, qui omnes, dum regem protegunt, vel cecidére, vel inutiles præ vulneribus fuere. Inter hæc famà de regis casu, an morte! in castra perlatâ, Macedonęs, periculi omnis immemores, dolabris murum perfregéres & quà via facta, in urbem irrupére. Omnibus tum viris, tum impuberibus iugulatis, ne feminis quidem parcitum est; & urbs direpta ac subversa: & *extremâ hostium internecione iustæ iræ parentatum.*

Rex septem diebus, curato, post spiculum evulsum, vulnere, conspectus pro tabernaculo ab incolis, spem hostium, falso mortis suæ nuntio conceptam, inhibuit: & secundo deinde amne defluxit.

Quarto autem postquam navigare ceperat die, pervénit in regionem, ab incolis quidem desertam; sed frumento & pecoribus abundantem. Qui locus, & ad ipsius, & ad militum requiem mirificè placuit; & per complureis dies ibi stativa habuit.

(Ex oratione ALEXANDRI ad amicos, & corporis custodes, qui eum orabant; *ne tam manifestis posthàc periculis corpus offerret, neque suo capite ignobileis vicos, aut vileis victorias emeret*. tandem exsatiatæ laudi modum faceret, ac *saluti suæ, hoc est, publicæ, parceret*. Patet, inquam, ex Curtio, quotus regni, quotus ætatis annus regi fuerit, quùm hæc, quæ memoro, gesta sunt.

Iam, inquit, *haud procul absum fine mundi; quem egressus, aliam*

sus, aliam naturam, alium orbem aperire mihi statui. Ex Asiâ, in Europæ terminos, momento unius horæ transivi. Victor utriusque regionis, post nonam regni mei, post vicesimum atque octavum ætatis annum, videorne vobis in excolendâ gloriâ, cui me uni devovi, posse cessare? &c. Capellius agnoscit XI. regni annum.

Addit ibidem ALEXANDER; *Rei olim in animo suo cogitatæ, nunc promendæ occasionem sibi oblatam: maximum laborum atque operum suorum, fructum fore; si* OLYMPIAS *mater immortalitati consecretur, quandocumque vitâ excesserit. Hoc, si licuerit, ipsum præstiturum. si fatum præceperit; mandatum, ipsi (amici) meminissent.*

3627. Alex. 11. | 323.

Hæc dum in Indiâ geruntur, Græci milites, nuper in colonias à rege circa Bactra deducti, vitæ inter barbaros pertæsi, defecerant; & Bactrianâ arce occupatâ, barbaros quoque in societatem defectionis impulerant.

ATHENODORVS eorum princeps, regis nomen adsumserat; non tam imperij, quàm in patriam revertendi cupidine, eum ijs, qui auctoritatem ipsius sequebantur.

Illo per BOXVM quemdam ex insidijs, & BICONIS, æmuli, operâ, occiso; Græci nihilo-minus colonias à rege attributas, reliquerunt; & BICONE illo, quem pœnâ & tormentis bis liberârant, comite, an duce! in patriam revertérunt. Sed Macedones, ab excessu regis, seditiosos illos ad pœnas vocârunt.

Interim ad ALEXANDRVM, duarum, de quibus dixi, gentium legati, c. numero, adiérunt. curru omnes vecti, decoro habitu; & vestibus auro intextis, purpurâque distinctis. Seipsos cum urbibus & agris dedere, & inviolatam per tot ætates libertatem, illius primùm fidei ditionique permittere, referebant: & intactis viribus iugum excipere.

Rex consilio habito, deditos in fidem accepit; stipendio, quod Arachosijs utraque natio pensitabat, imposito. Bis præterea mille pedites, & quingenti equites imperari.

Paullo-pòst Legatis gentium, cum regulis, ad epulas invitatis, convivium luxu, ex veteribus Persarum, novisque Macedonum vitijs, confuso, exornari iusserat. & gymnicos Agones, ut quidam volunt, instituerat.

DIOXIPPI PVGILIS, ET HORRATÆ MACEDONIS DVELLVM.

Rixâ fortè eo in convivio, inter DIOXIPPVM Atheniensem, pugilem eximiâ virium virtute nobilem; & HORRATAM (al. Coragum) Macedonem, obortâ; quùm illi acriùs etiam postridie certamen, de viribus, & bellandi peritiâ, exposcerẽt; rex, qui deterrere non poterat, destinata exsequi passus est. Accessit huc militum, ex utraque gente, æmulatio.

DIOXIPPVS, oleo nitens, & coronatus, lęva puniceum amiculum; dextrâ validum nodosumque stipitem præferens; cum HORRATA, qui præter gladium, iusta arma, clypeum, sarissam, & lanceam sumserat; quasi nudus cum armato, congredi ausus est. Et vibratâ, quam adversarius emiserat, lanceâ; & hastâ mox perfractâ, antè quàm ille gladiũ stringere posset; occupatum complexus, pedibus repentè subductis, in terram arietat, & strenuè debellat. victum & iacentem stipite intentato elisurus, ni à rege prohibitus esset.

Tristis spectaculi eventus non Macedonibus modò, sed ALEXANDRO etiam, ob barbarorum præsentiam, fuit. ne celebrata popularium Macedonum fortitudo ad ludibrium recidisse putaretur.

Sed victor ex criminatione invidorum, de aurei poculi inter epulas furto traductus, & falsò insimulatus; conscriptis antè ad regem, sui purgandi litteris, ferro se interemit. & rex mortem eius, iustæ indignationis, non pœnitentiæ testem, graviter tulit.

Indorum legati, domos dimissi, & paucis pòst diebus reversi, plurima ingentis pretij & patriæ mercis munera, adtulérunt.

Ipse deinde, CRATERO copias, haud procul amne, per quẽ erat navigaturus, ducere iusso, & comitibus in naveis impositis; secundo fluvio in Mallorum fineis devectus est.

Inde Sabracas (Diod. meliùs, ex situ, Sambastas) adijt, validam Indiæ gentem, quæ populi, non regum imperio regebatur. Hi cognito Macedonũ adventu, VI. M. (Diod. LX.) pedit. & VI. M. (Curt. IIX.) equitũ; & D. currus, coëgerant. & III. duces virtute belliceâ spectatos elegerant.

Sed terrore, ab agrestibus, fluminis accolis, qui amnem navigijs constratum, & tot militum arma circumquáque fulgentia conspexerant, in suorũ exercitum illato; legati missi sunt gentem dedituri.

Quibus in fidem acceptis, ad alias dein genteis, IV. die pervenit. Nihilo plus animi his, quã cęteris fuit.

Itaq; opido ibi condito, quod Alexandriam appellari & X. Mille colonis habitari iusserat, fineis eorum, qui Musicani appellantur, ingressus est. (Alij, Massanos, & Seodras, qui utramque flum. ripâ tenent, priores hîc collocârunt.) Musicanis deinde in ditionem redactis, urbi eorum præsidium imposuit.

Inde Præstos, Indiæ accensos, perventum est. Horum rex PORTICANVS (al. Oxycanus) munitę se urbi cum magnâ manu populariũ, incluserat, quam ALEXANDER tertio post obsidionẽ die, expugnavit. Et PORTICANVS quidem, postquã in arcem cõfugisset, legatos de deditione, ad regem miserat; sed antequã adiretur, Macedones per ruinas duarũ turriũ, quæ subito fragore ciderant, in arcẽ evasére; & PORTICANVM, cum paucis repugnantem, occidére.

Dirutâ igitur arce, & captivis sub hastâ venumdatis, in SAMI regis fineis intrârunt; & validissimam eius gentis urbem cuniculo, non sine singulari barbarorum, eiusmodi militiæ rudium, stupore, cepérunt. Tradunt Indorum, eâ in regione, IIX. M. cæsa esse, pluresque captivos sub coronâ venisse.

Quùm rursus Musicani defecissent; ad eos opprimendos missus PYTHON, captũ principẽ gentis, eumdemque defectionis auctorem, ad regem adduxit.

Quo ALEXANDER in crucẽ sublato, classem denuò conscendens, IV. deinde die, secundo amne, pervenit ad opidum, quà iter in regnũ erat SAMI. Quamvis nuper ille se dedidisset; oppidani tamen imperium detrectabant, & portas clauserant.

Hîc Agriani, sicut à rege imperatum erat, priùs in mœnia subiérunt; deinde eliciendi hostis, terga subitò ver-

rò verterunt. barbari eos insequenteis, & in alios, regemque ipsum delapsi, renovato prœlio, ex III mil. DC. amiserunt. & mille ex iis captis, cæteri mœnibus ui bis inclusi.

Eventus huius nihilo-minus victoriæ haud lætus fuit. Tinxerant quippe Barbari tela & gladios veneno. saucij, itaque subinde, ex levi plagâ etiam exspirabant.

(Diod. id Brachmanis, circa Harmateliam urbem, factum attribuit) donec per quietem ALEXANDRO ipsi draco visus est herbam medicam commonstrare: quâ reperta primùm PTOLEMÆVS, Lagi F. tum è militibus quilibet, facilè curatus est. Sic barbari, ut prima spes fefellerat, seipsos urbemque dedidére.

Hinc in proximam gentem, Pathaliam, perventũ est: cuius rex MOERIS, urbe desertâ, in monteis profugerat. Itaque ALEXANDER opido potitus, agros impunè populatur: Et ad insulam, medio fermè alveo enatam, ubi Indus in duo ostia diffinditur, & Deltæ efficit, defluxit.

Ipse visendi Oceani, qui mundum terminet, cupidus, sine ducibus, & in merâ locorum imperitiâ, in flumine ignoto, navigabat. Et iam CD. stadia processerat; cum gubernatores haud procul abesse Oceanum, ex proximâ maris aurâ, iudicârunt. Et nacti agrestes quosdam, ad ripam accolenteis, è quibus certiora noscerent, hoc tantùm didicére. Tertio die perveniri posse ad aquam amaram, quæ dulceis fluvij aquas corrumperet. Et intellectum, Mare, ab eius naturæ ignaris, destinari.

Tertio iam die, mixtum flumini mare, leni adhuc æstu, qui dispares undas confunderet, subibat. Tum aliam insulam, medio amni sitam, evecti, classe, ob cursum æstu reverberatum, lentiùs adplicatâ, ad commeatus petendos discurrunt. securi casûs eius, qui mox ignaris de-subito supervenit.

ADMIRANDVS MARIS INDICI ÆSTVS: ET EX EO PERICVLVM.

Tertia fermè hora erat, quùm statâ vice Oceanus exæstuans invehi cæpit, & retrò flumen urguere. & campis paullo-antè siccis, superfundi. Vnde levatis navigijs, & classe totâ dispersâ; quæ nauticorum, & militum ad naves recurrentium, navigia impellentium, & enavigare, alijs non exspectatis, propetantium; fuerit trepidatio: quis tumultus & clamor, hinc exspectare, hinc ire iubentium; & territis gubernatoribus, nusquam in idem ac unum tendentium; dum & naves inter se colliduntur, & remi invicem abstergentur; quis animo complectatur; nedum verbis explicet!

Neque hic finis malorum. navibus namque partim in præaltâ aquâ, quâ valles subsederant, stantibus; partim in vado hærentibus; subitò novus, & pristino maior terror incussus est.

Mare reciprocare cœpit; & aquæ magno tractu in fretum suum recurrere. Navigia vectoribus destituta, partim præcipitari in proras, partim in latera procumbere. Belluæ quoque è mari in littus abiectæ, huc illuc vagari.

Sed postridie exæstuante iterum mari, & aquis leni tractu subeuntibus, navigia levari; & mox æstu totis campis inundante, classis impelli cæpit.

Rex cum ex eo, quod acciderat, coniectaret, post solis Ortum, statum tempus esse; mediâ nocte, ut æstum occuparet, paucis cum navigijs evectus ad os amnis, CD. stadia processit in mare. & tandem voti sui compos, Dijs, & maris, & locorum præsidibus, sacrificio facto, ad classem redijt, & adversum flumen subijt.

(Curt. ita rem memorat, ac si præcipitatâ iam hyeme advectus eo ALEXANDER vernum tempus exspectârit. quo tum ipse terrâ copias duceret, tum NEARCHVS, nauticæ rei peritus, validissimas navium in Oceanum deduceret. & quoad tuto posset progressus, vel eodem amne, vel Euphrate, subiret, cum reverti ad se vellet.

Arrian. contrà; Mare illud non alio tempore commodiùs navigari, quàm sub hiemis initium.)

Quùm tunc itaque Etesiæ à Meridie, illis locis, spirarent; NEARCHVS, hyemis initium, uti commodum navigationis tempus, exspectare iussus est.

Diod. Regē, ab Oceano reversum ad Hyala, insignem urbem, per flumen adpulsum. cuius respub. more Spartanorũ regebatur, & reges duo è fauul js duabus, iure successionis adsciscerentur, qui rei bellicæ præessent. In cæterâ administratione, præcipua senectutis erat auctoritas.

Mitigatâ, ut Curt. tradit. hyeme; & navibus, quæ inutiles videbantur, crematis; rex terrâ ducebat exercitum. Nonis autem castris in Abaritarum, (al. Arabitarum) inde totidem diebus Cedrosiorum regionem perventum est. Quibus ultrò se dedentibus, nihil, præter commeatus, imperatum est.

Quarto hinc die venit ad flumen, Arabon, sive Arabium, quem Indiæ limitem esse volunt. Regio deserta, & aquarum inops excipit: quam emensus in Horitas transit. Ibi tripertito exercitu Indos populatus, magnas prædas egit. & urbem eâ in regione (Rambaciam) condidit, quò Arachosij in coloniam sunt deducti.

Hinc ad maritimos Indos pervenit, gentem immitibus ingenijs efferatam: quæ piscibus sole duratis; & maiorum quoque belluarum, quas fluctus eijcit, carne vescuntur.

Consumtis igitur alimentis, Macedones primò inopiam, deinde famem sentire cæpérunt; eamque erutis palmarum radicibus aliquamdiu sustentârũt.

Postremò iumenta cædere adgressi, ne equis quidem abstinebant. Et quùm deessent, quæ sarcinas veherent; *spolia de hostibus, tot laboribus, & ex ultimis Orientis parta, incendio cremare sunt coacti.*

Famem deinde pestilentia secuta est. Quùm itaque nec manere, ob famem; nec progredi, ob morbum possent: Campique pluribus pænè semivivis, quàm cadaveribus, strati essent. (ex CXX. namque peditum, & XV. equitum mill. vix quarta pars evasisse traditur) quod valentes itinere ad spem salutis festinato, raptim agmen agerent: & ægri ne leviùs quidem sequi possent; rex dolore simul, ac pudore anxius, (quia caussa tantæ cladis ipse esset; & multò antè ab accolis monitus, soli inopiam, & connexa incommoda, prævidisset) ad PHRATAPHERNEM, Parthinorum Satrapen, aliosque finitimarum provinciarum præfectos, misit, qui camelis cocta cibaria adferri iuberent.

Fame itaque dumtaxat vindicatus exercitus, tandem in Cedrosiæ fineis perducitur. eâq; in regione,

quæ sola rerum fertilis est, stativa habuit, militibus quiete firmandis.

Inde in Carmaniam progressus, ASPASTEM gentis Satrapen, de rebus novis ante suspectum; & iam sibi ultrò occurrentem, dum de re cognosceretur, in eodem honore habuit: eumque paullo-pòst interfici iussit.

Et cum Indiæ præfecti uti imperatum erat, ingentem equorum, iumentorumque iugalium vim misissent, militibus, quibus deerant impedimenta, restituit. Arma quoque ad pristinum refecta sunt cultum. quippe haud procul à Perside aberant; non pacatâ modò, sed & opulentâ.

REX CVM EXERCITV BACCHATVR.

Rex igitur tot expeditionum periculis defunctus; & animo, ex rerum gestarum memoriâ, super humanum fastigium elatus; qui LIBERI patris non gloriam modò, quam ex illis gentibus deportârat; sed famâ etiam, æmulatus videri vellet. statuit quoque, fabulosum, sive triumphum, ab eo tunc primùm institutum; sive Bacchantium lusum imitari.

Vici, per quos iter erat, floribus coronisque erant strati. Liminibus ædium, crateres vino repleti, aliaque eximiæ magnitudinis vasa disposita. Vehicula deinde, tabernaculorum in modum alia candidis velis, alia veste pretiosâ, exornata.

Primi ibant amici & cohors regia, corollis & frondibus redimiti. Et in ipsis vehiculis, pro copiâ cuiusque odornatis, comissabundus exercitus, armis, quæ maximè decora, circumpendentibus.

Hic tibicinum cantus, illic lyræ sonus audiebatur. Currus, crateris, aliisque ex auro poculis prægravis, ipsum regem convivasque vehebat.

Hoc modo per dies VII. bacchandum agmen incessit. Res temeritatis, an fiduciæ plena: per genteis nondũ satis domitas, temulentos incomposito agmine evagari. quos mille viri, modò & sobrij, septem dierum crapulâ graveis, pecorum ritu mactare, aut in suo triumpho capere, potuerint.

Iisdem ferè diebus CLEANDER & SITALCES, cum alijs, qui PARMENIONEM iussu regis occiderant, cum V. pedit. M. & equit. M. ad regem advenére. Sed & accusatores, è provincijs, quibus illi præfuerant, sequebantur.

Ipsi stupris & rapinis, sive avaritiâ ac libidine, invisum barbaris Macedonum nomen fecisse traducebantur. Rex inter crimina, & quidem maximum, *præceptam ab ijs suæ salutis desperatione ponebat. Numquam talia ausuros, qui ipsum ex Indiâ sospitem aut optâssent reverti, aut credidissent reversurum.* Auctoribus itaque vinctis, DC. è militibus, qui sævitiæ eorum ministri fuerant, interfici iussit.

Sumtum & supplicium de OZINE & ZARIASPE, nobilibus Persis, quos defectionis auctores, vinctos CRATERVS adduxerat.

Haud multo-pòst dum rex in urbe maritimâ, cui Salmunti nomen, moraretur; & scenica certamina spectaret; NEARCHVS & ONESICRITVS, ex oceano, in quem longiùs procedere eum classe iussi fuerant, supervenére. Quædam illi audita, quędam comperta nuntiabant. De Insulâ, amnis ostio obiectâ, quæ equorum inops, auro abundaret. De belluarum marinarum magnitudine & crebritate: De Rubro mari; quod non à colore undarum, sed ab ERYTHRO rege appellatum sit.

Rex his non contentus, plura perlustrare, & rursus terram legere iubet; donec classe ad Euphratem adpulsâ, Babylonem adverso amne subirent.

AMBITIOSA ALEXANDRI INSTITVTA.

Ipse animo infinita complexus, statuerat, omni ad Ortum maritimâ regione perdomitâ, ex Syriâ petere Africam, Carthagini (fort. Tyriorum caussâ) infensus. Inde Numidiæ solitudinibus peragratis, cursum ad Gadeis dirigere: ubi COLVMNAS HERCVLIS esse fama vulgaverat. Hispanias deinde adire, & prętervehi Alpeis, Italiæque oram, unde in Epirum brevis transmissio est.

Eâ finis Mesopotamiæ Prætoribus imperavit, ut materiâ in Libano monte cæsâ, & ad urbem Syriæ, Capsagas (fort. Thapsacum) devectâ, ingentium carinas navium, septiremium, ponerent; & Babylonem deducendas curarent. Vtque Cypriorum reges, æs, stupamque, & vela præberent.

ORSINIS SATRAPÆ CASVS.

Ventum est deinde Pasargadas, Persicæ gentis civitatem, cuius Satrapes ORSINES, nobilitate ac divitijs inter omnes barbaros eminebat; & à CYRO, rege quondam Persarum, genus ducebat. Opes à maioribus traditas, longâ, ut fit, per fas, per nefas, imperij possessione, cumulaverat. *Immodica & magnifica in regem, eiusq; amicos, benignitas; barbaro caussa mortis fuit.*

In cæteris regis amicis, quos donis, super ipsorum vota, coluerat; BAGOA, spadoni regio, non modò, nullum habuit honorem: sed caussam rogatus, etiam respondit: *Amicos regis, non scorta, se colere.*

Quo audito, spado potentiam, flagitio & dedecore quæsitam, in viri nobilis, & fortè insontis, caput, exercuit. Credulas regis aureis falsis criminibus, subinde implebat. ORSINEM modò avaritiæ, interdum etiam defectionis, arguens.

Et quùm sub idem tempus ALEXANDER, CYRI sepulcrum aperiri iussisset (quod expilatum esse, licet ab incerto, constabat) nihilque præter clypeum eius putrem, & arcus duos Scythicos, & acinacem repperisset; miratus tanti nominis regem, haud pretiosiùs sepultum esse, quùm si è plebe fuisset; ipse coronam auream imposuit; & amiculo suo solium, in quo corpus erat conditum, velavit.

Hic spado; *Haud mirum, inania regum esse sepulcra, quùm Satraparum domus, aurum inde egestum,* (ad III. talentûm M.) *capere vix possint.* Hinc illam in regem, eiusque amicos, extitisse ORSINIS benignitatem; *ut quod impunè habere ille non poterat, donando etiam gratiam iniret.*

Nec mora, subornati à Spadone testes, regem iam concitatũ, paribus in insontem criminibus occupant.

Generosa rei morituri ad BAGOAM insultantem vox refertur: *Regnâsse olim in Asiâ feminas. Novum! Nunc regnare castratum.*

Eodem tempore PHADRATES, regnum adfectâsse suspectus, occidi iussus. Cęperat rex præceps esse, *ut ad deteriora credenda; ita ad repræsentanda supplicia. Sic res secundæ commutare valent* (an potiùs latentem produnt!) *naturam: & rarò quisquam erga bona sua fatiscantis*

Zopy-

Zopyrion, de quo supra, an. O.C. 3623. dum expeditionem in Getas faceret, tempestatibus procellisque subitò coortis, cum toto exercitu fuerat oppressus. eâque clade cognitâ, Seuthes, Odryses populareis ad defectionem compulerat.

Amissâ propemodum Thraciâ, ne Græcia quidem satis in fide perstatura videbatur) &c.

Igitur xxx. navibus Sunium transmittunt; Atticæ terræ promontorium, unde portum urbis petere decreverant.

(*Hæc Curt. lib. 9. Quæ inter se cum ijs, quæ consequuntur, malè coherent. Diodor. lib. 17. loco forte-an mancol & lacunæ succurret:* Harpalus, *quem thesauris, & vectigalium custodiæ* Alexander *Babylone præfecerat, quùm regem in extremâ Indiæ penetrâsse cum exercitu audisset; persuaserat sibi eum numquam illinc sospitem reversurum esse. Itaque delicijs & intemperantiæ se totum dedidit: & ingentem pecuniarum vim in turpissimarum voluptatum usus; scortis etiam ex Atticâ magno cum impendio arcessitis, absumsit. In omnem autem eventum, Atheniensem populum; quo si opus foret, perfugium haberet; sibi præ ceteris demereri contendebat.*

Quùm itaque rex ex Indiâ reversus, multos ex præfectis, de peculatu & impotenti dominatu delatos, morte mulctaret; ille malè sibi conscius, & metuens, adsumtis secum VI. *mercenariorum millibus, & quinquies mille talentis, ex Asiâ in Græciam profugit. & relictis aut dimissis, circa Tænarum Laconicæ, militibus, supplex Athenas, cum pecuniarum parte est profectus.*

Sed dum ab Olympiade *&* Antipatro *reposceretur; corruptis auro Oratoribus, qui caussam pro se ad populum agerent, aufugit: & receptis è Tænaro militibus in Cretam transmisit. Ubi à* Thymbrone, *familiarium uno, per insidias est interemtus.*

Damosthenes, *cum alijs, qui pecuniam ab eo accepisse convicti essent, eo crimine ab Atheniensibus sunt condemnati. Hactenus Diod.)*

Subiungit autem Curt. abruptè: His cognitis, rex Harpalo, Atheniensibusque iuxtà infestus, classem parari iubet, Athenas protinùs petiturus. Et dum in eo est; litteræ ei sunt redditæ; Harpalum intrâsse quidem Athenas, & pecuniâ animos principum sibi conciliâsse: sed mox concilio plebis habito, iussum urbe excedere, ad Græcos milites pervenisse: & ab ijs interceptum, atque interemtum à quodam viatore per insidias. Quibus lætus rex, consilium in Europam traijciendi omisit.

(*Opinor hæc longè anterius evenisse. Iustin. lib. 13.* Alexander *mille naveis longas socijs imperari præceperat; quibus in Occidente bellum gereret. Excursurusque cum validâ manu fuerat ad Athenas delendas.*)

Voluit quidam id temporis Demetrius Phalereum, Phanostrati, ex Cononis familiâ F. Theophrasti discipulum & Oratorem, regere cæpisse Athenis remp. tantâ apud cives gratiâ & caritate, ut principis instar, annos x. rem administrârit; & statuas æneas CCCLX. intra totidem penè dies erectas, emeruerit, quæ pòst eversæ. Sic Capell. ex Laertio. Sed nobis videtur longè posterior.

Quùm verò Alexander, exsules, præter, qui sacrilegij & civilis cædis damnati essent, ab omnibus Græcorum civitatibus, queis pulsi erant, (per præcones, ludis Olympicis) recipi imperâsset; Græci, imperium aspernari non ausi; quamquam id solvendarum legum principium esse censebant; bona quoque, quæ exstarent, restituere damnatis.

Soli Athenienses, non suæ modò, sed etiam publicæ vindices libertatis, hominū colluvionem finibus suis prohibuêre. nec purgamenta quondam urbis suæ, tunc etiam exsilij, admittere voluerunt. Idem Ætoli fecisse traduntur.

GALANUS, INDORUM PHILOSOPHUS.

Iam rex cum exercitu ad Susianæ fineis pervenerat, quùm Calanus, Indus philosophus, qui suadente Taxile regem erat secutus, novo mortis genere se ipse interfecit.

Vixerat ille morbi omnis expers an. LXXIII. & tunc alvi dolore correptus, vitæque suæ finem adesse coniectans, regem rogat; Ut sibi pyram construi; & simul ipse conscendisset, accendi iuberet. A quo incepto, quùm deterreri non posset; & se brevi regem Babylone visurum esse prædixisset; non sine militari Macedonum clamore & adplausu, crematus est.

ALEXANDRI LUXUS.

Rex Susâ profectus, Persicis delicijs, & nuptiarum pompis se totum tradidit. Uno eodemque die, ac loco; LXXX. minimùm Persicas virgines, eximias, primarijs amicis matrimonio, habitu & more Persarum, coniunxit. Statiram, maiorem Darii filiam sibi, & iuniorem Drypetim Hephæstioni, nuptijs elocavit. Et ut huius luxûs invidiam munificentiâ aboleret, alijs x. virginum Persicarum millibus, quæ Macedonibus antè enupserant, dotem ipse certam attribuit, & maritorum æs alienum dissolvit.

NOVA ALEXANDRI MILITIA, ET CLASSIS.

Interea xxx. Persarum M. omnes & ætate, & corporum robore præstantes, ad munia bellica sub magistris diu exercitati, & Macedonicâ armaturâ pulcerrimè instructi, Susa venêrunt; & castris ante urbem positis sese regi in armis ostentârunt, id unum satagenti, ut Macedonum, si ita vellent, aut siquid ipsi secus molirentur, operâ carere posset.

Præterea ex Bactrianis, ac Sogdianis, finitimisque populis, quam-plurimos in prætorianum equitatum cooptavit.

Ipse quoque Nearchus, cum classe, Susa adverso Eulæo advenerat, quùm rex, ostium Tigris lustrare cupiens, Hephæstione cum magnâ exercitûs parte præmisso, in naveis ingreditur.

Tigris ab Oriente, Euphrates ab Occidente, Mesopotamiam disterminant; & tandem ubi concurrerint, mox iterū dissiliunt. Sed Euphrates in multa segmenta, agris irrigandis, diffusus, in mare vadosus ingredi-

ingreditur. Tigris verò maiore impetu solum premens, neque disruptus, unâ fossâ, eaque magno labore deducta, in Eulæum immitti alveum. quo naves NEARCHI quassatæ, in Tigrim sunt devectæ.

Et quia Persæ, ne quisquam mari, adverso flumine, delatus, Babyloniam infestare posset, multis cataractis rectum Tigridis cursum interruperant; ALEXANDER huiusce cautionis irrisor, eas omnes æquari iussit; ut illhâc Babyloniam petere posset.

Ipse itaque cum navium velocissimis in Oceanum (sinum Persicum) ingressus, mox ad Tigridis ostium revolavit. Et ad Opin urbem subvectus, & aliquamdiu ibi interquiescens, coortam militum seditioné, non minore virtute, quàm prudentiá compescuit.

SEDITIO MILITARIS.

Quùm enim veteranis & emeritis militibus, honestâ in patriam missione gratificari constituisset; & XIII. modò peditum, binaque equitum mill. in Asiâ, iam domitâ, & colonijs Europæis refertâ, retinere; dissolutis ex regiâ pecuniâ utrorumque debitis: (quæ in exercitu, tot ditissimarum gentium victore, fuére immania; & ampliùs IIX. mill. & LXX. talenta exhausérunt.)

Statim, ut cognitum est, alios remitti domum, alios retineri; perpetuam eum regni sedem in Asiâ fixurum rati; regem ferociùs, quam aliàs, adorti, omnes simul missionem postulare cæpérunt; deformia cicatricibus ora, & præmaturam capitum canitiem ostentantes.

Rex oratione in ingratos, cum multis probris, detortâ; & ijs facessere ocyùs, & in patriam, se deserto, abire iussis, frendens de tribunali desiluit; & in medium armatorum agmen se demisit; & ferocissimum quemque manu corripuit. Nec ausos repugnare, XIII. ex ijs, adservandos custodibus corporis tradidit.

At ipsi hâc contumeliâ perciti, quùm postero die venissent, & probibiti aditu essent, Asiaticis modò militibus admissis; lugubrem universi totis castris edidére clamorem. *Protinùs esse morituros, si rex veteribus ministris perseveráret irasci.*

Rex nihilo-minus pervicaci ad omnia, quæ agitásset, animo, Persis corporis sui custodiam credidit: Persas satellites apparitoresque fecit: per eosque, auctores seditionis, Macedones, & vincti ad supplicia tracti, & in amnem immersi.

Tum concursu in regiam facto, & armis ante ianuam (pœnitentiæ signum) proiectis, flentes, non nisi veniâ impetratâ, discessuros contestati sunt.

Quibus ille nunc modicè incusatis, nunc comiter appellatis; compluréis bello inutiléis exauctoravit: (ad x. seniorum mill.) & magnificè donatos, talento quemque, præter stipendia in diem reditûs adpensa; dimisit.

Et scriptis ad ANTIPATRUM, Macedoniæ præfectum, litteris, ijsdem priores in theatro sedes, spectandis certaminibus, adsignari; coronatosque sedere, iussit.

Defunctorum quoque liberos, pupillos, paterna contrahere stipendia voluit, CRATERO ijs omnibus præposito. Quem etiam, loco ANTIPATRI (cui graves cum OLIMPIADE matre simultates intercedebant) Macedonibus, Thessalis, Thracibusque præesse iussit. Et ANTIPATRUM vicissim, cum tironum supplemento, in CRATERI locum vocavit.

CRATERUS nihilo-minus, (quibus caussis incertum) in Ciliciâ, ad ALEXANDRI usque mortem, substitit. Et ANTIPATER, qui evocari se valde iniquo ferret animo, ALEXANDRUM veneno interficere statuit.

Rex Opide egressus, & cum classe Tigridis oram legens, in pagos, qui Cari dicuntur, pervenit. Hinc quartis castris in Sambanam; ubi VII. dies exercitui ad quietem dati. Tertio pòst die Celonas, ad Choaspem fluv. Vbi Boeotorū proles supererat, ex ijs orta, quos olim XERXES eò in coloniá deduxerat: nequedum à patrijs institutis, aut sermone, degener.

Hinc Bagistanam, eximiæ amœnitatis regiunculam, perlustrat. Inde in Nysæos campos, pascuorum ubertate nobileis, transijt: In quibus olim CLX. equarum Nysæarum millia, ad subolem, à regibus Persarum ali solita. Tum verò reliquis à prædonibus abactis, vix tertia pars reperta est.

Iis in agris XXX. dies commoratus, septimis castris Ecbatana, Mediæ caput, pervenit. Huius urbis ambitum Diod. testatur fuisse CCL. stadiorum.

HEPHÆSTIONIS MORS.

Septimo post adventum die, quùm regni necessaria disponeret, &, spectacula denuò, diesque solenneis indiceret; HEPHÆSTION, quem rex unicè & fratris loco diligebat; dotibus primò formæ pueritiæque, mox obsequijs regi percarus, ex febri: (Curt.) ex crapulâ (Diod.) vitâ decedit.

Ex eius morte ALEXANDER incredibili adfectus dolore, luctu diem noctemque continuato, super exanime amici corpus eiulans procubuisse traditur: & ei, tamquam Heroi, sacrificari iussit. In funus, atque monimentum ei Babyloni faciendum, plus quàm XII. talentûm M. impensa sunt.

Regem autem à luctu pænè ludicro, ad seria commodùm avertit nuntiata Cossæorum defectio. Gens est bellicosa, quæ Vxijs finitima asperrimos incolit monteis; & externi principis iugum hactenus detrectárat, nec Macedonum vireis magni æstimabat. Nihilo-minus intra XL. diem varijs prœlijs fracti; multisque eorum, aut desideratis, aut captis, imperata facere coacti sunt: & opidis opportunè conditis, & cum præsidio obiectis, in servitutem redacti.

3628. | | 322.

LEGATI VARIARUM GENTIUM.

ALEXANDRO, Cossæis subactis, Babylonem, quo antè constituerat, reverterenti, nuntiatum est; Legatos, intactarum adhuc gentium, ex diversis terrarum orbis partibus, Africâ, & Carthagine; Hispaniâ & Illyrico, & aliunde, Babylonem confluxisse, eiusque adventum exspectare. Alios, ut de rebus tam feliciter gestis, non sine coronis & muneribus, congratularentur. Alios, qui societatem expeterent. Alios, ut de obiectis criminibus sese expurgarent.

Ipse itaque, tamquam conventum universi orbis acturus, Babylonem pervenire festinabat.

VARIA

VARIA DE MORTE PRÆSAGIA.

Aberat ab urbe ad ccc. stadia; & modicis itineribus exercitum promovebat; quùm Chaldæi, sideralis scientiæ opinione famosi, ad eum accedunt, & monent; *Ne Babylonem ingrediatur*. alioqui infaustum fore; & vitæ periculum portendi.

Ille itiusmodi artium superstitioni plus satis addictus, ideoque nonnihil perturbatus; multis amicorum in urbem transmissis, & profectione in aliud tempus dilatâ; castra, oc. à Babylone stadijs, metatus; sive (ut Iustin.) in Bursiam urbem, trans Euphratem, olim desertam, concessit.

Alij tradunt illum, sive felicitatis suæ recordatione securum; sive suspicatum, per fraudem sibi id consilij dari; Babylonem magnâ cum pompâ ingressum. Sed aliquanto-pòst ad perlustranda vicina loca egressum; atque ita fato se defunctum putasse; & deinceps securum Babyloni exornandæ animum intendisse.

Diod. Ab hominibus Græcis, & præcipuè philosophis, qui ANAXARCHO operam dedissent, inductum, omne Chaldaicæ divinationis genus (ut incertum. quod *istiusmodi prædicta, si fatis constent, ignota mortalibus; si naturæ debeantur, immutabilia sint.*) damnandum iudicasse, aut certe contempsisse. & ulteriùs progressum. in urbem sine animi offensione intrâsse. Vbi magnificentissimè à civibus, uti antea factum erat, exceptus, Legatos omnes benignè acceptos dimisit. & totum se deinde ad funus HEPHÆSTIONI celebrandum convertit. Vid. Diod. l. 17. funeris pompam.

AMILCAR POENVS EXPLORATOR.

Iustin. sub fin. l. xxi. Inter hæc Chartaginienses, tãto successu rerum ALEXANDRI MAG. exterriti; & verentes, ne Persico regno & Africam vellet adiungere; mittunt ad speculandum eius animos, AMILCAREM, cognomento Rhodanum, virum solertiâ facundiâque, præter cæteros, insignem.

Augebant enim metum & Tyrus urbs, auctor originis suæ; iam antè excisa: & Alexandria æmula Carthaginis, in terminis Africæ & Ægypti condita: & felicitas regis, apud quem nec cupiditas, nec fortuna ullo modo terminabantur. Igitur AMILCAR per PARMENIONEM aditu regis obtento, profugisse se ad regem, expulsum patriâ, fingit, militemque se expeditionis offert.

Atque ita consilijs eius exploratis, in tabellis ligneis, vacuâ desuper cerâ inductâ, civibus suis omnia perscribebat.

Sed Carthaginienses, post mortem regis, reversum in patriam, quasi urbem regi vendidisset; non ingrato tantùm, verum etiam crudeli decreto necavérunt.

Sub idem tempus, PEVCESTES, xx. delectorum ex Persis, Tapuris, Cosseis, alijsque finitimis & domitis populis, millia, qui plerique funditores aut sagittarij, ad regem adduxerat. qui prioribus copijs immisti, & in Macedonicos ordines distributi, stipendiarium & morigerũ quemdã exercitum constituẽ sũt.

(Tunc quoque THEOPHRASTVS *Ephesius* MELANTHI *Fullonis F. Platonis & Aristotelis auditor, Aristotele in Chalcidem profecto & mox demortuo, ipse quadragenarius, Olymp. 114. in Lycéo successit.)*

ALEXANDRI MORS.

His curis defunctus ALEXANDER, multis diebus otio datis, intermissa olim convivia cum amicis solenniter instituit; & in lætitiam (veriùs crapulam, & quidem continentem) totum sese effudit. mense Desio, modò apud EVMÆVM & PERDICCAM; modò apud BAGOAM; & tandẽ apud THESSALVM MEDIVM, epulatus. Et apud hunc quidẽ, quùm diei noctẽ pervigilem iunxisset, & iam è convivio recederet; instauratâ comissatione, & nõdum HERCVLIS scypho, qui circumferebatur, epoto; repentè, velut telo confixus, altũ ingemuit. Elatusque è convivio semianimis, tanto dolore cruciatus est, ut ferrum in remedia posceret. Amici, caussam morbi, intemperiẽ ebrietatis divulgárunt. Revera autem insidiæ fuérunt, quarum infamiam successorum potentia oppressit.

Quâ de re videtur dubitare, Diod. qui hæc addit: Sic ALEXANDRO. Quùm sibi videretur *summum potentiæ & felicitatis humanæ fastigium attigisse, fati violentia tempori, quod eius vitæ natura præstituerat, terminum iniecit.*

Arrian. verò; hoc fortassè satius ei fuit. *In summo felicitatis fastigio, summoq; hominum desiderio, vitam cum morte commutare, priusq; quàm ei calamitas aliqua humano more accideret.*

Series autem insidiarum, de quibus dixi, hæc fuisse proditur.

ANTIPATER, de cuius animi à rege alienatione, supr. dictum est, præparatum venenum CASSANDRO F. qui cum fratribus PHILIPPO & IÖLLA, regi ministrare solebant; tradiderat. sed præmonito, ne alijs, quàm fratribus, & THESSALO, illud crederet.

Fratres potum regis prægustare soliti, in aquâ frigidâ venenum habentes, eam prægustatæ potioni regis superinfuderunt. Eius namque veneni tanta vis fuisse dicitur, ut non ære aut ferro, neque testâ cõtineretur; sed equi tantum ungulâ sufferri posset.

Quarto deinde die, milites partim mortis, quæ celaretur, suspicione; partim desiderio impulsi, & mœsti, in regiam se contulérunt; ut sibi regis coram inspiciendi copia fieret, orantes.

Quos ille composito corporis habitu, & porrectâ ad osculandũ manu, consolatus dimisit. *Animo, ut in hostem, ita in mortem invicto.*

Amicis propiùs adire iussis, & rogatis; *Similemne sibi videantur reperturi regem?* quùm cuncti tacerent, & quasi silentio abnuerent; Se vaticinari, mẽtisque oculis iam pænè prospicere dixit: *Quantis cædibus & sanguine, sibi mortuo Macedonia, æmulâ principum ambitione, foret brevi parentatura.*

Ad postremum, corpus suum ad HAMMONIS templum ferri & condi iusserat. & vox cum pænè defecerat, quùm Amicis vicissim quærentibus: *Quem imperij sui heredem relinqueret?* respondit: *Dignissimum. Tanta illi animi magnitudo, vel in suos ἀστοργία, & in omnes universè invidia fuit.* ut cum HERCVLEM F. Fratrem ARIDÆVM; uxorem prægnantem, ROXANEN, relinqueret; *oblitus necessitudinum, tantæ regni opes non alij, nisi forti viro, relinqui fas esse duceret.*

Quâ tamen voce, quùm veluti *bellicum inter amicos ce-*

eos cecinisse, aut malum discordiæ misisse videretur, ut omnes in æmulationem consurgerent; & ambitione vulgari tacitum militum favorem quærerent: Sextâ demum die, præclusâ iam voce, & mutato forte-an consilio, *exemtum digito anulum* PERDICCÆ tradidit. Quæ res gliscentem amicorum dissensionem sedavit: quod ille, etsi non voce nuncupatus heres, iudicio tamen electus esse censeretur.

INTERREGNVM A MORTE ALEXANDRI.

Decessit ALEXANDER (Iustin.) anno imperij VI. & regni XII. annos XXXIII. supra mensem natus. ARRIANO; mortuus est Olymp. 114. Vixit annos duo & triginta: & tertij; menseis octo. Regnavit annos XII. & menseis octo, ut mortuus sit exeunte I. Olymp. CXIV. anno. B. Hieron. mortuus est, inquit, Olymp. centesimâ tredecimâ (leg. quartadecimâ) Anno CCXXXVI. regni Persarum, quod cœperat primo anno LV. Olymp. quo tempore CYRVS Babylonios superavit. *Sed id temporis, ille in Perside regnare cœpit, non Babylone.*

Rege ita, in ipso ætatis & fortunæ flore, ex rebus humanis erepto, non minùs victores, quàm victi; Macedones, quàm Persæ; illi optimum & fortissimum regem; hi iustissimum & mitissimum dominum, deplorabant: & certamen quoddam inconditi mœroris edebant. Nec iam urbis muris luctus continebatur; sed magnam etiam Asiæ partem, cis Euphratem, tanti mali fama pervaserat.

Et SYSIGAMBIS, DARII mater, quæ ALEXANDRVM vivum amârat & suspexerat; tantoperè defunctum desideravit, ut quæ post LXXX fratres suos ab OCHO, regum sævissimo, eodem die trucidatos; post unicæ filiæ mortem; post filium regno simul & vitâ spoliatum; vivere sustinuisset: auditâ regis amantissimi morte, ne ei superesset, inediâ mori decreverit: & quincto pòst die, non tam inediæ, quàm doloris vi oppressa, exstincta sit.

Cæterum Babylone, corporis eius custodes, in regiam principes amicorum, ducesque copiarum advocârunt. Et milites secuti, qui scire cuperent, in quem ALEXANDRI fortuna esset transitura.

CONSVLTATIO DE REGNI STATV.

PERDICCAS, regiâ sellâ in conspectum vulgi datâ, in quâ diadema vestisque ALEXANDRI cum armis erant, anulum sibi pridie à rege traditum in eâdem sede posuit.

Et quoniam *Dij, regem, quem rebus humanis, tantùm, & ad tempus, accommodâsse, visi sint, nunc sorte earum completâ*, citiùs, quàm subiecti optarent, *stirpi suæ repetiissent*: & necessariò in commune consulendum sit, ac cogitandum; ut provinciæ, & gentes tot bellorum successibus, & singulari regis demortui virtute, sub Macedonici imperij potestatem redactæ, in fide pristinâ obedientiâque contineantur; *Capite opus esse*, pronuntiavit. Vnone, an pluribus, in ducum militumque potestate esse.

Si ROXANE, quæ sextum iam mensem prægnans sit, marem enitatur; eius regnum, Dijs adprobantibus, futurum. A quibus interim, regi velint; in præsentiâ destinari posse.

NEARCHVS verò; Exspectari nondum ortum regem; & qui iam sit, præteriri; nec animis Macedonum convenire, nec tempori rerum, aiebat. Esse è BARSINE filium regis: huic diadema dandum.

PTOLEMÆVS; *Indignam regno* ROXANES, vel BARSINES subolem, *uti* maiore ex parte *captivam*, censebat; quæ *liberæ Macedonum genti* imperaret. *Qui Persas vicerint, ut stirpi eorum serviant?*

Hanc ipsius esse sententiam; *Vt sede* ALEXANDRI *in regiâ positâ*, qui consilijs eius antea adhibebantur, *ij coëant*, quoties in commune consulto opus fuerit. eoque, quod pars eorum maior decreverit, stetur. Iisdem duces præfectique copiarum pareant.

ARISTONO autem placebat; summam imperij ad PERDICCAM ipsum deferri, cui ALEXANDER, ex magnâ amicorum turbâ delecto, uti optimo regni heredi, *anulum*, quo ille *regni atque imperij vires obsignare solitus erat; tradiderit.*

Iamque universi procedere in medium PERDICCAM, & regis anulum tollere iubebant: quùm ille, cupiditatem inter pudoremque cunctatus; & diutiùs quid ageret incertus; ad ultimum tamen recessit. qui, quo *modestius*, quod appetebat, *exspectaret*, renuenti *pervicaciùs oblaturos* esse credebat.

Hâc PERDICCÆ cunctatione erectus, unus è ducibus, MELEAGER; Nihil interesse, exclamat: ROXANES filium, quandoque genitus erit; an PERDICCAM regem ipsi haberent; quùm iste, sub tutelæ nomine, regnum sit occupaturus. Et mox diripiendi thesaurorum auctor; *populumq́, regiarum opum esse heredem* protestatus; per medios armatos erupit, multis prænuntiatam, an propinatam! prædam consequentibus.

(In thesauris fuisse traduntur L. talentûm millia. Et in anno vectigalium tributo, trecena mill.)

Quumque iam frequens circa MELEAGRVM armatorum esset globus; & concio penè in seditionem ac discordiam versa; quidam ex infimâ plebe, & plerisque ignotus; ARIDÆVM, PHILIPPO genitum, & ALEXANDRI fratrem, ab ijs præteriri, & gentium communi iure fraudari, expostulans; concionem induxit, ut pariter conclamarent; ARIDÆVM esse vocandum. Et licet PYTHONE multis in Iuvenem probris impensis (de matris, scorti Larissæi, sordibus, & valetudinis vi maiore) deterrere conante; postquam MELEAGER, invisus infestusque PERDICCÆ, eum strenuè in regiam perduxisset; milites eumdem mutato nomine, PHILIPPVM, consalutatum, regem appellârunt.

Hęc apud vulgum. sed principum alia erat sententia. E quibus idem PHYTHON, prius PERDICCÆ consilium exsequi cupiens, tutores filio, ex ROXANE futuro, destinat, PERDICCAN & LEONATVM, stirpe regiâ genitos. Præterea, in Europâ CRATERVM & ANTIPATRVM res administrare iussit. Tum iusiurandum à singulis exegit, futuros in potestate regis, qui ALEXANDRO genitus esset.

Sed MELEAGER, qui paullò antè metu supplicij cum suis secesserat, rursus PHILIPPVM secum trahens,

hens, in regiam irrumpit, & clamitat; Suffragati reip. de *novo rege, regum duorum, filio & fratre.*

Hic mutatis subitò voluntatibus, pauci PERDICCÆ modò electo; plures PHILIPPO, quam speraverat, imperium dedere: & ad ultimum, in stirpem regiam studijs inclinavére.

Aridæus itaque, qui tertitius principum auctoritate è concione cesserat, revocatus; vestem fratris, quæ in funebri sellâ posita fuerat, induitur.

Et simul MELEAGER, thorace sumto, capit arma, novi regis satelles. Phalanx quoque hastis clypeos quatiens, iam expletura se videbatur illorum sanguine, qui regnum, nihil ad ipsos pertinens, adfectare ausi essent.

Pòst aliquantum autem certamen, ad conclave ipsum, in quo ALEXANDRI corpus iacebat; & claustra ab armatis perfracta; PERDICCAS, & qui cum eo erant (DC. spectatæ virtutis; & Ptolemæus, cum regiâ puerorum cohorte) à senioribus rogati, ut bello absisterent, regique & pluribus cederent; tandem arma deposuére.

Sed mòx dum alteri ab alteris insidias metuunt; equitatus, qui ex nobilissimis iuvenum constabat, PERDICCAM & LEONATVM, frequens secutus est: atque urbe excedere, & tendere in campos cogitabat.

Quos dum occupatis circà Babylonem campis, frumentum, quod in urbem de more invehebatur, retinuisse nuntiatum est: & inopia primum, deinde fames esse cœpit; placuit tandem ijs, qui in urbe erant, legatos ad equites mitti de-finiendâ discordiâ.

Et quum illi, discordiæ auctores sibi à rege dedi; tum hi, ut tertius dux adscisceretur, MELEAGER, à PERDICCA petijssent; haud ægrè id impetratum est. Et hinc MELEAGRO cum Phalange obviam egresso; illinc PERDICCA equitum turmis antecedente; utrumque agmen, mutuâ salutatione factâ, inter se coijt; in perpetuum, ut arbitrabantur, concordiâ & pace firmatâ.

Sed iam fatis admovebantur Macedonum genti bella civilia: *Regno, quod insociabile est, à pluribus expetito.*

Vigebant mutua inter PERDICCAM & MELEAGRVM odia, & alter in alterius perniciem erat intentus. Et PERDICCAS quidem cum suis, communi cōsilio, rationē opprimendi maximè noxios, hanc inijt.

Placuit exercitum, uti post discordiam, patrio more lustrari: Vt intrà certum campi spatium armatī omnes starent, hinc equites, illinc Phalanx.

Et eo fortè die, quem lustrationi destinárant, rex cum equitibus elephantisque constiterat contrà pedites, queis MELEAGER præerat.

Ille itaque unà cum alâ obequitans, discordiæ auctores, quos uti sui fautores tueri ipse debebat; PERDICCÆ, maximì antè adversarij, instinctu, ad supplicia deposcit.

PERDICCAS, ut torpenteis cum duce pedites, & obnoxios, vidit; ccc. ferè, qui MELEAGRVM è concione erumpentem fuerant priùs secuti, à cæteris discretos, elephantis, in conspectu totius exercitûs, obiecit; omnesque belluarum pedibus mòx obtriti sunt. MELEAGER, serò intellectâ fraude PERDICCÆ, & damnatâ spe salutis; confugit in templum. At nec loci quidem religione defensus occiditur.

Hoc bellorum civilium, Macedonibus, & omen & principium fuit.

PERDICCAS, perducto in urbem exercitu, concilium principum virorum habuit; ut de provincijs, sive Satrapijs inter se dividundis, decerneretur.

Sed nequid earum, quæ consequentur deinceps, rerum narrationem aut seriem perturbet; Asiæ totius situm, & ipsarum Satrapiarum magnitudinem, aliaq; connexa, priùs, & quidem breviter, exponere visum est.

ASIÆ, ET SATRAPIARVM DESCRIPTIO.

Igitur à Tauro Ciliciæ mons perpetuus per totam Asiam extenditur, ad Caucasum usque, & Orientalem Oceanum; sive potiùs ad Paropamisum, (quem Macedones, ALEXANDRI gloriæ velificati, Caucasum dixére) & ad Gangem, maximum Indiæ fluv.

Atque is varijs iugorum spatijs distinctus, varia quoque, sed in singulis peculiaria, sortitur nomina.

Asiæ itaque hoc modo divisæ, pars una ad Septemtriones; altera in Meridiem vergit. Flumina verò ex hisce ferè montibus exorta, pro tractuum varietate, in diversa etiam fluunt; alia in Caspium Mare; alia in Pontum Euxinum; nonnulla in Oceanum Arctoum.

Quæ autem his adversa sunt; partim in Indicum Mare; partim in Oceanum huic continenti proximum; nonnulla in Erythræum, sive Rubrum (qui Arabicus Sinus dicitur) deferuntur.

Sic ex Satrapijs, eundem in modum dispretis, pars ad Arcton, aliæ ad Austrum vergere censendæ.

Et ab Arcto quidem, primæ, ad Oxantem fluv. (quem milites ALEXANDRI, Tanaim dixére; Scythæ Silym) Sogdiana & Bactriana.

Quibus continentes Aria & Parthia, Hyrcanum Mare comprehendunt.

Citrà has Media est, varijs locorum nominibus distincta, & inter Satrapias maxima.

Quam deinceps sequuntur Armenia, Lycaonia, & Cappadocia, hiberno cœlo obnoxiæ.

His ex-adversum, & finitimæ, Phrygia maior, & quæ ad Hellespontum sita. Ex obliquo verò, Lydia & Caria. A dextro autem Phrygiæ latere, pari longitudine protenta Pisidia; eique continens Lycia.

In maritimis quidem istarum, quas memoravi, Satrapiarum locis; Græcorum urbes & coloniæ sitæ sunt, quarum nomina ex-antegressis nota.

Nunc ad eas, quæ ad Meridiem spectant, nos convertamus.

Inter quas prima ad Caucasum India est; regnum gentibus frequens. Quarum maxima, Gangaridæ; ab ALEXANDRO, ob elephantorum multitudinem, intacti. Ea autem regio, & Indica adnexa, fluvio Gange, qui omnium illic maximus est, & xxx. stadijs latus; distetminatur.

Cis eam, reliqua est India, fluminibus crebris irrigua, & fertilitate nobilis: in quâ, præter alia compluria; PORI, TAXILÆQVE regna, quæ Indus fluv. perfluit.

Infrà hæc, Arachosia, Cedrosia, & Carmania: & præter has, Persis, Susianam & Sittacenen complexa.

Deinceps Babylonia, ad Arabiæ deserta extenditur. Supràque eam Mesopotamia est, duobus fluminibus, Tigri & Euphrate, circumfusa.

Babyloniæ adiacet Syria superior; & proximæ maritimæ, Cilicia, Pamphylia, & Cœle-Syria cum Phœniciâ.

Ad extima Cœles-Syriæ,& ei continentem solitudinem, quà Nilus delabens Syriam Ægyptumq; dispescit; designata est omnium præstantissima Satrapia, & proventibus annuis abundantissima, Ægyptus.

Hæ autem omnes Satrapiæ, sub meridiano cœlo æstuosæ sunt.

SATRAPIARVM INTER PRINCIPES DISTRIBVTIO.

Vt ad institutum redeamus; In eo, quod diximus, concilio, Imperium recens partum, siue Satrapias Asiæ, quas ALEXANDER debellatas Macedonici regni coronæ adiecerat, ità diuidi placuit.

Vt rex quidem PHILIPPVS, summam regni, nomenque obtineret. PTOLEMÆVS, Lagi F. Satrapes esset Ægypti, & Africæ gentium, quæ in ditionem concessissent.

LAOMEDONTI, Syria cum Phœnice; PHILOTÆ, Ciliciâ destinata.

Lyciam, cum Pampyliâ & maiore Phrygiâ, obtinere iussus ANTIGONVS. In Cariam CASSANDER; MENANDER in Lydiam missi.

Phrygiam minorem, quæ Hellesponto adiuncta, Leonato adiudicârunt. Cappadocia Eumeni, cum Paphlagoniâ, cessit; eamque regionem, ad Trapezunta usque, defendere; & bellum cum ARBATE gerere iussus, qui solus detrectabat imperium.

PITHON Mediam; LYSIMACHVS Thraciam, cum Ponticis gentibus, obtinuêre.

Qui Indiæ, qui Bactris & Sogdianis, cæterisque aut Oceani, aut Rubri Maris accolis, præerant; quibus quisque finibus habuisset, imperij etiam ius obtinerent.

Decretum, ut Perdiccas eum rege esset, copijsq; præesset, quæ regem sequebantur. Sed in cæteris, ANTIPATRO Macedonia; & CRATERO Cilicia reddita est.

Ordini sociorum equitum, qui longè clarissimus erat, quasi Tribunum castrorum, SELEVCVM præfecêre.

(1. Machab. c. 1. *Traditur ALEXANDER, antè quàm moreretur vocasse ad se pueros suos nobiles, qui secum à iuventute fuerant educati; & regnum illis suum diuisisse.*

Quod & Curt. attingit: credidisse quosdam, testamento ALEXANDRI distributas esse prouincias: sed famam eius rei, quamquam ab autoribus tradita sit, vanam se comperisse.)

Atque eum in modum paullo-ante regis ministri, specie alieni imperij procurandi, singuli ingentia invasêre regna: quibus expeditius paullo-post visum est, eadê augere, quàm accepisse, aut reddere.

Quod tamen imperium *sub uno stare* potuisset; *dum à pluribus sustinetur*, tandem ruit. Multos Macedonia, pro uno, ALEXANDROS habuisset, nisi fortuna eos æmulatione virtutis iu perniciem mutuam armâsset.

Septimus iam dies erat, ex quo corpus regis iacebat in solio; curis omnium ad formandum rei publicæ statum, à tam solenni munere, auersis.

Vt tandem curare corpus exanimum amicis vacavit; nullâ tabe, ne minimo quidem livore corruptum, nec vultum vigore spiritali destitutum vidisse traduntur, qui intraverant. Quod si verum est; in tanto Mesopotamiæ regionis æstu, admirandum extitit.

De eius sepulcro, infrà, ARIDÆVS namque rex corpus fratris sui in HAMMONIS templum deducere iussus, biennium ferè in funeris apparatu consumsit.

LAGIDÆ.

PTOLEMÆVS LAGI F. SOTER. PRIMVS ÆGYPTI REX.

3629. | ——— | 321.

PTOLEMÆVS, Lagi F. SOTER dictus, cui, in cæteris Satrapis, Ægyptum, & Africæ Arabiæque partem, vel suffragijs, vel sorte obvenisse, diximus; etiamsi septimò demùm ac decimo post anno, regis nomen adsumserit; tamen quia eoipso, quo ALEXANDER obijt, anno, Ægyptũ obtinuit; ac deinceps ad obitum usque suum possedit: ideò ab eodem anno PTOLEMÆI Lagidæ, siue Soteris & Ægyptij regni (quod stetit deinceps an. 294.) initiũ inchoamus. Et universæ historiæ, annorumque seriem per posteros eiusdem, ad CLEOPATRAM & AVGVSTVM usque, pertexemus.

Illum, Iustin. teste, ex gregario milite ALEXANDER, virtutis causâ, provexerat.

Curt. verò l. 9. Sanguine ei coniunctum fuisse tradidit. & quidam PHILIPPO genitum esse credebant. Certè pellice eius ortum constabat.

Idem corporis custos, promtissimusque bellator; & pacis artibus, quàm militiæ maior & clarior; modico civilique cultu, liberalis in primis, aditúque facilis, nihil ex fastu regio adsumserat. Ob hęc regi, an popularibus carior esset; dubitari poterat.

Tum certè primum (quum videlicet in regno SABI, (al. Samij) inter dimicandum, lævo humero leviter quidem saucius, sed telo venenato; & maiore periculo, quàm vulnere, adfectus; regis solicitudinem in se converterat) expertus suorum erat animos; adeò ut fortunam, in quam posteà adscendit, in illo periculo Macedones ominati esse videantur. Quippe non levior illis PTOLEMÆI fuit cura, quam regis. qui & prœlio & solicitudine fatigatus, quùm PTOLEMÆO

adsideret,

assideret, lectum, in quo ipse acquiesceret, iussit inferri. In quem ut se recepit, protinus altior insecutus est somnus. Ex quo excitatus, per quietem vidisse se exponit speciem draconis, oblatam herbam ferentis ore, quam veneni remedium esse monstrâsset: Inventamque deinde vulneri imposuit. Protinusque dolore finito, intrà breve spatium cicatrix quoque obducta est.

Ab hoc anno primo Ptolemæi, usq; ad regnum Seleucidarum, anni sunt XII. Mirâ namque Principum contentione protracta est discordia ad totidem annos, quando cœpit Seleucus regnare; Syriâque & Babylonem obtinuit.

GRÆCORVM MILITVM SEDITIO ET CLADES.

Intereà Græci per colonias in superioribus Asiæ Satrapijs collocati, auditâ ALEXANDRI morte, res novas moliri cœperant; & iam patriam desiderio præceperant; delectoque duce, Philone Æniane, non contemnendas copias, ad XX. peditum & III. equitum M. coëgerant.

Ad hos comprimendos PYTHONEM, Agenoris filium, mittit PERDICCAS, cum III. Macedonum peditum Mill. & equitibus DCCC. iussisque, per litteras, Satrapis milites Pythoni sufficere, ad X. pedit. & IIX. equitum Mill.

PYTHON, cui datum à Perdiccâ mandatum erat ut perduelleis omneis internecioni daret, & spolia Macedonibus distribueret; Græcos ille contrà comitate quâdam sibi conciliare; & auctis eorum societate copijs, res suas augere; & finitimas Satrapias suæ ditionis facere cogitans; prœlio cum ijs commisso victor, per præconem edixit; *Vt armis positis, fideq; acceptâ, domos se quisq; suas tutò reciperent.*

At Macedones, mandatorum Perdiccæ memores, iure-iurando ducis neglecto, fidem Græcis non servârunt. Eosque securos de-improviso adorti, omneis missilibus contrucidârunt, & spolia pecuniamque inter se sunt partiti.

RHODIORVM ET ATHENIENSIVM REBELLIO.

Rhodij quoque, eiecto ex urbe & Insulâ suâ Macedonum præsidio, se in libertatem vindicârunt.

Nec minùs Athenienses, quùm exsules suos, licet invitissimi, tandem suscipere coacti essent; ex morte regis reciperandæ libertatis spem resumsêrunt: reliquosque ad vindicandam Græciæ libertatem cohortati, multos in parteis suas pertraxêre. Et LEOSTHENE duce populari, Ætolis primùm, dein Argivis & Thessalis in societatem adlectis, VIII. emeritorum ALEXANDRI militum M. ad Tænarum Laconicæ conducunt. & V. peditum ex suis, & bina mercenariorum M. armant, & equites D.

ÆSCHINES, qui ante-decennium in exsilium pulsus, Rhodi tranquillè rum degebat, fidele civibus consilium dedit; ne se bello, cui sustinendo impares essent, temerè implicarent. DEMOSTHENES contrà, licet & ipse, ob crimen accepti ab HARPALO auri, patria pulsus, Megaris fortè exsularet; ut missum ab Atheniensibus HYPERIDEM legatum cognovit, qui Peloponnesios in societatem armorum solicitaret; eumdem secutus, Sicyona, Argos & Corinthum, cæterasque civitates eloquentiâ suâ Atheniensibus iunxit. Ob quod factum, missâ ab Atheniensibus obviàm nave, ab exsilio revocatus est.

BELLVM LAMIACVM.

Athenienses contracto iam XXX. Millium exercitu, & CC. navibus, bellum ANTIPATRO, cui Græcia forte evenerat, inferunt. Eumque detrectantem prœlium, qui XIII. tantum Macedonum Mill. & DC. equites haberet; (al. prœlio victum) & Heracleæ, vel potius Lamiæ (undè hoc bellum, LAMIACVM) urbis mœnibus tuentem se obsidione cingunt.

LEOSTHENES in obsidione Antipatri strenuè persistens, ab Ætolis, qui domum revocabantur, desertus, & ab erumpente ANTIPATRO oppugnatus; telo è muris in transeuntem iacto, occiditur.

Cui substitutus ANTIPHILVS, postquàm LEONATVM, à quo auxilium per legatos petierat ANTIPATER; cum exercitu ex Macedonibus collecto, ad XX. peditum, II. equitum Mil. & D. advenire, cognovisset; ipse, cui XXII. pedit. & equitum ferè IV. Mill. superessent; obsidionem quidem solvere coactus est; sed hosti recenti obviàm procedens, & prœlio congressus; LEONATVM, Thessalici equitatûs virtute, superavit & occidit.

Cuius morte lætatus traditur ANTIPATER, qui & æmulum sublatum; & vireis eius sibi accessisse gratularetur.

Ipse tamen continuo pòst, obsidionis tædio liberatus, recepto LEONATI exercitu, cum par hostibus etiam prœlio videretur, in Macedoniam concessit.

Clytus autem classis Macedonicæ, quæ CCXL. navibus constaret, præfectus, Eetionem Atticarum navium, quæ CLXX. erant, prætorem, bis prœlio navali egregiè vicit; & multas, ex adversarijs, adlixit, circa Echinadas insulas.

PERDICCÆ AMBITIO.

Intereà PERDICCAS, qui regem PHILIPPVM, regiasque copias secum haberet, ARIARATHEM, Cappadociæ regem, (alij moderatorem, sive Satrapam appellant; sed qui regnum adfectâsset) qui ne ALEXANDRI quidem, ad DARIVM Persidemque properantis, imperium agnoverat; & grandem ex regionis proventibus pecuniam, atque indè cum domesticas, tum peregrinas copias, ad XXX. pedit. & XV. equitum Mill. conflaverat; bello adortus, vicit & cepit. Eumque, cum omni cognatione, tormentis & cruce adfecit. Provinciam verò ita compositam, Eumenis Cardiani fidei, ex pacto, tradidit.

(Iustin. tradit; PERDICCAM ex eo bello nihil præmij, præter vulnera & pericula, retulisse. Quippe hostes ab acie in urbem recepti, occisis coniugibus & liberis, domos, quisque suas cum omnibus copijs incendêrunt; & eòdem congestis etiam servitijs semetipsos præcipitârunt, ut nihil hostis suarum rerum, præter incendij spectaculo, frueretur. Illud facinus alij Isaurijs, Pisidiæ, adsignârunt.)

PERDICCAS ut viribus regiam auctoritatem acquireret, ad nuptias CLEOPATRÆ, sororis ALEXANDRI Magni; & alterius ALEXANDRI, Molossi sive Epirotæ, viduæ; matre eius Olympiade non adspernante, intendit. Sed dum fingit se in matrimonium ANTIPATRI filiam (NICEAM) petere, quò faciliùs sub adfinitatis obtentu eum caperet, & supplementum tironum ex Macedoniâ obtineret; dolum præsentiente ANTIPATRO, dum duas eodem tempore uxores quærit, neutram obtinuit.

3630. 2. Ptol. Lagidæ. 320.

GRÆCORVM ET ATHENIENSIVM CLADES, DEDITIO, ET PAX.

CRATERVS, qui hactenus in Ciliciâ, sibi attributâ, subsisterat, certior factus de intestinis Græciæ tumultibus, in Macedoniam traijcit XIII. pedit. Mill. & equites quingentos suprà Mille. Et castris in Thessaliâ, apud Peneum fluv. fixis Principem locum ultrò & lubens Antipatro cessit. Vt exercitus, ad XL. gravis armaturæ peditum & ad sagittariorum funditorumq; III. Mill. & ad quinquies Mille equites excreverit. quùm Græcis Atticæ factionis vix XXV. pedit. & paullò plus III. equit. M. (reliquis temerè ad sua dilapsis) superessent.

Et in antè, quàm à Civitatibus auxilia advenirent, in certamen de summâ rerum descendere coacti, & ad Cranonem ancipiti pugnâ prœliati; quùm maior quàm pro clade consternatio eorum animos occupâsset; & Thessaliæ urbibus, ceteatim victori se, & sigillatim, dedentibus; universæ hostium vireis Athenas versùs ducerentur; MENONE & ANTIPHILO, primarijs ducibus, haud refragantibus; DEMADEN cum PHOCIONE, legatos ad Antipatrum misêrunt, qui de communi pace agerent.

Hic Athenienses à socijs, qui singuli & carptim in leges deditionis abierant, destituti, eas pacis conditiones accipere coacti sunt, quæ victori placuissent: quasque ipsi eidem Antipatro, ad Lamiam obsesso, insolenter proposuerant.

Antipater itaque in urbem absolutâ cum potestate admissus, clementiùs, quàm opinati essent; victoriâ usus, hoc unum exegit; *Vt præsidium, duce Menyllo, in Munichiâ acciperent; Et Democratiam cum Aristocratiâ commutarent.*

„ Vtque nemini reip. administratio committeretur, qui non, minimum, bina Drachmarum Mill. possideret.

Ex quibus, assiduis & locupletibus, IX. M. sunt reperta. reliqui, proletarij, aut capite censi, à rep. exclusi, quibus bellum pace semper uulius censeretur. Ex quibus in Thraciam abducti, ad vicies & bis mille.

Pro eâ comitate, & ob Respp. passim per Græciâ probè constitutas, ANTIPATER, laudes & coronas ab omnibus est consecutus.

Quùm autem controversia de Samijs exsulibus, ad reges, ALEXANDRI heredes, esset relata; Perdiccâ omneis revocari; & post XLIII. annorum exilium bona iis postliminij iure restitui iussit. *Hic exitus belli Lamiaci.*

VARIÆ PRINCIPVM MOLITIONES.

PERDICCAS, debellato ARIARATHE, ex Cappadociâ in Pisidiam profectus, urbeis duas, Larandam & Isauriam; propterea quòd vivente adhuc ALEXANDRO defecerant; & BALACRVM, NICANORIS F. præfectum interfecerant; funditùs evertere cogitabat. Et Larandam quidem facilè cepit, & solo æquavit: Sed Isaurij, post aliquot virium periclitationes, ubi se vim Perdiccæ, & supplicia cum contumeliâ coniuncta effugere non posse vidêrunt; se cum liberis vxoribusque & copijs communi incendio perdidêrunt. (*Id Iustin. Cappadocibus, Ariarathi tum parentibus, attribuit.*)

Antipater cum Cratero in Ætolos, qui soli belli Lamiaci socij adhuc indomiti perstabant, expeditionem fecêre, instructi XXX. peditum Millib. & equitibus bis mille quingentis.

Ætoli tantis copijs impares, urbium partim, quæ infirmiores, desertis; & quæ naturâ aut opere firmæ, iusto præsidio munitis; ad decies Mille, in montana asperaque loca, cum uxoribus & liberis, & copijs domesticis, confugêrunt.

Sed obstructis à Cratero montium angustijs, cũ frigore & fame conflictati, salutem desperare cœperant; quùm fortè ANTIGONVS, PHILIPPI F. omnium ducum ad res gerendas maximè idoneus; qui calumnias & sævitiem PERDICCÆ metuens, cum amicis & filio DEMETRIO, consensis clàm navibus Atticis, ex Asiâ in Europam transierat; & cum Antipatro se coniunxerat: eumdem de omnibus PERDICCÆ consilijs, de dubiâ fide, & Nicææ filiæ repudio, edoceret.

Illum, adscitâ in matrimonium regiâ filiâ, CLEOPATRA, iam-nunc cum copijs in Macedoniam venturum; & ceu regũ tutorem, & regni candidatum, omneis, suo quemque imperio, privaturum.

Quo nuncio illi perterriti, protinus cum Ætolis pacem fecêrunt: quos debellatos, in solitudinem, & cum totis familijs in regiones Asiæ remotissimas, ablegare constituerant.

Ipsis, habito inter se concilio, copias celeriter in Asiam traijcere; & Cratero Asiæ, Antipatro Europæ imperium tradere, visum est. Et missis legatis Ptolemæum Lagidem in PERDICCAM, sibi haud secus infensum, concitare.

PTOLE-

PTOLEMÆI LAGIDÆ INCREMENTA.

Hic in Ægypto, cui præerat, magnas opes solerti industriâ pararat: Ægyptios insigni moderatione in favorem sui sollicitârat: & reges finitimos beneficijs obsequijsque devinxerat. terminos quoque imperij per Libyam ampliârat: & Cyrenaicam provinciam, in teftinis dissensionibus laborantem; & per Thymbronem, Harpali cæde nobilem, variè diuque adflictam, armis, duce Ophella, terrâ marique circumlatis, sibi adiunxerat. Nec multopost, Cyprus & Phœnice accessere. Factusque iam tantus erat, ut non tàm timeret hosteis, quàm timendus ipse hostibus esset.

ALIORVM DVCVM IN PERDICCAM CONSPIRATIO.

Illi itaque, quos dixi, factâ virium voluntatumque conspiratione, & caussâ scripto publicatâ, expeditionem in Perdiccæ caput adornant. Cui plus publicum ex arrogantiâ odium, quàm vires aut conatus hostium nocerent.

Ipse autem, alienatis itâ rebus in Pisidiâ, Aridæum, & Alexandri filium, cum amicis & ducibus, de summâ belli, in consilium adhiber. Et cum quibusdam placeret bellum in Macedoniam, ad ipsum fontem & caput regni; ubi non mediocre partibus momentum, Olympias, mater Alexandri, esset; & popularium favor, propter Philippi Alexandrique nomina.

Alijs tamen in rem visum est, ab Ægypto incipere: ne in Macedoniam profectis, Asia à tergo relinqueretur, & à Ptolemæo occuparetur.

NOVA PROVINCIARVM DISTRIBVTIO ET DVCVM DISSCIDIA.

3631. | | 319.

Evmeni, præter provincias, quas acceperat, Paphlagonia & Caria, Lycia, & Phrygiâ, sunt adiectę. Ibique, circâ Hellespontum, Antipatrvm & Cratervm, cum iustis copijs, opperiri & transitu prohibere iussus est.

Additi, adiutores, cum exercitibus, Alcetas, Perdiccæ frater, & Neoptolemvs.

Clito cura classis tradita; & Cilicia Philoxeno data, quam Philotæ suspecto ademerant.

ALEXANDRI SEPVLTVRA.

Aridæus, Alexandri frater, cui corporis ad Hammonem deportandi provincia fuerat mandata, quùm biennium ferè in funeris regij adparatu consumsisset; tandem, vere ineunte, ad iter instituendum se accinxit.

Corpus erat conclusum feretro, supernè aureo, & aromatis infercto. De plaustro, cui impositum erat, purpureum tegumentum dependebat, adpositis Alexandri armis, & imagine res eius gestas exprimente.

Plaustri fornix ex squamis aureis, & pretiosis lapillis exstructus, octo cubitis latus, & duodecim erat longus.

Sub fornicis tecto, ad feretri latus, solium aureum adiacebat, formâ quadratâ, innumeris instructum ornamentis; in quibus artis opus materiam longè superaret. Tantam molem exquisitissimi muli, LXIV. robore & proceritate præstantes, devehebant.

Ptolemæus, ut supremum Alexandro regi & heroi suo honorem impertiretur; Aridæo, ex Babylone adpropinquanti, in Syriam usque, cum copijs occurrit, pompæ funebris curam in se suscepturus.

Sed longinqui & laboriosi ad Hammonem itineris tædium caussatus, Alexandriæ substitit. (Alij, Memphim priùs deportatum tradunt) & in augustissimo, clarissimæ toto orbe urbis templo recondidit; iustis magnificentissimè, non sine heroicis sacrificijs & certaminibus, peractis.

Et hoc fortè prætextu Perdiccas in Ptolemæum, licet alijs sibi nominibus invisum, quasi perduellem & maiestatis reum, celeriùs arma commovit; & Ægyptum ingenti cum exercitu petivit.

EVMENIS VICTORIÆ, ET PERDICCÆ EXITVS.

Evmenes intereà, adversarios ex Europâ in Asiam traiecturos prohibere iussus; cui cæteri duces, tum ob rei militaris peritiam, tum ob fidei ergà Perdiccam & socios constantiam, parêrent; cum traditis sibi copijs, & equitatu provinciali, (xx. peditum Miscellorum, & v. equitum Millibus) ad Hellespontl custodiam erat profectus. Et Antigonvs cum Cratero, nihilo-minus, qui xx. pedit. & bina tantùm equitum M. ducebant, in Asiam traiecerant; quùm Neoptolemvs, Evmeni adiutor relictus; quique satis magnam Macedonum militum manum penes se habebat; ex odio & æmulatione collegæ, ad Antipatrvm, imperij cum eo communionem pactus; non solum transfugere; sed prodere etiam partium exercitum tentavit.

Verùm cum eam rem Evmenes præsensisset cum proditore decernere prœlio necesse habuit Eumque itâ vicit, & castris peditatuque spoliavit; ut vix ille cum ccc. equitibus ad Antipatrvm elapsus, persuaserit, ut commutatis itineribus, læto ex victoria & securo fugâ suâ, Evmeni, supervenirent. Illi, re inter se deliberatâ, copias bifariam dividere statuerunt: ut unâ cum parte Antipater in Ciliciam adversus Perdiccam, proficisceretur: alterâ Craterus, cum

Cœle-Syriâ, opportunis Ægypto regionibus, vehementer potiri cupiebat.

Missus ab eo in Syriam, dux exercitûs, NICANOR, LAOMEDONTEM ibi Satrapam vivum cepit, & Syriâ subegit: & civitates Phœniciæ benivolentiâ sibi adiunxit, præsidijsque firmavit.

ANTIGONVS verò, idoneo præsidio ad Castellum Noræ, quod muro, fossis & vallis, mirandum in modum, cingendum curârat; relicto: in ALCETAM, PERDICCÆ fratrem; & in ATTALVM regiæ classis præfectum, exercitum duxit.

3633. 5. Ptolem. | 317.

ANTIGONI BELLVM CVM ALCETA, ET PISIDIS.

ALCETAS auditâ iam-tum fratris nece, & ANTIPATRI potentiâ; & coniuratione in omneis PERDICCÆ amicos invalescente; Pisidiam, provinciam situ asperam, & viris bellicosis abundantem, omni beneficiorum ratione sibi demereri contenderat: & Iuventutem sui studiosissimam liberalitate & comitate effecerat.

ANTIGONVS autem, ut hosteis latéret, tantâ celeritate iter confecit; ut licet elephantos quamplurimos, & pedit. XL. & equit. VII. M. secum duceret; septem diebus, totidemque noctibus, à Cappadociâ, ad Pisidiæ urbem, quæ CRETVM dicta est, MMD. stadia sit emensus.

Eoque pacto ALCETAM imparatum, nihilque dum tale metuentem pænè oppresserit. & angustijs montium occupatis, edito & tuto loco castra sit meratus.

ALCETAS, licet viribus impar, cui DCCCC. tantùm equites, & XVI. peditum Mill. adessent, prœlij tamen aleam experiri tentavit.

Sed Antigonus è loco editiore pugnans, & viribus longè superior, fuso adversariorum exercitu, ATTALVM, cum DOCIMO & POLEMONE, alijsque, vivos cepit. & copias eorum à clade superstites, comi impunitatis & munerum pollicitatione suis adiunxit.

Pisidæ nihilo minus sexies Mille, viri animis & robore præstantes, ALCETÆ fidem servârunt; & incolumem cum satellitibus & pueris suis in urbem Termessum perduxerunt; extrema, cum, & pro eo, omnia toleraturi.

Sed Antigono cum copijs omnibus ad urbem castra-metante, maiores natu, qui indomitâ Iuniorum temeritate patriam, unius Macedonis caussâ, in-certum periculum vocari ægriùs ferrent; Antigono auctores fuére, ut propiore oppugnatione, & simulatâ subinde fugâ, Iuvenes ex urbe ad certamen eliceret.

Quod dum sedulò, nec frustrà, Antigonus facit; seniores ALCETAM, urbis custodiæ destinatum & relictum, adgressi, confodiunt. (Diod. quùm vivum capere nequijssent, ad manus sibi inferendas adegérunt.) Eiusque cadaver, lectulo impositum, vilique lacernâ opertum, inscijs adhuc foris velitibus, ad Antigonum misérunt.

Iuniores eo cognito, in tantam iram exarsérunt, ut propè abfuerit, quin parenteis suos cum totâ urbe concremârint. Sed iracundiâ tandem in hostem versâ; quia iusto bello non poterant, ad latrocinia conversi, Antigoni provincias longè lateque infestârunt.

Et corpus tam cari ducis, indignis per totum triduum ab hoste contumelijs habitum, & insepultum, ipsi honorificè sublatum splendidis exsequijs cohonestârunt.

ANTIPATRI CIRCA ATHENIENSEIS GESTA, ET EXITVS.

In Macedoniâ verò ANTIPATER, qui eò reges nuper ex Asiâ perduxerat, DEMADEM ab Atheniensibus ad se missum, ut præsidium, quod antè quinquennium victæ urbi imposuerat, ex pacto, è Munichiâ educeret; ob occultam, quæ ipsi & Atheniensibus, cum Perdiccâ, intereà intercesserat, conspirationem; cum filio Demeâ, licet legationis collegâ, uti fidei violatæ convictos, & liberiùs comminanteis interfecit.

(Eidem DEMADI tribuitur, quod alij in Demosthenem contulérunt. Ille namque quùm adversùs Milesios orâsset, & plura dicturus esset; Milesij ab eo silentium pretio sunt emercati. Et orator in forum quidem prodijt; sed focali revinctus: Quasi συνάγχην pateretur. Tum unus è populo; non hanc esse συνάγχην, sed ἀργυράγχην exclamavit.)

ANTIPATER extremo morbo senioque confectus, extremam etiam operam dedit, ut Regum tutela, & summa imperij potestas, secùdum se, POLYSPERCHONTI (qui natu maximus inter duces ALEXANDRI æquales, esset, & in Macedonibus honoratissimus) committeretur.

CASSANDRVM F. adhuc adolescentem, neque maiori oneri parem; præter Cariæ Satrapiam, Tribunum (quasi magistrum equitum, sive castrorum præfectum; quod munus ab antiquo nobilissimum fuit) creavit. Neque multò post, feliciter certè, & incruentâ morte mortuus est.

(Iustin. tradit; legatos ad ANTIPATRVM ab EVMENE, dum obsidetur, missos, qui solus par ANTIGONI viribus videretur. A quo eum auxilia obsessis missa ANTIGONIS didicisset, ab obsidione recessit. Qua de re infr.)

CASSAN-

CASSANDRI ET ANTIGONI MOLITIONES.

CASSANDER, Antipatri F. indignatus POLYSPERCHONTA sibi prælatum, & iniquius se à Patre habitum, clàm apud suos contestatus; tentatâ cum Ptolemæo & Antigono, alijsque belli societate, adversus Polysperchontem coniurat.

ANTIGONUS vicissim tot hostibus debellatis, tantâque virium accessione auctus, totius Asiæ imperium sibi soli vindicare constituit, excusso regum & tutorum iugo. Eamque ad rem EUMENEM, prudentem iuxtà ac fortem ducem, qui hornotinâ iam longiorem obsidionem toleràrat, per Hieronymum, amicum civemque, & historiæ scriptorem, restitutâ Cappadociæ Satrapiâ, sibi conciliare tentavit.

Totius denique Asiæ Satrapas, quà minis, quà promissis, aut subvertere, aut in sui instituti partes pertrahere.

ARIDÆUS, Phrygiæ ad Hellespontum Satrapa, (alius, uti credere par est, ab ALEXANDRI fratre) Cyzicum, urbem sibi opportunam, de improviso adortus, civibus suarum rerum satagentibus, frustrà fuit.

ANTIGONUS quoque, quùm specie ferendi auxilij, eidem civitati, impenderet, & serius venisset; benivolentiam saltim ostentavit, spe suâ frustratus.

Sed Aridæum, quasi immerentem, sociamque Græcorum civitatem, inique obsedisset; Satrapiâ cedere, & quietè deinceps vivere iubet.

Ille urbibus suis in eventum firmatis, partem copiarum emisit, præfecto eis duce, cum mandato, ut EUMENEM, solutâ castelli, quo detinebatur, obsidione, liberaret; eique ceu socio se coniungeret.

ANTIGONUS, ultionis desiderio ardens, partim copias ad eum debellandum immisit; partim cum altero exercitu in Lydiam movit, ut CLYTUM Satrapam, ARIDÆO amicum, suâ quoque provinciâ spoliaret.

Sed hic itidem præsidijs per opida primaria collocatis, in Macedoniam navigavit; POLYSPERCHONTI & regibus rebellionem audaciamque ANTIGONI patefacturus; & opem ab ijs, periclitantibus fidorum Satraparum rebus, petiturus.

ANTIGONUS verò Epheso obiter occupatâ, sexcenta argenti talenta intercepit; quæ ÆSCHYLUS Rhodius è Ciliciâ in Macedoniam ad reges perferebat; eaque in mercenariorum militum stipendia convertit.

3634. 6. Ptolem. | 316.

CASSANDER, quùm Macedonibus in POLYSPERCHONTEM benè animatis, in adfectando Macedoniæ imperio, offendisset; clàm inde in Cherronesum, & mox in Hellespontum, ac denique in Asiam profectus, ab Antigono auxilium sibi deposcit. Cui Ptolemæus quoque belli se socium fore, pollicitus esset. Ille hospitem comiter acceptum, expromtæ operæ, copiarumque tàm navalium quàm terrestrium spe implevit. Veteri quidem Antipatri Patris amicitiæ id daturum simulans; sed id unum re vera moliens, ut dum CASSANDER bello adversus POLYSPERCHONTEM gerendo distineretur; ipse Asiæ totius imperium, sine magno negotio, in se transferret.

POLYSPERCHONTIS ADVERSARII CONATUS.

POLYSPERCHON, regum tutor, ut adversùs CASSANDRUM, PTOLEMÆI & ANTIGONI, potentium principum, societate subnixum & ferocem, se tutaretur; veritus, ne Græcarum urbium præfecti, ab Antipatro olim instituti, in filium eius, CASSANDRUM, inclinarent; promulgato Regum nomine edicto; „*Resp. omneis*, quæ post ALEXANDRI in Asiam transitum, optimatum aut paucorum dominatum, aut præsidia admittere coactæ essent, *in antiquum statum*, qui sub PHILIPPO, & ALEXANDRI primordijs viguisset, *restitui*: Et eo nomine *relegatos*, præter qui homicidij aut impietatis damnati essent, *in suam quemque patriam, revocari* iussit.

„Omnes ultimi Græcis *caverent, ne quis ex ipsorum subiectis militaret adversarijs ducibus, aut nomina daret. Pœna, exsilium & facultatum publicatio esset.*

Scribit præterea ad EUMENEM, recens ex castello, fide Antigono datâ, digressum; cogitaret secum, quàm hostiliter ab Antigono habitus esset: quamque parum tutò, CASSANDRO, ob vetus Antipatri odium, confidere debeat. Maturè igitur sibi prospiciat; & regibus potiùs, quàm infidis perduellibus, fidem & obsequium præstet.

EUMENES ASIÆ IMPERATOR.

Nec abnuit EUMENES, *honestiorem ac tutiorem sibi* fore ratus *sub regibus, quàm sub prædonibus, militiam.* Neque ullam à periurio culpam metuebat; quod in iurisiurandi formulâ, quâ fœdus cum Antipatro inierat, Olympiadem & reges, uti amicos, complexus esset: quæque ipsorum Macedonum, à quibus obsidebatur, suffragijs esset comprobata. licet ea & Hieronymo sequestro, & ipsi Antigono plurimùm posteà displicuerit.

Sed iam evaserat cū suis EUMENES, Antigonoque haud iniuriâ diffidens, securitati suæ consulebat.

Mandatum erat Ciliciæ Satrapæ, ac regijs quæstoribus, ut EUMENI, ceu creato totius Asiæ Imperatori, Argyraspides, ter Mille, cum ducibus (invictus olim ille exercitus) parerent; & D.

ingreditur. Tigris verò maiore impetu solum premens,neque diruptus,unà fossâ, eaque magno labore deductâ,in Eulæum immittit alveum. quo naves NEARCHI quassatæ, in Tigrim sunt devectæ.

Et quia Persæ,ne quisquam mari,adverso flumine,delatus, Babyloniam infestare posset, multis cataractis rectum Tigridis cursum interruperant; ALEXANDER huiusce cautioois irrisor, eas omnes æquari iussit; ut itthâc,Babyloniam petere posset.

Ipse itaque cum navium velocissimis in Oceanum (sinum Persicum)ingressus,mox ad Tigridis ostium revolavit. Et ad Opin urbem subvectus,& aliquamdiu ibi interquiescens,coortam militum seditionē, non minore virtute, quàm prudentiâ compescuit.

SEDITIO MILITARIS.

Quùm enim veteranis & emeritis militibus, honestâ in patriam missione gratificari constituisset;& XIII. modò peditum, biniaque equitum mill. in Asiâ,iam domitâ,& coloniis Europæis refertâ,retinere:dissolutis ex regiâ pecuniâ utrorumque debitis:(quæ in exercitu, tot ditissimarum gentium victore,fuere immania; & amplius IIX. mill. & LXX. talenta exhauserunt.)

Statim, ut cognitum est, alios remitti domum, alios retineri ; perpetuam eum regni sedem in Asiâ fixurum rati; regem ferociùs, quàm aliàs, adorti, omnes simul missionem postulare cœperunt; deformia cicatricibus ora, & præmaturam capitum caniriem ostentantes.

Rex oratione in ingratos,cum multis probris,detortâ;& iis facessere ocyùs,& in patriam,se deserto, abire iussis,frendens de tribunali desiluit ;& in medium armatorum agmen se demisit ; & ferocissimum quemque manu corripuit. Nec ausos repugnare,XIII. ex iis,adservandos custodibus corporis tradidit.

At ipsi hâc contumeliâ perciti,quùm postero die venissent, & prohibiti aditu essent, Asiaticis modò militibus admissis ; singuli rem universi totis castris edidére clamorem. *Protinùs esse morituros, si rex veteribus ministris perseveráret irasci.*

Rex nihilo-minus pervicaci ad omnia, quæ agitásset,animo, Persis corporis sui custodiam credidit: Persas satellites apparitoresque fecit: per eosque, auctores seditionis,Macedones, & vinctì ad supplicia tracti,& in amnem immersi.

Tum concursu in regiam facto, & armis ante ianuam (pœnitentiæ signum) proiectis, flentes, non nisi veniâ impetratâ,discessuros contestati sunt.

Quibus ille nunc modicè incusatis,nunc comiter appellatis ; complureis bello inutileis exauctoravit: (ad X. seniorum mill.) & magnificè donatos, talento quemque , præter stipendia in diem reditûs adpensa; dimisit.

Et scriptis ad ANTIPATRUM, Macedoniæ præfectum,literis, iisdem priores in theatro sedes, spectandis certaminibus,adsignari;coronatosque sedere, iussit.

Defunctorum quoque liberos, pupillos, paterna contrahere stipendia voluit, CRATERO iis omnibus præposito. Quem etiam, loco ANTIPATRI (cui graves cum OLYMPIADE matre simultates intercedebant)Macedonibus,Thessalis, Thracibusque præesse iussit. Et ANTIPATRUM vicissim, cum tironum supplemento,in CRATERI locum vocavit.

CRATERUS nihilo-minus,(quibus caussis incertum)in Ciliciâ,ad ALEXANDRI usque mortem, substitit. Et ANTIPATER , qui evocari se valde iniquo ferret animo,ALEXANDRUM veneno interficere statuit.

Rex Opide egressus, & cum classe Tigridis oram legens, in pagos,qui Cari dicuntur, pervenit. Hinc quartis castris in Sambanam ; ubi VII. dies exercitui ad quietem dati. Tertio pòst die Celonas , ad Choaspem fluv. Vbi Bœotorū proles supererat,ex iis orta,quos olim XERXES eò in coloniā deduxerat: nequedum à patriis institutis,aut sermone,degener.

Hinc Bagistanam,eximiæ amœnitatis regunculam,perlustrat. Inde in Nysæos campos,pascuorum ubertate nobileis,transiit: In quibus olim CLX. equarum Nysæarum millia, ad subolem, à regibus Persarum alì solita. Tum verò reliquis à prædonibus abactis,vix tertia pars reperta est.

Iis in agris XXX. dies commoratus , septimis castris Ecbatana, Mediæ caput, pervenit. Huius urbis ambitum Diod. testatur fuisse CCL. stadiorum.

HEPHÆSTIONIS MORS.

Septimo post adventum die, quùm regni necessaria disponeret,& ,spectacula denuò , diesque solenneis indiceret; HEPHÆSTION, quem rex unicè & fratris loco diligebat ; dotibus primò forte puerinæque,mox obsequiis regi percarus, ex febri: (Curt.) ex crapulâ(Diod.)vitâ decedit.

Ex eius morte ALEXANDER incredibili adfectus dolore, luctu diem noctemque continuato , super exanime amici corpus eiulans procubuisse traditur: & ei,tamquam Heroi,sacrificari iussit. In funus,atque monimentum ei Babyloni faciendum, plus quàm XII. talentûm M. impensa sunt.

Regem autem à luctu pænè ludicro,ad seria commodùm avertit nuntiata Cossæorum defectio. Gens est bellicosa , quæ Vxiis finitima asperrimos incolit monteis; & externi principis iugum hactenus detrectárat,nec Macedonum vireis magni æstimabat. Nihilo-minus intra XL. diem variis prœliis fracti; multisque eorum,aut dedititiis,aut captis, imperata facere coacti sunt: & opidis opportunè conditis, & cum præsidio obiectis,in servitutem redacti.

3628. | | 322.

LEGATI VARIARUM GENTIUM.

ALEXANDRO, Cossæis subactis, Babylonem , quo antè constituerat,reverrenti, nuntiatum est ; Legatos,intactarum adhuc gentium,ex diversis terrarum orbis partibus, Africâ , & Carthagine ; Hispaniâ & Illyrico, & aliunde , Babylonem confluxisse,eiusque adventum exspectare. Alios, ut de rebus tam feliciter gestis, non sine coronis & muneribus, congratularentur. Alios, qui societatem expeterent. Alios, ut de obiectis criminibus sese expurgarent.

Ipse itaque, tamquam conventum universi orbis acturus,Babylonem pervenire festinabat.

VARIA

VARIA DE MORTE PRÆSAGIA.

Aberat ab urbe ad ccc. stadia; & modicis itineribus exercitum promovebat; quum Chaldæi, sideralis scientiæ opinione famosi, ad eum accedunt, & monent; *Ne Babylonem ingrediatur.* alioqui infaustum fore; & vitæ periculum portendi.

Ille ejusmodi artium superstitioni plus satis addictus, ideoque nonnihil perturbatus; multis amicorum in urbem transmissis, & profectione in aliud tempus dilatâ; castra, cc. à Babylone stadijs, metatus; sive, ut Iustin.) in Burtiam urbem, trans Euphratem, olim desertam, concessit.

Alij tradunt illum, sive felicitatis suæ recordatione securum; sive suspicatum, per fraudem sibi id consilij dari; Babylonem magnâ cum pompâ ingressum. Sed aliquanto-pòst ad perlustranda vicina loca egressum; atque ita fato se defunctum putâsse; & deinceps securum Babyloni exornandæ animum intendisse.

Diod. Ab hominibus Græcis, & præcipuè philosophis, qui ANAXARCHO operam dedissent, inductum, omne Chaldaicæ divinationis genus (ut incertum. quod *istiusmodi prædicta, si fatis constent, ignota mortalibus; si natura debeantur, immutabilia, sint.*) damnandum iudicasse, aut certe contemsisse & ulterius progressum, in urbem tunc animi offensione intrâsse. Vbi magnificentissimè a civibus, uti antea factum erat, exceptus, Legatos omnes benignè acceptos dimisit. & totum se deinde ad funus HEPHÆSTIONI celebrandum convertit. Vid. Diod. l. 17. funeris pompam.

AMILCAR POENVS EXPLORATOR.

Iustin. sub fin. l. xxi. Inter hæc Chartaginienses, tāto successu rerum ALEXANDRI MAG. exterriti; & verentes, ne Persico regno & Africam vellet adiungere; mittunt ad speculandum eius animos, AMILCAREM, cognomento Rhodanum, virum solertiâ facundiâque, præter cæteros, insignem.

Augebant enim metum & Tyrus urbs, auctor originis suæ; iam antè excisa: & Alexandria æmula Carthaginis, in terminis Africæ & Ægypti condita: & felicitas regis, apud quem nec cupiditas, nec fortuna ullo modo terminabantur. Igitur AMILCAR per PARMENIONEM aditu regis obtento, profugisse se ad regem, expulsum patriâ, fingit, militemque se expeditionis offert.

Atque ita consilijs eius exploratis, in tabellis ligneis, vacuâ desuper cerâ inductâ, civibus suis omnia perscribebat.

Sed Carthaginienses, post mortem regis, reversum in patriam, quasi urbem regi vendidisset; non ingrato tantùm, verum-etiam crudeli decreto necaverunt.

Sub idem tempus. PEVCESTES, xx. delectorum ex Persis, Tapuris, Cossæis, alijsque finitimis & domitis populis, millia, qui plerique funditores aut sagittarij; ad regem adduxerat. qui prioribus copijs immisti, & in Macedonicos ordines distributi, stipendiarium & morigerū quemdā exercitum constituēre.

(Tunc quoque THEOPHRASTVS *Ephesius* MELANTHI *Fullonis F. Platonis & Aristotelis auditor, Aristotele in Chalcidem profecto & mox demortuo, ipse quadragenarius, Olymp. 114. in Lycéo successit.)*

ALEXANDRI MORS.

His curis defunctus ALEXANDER, multis diebus otio datis, intermissa olim convivia cum amicis solenniter instituit; & in lætitiam (veriùs crapulam, & quidem continentem) totum sese effudit. mense Dæsio, modò apud EVMÆVM & PERDICCAM; modò apud BAGOAM; & tandē apud THESSALVM MEDIVM, epulatus. Et apud hunc quidē, quùm diei noctē pervigilem iunxisset, & iam è convivio recederet; instauratâ comissatione, & uōdum HERCVLIS scypho, qui circumferebatur, epoto; repentè, velut telo confixus, altū ingemuit. Elatusque è convivio semianimis, tanto dolore cruciatus est, ut ferrum in remedia posceret. Amici, caussam morbi, intemperiē ebrietatis divulgârunt. Revera autem insidiæ fuérunt, quarum infamiam successorum potentia oppressit.

Quà de re videtur dubitare, Diod. qui hæc addit: Sic ALEXANDRO. Quùm sibi videretur *summum potentiæ & felicitatis humanæ fastigium attigisse, fati violentia tempori, quod eius vitæ natura præstituerat, terminum iniecit.*

Arrian. verò; Et fortassè satius ei fuit. in *summo felicitatis fastigio, summoq; hominum desiderio, vitam cum morte commutare, priusquàm ei calamitas aliqua humano more accideret.*

Series autem insidiarum, de quibus dixi, hæc fuisse proditur.

ANTIPATER, de cuius animi à rege alienatione, supr. dictum est, præparatum venenum CASSANDRO F. qui cum fratribus PHILIPPO & IÖLLA, regi ministrare solebant; tradiderat. sed præmonito, ne alijs, quàm fratribus, & THESSALO, illud crederet.

Fratres potum regis prægustare soliti, in aquâ frigidâ venenum habentes, eam prægustatæ potioni regis superinfuderunt. Eius namque veneni tanta vis fuisse dicitur, ut non ære aut ferro, neque testâ cōtineretur; sed equi tantum ungulâ sufferri posset.

Quartu deinde die, milites partim mortis, quæ celaretur, suspicione; partim desiderio impulsi, & mœsti, in regiam se contulérunt; ut sibi regis coram inspiciendi copia fieret, orantes.

Quos ille composito corporis habitu, & porrectâ ad osculandū manu, consolatus dimisit. *Animo, ut in hostem, ita in mortem invicto.*

Amicis propiùs adire iussis, & rogatis, *Similemne sibi videantur reperturi regem!* quùm cuncti tacerent, & quasi silentio abnuerent; Se vaticinari. mētisque oculis iam pænè prospicere dixit: *Quantis cædibus & sanguine, sibi mortuo Macedonia, æmulâ principum ambitione, foret brevi parentatura.*

Ad postremum, corpus suum ad HAMMONIS templum ferri & condi iusserat. & vox cum pænè defecerat; quùm Amicis vicissim quærentibus · *Quem imperij sui heredem relinquat!* respondit: *Dignissimum. Tanta illi animi magnitudo, vel in suos ἀσοργία, & in omneis universè invidia fuit,* ut eum HERCVLEM F. Fratrem ARIDÆVM; uxorem prægnantem. ROXANEN, relinqueret: *oblitus necessitudinum, tanti regni opes non alij, nisi forti viro, relinqui fas esse duceret.*

Quà tamen voce, quùm veluti *bellicum inter amicos ce-*

eos cecinisse, aut mâlum discordiæ misisse videretur, ut omnes in æmulationem consurgerent; & ambitione vulgari tacitum militum favorem quærerent: Sextâ demum die, præclusâ iam voce, & mutato forte-an consilio, *exemtum digito anulum* PERDICCÆ tradidit. Quæ res gliscentem amicorum dissensionem sedavit: quod ille, etsi non voce nuncupatus heres, iudicio tamen electus esse censeretur.

INTERREGNVM A MORTE ALEXANDRI.

Decessit ALEXANDER (Iustin.) anno imperij VI. & regni XII. annos XXXIII. supra mensem natus. ARRIANO; mortuus est Olymp. 114. Vixit annos duo & triginta: & tertij; menseis octo. Regnavit annos XII. & menseis octo, ut mortuus sit exeunte I. Olymp. CXIV. anno. B. Hieron. mortuus est, inquit, Olymp. centesimâ tredecimâ (leg. quartadecimâ) Anno CCXXXVI. regni Persarum, quod cœperat primo anno LV. Olymp. quo tempore CYRVS Babylonios superavit. *Sed id temporis, ille in Perside regnare cœpit, non Babylone.*

Rege ita, in ipso ætatis & fortunæ flore, ex rebus humanis erepto, non minùs victores, quàm victi; Macedones, quàm Persæ; illi optimum & fortissimum regem; hi iustissimum & mitissimum dominum, deplorabant: & certamen quoddam inconditi mæroris edebant. Nec iam urbis muris luctus continebatur; sed magnam etiam Asiæ partem, cis Euphratem, tanti mali fama pervaserat.

Et SYSIGAMBIS, DARII mater, quæ ALEXANDRVM vivum amârat & suspexerat; tantoperè defunctum desideravit, ut quæ post LXXX fratres suos ab Ocho, regum sævissimo, eodem die trucidatos; post unicæ filię mortem; post filium regno simul & vitâ spoliatum; vivere sustinuisset: auditâ regis amantissimi morte, ne ei superesset, inediâ mori decreverit: & quincto pòst die, non tam inediæ, quàm doloris vi oppressa, exstincta sit.

Cæterum Babylone, corporis eius custodes, in regiam principes amicorum, ducesque copiarum advocârunt. Et milites secuti, qui scire cuperent, in quem ALEXANDRI fortuna esset transitura.

CONSVLTATIO DE REGNI STATV.

PERDICCAS, regiâ sellâ in conspectum vulgi datâ, in quâ diadema vestisque ALEXANDRI cum armis erant, anulum sibi pridie à rege traditum in eâdem sede posuit.

Et quoniam *Dij, regem, quem rebus humanis, tantùm, & ad tempus, accommodâsse, visi sint, nunc sorte earum completâ,* citiùs, quàm subiecti optarent, *stirpi suæ repetiissent:* & necessariò in commune consulendum sit, ac cogitandum; ut provinciæ, & gentes tot bellorum successibus, & singulari regis demortui virtute, sub Macedonici imperij potestatem redactæ, in fide pristinâ obedientiâque contineantur; *Capite opus esse,* pronuntiavit. Vnone, an pluribus, in ducû militumque potestate esse.

Si ROXANE, quæ sextum iam mensem prægnans sit, marem enitatur; eius regnum, Dijs adprobantibus, futurum. A quibus interim, regi velint; in præsentiâ destinari posse.

NEARCHVS verò; Exspectari nondum ortum regem; & qui iam sit, præteriri; nec animis Macedonum convenire, nec tempori rerum, aiebat. Esse è BARSINE filium regis: huic diadema dandum.

PTOLEMÆVS; *Indignam regno* ROXANES, vel BARSINES subolem, *uti* maiore ex parte *captivam,* censebat; quæ *libera Macedonum genti* imperaret. *Qui Persas vicerint, ut stirpi eorum serviant?*

Hanc ipsius esse sententiam; *Vt sede* ALEXANDRI *in regiâ positâ,* qui consilijs eius antea adhibebantur, *ij coëant,* quoties in commune consulto opus fuerit. eoque, quod pars eorum maior decreverit, stetur. Iisdem duces præfectique copiarum pareant.

ARISTONO autem placebat; summam imperij ad PERDICCAM ipsum deferri, cui ALEXANDER, ex magnâ amicorum turbâ delecto, uti optimo regni heredi, *anulum,* quo ille *regni atque imperij vires obsignare solitus erat; tradiderit.*

Iamque universi procedere in medium PERDICCAM, & regis anulum tollere iubebant: quùm ille, cupiditatem inter pudoremque cunctatus; & diutiùs quid ageret incertus; ad ultimum tamen recessit. qui, quo *modestius,* quod appetebat, *exspectaret,* renuenti *pervicaciùs oblaturos* esse credebat.

Hâc PERDICCÆ cunctatione erectus, unus è ducibus, MELEAGER; Nihil interesse, exclamat: ROXANIS filium, quandoque genitus erit; an PERDICCAM regem ipsi haberent; quùm iste, sub tutelæ nomine, regnum sit occupaturus. Et mox diripiendi thesaurorum auctor; *populumque, regiarum opum esse heredem* protestatus; per medios armatos erupit, multis prænuntiatam, an propinatam! prædam consequentibus.

(In thesauris fuisse traduntur L. talentûm millia, Et in anno vectigalium tributo, trecena mill.)

Quumque iam frequens circa MELEAGRVM armatorum esset globus; & concio pænè in seditionem ac discordiam versa; quidam ex infimâ plebe, & plerisque ignotus; ARIDÆVM, PHILIPPO genitum, & ALEXANDRI fratrem, ab ijs præteriri, & gentium communi iure fraudari, expostulans; concionem induxit, ut pariter conclamarent; ARIDÆVM esse vocandum. Et licet PYTHONE multis in Iuvenem probris impensis (de matris, scorti Larissæi, sordibus, & valetudinis vi maiore) deterrere conante; postquam MELEAGER, invisus infestusque PERDICCÆ, eum strenuè in regiam perduxisset; milites eumdem mutato nomine, PHILIPPVM, consalutatum, regem appellârunt.

Hęc apud vulgum. sed principum alia erat sententia. E quibus idem PHYTHON, prius PERDICCÆ consilium exsequi cupiens, tutores filio, ex ROXANE futuro, destinat, PERDICCAM & LEONATVM, stirpe regiâ genitos. Præterea, in Europâ CRATERVM & ANTIPATRVM res administrare iussit. Tum iusiurandum à singulis exegit, futuros in potestate regis, qui ALEXANDRO genitus esset.

Sed MELEAGER, qui paullò antè metu supplicij cum suis secesserat, rursus PHILIPPVM secum trahens,

hens, in regiam irrumpit, & clamitat; Suffragati reip. de *novo rege, regum duorum, filio & fratre.*

Hic mutatis subitò voluntatibus, pauci PERDICCÆ modò electo; plures PHILIPPO, quam speraverat, imperium dedêre: & ad ultimum, in stirpem regiam studijs inclinavêre.

Aridæus itaque, qui territus principum auctoritate è concione cesserat, revocatus; vestem fratris, quæ in funebri sellâ posita fuerat, induitur.

Et simul MELEAGER, thorace sumto, capit arma, novi regis satelles. Phalanx quoque hastis clypeos quatiens, iam expletura se videbatur illorum sanguine, qui regnum, nihil ad ipsos pertinens, adfectare ausi essent.

Pôst aliquantum autem certamen, ad conclave ipsum, in quo ALEXANDRI corpus iacebat; & claustra ab armatis perfracta; PERDICCAS, & qui cum eo erant (DC. spectatæ virtutis; & Ptolemæus, cum regiâ puerorum cohorte) à senioribus rogati, ut bello abstinerent, regique & pluribus cederent; tandem arma deposuêre.

Sed mòx dum alteri ab alteris insidias metuunt; equitatus, qui ex nobilissimis iuvenum constabat, PERDICCAM & LEONATVM, frequens secutus est: atque urbe excedere, & tendere in campos cogitabat.

Quos dum occupatis circà Babylonem campis, frumentum, quod in urbem de more invehebatur, retinuisse nunciatum est: & inopiâ primum, deinde fames esse cœpit; placuit tandem ijs, qui in urbe erant, legatos ad equites mitti de finiendâ discordiâ.

Et quum illi, discordiæ auctores sibi à rege dedi; tum hi, ut tertius dux adscisceretur, MELEAGER, à PERDICCA petijssent; haud ægrè id impetratum est. Et hinc MELEAGRO cum Phalange obviam egresso; illinc PERDICCA equitum turmis antecedente; utrumque agmen, mutuâ salutatione factâ, inter se coijt; in perpetuum, ut arbitrabantur, concordiâ & pace firmatâ.

Sed iam fatis admovebantur Macedonum genti bella civilia: *Regno, quod insociabile est, à pluribus expetito.*

Vigebant mutua inter PERDICCAM & MELEAGRVM odia, & alter in alterius perniciem erat intentus. Et PERDICCAS quidem cum suis, communi cõsilio, rationẽ opprimendi maximè noxios, hanc inijt.

Placuit exercitum, uti post discordiam, patrio more lustrari: Vt intrà certum campi spatium armati omnes starent, hinc equites, illinc Phalanx.

Et eo fortè die, quem lustrationi destinârant, rex cum equitibus elephantisque constiterat contrà pedites, queis MELEAGER præerat.

Ille itaque unà cum alâ obequitans, discordiæ auctores, quos uti sui fautores tueri ipse debebat; PERDICCÆ, maximi autẽ adversarij, instinctu, ad supplicia deposcit.

PERDICCAS, ut torpenteis cum duce pedites, & obnoxios, vidit; ccc. ferè, qui MELEAGRVM è concione erumpentem fuerant priùs secuti, à cæteris discretos, elephantis, in conspectu totius exercitûs, obiecit; omnesque belluarum pedibus mòx obtriti sunt. MELEAGER, verò intellectâ fraude PERDICCÆ, & damnatâ spe salutis; confugit in templum. At nec loci quidem religione defensus occiditur.

Hoc bellorum civilium, Macedonibus, & omen & principium fuit.

PERDICCAS, perducto in urbem exercitu, concilium principum virorum habuit; ut de provincijs, sive Satrapijs inter se dividundis, decerneretur.

Sed nequid earum, quæ consequuntur deinceps, rerum narrationem aut seriem perturbet; Asiæ totius situm, & ipsarum Satrapiarum magnitudinem, aliaq̃, connexa, priùs, & quidem breviter, exponere visum est.

ASIÆ, ET SATRAPIARVM DESCRIPTIO.

Igitur à Tauro Ciliciæ mons perpetuus per totam Asiam extenditur, ad Caucasum usque, & Orientalem Oceanum; sive potiùs ad Paropamisum, (quem Macedones, ALEXANDRI gloriæ velificati, Caucasum dixêre) & ad Gangem, maximum Indiæ fluv.

Atque is varijs ingentium spatijs distinctus, varia quoque, sed in singulis peculiaria, sortitur nomina.

Asiæ itaque hoc modo divisæ, pars una ad Septemtriones; altera in Meridiem vergit. Flumina verò ex hisce ferè montibus exorta, pro tractuum varietate, in diversa etiam fluunt; alia in Caspium Mare; alia in Pontum Euxinum; nonnulla in Oceanum Arcticum.

Quæ autem his adversa sunt; partim in Indicum Mare; partim in Oceanum huic continenti proximum; nonnulla in Erythræum, sive Rubrum (qui Arabicus Sinus dicitur) deferuntur.

Sic ex Satrapijs, eundem in modum dispertis, pars ad Arcton, aliq̃ ad Austrum vergete censendæ.

Et ab Arcto quidem, primæ, ad Orxantem fluv. (quem milites ALEXANDRI, Tanaim dixêre; Scythæ Silym) Sogdiana & Bactriana.

Quibus continentes Aria & Parthia, Hyrcanum Mare comprehendunt.

Citrà has Media est, varijs locorum nominibus distincta, & inter Satrapias maxima.

Quam deinceps sequuntur Armenia, Lycaonia, & Cappadocia, hiberno cœlo obnoxiæ.

His ex-adversum, & finitimæ, Phrygia maior, & quæ ad Hellespontum sita. Ex obliquo verò, Lydia & Caria. A dextro autem Phrygiæ latere, pari longitudine protenta Pisidia; eique continens Lycia.

In maritimis quidem istarum, quas memoravi, Satrapiarum locis; Græcorum urbes & coloniæ sitæ sunt, quarum nomina ex-antegressis nota.

Nunc ad eas, quæ ad Meridiem spectant, nos convertamus.

Inter quas prima ad Caucasum India est; regnum gentibus frequens. Quarum maxima, Gangaridæ; ab ALEXANDRO, ob elephantorum multitudinem, intacti. Ea autem regio, & Indica adnexa, fluvio Gange, qui omnium illic maximus est, & xxx. stadijs latus, disterminatur.

Cis eam, reliqua est India, fluminibus crebris irrigua, & fertilitate nobilis: in quâ, præter alia complura; PORI, TAXILÆQVE regna, quæ Indus fluv. perfluit.

Infrà hæc, Arachosia, Cedrosia, & Carmania: & præter has, Persis, Susianam & Sittacenen complexa.

Deinceps Babylonia, ad Arabiæ deserta extenditur. Supràque eam Mesopotamia est, duobus fluminibus, Tigri & Euphrate, circumfusa.

Babyloniæ adiacet Syria superior; & proximæ maritimæ, Cilicia, Pamphylia, & Cœle-Syria cum Phœniciâ.

Ad extima Cœles-Syriæ,& ei continentem solitudinem, quâ Nilus delabens Syriam Ægyptumq; dispescit; designata est omnium præstantissima Satrapia, & proventibus annuis abundantissima, Ægyptus.

Hæ autem omnes Satrapiæ, sub meridiano cœlo æstuosæ sunt.

SATRAPIARVM INTER PRINCIPES DISTRIBVTIO.

Vt ad institutum redeamus; In eo, quod diximus, concilio, Imperium recens partum, siue Satrapias Asiæ, quas ALEXANDER debellatas Macedonici regni coronæ adiecerat, itâ diuidi placuit.

Vt rex quidem PHILIPPVS, summam regni, nomenque obtineret. PTOLEMÆVS, Lagi F. Satrapes esset Ægypti, & Africæ gentium, quæ in ditionem concessissent.

LAOMEDONTI, Syria cum Phœnice; PHILOTÆ, Cilicia destinata.

Lyciam, cum Pamphyliâ & maiore Phrygiâ, obtinere iussus ANTIGONVS. In Cariam CASSANDER; MENANDER in Lydiam missi.

Phrygiam minorem, quæ Hellesponto adiuncta, Leonato adiudicârunt. Cappadocia Eumeni, cum Paphlagoniâ, cessit; eamque regionem, ad Trapezunta usque, defendere; & bellum cum ARBATE gerere iussus, qui solus detrectabat imperium.

PYTHON Mediam; LYSIMACHVS Thraciam, cum Ponticis gentibus, obtinuêre.

Qui Indiæ, qui Bactris & Sogdianis, cæterisque aut Oceani, aut Rubri Maris accolis, præerant; quibus quisque finibus habuisset, imperij etiam ius obtinerent.

Decretum, ut Perdiccas cum rege esset, copijsq; præesset, quæ regem sequebantur. Sed in cæteris, ANTIPATRO Macedonia; & CRATERO Cilicia reddita est.

Ordini sociorum equitum, qui longè clarissimus erat, quasi Tribunum castrorum, SELEVCVM præfecêre.

(1. Machab. c. 1. *Traditur ALEXANDER, antè quàm moreretur vocâsse ad se pueros suos nobileis, qui secum à Iuventute fuerant educati; & regnum illis suum diuisisse.*

Quod & Curt. attingit: credidisse quosdam, testamento ALEXANDRI distributas esse prouincias: sed famam eius rei, quamquam ab autoribus tradita sit, vanam se comperisse.)

Atque eum in modum paullo-ante regis ministri, specie alieni imperij procurandi, singuli ingentia invasêre regna: quibus expeditius paullo-post visum est, eadê augere, quàm accepisse, aut reddere.

Quod tamen imperium *sub uno stare* potuisset; *dum à pluribus sustinetur*, tandem ruit. Multos Macedonia, pro uno, ALEXANDROS habuisset, nisi fortuna eos æmulatione virtutis in perniciem mutuam armâsset.

Septimus iam dies erat, ex quo corpus regis iacebat in solio; curis omnium ad formandum rei publicæ statum, à tam solenni munere, auersis.

Vt tandem curare corpus exanimum amicis vacavit; nullâ tabe, ne minimo quidem livore corruptum, nec vultum vigore spiritali destitutum vidisse traduntur, qui intraverant. Quod si verum est; in tanto Mesopotamiæ regionis æstu, admirandum exstitit.

De eius sepulcro, infrà. ARIDÆVS namque rex corpus fratris sui in HAMMONIS templum deducere iussus, biennium ferè in funeris apparatu consumsit.

LAGIDÆ.

PTOLEMÆVS LAGI F. SOTER, PRIMVS ÆGYPTI REX.

3629. | 321.

PTOLEMÆVS, Lagi F. SOTER dictus, cui, in cæteris Satrapis, Ægyptum, & Africæ Arabiæque partem, vel suffragijs, vel sorte obvenisse, diximus; etiamsi septimò demùm ac decimo post anno, regis nomen adsumserit; tamen quia eoipso, quo ALEXANDER obijt, anno, Ægyptũ obtinuit; ac deinceps ad obitum usque suum possedit: ideò ab eodem anno PTOLEMÆI Lagidæ, siue Soteris & Ægyptij regni (quod stetit deinceps an. 294.) initiũ inchoamus. Et universæ historiæ, annorumque seriem per posteros eiusdem, ad CLEOPATRAM & AVGVSTVM usque, pertexemus.

Illum, Iustin. teste, ex gregario milite ALEXANDER, virtutis causâ, provexerat.

Curt. verò l. 9. Sanguine ei coniunctum fuisse tradidit. & quidam PHILIPPO genitum esse credebant. Certè pellice eius ortum constabat.

Idem corporis custos, promtissimusque bellator; & pacis artibus, quàm militiæ maior & clarior; modico ciuilique cultu, liberalis in primis, adituque facilis, nihil ex fastu regio adsumserat. Ob hæc regi, an popularibus carior esset, dubitari poterat.

Tum certè primum (quum videlicet in regno SABI, (al. Samij) inter dimicandum, lævo humero leviter quidem saucius, sed telo venenato, & maiore periculo, quàm vulnere, adfectus; regis solicitudinem in se converterat) expertus suorum erat animos; adeò ut fortunam, in quam posteà adscendit, in illo periculo Macedones ominati esse videantur. Quippe non levior illis PTOLEMÆI fuit cura, quàm regis. qui & prœlio & solicitudine fatigatus, quum PTOLEMÆO asideret,

assideret, lectum, in quo ipse acquiesceret, iussit inferri. In quem ut se recepit, protinus altior insecutus est somnus. Ex quo excitatus, per quietem vidisse se exponit speciem draconis, oblatam herbam ferentis ore, quam veneni remedium esse monstrásset: Inventamque deinde vulneri imposuit. Protinusque dolore finito, intrà breve spatium cicatrix quoque obducta est.

Ab hoc anno primo Ptolemæi, usq; ad regnum Seleucidarum, anni sunt XII. Mirâ namque Principum contentione protracta est discordia ad totidem annos, quando cæpit Seleucus regnare; Syriâque & Babylonem obtinuit.

GRÆCORVM MILITVM SEDITIO ET CLADES.

Intereà Græci per colonias in superioribus Asiæ Satrapijs collocati, auditâ Alexandri morte, res novas moliri cæperant; & iam patriam desiderio præceperant; delectoque duce, Philone Æniane, non contemnendas copias, ad XX. peditum & III. equitum M. coegerant.

Ad hos comprimendos Pythonem, Agenoris filium, mittit Perdiccas, cum III. Macedonum peditum Mill. & equitibus DCCC. iussique, per litteras, Satrapis milites Pythoni sufficere, ad X. pedit. & IIX. equitum Mill.

Python, cui datum à Perdiccâ mandatum erat ut perduelleis omneis internecioni daret, & spolia Macedonibus distribueret; Græcos ille contra comitate quâdam sibi conciliare; & auctis eorum societate copijs, res suas augere; & finitimas Satrapias suæ ditionis facere cogitans; prælio cum ijs commisso victor, per præconem edixit; *Ut armis positis, fideq; acceptâ, domos se quisq; suas tuto reciperent.*

At Macedones, mandatorum Perdiccæ memores, iure-iurando ducis neglecto, fidem Græcis non servárunt. Eosque securos de-improviso adorti, omneis missilibus contrucidárunt, & spolia pecuniamque inter se sunt partiti.

RHODIORVM ET ATHENIENSIVM REBELLIO.

Rhodij quoque, eiecto ex urbe & Insulâ suâ Macedonum præsidio, se in libertatem vindicárunt.

Nec minùs Athenienses, quùm exsules suos, licet invitissimi, tandem suscipere coacti essent; ex morte regis recuperandæ libertatis spem resumsérunt: reliquosque ad vindicandam Græciæ libertatem cohortati, multos in parteis suas pertraxére. Et Leosthene duce populari, Ætolis primùm, dein Argivis & Thessalis in societatem adlectis, VIII. emeritorum Alexandri militum M. ad Tænarum Laconicæ conducunt. & V. peditum ex suis, & bina mercenariorum M. armant, & equites D.

Æschines, qui ante-decennium in exilium pulsus, Rhodi tranquillè tum degebat, fidele civibus consilium dedit; ne se bello, cui sustinendo impares essent, temerè implicarent. Demosthenes

contrà, licet & ipse, ob crimen accepti ab Harpalo auri, patria pulsus, Megaris forte exsularet; ut missum ab Atheniensibus Hyperidem legatum cognovit, qui Peloponnesios in societatem armorum sollicitaret; eundem secutus, Sicyona, Argos & Corinthum, cæterasque civitates eloquentiâ suâ Atheniensibus iunxit. Ob quod factum, missâ ab Atheniensibus obviàm nave, ab exsilio revocatus est.

BELLVM LAMIACVM.

Athenienses contracto iam XXX. Millium exercitu, & CC. navibus, bellum Antipatro, cui Græcia forte evenerat, inferunt. Eumque detrectantem prœlium, qui XIII. tantum Macedonum Mill. & DC. equites haberet; (al. prœlio victum) & Heracleæ, vel potius Lamiæ (undè hoc bellum, Lamiacvm) urbis mœnibus tuentem se obsidione cingunt.

Leosthenes in obsidione Antipatri strenuè persistens, ab Ætolis, qui domum revocabantur, desertus, & ab erumpente Antipatro oppugnatus; telo è muris in transeuntem iacto, occiditur.

Cui substitutus Antiphilvs, postquàm Leonatvm, à quo auxilium per legatos petierat Antipater; cum exercitu ex Macedonibus collecto, ad XX. peditum, II. equitum Mil. & D. advenire, cognovisset; ipse, cui XXII. pedit. & equitum ferè IV. Mill. superessent; obsidionem quidem solvere coactus est; sed hosti recenti obviàm procedens, & prœlio congressus; Leonatvm, Thessalici equitatûs virtute, superavit & occidit.

Cuius morte lætatus traditur Antipater, qui & æmulum sublatum; & vireis eius sibi accessisse gratularetur.

Ipse tamen continuo pòst, obsidionis tædio liberatus, recepto Leonati exercitu, cum par hostibus etiam prœlio videretur, in Macedoniam concessit.

Clytus autem classis Macedonicæ, quæ CCXL. navibus constaret, præfectus, Eetionem Atticarum navium, quæ CLXX. erant, prætorem, bis prœlio navali egregiè vicit; & multas, ex adversarijs, adlixit, circa Echinadas insulas.

PERDICCÆ AMBITIO.

Intereà Perdiccas, qui regem Philippvm, regiasque copias secum haberet, Ariarathem, Cappadociæ regem, (alij moderatorem, sive Satrapam appellant; sed qui regnum adfectásset) qui nec Alexandri quidem, ad Darivm Persidemque properantis, imperium agnoverat; & grandem ex regionis proventibus pecuniam, atque indè cum domesticas, tum peregrinas copias, ad XXX. pedit. & XV. equitum Mill. conflaverat; bello adortus, vicit & cepit. Eumque, cum omni cognatione, tormentis & cruce adfecit. Provinciam verò ita compositam, Eumenis Cardiani fidei, ex pacto, tradidit.

(Iustin. tradit; PERDICCAM ex eo bello nihil præmij, præter vulnera & pericula, rettulisse. Quippe hostes ab acie in urbem recepti, occisis coniugibus & liberis, domos, quisque suas cum omnibus copijs incendérunt; & eódem congestis etiam servitijs semetipsos præcipitárunt, ut nihil hostis suarum rerum, præter incendij spectaculo, frueretur. Illud facinus alij Isaurijs, Pisidiæ, adiignárunt.)

PERDICCAS ut viribus regiam auctoritatem acquireret, ad nuptias CLEOPATRÆ, sororis ALEXANDRI Magni; & alterius ALEXANDRI, Molossi sive Epirotæ, viduæ; matre eius Olympiade non adspernante, intendit. Sed dum fingit se in matrimonium ANTIPATRI filiam, (NICÆAM) petere; quò facilius sub adfinitatis obtentu eum caperet, & supplementum tironum ex Macedoniâ obtineret; dolum præsentiente ANTIPATRO, dum duas eodem tempore uxores quærit, neutram obtinuit.

3630. 320.
2. Ptol. Lagidæ.

GRÆCORVM ET ATHENIENSIVM CLADES, DEDITIO, ET PAX.

CRATERVS, qui hactenus in Ciliciâ, sibi attributâ, substiterat, certior factus de intestinis Græciæ tumultibus, in Macedoniam traijcit XIII. pedit. Mill. & equites quingentos suprà Mille. Et castris in Thessaliâ, apud Peneum fluv. fixis Principem locum ultrò & lubens Antipatro cessit. Vt exercitus, ad XL. gravis armaturæ peditum & ad sagittariorum funditorumq; III. Mill. & ad quinquies Mille equites excreverit. quùm Græcis Atticæ factionis vix XXV. pedit. & paullò plus III. equit. M. (reliquis temerè ad sua dilapsis) superessent.

Et tu antè, quàm à Civitatibus auxilia advenirent, in certamen de summâ rerum descendere coacti, & ad Cranonem ancipiti pugnâ prœliati; quùm maior quàm pro clade consternatio eorum animos occupâsset; & Thessaliæ urbibus, certatim victori se, & sigillatim, dedentibus; universæ bostium vireis Athenas versùs ducerentur; MENONE & ANTIPHILO, primarijs ducibus, haud refragantibus; DEMADEM cum PHOCIONE, legatos ad Antipatrum misêrunt, qui de communi pace agerent.

Hic Athenienses à socijs, qui singuli & carptim in leges deditionis abierant, destituti, eas pacis conditiones accipere coacti sunt, quæ victori placuissent: quasque ipsi eidem Antipatro, ad Lamiam obsesso, insolenter proposuerant.

Antipater itaque in urbem absolutâ cum potestate admissus, clementiùs, quàm opinati essent; victoriâ usus, hoc unum exegit; *Vt præsidium, duce Menyllo, in Munichiâ acciperent; Et Democratiam cum Aristocratiâ commutarent.*

„ Vtque nemini reip. administratio committeretur, qui non, minimum, bina Drachmarum Mill. possideret.

Ex quibus, assiduis & locupletibus, IX. M. sunt reperta. reliqui, proletarij, aut capite censi, à rep. exclusi, quibus bellum pace semper utilius censeretur. Ex quibus in Thraciam abducti, ad vicies & bis mille.

Pro eâ comitate, & ob Respp. passim per Græciâ probè constitutas, ANTIPATER, laudes & coronas ab omnibus est consecutus.

Quùm autem controversia de Samijs exsulibus, ad reges, ALEXANDRI heredes, esset relata; Perdiccâ omneis revocari; & post XLIII. annorum exilium bona iis postliminij iure restitui iussit. *Hic exitus belli Lamiaci.*

VARIÆ PRINCIPVM MOLITIONES.

PERDICCAS, debellato ARIARATHE, ex Cappadociâ in Pisidiam profectus, urbeis duas, Larandam & Isauriam; propterea quòd vivente adhuc ALEXANDRO defecerant; & BALACRVM, NICANORIS F. præfectum interfecerant; funditùs evertere cogitabat. Et Larandam quidem facilè cepit, & solo æquavit: Sed Isaurij, post aliquot virium penditationes, ubi se vim Perdiccæ, & supplicia cum contumeliâ coniunctâ effugere non posse vidérunt; se cum liberis vxoribusque & copijs communi incendio perdidérunt. (*Id Iustin. Cappadocibus, Ariarathi tum parentibus, attribuit.*)

Antipater cum Cratero in Ætolos, qui soli belli Lamiaci socij adhuc indomiti perstabant, expeditionem fecêre, instructi XXX. peditum Millib. & equitibus bis mille quingentis.

Ætoli tantis copijs impares, urbium partim, quæ infirmiores, desertis; & quæ naturâ aut opere firmæ, iusto præsidio munitis; ad decies Mille, in montana asperaque loca, cum uxoribus & liberis, & copijs domesticis, confugêrunt.

Sed obstructis à Cratero montium angustijs, cũ frigore & fame conflictati, salutem desperare cœperant; quùm fortè ANTIGONVS, PHILIPPI F. omnium ducum ad res gerendas maximè idoneus; qui calumnias & sævitiem PERDICCÆ metuens, cum amicis & filio DEMETRIO, conscentis clàm navibus Atticis, ex Asiâ in Europam transierat; & cum Antipatro se coniunxerat: eumdem de omnibus PERDICCÆ consilijs, de dubiâ fide, & Nicææ filiæ repudio, edoceret.

Illum, adscitâ in matrimonium regiâ filiâ, CLEOPATRA, iam-nunc cum copijs in Macedoniam venturum; & ceu regũ tutorem, & regni candidatum, omneis, suo quemque imperio, privaturum.

Quo nuntio illi perterriti, protinus cum Ætolis pacem fecêrunt: quos debellatos, in solitudinem, & cum totis familijs in regiones Asiæ remotissimas, ablegare constituerant.

Ipsis, habito inter se concilio, copias celeriter in Asiam traijcere; & Cratero Asiæ, Antipatro Europæ imperium tradere, visum est. Et missis legatis Ptolemæum Lagidem in PERDICCAM, sibi haud secus infensum, concitare.

PTOLE-

PTOLEMÆI LAGIDÆ INCREMENTA.

Hic in Ægypto, cui præerat, magnas opes solerti industriâ paratat: Ægyptios insigni moderatione in favorem sui sollicitârat: & reges finitimos beneficijs obsequijsque devinxerat. terminos quoque imperij per Libyam ampliârat: & Cyrenaicam provinciam, in intestinis dissensionibus laborantem; & per Thymbronem, Harpali cæde nobilem, variè diuque adflictam, armis, duce Ophella, terrâ marique circumlatis, sibi adiunxerat. Nec multo-post, Cyprus & Phœnice accessêre. Factusque iam tantus erat, ut non tàm timeret hosteis, quàm timendus ipse hostibus esset.

ALIORVM DVCVM IN PERDICCAM CONSPIRATIO.

Illi itaque, quos dixi, factâ virium voluntatumque conspiratione, & caussâ scripto publicatâ, expeditionem in Perdiccæ caput adornant. Cui plus publicum ex arrogantiâ odium, quàm vires aut conatus hostium nocerent.

Ipse autem, alienatis ità rebus in Pisidiâ, Aridævm, & Alexandri filium, cum amicis & ducibus, de summâ belli, in consilium adhibet. Et cum quibusdam placeret bellum in Macedoniam, ad ipsum fontem & caput regni; ubi non mediocre partibus momentum, Olympias, mater Alexandri, esset; & popularium favor, propter Philippi Alexandrique nomina.

Alijs tamen in rem visum est, ab Ægypto incipere: ne in Macedoniam profectis, Asia à tergo relinqueretur, & à Ptolemæo occuparetur.

NOVA PROVINCIARVM DISTRIBVTIO ET DVCVM DISSCIDIA.

3631. | 319.

Evmeni, præter provincias, quas acceperat, Paphlagonia & Caria, Lycia, & Phrygiâ, sunt adiectę. Ibique, circà Hellespontum, Antipatrvm & Cratervm, cum iustis copijs, opperiri & transitu prohibere iussus est.

Additi, adiutores, cum exercitibus, Alcetas, Perdiccæ frater, & Neoptolemvs.

Clito cura classis tradita; & Cilicia Philoxeno data, quam Philotæ suspecto ademerant.

ALEXANDRI SEPVLTVRA.

Aridæus, Alexandri frater, cui corporis ad Hammonem deportandi provincia fuerat mandata, quùm biennium ferè in funeris regij adparatu consumsisset; tandem, vere ineunte, ad iter institutum se accinxit.

Corpus erat conclusum feretro, supernè aureo, & aromatis infercto. De plaustro, cui impositum erat, purpureum tegumentum dependebat, adpositis Alexandri armis, & imagine res eius gestas exprimente.

Plaustri fornix ex squamis aureis, & pretiosis lapillis exstructus, octo cubitis latus, & duodecim erat longus.

Sub fornicis tecto, ad feretri latus, solium aureum adiacebat, formâ quadratâ, innumeris instructum ornamentis; in quibus artis opus materiam longè superaret. Tantam molem exquisitissimi muli, LXIV. robore & proceritate præstantes, devehebant.

Ptolemæus, ut supremum Alexandro regi & hero suo honorem impertiretur; Aridæo, ex Babylone adpropinquanti, in Syriam usque, cum copijs occurrit, pompæ funebris curam in se suscepturus.

Sed longinqui & laboriosi ad Hammonem itineris tædium caussatus, Alexandriæ substitit. (Alij, Memphim priùs deportatum tradunt) & in augustissimo, clarissimæ toto orbe urbis templo recondidit; iustis magnificentissimè, non sine heroicis sacrificijs & certaminibus, peractis.

Et hoc fortè prætextu Perdiccas in Ptolemæum, licet alijs sibi nominibus invisum, quasi perduellem & maiestatis reum, celeriùs arma commovit; & Ægyptum ingenti cum exercitu petivit.

EVMENIS VICTORIÆ, ET PERDICCÆ EXITVS.

Evmenes interea, adversarios ex Europâ in Asiam traiecturos prohibere iussus; cui cæteri duces, tum ob rei militaris peritiam, tum ob fidei ergà Perdiccam & socios constantiam, parêrent; cum traditis sibi copijs, & equitatu provinciali, (xx. peditum Miscellorum, & v. equitum Millibus) ad Hellespontì custodiam erat profectus. Et Antigonvs cum Cratero, nihilo-minus, qui xx. pedit. & bina tantùm equitum M. ducebant, in Asiam traiecerant; quùm Neoptolemvs, Evmeni adiutor relictus; quique satis magnam Macedonum militum manum penes se habebat; ex odio & æmulatione collegæ, ad Antipatrvm, imperij cum eo communionem pactus; non solum transfugere; sed prodere etiam partium exercitum tentavit.

Verùm cum eam rem Evmenes præsensisset cum proditore decernere prœlio necesse habuit Eumque ità vicit, & castris peditatuque spoliavit; ut vix ille cum ccc. equitibus ad Antipatrvm elapsus, persuaserit, ut continuatis itineribus, læto ex victoria & securo fugâ suâ, Evmeni, supervenirent. Illi, re inter se deliberatâ, copias bifariam dividere statuerunt: ut unâ cum parte Antipater in Ciliciam adversùs Perdiccam, proficisceretur: alterâ Craterus,

cum NEOPTOLEMO, EVMENEM adorirentur. Et tum coniunctis demùm copijs; & PTOLEMÆO in societatem cooptato; regius exercitus, quem PERDICCAS ducebat, undique opprimeretur.

Sed EVMENES, quem hostium institutum non latuerat, ipsemet illis, in itinere securis, & pervigilio noctis fatigatis, cum firmo equitatu occurrit. Et commisso prœlio, CRATERVS (malè Iustin. POLYSPERCHON. qui Græciæ & Macedoniæ ab ANTIPATRO præfectus, & relictus erat) dextrum agmen agens, ex equo delapsus, & prætereuntium pedibus proculcatus est. NEOPTOLEMVS verò, cui sinistrum cornu obvenerat, cum EVMENE congressus, & diu per mutua vulnera conflictatus, tandem occubuit.

Atque ita equitibus utroque cornu in fugam versis, & ad peditum agmen, ceu fidum propugnaculum, sese recipientibus; pedites eâ clade consternati, veniam secedendi, ab EVMENE victore, & ultrò conditiones offerente, deprecati; ubi primùm factâ per loca propinqua frumentatione, & cibo sumto, vireis recollegérunt; noctu clàm digressi ad ANTIPATRVM se contulérunt.

Qui se non tàm socijs orbatum, quàm æmulis ducibus liberatum, reputans, tantò acriùs & alacriùs bellum cæptum persecutus est: & PTOLEMÆO suppetias ferre properans, in Ciliciam movit. Neve Macedones fidei violatæ religione retardarentur; non iam in EVMENEM, sed in ipsum PERDICCAM, arma converti iactavit.

Hic namque in Ægyptum iam moverat; & castra ad Nilum, haud procul Pelusio, fixerat. Sed quod pridem, ob fastum pariter & sævitiem, suis exosus esset; & PTOLEMÆVS contrà beneficentiâ ergà omneis & æquitate commendaretur. Ad hæc, opportunissima quæque Ægypti loca firmis custodijs, armis & rebus necessarijs præmunijsset; multi ex amicis, & ducibus Militum, illo deserto, ad hunc se conferebant.

Quumque ille post irritam Castelli, cui MVRVSCAMELÔN, nomen, PTOLEMÆO acriter defendente, oppugnationem, circà Memphim, & proximã Insulam, Nilum, cum exercitu frustrà, tum propter fluminis altitudinem; tum ob vada desidentia, traijcere conatus, magnam militum suorum & impedimentorum partem amisisset; exorto in castris murmure, primi ducum, circiter C. & in his illustrissimus PYTHON, abeo defecére. Deinde equitum nonnulli, in tabernaculum ingressi, Imperatorem suum trucidárunt. (Prob. à Seleuco & Antigono interfectum tradit.)

Ita Perdiccas, cum ferè triennium imperasset, strenuus quidem dux, sed impius, & suprà perfidiam crudelis; captatam tot artibus tyrannidem amisit. tantò lugubriùs, quod biduo pòst, fama illustris illius de CRATERO & NEOPTOLEMO, ab EVMENE profligatis, victoriæ, accepta est.

PTOLEMÆI MODESTIA.

PTOLEMÆVS postridie coacto procerum Macedonum cœtu, ijsque benignè salutatis, & facti sui ratione reddita, quùm illos commeatus defecisset, frumentum copiosè suppeditavit, rebusque necessarijs castra complevit. Quumque comparatâ hinc multitudinis ergà se benivolentiâ, & gratiâ, regiæ tutelæ dignitatē facilè adipisci posset; ipse PYTHONI & ARIDÆO, ob pristina beneficia, devinctus, ut ijs summa illa imperij potestas, publicis ex suffragijs, deferretur, persuasit & curavit. Prætereà, tantâ in PERDICCAM atrocitate Macedonum ira recruduit, ut primarij quique eius amici, L. & in his ALCETAS frater, & EVMENES, quasi totidem perduelles, & maiestatis manifesti, omnium sententiâ, capite damnarentur. Et ex ijs obvios quosque confestim ipsi iugularent; &, inter cæteros, ATALANTAM, PERDICCÆ sororem; ATTALI, qui classis præfectus tum apud Pelusium commorabatur, coniugem.

Hic verò, de nece PERDICCÆ, & uxoris suæ, certior factus; classem indè solvit, & ad Tyrum adpulit. Et ab ARCHELAO, Macedone, qui præsidij eâ in urbe erat præfectus, comiter acceptus, pecunias etiam, quæ illic à PERDICCA erant depositæ, ad DCCC. talenta, accepit. & superstites ex Memphiticâ expeditione, PERDICCÆ amicos, qui illuc evaserant, humaniter iuvit & refecit.

ARISTOTELIS, ET DEMOSTHENIS EXITVS.

(Eodem anno Aristotelem & Demosthenem obijsse tradit Diog. Laert. Et Aristoteles quidem vixit ann. LXIII. natus scilicet primo Olympiadis XCIX. anno, qui fuit V. C. CCCLXX. ἑπτακαιδεκαέτης Platonem audire cœpit, per annos XX. usque ad eiusdem Platonis mortem. Alexandrum πεντεκαιδεκαέτη, docere cœpit. Athenas redijt II. Olymp. CXI. anno, qui erat V. C. CDXX. in Lycéo docuit annos XIII. Inde Chalcidem profectus est, impietatis ab Atheniensium Hierophantâ damnatus. ibique non multo-pòst obijt.

Demosthenes verò, patriæ, uti diximus, restitutus, & multâ solutus, quum post prælium ad Crannonem commissum, ANTIPATER & CRATERVS, ad Athenas accedere nuntiarentur; unà cum alijs clàm ex urbe se subduxerat, capitis, ex senatus-consulto DEMADIS, damnatus. Et missis ab ANTIPATRO passim lictoribus (quorum dux, ARCHIAS Thurius) priùs HYPERIDES orator, & IMERÆVS Demetrij Phalerei frater, qui in Ægina ad ÆACI sacellum confugerant; indè avulsi, & CLEONAS ad ANTIPATRVM missi, periérunt. Deinde DEMOSTHENES, qui Calauriæ ad ædem NEPTVNI supplex sedebat, quùm persuaderi non posset, ut ad ANTIPATRVM, cum satellitibus, citrà noxam, abiret; veneno se ipse exstinxit. Ei post obitum honores habiti, & statua aurea cum elogio, à civibus, erecta.)

Apud Iudæos, Onias, Iaddi F. Pontifex Max. tum clarus habebatur.

ÆTOLORVM ET ACARNANVM FACTIONES.

3632. | | 318.
4. Ptolem.

Antipatro in Asiam transgresso, Ætoli, ut eum in diversa distraherent, ex fœdere, quod ipsis cum Perdicca, (cuius procul in Ægypto occisi, ignari erant) iampridem intercesserat, cum xii. pedit. Mill. & cd. equitibus; duce Alexandro Ætolo, in Thessaliam irrumpunt: & obiter Amphissensium, in Locride, agrum depopulati, & urbium in propinquo potiti; Polyclem, Antipatri ducem, acie fuderunt. Et ex Thessalis multos ita conterritos sibi adiunxére, ut paullo-post xxv. pedit. Mill. & mille ac quingentos equites universè coëgerint.

Sed quùm Acarnanes, inveterato odio, Ætolorum absentium agros vicissim evastarent; ipsi de patriâ solicıti, cæteris, duce Menone Pharsalio, in Thessaliâ relictis, cum domesticâ manu celeriter reversi, Acarnanas quidem repressérunt; Sed Polysperchon, Macedoniæ præfectus, cum iustis copijs in Thessaliam adveniens, Menonem nullo negotio profligavit.

Python Aridæo, tutelæ regiæ, collega, ex Ptolemæi & Macedonum decreto, datus, copijs iam à Nilo in Triparadisum, superioris Syriæ urbem, transductis, ob importunam reginæ Eurydicæ adversùs tutores impotentiam, pro concione, tutelâ se Ipse abdicavit. Et Antipater, vel absens, à Macedonibus tutor, in Pythonis locum, substitutus, eamdem Evrydicen, seditiosius inter milites agentem, partim metu iniecto, partim blanditijs placavit. Atque idem, veluti rerum iam potens,

TERTIA SATRAPIARVM INTER DVCES PARTITIO.

Satrapias denuò, inter principes sibi obnoxios, ita partitus est. Vt Ptolemæo quidem Ægyptum, quasi Marte suo partam, reliquerit: & Laomedonti Mitylenæo Syriam tradiderit: Quam tamen haud multo post idem Ptolemæus invasit, & incredibili felicitate, breviq́ue temporis momento, totam sibi vindicavit.

Ex reliquis Satrapijs, Selevco Babyloniâ; & Antigono, quod primus Perdiccam nupero prœlio invasisset; præter totius regij exercitûs & belli, in Evmenem Alcetamqve, persequendi præfecturam; Susiana. Et aliæ alijs obtigérunt.

Ipse verò regibus secum adsumtis, & copijs eorum, in Macedoniam contendit, quasi reges in avitum regnum reducturus.

BELLVM ANTIGONI CVM EVMENE.

Antigonvs verò exercitum ex hybernis coëgit; & rebus ad bellum comparatis, adversùs Evmenem, qui tunc in Cappadociâ agebat, contendit.

Hic verò militibus, quos rei, & belli in se per regesdecreti, novitas initio terruerat, in partium suarum studia adductis; & refeitluros se tetro Macedonum decreta palàm adfirmantibus; quùm à Civitatibus Æolicis pecunias extorsisset; & Sardis profectus ad Cleopatram, Alexandri Magn. sororem, eius voce & auctoritate centuriones principesq́ue suos confirmásset.

Atque adeò in castra reversus, epistolas, totis castris abiectas, (quibus ijs, qui Evmenis caput ad Antigonvm detulissent, magna præmia definiebantur) novo commento elusisset; post debellatum, operâ Phœnicis Tenedij, Perdiccam, alterum, ducem ex suis illustrem, qui procul ab reliquo exercitû, cum iii. pedit. Millib. & equitibus quingentis rebellábat; iam castra locis ad certamen equestre idoneis collocárat.

Ei namque superérant xx. (al. xii.) ferè pedit, & Quina equitum. M. Antigonvs verò, x. rantùm pedit. Mill. sed lectissimos Macedonum: & bina equitum Mill. cum elephantis xxx. penes se habebat. Ideoq́ue campis imminentem montis radicè occupárat. Sed is paullo-ante Apolloniden, qui equitatui apud Evmenem præerat, largitione corruptum, eò induxerat; ut in ipso prœlij ardore, ducem proderet, & ad se ex acie cum suis transfugeret.

Ita proditus, & facilè, sed non fine magnâ clade, victus Evmenes, unà cum paucis amicorum fidissimis, numero vix dc. in arcem munitissimâ, Phrygiæ, Noram, in Cappadociæ & Lycaoniæ finibus sitam, confugit.

(Iustin. vult ab eo, qui obsidionis periculum prospiceret, maiorem exercitûs partem dimissam fuisse; ne aut consensu inconditæ multitudinis hosti traderetur; aut obsidio ipsa multitudine gravaretur.)

Ibi ille summâ laborum & inediæ patientiâ; morum suavitate, ac prudentiâ singulari, obsessos in officio continens, annuam pænè obsidionem sustinuit. qui sibi iam satis persuasisset, res diu & eodem loco stare non posse. quòd & vana reges nomina præferrent; & præfecti pariter omnes, proprij sibi quisq; regni cupidi, omnia susq́ue deq́ue haberent.

REGIÆ DIGNITATIS IN DVCIBVS ADFECTATIO.

Et certè Antigonvs Eumenianis copijs, Satrapijs & pecunijs auctus, maiora iam appetebat. & rebus in solido constitutis, nec regibus deinceps, nec Antipatro ipsi parere cogitabat.

Intereà & ipse Ptolemæus Lagi, Perdicca cum regijs copijs profligato, ferocior; & Ægypto, Libiæq́ue parte, non contentus; Phœniciâ etiam & Cœle-Syriâ,

Cœle-Syriâ, opportunis Ægypto regionibus, vehementer potiri cupiebat.

Missus ab eo in Syriam, dux exercitûs, NICANOR, LAOMEDONTEM ibi Satrapam vivum cepit, & Syriã subegit: & civitates Phœniciæ benivolentia sibi adiunxit, præsidijsque firmavit.

ANTIGONVS verò, idoneo præsidio ad Castellum Noræ, quod muro, fossâ & valiis, mirandum in modum, cingendum curárat; relicto: in ALCETAM, PERDICCÆ fratrem; & in ATTALVM regiæ classis præfectum, exercitum duxit.

3633. 5. Ptolem. | | 317.

ANTIGONI BELLVM CVM ALCETA, ET PISIDIS.

ALCETAS auditâ iam-tum fratris nece, & ANTIPATRI potentiâ; & coniuratione in omneis PERDICCÆ amicos invalescente; Pisidiam, provinciam situ asperam, & viris bellicosis abundantem, omni beneficiorum ratione sibi demereri contenderat: & Iuventutem sui studiosissimam liberalitate & comitate effecerat.

ANTIGONVS autem, ut hosteis latéret, tantâ celeritate iter confecit; ut licet elephantos quamplurimos. & pedit. XL. & equit. VII. M. secum duceret; septem diebus, totidemque noctibus, à Cappadociâ, ad Pisidiæ urbem, quæ CRETVM dicta est, MMD. stadia sit emensus.

Eoque pacto ALCETAM imparatum, nihilque dum tale metuentem pænè oppresserit. & angustijs montium occupatis, edito & tuto loco castra sit metatus.

ALCETAS, licet viribus impar, cui DCCCC. tantùm equites, & XVI. peditum Mill. adessent, prœlij tamen aleam experiri tentavit.

Sed Antigonus è loco editiore pugnans, & viribus longè superior, fuso adversariorum exercitu, ATTALVM, cum DOCIMO & POLEMONE, alijsque, vivos cepit. & copias eorum à clade superstites, comi impunitatis & munerum pollicitatione suis adiunxit.

Pisidæ nihilo minus sexies Mille, viri animis & robore præstantes, ALCETÆ fidem servárunt; & incolumem eum satellitibus & pueris suis in urbem Termessum perduxerunt; extrema, enim, & pro eo, omnia toleraturi.

Sed Antigono cum copijs omnibus ad urbem castra-metante, maiores natu, qui indomitâ Iuniorum temeritate patriam, unius Macedonis caussâ, in-certum periculum vocari ægriùs ferrent; Antigono auctores fuére, ut propiore oppugnatione, & simulatâ subinde fugâ, Iuvenes ex urbe ad certamen eliceret.

Quod dum sedulò, nec frustrà, Antigonus facit; seniores ALCETAM, urbis custodiæ destinatum & relictum, adgressi, confodiunt. (Diod. quùm vivum capere nequijssent, ad manus sibi inferendas adegérunt.) Eiusque cadaver, lectulo impositum, vilique lacernâ opertum, inscijs adhuc foris velitibus, ad Antigonum misérunt.

Iuniores eo cognito, in tantam iram exarsérunt, ut propè abfuerit, quin parenteis suos eum totâ urbe concremárint. Sed iracundiâ tandem in hostem versâ; quia iusto bello non poterant, ad latrocinia conversi, Antigoni provincias longè lateque infestárunt.

Et corpus tàm cari ducis, indignis per totum triduum ab hoste contumelijs habitum, & insepultum, ipsi honorificè sublatum splendidis exsequijs cohonestárunt.

ANTIPATRI CIRCA ATHENIENSEIS GESTA, ET EXITVS.

In Macedoniâ verò ANTIPATER, qui eò reges nuper ex Asiâ perduxerat, DEMADEM ab Atheniensibus ad se missum, ut præsidium, quod antè quinquennium victæ urbi imposuerat, ex pacto, è Munichiâ educeret; ob occultam, quæ ipsi & Atheniensibus, cum Perdiccâ, intereà intercesserat, conspirationem; cum filio Demeâ, licet legationis collegâ, uti fidei violatæ convictos, & liberiùs comminanteis interfecit.

(Eidem DEMADI tribuitur, quod alij in Demosthenem contulérunt. Ille namque quùm adversùs Milesios orâsset, & plura dicturus esset; Milesij ab eo silentium pretio sunt emercati. Et orator in forum quidem prodijt; sed focali revinctus: Quasi συνάγχην pateretur. Tum unus è populo; non hanc esse συνάγχην, sed ἀργυράγχην exclamavit.)

ANTIPATER extremo morbo senioque confectus, extremam etiam operam dedit, ut Regum tutela, & summa imperij potestas, secũdum se, POLYSPERCHONTI (qui natu maximus inter duces ALEXANDRI æquales, esset, & in Macedonibus honoratissimus) committeretur.

CASSANDRVM F. adhuc adolescentem, neque maiori oneri parem; præter Cariæ Satrapiam, Tribunum (quasi magistrum equitum, sive castrorum præfectum; quod munus ab antiquo nobilissimum fuit) creavit. Neque multò post, feliciter certè, & incruentâ morte mortuus est.

(Iustin. tradit; legatos ad ANTIPATRVM ab EVMENE, dum obsidetur, missos, qui solus par ANTIGONI viribus videretur. A quo cum auxilia obsessis missa ANTIGONVS didicisset, ab obsidione recesserit, Qua de re infr.)

CASSAN-

CASSANDRI ET ANTIGONI MOLITIONES.

CASSANDER, Antipatri F. indignatus POLYSPERCHONTA sibi prælatum, & iniquiùs se à Patre habitum, clàm apud suos contestatus; tentatâ cum Ptolemæo & Antigono, aliisque belli societate, adversus Polysperchontem coniurat.

ANTIGONUS vicissim tot hostibus debellatis, tantâque virium accessione auctus, totius Asiæ imperium sibi soli vindicare constituit, excusso regum & tutorum iugo, Eamque ad rem EUMENEN, prudentem iuxtà ac fortem ducem, qui hornotinâ iam longiorem obsidionem tolerarat, per Hieronymum, amicum civemque, & historiæ scriptorem, restitutâ Cappadociæ Satrapiâ, sibi conciliare tentavit.

Totius denique Asiæ Satrapas, quà minis, quà promissis, aut subvertere, aut in sui instituti partem pertrahere.

ARIDÆUS, Phrygiæ ad Hellespontum Satrapa, (alius, uti credere par est, ab ALEXANDRI fratre) Cyzicum, urbem sibi opportunam, de improviso adortus, civibus suarum rerum satagentibus, frustrà fuit.

ANTIGONUS quoque, quùm specie ferendi auxilij, eidem civitati, impenderet, & seriùs venisset; benivolentiam saltim ostentavit, spe suâ frustratus.

Sed Aridæum, quasi immerentem, sociamque Græcorum civitatem, inique obsedisset; Satrapiâ cedere, & quietè deinceps vivere iubet.

Ille urbibus suis in eventum firmatis, partem copiarum emisit, præfecto eis duce, cum mandato, ut EUMENEN, solutâ castelli, quo detinebatur, obsidione, liberaret; eique ceu socio se coniungeret.

ANTIGONUS, ultionis desiderio ardens; partim copias ad eum debellandum immisit; partim cum altero exercitu in Lydiam movit; ut CLYTUM Satrapam, ARIDÆO amicum, suâ quoque provinciâ spoliaret.

Sed hic itidem præsidijs per oppida primaria collocatis, in Macedoniam navigavit; POLYSPERCHONTI & regibus rebellionem audaciamque ANTIGONI patefacturus; & opem ab ijs, periclitantibus fidorum Satraparum rebus, petiturus.

ANTIGONUS verò Epheso obiter occupatâ, sexcenta argenti talenta intercepit; quæ ÆSCHYLUS Rhodius è Ciliciâ in Macedoniam ad reges perferebat; eaque in mercenariorum militum stipendia convertit.

3634. 6. Ptolem. | 316.

CASSANDER, quùm Macedonibus in POLYSPERCHONTEM benè animatis, in affectando Macedoniæ imperio, offendisset; clàm inde in Cherronesum, & mox in Hellespontum, ac denique in Asiam profectus, ab Antigono auxilium sibi deposcit. Cui Ptolemæus quoque belli se socium fore, pollicitus esset. Ille hospitem comiter acceptum, expromtæ operæ, copiarumque tàm navalium quàm terrestrium spe implevit. Veteri quidem Antipatri Patris amicitiæ id daturum simulans; sed id unum re vera moliens, ut dum CASSANDER bello adversus POLYSPERCHONTEM gerendo distineretur; ipse Asiæ totius imperium, sine magno negotio, in se transferret.

POLYSPERCHONTIS ADVERSARII CONATUS.

POLYSPERCHON, regum tutor, ut adversùs CASSANDRUM, PTOLEMÆI & ANTIGONI, potentium principum, societate subnixum & ferocem, se tutaretur; veritus, ne Græcarum urbium præfecti, ab Antipatro olim instituti, in filium eius, CASSANDRUM, inclinarent; promulgato Regum nomine edicto; „*Resp. omnes*, quæ post ALEXANDRI in Asiam transitum, optimatium aut paucorum dominatum, aut præsidia admittere coactæ essent, *in antiquum statum*, qui sub PHILIPPO, & ALEXANDRI primordijs viguisset, *restitui*: Et eo nomine *relegatos*, præter qui homicidij aut impietatis damnati essent, *in suam quemque patriam, revocari* iussit.

„ Omnes insuper Græcis *caverent, ne quis ex ipsorum subiectis militaret adversarijs ducibus, aut nomina daret. Pœna, exsilium & facultatum publicatio esset*.

Scribit præterea ad EUMENEM, recens ex castello, fide Antigono datâ, digressum; cogitaret secum, quàm hostiliter ab Antigono habitus esset: quamque parum tutò, CASSANDRO, ob vetus Antipatri odium, confidere deberet. Maturè igitur sibi prospiceret; & regibus potiùs, quàm infidis perduellibus, fidem & obsequium præstet.

EUMENES ASIÆ IMPERATOR.

Nec abnuit EUMENES, *honestiorem ac tutiorem* sibi fore ratus *sub regibus, quam sub prædonibus, militiam*. Neque ullam à periurio culpam metuebat; quod in iurisiurandi formulâ, quâ fœdus cum Antipatro inierat, Olympiadem & reges, uti amicos, complexus esset: quæque ipsorum Macedonum, à quibus obsidebatur, suffragijs esset comprobata. licet ea & Hieronymo sequestro, & ipsi Antigono plurimùm posteà displicuerit.

Sed iam evaserat cũ suis EUMENES, Antigonoque haud iniuriâ diffidens, securitati suæ consulebat.

Mandatum erat Ciliciæ Satrapæ, ac regijs quæstoribus, ut EUMENI, ceu creato totius Asiæ Imperatori, Argyraspides, ter Mille, cum ducibus (invictus olim ille exercitus) parerent; & &c.

aut etiam

aut etiam plura, si opus sit, talenta, tum militibus conscribendis; tum damnis, quæ acceperat, resarciendis, confestim traderentur.

OLYMPIAS, quæ pridem ANTIPATRI odio ac metu in Epirum secesserat; quamque POLYSPERCHON, rebus iam turbatis, ut secura rediret; & Nepotum (Herculis, ex Barsine; & ALEXANDRI, ex Roxane) curam, regnique ex parte administrationem secum susciperet; rogárat: haud æquo animo ferens, POLYSPERCHONTI, tutorio nomine regem agenti, se subijcere; honestas ad EVMENEM perscripsit litteras.

Illum unum ex fidis ALEXANDRI amicis superesse, tanti imperij administratione, regiorumque liberûm tutelâ dignum. Veniret ergò, regiæ domos solitudini suppetias, & levamentum adlaturus.

EVMENES, Asiam pro re natâ deseri non posse contestatus, monet interim, in Epiro ipsa maneat, dum in locum paullò tranquilliorem res essent reductæ.

(Addit Prob. Sin aliquâ cupiditate in Macedoniam raperetur; omnium iniuriarum oblita, iu neminem acerbiore uteretur imperio.)

Ipse quantumvis à POLYSPERCHONTE, & deinde ab OLYMPIADE, Asiæ imperator denuntiatus esset; & iam-nunc Argyraspides, cum ducibus suis, ANTIGENE & TAVTAMO, uti imperatum erat, illi obviàm, quâdam cum comitate, & militari alacritate, processissent: Memor tamen undè evaserat, & invidiam veritus, si potiùs ipse alienigena, nec amplo genere natus, summi Imperij poriretur, quàm alij Macedonum, quorum ibi esset multitudo. in principijs castrorum, nomine ALEXANDRI (quem noctu sibi visum fingebat, imperantem, ut sibi Ædes, & statua, solio aureo insidens, uti omnium consiliorum præsidi, consecraretur) Tabernaculum, & sellam auream cum sceptro & diademate constituit; quò quotidie omnes convenirent: & de rebus summis consilia caperent. *Et ipse sic quodam modo lateret; quum tamen unus gereret omnia.*

Hâc prætereà moderatione usus est, ut Argyraspidum se non ducem, sed commilitonem præferret. Et quò modestiùs imperium recusabat; eò obsequentiores sibi cæterorum animos redderet.

Adeò Phalanx illa ALEXANDRI Magni, à Clypeis argenteis nomen sortita; qua Asiam victrix peragrárat, Persasq; devicerat; inveteratâ cum gloriâ, tum etiam licentiâ, non parére se ducibus, sed imperare postulabat.

EVMENES nihilo-minus, qui persequente MENANDRO, ANTIGONI duce, castra è Cappadociâ moverat; & magnis itineribus, Tauroque monte superato, cum paucis comitibus, in Ciliciam venerat; dimissis eum pecuniâ in Pisidiam, & Lyciam; in Cœle-Syriam & Phœnicen, aliaque loca, ducibus; & Græcorum permultis nomina ultrò professis; ad x. pedit. & II. equit. Mill. præter Argyraspidas, & assiduam manum; coëgerat.

Quùm PTOLEMÆVS, isto incredibili hostis sui incremento territus; & Zephyrium, Ciliciæ, classe adpulsus, ad Argyraspidum duces misit, qui eos dehortarentur, ne EVMENI, capitis iampridem damnati, obnoxios se præberent. neve Quæstores, qui Issi, aut Anazarbi erant, pecuniam ei ullam suppeditarent.

Neque seciùs ANTIGONVS sibi, regum desertori, gravem adversarium à POLYSPERCHONTE obiectû ratus; ab insidijs eidem struendis cessabat.

Per Philotam itaque, ex amicis fidum, & XXX. Macedonum primis stipatum; ducum, & primariorum inter Argyraspidas militum, animos, privatim tentavit; si fortè largitione, aut munerum pollicitatione, induci possent, ad insidias adversus EVMENEM struendas, aut adiuvandas.

Et quum reliqui quidem perfidiæ præmia generosè recusarent; tum ANTIGENAS quoque collegam TEVTAMVM, argento corruptum, de priore sententiâ deduxit: quòd certiorem præmiorum spem in EVMENE, peregrino, sed fidei observantissimo; quàm in ANTIGONO, nimis præpotente & fallaci; ponendam esse duceret.

Philotas, ubi cuniculis nihil se profecisse vidit; convocatis in unum, clàm EVMENE, militibus, arietem admovet.

Litteras Antigoni manu ad exercitum scriptas, publicè legit; quibus ille dictatoriâ confidentiâ imperabat; ut EVMENEM, publicâ Macedonici consilij sententiâ capitis damnatum, confestim morte adficiant. Quod si detrectent; omneis quamptimum, immisso exercitu, contumaciæ & perduellionis pœnas esse luituros.

Exterruerant Argyraspidas hæ minæ; & hinc regum & POLYSPERCHONTIS imperio; indè Antigoni propinqui metu, incertis, velut inter sacrum & saxum, animis, fluctuabant; quùm EVMENES commodùm supervenit: Qui laudum aculeis, & orationis eloquentiâ collabenteis plærorumque animos in tantam fiduciam erexit, ut metu in iram verso, regibus, eorumque patrono EVMENI, longè quam antea fideliores, & in ANTIGONVM rebellem efferatiores, facti sint.

Ille itâ expeditus in Phœniciam contendit; naveis ex urbibus undique maritimis, ad iustæ classis instar, coactutus, quarum ope POLYSPERCHON maris imperium teneret; & quandoque vellet, copias ex Macedonia in Asiam adversùs Antigonum transportaret.

Sed dum hinc Antigonus, inde Ptolemæus urguerent; coactus est ad Seleucum in Babyloniam confugere, ut copijs indè arcessitis se confirmaret. Quod quidem iter non sine maximis periculis, & militum lassitudine, perfecit.

RES CIRCA ATHENAS.

NICANOR intereà, quem Cassander statim à Patris excessu, & imperio in Polysperchontem translato, Athenas miserat; & Munychiam, loco Menylli, tutari iusserat; Atheniensibus auctor erat, ut à Cassandri partibus, contrà Polysperchontem, starent. Ei autem quùm nemo obtemperaret: & ex vi diplomatis regij, quo toti Græciæ pristina libertas fuerat decreta, præsidium quam-primum è Munychiâ educere postularetur;

laretur; ipse moras nectens, & maiores copias clàm arcessens, quæ & præsidio, & obsidioni, siqua vis fieret, pares essent; muros etiam Piræi, & Portûs claustra occupavit. Athenienses duplici malo consternati, à POLYSPERCHONTE suppetias sibi ferri, & suis legibus utendi facultatem dari petiérunt. Et OLYMPIADEM induxérunt, ut NICANORI Munychiæ & Piræi restitutionem imperaret.

Tandem POLYSPERCHON, qui Athenas non tàm in libertatem adserere, quàm CASSANDRO loca illa, ad belli usus maxime opportuna, eripere, sibique adiungere cuperet; ALEXANDRUM F. cum exercitu ad Athenienseis misit. Cui vel ipse PHOCION, legum patriarum metu, obviam progressus, persuasit, ut loca illa præsidijs infesta teneret; neque Atheniensibus, nisi CASSANDRO debellato, traderet.

(*Illum ANTIPATER tanti pridem fecerat, ut eius caussâ quidvis Atheniensibus largiri & gratificari velle videretur. Et quum duos potissimum sibi esse Athenis clienteis profiteretur, DEMADEM, & hunc PHOCIONEM; DEMADEM, δωροφάγον, à ebat muneribus a se numquam expleri potuisse; PHOCIONEM contra ἀδέκαστον induci numquam potuisse ut quidquam acciperet.*)

CASSANDER verò, acceptis ab ANTIGONO XXXV. navibus, & IV. Mill. Militum, ex Asiâ, in Piræum navigans, adolescentis ducis conatus facilè elusit. & à NICANORE comiter acceptus, Piræum Portûsque claustra accepit; & ille Munychiam cum suis militibus retinere, ac tueri permissus.

3635. 7. Ptolem. | —— | 315.

POLYSPERCHON, qui eo tempore cum regibus in Phocide morabatur, cum toto exercitu (qui erat viciés Mille peditum Macedonum, & quater Mille sociorum: Mille equitum, & LXV. elephantorum) iter in Atticam suscipere coactus; misit priùs, qui monerent, non posse se Atheniensibus succurrere, nisi & ipsi vicissim operam dent, ut patriæ & publicæ libertatis proditoribus, (quos ipse designabat) se ipsi & civitatem liberent.

Populus itaque indictâ concione magistratum veterem abrogat; & constitutâ ex hominibus maximè popularibus Curiâ, eos qui in paucorum Dominatu magistratum gesserant, alios morte, alios exsilio & bonorum publicatione damnavit. In quibus PHOCION, summâ antè sub ANTIPATRO potentiâ, & citrà culpam quidem, potitus.

Illi autem ex urbe eiecti, ad ALEXANDRUM, qui castra in propinquo habebat; & ab eo, ad Patrem POLYSPERCHONTEM, confugérunt. A quo comprehensi & vincti, Athenas missi, totius pænè populi suffragijs, vel indictâ, aut saltim inauditâ caussâ, quasi mutatâ reip. formâ comitiorum ius plebi eripuissent, & servitutem patriæ imposuissent; damnati sunt: & viri optimi, gloriâ & nobilitate primi, cicutam bibere iussi.

POLYSPERCHON castris propè Piræum positis, CASSANDRUM & arcecis obsidere conatus; quod & difficilis longaque obsidio futura esse videretur; neque frumenta alendo exercitui suppeterent; parte copiarum in Atticâ, duce filio, relictâ; ipse in Peloponnesum, ad res componendas, profectus est.

Sed modò truculentis amicorum ANTIPATRI, Oligarchiæ retinentium, cædibus; modò stolidâ cunctatione, multa è manibus effluere sinens; odium simul, & sui contemtum excitavit. & Megalopolitas in Arcadiâ, qui CASSANDRO palam studerent, irrito conatu obsedit.

PVGNA NAVALIS AD HELLESPONTVM.

Et quùm CLYTUS Navarcha, quem ad Hellespontum miserat, prohibiturum ne copiæ hostiles ex Asiâ in Europam transportarentur; NICANOREM, Munychiam præsidij præfectum, & regiæ classis prætorem, commisso ad Byzantium prœlio egregiè superâsset; & classis victæ reliquias in adversum Chalcedoniorum Portum compulisset: Eundem, iam propè securum, & haud procul litore, factâ militum è navibus exscensione, castra metatum; ANTIGONUS de improviso adortus, ità perterruit; ut milites eius non sine tumultu in naveis vacuas insilirent; & NICANOR, qui noctu à recenti ANTIGONI milite instructus solverat, primo impetu eos in fugam verteret; totâ pænè classe, cum vectoribus, potitus.

Clytus, autem, dum terrestri itinere in Macedoniam evadere nititur; ab obvijs LYSIMACHI militibus cæsus est.

ALTERVM ANTIGONI BELLVM CVM EVMENE.

ANTIGONUS, hostibus tantâ calamitate consternatis, & maris sibi imperium, & Asiæ stabilem dominatum parare contendens; delectis ex toto exercitu XX. pedit. & IV. equit. Millib. EUMENIS, qui copias undique augebat, profligandi, caussâ in Ciliciam properavit.

Ille Phœniciæ, quam PTOLEMÆUS iniquè occupárat, regibus vindicandæ & recipiendæ spe deiectus; per Cœle-Syriam ad supernateis Satrapias tendebat. Et cum apud Tigrim, ab incolis noctu invasus, aliquantam militum partem amisit; tum in Babyloniâ, à SELEUCO, apud Euphratem, exceptus, castris, perfossâ fluminis ripâ, circumfusis, tantum-non extremum cum copijs periculum adierat; nisi imperatoriâ arte usus, & in tumulum quendam se recepisset; & aversâ fossâ aquam in alveum reduxisset.

Vnde exercitu (qui XV. pedit. Millib. & equitibus Mille & quingentis universè constabat) in Persidem traducto, superiorum provinciarum præfectos, ad se milite & pecuniâ iuvandû, solicitabat.

Pleræq; verò Græciæ urbes, in tanto POLYSPERCHONTIS cõtemtu, ad Cassandrũ, à regibus, deficere cæperant;

cœperant; quùm Athenienses, omni spe destituti, in magnâ sententiarum varietate, tandem ad hasce cum eodem pactiones descenderunt.

„*Athenienses quidem urbis suæ, & annuorum proventuum, ac navium, compotes essent; & in pristinâ ANTIPATRI societate permanerent: Munychia verò in potestate CASSANDRI esset, donec bellum, adversus reges, conficeretur. Reip. deinceps administratio, ex censu, ad mensis X. constituta; curatore DEMETRIO Phalereo, qui pacatè & summâ cum humanitate civibus iura diceret.*

NICANOR cum classe ad Hellespontum victrici in Piræum adpulsus, & honorificè à CASSANDRO acceptus; quòd posteà arrogantiùs se gerere, & Munychiam suorum militum præsidio tenere velle visus esset; ab eodem per dolum interfectus est.

AGATHOCLES SICILIÆ REX.

Sub id tempus AGATHOCLES, CARCINO, Patre figulo, Rhegino, Thermis in Siciliâ natus, ex humili & sordido genere, ad regni maiestatem pervenit: & Syracusis tyrannidem occupavit, annis DCCCLXVI. post Ilij excidium.

Pater CARCINVS, exsul, primò Thermas, urbem Siciliæ, Carthaginiensibus tum parentem, profugerat: ibique uxore ductâ, & iam uterum-ferente, insomnijs terrebatur. Ob quæ Delphos quùm misisset, & oraculum respondisset; *Nasciturum ipsi filium, qui Siculis pariter & Carthaginiensibus, exitiosus foret, & magnarum calamitatum auctor*: partum abijcere decreverat. At mater infantem clàm subductum, apud fratrem HERACLIDEM deposuit, & educandum curavit; & ex avi materni nomine AGATHOCLEM nuncupavit.

Iam ille ad septimum ætatis annum pertigerat, quùm Pater CARCINVS ab HERACLIDE invitatus, non sine admiratione puerulum, & formæ venustate, & raro corporis robore, egregium, spectavit, & collaudavit.

Ibi mater primùm admiranti subiecit; *Eo oris & corporis habitu futurum fuisse filium suum, si educari per Patrem licuisset.* Deinde eidem pœnitenti & ingemiscenti, rem gestam detexit.

Is præ gaudio collacrymatus, atque interim Pœnos reformidans, quibus notum erat Dei Delphici oraculum; Syracusas cum filio, totâque familiâ commigravit. quo tempore TIMOLEON Corinthius, victis ingenti prœlio Pœnis, externos, qui vellent cumque, civitate donavit; sub ann. V. Cond. CDXV.

AGATHOCLES, Patre paullo-post è vivis erepto, à DAMA quodam, cive inter suos illustri & locuplete, adamatus, diu vitam stupri patientiâ exhibuit; & rem familiarem eâ fœditate auxit.

Bello strenuus quoque ac facundus quùm esset; ab Acragantino duce Tribunus militum factus, multo maiorem gloriam gratiamque, apud milites & populum, sibi comparavit.

Et DAMA illo, cui in delicijs fuerat, defuncto, viduam eius sibi uxorem duxit: & inter locupletes censeri cœpit.

Eâ tempestate Syracusarum resp. populo in ordinem redacto, à DC. Viris, regebatur, quorum facilè princeps erat SOSISTRATVS; AGATHOCLI, viro auræ popularis percupido, maximè infensus. A quo ille in exsilium pulsus, varijsque fortunæ & bellorum procellis exercitatus,

(*Qui modò Crotoni à Bruttijs obsessæ, cum alijs Syracusanis, opem tulerit: modo ijsdem Crotoniatis, & deinde Tarentinis, insidiatus; tandem Rheginis, quos idem SOSISTRATVS cum HERACLIDE oppugnabat, præsidio fuit. A Murgantinis, apud quos exsulabat, prætor & dein dux creatus, urbem Leontinorum cepit; & patriam suam Syracusas, adversùs quam Piraticam antè exercuerat, obsidere etiam cœpit.*)

Tandem eorum maximè operâ, quibus paucorum dominatus erat exosus, ab exsilio revocatur. Et mox ipse SOSISTRATVS, cum potentioribus, DC. Viris, urbe vicissim pulsi, adversùs eos, qui popularem statum tuebantur, difficile bellum gesserunt; & HAMILCARIS Pœnorum ducis auxilium implorârunt.

AGATHOCLES, cui militum conscribendi facta erat copia, è peregrinis fortissimos quosque, ac sibi iam prœliorum, aut latrociniorum societate coniunctos; & è civibus pauperrimos, & locupletibus per invidiam maximè infensos, adscivit.

HAMILCAREM item, qui militum præsidia, obsessis à se Syracusis, miserat, precibus & per internuntios exoravit; ut inter se, & Syracusanos pacis arbitria susciperet; peculiaria, & sua vicissim officia repromittens.

Quâ spe impletus Pœnus societatem cum eo, metu potentiæ eius, iungit. ut quantùm virium AGATHOCLI adversùs Syracusanos dedisset, tantùm ipse ad incrementa domesticæ, adversus patriam, potentiæ conquireret.

Atque ità non pax tantùm AGATHOCLI conciliata est; verum ipse etiam prætor Syracusis constitutus.

Et acceptis ab HAMILCARE, V. Afrorum Mill. apud milites & populum insidias sibi à potentioribus, Oligarchis, struì mentitus, plebeios tantoperè exacerbavit; ut universè exclamarent; *Videret ipse, nequid Resp. detrimenti caperet.*

Quo ceu classico gerendi pro lubidine magistratus dato, in Sexcentos primùm, in concione præsenteis; tum in locupletissimorum quorumque, absentium, domos, impetus factus; tantâ diritate, ut plus VI. hominum Mill. ex urbe profugerint: & plus quater Mille trucidati. Taceo virginum matronarumque stupra; domorum direptiones, Templa, incestis, sacrilegijs, & promiscuo cruore horrendum in modum fœdata.

His ita perpetratis, & initâ rursùm populi concione, commemorat AGATHOCLES; quàm superbè & impotenter Sexcenti tyranni Remp. hactenùs oppressserint. *Vrbem, ijs aut interfectis, aut eiectis, perpulcrè expiatam.*

Se quidem magistratu cedere, & tutum deinceps inter privatos otium exoptare. Ipsi remp. capesserent; & cui vellent, imperatoriam dignitatem concrederent.

Hæc ille

Hæc ille versipellis; specie popularis, & recusantis, Tyrannidem flagrantissimè concupiscens.

At consceleratissimi quique, latrociniorum aut cædium, sub illo tribuno, sibi conscij, & talionis pœnam, si alius dux eligeretur, veriti; exclamare: *Remp. ne deserat*; nunc vel maximè tanti ducis operâ indigentem.

Tum ille, ubi se urgueri, & totum-non cogi vidit, quasi studio plebis acquiescens, respondit; *Se omninò cupere, vel privatum agere, vel sine collegâ ducem; ne ipse innoxius, collegarum culpam præstare cogeretur.*

Ita palam dux omnium electus, & singulare imperium nactus, operam deinceps dedit; ut derivatum in alios tantæ sævitiæ atque immanitatis odium, omnibus comitatis ac beneficentiæ officijs elueret. neque diademate regio usus; neque stipatoribus cinctus: in solâ vectigalium curâ, & armorum naviumque adparatu, deditus.

(Interea dum Romani cum Samnitibus, longinquo bello, & alternis agrorum depopulationibus, conflictantur; Crotoniatæ etiam, fœdere cum Brutijs contracto, adversus popularis factionis principes, pro re natâ, & ob societatem cum SOSISTRATO & HERACLIDE, Syracusanis, anteà initam, exsules, bellum feliciter, adversarijs cæsis, confecerunt.)

EVRYDICES REGIÆ VXORIS IMPORTVNITAS: ET OLYMPIADIS crudelitas.

EVRYDICE interea, PHILIPPI, sive ARIDÆI, regis, uxor, mariti sive socordiâ, sive valetudine abutens, omnia eius officia sibi vindicabat, & turbulentissimis factionibus Macedoniã divexabat. Quumque illa POLYSPERCHONTEM è Græciâ in Macedoniam redire; & ab eo OLYMPIADEM, ex Epiro, arcessiri ad regnum, cognovisset; muliebri æmulatione perculsa; scribit, regis nomine, POLYSPERHONTI, ut exercitum CASSANDRO, in quem regni administrationem rex transtulerit, confestim tradat. Eademque, & in Asiam, ANTIGONO per epistolam nuntiat.

OLYMPIAS vicissim à POLYSPERCHONTE maturè advenire, priusquam EVRYDICE, suis artibus omnia pessumdet, iussa; unà cum Æacidâ, Molossorum rege; & altero ALEXANDRI filio, HERCVLE, in Macedoniam, ex Epiro, POLYSPERCHONTE exercitûs duce, erat ingressa; quùm EVRYDICE, magnâ Macedonum manu, & ARIDÆO rege comitata, ex Euijs, Macedoniæ urbe, obviam progreditur, vel finibus regni ulteriùs prohibitura, vel de imperij summâ prœlio cum æmulâ dimicatura.

Iamque procinctæ in pugnam stabant acies; quùm Macedones, seu memoriâ mariti; seu magnitudine filij & indignitate rei moti; mutatis sententijs, & desertâ EVRYDICE, ad OLYMPIADEM transiére.

A quibus cum rex PHILIPPVS, eiusque comites, statim: tum EVRYDICE, cum POLICLE, à consilijs intimo, dum Amphipolim se reciperent, intercepti, & in manus OLYMPIADIS traditi sunt.

Illa muliebri impotentiâ insolescens, & regni iam compos, fortunam moderatè non tulit. quod antè & Antipater, & Eumenes futurum præsagierant.

Neque Eurydicen modò, sanè non immerentem, ad voluntarium suspendium adegit; sed Aridæum etiam, nullo alio magis, quàm ignaviæ crimine, infamem, (tetro priùs carcere excarnificatos) stimulis confodi iussit. postquam is VI. ann. & mensibus IV. post ALEXANDRVM, regno quasi precario potitus esset.

EVMENIS MOLITIONES.

EVMENES, quem in Persidem, & ad Tigrim, copias suas perduxisse diximus; quùm neque SELEVCVM, Babyloniæ; neque Pythonem, Mediæ, Satrapas, precibus aut legatis, inducere posset, ut sibi & regibus, adversus Antigonum auxilium ferrent; Quin & Argyrospides, militiæ eius comites, ab ijs interpellarentur, ut Eumeni, homini peregrino, & capite minuto, parére detrectarent; Reliquos tamen superiorum provinciarum præfectos, (quos ad se, qui pro OLYMPIADE & regibus staret, pecuniâ, & milite iuvandum, solicitárat) eò habuit æquiores, quod plerisque Python à Parthis expulsus, & Seleucus, suspecti essent, qui imperij cupidine, maiora æquo agitare, & tentare existimarentur; & communem spem foverent.

Illi autem commodùm sub idem tempus in Susianam, cum copijs, ad V. mill. DCC. pedites, & IV. M. DC. equites, pervenerant, quùm tabellarij ab Eumene in tempore adfuérunt.

Sed rursus inter multos duces, utcumque pares, exorta est de primatu contentio. Quùm Peucestes, ducum omnium illustrissimus, & Persidis Satrapiâ; & bellatorum multitudine, & veteri ALEXANDRI prærogativâ, præfidens, sibi militare imperium vindicaret.

Et contra Antigenes, Argyraspidum præfectus, Macedonibus Asiæ sub ALEXANDRO domitoribus, & invictis, deferendam electionis potestatem censéret.

Verùm EVMENES hanc controversiam, institutâ pridem quasi Aristocratiæ specie, cui præesset ALEXANDRI Thronus, ad quem quotidiani procerum consessus, & consilia de rebus gravibus haberentur; prudentissimè sedavit.

Seleucus his cognitis, Antigonum monet, ut maturè adcurrat ante, quàm Eumeni maiores copiæ accedant.

EXPEDITIO ANTIGONI IN EVMENEM.

3636. Pt.Lag.VIII. (Capell. & Diod. Olymp. CXVI. & V.C. CDXXXIIX.) 314.

ANTIGONVS verò, quùm in Mesopotamiâ hiemâsset; ineunte vere, in Babyloniam venit; & SELEVCO PYTHONIQVE coniunctus, Tigrim cum suis & socialibus copijs traiecit.

EVMENES autem, postquam XENOPHILO thesauri custodi, & arcis Susianæ (quam mox SEVLEVCVS, regionis eius Satrapa, ab ANTIGONO creatus, obsessurus credebatur) præfecto, mandata dedisset; ne ANTIGONO, brevi illuc accessuro, pecuniæ quidquam erogaret; in adversam Tigridis alterius, (qui & Pasitignis dicitur) ripam, ad Ortum, se recepit; ut collocatis passim, à fontibus fluminis ad mare usque, præsidijs, ANTIGONVM ulteriore in provinciam aditu prohiberet. Sed quùm eum ad Copraten fluvium, qui in Pasitigrim influit, & à castris suis LXXX. stadia distabat, accessisse cognovisset; eumque fluvium, & rapidum, & ad IV. iugera latum, non nisi magno laboris temporisque dispendio traijci posse sciret; ipse pontem Tigri impositum cum IV. peditum millib. & equitibus mille ac trecentis, celeriter emensus; ex Antigonianis, qui navigiolis aut pontonibus iam transmiserant; & vallum iacere; ductisque de-subito aggeribus, reliquos exspectare, & in tutum recipere iussi erant; permultos, & adhuc incompositos, in fugam, & in naveis coniecit. Ex quibus alij demersi, aut fluctibus abrepti periérunt: alij, ad quater mille, ad ripam, capti sunt.

Desperato itaque Copratis fluvij transitu, retrogressus ANTIGONVS, ad Bagadem urbem, ripamque Eulæi, castra promovit. Idque sub ortum caniculæ; quo tempore & Pasitigris solitò impetuosior exundare, & aër intolerandis fervoribus æstuare, solent.

Quare Bagadâ ille in Ecbatana Mediæ profecturus, non editiore & regiâ viâ, propterea quod & immodico calore, & XL. dierum longitudine molesta erat; sed per Cossæos, Vxijs montibus proximos, iter instituit; ut brevius, ita angustius & frigidius.

At Cossæi, quos muneribus pellicere dux contemserat; occupatis montium angustijs, plurimum negotij copijs & elephantis eius facessivêre.

Nihilo-minus nonis castris in cultiora Mediæ loca exercitum perduxit; & fatigatum recreavit.

Audito, hosteis in Mediâ castrametari, Eumeniani inter se dissentire cœperunt. quùm EVMENES, & ANTIGENES Argyraspidum dux, & cæteri, qui ex maritimâ Asiâ illò-usque venerant, eodem sibi retrocedendum arbitrarentur.

Qui verò è supernatibus provincijs descendetant; de populis illic sibi subiectis soliciti, suscipiendam eorumdem locorum tutelam suaderent.

EVMENES, qui perspiceret, diviso exercitu, alterutram partem hostibus imparem fore, posterioribus adsensus est. & castris à Pasitigride motis, ad Persepolim, Persarum regiam, XXIV. dierum itinere inde distantem, progredi cœpit.

Cuius regionis amœnissimæ, & omni rerum necessariarum, hominumque bellicosorum copiâ frequentissimæ, Satrapa PEVCESTES, EVMENI iam-pridem invidens, sacrificijs & convivijs plusquam heroicis, milites ducesque demulcebat; eorum studia & favorem aucupatus.

Quod ambitiosi & popularis hominis institutum subodoratus EVMENES, litteras commentus est, quibus & milites ad necessariam bellandi alacritatem excitaret; & PEVCESTÆ fastum splendoremque deprimeret: seque ipse in maximæ spei apud vulgus exspectationem eveheret.

Confingit litteras ab OLYMPIADE, & regibus, qui sublato CASSANDRO, regni Macedonici iam compotes essent; ad se perscriptas. Quibus & auctoritas ipsius confirmaretur; & POLYSPERCONTIS in Asiam cum regijs copijs & elephantis, adversus ANTIGONVM, adventus nuntiaretur.

Has item litteras Syriaco sermone conscriptas, tamquam ab ORONTE, Armeniæ Satrapâ, cui vetus cum PEVCESTE necessitudo intercedebat, missas, inter epulas & per castra divulgat. Sic universi exercitûs studia à PEVCESTE in se facilè convertit: in cuius manu futura esset potestas; & quos vellet regiâ auctoritate provehendi; & pœnas de sontibus expetendi.

Quùm verò & ipse ANTIGONVS in Persidem proficisci nuntiaretur, & EVMENES ei cum exercitu obviam procederet, multa minuta prœlia, castris inter se adpropinquantibus, conseruere; & subinde strategematis, & arte militari, alter alterum elusérunt.

Dum tandem EVMENEM, ex Gabiene, quam præoccupârat, longiùs progressum, ANTIGONVS adsecutus, & moratus, ad tentandam prœlij aleam coëgit.

Ducebat Eumenes secum XXXV. (al. XVI.) pedit. & VI. equitum M. Elephantos CXIV.

In Antigoni exercitu, cum auxiliaribus Seleuci & Pythonis copijs, erant duodetriginta pedit. & equit. novem (al. octo) M. Elephanti LXV.

Prœlio itaque acri & diu ancipiti commisso, quod vix nox media diremit; Eumenes quidem, licet DXL. tantùm pedites desiderâsset, equitesque perpaucos; & saucios plus DCCCC. haberet; in castra sua, & ad sarcinas, reverti, & cæsorum sepulturam pro tempore negligere, à collegis coactus, certissimæ victoriæ spe præmioque excidit.

Antigonus verò, licet ferè IV. pedit. M. amisisset; totidemque superessent vulneribus adfecti; cadaverum tamen utrimque potens factus, præcipuam victoriæ partem (quæ in camporum, & cæsorum dominatu sita est) sibi adrogabat.

Acceptæ nihilo-minus ab Eumene cladis, & sub-

ortæ in

ortæ in militibus suis consternationis conscius, tutiùs sibi censuit, quàm longissimè posset ab EVMENIS castris recedere. Pervenitque longis itineribus ad Gamarga Mediæ, regionis, quæ & PYTHONI parebat, & exercitui alendo par erat.

EVMENES autem, qui ob itinerum difficultates, & ærumnas militum, ciborumque inopiam, ANTIGONVM clam se subducentem insequi non posset peractis cæsorum exsequijs, (*Vbi admirabile & novum inter duas Cetei, Indici ducis, coniuges, certamen; nostra cum marito, qui in prœlio ceciderat, viva flammis communibus cremaretur.*)

Ex Paroetacis, in Gabenam, uberem & intactam regionem, profectus est. Hiberna tamen uterque sua haud longiùs quàm IX. stathmorum itinere inter se dissita collocârunt; & exercitus refecêrunt.

CASSANDRI IN GRÆCIA CONATVS.

In Europâ verò Cassander, qui Tegeam in Peloponneso obsederat, cognito Olympiadis in Macedoniam reditu; & Eurydices, regisque Philippi nece; & adversus Iollæ fratris tumulum iniurià; rebus cum Tegeatarum populo compositis, in Macedoniam cum exercitu contendebat, & arma in Olympiadem convertebat.

Sed hinc Alexandro, Polysperchontis F. Inde Ætolis, qui pro Olympiade stabant, claustra Peloponnesi undique insidentibus; non nisi comparatis ex Eubocâ & Locride navigijs, in Thessaliam copias transportare potuit.

Olympias, audito Cassandri adventu, Aristonoum ducem creavit, qui prœlio Cassandrum exciperet. Ipsa interea, Macedonibus, qui muliebrem impotentiam detestarentur; diffisa, cum nuru Roxane, & nepote Hercule; cum Thessalonice privignâ, Philippi patris nomine clarâ; cumque Deidamiâ, Æacidæ regis filiâ, & Pyrrhi sorore, in urbem Pydnam concessit.

Eique comites sese addidére, Attali filiæ, aliæque permultæ principum matronæ, cum aliquantâ amicorum & consanguineorum manu. *Speciosus magis grex, quàm ad belli casus utilis.*

Hæc quùm nuntiata Cassandro essent, superatis Perrhoebiæ angustijs, quas Dinias, Polysperchontis dux, occupârat; statim & citato cursu Pydnam advolavit, & eam terrâ marique obsidione cinxit.

Et Æacidæ, Epirotarum regis, qui cognatę suppetias cum exercitu adventabat, conatus, partim transitu Epiri per Atarriam ducem occupato; partim seditione inter milites Epirotas concitatâ, irritos reddidit.

Adeò enim Epirotis sævitia Olympiadis erat ingrata, ut regem suum, ei auxiliarem; & in milites, quos militiam eam detrectantes, exauctorârat, sæviorem; ipsis Æacidis adnitentibus;

(*Quod antehàc in Epiro contigerat numquam, ex quo NEOPTOLEMVS, ACHILLIS F. ibi regnârat; & filij usque in regno, à patribus accepto, fuerant immortui*) exsilio multârint, & abdicârint: & cum Cassandro societatem coiverint. Quorum exemplo permulti in Macedoniâ, ab OLYMPIADE, ad eumdem defecerint.

ANTIGONVS EVMENEM PERSEQVITVR.

ANTIGONVS, qui in Gadamalis Mediæ hibernârat; nec ignarus erat EVMENIS milites, commodæ frumentationis caussâ, in diversa oppida esse dispersos; & plerosque ex ijs, quinque aut sex dierum itinere, inter se dissitos; via circa brumam, brevi, sed asperrimâ, per campestrem solitudinem (sparsâ apud hosteis novæ in Armeniam expeditionis famâ) exercitum vel reluctantem traduxit: ut incautos, & ita dissipatos sine periculo opprimeret.

Quùm autem accolę, igneis de nocte in castris, ob frigus accensos, conspicati; sive exploratores, in montibus constituti, EVMENEM commonuissent, ANTIGONVM cum exercitu in propinquo versari. Et PEVCESTES, interea dum omnes copiæ, variè dispersæ, in unum coirent, in extrema usque hibernorum loca, recedendum esse censeret; EVMENES, qui id parum honestum & intutum esse putaret; ANTIGONVM istiusmodi artificio elusit.

Quos penes se habebat duces cum militibus, iussit igneis quam-plurimos noctu, & editis, per vigiliarum vices, locis, accendere, & certâ locorum intercapedine inter se distare; ut vel LXX. stadiorum ambitum implerent, quò procul spectantibus iustior videretur esse in castris propinquis, exercitus.

ANTIGONVS verò, cui nuntiabatur EVMENEM haud longè cum toto exercitu castra esse metatum; re inopina perculsus, & se proditum ab aliquo credens, iter inhibuit. Neque compositos & integros, ipse fessus, rerumque omnium egens, adoriri ausus; aliquantulum, & in cultiora loca secedere cogitur; ut exercitum recreet & instauret, dum interea ad EVMENEM sui undique ex vicis confluerent.

Cuius etiam elephantos, seriùs ex hibernis egressos, & consueto auxilio destitutos; frustrà ille intercipere, & apertâ vi invadere conatus est.

MEMORABILIS PVGNA, ET EVMENIS EXITVS.

Postremò, quùm tota utrimque castra non longiùs, quàm XL. stadior. intervallo distarent, ambo tamquam de summâ rerum decertaturi, acies suas instruxérunt.

ANTIGONVS, cui peditum erant XXII. Equit. IX. M. & elephanti LXV. distributis in cornua equitibus, lævam partem PYTHONI committit; dexteram DEMETRIO F, ei adiutor futurus.

Et elephantorum spatijs levi armaturâ expletis, pedites in medio collocatos per universum exercitum ordinavit.

EVMENES, cui XXXVI. pedit. & equitum VI. M. & L. cum elephantis CXII. aderant; ut peditatu & belluis præstabat, ita equitatu erat inferior. Ipse lævo in cornu præstantissimos equitum, Satrapis ducibus, & inter cæteros, Mithridate Ariobarzanis F. collocavit. & se ipse cum ijsdem Antigono opposuit.

In fronte exercitûs, acie nonnihil inflexâ, LX. ex

elephantis optimos, spatijs levi itidem armaturâ infarctis, constituit.

Primi inter propugnatores, pedites, fuére; deinde Argyraspides; ac postremi peregrini, quique Macedonico situ armati. Dextrum cornu tenebant equitum & elephantorum infirmi; quorum præfectus PHILIPPVS fugiendo pugnare, & alterius partis eventum exspectare, iubebatur.

ANTIGONVS initio prœlij, pulveris fortè concitati opportunitate utens, præmissis clam binis Medorum & Tarentinorum millib. EVMENIS castra & impedimenta diripuit.

Deinde, iniecto PEVCESTÆ terrore, equitatum hostium facilè profligavit.

At Argyraspides, plerique sexagenarij, & multi ætate provectiores, robore & pugnandi dexteritate præstantes, nemine ex suis amisso, supra V. M. ex adversarijs ceciderant; & pedites omneis, numero longè potiores, in fugam verterant.

Quùm tandem PEVCESTE, EVMENE non obtemperante, & prœlium detrectante, ipsi equitum suorum auxilio destituti; & à PYTHONE, dum ANTIGONVS EVMENEM insidiando persequitur, acriter invasi, ad flumen se recipere sunt coacti.

Ibi multa in PEVCESTÆ socordiam debacchati; neque satis firmâ inter EVMENEM, aliosque Satrapas, concordiâ, supra impedimentorum & rerum carissimarum iacturam, consternati; ignaris ducibus, ad ANTIGONVM legatos mittunt; petentes, ut sua sibi restitui iubeat.

Ille redditurum se omnia pollicetur, si EVMENEM sibi in manus tradant.

Ipsi itaque ducis unius capite, liberos, uxores, & supellectilem suam redemturi EVMENEM è fugâ retractum vinciunt; & neglectis eius tum precibus, ut inter suos moriens ignominiâ mortis liberaretur; tum diris, quibus periura militum, iureiurando sibi obstrictorum, capita devovebat; ducem suum captivum, & ipsi captivi, triumphum de seipsis in victoris sui castra perducunt.

Omnia denique regis ALEXANDRI auspicia, tot bellorum palmas & laureas, unà secum ANTIGONO tradunt. receptis impedimentis, & fide accepta, in castra eius militiamque cooptati.

Quorum paullo-pòst perfidiam tantoperè dux ipse detestatus est; ut omneis veteranos illos orbis prædones, in Arachosiam ablegârit. Vt, quod ijs EVMENES, ultima perfidorum victima, fuerat imprecatus, inopes extorresque reliquum ævi in castrensi exsilio agerent; & taleis à Dijs, periuriorum vindicibus, exitus ferrent, quales ipsi ducibus suis dedissent.

ANTIGONVS EVMENEM, prioris amicitiæ verecundiâ, in conspectum suum venire prohibitum, adsignari custodibus præcepit. Quumque à suis urgueretur, ut supplicium de eo sumeret, à quo tot annos adeò malè habiti fuissent; negabat se ei vim adlaturum, cui aliquando fuisset amicus. Et quotidianum tantùm victum ab eo removeri iussit.

Hic tamen non ampliùs quàm triduum fame fatigatus, quùm iam castra eo ex loco moverentur, inscienti, an dissimulante! ANTIGONO, iugulatus est à custodibus.

Hunc vitæ exitum habuit EVMENES. In quo quanta fuerit omnium opinio, eorum, qui post ALEXANDRVM M. reges sunt appellati, ex hoc facilimè potest iudicari: Quod nemo, EVMENE vivo, rex appellari ausus sit, sed regius, suæ quisque provinciæ, præfectus. Et ijdem, post huius viri occasum, regium statim ornatum nomenque sumserint.

ANTIGONVS præterea EVMENIS cadaver propinquis eius sepeliendum tradidit: qui militari honestoque funere eum cremavérunt, & ossa in Cappadociam ad matrem & liberos eius ex BARSINE, ROXANES sorore, deportanda curárunt.

Neque Argyraspides soli, sed neque Satrapæ, & reliquorum ducum militumque plurimi, deserto Imperatore, suæ quisque saluti satis consuluerunt. Ex quibus ANTIGENES Argyraspidum dux, lignorum strui impositus & vivus exustus; EVDAMVS, elephantorum ex Indiâ, ductor, alijque, ei semper infensi, ANTIGONI iussu, interfecti sunt.

PYTHON INSIDIOSE INTERFECTVS.

3637. Ptol. sx. | ———————— | 313.

PYTHON Mediæ Satrapa, ANTIGONI gloriæ æmulus, rebus novis studebat: & milites eius, eâ in regione distributos, donis aut promissis sibi adiungere moliebatur.

ANTIGONVS, accusatoribus palam increpitis; & sparsâ passim famâ: Sibi in animo esse totius Orientis Satrapias Pythonis fidei, iustis cum copijs, committere, egregiâ dissimulatione usus, ad eumdem in extremis Mediæ finibus hiemantem, & multos ex suo exercitu secum rebellaturos parantem, litteras scribit honorificentissimas, laudis & maioris in posterum spei plenas. rogatque interim, ut maturè ad se veniat, de totius imperij summâ cum ipso consilium habiturus.

His pollicitationibus inescatus, & vanis amicorum litteris inductus Python venit ad Antigonum, & factâ insidiarum quæstione damnatus, meritas tum prævaricationis infidæ, tum ineptæ credulitatis, pœnas luit. Neque ita multo-post, MELEAGER & MENOETAS, alijque eius amici, aut coniurationis conscij, qui collectâ, ex EVMENIS & PYTHONIS familiaribus, manu, agrum vicinum fuerant depopulati; & tumultu regionem compleránt; comprehensi & malè multati sunt.

ANTIGONI AMBITIO.

ANTIGONVS in Persidem profectus, Peucestæ homini apud incolas gratioso, Satrapiâ abrogat, & Asclepiodorum substituit. Aliasq; Satrapias, quasi iam totius Asiæ potês, inter suos distribuere adgressus est. Ita tamē ut priores Satrapas, Carmaniæ Tlepolemûs Bactrianæ Stasanorem; Paropamisadis Oxyartem,

Roxa-

ROXANES patrem; & Arachosiæ SYBYRTIVM; suis quemque subiectis gratos, & magnis copijs instructos, in statu reliquerit.

EVAGORAM, virum fortem & solertem, Ariæ; & ORONTOBATEM Mediæ præfecit.

Thesauros verò sibi quàm potuit, plurimos adseruit. Ecbatanis quidem v. & Susis xv. aliunde, ex manubijs & spolijs, altera v. (al. x.) talentûm millia.

OLYMPIADIS EXITVS. CASSANDRI CRVDELITAS ET IMPOTENTIA.

OLYMPIAS verò Pydnæ diu & artè obsessa, & ad extremam inediam adacta, adeò ut ex obsessis quidam humanâ carne vescerentur; desperatâ fugâ, & pactâ salute, CASSANDRO se tradidit.

Eteidem MONIMVM Pellæ, & ARISTONOVM Amphipoleos præfectos, qui duo soli ipsi fidi supererant, parere; & urbeis suas dedere iussit.

Quod quùm ARISTONOVS gravatè fecisset; per CRATEVÆ, (quem nuper ille prœlio victum, & exarmatum, datâ fide dimiserat) cognatos, interemtus est.

Et CASSANDER populo ad concionem vocato, sciscitaturus quid OLYMPIADE fieri velint; subornat agnatos, ab eâdem pridem interfectorum: qui sumtâ lugubri veste crudelitatem mulieris accusarent. A quibus incensi Macedones, fine ullo pristinæ maiestatis respectu, inauditam capitis damnârunt.

CASSANDER nihilo-minus, quòd illa ad fugam cum suspicione capessendam induci non posset; & & apud Macedones caussam dicere, parata esset Macedonum in PHILIPPVM & ALEXANDRVM fidem, & reginæ arteis veritus, milites percussores immittit.

Qui postquam eam, ultrò obviam veste regali procedentem, conspicati sunt; velut attoniti fortunâ maiestatis prioris, substiterunt: donec à CASSANDRO propinqui interfectorû submissi, eam, non gladium aut vulnera refugientem; neque muliebriter vociferantem; sed virorum more fortium, pro gloriâ veteris prosapiæ, morti sese offerentem, confoderent.

CASSANDER imperium sibi stabiliturus, THESSALONICEN, consanguineam ALEXANDRI sororem, in matrimonium adsciscit: & ROXANEN, eiusque F. ALEXANDRVM, quos necare nondum audebat, in arcem Amphipolitanam traducit, artaque ibi custodiâ haberi iubet.

PHILIPPVM & EVRYDICEN, reges, ab OLYMPIADE trucidatos, Ægis, regio funere, sepelit.

CASSANDRIA CONDITA.

(Ipse urbem, apud Pallenen, de suo nomine Cassandriam condit; in quam ex Chersoneso, Potidæâ, & finitimis locis, incolarum Olynthiorum superstitibus, translati; brevi ita crevêre, ut inter cæteras Macedoniæ urbeis maximam potestatem sint adepti.)

Supererant infensi adhuc CASSANDRO hostes, POLYSPERCHON in Ætoliâ, & ALEXANDER eius F. in Peloponneso, cum copijs haud contemnendis.

POLYSPERCHON namque, qui Naxi in Perrhæbis tum obsidebatur, cognito OLYMPIADIS casu, ex eâ urbe profugiens; & adsumto secum ÆACIDA, ex Thessaliâ profectus in Ætoliam sese receperat, rebus mutandis intentus.

CASSANDER vicissim, ALEXANDRI è Peloponneso deturbandi cupidus, cum exercitu è Macedoniâ in Thessaliam venit; & Thermopylis superatis, in Bœotiam.

THEBÆ ET OLYNTHVS RESTITVTÆ.

(Ibi Thebas xx. ab hinc annis ab ALEXANDRO, quemadmodum & Olynthum à PHILIPPO, eversas, instaurari permittit. Et Olynthijs quidem; Macedones, Thebanis verò, Athenienses, alijque Græcorum populi, manus in ædificando socias haud illubenter præbuêrunt.)

PRINCIPVM IN ANTIGONVM CONSPIRATIO.

ANTIGONVS animo ad Occidentis res conversus; Babylonem petit. Vbi à SELEVCO magnificis epulis cum universo exercitu acceptus, ipse, quasi regem agens, ab eodem, ceu Satrapâ, proventuum rationes exegit.

SELEVCVS primò negare, id æquum esse, ut Babyloniæ, quæ ipsi a regibus, ob egregia in ALEXANDRVM patrem, merita; & à Macedonibus, ob publica in totam gentem beneficia, concredita esset, ulli, preter reges ipsos, rationem redderet.

Deinde, gliscente in dies dissidio, PYTHONIS aliorumque procerum, quos ille interfecisset, casum recordatus, XXX. cum equis, fugam in Ægyptum, ad PTOLEMÆVM principem, probitate & fide spectatum, capessit.

ANTIGONVS primò lætari, quod SELEVCVS, cui vim vix & gravatè intulisset, fugâ, & sine certamine, vacuam sibi Babyloniam fecisset.

Deinde Magorum responsis exterritus, fatalem sibi pòst fore SELEVCVM; ad eumdem ex itinere intercipiendum certos homines, frustra tamen, submittere.

Ille PTOLEMÆVM docet, quid ANTIGONO, tantâ copiarum & pecuniarum magnitudine suffulto, & tot successibus ebrio, constitutum esset. Illustrissimos quosque Macedonum, varijs de caussis sibi suspectos; & falsis criminibus circumventos, opprimere: & Macedonici regni summam spe iam complecti; ni maturè eius conatibus obviam eatur.

PTOLEMÆVS ad CASSANDRVM, cui Macedonia cum Græciâ; & ad LYSIMACHVM, cui Thracia cum Ponto, patebant, legatos mittit, qui eadem edocerent, & cum utroque societatem renovarent.

(Hoc fuit gravissimorum inter tam potentes collegas bellorum, initium.)

Priùs tamen illi ad ANTIGONVM, qui iam è Ciliciâ in superiorem Syriam contendebat, legatos mittunt; qui omnium nomine postulent; *Vt thesauri ex regni ærarij direpti, pecunia in prædâ capta, provinciæ, inter se ex æquo & bono dividantur.* Et speciatim SELEVCO Babylonia reddatur; & tota Syria PTOLEMÆO; Cappadocia cum Lyciâ, CASSANDRO; Phrygia ad Hellespontum, LYSIMACHO cedat. Quod ni faxit, bellum eidem indicant.

ANTIGONVS legatis asperius increpitis, & cum ludibrio dimissis, ad bellum se accingit. Naveis, quinque diversis locis, in Phœnicià, & Ciliciâ & Rhodo, fabricandas, & frumenta undique convehenda curat. Nec minùs eiuxé adversarij, quæ bello gerendo necessaria adparabant.

Ille, ut honestum bello adversus tot socios nomen prætexat; divulgat se OLYMPIADIS à CASSANDRO interfectæ mortê ulcisci velle; & Alexandri regis sui filiû, cum matre, custodiâ Amphipolitanâ liberare.

Ptolemæum, ex fratre Nep. cum copijs in Cappadociam amandat, qui minoris Asiæ res componat, & missos illuc à Cassandro milites eijciat: ipsumque Cassandrum, ex Europâ, in Hellespontum aditu, prohibeat.

Ipse Ioppe, & Gazâ, quæ contumaces erant, expugnatis; Tyri etiam rebellis obsidionem adornat.

Aristodemus Milesius, ab eodem in Peloponnesum, cum mille talentis, missus, contractâ cum Polysperchôte, eiusque filio Alexandro, societate; & coacto ex mercenarijs exercitu, Cassandrum distinere, eique bellum facere iussus est.

Is in Laconicam navigans, factâ à Spartanis copiâ, IIX. militum è Peloponneso millia collegit. & Polysperchontem eiusdê regionis præfectura donavit; Et Alexandrum F. ad Antigonum in Asiam ut naviget, cumque eo de totius belli summâ agat, induxit.

Hic simulatque in castra venit, ex communi Macedonum sententiâ decretum sancitur: *Quo iuberetur Cassander Olynthum, Thebas, & Cassandriam, urbeis Macedonico regno infestissimas, & recèns à se instauratas, evertere. Roxanen, eiusq; filium, liberos dimittere. Ex omnibus Græciæ urbibus præsidia deducere; ijsq; pristinam libertatem restituere. & Antigono, penes quem imperij summa & regni procuratio esset; cedere & morigerari. Secus si faxit; hostis & parricida denuntietur.*

Et confestim, quùm alij aliò, tum Alexander in Græciam, cum D. talentis, dimittitur; qui Decretum istud passim pervulget.

INGENS BELLI VTRIMQVE ADPARATVS.

ANTIGONVS arcessitis Rhodo navibus; & earum plerisque quas ædificari ijs, quos diximus, locis, iusserat, probè instructis, ad Tyrum, iam antè obsessam navigat. Et quoniam maris iam potens erat, quo minùs frumentum illuc importaretur, facilè prohibuit: & tandem obsessos XV. mensium spatio ad dirã egestatem & ad pactiones adegit.

Et Ptolemæi militibus inde, cum reculis suis impunè dimissis, præsidium, ad eius urbis custodiam, introduxit.

Ptolæmeus, qui non minùs momenti, ad sua conata, in Græcarum urbium studijs ac benivolentiâ concilianda, positum putaret, ad eos perscribit: *Se, haud secus candidè quàm Antigonus fingeret; de eorum libertate solicitum esse.*

Cassandrum alterum, Cariæ Satrapam, urbium multarum potentem, sibi in societatem adsciscit. Et præter priores copias, quas Cypri regibus, sibi fidis, auxilio miserat; Myrmidonem Atheniensem, cum decies mille militibus; & Polyclitum cum C. navibus, quibus Menelaus, frater eius, præesset, eodem amandavit.

Ibique consilio de rei summâ, cum Seleuco, qui classem alteram babebat, communicato; visum est: Vt Polyclitus quidem L. cum navibus, in Peloponnesum navigaret; & cum Aristodemo, Polysperchonte & Alexandro F. coniunctus bellum gereret. Myrmidon verò, cum mercenarijs, Cassandro in Cariâ, ubi à Ptolemæo, Antigoni duce & patruele, oppugnabatur, suppetias iret. Seleucus denique, cum Menelao, in Cypro relicti, Nicocreonti regi, cæterisque socijs præsidio essent.

Neque minore curâ classis ab Antigono instruebatur; ut brevi ex Hellesponto & Rhodo, ex Phœniciâ & Tyro, ad CCXL. naveis longas coëgerit. Ex quibus L. in Peloponnesum pariter destinavit: reliquis Dioscoridem, fratris F. præfecit; & circumquaque navigare iussit, socijs vicissim præsidio futurum. & insulas, quæ inimicæ essent, sibi vi, an benivolentiâ, adiuncturum.

In Europâ verò, Apollonides, à Cassandro urbi Argivæ præfectus, factâ in Arcadiam excursione, Stymphalo quidem potitus est: sed ex Argivis interea ij, qui Cassandrum oderant, Alexandrum, Polysperchontis F. ad se evocârant, urbem se ei dedituros polliciti.

Verùm eo tardante, Apollonides Argos reversus, D. quos in curiâ eâ de re consultanteis erat nactus, vivos combussit: reliquorum partim relegat, partim interficit.

Cassander itidem, Polysperchonte frustrà ad amicitiam invitato, & per Thessaliam in Bœotiam ingressus, & Thebanis in redivivâ urbis suæ, murorũque ædificatione, auxiliatus, in Peloponnesum iterum concedit: & Cenchreis expugnatis, Corinthiorum agrum depopulatur.

Ab Orchomenijs receptus, Alexandri amicos, qui in fanum Dianæ confugerant, Orchomeniorum libini & lanienæ obiecit.

Inde ex Arcadiâ in Argiam profectus, quùm Nemeorum ludorum certamina ibidem peregisset; & mox in Macedoniam se recepisset: Alexandrum absens, misso legato, ab Antigoni societate divulsum in suas partes pertraxit; donatâ ipsi Peloponnesi præfecturâ, & summo exercitus imperio.

Polyclitus à Seleuco, uti diximus, è Cypro in Peloponnesum missus; cognitâ Alexandri defectione, ex Cenchreis in Pamphyliam, & inde in Aphrodisiadem, Ciciliæ, traijciens; Theodotum, Antigoni navarchum, qui ex Pataris Lyciæ, cum Rhodijs navibus, prętervehebatur: & Perilaum, qui cum militibus terrâ iter faciebat, turumque classi cursum præbebat; insigni strategemate delusit: Et priùs Perilaum eiusque copias, milite navali, per idonea insidijs loca, collocato, capit, aut concidit. Deinde Theodorum, cum classe auxilium terrestribus ferre conantem, ipse ordinatâ acie facilè in fugam, vertit; & naveis omneis, cum vectoribus, intercepit.

3638. Ptol. x. | 312.

ARISTODEMVS verò, cognitâ eiusdem Alexandri rebellione, Ætolos Antigono conciliat: eorumque operâ multas Gręciæ & Peloponnesi urbeis in officio fideque continuit; aut obsidione, præsidijsve

adversa-

adversariorum liberavit.

ALEXIVM præterea Sicyonium, muneribus corruptum, impulit; ut ipsum ALEXANDRVM, iam tum cum exercitu è Sicyone proficiscentem, occideret.

Cuius nihilo-minus uxor CRATES-POLIS, militibus cara, prudentiâ æquè atque audaciâ insignis, rerum eâ in urbe administrationē suscepit: & Sicyonios ad libertatem cum armis cōcurrenteis, prælio congressa, multos victrix interfecit; & captos ex ijs XXX. coniurationis in maritum participes, cruci adfixit.

CASSANDER vicissim Acarnanes, quibus vetus odium, & pro tempore bellum, cum Ætolis intercedebat; sibi adiungere contendebat. Eoque magno cum exercitu è Macedoniâ profectus, persuasit; ut qui nimis incommodè & dispersim habitarent, in urbeis munitiores, sibi vicinas; Stratopolim, Sauriam, Agrinium, è vicis commigrarent; eoque faciliùs vim hostilem sustinerent.

Leucadios quoque sibi conciliat; & Apolloniam, Hadriæ vicinam, recipit. GLAVCIAM Illyriorum regem prælio vincit; & deinde federe sibi adiungit. Et præsidio in Epidamnum, urbem sociam, imposito, in Macedoniam revertit. Tum copias auxiliareis in Cariam, ubi urbeis, Ptolemæo & Seleuco fidas, ab Antigonianis ducibus oppugnari cognoverat, transmittit.

Ex quibus Ptolemęus, qui iam tum copias in hiberna diviserat, EVPOLEMVM insidiatorem, cum IIX. pedit. & II. equit. M. à Cassandrianis submissum, apud Caprima Carię, nocturnâ & improvisa pugnâ, vivum cepit, & milites ad deditionem coëgit.

Et ANTIGONVS CASSANDRVM, non iam Europâ contentum, sed de Asiâ etiam contendentem, præmetuens; & Ptolemæum Lagi, Syriæ propinquæ inhiare suspicans; DEMETRIVM F. duos & viginti annos natum, additis ipsi à consilio Quattuorviris, in Syriâ reliquit, cum XIII. pedit. & V. equitum millibus.

Ipse, reliquo cum exercitu, in Asiam minorem contendens, Tauro, ob niveis, hiemisque asperitatem, ęgrè transmisso, milites in Phrygię hiberna distribuit.

RES IN SICILIA AB AGATHOCLE GESTÆ

In Siciliâ verò AGATHOCLES Messanensium castellum tenebat. neque modò, acceptis ex pacto 30. talentis, locum non reddidit; sed Messanam ipsam terrâ marique, licet frustrà, oppugnavit.

A legatis Carthaginiensibus de violato federe increpitus, & castellum reddere coactus, pacem cum Messanensibus quidem fecit; sed Abacænam, urbem sociam, profectus, civium, qui à se diffidere viderentur, plus XL. iugulavit.

Acragantini, civium Syracusanorum commiseratione, an hortatu? Gelois & Messanensibus in societatem cooptatis, bellum adversus AGATHOCLEM decernunt.

ACROTATVM CLEOMENIS Lacedæmon. regis F. per legatos ducem sibi deposcunt. Is verò à patrijs institutis degener, (licet obiter Apolloniates cum GLAVCIA Illyrio, à quo obsidebantur, reconciliasset; & à Tarentinis XX. naviam auxilium impetrasset) non modò nihil memorabile gessit, sed luxuriâ, perfidiâ furtis, & crudelitate suâ omnia pessumdedit. coactus & imperium abdicare, & clandestinâ fugâ invasæ plebis rabiem devitare.

Acragantini, sequestro federis AMILCARE, bellum cum AGATHOCLE certis legibus componunt. quarum hæc capita.

Pœni, ea quæ priùs (Heracleam, Selinuntem, & præter has, Himeram,) possiderent. ,, Reliquæ Siciliæ urbes Græcæ, liberæ, suique iuris essent; & Syracusanorum imperium agnoscerent.

Vix militibus suis Acragantini & Amilcar missionem dederant, quùm AGATHOCLES, copias amplissimas retinens, urbeis multas & castella ditioni suæ impunè subijcit: & principatum, quem animo informatum gerebat, validè confirmat.

Atque adeò haud ignarus AMILCAREM à Pœnis damnatum, quòd iniussu suo pacem sanxisset; & sibi ab ijs certum bellum impendere. præter socios, & cæteros ex Syracusis militiæ adscriptos; magnos mercenariorum militum delectus agebat, ad X. pedit. & III. equit. millia. Ingentem præterea armorum & omnis generis telorum vim comparabat.

3639. Ptol. XI. | 311.

RES IN PONTO. CALLATIÆ OBSIDIO.

Callatiani, qui ad lævum Ponti latus habitabant, pręsidium, quod ipsis LYSIMACHVS imposuerat, eiecerant. Et Istrianorum urbe pariter liberatâ, Thracas etiam & Scythas, hinc inde finitimos, in amicitiam adsciverant.

LYSIMACHVS, copijs celeriter paratis, & superato Æmo Thraciæ, Odessum cum Istrianis recepit. Thraces & Scythas, qui magnis cum copijs ad opem Callatianis ferendam adproperabant, cum suis adortus; illos quidem terrore ad se pellexit: hos verò prælio victos extra fineis magnâ cum clade est persecutus.

Iam Callatiam, urbem defectionis auctorem, castris cinxerat; quùm duo ab ANTIGONO exercitus, unus terrâ, alter mari, adventare nuntiantur. Et LYCON quidem classe in Pontum navigâsse; PAVSANIAS verò, ad Hieron, cum non exiguâ manu, castra fecisse.

Ipse itaque, non paucis ad obsidionem relictis, cum pręstantissimâ copiarum parte, ad Æmum contendit. Et priùs SEVTHAM regem, qui à se ad Antigonum defecerat, & aditus montis custodiebat; non incruentâ pugnâ propulsavit: deinde Pausanianos, in angustijs, in quas confugerant, duce interfecto, debellavit.

NOVI PRINCIPVM PASSIM CONATVS.

ANTIGONVS suâ hic spe frustratus, Telesphorum cum L. navibus, & iustâ militum manu, in Peloponnesum amandat, qui ostentatâ urbium omnium libertate, Græcorum benivolentiam studiumque venetur. Quod quidem ille gnaviter præstitit; & præsidijs, quæ ALEXANDER urbibus imposuerat, eiectis, omneis (præter Sicyonem & Corinthum, quas POLYPERCHON, viribus & locis fidens, tenebat) in libertatem vindicavit.

PHILIPPVS contrà, dux à CASSANDRO ad bellum cum Ætolis gerendum destinatus, primùm ÆACIDEN Epirotam, qui in regnum suum redierat, & copiosum ibi exercitum coegerat; antequàm Ætolorum vires accessissent, adgressus est, & profligavit: & L. captos, qui regi reditûs auctores fuerant, in vinculis ad CASSANDRVM transmisit.

Deinde Ætolos, quibus Epirotæ è fugâ se coniunxerant, ingenti prœlio, unà cum rege ÆACIDA, prostravit.

At in Asiâ ANTIGONVS, CASSANDRVM illum, Cariæ Satrapam, qui bello antario premebatur; sibi eâ lege adiungit:

Vt milites omnes ANTIGONO tradat; Græcis urbibus libertatem concedat; & fidus deinceps partium amicus, Satrapiam retineat.

Sed illò, licet AGATHONEM fratrem obsidem dedisset, præ ingenij levitate, rursus ad Ptolemæum deficiente; Antigonus, Miletum, Tralleis, Caunum & Iasum, nobileis Cariæ urbes, sibi subegit. Cum Ætolorum & Boeotorum legatis, qui ad se in Asiam venerant, societatem coivit. Et cum CASSANDRO ipso, qui ad Hellespontum de pace acturus descenderat, in colloquium ingressus, quod inter se minimè convenire potuisset; re infectâ discessit.

3640. XII. Ptol. Diod. Olymp. 117.		310.

Ille de compositione desperans, ut rebus Græciæ consuleret, Oréum obsidet, & oppugnat. Iamque in eo erat, ut oppidum vi caperetur; quum TELESPHORVS ex Peloponneso, & MEDIVS ex Asiâ, cum suâ quisque classe, Oritis suppetias advenére. & igne navibus CASSANDRI, quæ in portu stabant, iniecto, cum ab incepto arcuere.

ANTIGONVS ducem suum Ptolemæum (Diod. Polemonem) cum navibus & copijs in Græciam mittit, qui ex urbibus undecumque posset, CASSANDRI præsidia subducat.

Ille à Rhodijs & Oritis naveis bellicas; à Boeotis peditum equitumque auxilia, adsciscit: Chalcidenseis, qui soli in Euboeâ ab hostibus tenebantur, liberat ius.

CASSANDER de Chalcide, urbe sibi opportunâ, solicitus, solutâ Orei obsidione, & copijs undequaque arcessitis, eodem contendit.

At ANTIGONVS celeriter in Hellespontum adcurrit, tamquam in Macedoniam transiturus. ut eam, si circa Euboeam moraretur CASSANDER, defensoribus destitutam, opprimeret: Ant si ille regno suppetias laturus, domi decertaret; Græciæ negotia missa faceret.

Id subodoratus Cassander, relicto apud Chalcidem PLEISTARCHO, ex Euboeâ exercitum transportat: Oropum obiter & per vim capit; Thebanos iterum in societatem coöptat. & factis cum reliquâ Boeotorum gente inducijs; & EVPOLEMO Græciæ duce instituto, in Macedoniam recedit.

ANTIGONVS, ubi in Propontidem pervénit, Byzantios frustrà ad commune fedus invitat. ut hortatu LYSIMACHI tutius sibi ducerent; *Quietem agere, & æqualitem erga utrosque amicitiam conservare.*

Quo incommodo commotus, & hibernis tempestatibus exclusus, Antigonus, militi suo per urbeis hiberna distribuit.

Intereà Corcyræi, ope Apolloniatis & Epidamnijs adlatâ; & Cassandri militibus, illinc datâ fide, dimissis; illos quidem petitûs liberârunt; hos verò GLAVCIÆ Illyrio tradidérunt.

Et Ptolemæus, absente iam Cassandro; & PLEISTARCHO, qui præsidijs præerat, perterrefacto; Chalcidem cepit, & liberam reliquit. Oropum receptam Boeotis reddidit; & præsidiarium Cassandri militem in fidem accepit.

Post hæc, Eretriensibus & Carystijs in societatem receptis, castra in Atticam promovit.

Quo ad urbem adpropinquante, Athenienses, qui paullò antè & clam, legatos de se liberandis, ad Antigonum misissent; DEMETRIVM Phalereum, urbis præfectû & potêtem coëgerunt inducias in præsens facere; & de fœdere ineundo legatos iterum mittere.

Ptolemæus inde in Boeotiam progressus, Cadméam cepit; & præsidijs eiectis, Thebanos liberavit. Idem in Phocide & Locride præstitit.

PTOLEMÆI LAGIDÆ RES IN LIBYA, ET CYPRO.

PTOLEMÆVS verò Lagides, Cyrenæos in Libyâ, qui à se defecerant, & arcem præsidio infessam obsidebant; AGIDE cum copijs & Epænæto cum classe, submissis, domuit, & castigavit.

Et Cypri regulos, PRAXIPPVM & STASIOECVM, defectionem iterum molitos, acriter repressit: & Lapithiâ Ceraunia que urbibus eversis, incolas servitio addictos, Paphum transtulit. Et toti Cypro, Nicocreontem, attributis rebellium regum proventibus opibusque, præfecit.

Hinc institutâ in Syriam supernatem navigatione, Posidéum & Potamos-caron; & Mallum in Ciliciâ, cum viciná regione, expugnat, & milin diripienda tradit.

BELLVM IN SYRIA CVM DEMETRIO, ANTIGONI FILIO.

Hac victoriarum dulcedine illectus; & à Seleuco, qui ab Antigono erat alienissimus, instigatus, bellum in Syriam, cui DEMETRIVS præerat, transferre constituit. Et coactis undique copijs, ad XIIX pedi. & IV. equit. M. præter infinitam Ægyptiorum multitudinem, ab Alexandriâ in Pelusium solvit: & solitudinum vasta emensus, iuxta Veterem Gazam, proximè hostem, castra est metatus.

Habebat contrà Demetrius XI. pedit & VI. equitum mill. præter XLIII. elephantos. & inter cæteros, Pythonem ducem, & militiæ magistrum.

Prœlium itaque haud procul ab eâ, quam dixi, urbe commissum est.

Vbi Demetrius, ætate quidem iuvenis, sed animo ferox, nec aciei instruendæ imperitus, adversus veteranos & exercitatissimos Alexandri milites pugnâs, fortissimè restitit. Nec nisi ultimus, elephantis, qui in vallos ferratos impegerant, & vectores amiserant,

rant, faucijs, & captis; & equitibus eo terrore in fugam compulsis, fugere instituit.

Sed tanta Ptolemæanorũ fuit virtus, ut hosteis in fugã, licet ordinibus servatis, semel datos, insecuti, Gazam usque, urbem ipsam portis ultrò, ad exportandas Demetrianorum equitum, qui eò ex fugâ præcucurrerant, sarcinas patentibus, toto ferè cum exercitu, qui supererat, atque impedimentis omnibus, occupârint.

DEMETRIVS tamen cclxx. stadia cursu emensus, circa mediam noctem, Azotum pervênit.

Ceciderunt in acie ex eius militibus plures D. (Diod.) Quinquies mille, (Plut.) magnam partem equites spectati; & ante alios, PYTHON, & BOEOTVS, æquali penè cum DEMETRIO potentiâ Duces. Capti ad octies mille.

PTOLEMÆVS, concessâ mortuorum sepulturâ, præcipuos etiam DEMETRII amicos cum suis rebus, gratis dimisit; & privatum eius omne instrumentum, ac familiam reddidit.

Non se propter prædam, sed pro dignitate bellum inijsse.

ANTIGONVM patrem, devictis diversæ factionis ducibus, PERDICCA, EVMENE, &c. solum, communis secum victoriæ, præmia, & provincias, contra fas omne, corripuisse.

Tum victoriam impigrè persequens, Sidonem quidem non invitam sibi adiungit: Sed castris ad Tyrum admotis, dum urbis præsidijque custodem ANDRONICVM ad arcem sibi tradendam amplis præmijs invitat; atque ille non modò fidem ANTIGONO & DEMETRIO datam, fallere nolle diceret; sed convicia etiam adderet: milites eâ incivilitate exasperati, duce pulso, arcem PTOLEMÆO tradidere.

Is nihilo-minus non tam convicijs irritatus, quàm ANDRONICI fidem constantiamque admiratus; non illum modò absolvit, sed inter amicos in posterum habuit.

RES CIRCA ELIDEM.

In Europâ verò TELESPHORVS, ANTIGONI navarchus, PTOLEMÆVM collegam, cuius fidei universæ Græciæ negotia ANTIGONVS commiserat, sibi prælatum dolens; imperio se abdicat. & adscitis in partem sui instituti conscijs militibus, intus canere, & æs suas curare cœpit.

Et ad Elim profectus, pristinæ cum Antigono amicitiæ specie, arcem muro cinxit, & civeis in servitutem redegit.

Fanum præterea Iovis, quod Olympiæ erat, exspoliat: & plus quinquaginta talentis corrasis, externum militem mercede conducit. Ptolemæus autem, cum exercitu in Peloponnesum profectus, Eléis, arce solo æquatâ, libertatem, & pecunias, Templo Deoque restituit. nec multò-pòst ab eodem Telesphoro, ad officium reducto, Cyllenen præsidijs munitam accepit, & Eléis resignavit.

EPIROTÆ TVRBATI.

Sub idem tempus Epirotæ, Æacidâ rege suo defuncto, Alcetæ regnum tradiderant, qui à patre ARYBBO in exsilium eiectus fuerat, & CASSANDRO maximè erat infensus.

Eapropter LYCISCVS, Acarnaniæ dux à Cassandro institutus, cum exercitu in Epirum transijt; eâ spe, ut Alcetam, rebus nequedum planè confirmatis, de regno deijciat.

Dumque ille circa Cassopiam castra fixisset; Alcetas, iussis filijs suis Alexandro & Teucro quamplurimos possent, ex urbibus milites colligere; cum eâ quam habebat manu, hosti propinquus, filiorum adventum exspectabat.

Sed Lycisco, qui multitudine præstabat, urguente & in oppositos invadente, Epirotæ territi ad hosteis defecerunt. Alcetas verò desertus à suis, Eurymenas, Epiri urbem, perfugit. Vbi dum oppugnatur, præsto fuit Alexander patri opem laturus.

Hic prœlio acriter commisso multi ex Lyciscianis interemti sunt. Inter quos, Micythus dux, & Lysander Atheniensis, Leucadiorum procurator.

Sed DINIA mox victis auxilium ferente, altera fit pugna. Quà Alexander & Teucer victi in locum munitum cum patre se receperunt; & LYCISCVS, Eurymenis potitus, eam urbem diripuit & solo æquavit.

Cassander, qui ignarus posterioris suorum successûs, auxiliatum adcurrerat, cum Alcetâ pacem fecit: quem Epirotæ paullo-pòst, ob importunius imperium, cum duobus tenerâ adhuc ætate filijs, Hesione & Niso, crudeliter trucidârunt.

Apolloniatæ, qui ad Hadriam habitant, quod Cassandri præsidium eiecissent, & sese Illyrijs adiunxissent; metu obsidionis, aciem pro muris instruere; & cum Cassandro confligere ausi; illum magnâ cum strage & probro, à se reppulerunt; & in Macedoniam impendente iam hieme recedere coëgerunt.

Eoque digresso, Leucadij quoque, ope Corcyræorum, à cervicibus suæ civitatis servile præsidij eius iugum deiecerunt.

(Memorat Iustin. l. 15. Cassandrum, ab Apolloniâ redeuntem, incidisse in Abderitas, qui propter ranarum muriumque multitudinem, relictâ patriâ solo, sedes quærebant. quos factâ pactione in societatem receperit; & agros ijs in extremis Macedoniæ adsignârit.)

SELEVCI FELICITAS ET RES PROSPERÆ.

ÆRA SELEVCIDARVM, SIVE GRÆCORVM REGNI.

SELEVCVS ubi vidit magnam Syriæ partem, Ptolemæo accessisse; operæ suæ præmium ab eo postulat; cc. modò equitum, & DCCC. pedit. auxilium. *Tantâ animi fiduciâ erectus*, ut tantillæ copiæ sibi satis esse viderentur, ad totam Mesopotamiam Babyloniamque reciperandam.

Huc accedebant, præter pristinam Babyloniorum erga ipsum benivolentiam; Branchidarum oracula, & ALEXANDRI in somno adstantis prodigium, de futuro regno.

Eiusque mater LAODICE, quùm nupta esset ANTIOCHO, claro inter PHILIPPI duces viro, visa sibi fuerat per quietem ex concubitu Apollinis concepisse, gravidamque factam, munus concubitûs, anulum à Deo accepisse; in cuius gemmâ ANCORA sculpta esset. iussamque donum filio, quem peperisset, dare. Et posterâ die anulus eiusdem sculpturæ in lecto inventus; & figura ancoræ in femore, cum

cum ipso parvulo, enata est. Quod originis argumentum etiam in posteris mansit.

Ille itaque cum amicis & filijs in Mesopotamiam profectus, eos ex Macedonibus, qui Carrhis habitabant, partim pellexit, partim ad communem secum militiam compulit.

Et deinde Babyloniij, qui ipso Sattapâ per quadriennium maxime æquo & commodo antea usi fuissent; cum ANTIGONUM procul absentem, tum DEMETRIUM victum viderent; non inviti Seleuco se suaque, eiectis ANTIGONI præsidijs, tradiderunt.

Arce, in quam Antigoniani, duce Diphilo, confugerant, expugnatâ; pueros & amicos, quotquot ab Antigono, post ipsius è Babylone in Ægyptum decessionem, in custodiam traditi fuerant, exportavit.

Quumque non amplius quàm CD. equites, & pedites ter mille haberet; Nicanor verò Mediæ, & Evagoras Persidis, Satrapæ, cum VII. equit. & X. pedit. mill. in Babyloniam irrumpere, & nascentis adhuc Seleuci spes opprimere cogitarent; Ipse, quod aperto marte nô poterat, astu perficere molitus. traiecto Tigri, milites suos in silvis paludibusq; traiecit.

Illi, hostem, qui non compareret, longiùs fugisse rati, segniùs de nocte custodias agebant.

At Seleucus impetum castra facto, & terrore iniecto; Euagoram occidit; & Nicanorem cum paucis relictum, & ne hosti dederetur, metuentem, fugâ sibi consulere coegit.

Hac victoriâ moderatè usus, non modò hostilem exercitum sibi adiunxit; sed longè lateque diffusâ fortitudinis, ac clementiæ suæ famâ; Susianam, Persidem, ac Mediam, nullo negotio sibi conciliavit. Nicator à Victorijs dictus.

Ab hoc anno Olympiadis CXVII. primo, Æram Seleuci Nicatoris inchoat Euseb. Hecatombæonis primo; Iulij nono.

Quin & ab huius anni Nisan, hoc est, Martij, tredecimo, initium ducit Æra Seleucidarum, quâ Iosephus, & auctor I. libri Machabæorum utuntur; & Annos Græcorum vocant. Iudæi in suo Kalendario, Æram Contractuum nominant; & ab Adamo ad eam numerant annos ter ∞. CDXLIIX. absolutos.

Alij præterea, hanc Æram inchoaut à primo Tisri, & Hyperberetæi, Septembris sexto, feria quinta. Alij anno integro seriùs.

Sed plerique, discriminis caussâ, Æram istam quæ ab hoc anno initium ducit, Iudaicam vocant: eam verò, quæ ab anno consequête incipit, Chaldaicam

PTOLEMÆI CLADES.

3641. Ptol. 13. — 309.

PTOLEMÆUS, qui in Cœle-Syriâ agebat, cognitò Demetrium, è Ciliciâ reversum, in superiore Syriâ castra habere; Cillæ Macedoni exercitum satis magnum tradidit, ut illum aut Syriâ prorsus exterminaret; aut deprehensum prœlio profligaret.

Verùm Demetrius de castris Cillæ negligentiùs habitis, per exploratores certior factus, impedimenta apud Myuntem reliquit; & cum expeditâ manu noctu, contenteque iter fecit. & circa quartam vigiliam hostes de-repente adgressus, toto exercitu cum Cillâ duce, & fine prœlio potitus est. (Plut. tradit VII. hominum M. capta.) Castra verò sua paludum stagnorumve obiectu, adversus Ptolemæum propinquum, communijt.

Antigonus à filio, ut aut copias ampliores quàmprimùm mitteret, aut ipse in Syriam veniret, commonitus, & Celænis Phrygiæ digressus, superato paucis diebus Tauro, copias cum Demetrio coniungit. Ptolemæus, qui se alieno in solo, tantis copijs, & belluis, & duci hactenus invicto, imparem censeret; plerisque urbibus, quas in Syriâ occupârat, (Acâ, Ioppe, Samariâ, Gazâ) complanatis, & præsidio pecuniâque nudatis, in Ægyptum, & necessariarum rerû copiâ, & locorum firmitate potiorem, se recepit.

ANTIGONI IN ARABAS EXPEDITIO.

Ita Antigonus, citra periculum, Syriæ Phœniciæque potitus, & Arabas Nabatæos sibi subigere cupiens, tradit Athenæo DC. eximiæ pernicacitatis pedites: IV. verò equitum millia. Is ex Idumæâ profectus, triduo continente postquam bis mille ducenta stadia confecisset, sub noctis initium ad Petram accessit; loci quidem situ propemodum inaccessam; sed nullâ arte, nullis muris munitam. in quam Arabes, uxores cum liberis, suamque supellectilem, aut merces conferre solebant.

His omnibus haud magno labore occupatis; & quibusdam cæsis aut saucijs; Athenæus suspicatus barbaros se persecututos, confestim discedit: Et CC. stadia emensus, militibus somno graviore oppressis, castra negligentiùs communit.

Barbari à captivis, fugâ elapsis, ea edocti, ad IIX. hominum M. in Athenæi castra irrumpunt; & pedites equitesque pæne omneis trucidant, suaque cum lucro reportant.

Et ipsi quidem scriptis ad Antigonum litteris, Athenæum avaritiæ & crudelitatis incusant; necessariam sui tutelam excusant.

Antigonus verò, quo consilium suum celaret, istam Arabum ultionem collaudat, & Athenæum acriùs, quàm ipsi, condemnat.

DEMETRII IN BABYLONIA SUCCESSUS.

Sed paucis pòst diebus Demetrium F. cum IV. pedit. totidemque equit. M. in eosdem immittit. Hi itinere tridui per avia loca facto, Nabatæos non latuere: Qui custodibus Rupi impositis, prædam inter se partiti, alij aliò in solitudinem aufugerunt.

Demetrius omni oppugnationis genere, per noctem diemque consequentem, Rupem adortus, graviter se tuentibus barbaris; tandem à legatis persuadetur, ut acceptis obsidibus, ac muneribus (DCC. camelis) à Rupe recedat.

Et quùm idem CCC. stadia emensus ad Asphaltiten, Idumææ lacum, castra posuisset; eiusque natu-ram &

ram, & magnos è bitumine proventus exploráſſet; patri auctor fuit, ut HIERONYMO, historiarum ſcriptori, negotium daretur; totum è Lacu bitumen regio fiſco vindicandi. Sed & ipſe ab Arabibus è Lacu cum navigijs exactus, non ſine ignominiâ, ab incepto deſiſtere coactus eſt.

ANTIGONUS per litteras edoctus, quid rerum in Oriente SELEUCUS gereret; DEMETRIUM F. mittit cum XV. pedit. & IV. equitum millib. iuſſum, ſimulatque Babyloniæ Satrapiam reciperáſſet, ad mare quàm-celerrimè deſcendere.

Is Meſopotamiam milite deſtitutam nactus, Babylonem etiam, incolis, in tempore aliò dilapſis, vacuam, facilè cepit. Ex arcibus verò, unam quidem occupatam militibus ſuis diripiendam tradidit. ad alterius verò obſidionem ARCHELAO cum aliquantâ exercitûs parte relicto, iter, uti iniunctum erat, ad mare convertit.

Militum interea Demetrianorum in prædis agendis licentia Babylonios ab ANTIGONO immane quantum alienárit, & in SELEUCUM inclinárit

AGATHOCLES IN SICILIA.

AGATHOCLES autem Meſſenios, quos pace cum Siculis nuper factâ excluſerat, iam ſemel deceptos, vi tamen armorum, & infeſtâ agrorum, per ducem PASIPHILUM, depopulatione, eò adegit, ut iterum ſe ipſius fidei committerent.

Ille primò nihil aliud poſtulare, quàm ut exſules Syracuſanos ex urbe eijcerent: conciveis verò, qui ſibi militabât, quoſque ipſi lege relegârant, reciperét.

Quo impetrato, omneis eos, quos ſibi plurimû adverſari ſuſpicabatur; è Meſſanâ, & Tauromenio, ad ſe evocatos, non pauciores ſexcétis, iugulat. *Ita Meſſenij in ordinem redacti, ſpem omnẽ libertatis perdidérunt.*

Tyrannus, Acragantis capiendi, ob ſubitum Carthaginienſium, cum LX. navibus adventum, ſpe deiectus, pari ſævitiâ in Centuripinos & Galaritanos, defectionem molitos, uſus eſt.

Quorum illi NYMPHODORUM à DINOCRATE, exſulû Syracuſanorum duce, deſtinatum, intra urbem; licet inſelici exitu, admiſerant; hi DINOCRATEM ipſum, ultrò ad ſe evocârant, & AGATHOCLIS præſidium eiecerant.

Sed AGATHOCLES ſubmiſſo celeriter, adverſus DINOCRATEM, à III. pedit. & II. equit. M. inſtructum, & caſtra ante urbem metantẽ, cum quinquies mille militibus, PASIPHILO; poſt anceps certamen, exſulum conatus oppreſſit.

Quâ victoriâ elatus, adverſus Carthaginienſeis, qui in Geloâ collem Ecnomon, ſive Sceleratum, occupârant, contendit; & ad pugnam provocavit.

Sed illis congredi non auſis, ratus ſe ſine prœlio omnibus ijs, quę ſub dio eſſent, potiri poſſe; Syracuſas redijt; & Templorû clariſſima ſpolijs exornavit.

BREVE PRINCIPUM FEDUS, ET AMBITIO.

Sub idem ferè tempus CASSANDER, PTOLEMEUS, & LYSIMACHUS, cum Antigono pacem fecérunt; ſive verius aliquot dierum ſedus pacti ſunt, his legibus: *Ut interim dum Alexander, Roxanes ex Alexand. M. F. adoleſcat, Lyſimacho Thracia; & Caſſandro reliqua Europa: Ptolemæo Ægyptus, cum urbibus Africa Arabiaq; conterminis; & Antigono, universa Aſia, cederent. Græci ſuis legibus viverent.*

Sed Seleuci, qui præteritus fuiſſet, & nnum priorû, qui nimię Antigoni potentię inviderent, ambitione & artibus; fedus illud continuò poſt abruptum eſt.

Caſſander, metuens ne Alexander Roxanæ F. iam adultus, favore paterni nominis, in regnum Macedoniæ vocaretur; Glauciæ, pueri cuſtodiæ præfecto, imperat, ut matrem cum filio clam interficiat; eorumque corpora terrâ obruat, ne cædes ſepulturâ proderetur.

Ita cæteris quidem collegis Regis, qui omnia olim innovare, ſibique quæ occupárant, vindicare poſſet, metu ademto, rem non ingratam fecit, ſibi verò uni æternam exſecrandi parricidij infamiam contraxit.

Et qui hactenus Satraparum, Ducumve, aut Procuratorum nominibus, provincias, imperij Macedonici obnoxias, variè inter ſe diſcerpſerant; deinceps, quod nullus neque Philippi, neque Alexandri iuſtus heres ſupereſſet, (nam & Hercules, cum Barſine matre, mox à Polyſperchonte interfectus eſt) confidenter, regias ſpes alere; & ſupremi imperij ornamenta, in provincijs quiſque ſuis, tamquam ferro partis regnis, arrogare ſibi non dubitárunt.

Hinc æra Seleuci Chaldaica, initium ducit, anno CCXLIIX. *à primo Cyri imperantis anno.*

POEN. IN AGATHOCLEM EXPEDITIO.

Carthaginienſes bellû ſibi adverſus Agathoclem, magis magiſque in Siciliâ invaleſcentem, maiore vi adgrediendum arbitrati; CXXX. triremibus, XIV. armatorum, partim, civium & Afrorum, partim Tyrrhenorum & Balearium, millia imponunt, ducẽ Amilcare, Giſgonis F.

Qui licet, exortâ inter traijciendum tempeſtate, LX. triremes, & CC. onerarias amiſiſſet; ipſe nihilominus cum reliquis navibus in Siciliam adpulſus, conterritos ſociorum animos ſuâ virtute confirmat. & ex Siciliæ delectibus exercitum ad XL. pedit. & V. equitum M. adauget. Et primo impetu XX. naveis in Syracuſano portu cum vectoribus capit.

Agathocles de Gelâ, cui hoſtium copiæ proximè imminerent, ſolicitus; milites ſuos paulatim in eam urbem irrepere iubet. & ubi ipſos iam civibus potiores eſſe ſenſit; tum ipſe ad Gelam accedit: Geloos, proditionis crimine, ſive fictum id erat; ſive paucorum culpâ vinculat. & ſupra quater mille ex ijs côfodit, bonaque eorum omnia proſcribit. Quin & reliquis imperat, ut omne ſuum aurum atque argentum, rude, ſive ſignatum, in ærarium conferant; pœnam capitis contumacibus comminatus.

Ita ingẽtẽ pecuniæ vim corradit; & Gelöorû cadaveribus in foſſas côgeſtis; impoſitoq; urbi prę́ſidio, & caſtris ad Himerâ fluv. poſitis, ad prœliû accingitur.

Pœni, Ecnomon, ſive Sceleratum collem (*Tauri ænei ſupplicio ſub Phalaride olim infamem*) haud procul Gelâ, occupabant. ſicut caſtra medius dirimeret fluvius; eoque obice utrique adverſus alteros uterẽtur.

Terrebat hîc Pœnos pariter, ac Siculos, vetus neſcio quod & ambiguum oraculum: quo ferebatur: *Ingens olim hominum ſtrages eo loco edenda.*

Hinc utrique ad flum. traijciendum, & ad pugnâ tardiores. donec Agathocles, quaſi nô Carthaginiẽſeis modò, ſed & oraculum ipſum cluſurus, inſidijs opportuno loco diſpoſitis, & abactâ trans flum. prædâ, Pœnorum aliquot equites ad pugnam adlexit. Qui paulò incautiùs excurrẽtes, & in inſidias pertra-

ċti in

cti, in fugam mox vertuntur.

Dum his reliqui Carthaginienses auxilium ferre cogitant; totus utrimque exercitus ad iustum prœlium commovetur.

Sed AGATHOCLI & Siculis, huic occasioni antè intentis, facile fuit ordines legitimos servare; & Pœnos, quibus ad aciem instruendam otium deerat; & confusè procurrebant; exterrére, ac tandem profligare.

Et quamvis Baleares crebro saxorum iactu Græcos undique lacesserent; AGATHOCLES, tamen, iteratâ oppugnatione, ipsa iam castra tantum-non occuparat; & bellum sibi confectum sperabat:

Quùm ecce Pœnis animo consternatis, & nihil tale cogitantibus, opportunissimum succurrit auxilium, classe recèns ex Africâ advectum.

Tum ergo alternans victoria, Pœnorum spolia iam spe devorantem, AGATHOCLEM, frustrata est; & in fugam coëgit; eò periculosiorem, quod & procul distabant castra, (XLVI. stadijs) & siti ac labore iam enectos Siculos, (Sirio flagrante, & æstu meridiano) integri Pœni persequebantur.

Et hi quidem universè ad quingentos; AGATHOCLES verò ad VII. suorum millia, in campis, & ad flumen, desiderârunt.

Hic prudenter tamen, cladem tantam moderatus, cum ijs, qui evaserant, Gelam se recepit, ut hosteis expugnationis spe illectos distineret. Et Syracusanis ad fruges ex agris percipiendas, ac comportandas spatium daret, & simul duo hæc opida sibi integra adservaret. Nam cætera penè omnia satia agnoscebat suæ crudelitatis odio confestim ad Pœnos defectura.

Quod & sanè contigit. Nam primùm Camarinæi & Leontini; deinde Catanæi & Tauromenitę; postremò Messanenses & Abacæni, & quidem certatim, AMILCARI, humanitatem præferenti, se tradidérunt.

AGATHOCLES copiarum reliquijs Syracusas reductis, labanteis muros instaurat, & ex agris frumenta comportat. Iam tum cogitans, relictâ urbi, adversùs obsessuros Pœnos, custodiâ, *bellum ab Insulâ in Africæ continentem transferre.*

3642. Ptol. 14. Sel. 3. | 308.

Quùm itaque victores Pœni Syracusas obsidione cinxissent; & AGATHOCLES à socijs, crudelitate eius offensis, desereretur; facinus adgressus est, prodigiosæ temeritatis.

Priùs Syracusis tutores omneis iubet pupillorum pecunias in ærarium inferre: deinde à locupletissimo quoque, etiam invito, pecuniam fenori accipit; & matronis mundum muliebrem, & ornamenta omnia, & templis donaria quædam detrahit.

Postremò, vocato in concionem populo; *Se quidem periculis adsuetum, quavis belli aut obsidionis discrimina, resp. causâ, facilè subiturum. sed commiserari se fingit civium eorum vicem, quibus illiusmodi laborum & ærumnarum, præ insolentiâ, nova esset facies.*

Suadere igitur ultrò, ut quicunque dubiam obsidionis fortunam experiri nollent; vitæ ac securitati, eum suis facultatibus, tempori prospiciant: utiliùs foris, quàm intùs, periclitanti patriæ consulturi.

Quæ oratio honesta & popularis visa, induxit locupletissimos quosque, ut die dictâ, non tam Pœnorum, quàm AGATHOCLIS ipsius odio & metu, discessum pararent.

In quos iam aliquantulum ab urbe digressos, ille sub noctem mercenarios suos immittit; qui eos omneis, quasi desertores trucident, eorumque bona proscribant.

Hâc arte coacervatâ pecuniarum vi, & urbe hominibus sibi suspectis purgatâ, milites conscribit, & servos militiæ idoneos civitate & libertate donat.

Classem denique adornat, quasi vel aliquam Siciliæ urbem Pœnis extorturus; vel piraticis in Italiam, Sardiniamve excursionibus, bellicos sumtus sustentaturus.

Naveis partim milite conscripto, & servis; partim locupletiorum civium delectu, implevit. Sic ut fratres à fratribus, filij à parentibus avellerentur: & illi vel illubentes, mutuâ inter absenteis caritate, alteri alteris fidem servarent.

Vrbem frumento & stipendio instructam, ANTANDRO fratri, & idoneo militum numero, custodiendam tradidit.

Ipse, nullo militum sciente quò veherentur, cursum in Africam dirigit: Carthaginienseis, longè pacis securitate luxuriánteis, & recenti victoriâ domi exsultanteis, ex improviso oppressurus.

Pœni clandestinum eius conatum & discessum subodorati; classem quoque suam Syracusis admoverant. dumque illi onerarias naveis, quæ tum fortè frumentum in urbem devehebant, intercipere conantur; & AGATHOCLES, quasi defensurus eos in se convertit; naves in urbem impunè illapsæ sunt; & ipsum cum classe, fuga velox, & nox superveniens, periculo eripuit.

Exterruerat tamen Siculos portenti religio; quòd navigantibus eis sol defecerat. Sed AGATHOCLES, qui pridem non modò superstitionem, sed omnem pietatis sensum exuerat; persuasit ijs, illiusmodi Siderum deliquia semper præsentem rerum statum mutare. Verùm hoc ipsum Siculis, qui iam in expeditionem egressi sint, faustè instar ominis esse, & libertatem portendere; Pœnis verò, ad quos eatur, inexspectatam servitutem significare.

Septimo pòst die, Pœnorum naves, Siculas insecutę, iam propè tergo imminebant, & ad teli iactû accesserant; cum AGATHOCLES, post breve funditorum certamen, in Latomias, proximum Africæ littus, delapsus, naveis suas remulco subduxit.

Nocte consequenti, impedimentis omnibus è navibus expositis, duces militesque epulo solenni excipit: & vino iam exhilaratos, apto commento docet, se, cum à Pœnis urgueretur, Cereri ac Proserpinę, tutelaribus Dijs, votum nuncupâsse, *Si salvus in litus evasisset, naveis suas incensurum. Vota*

itaque

itaq; Deabus pro salute iam persolvenda.

Et cum dicto, deque compotio, facem sibi oblatam in navem prætoriam conijcit: cæterique duces, quasi procaci ex vino lasciviâ, tibicinibus classicum canentibus, & militibus lætâ voce conclamantibus, eius exemplum sunt secuti.

Vt omnes scirent, auxilio fugæ ademto, aut vincendum in peregrino solo; aut moriendum esse.

Vbi vinum deferbuit; tristitiam aut desperationem, in militibus, pænitentiæ comitem, negotio discussurus; iubet iram in hosteis, eorumque terram, convertere.

Primæ sese offerebant urbes, Megalopolis & Leuco-Tunes. quas imbelleis, & vix muris cinctas, facile occupat, & militi diripiendas obijcit: tàm opimis spolijs exiguam navium iacturam exsarturus.

Et ne intempestivo perfugio, aut ancipiti spoliorum receptaculo, nondum devictis Carthaginiensibus, locus daretur; easdem urbeis complanat, & sub dio castra metatur.

Quùm deinde omnia, quacumque ingrederetur; prosterneret, villas castellaque incenderet;

Carthaginienses primò tàm inexspectato casu propemodum exanimati; quòd sibi persuaderent; AGATHOCLEM, non nisi profligatis penitùs in Siciliâ Pœnis, victoriam impigrè & peregrè persequi ausurum esse. Postquam ex classis suæ præfecto contrà esse compererunt, metu in contemtum verso, se collegérunt. Et Navarchis, qui maris potentes, per ignaviam victos Siculos è manibus elabi, & in Africam traijcere, passi essent; loco motis, aut etiam, de more, cruce adfixis,

HANNONEM & BOMILCAREM, (quorum privatam ex avitâ simultate discordiam publicè sibi salutarem fore existimarent) attributis XL. pedit. & II. equit. Millib. prætér totidem currus; militiæ duces, substituérunt.

AGATHOCLI vix XII. pedit. Millia, universè aderant: & plerique ex ijs inermes, Clypeorum tegmina, pro clypeis, ostentabant.

Pœni duces, nō exspectatis sociarum urbium auxilijs, & tumulo haud procul ab hostibus occupato; aciem sic instruxére; Vt HANNO dextrum cornu, cum *Sacra coborte*, obtineret; BOMILCAR sinistro, agmine, ob loci iniquitatem densiore, præesset. Et currus cum equitibus antè agmen, & in fronte, collocarentur.

AGATHOCLES, dextro cornu ARCHAGATHVM, F. cum XI. Mill. & D. peditibus, præfecit. Quos Syracusani, numero ter Mille & quingenti; & deinde totidem penè è Græciâ mercenariorum, Millia; ac postremo non impari numero Itali Gallique subsequebantur.

Ipse cum satellitio, & Mille armatis, mediā aciem tuebatur, iaculatoribus & funditoribus, ad quingentos, per cornua distributis.

Pœni ad supplicij, aut nundinationis, spectaculum potiùs, quàm ad prœlium, accincti, XX. compedum Millia secum attulisse iactabantur.

AGATHOCLES verò ut suos, non abs re consternatos, aliquo aut solatio demulceret, aut augurio confirmaret; magnam noctuarū vim, quam eâ fini pridem adparárat; repètè per agmina emitti iussit. Quæ è caveis custodum elapsæ, Militum galcis aut scutis repentè insederunt. Idque commenti genus, optimi augurij loco habitum, plurimum animi militibus addidisse putatur.

Curribus & equis Pœnorum, post acrem impressionem, in fugam conversis; HANNO singulari in patriam caritate, & propriâ virtute incitatus, multis acceptis vulneribus, fortissimè pugnans occubuit.

Sacra tamen *cohors*, cui ille præfuerat, nihil territa ducis morte, totum prœlij onus sustinebat; dum BOMILCAR non tàm ignaviâ, quàm prævaricatione, (qui tyrannidis occupandæ occasionem sibi ex eo casu oblatam esse spetabat) signum receptui reliquis in collem proximum dedit; undè tutiùs scilicet hostem ex edito propulsaturus esset. Quod quum minus ordinatè fieret, fugæ speciem præbuit.

AGATHOCLES, Barbaris in urbem dilapsis, eorum castris potitus, non in præsens modò spolijs opimis; sed magnâ etiam in posterum spe militum suorum animos implevit.

Cecidisse feruntur ex Siculis ad CCC. ex Pœnis Mill. aut, ut quidam memorant; Sexies Mille.

(Iustin. duo de Siculis; tria de Pœnis Millia cum ipso duce cecidisse tradit.)

Ex huius prœlij eventu, tâm ingens Carthaginiensibus incessit consternatio, qui divinitùs tantam sibi cladem immissam putarent; ut ad omne supplicationum, votorum & quidem superstitiosissimorum genus se converterint: Et non modò immensa munera, belli sumtibus paria ad HERCVLEM Tyrium, (cui olim proventuum suorum decimas offerre solebant; & diu id facere iam neglexerant) ceu compensationis vicem, transmiserint. Sed & quùm pridem pro civibus, pueros pretio emtos, & domi educatos, immolare soliti essent; (quos ænea Saturni statua, manibus supinis quidē, sed in humum inclinatis impositos, in voraginem igneam devolvebat) tum CC. ferè illustrium civium liberi sorte delecti sint: & alij insuper trecenti, ceu piaculares, ultrò se ignibus cremandos obtulerint.

Quùm itâ ergò Agathocles, mirâ prorsus audaciâ, quibus in solo urbis suæ par non fuerat, eorum urbi bellū feliciter inferret: & qui sua tueri nequierat, aliena impugnaret; Pœni tandem *non inanibus votis, aut frivolis supplicijs; sed agendo & benè consulendo res magnas geri* recordati; stratagema haud absurdum excogitarunt. Mittunt ad AMILCAREM, Syracusarum obsidioni intentum, qui iubeant periclitanti quidem patriæ protinùs opem ferat; sed metu dissimulato famam in vulgum spargat; Agathoclem totâ cum classe perijsse.

Quæ mandata Pœnus prudenter exsequens, mittit ad obsessos, qui cladem Agathoclis renuntient; & indicij vicem, navium incensarum fertamenta, an fragmenta! ostentent; eosque ad æquabilem deditionem cohortentur.

Tum ingens certè luctus & seditio urbem occupavit. Eò acerbior, quod ex ijs, quibus deditio placebat, ad octies Mille in exilium expellerentur. Reliqui itâ à suis deserti, & suorum in Africa orbitate adflicti, extrema iam metuebant.

Atq; adeò, quùm Antandro ipsi, Agathoclis fratri, non displiceret deditio; tum ERYMNON Ætolus, Antandro consiliarius à fratre additus, perdurandū esse

esse censuit, dum certiora aliundè, quàm ab hoste, docerentur.

Nec minus providus AGATHOCLES, & id ipsum metuens, statim à pugnâ duas actuarias, diversis itineribus, ad Syracusanos submiserat.

Sed nec Pœnos, qui classe Syracusarum Portum obsessum tenebant, fefellit sensim mari irrepens, coronatis vectoribus, navicula. Quam dum illi adoriuntur & distinent; altera in Portum incolumis evasit.

AMILCAR conspicatus, cum militibus, cives effusè ex urbe in Portum, & ad optatum nuntium, concurrisse; & ratus muros à defensoribus vacuos tum esse; scalas admovit. Et non pauci è Pœnis in muros evaserant; quùm populus classico hostili monitus, turmatim è Portu in Pœnos irruens, captas iam turreis facilè reciperat: & hosteis partim intrà urbem iugulat, partim de muris præcipitat.

Atque ità AMILCAR urbis occupandæ spe depositâ, ab obsidione discedit; & V. hominum Mill. auxilio Carthaginem mittit.

Interea AGATHOCLES urbeis in Africâ, castellaque expugnat, & ingenteis prædas agit. Et cum primo Tunetem Neapolimque occupâsset; tum Adrymettum obsedit.

Sed dum in hoc ille est; Pœni vicissim Tunetem obsidione cinxêrunt, hostilium ibi castrorum opportunitate usi.

Quo audito, Agathocles, noctu, in edito colle, cum paucis castra locat: undè & ab Adramyttenis obsessis, & à Pœnis, qui Tunetem obsidebant, conspici posset.

Hic ignibus variè excitatis terrorem utrisque iniecit, quasi nova ipsi auxilia advenissent. Ita Pœni ab obsidione Tunetis, relictis machinis, trepidè Carthaginem se recipiunt: & Adrymettini, præ metu, Agathocli se dedunt.

Ipse Thapsum vi expugnat; & CC. alias urbeis in Africa, minis, aut blanditijs, alijsque artibus, sibi subijcit: partim invitas, præsentis exscidij metu; sæpiùs volenteis, & crebescente in Pœnos odio.

Dumque paullò longiùs in ulteriorem Africæ agrum excurrisset; Carthaginem pervenére illa è Sicilia auxilia. Quibus recreati Pœni, Tunetem rursus obsedêre.

Quo cognito, Agathocles ab expeditione confestim revertens, ubi CC. tantum stadijs ab hoste abesse se sensit, ad noctem usque, ignibus accendi vetitis, substitit. Et primo diluculo Pœnos, securè palanteis, atque ità, ut erant, incompositos, adgressus, bis Mille interfectis, nec paucioribus captis, novam Afrorum spem oppressit.

Et ELYMAM, eâ in regione regem, rebellantem, cum magnâ Barbarorum strage prœlio superavit.

RES IN MACEDONIA, ET ALIBI, INTER PRINCIPES.

In Macedoniâ verò CASSANDER, quùm Autoleonti, Pannoniorum regi, cui cum Antariatis, Thesprotica gente, bellum intercedebat, opem attulisset; XX. Mill. hostium, cum uxoribus & liberis, in Orbitaum montem transportavit.

Et PTOLEMÆUS, ANTIGONI Consobrinus, & copiarum in Peloponneso præfectus, cum eodem societatem inivit, deserto Patruo eodem ANTIGONO, à quo indigniùs haberi se queritaretur.

Et Satrapiâ Hellesponti, Phœnici, ex fidis amicis uni, demandatâ, militibusque submissis; iubet præsidia urbeisque tueri, & ab ANTIGONI obedientiâ avellere.

Simul & PTOLEMÆUS, Ægypti rex, ANTIGONUM incusans, quod quasdam Græcorum urbeis, contrà publicum libertatis decretum, præsidijs occupâsset; bellum adornat: Et nihilo cum copijs LEONIDE, urbeis, quæ in Asperâ Ciliciâ Antigono parebant, sibi subiecit. Et propinquas, quæ vel LYSIMACHO, vel CASSANDRO erant obnoxiæ, ut secum sentirent; & immodicæ Antigoni potentiæ obviàm secum irent; est cohortatus.

Antigonus contrà, ex filijs quidem natu minorem PHILIPPUM in Hellespontum amandat, qui Phœnici rebellibusque bellum facesseat: Demetrium verò, in Ciliciam, qui victis Ptolemæi ducibus, urbeis ibi feliciter reciperavit.

At POLYSPERCHON, CASSANDRI viribus impar, & regni nihilò minus sibi vindicandi cupidus; quùm hactenùs HERCULES, Alexandri ex BARSINE F. pro Spurio habitus; & Pergami neglectus esset; tùm sublatâ legitimorum PHILIPPI heredum stirpe, illum XVII. iam annos natum ad se accessit, & Græcis adversùs CASSANDRUM obijcit.

Et Ætoli quidem in parteis pertracti, CASSANDRI odio, opem suam pollicentur; alijque permulti ad regis reditum confluunt, supra XX. pedit. Mill. & equites Mille.

Ptolemæus verò Ægyptius NICOCLEM, Paphi regem, in Cypro, inientato perfidiæ & defectionis crimine, per suos, ad mortem voluntariam adegit. Cuius coniux Axiothea, filias virgines, iugulasse non contenta, fratrias etiam mariti, quantumvis in eas nihil grave Ptolemæus constituisset; ad mortem unà secum oppetendam exhortata est. Earumque exemplum secuti fratres, regiâ tot cædibus funestâ, & incensâ, & ipsi sibi manus intulérunt.

RES APUD BOSPORANOS.

Per idem tempus, filij PARISADÆ, qui Cimmerij Bospori in Ponto duode-XL. annos rex fuerat; EUMELUS, SATYRUS, PRYTANIS, de regni iure inter se contendebant. SATYRUS natu maximus, EUMELUM fratrem, qui ARIOPHARNIS, Thracum regis, auxilijs fretus secum depugnârat, ad Thapsim flumen regiamque persecutus, & inter oppugnandum vulneratus, post nonum regni mensem, vitâ defungitur.

Huius corpus quùm ad PRYTANIM, alterum fratrem, deportatum, & ab eo honorificè sepultum esset; ipse Gargazam confestim venit, & exercitûs fraterni reliquias cum principatu accepit.

Neque EUMELO, qui legatos ad eum de parte regni miserat, obtemperavit; sed relictâ Gargazæ tuendæ

tuendæ præsidio, Panticapæam, Bosporani imperij regiam, ad stabilienda regni negotia, se recepit.

At EVMELVS, auxilijs Barbarorum stipatus, Gargazâ in potestatem redactâ, PRYTANIM cum exercitu in se invectum, victumque, & Isthmo, propè Mæotidem lacum, conclusum, milites tradere, regnoque cedere adegit.

Sed ille, simulatque Panticapæam liber redijt, regnum reciperare conatus, iterumque victus, in Hortis interfectus est.

Sublatis itaque è medio fratribus, EVMELVS, ut novi imperij statum in tuto, scilicet, collocaret; eorumdem amicos, coniuges & liberos, occidit.

Vnus SATYRI F. PARYSADES, puer admodum, evasit; & urbe relicta ad AGARVM, Scytharum regem, pernice equo aufugit.

EVMELVS restitutâ Panticapæensibus immunitate, alijsque popularis benivolentiæ argumentis, iam vulgò gratiosus, magnâ cum omnium laude regnum administravit. In Byzantios, Sinopenseis, & Callantianos, à LYSIMACHO oppressos, beneficus; Mare Ponticum à prædonibus tutum fecit, & à mercatoribus magnam universè gratiam inijt.

Is postquam annos quinque, totidemq; menseis imperâsset, admirabili casu exstinctus est. Quum namque ex Scythiâ domum reverteretur, & ad festum sacrificium properaret; quadrigâ ad regiam contendebat.

Iamque perterrefactis fortè equis, & curru, aurigâ excusso, raptantibus, veritus ne in scrobes impingeret, & exsilire conatus, ense in rotam implicito, eodem impetu distractus est, & e-vestigio exspiravit.

PTOLEMÆI, CASSANDRI, POLYSPERCHONTIS MOLITIONES.

3643. 15. Ptolem. 4. Sel.		307.

PTOLEMÆVS cognito, plerasque Ciliciæ urbeis, quas pridem ceperat, ad DEMETRIVM defecisse; classe cò delatus, Phaselidem expugnat: & in Lyciâ, Xanthum, Heraclium, Persicum, vel evertit, vel sub iugum mittit. Et cum PTOLEMÆO illo, ANTIGONI Patruele, societatem coijt: eumque è Chalcide ad Côn ad se profectum humaniter accepit.

Sed cum ille, præ subdolâ ingenij sui levitate res novas moliri, & ducum animos corrumpere deprehensus esset; cicutam bibere iussus est.

CASSANDRI ET POLYSPERCHONTIS PERFIDIA.

CASSANDER autem veritus, ne Macedones tum rerum novarum studio, tum prô veteri in ALEXANDRVM amore, ad HERCVLEM eius F. qui castra proximè Stymphaliam iam fixerat, desciscerent; clàm ad POLYSPERCHONTEM mittit, qui moneat: *parum sibi rebus consulere, qui ultrò sibi Dominum arcessierit, & imposuerit; quum ipse imperare possit.*

Veteres potiùs simultates deponant, sanctumque fedus ineant: & oppresso isto adulterino partu, sibi utrique securitas, & pax certa turbatæ Græciæ, restituatur.

His inductus POLYSPERCHON, vecors pariter ac perfidus, *à latrone, parricidij; quàm à rege fides & virtutis, præmium, exspectare maluit.*

Quumque militibus à CASSANDRO acceptis per Bœotiam in Peloponnesum, sibi destinatam, transmittere cogitat; à Bœotis & Peloponnesijs prohibitus, in Locros remeare, ibique hibernare cogitur.

RES APVD LACEDÆMONIOS.

Tunc CLEOMENES, Lacedæmoniorum rex: (postquam LXI. annos ab anno V.C. 384. ad ann. 445. regnâsset;) obijt, relicto AREA nepote, ex ACROTATO, qui XL. ann. regnat.

Huius patruelis LEONIDAS, CLEONYMI F. AGIDEM, ab AGESILAO magno ortum, occiderat.

Mira per ea tempora, & tot motus bellorum, Spartæ obscuritas: nisi quantò irrequietis regnorum prædonibus abiecti. res; tantò in tàm tranquillâ longævitate reges feliciores censeri debuerint.

AMILCAR POENVS AD SYRACVSAS.

AMILCAR Syracusas maiore, quàm anteà, exercitu obsessurus, CXX. pedit. & V. equit. Mill. ex totâ Siciliâ colligit; urbemque, paulloante messem circumvallat: & maris potens, commeatum importari prohibet.

Dumque ille temerè Vati fidem habet, qui die crastini Syracusis cœnaturum esse prædixerat; & primo adventu muros oppugnare statuit: Syracusani consilium subodorati, sub noctem, circiter III. pedit. Mill. & CD. equites ex urbe emittunt; & Euryelum (locum munitum) occupare atque insidere iubent.

Iamque eâdem nocte AMILCAR quidem exercitû, DINOCRATE equitibus præfecto, & peditatu Barbarorum Græcorumque auxiliarium bipertito, educebat; sed tumultuaria etiam lixarum, & inutilium bello capitum, turba, ad prædam potiùs, quam ad prælium, non sine inconditis clamoribus & rixis; simul procurrebat.

Tum Syracusani, qui Euryelum, & loca editiora tenebant; audito adpropinquâtium hostiû tumultu; quasi ex insidijs prorumpunt; & incautos, locisque angustis impeditos, ingenti strage contrucidant. ipsumque AMILCAREM vivum capiunt. Et cœnâ prius in urbe, ex oraculo, acceptum, indignisque mox habitum modis, securi percutiunt. Eiusque præcisum caput ad AGATHOCLEM in Africam mittunt.

Quin & excursione factâ hosteis trepidos adorti, castra diripiunt, & in urbem ampla spolia reportant.

Pœnos tam fœdè profligatos, & ex fugâ vix postridie collectos, dissensio animorum excepit. Et Barbari, loco AMILCARIS, Pœnum hominem, à duce secundum; Græci exsulesque DINOCRATEM sibi ducem elegérunt.

ACRAGANTINORVM ALACRITAS.

Hoc rerum statu, Acragantini spem liberandæ Siciliæ concipiunt; & XENODICVM ducem cum exercitu emittunt. Qui Gelam, Ennam, Erbessum, aliasque civitates, Pœnorum iugo liberavit. Leontinos & Camarinæos, quorum agrum Syracusani milites, occupatâ priùs Echetlâ, depopulabantur, in pristinum dominatum libertatemque, receptâ Echetlâ, restituit: Syracusanis pariter & Pœnis formidabilis.

Et illi cum fame & rerum inopiâ conflictati; & clàm Pœnorum statione, cum XXX. triremibus Megaras profecti, ut naveis indè frumentarias ad se averterent; Carthaginiensibus eodem adpulsis, prœlio navali decertare coacti, X. ex suis triremibus desideráruut: reliquæ opidanorum subsidio servatæ sunt.

MOTVS IN CASTRIS AGATHOCLIS.

In Africâ quùm AGATHOCLES, AMILCARIS eiusque copiarum clade, in spem maximam erigebatur; tum Carthaginienses, conspecto regis sui capite, haud iniuriâ turbabantur.

Sed illius felicitatis tenorem fortuna pænè abrupit: & Imperatori extremū quasi periculum creavit. ARCHAGATHVS F. LYCISCVM, non obscurum ducem; sed procaci temulentiâ in Patrem AGATHOCLEM, & in se, tamquam novercæ ALCIÆ adulterum, probra iacientem, pilo confoderat.

Milites ducis sui necem, nec prorsus tamen iniustam, tàm iniquo animo tulérunt; ut infensi ad AGATHOCLEM procurrerent, & filium ad Pœnas exposcerent; atque adeò ipsi Patri, si abnuat, necem intentarent.

Huc accessit importuna stipendiorum exactio, & novorum ducum delectus. factionibus denique omnia permiscentur. Tunete capto, optimates in custodiam passim deduntur.

Carthaginienses, ad quos eius novitatis fama erat delata; seditiosis continuò per legatos ampla stipendia pollicentur & præmia.

AGATHOCLES, qui salutem suam in dubio positam cerneret; quique à militibus suis occidi, quam hostibus ignominiosè dedi, mallet; dignum audaciâ suâ consilium capit.

Purpuram exutus, vili habitu in prætorium venit. cunctisque cum silentio admirantibus, congruentem præsenti fortunæ orationem habet.

Commemorat, quæ hactenus gesserit: quoties pro ipsorum salute morti sese obiecerit. Nunc quoque, si ità ipsis expedire videatur, mortem non extimescere, aut detrectare. Et cum dicto, in exserti gladij mucronem incumbit, quasi letale sibi vulnus inflicturus.

Sed milites, clamore protinùs sublato, ut ferrum abijciat, sibique parcat, & purpuram resumat; supplices & obnixè contendunt: pristinumque obsequium pollicitì, crimina omnia diluunt aut extenuant.

AGATHOCLES, à animorum commutatione utendum ratus, milites in hostem edu it.

Pœni, qui ducem ex composito captivum ad se adduci, & militem deficere crederent; modo-non lætum pæana concinebant.

Verùm Græci quieto eatenus agmine progressi, ubi propiùs accessere, ad classici cantum, hosteis subitò conterritos adorti, facilè profligant. Ducenti tantum, potiores factionis auctores, ad Pœnos defecére.

PTOLEMÆI PRO LIBERTATE CONATVS.

3644. 16. Ptolemæi. 5. Sel. Olymp. 118.	306.

PTOLEMÆVS, Lagides, quem uti fide & probitate spectatiorem Græci adierant; & toties promissæ libertatis, quam CASSANDER & ANTIGONVS opprimebant potiùs, quàm procurabant; præstationem postulabant; magnâ classe à Myndo per insulas navigans, Andrum, inter cætera, obiter liberam, exacto præsidio, effecit. Et indè ad Isthmum profectus. Sicyonem & Corinthum, à Cratesipoli, ALEXANDRI illius viduâ, accepit. Idem in cæteris Græcorum civitatibus, quarum ergà se benivolentiam rebus suis conducibilem existimaret, præstaturus.

Sed quùm Peloponnesij ipsi frumentum & pecuniam conferre iussi, nihil eorum, quæ promiserant, præstarent; indignatus, cum CASSANDRO in gratiam redijt; eâ lege, ut quæ sibi quisque pepererat, retineret. Et duabus, quas dixi, urbibus præsidio munitis, in Ægyptum reversus est.

CLEOPATRÆ, SORORIS ALEXANDRI MAGNI INTERITVS.

CLEOPATRA, illa ALEXANDRI Magni soror; & alterius ALEXANDRI, Epirotæ, qui in Italiam olim expeditionem suscepit. vidua; ob generis nobilitatem, & regiæ familiæ, summique inde imperij prærogativam, ac spem, à quattuor illis primarijs ALEXANDRI successoribus in coniugium expetebatur.

Sed

Sed Antigonus præcipuè, licet octogenarius, in dies nuptias secum procrastinantem, Sardibus adservari iusserat; metuens nè effugeret, & cuipiam ex alijs nuberet.

Et cum illa ad Ptolemæum, quem cæteris præferebat, fugam adornasset; tacità mulierum quarundam fraude perimendam curavit. Ne tamen cædis auctor haberetur, ex insidiatricibus nonnullas supplicio adfeceit & funus reginæ ampliter procuravit. Sic tota illa familia, quæ suâ ambitione tot Europæ Asiæque populos cruentârat, ferro excisa est.

VARIJ IN AFRICA MOTVS, ET CASVS.

In Africâ, ad famam deleti in Siciliâ cum Imperatore exercitûs, nonstributariæ tantùm urbes, verumetiam socij reges, à Carthaginiensibus deficiebant: *Obsequij sive amicitiæ iura, non fide, sed successu ponderantes.*

Ipsi nihilominus, misso exercitu, multos ex Numidis, qui Zuphones dicti, ad pristinum officium societatemque retrahere conati, in AGATHOCLEM benè instructum inciderunt. Et dum prælium inter eos committitur; Numidæ utrimque è pugna excedunt, & prœlij victoriæque eventum expectant.

Quumque AGATHOCLES tandem vicisset; & expugnandis hostium castris procul intentus esset; Numidæ spectatores in ipsius castra involârunt, & diripuérunt. & noctis beneficio longè se incolumes cum prædâ captivisque subduxérunt.

Steterant à Pœnis aliquot Græci; &, duce CLINONE, acerrimè omnium Siculis restiterant. Ex ijs AGATHOCLES ad mille captivos, inter quos D. Syracusani, in castello quodam deposuit. Vnde quùm pœnæ metu, & occisis custodibus, in locum munitum evasissent; eosque fide datâ, descendere iussisset AGATHOCLES, omnes neci dedidit.

OPHELLÆ CYRENÆI MOLITIO, ET CLADES.

Hâc pugnâ defunctus AGAHOCLES totius iam Africæ imperium, aut vastitatem animo agitabat.

Nec minùs improbâ spe Ophellas, qui PTOLEMÆI auspicijs Cyrenen subegerat; & suo quàm alterius nomine eam regere malebat; res novas moliri, & Libyæ regnum animo amplecti ferebatur.

Cum hoc AGATHOCLES per legatos societatem fungit; pactus, si Pœnos communibus opibus debellare possint, ut sibi Siciliæ, illi Africæ imperium cederet.

Hâc imperij proferendi cupiditate ac spe illectus Ophellas, qui EVTHYDICEN, MILTIADÆ Athenensis Filiam in uxorem duxerat; haud difficiliter ex Græciâ, tam longinquis & inutnis pinei-pum bellis extenuatâ, & peregrinas iam colonias spectante; præter domesticum robur, ingentem exercitum; quem Vxores liberique sequebantur, conflavit. Et duodeviginti diebus III. Stadiorum M. emensus, ad Automalas, gentem veteris reginæ Lamiæ, fabula & regno famosam, pervenit.

Inde per tesqua horrida, & infesta serpentibus deserta, continente plùs duorum mentium itinere, progressus, castra proximè AGATHOCLEM defixit. A quo blandè salutatus, & omni adulationis humilitate acceptus, (absentibus fortè, frumentandi causâ, militibus) falso, an verò insidiarum crimine, oppressus est.

Eius milites ille solatus, & armis deponi iussis, cû facti excusatione, mira pollicitus, consilij in tàm alieno solo inopes, & duce vidui, seu volentes, seu invitos, ad se adsexit. Et Carthaginienseis erató, omnique ope bellum cienteis, magno utriusque exercitûs sanguine, & gravi prœlio superavit.

BOMILCAR TYRANNVS.

BOMILCAR, qui hactenùs tempus constituendæ sibi tyrannidi idoneum aucupatus esset; in bellum, quod dixi, Numidicum, civium præstantissimos, suisque cæptis adversaturos, emiserat. & in merâ rerum utrimque, quæ in urbe castrisve hostilibus gererentur, ignoratione, eo ipso die, quo OPHELLAM AGATHOCLES interfecit, ipse adscitis civium, sibi fidorum, quinquentis. & mercenariorum Mille, regium nomen arripit & palàm usurpat.

Militibus quinquepertitò in urbem immissis, obvios quosque reclamanteis trucidat, & plateas omneis civili sanguine defœdat. Eoque magis omnes attoniti stupebant, quòd eam cædem ab hostibus, per proditionem immissis, perpetrari credebent.

Vbi verò palàm factum est, hanc lanienam à Bomilcare, cum paucis sicarijs, exerceri; Iuventus instructâ acie adversus tyrannum acerrimè insurgit.

Et quùm ille fugiens locum in Neapoli munitum insedisset; tandem impunitatem stipulatus, cum suis sese dedidit. Et cæteris quidem, ob impendentia ab hoste tàm propinquo pericula, fides servata; BOMILCAR vero eo beneficio indignus visus est.

(*Iustin. tradit, ob noxam meditatæ ad AGATHOCLEM, cum exercitu suo, transitionis, in medio patriæ foro patibulo suffixum fuisse: & magno animo supplicium tulisse. & de summâ cruce, veluti de tribunali, in Pœnorum scelera, & in exercitum ab ijs adversùs immerenteis Imperatores, HANNONEM, GISGONEM, AMILCAREM patruum, sævitiam, clarè concionantem, exspirâsse.*)

3645. 17. Ptolem. & 6. Seleuci. | 305.

ANTIGONVS, ut laudem liberatæ Græciæ CASSANDRO & PTOLEMÆO æmulis præriperet, DEMETRIO Filio V. talentûm argenti Mill. & naves CCL. cum validis terrâ Marique copijs, machinisque ad obsidio-

ad obsidiones necessarijs, tradidit.

DEMETRII IN GRÆCIA, ET ALIBI PROGRESSVS.

Ille ex Ephesô, Asiæ, solvens, tàm secundis usus est ventis, ut prius ad Pyræum conspectus sit, quàm de eius adventu quidquam auditum, & quæ erat populi supinitas; PTOLEMÆI nomine excipiebatur.

Athenienses primò quidem agnitum quasi hostem, ducibus Dionysio, Munichiæ; & DEMETRIO Phaleréo, Vrbis, procuratoribus, Cassandro obnoxijs, de muris magnâ vi propulsabant. Mòx irrumpenti bus per vim militibus, & multis ex adversâ parte ad DEMETRIVM transfugientibus, cedere coacti.

Simulac ille in Piræum ingressus est, per præconem pronuntiari iubet; *Bonis avibus advenire se, Patris Antigoni iussu, ut Atheniensibus primùm, deinde cæteris Græcorum Civitatibus, solidam libertatem restituat, eiectis undequaq, Macedonum præsidijs.*

DEMETRIVS Phaleréus, qui à pugna Cranoniâ, ad hunc usque annum, (quod fuit X V. annor. intervallum) tum propriâ virtute, tum Cassandri gratiâ, inter Athenienses plurimùm pollens; quamdam Monarchiæ in patria speciem erexerat; quantumvis legatus à populo missus, vt de Libertate & salute suâ verba faceret, honorificè à DEMETRIO acceptus fuisset; infidam tamen tunc populi levitatem extimescens, primùm Thebas, deinde Alexandriam, ad Ptolemæum se recepit.

DEMETRIVS Antigoni, Munychiâ, etiam, quę & loci situ, & propugnaculorum firmitate munita esset, post bidui certamen, expugnatâ: & Dionysio, præsidij, quod CASSANDER imposuerat, præfecto, capto; pristinam populo libertatem restituit, & cum eo amicitiam societatemq́ue coivit.

Et qui bello Lamiaco sub iugum ab ANTIPATRO, CASSANDRI Patre, missi fuerant; veterem Patriæ reip. formam, X V. anu. pòst, & præter opinionem, tunc recepére.

Et in Demetrij, libertatis suæ auctoris, sive SERVATORIS sui, laudes, an adulationes? effusi; statuas ei aureas curuleis, coronas, aras, Minervæ cingium, dies festos; duarum Tribuûm novarum, DEMETRIADIS & ANTIGONIADIS; suffragia; aliaq́ue eius generis, decrevérunt.

ANTIGONVS vicissim, præter libertatem; ob honores sibi filioq́ue decretos, C L. Medimnûm frumenti Mill. & materiam c. triremibus fabricandis parem, dare pollicitus est.

Ipse educto ex Imbro præsidio, opidanis urbem liberam reddidit. Et Fil. DEMETRIVS Megarensium civitatem, præsidio per vim expulso, eodem beneficio adfecit; magnis ab eâdem honoribus adfectus.

Is à Patre iussus, posteaquam Concilium ex socijs in Græciâ civitatibus constituisset, qui de communibus Græcorum negotijs & commodis inter se consultarent; in Cyprum cum exercitu confestim traijcere; & PTOLEMÆI ducibus bellum facessere; Caryas, Lyciæ, profectus, & Rhodios ad bellum adversùs PTOLEMÆVM secum suscipiendum obiter & frustrâ, pro tempore, cohortatus; adscitis è Ciliciâ X V. pedit. Mill. & C D. equitib. ac navibus universis C L X I I I. idoneoq́ue commeatu, in Cyprum navigat.

Castrisq́ue ibi in orâ maritimâ Carpasiæ collocatis, & vallo fossâq́ue communitis; post Vraniam & Carpasiam per incursationem ex finitimis intercéptas, cum exercitu ad Salaminem contendit. Vbi MENELAVS, à fratre PTOLEMÆO Insulæ tuendæ præpositus, se continebat.

Is quùm hostem X L. tantùm stadijs abesse cognovit; ex urbe subitario agmine cum DCCC. equitib, & X V. pedit. Millib. egressus, prœlium committit; & mòx in fugam vertitur. DEMETRIVS victos in urbem usque persecutus, circiter Mille interfectis, non pauciores ter Mille vivos intercepit.

Quos quidem primùm crimine absolutos, in suorùm militum classem adscripsit: Sed quum iterùm, ob impedimenta in Ægypto apud PTOLEMÆVM deposita, ad MENELAVM inclinarent; in naveis impositos, in Syriam, ad Patrem ANTIGONVM, ablegavit. Qui sub id tempus, ad fluv. Orontem, urbem de suo nomine condebat, LXX. stadia ambitu suo complexam. Eam S. LEVCVS paullo-post evertit, & incolas in suam Seleuciam transduxit.

MENELAVS, licet victus, Salaminem adversus DEMETRIVM, eiusq́ue novas machinas, & in cæteris Helepolim, (quæ utrumque in latus cubitis XLV. lata, & XC. alta esset: novemq́ue contignationibus distincta, quattuorq́ue rotis imposita, (quarum altitudo octonûm esset cubitorum) inambulantis propugnaculi speciem præferret) summa ope defendendam suscepit.

Et quùm tota ea moles, quâ obsessi premebantur, è ligno esset; iniectâ noctu aridorum lignorum strue, & facibus ardentibus, non machinam modò, sed & milites quam-plurimos incendio consumsit.

Ptolemæus à fratre solicitatus; & veritus, ne amissâ Cypro reliqua quoque periclitarentur; ducit ipse naveis longas C X L. & militareis pænè C C. quibus X. milit. Millia vehebantur. MENELAO autem supererant naves LX. in Portu.

DEMETRIVS, parte exercitûs ad obsidionem relictâ, & instructâ egregiè ad pugnâ navalem classe, CIIX. (al. LXXX.) earum, quæ remis agebantur, partim è Phœniciâ, partim Athenis; & collocatis ad fauceis Portûs, X. alijs navib. quæ MENELAVM indè solvere, & ferre fratri auxilium vetarent. Et equitibus ad littus stare iussis, qui naufragos, si ita casus ferret, servarent: in Ptolemæum, qui accelerato in Salaminem cursu, Portum occupare, & hostem ante capere fatagebat; invectus; de vitâ, rerumq́ue summâ decertare, & ultima experiri constituit.

Anceps diu & varia prœlij fortuna fuit. ubi *potior interdum casui, quam virtuti locus esse consuevit.*

Tandem DEMETRIVS acriter premédo, dextrum hostium cornu in fugam vertit; & Ptolemæum, qui maximis navibus, & viris lectissimis stipatus, adversarijs quoque suis facilè fusis, multas naveis depresserat, nec pauciores cum viris ceperat; sed ub lævum suorum cornu profligatum, & effusam reliquotum

quorum fugam; de victoriâ desperabat: Citium se recipere coegit.

Huc accessit, ferum à MENELAO LX navium subsidium: Quæ licet non infeliciter commisso, cum x, Demetrianis, ad ostium Portûs prœlio; & ijsdem ad pedestreis copias se receptare compulsis; irrito tamen conatu, Salaminem rediere.

Victor, traditis NEONI & BVRICHO, ad hostem persequendum, & naufragos excipiendos, navibus; ipse cum suis, & captivis, non sine adparatu, & spoliorum ostentatione, in castra, suumq; Portum revertit.

(PLVTARC. tradit, eo prœlio captas naveis LXX. reliquas submersas.

Diodor. centum actuarias, in quibus IIX. hominum Millia erant; & naveis longas XL. in hostis potestatem venisse: submersas, ad LXXX.)

Ptolemæus, rebus Cypri desperatis, & quasi concessâ hosti victoriâ, in Ægyptum redit.

DEMETRIVS, occupatis totius Insulæ opidis; & militibus, qui passim erant in præsidijs, in fidem suam acceptis, (erant autem universe XVI. pedit. Mill. & equites DC.) eos auctoravit, & in militiæ suæ classeis adscripsit.

(Addit Iustin. ab eodem DEMETRIO, filium Ptolemæi, Leontiscum, & fratrem MENELAVM, amicosque eius, cum privati instrumenti ministerio gratis in Ægyptum remissos; qui pari anteà beneficio à Ptolemæo provocatus fuisset.)

PRINCIPES, REGIVM NOMEN ADSVMVNT.

Antigonus hâc victoriâ elatus, Regem se etiam Demetrio F. à populo appellari iubet.

Ptolemæus quoque; ne minore apud suos auctoritate haberetur, Rex ab exercitu cognominari passus est.

Quibus auditis, in Europâ, Macedones & Græci, CASSANDRVM; & Thraces, LYSIMACHVM, Reges deinceps nuncupârunt, & tanti nominis ornamentis honorârunt.

SELEVCVS denique, quem Barbari hactenùs regem appellârant; tunc etiam à Græcis rex salutari cœpit.

AGATHOCLIS SÆVITIES.

AGATHOCLES, qui eorum, quos dixi, Principum exemplo, neque ijs ullâ ex parte inferior, regium quoque nomen adsciverat, coronâ tamen sacerdotali contentus; Vticam tum rebellantem adgressus est. Et miserabili spectaculo, CCC. civeis in agris comprehensos, & de machinâ quâdam suspensos, proximè ad urbis muros admovit: Vel promissâ impunitate eos ad deditionem faciendam adacturus; vel civeis civium iaculis confodiendos, objecturus.

Et quùm Vticenses, licet magnâ suorum commiseratione commoti (quibus, publicam tamen libertatem & salutem posthaberent) intrepidè periculis, & oppugnantium furori sese opponerent; urbem castris cinxit, & mox per loca minus munita irrumpente, expugnavit. LX civibus alios in crucem sustulit; alios è templis, & ab aris abstractos, interfecit; urbemque promiscuâ cæde complevit.

Inde Hippacram, locum vicinâ Palude firmum, incolis navali prœlio devictis, per vim cepit: & urbibus plerisque tum maritimis, tum Mediterraneis potitus est.

Numidarum alij cum eo amicitiam coluerunt, alij rei totius eventum exspectabant.

VARIJ AFRICÆ INCOLÆ.

Quum que eo tempore Africam IV. populi incolerent; Phœnices sive Pœni, Carthaginis incolæ. Libophœnices, multarum ad Mare urbium potentes: quibus conjugiorum, & communis cum Carthaginiensibus adfinitatis, ius erat. Et quæ maxima pars, Libyes, qui inexpiabile cum ijsdem Carthaginiensibus, ob intolerabilem eorum dominationem, odium exercebant. Ac postremò Nomades, qui magnam Africæ partem, solitudine tenus, depascebantur.

Agathocles ubi vidit se tum urbibus in littore sitis, tum Libycarum gentium societate, ipsis Pœnis non inferiorem esse; Archagatho F. Africani belli duce & curatore relicto, ipse in Siciliam cum II. militum millibus profectus est.

AGATHOCLES IN SICILIAM REDVX.

Intereà XENODOCVS Acragantinæ militiæ, & Siciliæ in libertatem adserendæ dux electus, X. pedit. Mill. & equites Mille in Syracusanos armârat. Cui Leptines cum Demophilo, & IIX. pedit. Millib. & CC. & equitibus MCC. obviàm facti, Agrigentinos prælio victos, & MD. Militibus imminutos, à præclaro suo liberandæ Siciliæ incepto desistere coëgerunt.

Agathocles Selinuntem à recenti pugnâ advectus, Heracleotis, qui se in libertatem adseruerant, iterùm servitutis iugum imponit.

Thermitas, in altera Insulæ parte, Pœnis extorquet. & Cephalœdio per vim expugnatæ Leptinem præfecit. Centoripam per insidias dum tentat, urbe pulsus, suprà D. milites amittit. Et Apolloniâ magna cum suorum clade potitus, plerosque ex civibus interemit, bonaque eorum diripuit.

Quâ sævitiæ famâ, Siculæ civitates ad capessendam tantò acriùs libertatem excitatæ, Dinocrate exsulum duce, & Acragantinorum institutum persequi iusso, ad XX. pedit. Mill. & equites MD. confluxere, & sub dio castra metati, Tyranno pugnæ copiam fecerunt. Qui, ut viribus multò inferior, aperto prælio dimicare non ausus: sed levibus velitationibus Siculos modò hâc, modò illâc fatigans, à pugnâ cruentâ & laboriosâ abstinebat.

Ex illo, Agathoclis res, non in Siciliâ modò, sed in Africâ etiam, in deterius labi cœpere.

ARCHAGATHI SVCCESSVS ET MOX CLADES, IN AFRICA.

3646. 18. Ptolem. 7. Sel. | 304.

ARCHAGATHVS F. à Patris in Siciliam decessu, EVMACHVM ducem cum copijs in ulteriora Africæ loca miserat. qui expugnatâ Tocâ, urbe permagnâ, multos ex finitimis Numidis subegit. Et captâ per obsidionem Pheliine, Asphodelodas, gentem Æthiopum concolorem, imperio suo adiunxit. His adiecit Maschalam, Græcorum quorumdam ab expeditione olim Troianâ reducum, coloniam: & alteram Hippacram; & Acridem, civitatem liberam, quam militibus suis diripiendam tradidit.

Deinde in urbem Miltinam ex-improviso ingressus, & à Barbaris eiectus, multos ex suis desideravit.

Et montem nihilominus longè patentem, qui felibus abundans, ab avibus, ob naturale inter eas odium, nullus esset; emensus, in regionem irrupit simiarũ feracissimam; in qua urbes III. ab eodem animante nomen sortitæ, Pithecusæ. Vbi simijs cõmune cum hominibus domicilium victusque; & divinus, scilicet ab ijsdem cultus.

Ex ijs urbibus unam EVMACHVS captam diripuit; duas alteras in fidem accepit.

Cæterum ubi cognovit Barbaros, conscripto celeriter exercitu, contrà se tendere; castra inde, ad maritimas urbeis convertere iam cogitabat.

CARTHAGINIENSES ANIMOS RESVMVNT.

Quùm Carthaginienses tandem tot damnis meliora consilia edocti, bellum cautiùs magisque impigrè aggredi & administrare constituunt.

Tripertitum ex urbe exercitum, ad xxx. M. sub III. ducibus, educunt. Ex quibus decies Mille ad maritimas civitates; totidem ad Mediterranea; totidemque in superiorem Libyam dimittuntur.

ARCHAGATHVS idem facere coactus, alios maritimæ tutelæ destinat; alios duci ÆSCHRIONI committit: cæteros sibi in omnem eventum paratos adsciscit; & validum præsidium Tunéte relinquit.

Hanno, Pœnorum unus, cui Mediterranea obtigerant, ÆSCHRIONEM insidijs interceptum adortus, equites cc. & ad IV. pedit. Mill. unà cum duce confodit. reliqui partim capti, partim ad ARCHAGATHVM, qui L. indè stadijs aberat, incolumes è fuga se recepére.

HIMILCO verò, Libyæ superiori datus; EVMACHVM confuso ordine se, qui fugam simularet, persequentem, & copijs ex propinquâ civitate, de compacto, in aversos erumpentibus, circumventum; tanto impetu invasit, & concidit, ut ex IIX. pedit. Millib. vix XXX. & ex DCCC. equitibus, vix XL. salvi evaserint.

Quâ duplici clade contritæ sociorum urbes pleræque ad Pœnos defecerunt. Et ipse ARCHAGATHVS, cum suis exercitûs reliquijs, Tunete se continens, hinc ab HIMILCONE, inde ab ATARBA, artè obsidebatur.

AGATHOCLES REDIT IN AFRICAM.

AGATHOCLES his de rebus per filium certior factus, licet res ipsi minus prosperè in Siciliâ, ob increbescentem in dies exsulum numerum, succederent; naveis tamen XVII. construi iubet. & belli, quod in Insulâ gerebatur, curâ Leptinæ, alijsque commissâ, commodam enavigãdi opportunitatem præstolatur. quòd xxx. Pœnorum naves ex propinquo imminerent.

Intereà duodeviginti ex Tyrrheniâ auxiliares naves adpulsæ, & noctu, clanculum Pœnis, in Portum sunt dilapsæ.

Eâdemque texendi, pro re nata, stratagematis occasione utens, ipse antè quàm è Portu solveret, Tyrrhenos monet; ne prius erũpant, quam Pœnos ad se persequendum pellectos, & incompositos, à tergo commodè adoriri possint: & ipse conversis navibus in eosdem invehatur.

Quod ità opportunè effectum, ut Pœnis rei novitate territis, & in fugam datis, quinque naves captæ sint. Et ipse Punicæ classis præfectus, in prætoriâ manus sibi ipse præproperè intulerit; licet navis eadem vento secundo, & dolone ad proram sublato, periculum evaserit.

Ea victoria haud parum Syracusanos recreavit; & qui eatenus frumenti inopiâ laborârant, Mari deinceps liberiore, à rebus necessarijs mercibusque abundarunt.

LEPTINES IN SICILIA REM GERIT.

Tum Imperator Leptinem in Acragantinum agrum immittit. Et XENODOCVM, cui cum multitudine minus tum conveniebat, ad prœlium conserendum elicere iubet.

Ille, qui se viribus imparem sentiret, primò recusare; deinde ignaviæ à civibus incusatus, & cum hostibus longinquâ militiâ indurans, congressus; amissis peditibus D. & L. equitibus, in urbem cum suis, otio & delicijs potiùs, quàm bello adsuetis, compulsus; & vulgi criminationes veritus, Gelam indè se proripuit.

Agathocles verò hostibus terrâ marique tàm

facilè

facilè debellatis; Dijs sacra facit, & in conviviorum licentiam, facetiásque pænè scurriles sese effundit. animos cuiusque inter pocula explorare cupiens; eosque, qui ab eius imperio alieni deprehensi essent, è medio tollere.

Quâ arte, & libertatis specie, D. è civibus Syracusanis, sibi maximè suspectos; quos ad convivium, liberaliorémque compotationem invitârat, satellitibus suis iugulandos obiecit.

Ac tum demum, quasi factis ritè peractis, & rebus stabilitis, è Siciliâ in Africam renavigat. ubi & milites in castris consternatos, omniúmque rerum inopiam, offendit.

Pœni verò castris validissimis circumclusum tenebant Tunetem: & sine prælio eos fame moráque à se expugnatum iri sperabant.

Quapropter ille, qui ex peditatu reliquo Græcorum VI. Millia; nec pauciores Celtas, Samnites & Tyrrhenos haberet; & Afros decies Mille, sed desultoriâ fide, subsidiarios; præter MD. equites, & currùum Libycorum sex Millia. quòd è re suâ esse duceret, collatis quamprimum signis cum hoste decertare, Milites ad subeunda pericula cohortatus, aciem in apertum, factâ hosti pugnæ potestate, educit. Quumque Carthaginienses, locis editis arduisque fisi, intrà castra se continerent; & ipse ulteriùs provectus ad ea proximè accessisset; à Pœnis, numerò & loci situ potioribus repulsus, in castra sua, fœdè, & desideratis plus III. hominum Millib. se recepit.

PANICVS IN CASTRIS TERROR.

Nocte verò consecutâ, inopinata quædam calamitas utrumque exercitum invasit. Dum namque Carthaginienses Dijs suis, ceu victoriæ auctoribus, captivos immolare, & in igneis conijcere contendunt; ventis subitò coortis, vasti flammarum globi, in proxima quæque tentoria, (arundine, aut stramine contecta) impelluntur. Eaque cum hominibus, horrendo consumunt incendio.

Sic Impietas ipsa, aut veriùs Deus Impiorum vindex, par exercitu in captos crudelitati supplicium, immanibus sacrilegis, irrogavit.

Accidit præstereà, ut ad Pœnos tantis adhuc monstris attonitos, eâdem nocte, V. Mil. Numidæ, ab AGATHOCLE, cui eâteous militârant, in castra transfugerent.

At illi contrà, AGATHOCLEM instructâ acie in se novo casu conturbatos, ingruere rati; cæco impetu, & nullo imperia audiente, alij in Numidas irruunt; alij in fugam se proripiunt. Perque noctis obscura, & locorum abrupta, alij alios vel confodiunt, vel nullo discrimine de rupibus præcipitant.

Tandem plus V. Millib. Panico isto terrore interfectis, reliqui variâ hinc indè fugâ Carthaginem perveniunt; & vix ortâ luce errorem agnoscunt.

Neque AGATHOCLIS castra, minore infortunio sunt conflictata. Numidæ namque desertores, ignari quid monstri esset: & deflagrantibus Pœnorum castris, exortóque tumultu, venti ulteriùs procedere, ad priora Siculorum castra refugêrunt.

Et hi itidem, hinc flammarum horrore; illinc Pœnorum fragore, & subitâ Nomadum reversione attoniti, & Barbaros contrà se ire rati; quaquaversum extrà castra diffugiunt; & alij alijs occursantes sese mutuò contrucidant. Vt amplius IV. Mill. Lymphatico illo tumultu exstincti sint.

AGATHOCLIS EX AFRICA fuga, & Pœnorum Victoria.

AGATHOCLES, qui res in Africâ iam penitùs conclamatas iudicaret; neque, tum ob commeatûs inopiam, tum ob Punicæ classis in Mari potentiam, speraret totum exercitum, navibus impositum, in Siciliam posse traijcere: de fugâ secretim cum paucis, & iuniore filio HERACLIDE, faciendâ cogitat. ARCHAGATHVM, maiorem, iam-tum suspectum habens; ne homo naturâ ferox, & novercæ familiaris, insidias sibi aliquandò moliretur.

Is verò Patris institutum præsentiscens, rem cum aliquot ducibus communicat. Et milites eâ fraude exasperati, qui bis se à rege suo in medijs hostibus relictos esse clamarent; AGATHOCLEM corripiunt, & in carcerem concludunt.

Sed novo terrore per castra, nulli imperio obnoxia, dissipato; dum militum alij huc, alij illuc, fœdâ fugâ disiecti palantur; AGATHOCLES, elapsus, quibus navibus à Siciliâ reversus fuerat, cum earumdem custodibus Syracusas delatus est.

(*Exemplum flagitij singulare; Rex exercitûs sui desertor; filiorumq; Pater proditor.*)

Milites verò, pavore in iram verso, imperatoris sui filios, interfecêre; & Carthaginiensibus, pactione factâ, se tradidêrunt: & urbeis, quas tenebant, acceptis ccc. talentis, restituêrunt.

Ex ijs alij sacramentum Pœnis dixêre, & stipendia meruêre: Alij in Siciliam profecti, sedes Soluntî posuêrunt.

Pœni urbium, quæ rebellionem perseverabant, & obsidionem exspectare ausæ erant; præfectos quidem in crucem sustulêrunt; reliquos verò compedibus vinctos agris, quos bellicâ IV. annorum calamitate ipsi evastârant, colendis destinârunt.

Hac Dei in AGATHOCLEM vindicta eò clariùs eluxisse censeatur; quòd eodem mense, ac die, (circà Pleiadum occasum) ei, quæ diximus, contigêre; quo idem Ophellam, amicum & hospitem, perfidè necaverat. Et milites, qui cum Ophellâ venerant, vindices sceleris paterni, manus filijs eius attulisse traduntur.

NOVA AGATHOCLIS CRVDELITAS.

Sanguinarium nihilo-minus istud hominis monstrum, (ceu potius, arcanum Dei flagellum) hanc in Africâ iacturam novâ crudelitatis & avaritiæ arte sarcire cogitans; quùm Ægestam, urbem sociam, & X. Virorum Millib. frequentem, cum parte exercitûs venisset; civium tenuioribus extrà urbem, ad Scamandrum

Scamandrum fluv. interfectis, ditissimos quosque exquisitis tormentorum generibus, & Phalaridis Tauro geminis, excarnificat, ut non modò opes, quæ in propatulo erant; sed quæ etiam in terrâ defossæ latebant, ab ijs exprimeret.

Et inauditis non virorum modò, verumetiam mulierum cruciatibus, tamque diro spectaculo, oculos pasceret. Multis vel ad voluntarium incendium, vel ad suspendium adactis.

Et postquam pueros cum virginibus in Italiam deportatos Bruttijs vendidisset; Ægestæ, uno die funditùs exhaustæ, ne nomen quidem reliquit: sed novam transfugarum coloniam, Dicæopolim (quasi Iustitiæ sedem) appellavit.

Præterea Antandro fratri mandat, ut omnium eorum, quos ipse in Africâ deseruerat, parenteis, cognatos, adfineis, viros, uxores & infanteis, ceu quasdam piaculareis, cæsorum ibi, filiorum victimas, sine discrimine, confodiat.

Mox itaque Syracusis, litora, abiectorum promiscuè cadaverum fœdâ facie; & ipsum Mare, tetro densique cæsorum tabo, conspurcata, infignem facti crudelitatem spirabant. Idque tantâ omnium consternatione, ut ne collacrymari quidem aut ingemiscere, nedum parentare; quisquam præ metu auderet.

ANTIGONI IN ÆGYPTUM EXPEDITIO.

3647. 19. Ptolem. 8. Sel. — 303.

Antigonus, Cypro in potestatem redactâ, occupandæ etiam Ægypti spem præceperat. Itaque post funus Phoenicis, è filijs minimo, regificè procuratum, coacto ad Antigoniam exercitu, suprà LXXX. pedit. & IIX. equit. Millia, & LXXXIII. elephantos. & attributis Demetrio F. CL. navibus longis, & C. militaribus, quibus magna telorum vis vehebatur. ipse copias pedestreis per Cœle-Syriam ducebat, secundùm quas filius cum classe cursum tenere iubebatur.

Et contemtis Navarchorum monitis, qui Pleiadum occasum, octiduo pòst, exspectandum censerent; ad Gazam castrametatus est.

Et commeatu militibus in decem dies imperato, magnâque frumenti ac pabuli copiâ in iumenta, & camelos imposita; molestissimum per deserta, luto & voraginibus infesta, iter faciebat.

Demetriani verò è Gaza solventes, magnâ per aliquot dies cœli marisque tranquillitate, celocum remulco actuarias trahebant.

Sed simul & Pleiades opprimere, & à Septemtrione venti spirare cæperunt; multæ ex quadriremibus, Raphiam, urbem importuosam, abreptæ sunt. Et earum, quæ missilia vehebant, partim undis concussæ perierunt; partim ad Gazam reiectæ. ut vix reliquæ ex firmissimis omnium navibus Casium usque enavigarint.

Qui locus haud procul à Nilo, quòd hibernis tempestatibus inaccessus sit; iactis in altum ancoris, duobus circiter à terra hostili stadijs; nec sine magno naufragij periculo; nec sine graviore aquationis pænuriâ, in salo stare sunt coacti.

Sed eâ vi cœli marisque sedatâ; & Antigono castra propè classem faciente; tum miles nauticus se refecit; tum naves, tribus quinqueremibus amissis; è diluvio sunt receptæ.

Ptolemæus parta semper tueri, quàm quærere intentior, omneis regni fluminisque aditus, summâ diligentiâ, & firmissimis præsidijs, communierat.

Quumque Antigonus castrâ proximè Nilum collocâsset; ipse submissis per minora navigia præconibus, ampla militibus & ducibus, qui ab Antigono ad se deficere velint, præmia proponebat. Quod quùm plures induci facerent; iste quosdam ex transfugis deprehensos diris supplicijs adfecit, & reliquos exemplo deterruit.

Indè ad Nili ostium, quod Pseudostomum dicitur, provectus; & aditu ab Ægyptijs prohibitus; ad alterum Phagniticum, classe subsequi, ad nocturnam prætoriæ facem, iussâ; contendit.

Verum & hic morâ, ob navium à recto cursu errorem, interiectâ; & Ptolemæo properè ad littus cum auxilijs adcurrente; Demetrius frustrà fuit, & retrò flexit. Atque adeò orto iterum à Septemtrionibus vento, & fluctibus immensùm elatis, III. quadriremes, totidemque militares, in littus eiectæ, in Ptolemæi potestatem venêrunt.

Et quoniam Pelusiaco ostio ab hostibus infesso, inutiles erant navales copiæ; nec pedestres, in tantâ fluminis altitudine, multum proficere poterant. Et ut milites frumentum, ita iumenta pabulum deficere cæperat: Antigonus castra indè moveri iussit, totamque classem quam-celerrimè in Syriam reduxit.

(Tum Dionysius Heracleæ, quæ in Ponto est, tyrannus, principatum, quem XXXII. ann. gesserat, filijs reliquit, qui ann. XVII. regnârunt.)

NOVÆ IN SICILIA TURBÆ.

Pasiphilus verò, præsidij Syracusani præfectus, contemto Agathocle, quem & cladem in Africâ accepisse, & filijs orbatum esse, cognoverat; ad Dinocratem transijt: factoque cum eo federe, urbeis sibi ab Agathocle commissas retinuit; & milites spe promissisque ab eodem abalienatos sibi adiunxit.

Quare omni spe deiectus Agathocles, missâ ad Dinocratem legatione, in has pacis conditiones descendit.

Vt ipse imperio totius Siciliæ cedat, & duas tantùm urbeis, Thermam & Cephaladium retineat. Syracusa civibus,

civibus, cum libertate; & DINOCRATES patria, restituantur.

Haud memor certè eius, quod olim DIONYSIO, iisdem desperanti, HELORIS obiecerat; *Praclarum esse sepulcrum, tyrannidem.*

Et MEGACLES; *Eum, qui tyrannide exuendus sit, oportere cruribus pertractum, non volentem, decedere.*

Sed bis tàm salutaribus patriæ conditionibus sæva DINOCRATIS ambitio adversata est. Qui iamdiu inveterato magni exercitûs imperio adsuetus, & regiâ quadam dignitate pollens, privatus in patriâ, & æquabili cum civibus iure degere, desugeret: & pacem eiusmodi quovis exsilio peiùs aversaretur.

Ipse itaque diem de die ducens servileis AGATHOCLIS deprecationes varijs caussis procrastinabat; & omnem pactorum spem eludebat. qui modò illum totâ Sicilia excedere iuberet; modò filios eius in obsidatum dari postularet.

AGATHOCLES, cognito dolo, DINOCRATEM apud transfugas, veluti publicæ pacis & libertatis remoram, incusat.

Deinde ad Pœnos convertit; & per legatos pacem eâ lege facit;

„ *Vt quas in Sicilia urbeis illi anteà possedissent; à se reciperent.*

Ipse, pro tali munere, aurum quod CCC. argenti talenta (al CL.) efficeret: & CXX. Medimnûm frumenti Millia, ab ijs vicissim acciperet.

(Iustin. tradit Pœnos ad persequendum belli reliquias, duces in Siciliam misisse, cum quibus AGATHOCLES pacem æquis conditionibus fecerit.)

BELLVM ANTIGONI CVM RHODIIS.

3648. 20. Ptolem. 9. Sel. | 302.

ANTIGONVS verò conceptam pridem in Rhodios, qui sibi auxilia adversùs PTOLEMÆVM antè recusassent, iram evomere cogitabat.

Erat Rhodus longâ pace florens, iam tum ab ALEXANDRO Magn. multis beneficijs & honoribus, (depositis apud eos extremæ voluntatis tabulis, sive Testamento) exculta: & ab omnibus eius successoribus magni habita. Nec malè de universâ Græciâ promerita, quòd suscepto in Piratas bello, Mare totum, latronibus infestum, expurgâssent.

Et Rhodij quidem pro suâ prudentiâ, licet animis in PTOLEMÆVM propensioribus essent, quòd præcipua eorum commercia in Ægypto versarentur; studiosè tamen caverant, ne partium contentionibus immiscerentur; sed æquabili cum omnibus pace amicitiaque uterentur.

ANTIGONVS verò ob recusatum, quod dixi, bello Cyprio navium auxilium; quod factum in sui contumeliam interpretrabatur; dilatam quasi in opportunum tempus ultionem, DEMETRIO F. committit.

Et licet illi Piraticis priùs incursationibus infestati; deinde DEMETRIO ad sui obsidionem accincto, regis potentiam veriti, se imperata facturos esse denuntiâssent. quia tamen & C. ex primarijs civibus obsides dare; & classem eius in Portus suos admittere iuberentur; ad bellum sustinendum se compararunt.

Et non modò adversùs Piratas strenuè se tutati; sed DEMETRII etiam naveis deprædati. quòd navem, in quâ à Philâ vestes & litteræ ad maritum mittebantur, intercepissent, eamque ad PTOLEMÆVM transmisissent; DEMETRIVM suprà modum exacerbârunt.

Erant ipsi naves longæ cc. & subsidiariæ CLXX. præter privatorum hominum, qui non tam ad prælium, quam ad prædam opulentæ urbis confluebant: onerarias suprà Mille. quibus universè unà cum equitibus, & focijs Piratis, XL. milit. Millia vehebantur.

Rhodij, missis ad PTOLEMÆVM, CASSANDRVM & LYSIMACHVM, quorum causâ bellum sustinebant; legatis, qui auxilia postularent; & factâ peregrinis, aut discedendi, aut remanendi in urbe potestate; ex ijs, qui arma ferre possent & vellent, civium sex Millia, & peregrinos mille recensuêrunt. Et quùm cæteris omnibus industriæ præmia, morituris honores, eorumque liberis stipendia honoraria constituissent; servos etiam, qui se forteis in propugnando præstitissent, manumittere & civitate donare decreverunt.

Et cū DEMETRIO transegêrunt; ut captivi utrimque, liberi quidem millenis; servi vero quingenis Drachmis, redimi possint.

Itâ magno adparatu, & animorum contentione, Rhodus & oppugnatâ pariter, & terrâ marique propugnata est: rebus aliquamdiu ex dubiâ Martis aleâ alternantibus; donec sociorum auxilia, licet pro periculi magnitudine exilia, & sera, Rhodios nonnihil recreârunt. A Cnosso quidem CL. à PTOLEMÆO verò, ferè totidem, cum aliquot Rhodijs, qui sub eo rege stipendia fecerant.

AGATHOCLIS DE REBELLIBVS VICTORIA.

AGATHOCLES intereà cum Carthaginensibus pacificatus, quùm sibi cum exsulibus, qui à DINOCRATE stabant, convenire non posset; de rerum summâ iterum dimicare constituit. licet peditum non amplius V. Millia, & ncce. equites penes se haberet. Et DINOCRATI, qui speciosum libertatis publicæ titulum ambitioni suæ prætexebat; ad XXV. pedit. & XII. equit. Millia, superessent.

Sed commisso ad Gorgium prœlio; ut bis Mille transfugæ, DINOCRATIS copias, quasi maior exercitûs pars ad Agathoclem defectura esset, perculêrunt;

culérunt ; ità proclivem AGATHOCLI victoriam præbuérunt.

Victor à pugnâ, equitibus in tutum fugâ elapsis, in quater Mille pedites, qui in colliculũ quemdam evaserãt, & inde fide datâ descendere & exarmari iussi, sese dediderant; promiscuâ cæde desævijt.

Sic periurus tyrannus vireis suas non ex ijs, quas habebat, copijs, sed ex subiectorum infirmitate æstimabat: & socios magis quàm hosteis reformidabat.

Reliquis tamen ille exsulum in fidẽ acceptis; cum DINOCRATE, quem & Democratiæ hostem, & suis proinde consilijs non inidoneum compererat; pacem fecit: & magnæ exercitûs sui parti, negotijsque maximè arduis in posterum præfecit.

Atque is, proditis ità socijs, PASIPHILVM in Gelâ correptum interfecit: & urbeis præsidiaque, bienni expeditione expugnatas, AGATHOCLI tradidit.

RHODVS OPPVGNATVR.

3649.
21. Ptolem.
10. Sel.

301.

DEMETRIVS, cui intentata à Mari oppugnatio hactenus parum successisset; à terrâ statuit impetum in Rhodios convertere. Ipsi certè à peritiâ disciplinæque faciendi obsidij, machinarumque, ad capienda opida repertarum, solertiâ, cognomentum τοῦ πολιορκητοῦ tributum fuisse memoratur.

Exitruit itaque Helepolim alteram, Cypriacâ, de qua antè, longè validiorem; cui promovendę III. hominum Mill. & CO. inservirent.

Rhodij, acceptâ à socijs regibus, magnâ frugum leguminumque copiâ, præter auxiliarem manum; non modò domi machinas muris admotas facibus iniectis exussérunt, & cuniculos oppressérunt; sed emissis etiam è Portu IX. navibus, & lectis ducibus; foris in Carpatho, in Pataris Lyciæ, in Insulis finitimis, capta hostium navigia partim demersérunt; partim cum commeatu, & captivis, in urbem deduxérunt.

Deinde excursionibus nocturnis, & novis murorum substructionibus graviter hostem fatigárunt; & semel iterumque per parietinas in urbem irrumpenteis reppulérunt.

Multæ interim Græcorum, Atheniensium, Cnidiorum & Ætolorum legationes, apud DEMETRIVM pro Rhodijs deprecabantur.

Quùm ergò paullo-ante legatorum adventum, ANTIGONVS filium commonefecisset, ut quàcumque posset conditione cum Rhodijs, (quos similiter PTOLEMAVS (licet frumenti copiam, & tria pugnatorum Millia, in eventum, pollicitus,) ad pacem cum ANTIGONO, quoad commodo suo id facere possent, fuerat adhortatus) componeret; quasi reip. Ætolorũ gratificaturus, ità cum ijs transegit.

„ *Vt Rhodijs libertas integra, cum annuis reip. proventibus, conservaretur.*

„ *Ipsi C. ex civibus obsides DEMETRII voluntati permitterent; præter eos qui magistratum gererent.*

„ *ANTIGONI mutuam societatem, adversus quosvis, præter PTOLEMÆVM, susciperent.*

Ita urbs totum annũ obsessa, tandem liberata est. non minimum gratiæ apud reges promerita, quòd eorum imagines, quas multi, flagrante bello, uti hostium, deturbandas esse censebant; constanter & cum dignitate conservásset.

Commemorat lib. 15. cap. 31. Agell. Quùm in obsidione illa ædeis quasdam publicè factas, quæ extra urbis muros cum parvo præsidio erant, DEMETRIVS adgredi & vastare, atque absumere igni pararet. In quibus ædibus erat memoratissima IALYSI imago. PROTOGENIS, illustris pictoris, manu facta: ciusque operis pulcritudinem præstantiamque, irâ percitus ille, Rhodijs invideret; Misisse Rhodios ad regem legatos, cum his verbis;

Quæ, malum, inquiunt, ratio est, ut tu imaginem istam velis incendio ædium facto disperdere? Nam si nos omneis superaveris; & opidum hoc totum ceperis; imagine quoque illâ integrâ & incolumi per victoriam potiéris.

Sin verò nos vincere obsidendo nequiveris; petimus consideres; ne turpe tibi sit, quia non potueris bello Rhodios vincere, bellum cum PROTOGENE mortuo gessisse.

Hoc ubi ex legatis audivit; oppugnatione desitâ, & imagini & civitati pepercit.

Rhodij Ptolemæo, ob beneficentiam, & merita, ex HAMMONIS oraculo, magnificum, tamquam Deo, aut Heroi, delubrum in urbe sua exstruxérunt, quod Ptolemæium vocárunt.

DEMETRIVS, pace ità cum Rhodijs compositâ, ad pristinum liberandæ Græciæ institutum reversus, cum universis copijs solvit; & per Insulas devectus, ad Aulidem Bœotiæ adpulit.

Et primo Chalcidensium urbem, quæ Bœotorum præsidio tenebatur, in libertatem vindicavit: & iniecto terrore, eos, qui in Bœotiâ erant, à CASSANDRI amicitiâ avertit.

Deinde, factâ cum Ætolis societate, ad bellum POLYSPERCHONTI & CASSANDRO, qui absente hoste magnam Græciæ partem erant depopulati; facessendum, se componit.

(Intereà EVMELVS, Bospori rex, post VI. regni annum, Spartacum F. successorem reliquit, qui XX. ann. regnavit.)

AGATHOCLIS SACRILEGIVM.

AGATHOCLES verò, classe ad Liparæos federatos invectus; L. talenta exigit. Et quum solvendo non essent, pecuniam, ex Prytaneo, quæ Æoli & Vulcani nominibus erat consecrata, diripit. Sed coorto vento, naves XI. quæ pecuniam portabant, in reditu confractæ sunt.

Sic Æolo, ventorum scilicet Domino, naufragus; & posteà Vulcano, ignis præsidi, prunis candentibus ambustus, pœnas sacrilegij exsolvisse, ex vulgari superstitione, ferebatur.

DEMETRIVS PASSIM LIBERTATEM RESTITVIT.

3650. xxii. Ptol. xi. Sel. | 300.

DEMETRIVS, PTOLEMÆI præsidio è Sicyone depulsa, magnam urbis partem, portui contunctam, diruit. eamque, non invitâ plebe, & libertatis iam compote, tum ad belli, tum ad pacis usum opportuniore loco instauratam, Demetriadem appellavit.

Deinde Corinthum, cum portubus, quorumdam proditione, occupavit: eiusque duo præsidia, Sisyphium & Acrocorinthum, admotis machinis, per vim extorsit. & eiecto inde CASSANDRI duce PREPELAO, custodiam militarem, volentibus sic civibus, imposuit.

Inde in Achaiam profectus, Buram, & Scyron, aliasque urbeis capit & liberat.

Ægium, STOMBICHO, POLYSPERCHONTIS duce, coutumaci & maledico, rebellantem, per vim expugnat: ducemque, cum LXXX. aljs ante urbem in crucem tollit: & bis mille, ex mercenarijs dedititijs, inter suos milites admiscet.

CLEONYMI LACONIS FLAGITIA.

TARENTINI sub id tempus bello adversus Lucanos & Romanos implicitì, à Spartanis auxilia ducemque CLEONYMVM deposcunt. ipsi pecuniam naveisque mittunt.

Ille circiter V. millibus peregrinorum, circa Tænarum Laconicæ, collectis; Tarentum navigat: ibique totidem pænè, quot priùs, mercenarijs auctoritatis, è civium delectu ad XX. pedit. & II. equitùm millia conscribit. Ex Italiâ præterea Græcos permultos, & gentem Messapiorum adsciscit.

Hâc copiarum multitudine territi Lucani, in gratiam amicitiamque cum Tarentinis rediêrunt.

At quùm Metapontini minùs obsequerentur; CLEONYMVS Lucanis, ut in illorum fineis irrumperent, persuasis, eos ex improviso, & ex occasione adortus perterruit. & in urbem, tamquam amicus, admissus, supra DC. argenti talenta, & CC. nobileis virgineis, non tam obsides & fidei pignora, quàm lubinis suæ mancipia, homo, *Laconici pudoris & frugalitatis immemor, exegit.*

Quùmque in Siciliam se expeditionem, abolendę AGATHOCLIS tyrannidis, instituere fingeret; eâ re in præsens intermissâ, in Corcyram navigat. & urbe, ad res in Græciâ gerendas opportunâ, potitus, præsidio inibi collocato, grandem pecuniam expressit.

Ibi DEMETRII pariter, & CASSANDRI legatis, qui eius societatem certatim exambirent, contemtim habitis; ad Tarentinos, qui rebellionem moliri ferebantur, redit, in contumaceis animadversurus.

Et ad urbem eorum præsidiariam adpulsus, eâ captâ, & agro evastato, homines sub coronâ vendidit: & Triopio subactâ, ad III. captivorum millia in servitutem abegit.

Sed eius regionis barbari, concursu facto, castra eius de noctu invaserunt; & plus CD. interfectis, ad mille, vivos ceperunt.

Huic incommodo accessit coörta subitò ventorum tempestas, quæ naveis ferè XX. in statione, castris proximâ, graviter adflixit. Quibus ille detrimentis adfectus, in Corcyram inglorius renavigavit.

NOVA PRINCIPVM IN ANTIGONVM CONSPIRATIO.

3651. Ptol. xxiii. xii. Sel. | 299.

CASSANDER, qui Græcorum viteis in dies augeri, totamque belli molem in Macedoniam incumbere prospiceret; de futuro solicitus, legatos in Asiam ad ANTIGONVM mittit, secum ut pacem concordiamque constituat.

Sed quùm ille unam compositionis esse viam respondisset, si CASSANDER illi rerum suarum arbitrium committeret; hic LYSIMACHVM, cuius spectata semper virtus, & regnum Macedoniæ conterminum erat; ex Thraciâ ad se arcessit: & ambo, re inter se deliberatâ, ad PTOLEMÆVM Ægypti, & SELEVCVM superiorum in Asiâ Satrapiarum, dominos; sive reges, legationem mittunt, quę & ANTIGONI superbiam, & communis belli periculum edoceat.

Illi, qui singulos ab ANTIGONO carpi, & nullum totius imperij socium ferri, animadverterent; tempus locumque coeundi condicunt; bellumque communibus viribus instruere & acriùs gerere decernunt.

LYSIMACHI PRÆCLARA FACINORA.

Sed CASSANDER, qui hostis adventum minimè exspectandum duceret; LYSIMACHVM cum parte copiarum, & duce PREPELAO, in Asiam traijcere iubet; dum ipse cum reliquo exercitu, in Thessaliâ, DEMETRIVM Græciamque oppugnatum iret.

LYSIMACHVS Lampsacenos, & Parianos, quòd se ultrò

ultrò dedidissent; liberos dimittit: & Sigéo præsidium imponit.

Ipse Abydum magno iam tormentorum adparatu obsidere cœperat; sed auxilijs mari à DEMETRIO submissis, re infectâ, discedere coactus; Phrygiâ, quæ ad Hellespontum, in parteis suas pertractâ, Synada, urbem, regiarum opum custodiæ destinatam obsedit.

Et DOCIMO, ANTIGONI duce, ad mutuam rerum gerendarum societatem pellecto; & urbem, eius opera & munimenta quædam, quibus regia pecunia concludebatur, recepit.

PREPELAVS verò, à LYSIMACHO cum VI. peditum millib. & equitibus mille, ad tentandas Ioniæ Æolidisque civitateis, missus; & Adramyttio obiter potitus; Ephesum obsedit, territisque opidanis recepit. & deprehensos ibi C. Rhodiorum obsides in patriam remisit.

Ephesios autem missos fecit, navibus tantùm, quæ in portu erant, concrematis, quòd hostes mari potirentur, & totius belli eventus incertus esset.

Teios deinde & Colophonios sibi conciliat. Et quùm Erythræorum Clazomeniorumque urbeis, ob submissa sibi tempori per mare auxilia, capere non potuisset; eorum agros depopulatus, & Sardeis profectus est.

Hic PHOENICE & DOCIMO, ANTIGONI ducibus, ad defectionem inductis, urbem cepit, preter arcem; quam PHILIPPVS, ANTIGONO fidus, constanter tuendam susceperat.

ANTIGONVS, qui tum Antigoniæ, urbe recèns à se exstructâ, conventû solemnem, Gladiatorum & artificum certamina, concelebrabat; cognitâ LYSIMACHI in Asiam transitione, & sociarum urbium rebellione; omissis ludis, ex Syriâ, magno cum exercitu ad hostem contendit. Et postquam Tarsum, Ciliciæ, pervenit; ex eâ pecuniâ, quam è Cuyndis deportârat; trimestre stipendium militibus persolvit; III. talentûm millibus in expeditionum eventus reservatis.

Deinde Tauro superato, in Cappadociam profectus, eos, qui in Phrygiâ superiore & Lycaoniâ rebellârant, ad pristinam societatem revocavit.

LYSIMACHVS, cui ante SELEVCI adventum, de summâ rerum, prœlio decertare non erat decretum; satis habuit, castris vallo fossâque munitis, hostiû impetum sustinere. Et tandem ne commeatu intercluderetur; ad Doryleum, in Phrygiâ, locum, & frumeti copiâ abundantem, & fluminis opportunitate commodum, castra posuit. Ibique post aliquot cum Antigono persequente, & castra oppugnante velitationes; uterque copias suas in hiberna distribuunt.

Et LYSIMACHO quidem in Salmonei campo hiemanti, magna commeatûs vis ex Heracleâ adportabatur, contractâ cum Heracleotis adfinitate. (duxerat enim AMESTRIN, Oxyartæ filiam, DARII regis neptem, quam olim uxorem ALEXANDER CRATERO tradiderat; quæque tunc urbi imperabat.)

LYSIMACHI GENVS, ET CASVS.

Hic ille est LYSIMACHVS, AGATHOCLIS filius, illustri quidem Macedoniæ loco natus; sed animi magnitudine, & philosophiæ studio, viriumque gloriâ omnibus, per quos Oriens sub ALEXANDRO domitus est, antistans.

Ille, quod CALLISTHENI, præceptori suo, venenum in remedia calamitatum dedisset; ab ALEXANDRO ferocissimo leoni obiectus, fera exanimatâ, salvus evaserat.

Et postmodò reconciliatus, & assiduus regi in omni expeditione comes, quùm fortè ab eodem hastæ cuspide ita frontem vulneratus esset, ut sanguis aliter cludi non posset, quàm diadema sibi demtum rex, alligandi vulneris caussâ, capiti eius imponeret; id illi primum maiestatis regalis auspicium fuit.

DEMETRIVS verò Athenis, ubi tum commorabatur, Eleusinijs sacris extra ordinem initiatus, & mox digressus, ad Chalcidem Euboeæ, classem pedestreisque copias coëgit.

Sed vijs in Thessaliam à CASSANDRO interclusis, prætervectus cum copijs in portum Larissæ, urbem quidem ex itinere cepit; arce verò per vim expugnatâ, & libertate Larissæis restitutâ, præsidiarios vinctos in custodiam tradidit.

Et paullo-pòst Pronis & Pteleo urbibus potitus, Dium & Orchomenum, ne Thebas CASSANDRI iussu transmigrarent, prohibuit. CASSANDER, qui DEMETRIO res ex animi sententiâ succedere videret; Pheras & Thebas validioribus præsidijs communit; & universis copijs, quæ XXIX. peditum, & II. equitum millibus constabant, unum in locum coactis, castra ex-adversum DEMETRIO opponit.

Erant autem DEMETRIO, equites MD. pedites Macedones non minùs IIX. mille, mercenarij XV. M. & ex Græciæ civitatibus XXV. M. Huc accedebant ferentanj, & alij latrocinijs adsueti, ad IIX. M. Vniversè pedit. LVI. M.

Hîc castra castris quidem opposita; sed omnium animis in eventu Asiaticæ expeditionis suspensis, levibus tantùm prœlijs certatum; nec ab alterutris summæ rei periculum factum est.

DEMETRIVS interim à Pheræis evocatus, & in urbem cum parte exercitûs ingressus, arcem expugnat; & CASSANDRI milites datâ fide dimittit.

Dum eo in statu res Thessalicæ pendent; & CASSANDER, uti viribus longè inferior, restitat; supervenêre ab ANTIGONO nuntij, quibus DEMETRIVS copias in Asiâ quàm celerrimè deportare iubebatur.

Hic DEMETRIVS mandata patris dissimulans, ne eius è Græciâ discessus fugæ similis videretur; cum CASSANDRO pacem facit, eâ lege; ut pacta rata forent, si eadem ANTIGONVS sanxisset. *Interim omnes tam in Asiâ, quàm in Europâ, Græcorum civitates liberatæ fuerentur.*

DEMETRIVS classe ad Ephesum devectus, & proximè muros castrametatus, urbe in antiquum statum restitutâ, præsidium, quod PREPELAVS, LYSIMACHI dux, imposuerat, dimisso, & collocatâ in arce militum suorum custodiâ, in Hellespontum transijt.

Ibi Lampsacenis & Parianis, alijsque, qui defecerant, in fidem receptis; ad ostium Ponti pervenit; & castris haud procul Chalcedoniorum Fano munitis, ad eius loci tutelam III. pedit. M. & XXX. naveis longas reliquit, cæteros in hiberna distribuit.

(Sub id tempus MITHRIDATES, Antigoni cliens, quòd ad CASSANDRVM defecisse visus esset, apud Cium Mysiæ interfectus est. cui, ut & Arrinæ, XXXV. annis imperârat. Eius principatum excepit filius cognominis;

gnominis,multósque sibi conciliavit:& Cappadocię Paphlagoniæque XXXVI. ann. dominatus est.)

CASSANDER interim PLISTARCHVM ducem cum copijs,(XX II. pedit. milibus & D.equit.) in Asiam LYSIMACHO suppetias mittit,

Ille, locis ad Ponti ostium ab hoste occupatis, de traiectu diffidens, Odessum venit; quæ urbs Apolloniam inter & Galatiam sita; ex-adversum, Heracléam, altero in littore positam, respicit.

Et ob commeatûs penuriam, copias trifariàm partitus, primos feliciter Heracléam, quæ LYSIMACHI milite tenebatur, transportat: Alteri, ab hostili custodiâ, ad Ponti ostium, intercepti sunt.

Tertia classis, quæ & ipsum PLEISTARCHVM vehebat, ita vi tempestatis collisa est; ut ex D. vectoribus vix XXXIII. sint elapsi. Ita tanti exercitûs dimidia modò pars ad LYSIMACHVM pervenit.

IRRITA SIDONIS OBSIDIO.

PTOLEMAVS verò ex Ægypto, cum instructissimo exercitu, profectus, plerisque Cœle-Syriæ urbibus in potestatem redactis, Sidonem obsidebat. quũ falso rumore deceptus, an exterritus! cõmisso scilicet inter reges prœlio, LYSIMACHVM & SELEVCVM victos Heracléam se recepisse: & ANTIGONVM victorem cum omnibus copijs in Syriam adventare; quadrimestres cum Sidonijs inducias pactus est; & præsidijs in urbeis, quas subegerat, introductis, in Ægyptum reversus.

SELEVCVS RES GERIT IN ASIA VLTERIORE.

SELEVCVS, quem Babyloniam sibi quasi iusto bello partam, vindicâsse suprà diximus, auctis, ex prœlio de DEMETRIO, ANTIGONIQVE ducibus, victorijs, viribus, Bactrianos etiam sibi subiugârat. Deinde transitum in Indiam fecit, quæ paullo-pòst mortem ALEXANDRI, veluti cervicibus iugo servitutis excusso, præfectos eius occiderat. auctore libertatis quidem SANDROCOTTO; sed qui titulum libertatis, post victoriam in servitutem verterat.

Fuit is quidem humili genere natus; sed ad regni potestatem quâdam veluti maiestate numinis impulsus.

Olim is ALEXANDRVM procacitate suâ offenderat; & interfici iussus salutẽ celeritate pedum quæsierat. Cumque ei dormienti leo profluentem sudorem linguâ detersisset, & expergefactum blandè reliquisset; isto prodigio in spem erectus, contractâ latronum manu, Indos ad novitatẽ regni solicitavit: ijsque bellum adversus ALEXANDRI præfectos molientibus, ducem se præstitit.

Sic regno acquisito, SANDROCOTTVS eâ ferè tempestate, quâ SELEVCVS futuræ magnitudinis fundamenta iaciebat, Indiam possidebat. Quo-cum factâ pactione SELEVCVS, compositisque in Oriente rebus, in bellum Antigoni ex Asiâ maiore descendit. quũm anteà urbem condidisset, quam ex patris nomine, Antiochiam, vocavit; & campos urbi vicinos, Apollini, ceu stirpis suæ auctori, dedicâsset.

Ipse itaque magno cum exercitu (in quo erant XX. pedit. & XII. equit. sagittariorumque M. supra CDLXXX. elephantos, & currus falcatos ampliùs C.) in Cappadociam traiecit: & quod proximâ æstate reges inter se armis de imperio decertare decrevissent; milites in hibernis collocavit.

CONTINENS GRÆCÆ ET ROMANÆ HISTORIÆ SERIES.

Hactenus DIODOR. SICVLVS *cuius de XL. bibliothecæ Historicæ libris, vix XV. integri exstant. Et deinceps absque.* POLYBIO *foret; fragmenta tantùm Græcæ historiæ haberemus, quæ ex* PLVTARCHO, PAVSANIA, *alijsque sint decerpenda.*

Neque ipsi POLYBIO, *qui illi erit succidaneus, fortuna temporum, aut hominum industria, fuit magis propitia. Ex cuius totidem (hoc est XL.) libris, quos scripsit, soli exstant V. priores, & epitome XII. consequentium.*

Is excursus à I. Punico bello, pertigit usque ad bellum, quod Punico II. adfecto, geri cæptum est, inter Romanos & PHILIPPVM *Macedonem.*

Eapropter Historia Græca, unà cum DIODORO *&* POLYBIO, *propemodum intercidisse censeatur.*

Sed quemadmodum Historiam sacram, uti diximus, Græca excepit; sic Græcam Romana. Quantumvis in Romanorum rebus, huc usque gestis, deformia potiùs cariosæ antiquitatis rudera, quàm ullum iustæ historiæ nomine dignum ædificium habeamus; Quod Romani res gerere, quàm litteris mandare, maluerint. tàm Græcis interim ignoti, quàm ipsi Græcarum rerum aut litterarum ignari.

At postquam Græcis, aut per bella propinqua, aut per societates, innotescere cæperunt; partim præclaros ex ipsâ Græciâ præcones nacti sunt, POLYBIVM, *&* DIODOR. *quos dixi, &* DIONYS. *Halicarnasseum: partim, haustâ à Græcis scribendi disciplinâ, ipsi res suas recognoscere, & stylo exornare contendérunt. Ex quibus* LIVIVS *sua pertexuit.*

INGENS INTER ALEXANDRI DVCES PVGNA.

3652. xxv. Ptol. xxii. Sel. | 298.

Iam adunatæ erant, regum sociorum in Asiâ copiæ, quùm soluit è Græciâ DEMETRIVS; & parenti, qui supra ætatem in id bellum incumbebat, atque exsultabat; se coniunxit. multoque etiam magis in spem victoriæ patrem erexit.

Si ANTIGONVS paullulum quid de suo iure decedere; & ex immodicâ ambitione remittere voluisset; is & sibi fortè diutiùs retinere, & filio in posterum Asiæ principatum relinquere, potuisset.

Verùm uterque ingenio ferox, & aliorum contemtor, tam proterve hostibus insultabant, ut totam illam regum coitionem & societatem, anserum instar, simul pascentium, solo strepitu, aut uno lapidis iactu, disturbaturos se gloriarentur.

Habebant ipsi sub signis peditum supra LXX. & equitum X. mill. elephantos LXXV.

In adversâ sociorum acie, erant ad LXXIV. pedit. & X. equit. mil. & quingenti. elephanti CD. & CXX. currus.

Antigonus, ad conspectum hostilium castrorum, suspensus, præter morem, & taciturnus; filium suum exercitui suo ostendit, & quasi successorem designatum commendavit.

Demetrio, secundum quietem, ALEXANDER MAGN. armatus ex eo percontari visus est; *Ecquodnam pugnæ signum data essent!* Vbi respondit: *Iovem & victoriam*; Ille abire se dixit ad hosteis eius.

Et Antigonus pater, in ipso acierum procinctu, pedem offendit, & pronus in terram decidit. Eoque casu territus, protentis ad cœlum manibus, Deos rogavit; *Aut victoriam, aut vitam, ante cladem, mortem.*

Vbi ad manus ventum, Demetrius quidem in Antiochum, SELEVCI F. invectus eum profligavit; sed dum acriùs tergis fugientium institit, ob interiectos de-industriâ elephantos, revertens ad peditarum se recipere non potuit.

Et Seleucus, quùm in Antigoni aciem, equitatu nudatam, irrumpere posset; eam modò minitando circumvectus, militi adversario potestatem ad se transeundi fecit. Et multi certè ex iis ultrò ad eum transiére.

Antigonus, ingenti hostium globo cinctus, dum filium, ut sibi suppetias veniat, exspectat ad extremum, & respectat; grandine telorum in ipsius caput undique coniectâ appetitus, occubuit.

Demetrius, vix cum V. peditum, & IV. equitum millibus è pugnâ elapsus, Ephesum primò, concito cursu delatus est. Vbi quùm ob pecuniæ inopiam à fano DIANÆ non temperaturus manum crederetur; ipse, ne idem milites facerent veritus, properè inde signa movit, & cursum in Græciam tenuit. Nullum sibi certius propugnaculum, nec portum fideliorem, præ Atheniensium benevolentiâ, arbitratus. quod ibi classem, pecuniam, & coniugem DEIDAMIAM (ÆACIDÆ Epirotæ filiam, & PIRRHI sororem) ceu pignora, reliquisset.

Atque ita Asia tota, quæ Antigono & Demetrio, tot bellis quasi parta, eatenus paruerat; tribus, quos dixi, Regibus, ceu victoriæ præmium cessit; & miserè discerpta est.

Tyrus, & Sidon in Phœniciâ, & paucæ in Hellesponto urbes, in Demetrij fide persliterunt.

Quantumvis autem de prædæ provinciarum que distributione, quomodo inter victores convenerit, satis non constet; quùm tamen, uti ex V, POLYBI libro colligitur; Seleucidæ, LXXX. post annis, iamtum quasi iudicio contenderint, Sibi Syriam & Asiam universam, ex decreto victorum, fuisse attributam: Ptolemaidæ verò, Cœle-Syriam & Phœnicen, suis ipsorum armis, ante pugnam fatalem, sui quoque iuris factam: & reliquam modò Asiæ partem SELEVCO concessam; consectarium videtur, ut Europa CASSANDRO & LYSIMACHO ita sit relicta; ut in Asiâ nihil sibi arrogarint.

ATHENIENSIVM ERGA DEMETRIVM INGRATITVDO.

DEMETRIO ita fugato, planè præter spem accidit, ut legati Atheniensium, qui sibi eodem properanti obviam ad Cycladas insulas venerant; orarent: *Vt urbe suâ abstineret*. Idque plebiscito cautum; & cuivis regi, urbis suæ aditu, interdictum esse testarentur.

Et quamquam illi uxorem, eiusque liberos, honorifice & magno cum comitatu, Megaram dimisissent; Nihil homini alioqui constanti hâc tam indignâ & inexspectatâ Atheniensium levitate, an inconstantiâ! gravius accidere potuit.

Sed remissa ab iis classe, & navi tredecim ordinibus instructâ, ipse in Isthmum præternavigans, quòd res suas adflictas, præsidijs eius undique vel eiectis, vel ad hosteis desciscentibus, animadverteret; Pyrrho sororio in Græciâ relicto, cursum in Chersonnesum intendit.

Vbi evastatâ Lysimachi ditione, ita exercitum suum è prædâ alebat & ditabat, ut non mediocria incrementa, ad pristinam magnitudinem, accessura mox viderentur.

NOVA

NOVA INTER PRINCIPES ADFINITAS.

3653. 26. Ptol. 14. Sel. | 297.

Exortâ namque inter Europæos, CASSANDRVM & Lysimachum; & Asiaticos, Seleucum ac Ptolemæum, de provincijs hereiscundis, dissensione; præter omnium exspectationem, nova spes Demetrio, tantum-non deposito, adfulgere cœpit.

SELEVCVS, qui ex Apama, Perside, filium susceperat Antiochum; quòd & res suas pluribus etiam heredibus sufficturas; & necessitudinem cum Demetrio conducibilem sibi fore existimaret; missis legatis, Stratonicen, eius è PHILA filiam, uxorem sibi dari postulavit. Quandoquidem Lysimachum quoque viderat, ex Ptolemæi filiabus, unam sibi, alteram filio (Agathocli) in matrimonium adscivisse.

Demetrius, adsumtâ secum filiâ, cum totâ classe in Syriam navigat. Quumque in Ciliciam adpulisset; Plistarchus, Cassandri frater, cui ea provincia à regibus, statim à conflictu, extra ordinem, fuerat attributa; ratus eâ Demetrij in continentem exscensione, fineis suos violari ad expostulandum cum Seleuco, quòd cum communi hoste, absque socijs, in gratiam redijsset; profectus est.

Quà occasione utens Demetrius, Cuynda è manu contendit; & asportatis inde ex veteri ærario MD. talentis, raptim solvit: eique, iam coniuge PHILA, SELEVCVS, ad Orossum, occurrit.

Congressus regum, plenus fuit candoris: nec ulla mutuæ diffidentiæ indicia. Et SELEVCVS quidem STRATONICEN magnâ cum pompâ Antiochiam deduxit; DEMETRIVS verò Ciliciam occupavit; & PHILAM uxorem ad CASSANDRVM amandavit, quæ fratris PLISTARCHI crimina dilueret.

Is præterea DEIDAMIA morbo, brevi, exstinctâ, à PTOLEMÆO, cuius amicitiam SELEVCVS, gener, fibi ism conciliârat; sororis Ptolemaidis nuptias pactus est.

SIMON APVD IVDÆOS PONTIFEX.

Eâ tempestate apud Iudæos SIMON, Oniæ F. Pontifex maximus, clarus habetur: cognomento, Iustus; ob folicitam adversus Deum pietatem, & pronam in civeis suos clementiam.

Huius, qui & MAIOR SIMON dictus est, SIRACIDIS Ecclesiast. c. 50. cum laude meminisse censeatur. Ad ONIAM verò patrem, scripta fuisse videatur ab AREO, Lacedæmoniorum rege, epistola illa, cuius meminit, c. 12. 1. Machab. I. Et Iof. c. 5. lib. XII. Antiq. (Non ad tertium nomine, ONIAM.) quâ ille testatur Spartiatarum genus ab Abrahæ posteris non fuisse alienum.

NOVA INTER ADFINEIS DISCORDIA.

3654. Ptol. XXVII. XV. Sel. | 296.

Hactenus SELEVCVS cum DEMETRIO socero civiliter egisse visus; postquam ab eo Ciliciam, & deinde, nec sine stomacho, Tyrum etiam & Sidonem, reposcere instituit; habitus est violentior & avarior.

Quùm namque in potestate suâ haberet, quidquid terrarum inter Indiam & mare Syriacum interiacet; quasi adhuc inops & mendicus, duorum causâ opidorum, socerum suum, & fortunæ varietate adflictum, exagitare & irritare visus est. Neque hic trepidè respondit DEMETRIVS: *Se licet sexcentis alijs pugnis victus esset; animum non inducturum, ut SELEVCI adfinitatem mercede amplectatur.*

Idem ut accepit LACHAREM, ex dissidio Atheniensium, tyrannidem moliri; in spem venerat urbis facilè potiundæ; & supplicij de ingratis sumendi.

Sed dum Atticam prætervehitur; tempestas oborta, & naufragium cum magnâ militum clade coniunctum; licet ipse sospes elapsus aliquantulum Atheniensibus bello vexâris; eius impetû fuit remorata.

Et classe denuò coactâ in Peloponnesum transiens, Messenen obsedit. Ibi opidis aliquot, quæ defecerant, receptis, de integro in Atticam irrumpit; & Eleusine ac Rhamnunte captis, fineis eorum fœdè evastat.

AGATHOCLIS EXITVS.

AGATHOCLES (Iustin. l. 23.) quasi angustis Insulæ Siciliæ, terminis clauderetur; cuius imperij partem primis incrementis ne speraverat quidem; à Lucanis, alijsque Græciæ maioris populis, adversus Bruttios, eâ tempestate hominis terribileis, imploratus; spe amplificandi regni, in Italiam traiecit.

Ad eius adventûs opinionem concussi hostes, legatos ad eum misere, societatem, amicitiamque petitum.

Eos ille ad cœnam invitatos, ne exercitum traijci viderent; in posterum statutâ his die, conscensis navibus frustratus est; haud læto fraudis eventu. paucis siquidem pòst diebus reverti eum in Siciliam vis morbi coëgit; quo toto corpore comprehensus, humore pestifero per omneis nervos articulosque per-

grassante, velut intestino singulorum membrorum bello, impugnabatur.

Quâ ex desperatione, bellum inter filium nepotemque eius, regnum iam quasi mortui vindicantes, exortum est, quod occiso filio, nepos tandem occupavit.

AGATHOCLES, rebus desperatis, uxorem suam THEOXENAM, & duos ex eâ parvulos, cum omni pecuniâ & regali instrumento, navibus impositos, in Ægyptum, unde uxorem acceperat, remittit, timens ne prædonem, regni sui hostem, paterentur. Paullò pôst ipse flammis exstinctus fuisse proditur.

HIERONIS SICULI INITIA.

Sub idem tempus HIERON, HIEROCLIS (al. Hieroclyti) viri nobilis (cuius origo à GELONE, antiquo Siciliæ tyranno, manabat) F. viam sibi paullatim ad tyrannidem Siciliæ sternebat, quam paucis pôst annis obtinuit; & longè clementiùs, quàm AGATHOCLES, habuit.

Eius filius GELON, quod NEREIDEM, PYRRHI Epirotæ filiam duxisset; non exiguum paternæ potentię munimentum in posterum conciliâsse existimatus est.

Ipse verò ex ancillâ natus, velut generis dehonestamentum, à patre olim expositus fuerat. Sed apes, humanæ opis egentem, congesto circa iacentem melle, multis diebus aluêre. Pater responso aruspicum, qui regnum infanti portendi canebant, admonitus, parvulum recollegit, omnique studio ad spem maiestatis, quę promittebatur, instituit. De eo inf.

CASSANDRO MORTUO FILII SUCCEDUNT.

3655. XXVIII. Ptol. XVI. Sel. | 295.

Post CASSANDRI regis, qui aquâ intercute, & vermiculis inde enatis, miserandum in modum, exstinctus est: & PHILIPPI, maximi natu, eique in regnum succidanei, continuas mortes; duo alteri filij ANTIPATER & ALEXANDER, discordes inter se atque æmuli, IV. annos regnârunt.

Ex ijs ANTIPATER, matrem THESSALONICEN, quæ filios ad concordiam hortabatur; quamque ille, in regni divisione, iuniori favisse erat suspicatus; ut litem parricidio dirimeret, (quantumvis ea vitam per materna ubera deprecaretur; neque ullum maternę fraudis vestigium exstitisset) interfecit.

ALEXANDER, quasi in ultionem maternæ necis, bellum cum fratre gesturus; ex Epiro, PYRRHUM; è Peloponneso DEMETRIUM evocavit.

Et PYRRHUS quidem, qui prior accurrerat; auxilij præmium, aliquantam Macedonię partem obtinuit. Parricida ad LYSIMACHUM socerum se recepit.

ATHENIENSIUM DEDITIO. DEMETRII HUMANITAS.

3656. XXIX. Pto. XVII. Sel. | 294.

Athenarum urbe, ad extremam inopiam, & famem redactâ; ut salis medimnus, XL. & tritici modius, CCC. drachmis veniret: LACHARES quidem, qui publicæ caritatis specie tyrannidem invaserat, auxilia undique conquirens, naveis CL. à PTOLEMÆO impetraverat: eæque circa Æginam conspiciebantur.

Sed quùm DEMETRIO naves essent è Peloponneso, & Cypro, ad CCC. Athenienses classe dilapsâ, & LACHARE ex urbe profugiente, spem urbis tutandæ abiecêrunt.

Ipsi quidem initio obsidionis lege caverant; *Capitale futurum, si quis federis, aut pacis cum DEMETRIO faciendæ auctor fuisset.* Sed ingens telum, necessitas, & legé antiquare, & DEMETRIO manus dare coëgit.

Ipse inermem populum in Theatrum, armis & stipatoribus suis septum, convenire iussit. Et postquam satis exterruisse visus est; fronte diductâ, & blandis verbis Atheniensis populi levitatem, & tot beneficiorum oblivionem, molliter castigavit. & magistratus dedit, quibus ne ipsi quidem sibi gratiores eligere potuissent.

Tritici prætereà medimnûm C. millia donavit. & præsidium, coërcendæ levitatis, in Piræo & Munychiâ; atque adeò in Muséo, imposuisse contentus; insperatæ humanitatis admiratione attonitos reliquit.

(Idem, teste Euseb. Urbem Samaritarum evastavit, quam PERDICCAS antè construxerat, aut instaurârat, Quæ ea sit, non liquet.)

Redactis in potestatē Athenis, Lacedæmonios adgreditur. & rege ARCHIDAMO ad Mantinéam collatis signis fuso; & in ipsius Spartæ conspectu iterū ita profligato, ut D. capti, & CC. cæsi censerentur; urbem omni memoriâ invictam, tantum-non brevi capturus videbatur; quùm adfertur nuntius, suas in Asiâ urbeis à LYSIMACHO; Cyprum, præter unicam Salaminem; in quâ mater eius ac liberi obsidebantur; à PTOLEMÆO esse occupatam.

Quo tam gravis rumoris ceu fulmine ictus, & consilij inops; Lacedæmonem intactam relinquit.

Nec

Nec minùs Salaminij, NICOCLE, quem Cypro regendæ DEMETRIVS præfecerat, stationem turpiter deserente, deditionem faciunt.

PTOLEMÆVS tamen DEMETRII matrem ac liberos omnibus humanitatis officijs prosecutus, liberos dimisit. & NICOCLEM desertorem ita exterruit, ut mortem sibi ipse consciseeret.

GALLORVM IN ITALIA MOTVS.

Galli Cisalpini, (qui XXX. annis pacem cum Romanis constanter servaverant, ex quo fedus ad Veios cum ijs ictum fuerat, MAMERCO Conf. cui Gallicum bellum obvenerat, an. V. C. 425.) quùm iam Transalpini in ipsos arma moverēt; & bellum, quod sibi perniciosum fore arbittabantur, expavescerent; quà muneribus, quà generis adsinitate adlegatâ, hostis iam concitati impetum à se amoliti, in Romanos irritârunt; seque expeditionis comites præbuérunt.

Factâ autem per Etruscorum, qui & ipsi institutæ expeditionis participes erant, agros impressione, & magnâ prædâ aversâ, finibus Romanorum sine periculo excesserunt.

Verùm in patriam reversi, & ex mutuâ spoliorum cupiditate, ad seditionem impulsi; & prædæ & exercitus sui bonam partem amiserunt.

Et mox Romani, ut vicem rependerent, Etruscorum agros impunè populati sunt; villasque direptas incenderunt.

Quarto dein, post eam, quam dixi, incursationem, anno; Galli ijdem Samnitibus coniuncti, primò quidem ad Clusium, (quæ olim Camertium regio) L. SCIPIONEM Proprætorem, ac legionem Romanam, internecione ceciderunt.

Deinde Samnites, adversus FABIVM; Galli, adversus DECIVM Coss. toto impetu pugnarunt.

DECIVS ubi suos in fugam agi vidit; patris (qui antè an. XLV. adversus Latinos pugnans ita ceciderat) exemplum secutus; præeunte LIVIO pontifice, Telluri ac Dijs Manibus se devovit. & diras secū circumferens, in medios hosteis irruit. Et milites, dum se ducis morte victuros sperant, è fugâ reversi, Gallos exterruérunt. FABIVS verò, qui eátenus cunctando potiùs, quàm pugnando, Samnitium impetum fregerat; ubi defetiscēteis animadvertit; viribus totis in hostem effusus, insignem, sed non incruentam, victoriam reportavit, cæsis XXV. millib. & IIX. captis.

DEMETRIVS REGNVM MACEDONIÆ OCCVPAT.

3657. Ptol. 30. 18. Sel. | 293.

ALEXANDER ille, CASSANDRI F. ubi DEMETRIVM, quem per litteras ad se arcessierat, hominem auctoritate & dignitate præ PYRRHO magis sibi formidandum, cum amplo exercitu adventare audivit; novo metu perculsus, obviam ei ad Dion processit; salutavit, comiterque accepit. & gratijs actis, neque armis sibi, neque eius præsentiâ opus esse edocuit.

Iam enim LYSIMACHVS, ANTIPATRI socer, à DEMETRIO sibi malè metuens, genero suo persuaserat, ut cum fratre in gratiam reverti mallet; quàm paternum avitumque hostem in Macedoniam admitti.

DEMETRIVS, qui inchoaram inter fratres reconciliationem præsentisset; & plus artis, quàm veritatis, in ALEXANDRI excusatione inesse cognôsset; omnia circumspicere cæpit.

Et dum ambo, delatoribus utrimque suspiciones augentibus, foris comitate inter se certant; intùs diffidentiâ cruciantur; tandem DEMETRIVS regno Macedonico inhians, ut persuasus! sibi insidias esse comparatas; ANTIPATRVM Larissæ (quò in Thessaliam usque è ditione suâ digredientem fuerat prosecutus.) ad cœnam vocatum per suos stipatores obtruncavit.

Ipse exercitu Macedonum in concionem vocato, cædem excusat; priorem se insidijs ab ALEXANDRO petitum, quas prudenter & feliciter occupârit.

Regem se Macedoniæ, vel ætatis rerumque experimentis, vel causis iustiorem esse. Patrem enim suum, PHILIPPO & ALEXANDRO regibus, fidum in omni militiâ socium, liberorum ALEXANDRI ministrum & tutorem; & ad castigandos persequendosque defectores, ducem exstitisse.

Contrà, ANTIPATRVM, avum horum adolescentium, acerbiorem semper regni administrum, quàm ipsos reges fuisse.

CASSANDRVM verò patrem, domûs regię interemtorem, non feminis, non pueris pepercisse. ab eo omnem regię subolis stirpem esse deletam.

Quorum scelerum ultionem, quia nequisset à CASSANDRO exigere; ad liberos eius translatam.

Quod siqua etiam veteris memoria ANTIPATRI beneficiorum, in eorum animis superesset PHILAM matrimonio se habere; & ex eâ filium iam adultum, iustum regni successorem, qui patris castra sequatur. Quùm nemo iam ex eâ stirpe superstes sit, à quo regantur, præter matricidam, patricidæ filium.

Hàc tam honestâ in speciem oratione delinitis populi militumque animis; rex Macedoniæ appellatus, VII. an. ibidem regnavit.

LYSIMACHVS quoque, quod bello Doricetis (al. Dromichætis) Thracum regis, tum premeretur; nec eodem tempore, & adversus eum dimicare necesse haberet, traditâ ei alterâ Macedoniæ parte, quæ Antipatro, eius genero, obvenerat, pacem cum eo fecit.

3658. xxxi. Ptol. xix. Sel. — 292.

Nec minùs iucundum fuit DEMETRIO cognoſcere, STRATONICEN filiam, ANTIOCHO SELEVCI filio, (patre, qui filiolum ex eâdem ſuſceperat, cedente,& amori pudoriq́ue filij ægrotantis obſecundante) novercam privigno, enupſiſſe: & provinciarum ſuperiorum, ſive Tranſeuphratenſium regno dotali auctam eſſe.

DEMETRIVS THEBANOS SVBIICIT.

Ipſe iam Macedoniæ, cum Theſſaliâ; & maiorem partem Peloponneſi; Et intra Iſthmum Megaræ & Athenarum potens, bello Boeotios adortus eſt.

Et primò quidem pax ſatis æquis conditionibus inter eos erat conſtituta; ſed deinde, ubi CLEONYMVS Lacon Thebas cum exercitu ingreſſus eſt; & PISIS, inter Theſpienſeis dignitate & opibus facilè princeps, ijs animos addidit; iterùm defecére. donec à Demetrio admotis machinis obſeſſi, CLEONYMO pertertito, & ex urbe ſe ſubducente, trepidi deditionem iterùm fecére.

Ipſe impoſito opidis præſidio; & ingenti pecuniæ ſummâ à rebellibus exactâ; & HIERONYMO, hiſtoriographo, præſide ijs dato, clementiùs opinione cum ijs agere viſus eſt: & PISIDEM captum, comiterq́ue habitum, Theſpijs Polemarchum creavit.

Cognito autem LYSIMACHVM à DROMICHATE captum eſſe; dum in Thraciam properat, eam veluti vacuam occupaturus; iterùm defecere Boeotij; & ſimul LYSIMACHVS dimiſſus eſſe nuntiatur.

Ille irâ exardens, & retrò iter flectens, Boeotios ab Antigono F. acie iam cæſos, & Thebas obſidione cinctas offendit.

Dum autem, diverſâ ex parte, PYRRHVS Theſſaliam depopulatur, & ad Thermopylas uſque excurrit; relicto ad obſidionem Antigono, raptis in illum copijs contendit.

Sed illo properè refugiente, x. peditum millia, & equites mille ad præſidium Theſſaliæ relinquit; & Thebanos pervicaciter premere pergit.

Et urbe, non ſine magnâ militum ſuorum clade, & accepto privatim vulnere, tandem potitus; poſt minas, & terrores victis intentatos, XIII. tantùm civium interfectis, & nonnullis in exſilium pulſis; cæteris, noxam remiſit.

Sic urbs recèns inſtaurata, & reciperatis intra decennium viribus nimium elata; bis iugum ſuſcipere, & victoris clementiam experiri coacta eſt.

PTOLEMÆVS LAGID. IVDÆOS SVBIGIT ET TRANSFERT.

3659. Ptol. xxxii. xx. Sel. — 291.

Commemorat Euſeb. PTOLEMÆVM, miſſis ab Alexandriâ Romam legatis, amicitiam impetrâſſe.

Et Ioſep. l. 12. c. 1. Illum, præter meritum, Sotéra appellatum fuiſſe contendit, qui Hieroſolyma dolo circumvenerit & occupârit. Sabbatho namque in urbem velut ſacrorum gratiâ, ingreſſus, Iudæis, ex more otio & quieti indulgentibus, nihilq́ue hoſtile ſuſpicantibus, ceu iure captam, acerbè inclementerq́ue tractavit.

AGATHARCHIDES Cnidius, ſuperſtitionẽ Iudæis exprobrat, propter quam libertatem amiſerint: & dum gravantur arma ſumere, gravem dominum acceperint.

PTOLEMÆVS multos, ex montano Iudææ tractu, & Hieroſolymorum viciniâ; ex Samariâ & Garizimio monte, captivos in Ægyptum traduxit, ibiq́ue ſedes figere iuſſit.

Et quòd Hieroſolymitas iniurandi & fidei ſervantiſſimos eſſe, ex reſponſo, quod ſibi & alijs ALEXANDRI legatis, poſt DARII cladem olim dederant, compertum haberet; multa ex ijs, per arceis regni, præſidia collocavit. ijſq́ue ius civitatis apud Alexandriam, pari cum Macèdonibus conditione impertitus, omneis ſacramento devinxit, fidem ſe poſteris eius inviolarè ſervaturos.

Nec pauci præterea ex Iudæis, ſponte ſuâ in Ægyptum commigrârunt; partim regionis ubertate, partim vulgatâ Ptolemæi erga gentem ſuam liberalitate, adlecti.

Seditiones nihilo-minus ferè continentes fuére, inter eorum poſteros, & Samaritas; ob patria inſtitura. Dum Hieroſolymitani ſuum Templum ſacroſanctum eſſe; & proinde victimas à Iudæis non aliò mittendas, adfirmant: Samaritæ contrà, de montis Garizij ſanctitate, iuribuſq́ueglorioſè contendunt.

Neque minùs Iudæi eâdem tempeſtate, ab Aſiæ regibus, ob navatam fideliter in militiâ operam, honorati fuére: Quibus SELEVCVS Nicanor, in urbibus à ſe, per Aſiam & inferiorem Syriam, recens conditis; adeoque in ipſâ metropoli, Antiochiâ, ius civitatis dedit: voluitq́ue pari ibidem cum Macedonibus & Græcis conditione degere.

Quo iure in multos deinceps annos, & ad Romani imperij tempora, unà cum ſuis in cultu Dei moribus ritibuſq́ue, uſi ſunt.

3660. 33. Pt. xxi. Sel. — 290.

MENANDER Diopithis F. Athenienſis, populo Cephiſienſi, Comicus, obijt annos natus lii. annis totidem

totidem antè, quàm Livius Andronicus Romæ fabulam ageret. Ipse novæ Comediæ auctor, scripsit CIX. comedias,& multas ad Ptolemæum epistolas.)

DEMETRII CVM PYRRHO BELLA.

Demetrius, instantibus Pythiis, rem planè novam ausus est.

3660. | 290.

Dum enim Ætoli, ei adhuc infesti, angustias Phocidis, ne ad celebranda Delphis Pythia, veniret, insedissent; ludum & ferias Athenis peregit. Illic Deum potiùs colendum adserens, qui & præses urbis esset,& eorum originis auctor esse perhibetur.

Et vix inde in Macedoniam regressus; quòd neque ipse ad quietem natus; neque Macedones domi seditiosi, rerumque novarũ cupidi, in expeditionibus, ampliùs Imperatoris dicto audientes essent; movit in Ætolos, agrisque eorum vastatis, & Pantaucho duce, cum aliquantâ exercitûs parte ibi relicto; in Pyrrhum, rectà in se, uti putabat, venientem contendit.

Sed quia diversis itinetibus profecti, alter ab altero deerrârant; Demetrius quidem Epirum evastavit; Pyrrhus verò in Pantauchum incidit: & signis collatis, post mutua manuum vulnera, fudit; & v. hominum m. cepit. Ex quo conflictu magnum sibi ille & illustre, apud Macedonas, audaciæ nomen comparavit.

3662. Ptol. 34. 23. Sel. | 288.

Demetrio, Pellæ, in ancipitem morbum delapso, Pyrrhus meliorem Macedoniæ partem invaserat, ad Edessam usque progressus.

At simul ille à morbo convaluit; iis, quæ amiserat, recipietatis, cum Pyrrho, licet iam pulso, sed semper levibus prœliis & excursionibus digladiari solito; certum fœdus percussit.

3663. | 287.

DEMETRII AMBITIO A REGIBVS REPRESSA.

Ipse angustis Macedoniei regni terminis non cõtentus, totum Asiæ imperium, quod pater obtinuerat, repetere instituit. Tantę eius spei ac molimini respondebat adparatus.

Copiæ iam conscriptæ erant, ad c. plus minus pedit.& xii. equit. millia.

Classis d. navũ in portubus Piręi, Corinthi, Chalcidis & Pellæ, ædificabatur. Quantas vireis, secundũ Alexandrum, nemo quisquã habuisse memoratur.

At Ptolemæus, Seleucus & Lysimachus, experti priore certamine, quantæ vires essent concordiæ; pactâ societate, adunatisque exercitibus, bellum adversus Demetrium transferunt in Europam.

Et Pyrrhum, missis comuni nomine legatis, hortantur, ut belli socium seiungat, sibique Macedoniam adserat. Inducias, quas hostis Demetrius, non tam dederat, quàm sibi ad bellum maturiùs parandum, sumserat, flocci æstimet.

Et certè iam Demetrius, non ita sævitiâ, ut fastu plusquam tragico, Macedonum ac Græcorum animos à se alienaverat.

Eodem itaque tempore, & Ptolemæus ingenti advectus classe Peloponnesum & Græciã; & hinc Lysimachus è Thraciâ; & inde Pyrrhus è vicino in Macedoniam invadunt, infestisque incursionibus omnia populantur.

Demetrius, relicto in Gręciâ F. Macedoniã tueri, & obviam Lysimacho primùm ire statuerat. Sed perlato ad exercitum rumore, Pyrrhum iam urbis Berrhææ potiri nihil ordine geri potuit.

Lacrymis & indignatione in suum imperatorem atque adeò maledictis personabat exercitus, milites non simul manere; sed verbo domum, ut res suas in tuto collocarent; re autem verâ, ad Lysimachum, iam propinquum, discedere parabant.

Quapropter Demetrio visum est, cum quam-longissimè à Lysimacho deflectere, quem popularem, & compluribus, ex veteri Alexandri commilitio, familiarem esse, perspexerat: tum vireis suas in Pyrrhum convertere; quem uti advenam & hospitem, sibi à Macedonibus prælatum iri numquam speraret. Quæ ratio eum plurimùm fefellit.

Castris enim è propinquo cum Pyrrho collatis; quùm eius in armis strenuitatem, & Alexandro proximum animi vigorem semper admirati fuissent; & in deditios lenitatem perspectam haberent; palam ad eum defecerunt: Demetrio, antè ab amicioribus monito, abiret, sibique consuleret. (Iustin. tradit exercitum Demetrij à Pyrrho corruptum fuisse.)

Quùm autem miles ad prædam conversus, ipsum Demetrij tabernaculum, nec sine certamine, diriperet; superveniens Pyrrhus eos compressit, & castra occupavit. Et cũ Lysimacho universam Macedoniam partitus est, vii. anno postquam Demetrius eamdem, nemine turbante, occupârat.

Postquam Cassandriam, fugâ elapsus, venit; Phila eius uxor, immodico dolore victa; neque virum iterùm privatum & exsulem intueri sustinens; eius fortunam, quæ in adversis, quàm secundis rebus fuisset semper stabilior; exsecrata, hausto veneno se ipsa exstinxit.

Sed inter Lysimachum & Pyrrhum, belli paullò antè adversus Demetrium socios; *assiduum inter pareis, Discordia malum*; bellum commoverat. Victor Lysimachus, pulso Pyrrho, qui vii. vix mensibus rapto fuerat potitus; idem regnum ad septennium occupat: Macedonibus regum suorum perfidiam strenuè imitantibus.

Et is quoque generum suum Antipatrum, quòd regnum Macedoniæ soceri fraude sibi ademtũ quereretur, interfecit. filiamque suam Eurydicen, querelarum mariti sociam, in custodiam tradidit.

Ita Cassandri, *qui stirpem Alexandri exciderat familia, stirpitùs quoque excisa est.*

Simon

SIMON ille Iustus, Oniæ F. Iaddua nepos, Iudæorum Pontifex, duos fratres reliquerat, Eleazarum & Manassem: & filium Oniam, admodum paruulum. Eleazarus itaque patruus mortuo fratre, Templi interea ministerium suscepit.

(Strato, Arcesilai F. Lampsacenus, physicus & orator, Pt. Philadelphi, à quo LXXX. talentis donatum ferunt; præceptor; Theophrasto, suo itidem præceptori succedit, scholamq; Athenis XVI. ann. tenet.)

DEMETRII VARII CASVS ET CAPTIVITAS.

3664. Ptol. XXXVII. XXV. Sel. | 286.

DEMETRIVS nuper ad inedias redactus, adfluentibus ad eum sensim veteranorum copijs, spem & vireis recipetat.

Thebanis liberam temp. restituit. Athenienseis, quòd DIPHILO, (qui in acta relatus, τῶν Σωτήρων, Antigoni scilicet & Demetrij, sacerdos erat) ex fastis expuncto, Archontas denuò prisco de more sibi creâssent: & PYRRHVM è Macedoniâ, ceu socium accivissent; validè arteque obsedit. Et à Cratete philosopho, viro claro, persuasus, non modò obsidionem soluit; sed quod clementiam, sibi, quàm severitatem, rebus etiam num adflictis, utiliorem perspiceret; deditiros benignè habuit.

Inde coactis, quas potuit navibus, & XI. millib. cum equitatu in eas impositis, in Asiam navigat, Cariam & Lydiam LYSIMACHO ademturus.

Ibi EVRYDICE, PHILÆ iam defunctæ soror, Ptolemaidem, suam ex Ptolemæo filiam, antea, parario Seleuco, eidem pactam, circa Miletum adduxit. A quibus nuptijs statim ad urbes se convertit. quarum partim ultrò in potestatem eius venérunt; partim per vim subactæ sunt. Captis etiam Sardibus, multi ex LYSIMACHI militibus & ducibus, pecuniam & copias ad eum secum adduxére.

Sed AGATHOCLE, LYSIMACHI F. cum exercitu superveniente, in Phrygiam adscendit: eâ spe, ut si Armeniam occupâsset, Mediam commoveret; & in supernatibus provincijs res novas tentaret. quæ etiamsi ab ijs repelleretur, multa præberent effugia & receptus.

Verùm premente actiùs AGATHOCLE, quantumvis levibus prœlijs semper superior; cum fame & pabulandi difficultate, & pestilentiâ, supra IIX. militum millia, in Lyci fluminis transitu, iactutam; conflictatus; ab instituto itinere in Ciliciam remeavit.

Quò ut Tarsum venit; quùm milites à prædis, eâ in regione, quæ SELEVCI erat, agendis; tum ob summam inopiam; tum ob iuga Tauri ab AGATHOCLE infessa & muro conclusa; prohibere non posset: primò scriptis suppliciter litteris SELEVCVM nonnihil inflexit, ad commeatum copijs eius abundè præbendum: deinde faucibus, quà iter in Syriam patet, ab eodem, iam mutante, obstructis; quùm se undique, feræ instar, conclusum cerneret; ad vim necessariò se vertit: & SELEVCI fineis depopulatus, cum eo non semel conflixit.

Sed multa ad postremum conatus, postquam plerique militum ad SELEVCVM, regem suum salutantes, transitionem fecére; tandem, suadentibus ita amicis, SELEVCI fidei salutem suam permisit.

In eius tamen conspectum non venit; sed quasi in ANTIOCHI & STRATONICES adventum, coram quibus de pactis conveniret, reservatus, & mox in Syriæ Chersonesum remotus est. Vbi triennium, adhibitâ custodiâ, in voluptatibus & otio transegit.

LYSIMACHI DOMESTICÆ CALAMITATES.

Per idem fermè tempus in Hellesponti & Chersonesi regionibus terræmotus fuit, quo, inter cætera, LYSIMACHIA urbs (olim Cardia) ante XXII. annos à LYSIMACHO rege condita corruit. *Quod portentum LYSIMACHI regno & stirpi dirum, sui & quasi fatale.*

Ille namque paullo-pòst AGATHOCLEM F. quem regno successorem designârat; & per quem multa bella prosperè gesserat; ultra humanum, nedum patrium, morem perosus, per ARSINOEN novercam, veneno interfecit. *Fuit hic amoris incesti fructus.* LYSIMACHVM, iam depontanum, non puduit, ARSINOEN illam, Lysandræ adhuc viventis, & aliquot liberorum ex AGATHOCLE F. parentis, sororem, sibi matrimonio coniungere.

ARSINOE vicissim, à viro incestum edocta, AGATHOCLEM privignum de stupro compellat. & illum à tanto flagitio abhorrentem, odio novercali prosequuta, apud LYSIMACHVM criminata est, quasi patrium cubile polluere tentârit.

Tum LYSANDRA paria sibi metuens, cum liberis & fratribus in Asiam confugit. ipsa quidem ad Seleucum cum filijs; fratres verò ad Ptolemæum.

Parricidium hoc, principum in civitate secutæ cædes, mœroris sui, ob occisum iuvenem, supplicia luentium.

Itaque & hi, qui cædibus superfuerant; & hi, qui exercitibus præerant; certatim ad Seleucum deficiunt: eumque pronum iam, ex æmulatione gloriæ ad bellum LYSIMACHO inferendum impellunt.

IDOLVM SINOPENSE.

3665. XXXIIX. Ptol. XXVI. Sel. | 285.

PTOLEMÆVS Lagides quùm audisset haud procul Sinope, Ponticâ urbe, Templum esse, vetere inter aecolas famâ, IOVIS DITIS; cui muliebris effigies adsisteret, quam plerique PROSERPINAM vocent. Et ante, per

antè, per quietem, à iuvene quodam, eximio decore, & maiore quàm humanâ specie, monitus esset; ut fidissimis amicorum in Pontum missis, effigiem suam acciret. Id lætum regno; magnamque & inclutam sedem fore, quæ excepisset.

Legatos & dona SCYDROTHEMIDI Sinopensium regi, expediri iussit. præcepitque navigaturis, ut PYTHIVM APOLLINEM priùs adeant.

Illis mare secundum, & sors oraculi haud ambigua: *Irent, simulacrumq́, patris sui reveherent; sororis, relinquerent.*

Vt Sinopen venêre, munera, preces, mandata regis sui SCYDROTHEMIDI adlegant. Nihil, aversante semper vulgo, per triennium, profectum.

Maior hinc fama tradidit; Deum ipsum in adpulsas litori naveis Ægyptiorum, sponte conscendisse. Et legati, (mirum dictu) tertio die tantum marisemensi, Alexandriam adpelluntur.

Templum, pro magnitudine urbis exstructum, loco, cui nomen Racotis. Fuerat illic sacellum, Sarapidi atque Isidi antiquitùs sacratum. (*Hæc Tacit. l. 4. Histor.*)

CLEM. verò Protrept. Sinopenseis tradit à PTOLEMÆO (sed PHILADELPHO) dum fame laborarent, plurimùm recreatos fuisse. & ut gratiam referrent, misisse Idolum PLVTONIS, qui apud Ægyptios SERAPIS dicitur: sive potiùs, veteris numinis novum idolum. *Vide quæ superiùs dicta de* IOSEPHO IACOBI F. Alij namque APIDEM, sive SERAPIDEM, hominem fuisse locupletem volunt, qui tempore famis, Ægyptum sustentárit. Hinc capiti eius, Modium imponi, & bovem aratorem. Quæ in IOSEPHVM expectant.

SEDITIO PLEBIS APVD ROMANOS.

Romæ Tribb. pleb. novas tabulas, æris alieni levandi, promulgant. Dumque in gratiam creditorum, Coss. intercedunt; plebes in Ianiculum secedit.

Ad eam placandam mittitur Q. HORTENSIVS; qui verbis plebem demulcet, & promissis: Futurum scilicet, ut deinceps PLEBISCITA, legum vim obtineant.

DEMETRII MORS, ET SVBOLES.

3666. Ptol. 39. 27. Sel.		284.

DEMETRIVS eò fortunæ redactus, ut filius quidem ANTIGONVS, pro parente captivo, obsidem sese offerret: LYSIMACHVS verò, in cæterorum regum commiseratione, pecuniam etiam SELEVCO, si eum necâsset, (*Dignum detestabili, & barbaro Thracum rege facinus; quid dicam philosopho?*) repræsentaret; postquam duces suos & amicos, qui Athenis & Corinthi supererant, per litteras commonuisset, ut regni reliquias ANTIGONO F. reservarent; totum se ad præsentis sortis, & captivitatis tolerantiam comparavit. Et primò quidem venatione ac cursu, quà licebat, utens, corpus exercuit. deinde ad ignaviam prolapsus, pocula, aleamque consectatus est; vel oblivia quærens sobriæ de præsenti casu cogitationis; vel summam felicitatem, quam in armis bellisque assiduis hactenus quæsijsset, in tranquillitate & vitæ quiete tamnunc reperisse existimans.

Atque ita ille, post triennalis custodiæ molestias, ex otio, saginâ & vino, in morbum incidit; & LIV. annos natus, è vitâ decessit.

F. ANTIGONVS, acceptis patris reliquijs, funus planè tragicum eidem adparavit; & Demetriade, urbe cognomine, tumulavit.

Reliquit ille stirpem ex PHILA, ANTIGONVM & STRATONICEN: & duos DEMETRIOS; unum ex muliere Illyricâ; alterum ex PTOLEMAIDE, qui post Cyrenis regnavit.

Ex DEIDAMIA ALEXANDRVM, qui in Ægypto vitam egit.

Ex EVRYDICE Corrabum fuisse genitum perhibent.

Progenies eius, ad PERSEA usque, postremum Macedonum regem, certâ serie perseveravit.

REGNI PERGAMENI INITIA.

Tum quoque PHILETÆRVS, gente Paphlagon, Eunuchus, opum LYSIMACHI custos, quùm videret plerosque, LYSIMACHO deserto, ad SELEVCVM transfugere; ipse Pergamum, quæ ad Caycum sita est, occupavit: & initâ cum SELEVCO societate, primò præfecti, deinde regis nomine, regni (Pergameni) non contemnendi fundamenta iecit.

PTOLEMÆVS PILADELPHVS, II. ÆGYPTI REX.

3669. Pt. Lag. xxxx. & I Pt. Philad. XXVIII. Sel.		281.

ET PTOLEMÆVS SOTER, Lagi F. finito bello, magnâ cum rerum gestarum, & regni iustè sapienterque gesti gloriâ, moriturus, ante infirmitatem, minimo natu ex filijs, contra ius gentium, regnum

regnum tradiderat; eiusque rei populo rationem reddiderat. Et huius *non minor favor in accipiendo, quàm patris in tradendo regno fuit.*

Inter cætera mutuæ inter patrem & filium pietatis exempla, ea etiam res amorem populi iuveni conciliaverat; quod pater, regno publicè tradito; ut privatus, officium regi inter satellites fecerat; omnique regno pulcrius, regis esse patrem duxerat.

Deinceps ad Iul. usque Cæsarem, omnes Ægypti reges PTOLEMÆI dicti sunt: ut ante CYRUM, PHARAONES: Et quantumvis Lagides, Soteris cognomine, licet immodico, ob æquitatem & prudentiam, non prorsus indignus fuisse videatur; ita ij reliquorum fuerunt mores; ut nihil illis minùs convenisse videatur, quàm cognomenta, quibus sunt gloriati.

(Tum quoque SOSTRATUS Cnidius, Pharum, turrim celsissimam, in Alexandriæ portu construxit; quæ periculoso, per illos tractus, mari navigantibus facem præberet.)

REIP. ACHAICÆ INITIA.

Et quoniam circiter hunc annum (Olympiade cxxiv.) Resp. Achæorum, populis paullatim (qui per civitates divisi; & sub imperio Lacedæmoniorum, vel Macedonum, præter fidem & integritatem, nullis rebus præclarè gestis, neque insignibus principibus, obscuri latuerant) in unum quasi corpus iterùm coölescentibus, caput nonnihil extollere cœpit, & ad eam amplitudinem pertingere, de quâ multa deinceps memorabûtur; Eorum statum paullò altiùs, non erit abs re, repetere. præter ea, quæ suprà à nobis dicta sunt, de Achæis & Ionibus, post Athenienseis.

Regnari apud eos cæptum, quo tempore TISAMENUS, ORESTIS F. post Heraclidarum Descensum, Lacedæmone expulsus, loca, quę sunt circa Achaiam, occupavit.

Ab illo, continenti serie, ad SYGI ætatem (al. Gygis) reges habuere. Postea, regium nomen exosi, quòd SYGI Filij in tyrannidem degeneràssent; remp. à regibus ad populum transtulérunt, eamque in magnâ etiam temporum varietate. ad PHIL. PPI ALEXANDRIQUE Macedonum ætatem, Democratico more administrare conati sunt.

Ea autem ex XII. civitatibus constabat: quæ (præter Olenum & Helicen, ante Leuctricam pugnam, terræmotus absorptas) fuêre: Patræ, Dyme, Pharæ, Tritéa, Leontium, Ægyra, Pellene, Bura, Ceraunia, Carinia.

Post ALEXANDRI excessum; & ante eam, quam dixi Olympiad. cxxiv. (intra quam PTOLEMÆUS Lagides & LYSIMACHUS; DEMETRIUS & SELEUCUS; & PTOLEM. CERANNUS. LYSIMACHI successor, vitâ functi sunt) tanta inter eos, maximè propter Macedoniæ reges, orta est dissensio; ut civitates inter se divisæ, publicum bonum susque deque haberent.

Quibus ex rebus accidit, ut civitatum aliæ modò CASSANDRI, modò DEMETRII, & paullò pòst ANTIGONI præsidia admitterent. Aliæ à tyrannis, qui tunc in Græciâ, sub ANTIGONO, complures erant, occuparentur.

Eâ verò, quam diximus, Olympiade (quo ferè tempore PYRRHUS Epirota in Italiam transfretavit) ijdem populi quasi ad saniorem mentem reversi, societatem inter se coire aut redintegrare cæpérunt.

Et principiò quidem convenére Dymæi & Patrenses, Triteenses & Pharenses, populareis suos ad concordiam, & ad libertatem capessendam cohortati. Sic tamen, ut nullus dum titulus, eiusmodi inter urbeis consensionis index, exstaret.

Vix elapso quinquennio, Ægirei, & Burij, & non longè post Ceraunij, eiecto unà cum tyrannis præsidio, in partem societatis venére. Idem fecére Carinei; ISEA sponte tyrannidem abdicante.

Hæ, quas dixi, civitates XXV. annis, remp. suam sic administrárunt; ut unum sibi Quæstorem, & duos Duces vicissim crearent. posteà unus dumtaxat dux constitutus est, cui summa rerum omnium committeretur.

Hoc veræ & perfectæ Reip. (Democratiæ) exemplar fuisse, perhibet POLYBIUS. in quâ nihil præter salutem & libertatem publicam, sive commune omnium bonum spectaretur. Iisque artibus tandem totam Peloponnesum sibi adiunxerunt: tam arto vinculo consociatam; ut quæ ijsdem legibus, ponderibus, mensuris, nummis, uteretur, omniaque communia haberet; *una civitas* haberetur.

Sic & olim magnæ Græciæ in Italiâ populi; Crotoniatæ, Sybaritæ, & alij, in magnâ rerump. suarum, PYTHAGOREIS aut cæsis aut expulsis, mutatione; acceptis, ab Achæis, legibus & institutis, collapsum civitatis quisque suæ statum composuére, & ad D. ONYSIUM usque, Syracusarum tyrannum, tenuére.

Sed post Leuctricam pugnam, Lacedæmonij victi, & victores Thebani, solos ex omni Græciâ Achæos delegére, quibus rerum inter se controversarum iudicium permitterent. Idque ob fidem eorum & integritatem, quę eâ tempestate apud omneis insignis haberetur.

ALTER GALLORUM IN ITALIA MOTUS.

Galli Senones, anno post eam pugnam, quam DECIO & FABIO Coss. an. O.C. 3656. memoravimus, decimo; in Etruriam cum ingenti exercitu ingressi Aretium obsedére. & Romani cum ijs, haud longè à sociæ urbis mœnibus, dimicárunt.

Vbi cum L. Cæcilius Cos. cecidisset; & M. Curius, in eius locum suffectus, legatos in Galliam de captivis redimendis amandàsset; legati, contra ius Gentium, à Gallis per temulentiam occisi sunt.

Eo facto indignati Romani in Galliam penetrant; & Senones sibi obvios magnâ cum strage profligant; reliquos è sedibus suis exturbant. Et totâ eorum

eorum regione potiti, quæ Pado & Hadriatico mari adluitur; novam in urbem (Piceni) coloniam inducunt, eamque veteri nomine Senam (Alijs, Senogalliam) appellant.

Boij, verum ne ipsi quoque idem paterentur; Tyrrhenis in subsidium vocatis, cum Romanis congressi, & duplici prœlio victi, & pæne ad internecionem deleti sunt. Quâ clade fracti, fœdus per legatos cum Romanis percutiunt.

Hæc triennio antè PYRRHI in Italiam adventum; & quinquennio antè Delphicam alterorum Gallorum cædem, gesta.

Sic Galli pacem cum Romanis per annos, plus minus XLVI. deinceps, & inviolatè servârunt.

LYSIMACHI EXITVS.

3670. | 280.
2. Philad.
30. Sel.

SELEVCVS, uti dixi, in LYSIMACHVM à subiectis, quibus gravis erat, instigatus, iam bello incumbebat.

Vltimum hoc certamen inter ALEXANDRI commilitones fuit; & velut ad exemplum fortunæ, par reservatum. Ille septem & LXX. annos natus; hic triennio minor erat. Sed in hâc ætate iuvenilis in utroque animus, & insatiabilis imperij cupiditas inerat.

In eo bello LYSIMACHVS, amissis anteà, varijs casibus, XV. liberis, non instrenuè moriens, postremus domûs suæ ruinæ cumulus accessit.

LYSIMACHO succedit Ptolem. Ceraunus, PTOLEMÆI Lagidæ, ex Eurydice, (quæ Antipatri) Filius, cuius sororem, Arsinoen, LYSIMACHVS in matrimonio habuerat. Hic mens. ix. regnavit, (al. 2. ann.)

SELEVCI EXITVS.

3671. | 279.
3. Philad.
31. Sel. 1. Ant. Sot.

SELEVCVS, non modò tantâ victoriâ lætus; sed quod maius victoriâ putabat, solum se de cohorte ALEXANDRI, victoremque victórum remansisse; non humanum opus, sed divinum munus, gloriabatur. *Næ, prorsus ignarus, haud multo-post, fragilitatis humanæ se ipsum exemplum futurum.*

Quippe post menseis admodùm VII. à PTOLEM. CERAVNO, per insidias circumventus, ad Lysimachiam occiditur: Regnumque Macedoniæ, quod ipse LYSIMACHO eripere tentârat, cum vitâ pariter amittit. Illi succedit

ANTIOCHVS SOTER F. II. Syriæ & Asiæ Rex; regnatque annis XIX.

PTOLEMÆI CERAVNI PERFIDIA.

LYSIMACHO supererant filij duo ex Arsinoe; LYSIMACHVS cognominis, XVI. ann. natus; & PHILIPPVS, triennio minor.

Erant & ARSINOÆ, ANTIPATRI ex EVRYDICE nepti, totidem fratres consanguinei; PTOLEMÆI, PHILADELPHVS & CERAVNVS, uterque PTOL. LAGIDÆ, ex BERENICE, filij.

PHILADELPHVS, qui Patri in regnum Ægypti successerat; CERAVNVM in Macedoniam amandat, ubi specie tutoris Græciam obtineret.

Hic, quùm & in gratiam memoriæ Magni PTOLEMÆI Patris, & in favôrem ultionis LYSIMACHI, sororij, ambitiosus apud populareis esse cœpisset; primò LYSIMACHI filios conciliare sibi statuit; nuptiasque ARSINOES, matris eorum, & sororis suæ, ambit; puerorum adoptione promissâ. ut quum in locum Patris eorum successisset, nihil illi contrà se molîri, vel verecundiâ matris, vel appellatione Patris, auderent.

Fratris quoque PHILADELPHI, Ægypti regis, concordiam per epistolas deprecatur; professus deponere se offensam erepti paterni regni; neque amplius à fratre quæsiturum, quod honestius à paterno hoste perceperit.

Omnique arte adulatur EVMENI & ANTIGONO, DEMETRII POLIORCETÆ filijs; & ANTIOCHO SOTERI, filio SELEVCI: cum quibus bellum habiturus erat. Ne tertius sibi hostis accederet.

Sed nec Pyrrhus, rex Epiri, omissus, ingens momentum futurus; utri parti socius accessisset.

PTOLEMÆVS, quùm pulso Antigono, Demetrij Filio, regnum totius Macedoniæ occupâsset; pacem cum Antiocho facit; & adfinitatem cum PYRRHO, datâ ei in matrimonium filia suâ, iungit.

Deinde metu ab externis, deposito, facinorosum & impium animû ad domestica scelera convertit. & insidias instruit, quibus & ARSINOEN sorori Cassandréæ urbis possessione, & filios eius vitâ privaret.

Illa nô incestum, sed truculentum fratris ingeniû aversata, etiam aspectum congressumque fugiebat.

Sed Ceraunus tot, tamque diris exsecrationibus (sumtis etiam in manus altaribus) deieravit se bonâ fide agere, (Velle se cum filijs eius regni consortium iungere; & ipsam, Reginam nuncupare) ut ARSINOE verita præ tàm pervicaci diffidentiâ, fraternæ crudelitatis rabiem in se suosque provocare: in matrimonium eius concesserit.

Nuptiæ magno apparatu, lætitiâque omnium celebratæ sunt; & capiti sororis diadema corâm exercitu impositum.

Vbi Cassandrêam (cuius urbis cupiditate, fraudem ille struxerat) admissus est; die festo indicto, & templis exornatis, Lysimachvs & Philippvs, privigni, uterque formâ insignes, & coronis redimiti, novo Sponso, & avunculo occurrunt.

Quos cupidè, & ultrà modum veræ adfectionis amplexus, ubi ad Portam ventum est, occupatâ priùs arce, interfici iubet. Qui cum ad matrem confugissent, in gremio eius, inter ipsa oscula, trucidantur.

Mater spoliata etiam filiorum funeribus, scissâ veste, & crinibus sparsis, cùm duobus servulis ex urbe protracta, Samathraciam in exilium abijt.

PTOLEMÆVS CERAVNVS A GALLIS CASVS.

Sed nec Ptolemæo *inulta scelera* fuerunt. Quæ non Macedones expiârunt; sed Galli. Qui tum & antè abundanti domi multitudine, sedes novas ferro quærebant. Trecenta erant hominum Millia, velut ver sacrum, quoquoversum è terrâ natali emissa.

Ex ijs portio in Italiâ consederat, quæ & urbem Romam captam incendit.

Et portio Illyricos sinus, ducibus avibus, (augurandi namque studio Galli clarebant) per strages Barbarorum penetravit; & in Pannoniâ consedit. Ibi domitis Pannonijs, per multos annos cum finitimis varia bella gesserunt.

Hortante deinde successu, divisis agminibus, alij Græciam, alij Macedoniam petivêre. Tantusque terror Gallici nominis erat, ut etiam reges non lacessiti, ultrò pacem ingenti pecuniâ mercarentur.

Solus rex Macedoniæ Ptolemæus, adventum Gallorum intrepidus audivit. & contemnis Dardani regis, qui xx. armatorum Mill. offerebat, auxilijs; cum paucis, & incompositis, parricidiorum furijs agitatus, occurrit.

Igitur Galli, duce Belgio, tentandis Macedonum animis, legatos ad Ptolemæum mittunt: pacemque offerunt, si emere velit.

Sed Ptolemæus, inter suos, belli metu Gallos pacem petere, gloriatus; Non minus ferociter se legatis, quàm inter amicos, iactavit; *Aliter pacem se non daturum, nisi Principes suos ipsi obsides dederint, & arma tradiderint.*

Quæ postulata quùm Galli risissent, & prœlium conseruissent: Macedones victi cæduntur; & Ptolemæus (Κεραυνὸς scilicet, sive belli fulmen) multis vulneribus saucius capitur: eiusque caput præcisum, & lanceâ fixum, totâ acie ad terrorem circũfertur. Paucos ex Macedonibus fuga servavit; cæteri aut capti, aut occisi.

NOVI MACEDONIÆ REGES.

3672. 4. Ptol. Philad. 2. Ant. Soter.		278.

Gallis totam Macedoniam impunè raptantibus, in summâ reliquorum desperatione, Sosthenes Macedo, contractâ iuventute, & Gallos victoriâ (ex furore & temeritate Ptolemæi) exsultanteis, compescuit; & Macedoniam ab hostili populatione defendit.

Ob quæ virtutis beneficia, quum multi nobiles regnum Macedoniæ adfectarent; ipse obscuro genere ortus, ijs antelatus est. Et rex ab exercitu appellatus, non in regis, sed in ducis nomen iurare milites voluit; & ad biennium regno potitus est. Euseb. antè Sosthenem ponit Meleagrvm, qui mensibus 2. & Antipatrvm, qui 45. diebus regnârint.

BELLVM TARENTINVM.

Tarentini suo adversùs Romanos bello, quod mòx consecutum est, totam pænè Italiæ partem, quæ Magna Græcia dicta, Campanos, Apulos, Lucanos, aliosque complectitur: & unà cum ijs, Pyrrhvm, clarissimum Græciæ regem, unà veluti ruinâ pariter involvêrunt; hoc ferè initio.

Ludos fortè celebrabant, in maiore urbis theatro, quod portui imminebat, ad prospectum Maris positum. quùm fortè L. Valerivs, classis Romanæ præfectus, litori, quasi sociæ civitatis, adremigavit.

Tarentini namque, quamvis Samnitibus clàm faverent, cum Romanis tamen, quorũ incrementa pertimescerent, palàm societatem fovebant.

Ipsi itaque malè sibi conscij, in Valerivm, quasi hostili animo accedentem, insultant; & cum comitibus, aquis immergunt.

Adérat, sine morâ, querelam ferens à Senatu legatus, L. Posthvmivs. Et hic quoque fœdiùs per obscenam contumeliam violatus, & lotio per fenestram electo respersus, sine responso dimittitur.

Bellum itaque adversus eos decernitur, & L. Aimylio Cos. mandatur.

Dùmque is nihilo minus Tarentinos amicè ad sanitatem revocare conatur; *diffidentia, perfidiæ comes, & iuvenum temeritas, sanis consilijs aures occluserunt.*

PYRRHI

PYRRHI IN ITALIAM TRANSITVS.

3673. 5. Ptol. Phil. 3. Ant. Sot.		277.

PYRRHVS Tarentinis, à quibus, adversùs Corcyræos, antreà adiutus fuerat, auxilij vicem relaturus; & simul invadendæ Italiæ occasionem arripiens, ab ANTIGONO, Demetrij F. naveis, ad exercitum in Italiam deportandum, mutuò petit.

Ab Antiocho Seleuci, pecuniam, qui ab opibus, quam à militibus erat instructior.

A PTOLEMÆO CERAVNO, Macedonum militum auxilia. quem etiam, filiâ eius in matrimonium acceptâ, vindicem regni sui reliquit.

Ipse itaque iteratâ Tarentinorum legatione; additis Samnitium & Lucanorum precibus, fatigatus; & exemplis maiorum, ALEXANDRI patrui, & ALEXANDRI Macedonis, ad maiora audendum incitatus; Occidentis imperium spe & animo præcipiebat. & relicto regni custode PTOLEMÆO F. quindecenni; alijsque duobus parvulis, ALEXANDRO & HELENO, in solatia longinquæ secum expeditionis, abductis, Italiam versus contendit.

Et licet oborta tempestas classis eius maximam partem disiecisset, ac perdidisset; Tarentum tamen delatus nihil de confidentiâ remittit. *Pro socio, Dominum se gerens*; & graviora Tarentinis onera imponens, quàm illi à Romano victore metuerant.

Eius audito adventu, VALER. LÆVINVS Cos. ut priùs cum eo congrederetur, quàm auxilia sociorum convenirent, exercitum in aciem educit. Nec rex, licet militum numero inferior, certamini moram fecit.

Apud Heracleam, & Campaniæ fluv. Sirim, pugnatum est. tàm atrociter, ut rex graviter vulneratus, & proiectis insignibus prœlio excedere sit coactus.

Actum erat; nisi elephanti, converso in spectaculum bello, procurrissent; quorum tum mole, tum deformitate, & insitato odore simul ac stridore consternati Romanorum equi, fugam stragemque latè dedêrunt.

Vicit ergò PYRRHVS; sed ità ut *de se actum fateretur; si rursus eo modo vinceret.*

Huius tamen pugnæ eventum multæ civitates secutæ PYRRHO se tradidêre. In cæteris etiam Locri, prodito Romanorum præsidio, defecêre.

Ex eâ prædâ PYRRHVS CC. captivos milites Romam gratis remisit; ut cognitâ virtute eius, Romani cognoscerent etiam liberalitatem. Interemtos verò cremavit ex ritu patrio.

Neque ipse minus Romanam virtutem, quos adversis in pectore vulneribus, & relictis in vultu morientium minis, occubuisse viderat. Eorumque, in reparando exercitu, festinationem, admiratus; exclamasse traditur; *Facile esse orbis imperium occupare, aut sibi, Romanis militibus; aut se rege, Romanis.*

Et, HERCVLIS planè *sidere se natum*, cui quasi ab Angue Lernæo tot cæsa hostium capita de sanguine suo renascerentur.

LÆVINO namque Cos. recedente, licet in Etruriam usque excurrerit; neque Capuam tamen, neque Neapolim, neque secundi prœlij aleam tentare ausus est, infausta semper auguria prætexens.

Atque adeò missis in urbem legatis, omni modò adnisus est, ut in amicitiam reciperetur.

(Iustin. vult, FABRICIVM, legatum, à Senatu missum, ut de captivis redimendis ageret; pacem cum PYRRHO composuisse. Ad eamq; confirmandam, CYNEAM Romam cum ingentibus donis missum; Neminem, cuius domus munerum corruptelæ pateret, invenisse. Atque immò, Perorante APPIO CÆCO, pulsos cum muneribus suos legatos. Et CYNEAM, quùm turbatam pacem renunciâsset, interroganti regi quid de Româ, hostium sede, sentiret, respondisse; Vrbem, Templum, & Senatum, regum consessum, sibi esse visum.

ALTERA GALLORVM IN GRÆCIAM IRRVPTIO.

3674. 6. Phil. 4. Ant. Soter.		276.

Intereà Brennus, quo duce portio Gallorum in Græciam se effuderat, auditâ victoriâ suorum, qui BELGIO duce Macedonas vicerant; adunatis CL. pedit. & XV. equit. Millib. in eamdem Macedoniam irrumpit.

Et quum ab Athenensibus, Thermopylarum angusta insidentibus, aditu prohiberetur; viam aliam instituit, quam olim EPHIALTES, XERXI, Persarum regi, monstraverat.

Ei itaque agros villasque populanti, occurrit cum instructo Macedonum exercitu SOSTHENIS. sed pauci à pluribus, trepidi à valentibus, facilè sunt profligati.

Quùm victi itaque Macedones intrà urbium suarum muros se condidissent; Macedonia impunè à Gallis pervastabatur.

Indè, quasi terrena iam spolia forderent; animos ad Deorum immortalium, (quos ipsi saltim pro ralibus haberent) templa convertêrunt; non sine scurrili ioco; *Locupletes Deos, largiri hominibus egentibus oportere.*

Statim itaque Delphos, in Phocidem, iter vertêre, *prædam religioni; aurum, offensæ deorum*, præferentes.

Brennus cum in conspectu haberet Templum Pythij Apollinis, (positum in monte Parnasso, & rupe undique impendente, quæ in formam theatri recedebat) ubi opulenta regū populorumque munera visebantur. diu deliberâsse traditur; confestimne rem adgrederetur, an verò fessis à viâ militibus, noctis spatium ad resumendas vireis daret.

Vt ea res dilationem Delphis dedit; ità, Gallis, vino cæterarumq; rerum copiâ, per villas, Bacchantibus; auxilia ijsdem finitimorum ad IV. Millia accessêre. Et urbs antè permunita est, quàm Galli ad signa revocarentur.

Postridie Galli, spe prædæ incitati, & hesterno mero saucij, in oppugnationem ruebant.

Delphi, partim saxis, partim armis, scandenteis, è summo montis vertice obruebant.

In eo partium certamine, Templorum Antistites, cum Vatibus, in primam pugnantium aciem procurrunt; & quasi Dijs antesignanis, reliqui certatim in prœlium prosiliunt.

Mòx autem repentino terræ-motu portio montis abrupta Gallorum stravit exercitum: & insecuta deinde tempestas, grandine & frigore saucios ex vulneribus absumsit. quorum dolorem quùm dux ipse BRENNVS ferre non posset; pugione vitam finivit.

Alter ex ducibus, cum X. sauciorum M. Græciâ excessit. quos palanteis, populi, per quos iter habebant, velut prædam consectati, id saltim effecêre; ut pauci ex ijs, vel tentati, vel perpetrati sacrilegij pœnam evaserint. (Polyb. lib. 4. eos qui superârint, circà Byzantium constitisse, ibique imperium condidisse scribit.)

ANTIGONVS GONATAS MACEDONIÆ REX.

SOSTHENE vel suâ morte defuncto, vel in pugnâ occiso, succedit ANTIGONVS GONATAS, DEMETRII Poliorcetæ F. (qui XXXVI. ann. Macedoniæ dominatus est.) Idque circà Olympiad. CXXVI.

Is PHILAM uxorem ducturus, ad nuptiarum solennia cum multos alios invitâsse; tū maxime PERSIVM Philosophum, eiusque discipulum ARATVM, ATHENODORI F. Cilicem gente, & patriâ Solensem, traditur, cuius exstant Phœnomena. qui XXI. Olympiadibus antiquior fuit NICANDRO Colophonio, Theriacœ, aliorumque scriptore.

Hoc anno ZONARAS tradit, PYRRHVM adversùs SVLPIT. & DEC. Coss. pugnâsse; qui amissis XX. virorum Millib. victus sit, & sauciatus: & Romanos non amplius V. Mill. desiderâsse.

Sulpitius nihilominus, amisso collegâ DECIO, in hiberna secedere maluit, quàm victoriâ uti.

FLOR. ait, anno ab V. C. CDLXXV. dimicatum apud Asculum, meliore fortunâ, FABRICIO & ARMYLIO COSS. terrore bellüarum iam exolescente. in quas pila Romani congesserint, & faceis in turreis vibrârint: & tota hostium agmina ardentibus ruinis operuerint.

BIBLIOTHECA ALEXANDRINA. LXX.

BIBLIOR. INTERPRETES.

DEMETRIVS Phaleréus, regiæ Bibliothecæ apud Alexandrinos præfectus, dum omnes totius orbis libros colligeret, aut coemeret. & PTOLEMÆO regi, eius rei studioso, compertum sibi esse diceret; multos esse in Iudæâ gente Libros, *de legibus patrijs*, indigenitali linguâ conscriptos, qui cognitione & Bibliothecâ regiâ digni essent, si in Græcum sermonem converterentur:

Rex eius rei procurandæ negotium Pontifici Iudæorum, ELEAZARO, per litteras demandavit.

Hâc occasione utendum sibi ratus, ARISTÆVS quidam, regi intimus, ad Iudæos, quos Pater Ptolemæus, Lagi F. in Ægyptum transtulerat, regno & libertati restituendos, re cum SOSIBIO Tarentino, & Andrêâ, regiorum satellitum præfectis, communicatâ; apud regem, caussam eam agere instituit: Et rege tanto dignam, & Deo, omnium hominum opifici, regnorumque largitori, gratissimam eius generis beneficentiam commendavit.

Quumque ex ijs ille intellexisset esse supra CXX. hominum Millia, quibus istiusmodi beneficio opus esset; iussit, ut quando militi stipendia exsolvissent, pro singulis captivis, qui in Ægypto essent, Centenas-vicenas drachmas adnumerarent.

Et quùm publico edicto non ij solùm comprehenderentur, quos Pater, aut eius exercitus, factâ in Syriam aut Phœnicen incursatione, è natali solo abduxissent; verumetiam, qui vel antè, vel posteà, in servitutem abstracti fuissent: eaque libertatis vindicta diceretur plus CD. talenta exposcere; ne eam quidem summam impendere rex gravatus est.

Hoc peracto, DEMETRIVS auctor fuit regi, ut Iudæorum Pontificem scriberet, ut senos ex singulis Israelitarum Tribubus, aliquot natu maiores, patriarum legum & utriusque sermonis peritissimos, mittat: qui Libros arcanos, reconditæ sententiæ convenienter, interpretentur, fideliterque explanent.

Misit itaque rex Hierosolymam, præter donaria immensi pretij & artificij, L. auri talenta; & innumerabilem vim gemmarum, ac pecuniæ; quæ in sacrificia, reliquosque Templi Hierosolymitani usus erogarentur.

Hæc per eosdem, Aristæum & Andrêam, viros regi carissimos, cum litteris transmissa.

Et cum

Et eum Pontifex ELEAZARVS pro rege, eiusque sorore ARSINOE, & liberis, victimas immolavit; tum populus vota pro felici regni eorumdem statu, nuncupavit.

Et delecti seni è Tribubus seniores, cum Legis volumine, eodem amandati, venere Alexandriam, eo die, quo rex anniversariâ celebritate recolebat pugnæ navalis, quâ ANTIGONVS à Patre victus fuerat, memoriam.

Ijs vero hospitibus pulcerrima sub ipsâ arce diversoria designanda; victumque more patrio adparandum præbendumque curavit.

Illi (Iustin. Martyr.) ut extra omnem turbã positi, in munus destinatum commodiùs incumberent; VII. procul ab Vrbe stadijs (ubi Pharos pro re natâ tum fuit exstructa) exiguas, æquato eum Interpretibus numero, cellulas ingressi, & à mutuo congressu dispreti; ut accurata interpretationis ratio, per ipsorum etiam consensionem, deprehendi posset, singuli remotis arbitris, separatim, & per se, Legis divinæ, ex Hebræo, in Græcum, translationem, intra LXXII. dies, absolverunt.

Postea-quam verò rex intellexit, LXX. Viros, non modò senreotijs, sed dictionibus etiam ijsdem esse usos; neque à mutuo inter se consensu, vel minimum aberrâsse; verùm eadem, & de ijsdem, scripsisse: Obstupefactus, & occultâ quâdam divini Numinis virtute, interpretationem eam conscriptam, & quasi dictatam ratus; ipsos quidem omni honore dignos, & uti viros Deo amicos, (Sacrorum Interpretes, & Prophetas) existimavit; multis autem muneribus donatos, in patriam suam redire iussit.

Addit Philo; Eos sincerissimis sensis, cum purissimo Moysis spiritu, concurrisse. & Eius rei causâ, in hodiernum usque diem anniversariam festarum celebritatem in Pharo Insulâ agitari solitam. ad quam non Iudæi modo, sed & alij quamplurimi, trajecerent: & locum veneraturi, in quo hæc interpretatio primùm effulsit; & pro veteri beneficio, ceu recenti, gratias Deo acturi.

De eadem Interpretatione, B. Aug. lib. 2. Doct. Christ. *Latinis codicibus, inquit, emendandis, Græce adhibeantur; in quibus LXX. Interpp. quod ad vetus Testamentum attinet, excellit auctoritas. qui iam per omnes peritiores Ecclesias tantâ præsentiâ Spiritus-sancti interpretati esse dicuntur; ut os unum tot hominum fuerit.*

Etiamsi aliquid aliter in Hebr. exemplaribus invenitur, quam isti posuerint; cedendum esse arbitror divinæ dispensationi, quæ per eos facta est: ut Libri, quos gens Iudæa cæteris populis, vel religione, vel invidiâ, prodere nolebat; credituris per DOMINVM Gentibus, ministrâ regis PTOLEMÆI potestate, tanto ante proderentur.

Itaq; fieri potest, ut sic illi interpretati sint, quemadmodum congruere gentibus, ille, qui eos regebat, & qui os unum omnibus fecerat, Spiritus-Sanctus iudicavit. Hæc, & plura, ille.

Rex certè acceptos à DEMETRIO Libros quùm adorâsset, adservari diligenter, & incorruptos manere iussit. (quibusd. in SERAPIDIS Templo.)

(Hæc acta VII. post Lagidæ mortem anno. Et annis CCXLIX. ante Cleopatræ mortem.)

TERTIA GALLORVM IN GRÆCIAM IRRVPTIO.

3675. 7. Phiad. 5. Aot. Soter.		275.

ANTIGONO GONATÆ, pace cum ANTIOCHO SOTERE; constitutà, in Macedoniam revertenti, novus repentè hostis exortus est. Galli, qui à BRENNO duce, cum in Græciam proficisceretur, ad terminos gentis tuendos relicti fuerant; ne soli desides viderentur; XV. pedit. & III. equitt. Mill. armaverunt. fugatisque Getarum Triballorumque copijs, Macedoniæ imminentes, legatos ad regem mittunt, qui pacem ei venalem offerant, simul & regis castra speculentur.

Ille ostentatione opum & virium suarum, metum se exteris iniecturum existimans; eorum animos, tanquam ad opimam prædam, magis sollicitavit.

Et hi de regis, circà officia militaria, negligentiâ edocti; nocte castra Macedonum adgrediuntur.

Sed rex eam tempestatem præsentiens, signum suis pridie dederat; ut omnibus rebus ablatis, in proximâ silvâ taciti se occultarent.

Galli omnia non defensoribus modò, sed custodibus etiam vacua conspicati, & non fugam hostium, sed dolum arbitrati; scrutantes potius, quàm diripientes, castra occupavérunt. Et ablatis, quæ reliqua invenerant, ad littus conversi, dum naveis incautiùs diripiunt; à remigibus, & ab exercitûs parte, qui eò cum coniugibus & liberis confugerant; nihil tale metuentes, trucidantur.

Tanta autem cædes Gallorum fuit; ut ANTIGONO pacem, opinio huius victoriæ, non à Gallis tantùm, verumetiam à finitimorum æmulatione, aut feritate, præstiterit.

Quamquam Gallorum, eâ tempestate, tantæ fecunditatis iuventus fuit; ut Asiam omnem quibusdam velut examinibus implerent. Denique neque reges Orientis, sine mercenario Gallorum exercitu, ulla bella gessérunt; neque pulsi regnis, ad alios, quàm ad Gallos, confugérunt.

Itaque in auxilium à Bithyniæ rege (Strab. Actalieis regibus, quorum terras diu populárant) invocati, regnum cum eo partâ victoriâ divisérunt; eamque regionem GALATIAM, sive GALLOGRÆCIAM, cognominavérunt.

CARTHAGINIENSIVM AD ROMANOS LEGATIO.

Iustin. lib. 18. Intereà, inquit, MAGO, dux Carthaginiensium, in auxilium Romm. cum cxx. navibus missus, Senatum adijt. *Ægrè tulisse Carthaginienseis, quòd bellum in Italia à peregrino rege paterentur:* eâque de causâ missum se, ut externis auxilijs iuventur.

Gratiæ à Senatu Carthaginiensibus actæ, auxiliaque remissa.

Sed MAGO Punico ingenio, post paucos dies, tacitus, quasi pacificator Carthaginiensium, PYRRHVM adijt, speculaturus consilia eius de Siciliâ, quò eum arcessiri fama erat.

Neque alia Carthaginiensibus promittendi Romanis auxilij caussa fuerat; quàm, ut ne PYRRHVS in Siciliam transire possit; Romano bello in Italiâ implicitus, distineretur.

MEDICI REGIJ PERFIDIA, ROMANORVM CANDOR.

Tum PYRRHI Medicus, NICIAS. (Alij, TIMOCHARIDEM vocant) ad FABRICIVM Cos. venisse traditur; qui venale regis sui caput offerret. sive, si de præmio conveniret, regem venenis necare promitteret.

FABRICIVS (al. Senatus Romanus) hanc perfidiam aversatus, monuit regem; Vt circumspectiùs ageret; atque à proximorum insidijs salutem tutaretur.

Rex populo Rom. laudes atque gratias scripsit; captivosque omneis, quos tum habuerat, restituit.

Dum pacem nihilo-minus postularet; priùs ex Italiâ excedere, quàm de pace agere, iubetur.

Atque ipse specie obsequij, seu pace iam impetratâ, in Siciliam secedit; sperans se feliciùs adversùs Pœnos pugnaturum, quàm in Italiâ adversùs Romanos fecisset.

PYRRHVS IN SICILIAM TRANSIT.

Commodum namque post hæc Siculorum legati supervenerant tradentes PYRRHO totius Insulæ imperium; quæ assiduis Carthaginiensium bellis vexaretur.

Relicto, itaque, Locris, ALEXANDRO F. sociorumque civitatibus valido præsidio firmatis, in Siciliam exercitum traiecit.

Ipse Syracusas adpulsus, multarumque civitatum potitus, rex Siciliæ, sicut & Epiri; appellabatur.

Quarum rerum felicitate lætus, HELENO Filio Siciliæ, velut avitum; (susceptus namque ex filiâ AGATHOCLIS regis, erat) ALEXANDRO autem alteri, Italiæ regnum destinabat. Et multa certè secunda prœlia cum Carthaginiensibus fecerat.

ROMANI DEFECTORES CASTIGANT.

3676. 8. Philad. 6. Ant. Soter.		274.

Tarentinorum temeritas; & auxiliaris PYRRHI adventus, multos Italiæ populos ad defectionem pertraxerat. Romani, PYRRHO iam amoto, defectores priùs, quam hosteis, castigandos rati; Samniteis bello, licet infeliciter, adorti sunt. Crotonem tamen frustrà vi oppugnatam; simulatâ deinde decessione securam, RVFINVS Cos. occupavit.

PTOLEMÆI PHILADELPHI POTENTIA.

PTOL. PHILADELPHVS, licet litterarum amantissimus, & in civeis pariter atque externos munificentissimus; falso tamen cognomine φιλάδελφ@ dictus censeatur; qui duos fratres, ex EVRYDICE natos, occiderit. dubium, moresne in ijs exosus, an consortij impatiens!

Sororem ARSINOEN, non fraterno, sed incesto amore dilexit, & uxorem duxit.

THEOCRITVS Poëta eius potentiam ita describit; ut dicat eum Ægypto, Phœniciæ, Arabiæ, Syriæ, Libyæ, Æthiopibus, Pamphyliæ, Ciliciæ, Cariæ, Lyciæ & Cycladibus imperâsse. Vrbeis 3339. possedisse.

B. Hieronymus, ex fide Historicorum, (in c. xi. Dan.) habuisse eum, CC. M. pedit. & equitum XX. currus bis Mille; elephantos, quos primus ex Æthiopiâ eduxerit, CD.

Naveis longas, quæ Liburnæ dictæ, MD. alias onerarias ad Mill. Auri quoque & argenti grande pondus. Ita ut de Ægypto, singulis annis, XIV. M. DCCC. argenti talenta acciperet: & frumenti artabas (quæ mensura tres modios, & tertiam modij partem comprehendit) quinquies & decies centena millia.

Cuius tàm effrenis potentiæ comes, plerumq., impotẽtia.

SOTADES Poëta, tàm luxu perditus, quàm maledicus; quòd regis sui incestum, increpuisset; carceris pædore malè perijt.

Sub eodem tamen rege, viri docti permulti domesticâ familiaritate & liberalitate floruére, Poëtæ VII. Pleiades dicti: Callimachus, Apollonius, Aratus, Bion, &, quem dixi, Theocritus, &c. cum Mathematicis, Conone, Hipparcho, &c.

FRVGA-

FRVGALITATIS ROMANÆ EXEMPLVM.

3677. 9. Phil. 7. Ant. Soter.		273.

Quùm gravis pestilentia Romæ summâvi in homines pecudesque sæviret; CORN. RVFINVS, duobus antè Consulatibus defunctus, vel pestis amoliendæ, vel clavi figendi caussâ, DICTATOR creatus fuisse traditur.

Is criminis loco accusatus, (*ô salutarem eâ tempestate Romm. pauperiem & frugalitatem!*) quòd decem pondo argenti facti domi baberet. Eamque ob caussam Senatu motus, FABRICIO & PAPO CENSORIB.

(Eodem tempore videntur Romm. cum Samnitibus, Lucanis & Bruttijs, absente PYRRHO, bellum continuâsse: Et FAB. GVRGES de ijsdem triumphâsse.)

PYRRHVS E SICILIA IN ITALIAM REDIT.

3678. 10. Phil. 8. Ant. Soter.		272.

Tarentini, cum Lucanis & Samnitibus, quùm se à Romanis graviùs urgueri viderent, PYRRHVM in Italiam revocant; & nuntiant: Romanis resisti non posse; deditionemque futuram, nisi subveniat.

Ille tàm ambiguo periculo anxius, tutissimum putavit, omnibus viribus decernere in Siciliâ; & profligatis Carthaginiensibus, victorem exercitum in Italiam transportare.

Conserto itaque prœlio, cum superior fuisset; quoniam tamen à Siciliâ abiret, pro victo fugere visus est: ac propterea socij ab eo defecerunt. & imperium Siciliæ, *tàm citò amisit, quàm facilè quæsierat.*

Sed nec in Italiâ meliore felicitate usus est. Suprema illi in Lucaniâ pugna fuit, sub Arusinis, quos vocant, campis, FABRICIO ÆMILIOQVE Coss.

Vbi feræ cædem, quæ primam illi victoriam pepererant; secundam parem fecerant; tertiam, ex sui perturbatione & casu, Romanis tradidére.

Iustin. lib. 25. tradit PYRRHVM, navali prœlio à Pœnis victum, ab ANTIGONO Macedoniæ rege supplementum militum per legatos petijsse; & denuntiâsse; ni mittat, redire se in regnum necesse habere. Incrementa rerum, quæ de Romanis voluerit, de ipso quæsitutum.

Quod ubi negatum legati rettulére; dissimulatis caussis, repentinam finxit profectionem. Socios interim parare bellum iussit. Et arcis Tarentinæ custodiam HELENO F. & amico MILONI tradidit.

Sic illo bis castris exuto, bis saucio, & in Græciam suam trans Mare fugato; non modò pax & quies Romanis parta; sed uno illo Tarentino bello, intrà quadriennium, maxima Italiæ pars in ditionem ab ijs redacta est. Et tanta de opulentissimis gentibus spolia relata; ut victoriam suam Roma non caperet.

PYRRHVS REDVX GRÆCIAM TVRBAT, ET TANDEM CADIT.

3679. 11. Phil. 9. Ant. Soter.		271.

PYRRHVS in Epirum reversus, ubi novas se conscripturum copias finxerat; statim fineis Macedoniæ invadit. Illi ANTIGONVS cum exercitu occurrit; victusque prœlio in fugam vertitur.

Atque ita victor Macedoniam in deditionem accipit. Et veluti damna amissæ Italiæ Siciliæque, acquisito Macedoniæ regno, pensâsset; relictum Tarenti filium, & amicum, arcesit.

ANTIGONVS autem cum paucis equitibus, fugæ comitibus, amissi regni speculaturus eventum, Thessalonicam se recepit: ut indè, conductâ Gallorum mercenariâ manu, bellum repararet.

Sed rursus à PTOLEMÆO, PYRRHI Filio, victus, cum VII. comitibus fugiens, non iam recipeṛandi regni spem; sed salutis latebras, ac fugæ solitudines captabat.

PYRRHVS igitur in tanto regni fastigio collocatus, iam nec eo, ad quod votis perveniendum fuerat, contentus; Græciæ Asiæque imperium meditatur. Neque illi ex regno maior, quàm ex bello voluptas erat. Quem ut nemo, quà tulisset impetum, sustinere valuit; ita longè melius acquirere imperia, quàm retinere studuisse, visus est.

Itaque cùm copias Cherroneso transposuisset; legationibus Atheniensium, Achæorum, Messeniorumque exceptus est. Et Græcia omnis admiratione nominis eius, simul, & rerum adversus Romanos Pœnosque gestarum gloriâ, attonita, adventum eius exspectabat.

Tarentini tamen, ubi vidérunt se foris à Ro-

manis urgueri; & intùs à præsidiarijs peregrinisque militibus gravari; in MILONEM, qui ibi à PYRRHI relictus erat, ut spe subsidij socios in officio fideque contineret; insurgunt, & à Romanis veniam ac pacem petunt; nec statim impetrant.

PHILADELPHI CVM ROMANIS SOCIETAS.

3680. 12. Phil. 10. Ant. Soter. | 270.

PTOL. PHILADELPHVS PYRRHO ut potentior, ita prudentior; Romanorum amicitiam exambit; & legatos Romam mittit; invictæ eorum fortitudini congratulaturus.

Romani vicissim FABIOS, GVRGITEM scilicet, & duos PICTORES cum OGVLNIO, Alexandriam mittunt, ut cum rege societatem iungerent.

Qui non modo humanissimè à rege accepti sunt, sed cum amplissimis donis dimissi.

(Iustin. lib. 18. addit; Legatis ad cœnam invitatis aureas coronas missas esse: quas illi honoris quidem caussâ receperint, sed posterâ die statuis regis imposuérint.)

Et illi dona, quæ privatim à rege acceperant, antè, quam ad Senatum legationem referrent, in publicum ærarium rettulérunt. Sed Senatûs populique decreto, eadem ijs, quòd attentam in Dorodociâ maiorum disciplinam observâssent; restituta sunt.

PYRRHI EXITVS.

PYRRHVS verò, dum Spartanos bello lacessit; maiore ibi mulierum quàm virorum, virtute exceptus, PTOLEMÆVM F. & robustissimam exercitûs partem amisit.

Filius in ipsâ oppugnatione, dum in mediam usque urbem equo procurreret; concursu multitudinis interfectus est. Cuius corpus ut Patri relatum, dixisse eum ferunt; *Aliquantò tardiùs illum, quàm timuerit ipse; vel temeritas eius meruerit; occisum esse.*

Repulsus à Spartanis PYRRHVS, Argos petit. Vbi dum ANTIGONVM, in urbe clausum, expugnare conatur; & inter confertissimos violentissimè dimicat; saxo de muris ictus (al. tegulâ, manu muliebri in caput coniectâ) occiditur.

ANTIGONVS, capite hostis ad se delato. victoriâ mitiùs usus, filium eius HELENVM, cum Epirotis sibi deditum, in regnum remisit: eique insepulti Patris ossa in patriam referenda tradidit.

Hic exitus Æacidarum, qui belli quàm sapientia gloriâ semper præstitisse existimati.

(Iustin. tamen, neminem ait, non inter reges tantùm, verumetiam inter illustreis viros, aut vitæ sanctioris, aut iustitiæ probatioris præ PYRRHO, visum fuisse.

Patriam suam, angustam ignobilemque, famâ rerum gestarum, & claritate nominis sui, toto orbe illustrem reddidisse.)

SAMNITES CVM ROMANIS PACEM FACIVNT.

3681. 13. Phil. 11. Ant. Soter. | 269.

SAMNITES, qui cum Romanis per annos circiter LXX. belligerati fuerãt; & de quibus Romani XXXI. triumphos egerant. quique per biennium, PYRRHO in societatem adscito; suo magis milite vireis eius auxerant, quàm ipsi eius viribus fuerant defensi; ab eodem deserti, pacem necessariam accepérunt. Quibus Lucani & Bruttij in pareis leges accessêre.

TARENTINI ROMANIS DEDITI.

Tarentini quoque, comperta PYRRHI morte, quùm nec à Romanis pacem impetrare; nec MILONEM, qui arcem obtinebat; & suo, quàm legati nomine imperare mallet; à se amoliri possent; ad Carthaginenseis confugiunt, opemque ab ijs flagitant. Romanorum quidem in speciem socijs; at æmulis. quippe qui hostibus, quàm amicis propiores essent.

MILO, qui se tribus simul hostibus imparem sentiret (Romanis terrâ; Carthaginiensibus Mari prementibus) cum PAPIRIO CVRSORE Cos. paciscitur, *Vt sibi cum suis tutò liceat discedere.*

Arce captâ, FABRICIVS, nullo negotio, Carthaginiensibus, utì Romm. federatis, è Portu digressis, potitus est.

FRONT. lib. 4. tradit; PAPIRIVM MILONI, & popularibus Epirotis, si per illum opido potiretur, salutem esse pollicitum: Eumque ijs præmijs corruptum, Tarentinis persuasisse; ut se legatum de pace ad consulem mitterent.

A quo, quùm plena promissa ex pacto rettulisset; opidanis in securitatem resolutis, Vrbem incustoditam CVRSORI tradidisse.

Muris urbis dirutis, armis & navibus traditis. pax Tarentinis, & libertas, sed pacto tributo data est.

RHEGINI AB INFIDO PRÆSIDIO LIBERATI.

3682. 268.
14. Phil.
12. Ant. Soter.

Rhegini, metu Pœnorum simul & Pyrrhi, auxilium à Romanis impetraverant. Et milites quidem præsidiarij, duce Dec. Campano, (à quo Legio Campana, dicti) quater Mille, Vrbi fidem diu servârunt: civibus summam potestatem penes se retinentibus.

Sed paullo-post ijdem Romanæ spei, ob Pyrrhi adventum, diffisi; & tum rei opportunitate, tum urbis opulentiâ pellecti, civitatem sociam pessimè tractârunt. & civium partim occiderant, partim in exsilium pepulerant.

Idque non tàm Mamertinorum, popularium itidem è Campaniâ militum, exemplo permoti; quàm susceptæ in pari facinore conjurationis participes.

Campani namque, multo-ante, sub Agathocle in Siciliâ militantes, & urbis Messanæ splendorem opulentiamque admirati; simul-atque oblata fuit rei patrandæ opportunitas, violatâ federis fide, & impetu in urbem facto; civeis partim ejecerant, partim trucidârant: eorum uxores & liberos, item fortunas & agros, inter se partiti.

Romani licet tantam perfidiam atque immanitatem militum suorum detestati; & Rheginorum civium vicem miserati; subsidium tamen, ob superiora bella, ferre non poterant.

Bellis autem, quæ diximus, confectis, missus Genvcivs Cos. qui Rheginos liberali manu assereret, Vrbem obsessam & captam liberat. & perfidos illos milites, quotquot ex acerrimâ se defendentium pugnâ supererant, ad ccc. Romam e-vestigio mittit. Ij à prætoribus flagris cæsi ac securi percussi sunt: & unà cum urbe, agri Rheginis restituti.

HIERON SICILIÆ REX.

3684. 266.
16. Phil.
14. Ant. Soter.

Post Pyrrhi è Siciliâ profectionem, Hieron, de quo suprà Magistratus, hoc est, Princeps regni, à Siculis creatur.

Cuius tanta moderatio fuit; ut consentiente omnium Civitatum favore, dux adversùs Carthaginienseis primùm, deinde rex crearetur. Agebat ille tum annum circiter xxxvi. & ex eo tempore liv. annos regnavit.

MONETA ARGENTEA ROMÆ.

C. Fabio Cos. Argentum Romæ signari cœptum, ann. v. antè I. Bellum Punicum. Argenti copia, ex cuiusdam in Samnitibus castelli expugnatione comparata. Ità cum æneis nummis anteà usi essent Romani, argentei denarij tum percuti cœpêrunt.

NOVÆ ROMANOR. IN ITALIA COLONIÆ.

3685. 265.
17. Phil.
15. Ant. Soter.

Conditæ à Romanis, sive Coloniæ deductæ; Ariminvm in Piceno; & Beneventvm in Samnio. Et suffragij ferendi ius datum Sabinis.

Domiti Picentes, qui socij hostium fuerant; & caput gentis Ascvlvm.

Stabant in acie pugnaturi Picentes & Romani, quùm exortus terræ-motus utrosque exterruit.

Cos. Sempronivs Tellvri Ædem vovet; & Picenteis superstitione exterritos, quasi voti compos, debellat.

LEGATIONIS VIOLATÆ POENA.

Legatos ab Apolloniâ Romam, societatis caussâ, missos, Q. Fabivs & Cn. Apronivs, Ædiles, ortâ contentione, pulsârant.

Id ubi comperit Senatus; continuò eos per feciales legatis tradidit: Quæstoremque cum his, Brundisium usque, ire iussit; ne à deditorum cognatis violarentur.

BRVNDI-

BRVNDISINI PORTVS OPPORTVNITAS.

3686. 18. Philad. 16. Ant. Soter. — 264.

Brundisinis, Salleutinis, & Calabris, crimini datum; quòd PYRRHO, quàm Romanis, æquiores fuissent.

Sed quoniam Brundisium tàm commodo Portu instructum erat, ut eodem vento illuc adpellere, & inde solvere liceret; tantò avidiùs à Romanis appetitus videtur opportunus ille in Græciam traiectus.

Apolloniates iterum legatos, sed de iniuriâ, misérunt. Q. FAB. Senator, eorum qui Apolloniatibus, dediti fuerant, cognatus, legatos contumeliâ adfecerat.

Senatus, ut Apolloniam, in ipsâ Græciâ, ceu patentem ad Ionicum Sinum ianuam, amicam haberent; hunc itidem Senatorem Apolloniatibus dedidit.

Illi, ne litem lite fererent, FABIVM incolumem Romam remisérunt.

VVLSINII SERVILI MALO LIBERATI.

3687. 19. Philad. 17. Ant. Soter. — 263.

Vulsinij (quos postremos Italicorum in fide mansisse, tradit Flor.) Etruscorum opulentissimi, & antiquissimi, magnis opibus, mœnibus validis, & rep. optimis legibus constitutâ freti, diu Romanis bello restiterant.

At postquàm specie societatis, Romanis subiecti esse cœpérunt; securitas in delicias desidiamque vertit. Atque ità otio dediti, servos temerè manu mittebant; & per libertos domi forisque omnia administrabant.

Liberti verò dominorum facilitate, & opibus abusi; pro servis, heros, se gerere; & translatâ in se rep. dominari cœpérunt.

Illi itaque sic oppressi Romam mittunt; rogantque, ut Senatus in Æde privatâ sibi detur.

Sed ne sic quidem legatio latuit. Legati domum reversi, cum multis civitatis primoribus, à servis interfecti sunt.

Bellum igitur in servos decretum; quod anno sequente à DECIO Cos. confectum est, opido exciso, & indigenis aliò; & II. Millibus statuarum, Romam translatis.

CENSVS ROMÆ HABITVS.

Quùm verò iam clarum Vrbis Romanæ nomen esset; arma tamen extrà Italiam nondum moverant. Vt igitur quæ copiæ Romanorum essent, certò cognosceretur; census est habitus. & inventa sunt civium capita, CCXCII. Millia, & CCXXIV.

ROMANI ITALIÆ DOMINI SICILIÆ INHIANT.

3688. 20. Phil. 18. Ant. Soter. — 262.

Populus Romanus annis propè quingentis (decennio minus) domi luctatus, tum demum caput Italiæ, quam domuisset & subegisset; iam esse cœperat.

Annis CC. qui consequentur; Africam, Europam, Asiam; totum denique pænè orbem terrarum bellis victorijsque peragravit.

Et quùm à terrâ, fretum usque venisset; paullisper substitit. Sed mox opulentam in proximo prædam; Siciliam, quodam modo ab Italiâ suâ revulsam, conspicata; adeò cupiditate eius exarsit; ut quatenus nec mari iungi, nec pontibus posset; armis belloque iungenda, & ad continentem suam revocanda, videretur.

Sed ecce, ultrò ipsis, viam pandentibus fatis, nec occasio defuit: quùm de Pœnorum impotentiâ, federata Siciliæ civitas, Messana, quereretur.

Adfectabat enim, ut Romanus, ità Pœnus; Siciliam; & eodem tempore, paribus uterque populus votis ac viribus, imperium orbis agitabat.

Romani itaque, qui Rheginos antè sexennium liberârant; à Mamertinis, (sic dicti à Campanis, Messanenses) qui initâ cum militibus, Rhegij præsidiarijs, conspiratione, suos pariter civeis oppressisse iudicabantur; pœnas aliquando reposcere instituerant.

BELLVM

BELLUM SICULUM ET PUNICUM.

Intereà, Hiero, cum Pœnis coniunctus, Mamertinos obsidebat.

Ex hisce, alij à Pœnis; alij à Romanis opem petendam censebant, dum hi Pœnorum perfidiam; illi, sceleris sibi conscij, Romanorum iram reformidant. Pœni interim arcem sibi traditam occuparunt.

Opidani nihilo-minus Romam mittunt legatos, qui veniam antè-actorum deprecentur, & opem implorent.

3685. 21. Phil. 19. Ant. Soter.		265.

Romæ diu deliberatum; an Mamertinis ferendum esset auxilium. Per-absurdum enim videbatur, immò & iniquum, perfidos & perduelles, ultima commeritos, iuvare. Et qui cives suos, Rhegij proditores, ultimo supplicio adfecissent; Barbaros, eiusdem sceleris participes, ab exitio liberare.

Sed contrà alij contendebant; præstabilius esse, Messanam servari, quàm in Hieronis, aut Pœnorum potestatem recidere.

Non esse ferendum, ut Pœnorum potentia, iam nimia, & Italiæ imminens, (qui non Africam modò; & magnam Hispaniæ partem; sed insulas etiam omneis Sardoi & Tyrrheni Maris, vi atque armis sibi subegissent) hoc prætereà in Sicilià incrementum accipiat; suum um veluti pontem & traiectum in Italiam *Vicit tamen utilitas.*

Ap. Claudio Caudici Cos. Sicilià decreta; dum alter, M. Fulvius Flaccus, Etrusco apud Vulsinos bello implicatur,

Claudius quidam, Trib. Militum, à Consule præmissus, quùm naviculà Messanam traiecisset; & cum utrisque (Hierone & Pœnis) de pacis conditionibus frustrà egisset; classe fretum superare conatus; tum vi tempestatis, tum Pœnorum solertià, multis amissis navibus, vix Rhegium tenuit.

Hanno quidem Pœnorum Imperator, navibus, quas ceperat, remissis, Appium ad componendam secum pacem provocavit:

Ille verò eam repudiat; & classe refectà, & perspectà freti æstûsque naturà, in Siciliam traiicit.

Mamertini, quùm arcis suæ præfectum ex urbe eiecissent; Appium ad se vocant; civitatem in eius manus tradituri.

Pœni legatum ad Consulem mittunt; & ut certà die Romani Sicilià decedant, edicunt.

Quod ubi frustrà fuit; coactis repentè terrà marique copijs, Messanam artissimè obsident.

Hieron oblatam sibi occasionem ratus, Barbaros, qui Messanam tenebant, è Sicilia expellendi; fœdere cum Carthaginiensibus inito, castra cum copijs alteris, eidem urbi admovit.

At Cos. Romanus, freto per noctem traiecto, Messanam adpulsus, quùm urbem acerrimè undique premi, & imparem se hostibus esse; atque adeò obsidionem turpem non minus sibi, quàm periculosam futuram cerneret; legatis ad utrumque missis, tentandum sibi duxit; *an rebus pace compositis, Mamertinos præsenti belli exitio liberare posset.*

Quod ubi non succedit; copias, instructà acie, in Hieronem & Syracusanos educit. Victor Romanus hostem, multis cæsis, in castra usque persecutus est. & Cos. spoliatis cæsorum corporibus cum exercitu in urbem se recepit, Hieron verò, peiora metuens, nocte proximà Syracusas properè contendit.

Postridie Appius, auctis ex Syracusanorum fugà animis, nihil cunctatus, milites corpora curare iussos primà luce iterum educit; & consertà cum Pœnis, diversà parte castra metatis, manu, partim trucidat, partim in proxima opida recipere se cogit.

Ità duplici hoste solutus, & patentis campi potens; agris undique pervastatis, Syracusas ipsas tandem obsedit.

Hæc fuit prima Romanorum extrà Italiam expeditio; & primi belli Punici initium. Quo neque diuturnius ullum (xx.v. ann.) neque quod maiore adparatu, pluribusve pugnis & facinoribus, magisve vario utrimque eventu, inter duos populos, eà tempestate legibus suis integros, fortunâ mediocres, & viribus pareis, gestum sit; reperiri facilè possit.

HIERONIS CUM ROMANIS SOCIETAS.

3690. 22. Phil. 20. Ant. Soter.		260.

Ad famam adventûs duorum Coss. M. Valerij Maximi, & Messalla M. Otacilij, cum iv. legionibus & auxilijs, pleræque Siciliæ civitates, vel Hieronis infirmitatem despicatæ; vel Pœnorum perfidiam exosæ; ad Romanos defecère.

Hieron quoque tutiorem sibi, & illustriorem cum Romanis, quàm cum Pœnis, futurà societatem arbitratus; mittit ad Coss. qui pacem petant.

Quæ eà lege concessa est; *Vt captivos omneis rex gratis dimitteret; & centum argenti talenta penderet. & deinceps Syracusani socij atque amici pop. Romani appellarentur.*

Rex ille,

Rex ille, fidus in posterum, auxilijs & commeatibus Romanos duces iuvit. & ipse, Principū omnium, qui inter Græcos gloriæ aut dominationis cupidi exstitérunt, fortunatissimus; securè & diutissimè, sub eorum tutelâ, regnavit.

Quo in societatem adscito, Romani levius fore in Siciliâ bellum; neque necessarium, copias omnes extrà Italiam mittere arbitrati; duas modò legiones satis superque esse, in maiore uti apparebat, & peregrinâ rerum necessariarum copiâ, duxérunt.

NOVA TYRANNIS IN GRÆCIA, ARATVS VINDEX.

Sicyonij, ut plerique ex Peloponnesijs, statu ARISTOCRATIÆ sublato, perditorum quorumque, qui tyrannidem modò invadere audebant; prædæ erant.

TIMOCLIDAS & CLINIAS, virtute, quàm potentiâ inter civeis suos præstantes, occiso CLEONE tyranno, meliorem reip. constituendæ spem, simul, & quietem dabant. quòm TIMALCIDAS fato suo functus est; & mox ABANTIDAS PASIÆ F. in CLINIAM, ad finem suum, insurgit. Eoque interfecto, tyrannidem occupat, ann. XIII. CLINIÆ F. septennis, ARATVS, Patris percussores fugiens; & à SOSA, PROPHANTI, patrui sui, viduâ, sed Abantidæ sorore, occultatus; proximâ nocte Argos perductus est; quò multi è Sicyone exsules, aut tyrannidis osores, confugerant.

Ibi liberaliter educatus, & honestis moribus atque artibus imbutus, Princeps evasit, commemorabilis, patriæque vindex.

Sub idem pænè tempus, quùm ab excessu PYRRHI, singulæ in Peloponneso civitates, aut societatem cum ANTIGONO Gonatâ iungerent; aut mutuis inter se odijs, in bellum ruerent; Eleorum quoque urbs ab ARISTOTIMO Principe, per tyrannidem, occupatur.

A quo cum multi, ex primoribus, occisi; plures in exsilium acti essent; Ætolis per legatos postulantibus, coniuges liberosque exsulum redderet; primò negavit: posteà, quasi pœniteret, proficiscendi ad suos omnibus matronis potestatem dedit; diemque profectioni constituit.

Illæ quasi in perpetuum cum viris exsulaturæ, carissima quæque auferentes, quùm ad portam simul convenissent; omnibus rebus exspoliatæ in carcerem recluduntur. Occisis priùs in gremio matrum parvulis liberis, virginibusque ad stuprum direptis.

Hic ad tam sævam dominationem attonitis omnibus, Princeps eorum HELLANICVS, senex & liberis orbus, contractos domum fidissimos amicorum, in vindictam patriæ hortatur.

Qui dum cunctantur, & deliberandi spatium postulant; ille arcessitis servis, fores obserari iubet; tyrannoque nuntiari: *Mitteret, qui coniuratos apud se comprehenderet.* Obiectans singulis; se quia liberandæ patriæ auctor esse non posset, eius desertæ ultorem futurum.

Tunc illi ancipiti periculo circumventi, & honestiorem viam eligentes; coniurant in necem tyranni.

Atque ità ARISTOTIMVS, quinto pòst quàm tyrannidem occupaverat, mense, oppressus est.

ANTIOCHVS THEOS III. SYRIÆ REX.

3692. 23. Phil. 1. Ant. Thei. — 258.

ANTIOCHO SOTERI, Asiæ & Syriæ regi, cum ann. XIX. regnásset, succedit cognominis F. ANTIOCHVS, III. Syriæ rex, quem Parasiti Aulici impiâ appellatione, Θεὸν, Deum, nuncupárunt. regnatque ann. XV.

NOVI POENORVM BELLO SICVLO ADPARATVS.

Carthaginienses, ubi HIERONEM hostem sibi factum; & Romanos maiore Siciliæ parte potitos esse vidérunt; validioribus sibi copijs opus esse rati; ex adversâ sibi regione, magnam vim Ligurum atque Gallorum, & plerosque ex Hispania milites. in supplementum conscribunt.

Quibus in Siciliam traductis, quòd Agrigentum, urbem ad belli adparatum peropportunam, & adversùs hosteis à fronte munitissimam esse iudicarent; contractis in eamdem undique copijs, & commeatu comportato; illâ, veluti quadam belli arce, adversùs Romanos uti instituérunt.

Consulibus ijs, qui cum HIERONE fœdus perconsferant, L. POSTVMIVS MEGILLVS, & Q. MANLIVS VITVLVS, suffecti, simul-atque cum exercitu (II. legionibus, & auxilijs) in Siciliam venére; ipsum Agrigentum, quod L. circiter hominum Millia, duce Annibale, tenebant; obsidere, atque eminùs oppugnare adgressi sunt.

Et haud longiùs IIX. ab urbe stadijs castra metati, Pœnos mœnibus iam inclusos tenebant.

Illi nihilo minus militem Romanum procul à castris palantem; & colligendis, adultâ iam messe, frugibus intentum, conspicati; magnâ vi pars in castra, pæne vacua, pars in frumentatores, de improviso impetum faciunt.

Romanis saluti fuit disciplinæ militaris austeritas, apud quos stationem deserere capitale erat. Quo effectum est, ut ipsi fortissimé resistentes, plureis ex hostibus interfecerint; neque modò à castris, quæ iam tantum non diripiebantur, averterint; sed in ipsa propè mœnia præcipiteis impegerint. Hinc, maior apud utrosque in excurrendo cautio.

Commeatus;

Commeatus, aliaque necessaria, à socijs Romanorum in Erbessum oppidum summo studio congerebantur; ut inde tanquam è foro peterentur, aut in castra inferrentur.

Vrbe tandem, ex quinquemestri obsidione, & quotidianis excursionibus, ad inediam redactâ; missæ sunt ex Africâ recentes ad ANNONEM, alterum in Siciliâ ducem, copiæ cum elephantis.

Is Erbesso, quod rei frumentariæ horreum erat Romanis, per proditionem receptâ; iam obsessores ipse vicissim obsidére visus.

Neque Romanis commeatûs, aut auxilij spes ulla adfulgebat; quòd HIERO, ea quæ necessaria erant, solus suppeditare vix posset: & ipsi crebris Annonianorum excursionibus fatigarentur. Quùm ANNIBAL auxilium, inediæ suæ impatientius, consuetis flammæ nocturnæ indicijs & nuntijs, expostulas, eò ANNONEM adegisset ut copijs in aciem eductis cum Romanis, quibus fames iram, ira fortitudinem acuerat, prœlium committeret. & ipse, acceptâ per elephantos suos strage, ab ijsdem repelleretur.

ANNIBAL verò, rebus iam desperatis, dum Romani, & recenti victoriâ elati, & prœlij hesterni laboribus fessi, negligentiùs custodias agunt; commodum expediendæ suorum salutis tempus adesse ratus, nocte intempestâ, cum stipendiarijs, Agrigento egressus, per medias hostium stationes, incolumis evasit.

Romani paullisper fugientium vestigia persecuti, mox portis vi patefactis urbem locupletissimam capiunt & diripiunt.

NICOMEDIÆ CONDITVS.

(Sub id tempus NICOMEDES, Bithyniæ rex, Astacum, veterem urbem, muris ædificijsque ampliatam, de suo nomine Nicomediam appellavit.

CLASSEM NAVALEM ADPARANT ROMANI.

3693. Phil. xxiv. 11. A. Th. | ———— | 257.

Agrigento expugnato, novi Coss. L. VALER. FLACCVS, & T. OTACILIVS CRASSVS magno militum delectu habito, in Siciliam missi, bellum penè, cum hostibus, maris dominis, æquabant.

Pleraque enim ex Mediterraneis Siciliæ opidis, metu pedestrium copiarum, ad Romanos defecere. & complures maritimæ civitates, ad famam classis adventantis, Carthaginiensibus se dedidére.

Sed quoniam Italia, ob nauticæ rei imperitiam, navalibus è mari incursationibus obnoxia; Africa verò, ab istiusmodi bellorum periculis expers esse videretur. quod Carthaginienses peritissimi, maris Mediterranei imperio fruerentur: Romani tunc primùm & naves cum idoneis instrumentis conficere, & navalis pugnæ periculum facere instituérunt.

3694. 25. Phil. 151. Ant. Th. | ———— | 256.

Ipsa velocitas classis comparatę, quoddam quasi futuræ victoriæ auspicium fuisse censeatur. Intra enim LX diem, quàm cęsa silva fuerat, CLX. navium classis in anchoris stetit. Et pauciorum dierum intervallo, milites ad remigium imaginarium, subsellijs in arena seriatim dispositis, exercitati, & omnimodam navigandi artem edocti, verum in undis peritiæ suę periculum facere ausi sunt.

CN. CORNEL. SCIPIO ASINA Cos. classi novæ præfectus, dato Navarchis suis mandato, ut cum omnibus navibus, ubi perfectæ essent; ad fretum venirent; ipse cum XVII. Messanam contendit. Vbi rebus, quæ ad classem usui essent, paratis, aliquantò celeriùs, quàm necesse erat, cum totidem, quot dixi, navibus in Liparas navigavit.

ANNIBAL, Carthaginientium dux, qui Panhormi cum classe erat, BOODEM Senatorem, cum XX. navibus eodem transmittit. qui navibus Romanorum in portûs angustias conclusis, & multitudine in continentem fugiente; Consulem inopinato malo (Flor. simulato colloquio evocatum) & Punicâ perfidiâ circumventum, & ultrò se dedentem, ad ANNIBALEM abduxit.

Is cognito, reliquam Romanorum classem, secundùm Italiæ litora navigare, & haud procul à Siciliâ abesse; delectis L. navibus, eodem, quasi ad spectaculum novę classis, non ad prœlium, contendit.

Sed contrario cursu delatus, in classem Romanam, bene instructam, de-inopinato delapsus, subitâque vi oppressus; compluribus navium amissis, ipse præter spem suam, cum paucis salvus effugit.

C. DVILLIVS NEP. alter Cos. pedestres copias, quibus præerat, Tribunis militum relinquens; in Mylasiam regionem, quam Pœni populabantur, cum classe profectus est.

Hostes detorquere remos, & ludificari fugâ rostra anteà soliti, quùm suas celereis volucreisque naveis à gravibus tardisque Romanorum comprehendi, & manibus ferreis, uncis, alijsque machinis (quę novo CORVORVM nomine tum indigetabantur) simul colligari; & certamen, quasi pedestre, in solido decerni vidérunt; primò territi; deinde Romanis in sua navigia per machinas irrumpentibus, promiscuè

cæsi; alij sese dedidérunt; alij in fugam versi sunt.

Dux ipse, septiremi, quæ PYRRHI olim fuerat, alijsque quinquaginta amissis, in scapham prosiliens, vix evasit.

Romani deinde Segestam periclitantem, hostium obsidione liberant; & urbem Macellam expugnant.

Ab hoc prælio AMILCAR, pedestrium in Siciliâ copiarum dux, qui ad Panhormum sessitabat: audito socios à Romanis, vel ob æmulationem, vel ob iniquiorem prædæ distributionem, dissidére; & illos seorsim, inter Propum & Thermas, castra fixisse; eos ex improviso adortus, ad IV. hominum M. cecidit.

ANNIBAL cum reliquijs navium Carthaginem reversus; & paullò-pòst cum novâ classe, & claris aliquot Trierarchis, in Sardiniam missus, in portu quodam à Romanis conclusus, omnem ferè classem amisit. Atque adeò ex hostium manibus iterùm elapsus, mox a Carthaginiensibus captus, pro familiari Pœnorum in suos duces sævitiâ, cruci adfixus est.

DVILLII TRIVMPHVS NAVALIS, &c.

3695. xxvi. Phil. iv. Ant. Th. | 255.

DVILLIVS itaque primus, inter Romanos duces, navalis victoriæ duxit triumphum. Eamque ob caussam ei perpetuus quoque honos habitus est; ut redeunti à cœnâ funalia prælucerent, & tibiæ præcinerent. (Tacit. l. 2. Iano Templum, apud Forum Olitorium, ab eo exstructum: Et Plin. l. 34. columnam ibidem posuisse, cuius tituli nunc quoque exstent fragmenta.)

L. CORNEL. SCIPIO, collega Q. AQVILII FLORI, in Consulatu, in Sardiniâ & Corsicâ, eodem anno adversus ANNONEM POENORVM ducem, feliciter pugnavit. (Flor. Caralæ urbis excidio, incolas terruit) Et ipsum ANNONEM, in Olbiæ oppugnatione cæsum, amplo funere extulit.

AMILCARI verò, alteri Pœnorum duci qui totam Siciliam brevi subacturus videbatur, alter Coss. FLORVS obstitit. Ambo itaque Coss. de Pœnis triumphárunt. (Polybius tamen nihil sanè memoriâ dignum in Siciliâ ab ijs gestum esse tradit.)

3696. xxvii. Phil. v. Ant. Th. | 254.

Coss. A. ATILIVS CALATINVS, & C. SVLPITIVS PATERCVLVS, ad Panhormum (ubi Carthaginiensium copiæ tum hibernabant) exercitû admovére.

Sed hoste pugnæ copiam non faciente, Hippanam, Mystistratum, Camarinam, Ennam, (al. Ætnam) aliaque opida, Pœnis eripiunt. Flor. Drepano, Panhormo, Eryce, Lilybæo, omnia ferè Pœnorum præsidia detraxére.

Trepidatum circa Camarinensium saltum. Sed eximiâ virtute CALPVRNII FLAMMÆ, Trib. milit. evasum est. Qui lectâ ccc. manu, infestum & infessum ab hostibus tumulum occupavit: adeoque moratus hosteis, dum exercitus omnis evaderet: & ipse tantæ expeditioni superfuit. (A. Gell. l. 3. c. 7. Q. CEDITIVM appellat, & cd. milites attribuit.)

3697. xxviii. Phil. vi. Ant. Th. | 253.

C. ATILIVS Cos. II. CNEI CORNELII BLASII collega, classi Romanæ præfectus, quùm apud Thyndaritanos stationem haberet; & classem Punicam, haud longè à litore temerè præter-navigantem, conspicaretur; mandato ducibus dato, ut se quàm-celerrimè consequantur, cum x. tantùm navibus in altum enavigans, à Pœnis, rei quoque gerendæ intentis, circumventus est. pleræque naves submersæ. & vix prætoria vi remorum evasit.

Interea Romani, cum cæterâ classe Pœnis obvij, naveis ex ijs x. onustas capiunt; IIX. mari demergunt. reliquæ in Liparæas Insulas perfugére.

Ex ancipiti hâc pugnâ, utrique multò ardentiùs ad maritimi belli adparatum animos adiecére.

3698. 29. Phil. vii. Ant. Th. | 252.

Romani quidem Coss. L. MANLIO VVLSONE LONGO, & M. ATTILIO REGVLO, (qui Q. CEDITIO, in Consulatu defuncto, erat substitutus) cum cccxxx. longis, rostratisque navibus, (ex quibus

quibus singulæ tricenis remigibus, & centenis ac vicenis propugnatoribus erant instructæ; hoc est, CXL. ferè hominum millibus) Messanam conveniunt.

Inde, superato Pachyni promontorio, Ecnomon enavigant, ubi pedestres copiæ classem præstolabantur. Hinc, toto impetu in Africam traijcere constituerant.

Carthaginienses verò, qui cum CCCL. rostratis Lilybæi primò, & deinde ad Heracleam-Minoam constiterant; quod prospicerent facilem Romanis in Libyam fore descensum: & hostibus semel in continentem ingressis, imbellcis infidosque, in agris, populos facilè à se defecturos; navali protinus prœlio cum Romanis decertare; eosque transitu prohibere decernunt.

Quadripartitis utrâque in classe copijs, hinc ANNONE & AMILCARE Pœnorum ducibus: illinc duobus Romm. Coss. atrox fuit prœlium. Et Carthaginienses quidem, celeritate & nauticâ ludificandi arte longè præstabant; Romani verò, robore militum ac virtute; & Corvorum, quibus naves inter se colligabantur, industriâ haud inferiores.

Tandem AMILCAR primus, post longum & triplex certamen, cum suis in fugam se dedit. Deinde, ANNONEM, qui Triarios, & Hippagones acerrimè opprimebat; Cos. ATTILIVS, cum integris secundæ classis navibus, suppetias suis, summo in discrimine versantibus, accurrens, naveis in altum subducere & fugere coëgit.

Postremò, Coss. ambo, diverso licet itinere, reliquos Carthaginienseis, qui circa littus tertiam Romanorum classem gnaviter oppugnabant, de-repente, à fronte simul & à tergo, circumveniunt: & circiter LXIV. naveis unà cum viris intercipiunt. Ex Romanis XXIV. & ex Punicis ampliùs XXX. naveis perijsse traduntur.

Coss. victores institutâ in Libyam navigatione, ad arcem Mercurij (quæ quasi prima Punico littore specula in mare procurrit, & Siciliam spectat) haud procul ab urbe Aspide (al. Clupeâ) expositis in terram copijs, naveis subducunt, easque vallo & fossâ diligenter muniunt.

Et urbe, quam dixi, expugnatâ; omnibusque copijs, in agrum Carthaginiensem adductis, impetum in provinciam faciunt; prædam pecorum ingentem, & ad XX. captivorum M. ad naveis perducunt.

Interea adlato Romà Senatûs mandato, ut unus è duobus Coss. in Africâ, cum idoneâ copiarum parte, maneret; alter cum classe Romam reverteretur; M. ATTILIVS REG. cum XL. navibus, & XV. pedit. millib. equitibusque D. remansit: Manlius verò cum reliquo exercitu, & captivorum multitudine, ex Africâ solvens, in Siciliam primò, mox Romam incolumis pervenit.

Carthaginienses AMILCAREM ex Heracleâ arcessitum, & V. pedit. M. cum equitibus D. adducentem, tertium universi exercitûs ducem, ASDRVBALI, ANNONIS F. & BOSTARO, a se recèns creatis, adiungunt.

Quumque illi Adim urbem ab ATTILIO obsideri cognovissent; ad eam liberandam cum omnibus copijs profecti, & in colle sibi opportuno castrametati; omnem victoriæ spem in equitatu atque elephantis collocârant.

Verùm Romani ad avertendum belluarum, quæ in prærupto monte prorsus ad bellum inutiles esse censebantur; impetum; ex utroque latere montem cinxêre.

Et licet Romanæ legiones, à mercenarijs, qui è superiore loco egregiè dimicabant, referre aliquantulùm pedem cogerentur; quùm tamen reliqui, superato alterâ ex parte monte, adparerent; Carthaginienses per abrupta, castris derelictis, præcipites aufugêre. & belluæ cum equitibus in plana delapsæ tutò omnes evasêre.

Romani castris potiti, & omnia impunè depopulati, Tunetem quoque expugnant.

Eâque occasione usi Numidæ, gens vaga & rapax, Pœnos hostiliter invadunt; & maiore quàm Romani, clade adficiunt. Rusticis in urbem Carthaginem compulsis, fames & mœror, & perturbatio universè sunt consecuta.

ATTILIVS Cos. quùm urbem tot malis oppressam brevi in potestatem ipsius venturam non dubitaret; veritus tamen ne novus Imperator, qui propediem Romà in Africam venturus credebatur, rerum à se egregiè gestarum laudem interverteret, aut delibaret; de fœdere cum Carthaginiensibus agere cœpit.

Sed quùm legati, principes civitatis, ad eum venissent; acerbitatem eorum, quæ sibi, ceu ad extremum victis, à Consule imperabantur, æquis animis audire aut ferre non potuerunt.

Et responsum, ut nimis superbum, detestati, suorum civium animis non modò indignationem, sed audaciam etiam, ex salutis desperatione, iniecêrunt.

Et redierat sub idem tempus quidam ex ijs, qui iussu Senatûs populique Carthaginiensis, in Græciam missi, militem ibi mercenarium conscripserant: & unà cum ijs XANTHIPPVM quemdam Lacedæmonium, virum rei militaris peritissimum, adduxerant. Erantque in exercitu eorum plus XII. pedit. & IV. equitum M. & C. elephanti.

ATTILII REGVLI CASVS.

XANTHIPPVS verò, qui errores à ducibus Pœnis, proximis prœlijs, præ imperitiâ, admissos palam exposuisset; tantùm fidei apud conterritos, & ultima metuenteis, Pœnos, invenit, ut summæ rei bellicæ & castrensis præficeretur,

Is mox restitutâ in melius militiæ disciplinâ; & compertâ militum, sub peregrini ducis imperio, alacritate; prœlio cum Romanis decernere ausus; legiones, quæ hactenus invictæ videbantur, partim equitatu circumfuso, partim concitato elephantorum impetu, profligavit.

Magnâque strage editâ, ut vix bis mille Aspidem salvi evaserint; Cos. REGVLVM, qui nuper Pœnis tam insoléter inequitârat, cum D. è fugâ, intercepit.

Ipse, REGVLO in catenas coniecto, in Græciam ilicò navigavit.

NOVA IN GRÆCIA BELLA.

Iust. l. 24. Paucis antè annis pleræque Græciæ civitates, velut datâ ex regum ANTIOCHI THEI, & ANTIGONI GONATÆ, dissidijs, occasione; ducibus Spartanis,

Spartanis, ad spem libertatis erectæ, missis inv cem legatis, per quos in societatis fœdera coirent; in bellum proruperant.

Et ne cum ANTIGONO, sub cuius regno erant, bellum cepisse viderentur; socios eius Ætolos adgressi erant. caussati, Cyrrhæum campum, qui Græciæ consensu APOLLINI sacratus esset, per vim abijs occupari.

Huic bello delectus AREAS, (Arrotati F. Cleomenis Nep. eius, qui postquam ann XLIV. regnásset, circa Corinthum pugnans occubuit) urbeis & sata in ijs campis posita, depopulatur, aut incendit.

Quod è montibus Ætolorum pastores, conspicati, & ad D. congregati, hosteis palanteis, & de numero incertos, consectantur; & ad IX. mill. trucidatis, prædones in fugam vertunt.

GALLORVM IN MACEDONIA CLADES.

Nec multo-pòst ANTIGONVS, dum multiplici bello Spartanorum & sociorum premeretur; novusque illi hostis, è Gallo-Græciâ exercitus, adfluxisset; in speciem castrorum parvâ manu adversus cæteros relictâ, contra Gallos totis viribus proficiscitur.

Galli in prœlium procincti, quùm exstis hostiarum, quas in auspicia pugnæ ceciderant; magna cędes interitusque omnium prædiceretur: in furorem versi, coniuges & liberos suos trucidant: & adhuc ex recenti suorum cæde cruenti, in prœlium ruunt.

Sed tantâ strage & occidione cęsi sunt; ut pariter cum hominibus, Dij, consensisse in exitium parricidarum censerentur.

FORTVNÆ LVDVS IN MACEDONIA.

Post huius pugnę eventum Spartani & socij, victorem hostium exercitum declinantes, in tutiora se recipiunt. Et ANTIGONVS statim Athęniensibus bellum infert.

In quo cum occupatus esset; ALEXANDER interim Epiri rex, ulcisci mortem patris PYRRHI cupiens, fineis Macedonię depopulatur.

Adversus quem eum reversus à Gręciâ ANTIGONVS esset; transitione militum destitutus, regnum Macedoniæ cum exercitu amittit.

Eius autem F. DEMETRIVS, puer admodum, absente patre, reparato exercitu, non modò amissam Macedoniam recipit; verum-etiam Epiri regno ALEXANDRVM spoliat.

ALEXANDER verò, quùm exsul ad Acarnanas confugisset; non minore Epirotarum desiderio quàm sociorum auxilio, in regnum restituitur. FORTVNÆ LVDVS.

INVSITATVM DRACONIS MONSTRVM.

Dum in Africâ pugnabat ATTILIVS REG. castris ad Bagradam positis, prœlium grande, atque acre fecisse traditur (Agell. l. 6. c. 3.) adversus serpentem unum, inusitatæ magnitudinis, illis in locis stabulantem; eumque magnâ totius exercitûs conflictatione, ballistis atque catapultis diu oppugnatum. Eiusque interfecti corium, longum pedes CXX. Romam misisse. quod ibi aliquam-diu cunctis miraculo fuerit.

PONTIFICES APVD IVDÆOS.

3699. xxx. Phil. IIX. Ant. Th.			251.

(Apud Iudæos, post excessum ELEAZARI, MANASSES, eius patruus; & eo defuncto, ONIAS, SIMONIS IVSTI, (qui ELEAZARI frater fuit) F. pontificatum adsumserunt.)

NOVVS VTRIMQVE CLASSIVM ADPARATVS.

Romani, cognito profligatum in Africâ exercitum, captumque esse consulem, & reliquas copias in Aspide obsideri; magnam denuò classem comparabant. Pœni verò, propugnantium ibi Romanorum virtute, & animorum magnitudine fracti, urbis, quam dixi, obsidionem solverant. sed novæ ex Italiâ classis rumore permoti, CC. naveis armârunt Romanos ab Africæ aditu prohibituri.

M. AIMILIVS PAVLLVS SER. & FVL. PÆTINVS NOBILIOR, Coss. cum ecc. navibus ineunte Vere traijcere in Africam iussi, quùm haud longè à MERCVRII promontorio (al. Clupeâ) abessent; in speculatricem Carthaginiensium classem inciderunt. Et facto de-repente in eam impetu, CXIV. ex eis naveis, eum vectoribus cepere.

Directoque inde ad Aspidem cursu, & reliquis militum in naveis impositis; Siciliam repetunt.

Moniti à nautis, tempestatem, inter Orionis & Canis exortum, nequaquam navigationi esse commodam; & littus Siciliæ, quod Africam spectat, opidò importuosum. quare aut quiescendum, aut sine morâ & recto itinere in Italiam properandum:

Illi victoriæ Siculis ostentandæ studio, littus id temerè prætervecti, in ipso propemodum Camarinę portu, â tam atroci procellâ excepti sunt; ut ex CCCLXIV. solæ LXXX. naves à tempestate incolumes superfuerint: & Consules, suam ex rebus antè gestis gloriam, naufragij turpitudine fœdârint.

Pœni eo hostium casu læti, ASDRVBALEM cum omni veterano exercitu, & novis ex Heracleâ militibus, ac CXL. elephantis, in Siciliam amandant. &

classem

classem cc. navium parant. Quibus copijs ad Lilybæum tutò expositis, Asdrubal socias Romanorum urbeis infestare cæpit.

Romani cedere malis nescij, novam quoque ccxx. navium classem cxædificant; tantâ celeritate, ut intra trium mensium spatium omnes perfectæ, & in mare sint deductæ.

3700. 31. Phil. IX. Ant. Th. — 250.

CN. CORNELIVS SCIPIO ASINA, & A. ATILIVS COLLATINVS, II. Coss. cum eâ, quam dixi, classe, & cum reliquis LXXX. navibus, in Siciliam invecti; Panhormum, in eâ Insulâ urbium principem, partim vi, partim deditione expugnârunt: & relicto inibi præsidio, Romam mox revertêrunt.

3701. XXXII. Phil. X. Ant. Th. — 249.

Coss. CN. SERVILIVS COEPIO, & C. SEMPRONIVS BLÆSVS, è Siciliâ Africam adorti, dum varia subinde littora tentant; præ locorum imperitiâ, iuxta Lotophagorum Insulam, quæ Meninx dicta, in Syrteis impegêre. Ex quibus reciprocantis quidem undę beneficio, sed non nisi iacturâ factâ, præter spem, sese expediêrunt.

Panhormum reversi, & inde in Italiam redeuntes, ex repentinâ tempestate iterum naufragium fecêrunt, amissisque CL. navibus, reliqui vix sospites evasêre.

Ita subacta ad tempus Romani populi contumacia, à maritimis expeditionibus destitit, qui terrâ se quàm mari feliciùs tutiusque acturos, & sui imperij maiestatem tutaturos, præfiderent.

3702. XXXIII. Phil. XI. Ant. Th. — 248.

C. AVRELIVS COTTA, & P. SERVILIVS GEMIN. Coss. metu naufragiorum, à classe imparati, maris imperio Pœnis cedentes, ne terrâ quidem cum illis, hoc anno, pugnare ausi sunt; metu elephantorum, quos ante quadriennium victoriæ caussam dedisse & peditum ingentem numerum obtrivisse scirent.

Itaque castra non nisi VI. aut VII. stadijs prope hosteis facere, nec æquis se campis committere ausi, Thermam & Liparas obsedêre.

SEVERITAS CENSORIA.

Eodem anno, M. VALER. MAXIMVS, & P. SEMPRONIVS SOPHVS, Censores lustrum XXXVII. condidêrunt. Censa sunt Romanorum civium capitum CCXCVII. mill. & DCCXCVII.

Ijs, CD. iuvenes equites, quia in Siciliâ ad munitionum opus ire iussi, facere id neglexerant; equis publicis spoliatos, in numerum ærariorum rettulêrunt.

Id COTTA apud Censores questus effecit. Idemque P. VALERIVM, sanguine sibi iunctum, nobilem Tribun. militum, quem obsidioni Liparitanę, ad auspicia repetenda Messanam transiturus, præfecerat; virgis cæsum, militiæ munere inter pedites fungi coëgit; quod eius culpâ ager incensus, & pænè castra capta fuerant.

3703. XXXIV. Phil. XII. Ant. Th. — 247.

L. CÆCIL. METELLVS, & CN. FVRIVS PACILVS, in Siciliam advecti, (quibus LX. dumtaxat naves, idque comportandi frumenti caussâ, datæ fuissent) ne hoc quidem anno acie cum Pœnis congredi audebant; rati sat benè secum agi, si parta tuerentur.

Rebus itaque in Siciliâ compositis, FVRIVS cum parte copiarum, in Italiam redierat; & CÆCILIVS Panhormi stativa habebat.

ASDRVBAL, cui perspecta erat Romanorum timiditas, & paucitas; Lilybæo profectus, ut maturas in sociorum agris fruges incenderet, & hostem iritatum ad pugnam provocaret; Panhormum versus copias ducit.

CÆCILIVS, metu adsimulato, opidi mœnibus se continet; & fruges corrumpi patitur. se non commoturus, donec hostem, ad flumen, quod in propinquo erat, cum elephantis, traijciendum pellexisset.

Quod ut est adsecutus; expeditos complureis ex opido exire, & hostem iritare iubet. Alios agilitate prestanteis, pro mœnibus supra aggerem disponit, ut adversus elephantos, ubi propiùs accesserint; telis ac verutis eminus pugnent. Ipse cum signis militaribus, ad portam, quæ lævum hostium spectabat, constitit, tempori erupturus.

Belluæ primò terribiles, postquam undique se telis transfigi sensêrunt, neque ultra aggerem progredi possent; in fugam ac furorem versæ, deiectis rectoribus, in suos ruunt, agmina proturbant, & magnam proculcatorum stragem faciunt.

Consul eductis repentè copijs, fugienteis turbatosque persequens, facilè profligat.

Ad xx. Carthaginiensium mill. cæsa, & ex elephantis XXVI. interfecti: CIV. capti traduntur. Qui in Italiam transducti argumentum ingentis victoriæ & maximum populo spectaculum præbuerint; & sui contemtum in posterum Romanis cum audaciâ ingenerárint.

ASDRVBAL, qui cum paucis Lilybæum profugerat, absens capite à Pœnis damnatus est.

REGVLI FIDES, ET SVPPLICIVM.

Hoc eodem anno victi Pœni, M. REGVLVM, captivum, Romam de pace, aut de captivis commutandis, misérunt; quùm priùs iuráßet se rediturum. Qui primùm ut venit, captivos reddendos non esse in Senatu censuit. Deinde, quùm retineretur à propinquis, & ab amicis; ad supplicium (quod gravissimum pòst tulit, insomniâ necatus) redire maluit, quàm fidem hosti datam fallere.

TVDITANVS apud Agell. l. 6. c. 4. Id quoque addidisse ait; Venenum sibi Carthaginienseis dedisse, non præsentaneum; sed eiusmodi, quod mortem in diem proferret. eo consilio, ut viveret quidem tantisper, quoad fieret captivorum permutatio; pòst autem grassante sensim veneno, cor tabesceret.

Vbi Romæ agnitum est REGVLI supplicium; nobilissimi Pœnorum captivi, liberis REGVLI à Senatu dediti; & ab ijs in armario, muricibus præfixo, destituti, eodemque insomniæ malo cruciati interierunt.

MAGAS CYRENÆOR. REX; EIVSQVE SVCCESSORES.

3704. xxxv. Phil. XIII. Ant. Th. | —————— | 246.

PTOLEMÆO PHILADELPHO frater erat uterinus, ex BERENICE matre, (quam olim ANTIPATER, cum EVRYDICE filiâ, PTOLEMÆI LAGIDÆ sponsâ, in Ægyptum amandárat;) sed PHILIPPO quodam Macedone, ignobili & plebeio, progenitus; MAGAS (al. Agas) nomine.

Huic, BERENICE mater, Cyrenæorum regimen commisit. Quos ad faciendam à Ptolemæo defectionem impulsos, quùm ille adversus Ægyptum iam nunc educeret, cognitâ in itinere Marmaridarum à seipso defectione, Cyrenen rediit.

Is postea APAMEN, ANTIOCHI filiam, SELEVCI neptem, in uxorem duxit: & ANTIOCHVM socerum ad bellum Ptolemæo fratri faciendum instigavit. de quo suprà.

Idem paullò ante decessum, BERONICEN, unicam filiam, ad finienda cum fratre Ptolemæo certamina, filio eius, qui EVERGETES dictus, desponderat. Sed post mortem regis, mater virginis, ARSINOE, ut invitâ se contractum matrimonium solveretur; misit, qui ad nuptias virginis, regnumque Cyrenarum, DEMETRIVM, fratrem regis ANTIOCHI GONATÆ, à Macedoniâ arcesserent; qui & ipse ex filiâ PTOLEMÆI procreatus erat.

Neque DEMETRIVS moram fecit: & Cyrenas advectus, fiduciâ pulcritudinis, quâ nimis placere socrui cœperat, statim à principio superbus, regiæ familiæ militibusque impotens erat: studiumque placendi à virgine in matrem contulerat. Quæ res suspecta primò virgini; dein popularibus militibusque invisa fuit.

Itaque versis omnium in PTOLEMÆI filium animis, insidiæ DEMETRIO comparantur. Eique, cum in lectum socrûs concessisset, percussores immissi sunt.

Sed ARSINOE, auditâ voce filiæ, ad fores stantis, & præcipientis, ut matri parceretur; adulterum paullisper corpore suo protexit.

Illo autem interfecto, BERONICE, & stupra matris, salvâ pietate, ulta est; & in matrimonio sortiendo, iudicium patris sequuta.

POPVLORVM IN ORIENTE DEFECTIO. PARTHORVM INITIA.

Ex ANTIOCHI & SELEVCI fratrum, SELEVCI NICANORIS nepotum, discordiâ, Parthis, in Oriente, defectionis impunitas data est. Quippe dum sibi invicem illi eripere regnum contendunt; persequi defectores omisérunt.

Et eodem ferè tempore THEODOTVS, mille in Bactrianis urbium præfectus, defecit; regemque se appellari iussit.

Idem exemplum secuti & alij ad Ortum, sive trans Euphratem siti, populi, à Macedonibus descivére.

Parthi, Scytharum, vel ipso vocabulo, exsules fuére: & Assyriorum Medorumque temporibus, inter Orientis populos obscuri. Et imperio Orientis, à Medis ad Persas translato, præda victórum: postremò Macedonibus, triumphato Oriente, serviérunt.

Administratio gentis, post defectionem imperij Macedonici, sub regibus fuit. quamquam exercitum non, ut aliæ gentes, liberorum, sed maiorem partem servorum haberent. quorum vulgus, nulli manu-mittendi potestate permissâ, ac per hoc omnibus servis nascentibus, in dies cresceret. quique non minùs, quàm liberi pariter curarentur, & equitare ac iaculari industriè docerentur.

Post mortem ALEXANDRI, quùm inter successores eius, Orientis regna dividerentur; nullo Macedonum dignante, Parthorum imperium STASANORI, externo socio, traditum est.

Hi postea, diductis Macedonibus in bellum civile, cum cæteris superioris Asiæ populis, EVMENEM secuti; eo victo, ad ANTIGONVM transiére.

Post

Post hunc à NICATORE SELEVCO, ac mox ab ANTIOCHO & successoribus eius possessi. à cuius nepote, SELEVCO, primùm defecere, his, quos hoc anno (belli Punici XIV.) nominabimus Coss. *Vide infr. ad ann. O. C. 3718.*

BELLVM CVM POENIS IN SICILIA.

C. ATTILIVS REG. (MARCI captivi frater) & L. MANLIVS VVLSO. II. Coss. melioris in posterũ spei plenis & non elephantorum modò, sed maris etiam metu deposito; CC. navium classe in Siciliam delati, quùm Pœnis eâ in Insulâ nihil, præter Lilybæum & Drepanum, superesset; iisque expugnatis ipsi in Africam transferre bellum constituissent; Lilybæum sibi priùs obsidione urguendam decrevérunt. quæ in promontorio cognomine sita est, mœnibus fossisque & stagnis, quà in portum iter est, munitissima.

SICILIÆ DESCRIPTIO.

Siciliæ namque omnis figura triquetra est, & inde TRINACRIA dicta. & quot eius anguli, totidem ad extremum promontoria.

Ex his, quod in meridiem vergit, & pelago Siculo adluitur; Pachynum dicitur.

Quod Septemtriones spectat, partemque portûs occiduam terminat; neque ampliùs ND. passibus ab Italiâ distat; Pelorum.

Tertium, Africæ & ipsi Carthagini, ab Occasu hiberno, obversum; quod ab eiusdem Africæ littoribus circiter C. M. & XXVII. passibus abest, & Sardoum pelagus à Siculo dispescit; Lilybæum est.

Cuius cognominem urbem Pœni omni studio tueri constituerant: eamque, præter urbanam multitudinem, X. peregrinorum militum M. duce HIMILCONE, tuebantur.

Magnâ itaque utrimque contentione, ea oppugnata & defensa est: & multa ab utrisque facinora, temeritati, quàm audaciæ propiora, ibi perpetrata, proditiones Gallorum, qui sub Pœnis militabant, detectæ.

ANNIBAL, AMILCARIS F. à Carthaginiensibus, de obsessorum salute solicitis, cum L. navibus, quæ X. hominum M. veherent, missus, & subsidio ire iussus, ab Ægusis Insulis in portum passis velis, hoste frustrà deterrente, nec congredi auso, invectus, incolumes copias Lilybæi exponit.

Et HIMILCO eâ supplementi accessione excitatus, in machinarum turriumque, quas Romani erexerant, incendia, cum XX. hominum millibus, erumpit. tam conferto agmine, ut vir cum viro, quasi singulari certamine congressi, circa machinas, depugnarent.

Romani nihilo-minus, qui res tum suas in extremo propè sitas vidissent, incredibili animi fortitudine, extremæ similiter Pœnorum audaciæ resistentes, machinas tandem operaque sua ab iniuriâ prohibuérunt.

Et ANNIBAL cùm iis, quas secum adduxerat, navibus, intempestâ nocte Lilybæo solvens, Drepanum, (quod inde stadiis circiter CXX. distabat; & ab ADHERBALE, altero Carthaginensium duce, tenebatur) profectus est.

A cuius decessu, quùm Romani, qui frustrà priùs portûs fauceis, & onerariis sabulo onustis, & infinitâ vi aggerum, obstruere tentâssent: & posteà Rhodiâ quâdam navi, & quadriremi Punicâ captis; iisque in portu ad excubias collocatis, aditum omnem interclusissent; urbem iam acriter oppugnarent, & mœnia plerisque locis vi tormentorum everterent; de-subito coorta est tempestas, quæ machinas omnes, operaque Romanorum suo stridore ac procellâ adflictaret; & alta turrium tabulata deiiceret.

Quâ occasione usi Pœni, & eruptione iterùm factâ, machinis flammas, tribus locis, iniecére. quas propitiâ ventorum vi, in opera, arida & sole adusta, & in arietum capita repulsæ, facilimè omnia absumsérunt; Romanosque ab ope ferenda arcuérunt.

Coss. itaque Romani, reiectâ machinarum curâ, aggere & fossâ urbem, cum castris suis, circumplexi, lentæ obsidionis consilia: & Pœni, Lilybei defensores, refectis, quæ corruerant, mœnibus, extremæ tolerantiæ pericula agitabant. Atque ita in consequentem annum continuata est obsidio.

Romani tamen, & castra suorum, & classem, tot utrimque cædibus, penè vacua esse gnari, supplementum ad X. hominum M. subinisére.

TYRANNIS APVD SICYONIOS.

ARATVS VINDEX.

ABANTIDAS, PASIÆ F. Sicyoniorum tyrannus, CLEONIS successor, à philosophis, DINIA & ARISTOTELE, (quos ille lubenter audierat; & hi nihil magis philosophiâ dignum arbitrarentur, quàm Tyranni cæde de patriâ benè mereri) confossus est.

Et quùm eius pater PASIAS, crudâ adhuc & viridi senectâ, de tyrannide retinendâ cogitaret; NICOCLES, id meditantem, dolo occidit

Qui & ipse tyrannus esse maluit, quàm tyrannicidæ laudem promereri. Vixdum enim IV. menses principatu erat potitus, quùm ARATVS, CLINIÆ F. annis XX. natus (POLYB. Prætor Achæorum, M. Carynæo suffectus,) cum amicis Argivis, & exsulibus Sicyoniis, plus D. Sicyonem occupat: & impetu in NICOCLIS ædeis facto, tyranni, qui ipse per cuniculos evaserat, custodes, sine sanguine, comprehendit.

Et quùm hinc, exsules, in patriam reversi, erepta sibi bona, postliminii iure, recipetare vellent: Inde bonæ fidei possessores, qui temporis præscriptionem, aliudve quidpiam prætexerent, id à se extorqueri non paterentur.

Et ARATVS, ex eo, tum novas seditiones; tum ANTIGONI GONATÆ, libertati urbium insidiantis, vim metueret: auctor fuit Sicyoniis; ut Achæorum reip. sese adiungerent. Idque IV. anno postquam M. CARYNÆVS (qui idem civibus suis Carynæis ante XXX. annos libertatem procutârat) solus inter Achæos præturam obtinuisset; quùm anteà bini quotannis prætores, circa Pleiadum ortum, creari soliti essent.

ROMANI A POENIS VARIE VICTI.

3705. 36. Phil. & 14. Ant. Th. 245.

P. CLAVDIVS PVLCER (APPII CAECI F.) Cos. & L. IVNIS PVLLI collega, in Siciliam missus, ut exercitui ad Lilybaei obsidionem praeesset; ADHERBALEM Drepani praefectum, nihil minus suspicantem; neque supplementi gnarum, neque ab adflictâ Romanorum classe sibi metuentem; ex improviso adgredi; & ad Drepanum, habito virorum & navium delectu, noctu navigare constituit; urbem vel obiter occupaturus, vel obsidione pressurus.

ADHERBAL verò, quantumvis tam inopinato hostium adventu perculsus; tamen praesenti animo suos ad pugnam cohortatus, locorum peritiâ, navium celeritate, remigumque industriâ, tam dextrè usus est; ut Romanis omnia, quibus pollère viderentur, adversa reddiderit. Et CLAVDIO, qui diu, sed frustrà, resistere fuerat conatus, cum XXX. navibus turpi fugâ elapso, XCIII. navium sit potitus: & classi alteri Romanae, quae Lilybaeum obsidebat, plurimùm incommodârit.

APPIVS Consulatu abdicare se coactus, & infesto populo obiectus, meritas temeritatis suae poenas Romae luit.

Neque tamen propterea Romani, de pristinâ animorum constantiâ quidquam remisère; quin reparatâ confestim classe L. IVNIVM, alterum Cos. mitterent; & ijs, qui Lilybaeum adhuc obsidebant, subsidium commeatumque adferre iuberent.

Ille cum LX. rostratis Messanam navigat; & contractis ex omni Siciliâ navibus, CXX. rostratarum classem effecit: praeter infinitam vim onerariarum.

Ex ijs dimidiam ferè partem, cum aliquot rostratis, Quaestori suo tradit, qui commeatum in castra importet. Ipse Syracusis subsistit, reliquas à Messanâ naveis, frumentum, socijs mediterraneis imperatum, excepturus.

Intereà ADHERBAL, postquam Romanorum captivos & naveis Carthaginem transmisisset; CARTHALONEM trierarchum cum XXX. navibus in hostem immittit; mox cum LXX. alijs consecuturus.

CARTHALO de-inexspectato in classem Romanam, quae in Lilybetano portu stabat, invectus, navibus partim incensis; partim abreptis, magnum castris terrorem iniecit.

Quo incondito tumultu excitatus HIMILCO, suos quoque ex urbe in hostem trepidantem educit; eumque undique circumventum in non mediocre discrimen coniecit.

Paullo-pòst idem CARTHALO, dum Lilybaeo solvens, Heracleam versus navigat, ut commeatum, qui inde Romanis subvehebatur, intercluderet: & fortè in Quaestorem, onerarijs, quas dixi, stipatum, delapsus, ad pugnam se comparat; Romani ad bellum navale imparati, & impares, in proximum fortè littus naveis subduxère.

Et locorum anfractibus, rupibusque tuti, saxis acfundis navium hostilium accessum diu arcebant; dum Poeni multa conati, in propinquum flumen enavigarent: eoque ex loco digressuris Romanis insidiarentur.

CONSVL, intereà loci, ignarus eorum, quae praecursoribus suis accidissent; Syracusis Lilybaeum petebat.

Quo cognito, CARTHALO, confestim adversus contendit, procul à caeteris, quas dixi, suorum navibus cum eo concursurus.

Ille verò, hostilis classis magnitudine territus, neque pugnam committere audebat; neque in tantâ propinquitate fugere tutò poterat. Quapropter in proximo portu stationem fecit; & extrema omnia antè experiri decrevit, quàm exercitum suum in hostium potestatem venire pateretur.

CARTHALO vicissim, medium quemdam inter utramque Romanorum classem portum tenuit, utrisque abeundi facultatem ablaturus.

Sed exortâ tum fortè in mari tempestate, quam Poeni, locorum, rerumque maritimarum peritiores, cedendo evitârant; Romanorum classis, quae locis importuosis stabat, penitus confracta est.

Illi nihilo-minus in obsidione persistere; & mari exclusi, terrâ rem strenuè gerere offirmârunt.

IVNIVS Cos. ut tot clades aliquo memorabili facinore elevaret; Erycem montem, Drepano Panhormoque interiectum, cum VENERIS Templo, & cognomine opido, proditione occupavit: & duplici praesidio verticem montis, ac radices, insedit.

Praecipuâ verò istarum è naufragijs calamitatum caussam adfingebat superstitio, solennium auspiciorum contemtui: quod Coss. per iocum Deos irrisissent.

Cum pullarius enim nuntiâsset, caveâ liberatos pullos non pasci; P. CLAVDIVS mergi eos in aquam iussit; *Vt biberent, quoniam esse nollent.* Qui risus, inquit Cic. multas ipsi lacrymas, & magnam populo Romano cladem attulit. ideoque condemnatus est.

Eius collega IVNIVS, qui tempestate classem amiserat; quod auspicijs non paruisset; necem sibi ipse consciverit.

CLAVDIVS ille à Senatu revocatus, iussusque Dictatorem dicere; velut iterùm illudens discrimini publico, C. GLAVCIAM, viatorem suum, ultimae sortis hominem, dixerat. qui mox coactus est se magistratu abdicare.

Et ATTILIVS CALATINVS ei suffectus, primus Dictatorium

ctatorium exercitum extra Italiam duxit. Sub eo L. CAECILIVS METELLVS magiſtrum equitum egit. (*A neutro memorabile quidquam in Siciliâ geſtum, tradit Zonaras*)Iiſdem, quos dixi, Conſulibus, tertios ludos Saeculares celebratos fuiſſe, prodidit LIVIVS.

ARATI SICYONII VIRTVS.

ARATVS, quùm placandis Sicyone exſulibus, qui bona ſua repoſcebant, magno opus eſſe ſumtu perſpiceret; ad PTOLEM. PHILADELPHVM in Ægyptum proficiſci conſtituerat.

Navi verò, quâ vehebat, vi ventorum ad urbem, ab ANTIGONI GONATAE militibus infeſſam, & in litore Hadriatici maris ſitam, adpulſa; ut eos declinaret, aliquamdiu in ſilvis latitavit. donec Romanâ navi, quę io Syriam tendebat, primùm in Cariam, deinde in Ægyptum, propemodum nudus enavigavit.

PHILADELPHVS magnitudinem animi in eo admiratus, CL. talenta pollicitus eſt, quibus amicos ille regi compararet.

Levatâ eum in modum Sicyoniorum paupertate, ab omnibus electus eſt arbiter controverſiarum, inter exſules, & veteres bonorum alienorum poſſeſſores. Quod quidem negotium, adſcitis eam ad rem XV. Viris, gratioſè & feliciter compoſuit.

POENI ET ROMANI ITERVM IN SICILIA.

3706. | ———— | 244.
37. Phil.
15. Ant.Th.

AMILCAR, cognomine BARCA, claſſi Punicae praefectus, maritimam Italiae oram depopulatur: & vaſtatis Locrorum Bruttiorumque agris, Panhormum reverſus, montem, & commodo portu, & fecundiſſimis totius Siciliae agris, circumdatum, Panhormum inter & Erycem ſitum, occupat & communit. Vnde tamquam ex arce belli Romanos terrâ mariq́ue, continuis excurſionibus, per triennium, & eò ampliùs, fatigavit. ab iis viciſſim vexatus. quod hi ſumma & ima montis; ille verò urbem mediam teneret.

Et licet Romani priorum annorum naufragiis adflicti, per quinque paenè annos, mari deinceps abſtinuerint; hoc tamen an. C. AVREL. COTTA, & P. SERVILIVS GEMINVS, Coſſ. Lilybaeum & Drepanum opida oppugnare; Poenos terrâ prohibere; ſociaſq́ue eorum urbes populatiumbus infeſtas reddere, perſeverârunt.

Quos dum Carthalo avertere, & claſſe oram Italiae peragrare, conatur; exortâ mercenariorum militum ſeditione, in Siciliam rediit.

ANTIOCHI THEI CVM PTOL. PHILADELPHO

BELLVM ET PAX.

3707. | ———— | 243.

Dum ANTIOCHVS THEOS, à MAGA Cyrenaeo, uti dixi, concitatus, abrupto foedere in Ægyptum invadere moliretur; à Philadelpho, qui celeriter & viciſſim, miſſâ in Syriam militum manu, omnem regionem ab ſummo & imo infeſtabat; prohibitus eſt.

Sed hi reges longinqui belli taedio, ſocietatem tandem, nuptiarum vinculo confirmatam, ineunt. PHILADELPHVS ſcilicet filiam BERENICEN, amplâ cum dote, ANTIOCHO tradit. eâ lege, ut LAODICE (quae prior coniux, SELEVCVM CALLINICVM, & ANTIOCHVM HIERACEM filios ei pepererat) vel repudiatâ, vel pellicis loco habitâ; BERENICE, legitimae uxoris, ac reginae dignitatem obtineret.

Neque ita multò-pòſt obit PTOLEM. PHILADELPHVS. eique ſuccedit filius PTOLEMAEVS EVERGETES.

ANTIOCHVS verò, ubi ſocerum fato functum vidit; LAODICEN, priorem uxorem, cum liberis, in priſtinam gratiam tegiamque recepit.

Illa verò contumeliae, quàm beneficii memor; & mariti inconſtantiam verita, praebito clam veneno, DEVM illum, θεὸν, in coelum iuſſit deſcendere. cui SELEVCVS CALLINICVS ſucceſſit.

BELLVM CVM POENIS CONTINVATVR.

Ex Coſſ. unus C. Caecilius Metellus, II. ad Lilybaeum rem geſſit. Alter Num. Fabius Buteo, II. Drepanum obſedit; & Columbariam Inſulam cepit, Poeni verò Italiae oram claſſe vexârunt.

PTOLE-

PTOLEMÆUS EVERGETES III. ÆGYPTI; ET SELEUCUS CALLINICUS, IV. SYRIÆ ASIÆQUE, REGES. Ille XXVI. Hic XX. annis.

3708. 1. Everg. & Callinici. | 242.

Laodice, regni in Syriâ potens, æmulam Berenicen, eiusque filium, recens ex Antiocho susceptum (Alijs est parvulus eius frater, ex Ptolemæo) cum comitibus Ægyptijs, qui Daphnæ, apud Antiochiam, tanquam in Asylo, se concluserant; è medio tollit: regnumque Filio suo Seleuco tradit: eique Callinico nomen fecit, quasi præclaram de hostibus suis victoriam adepto. cum priùs Pogon diceretur. *Vide cætera sup. ad 11. c. Danielis.*

RES ET MOTUS IN IUDÆA.

Horum in Syriâ motuum occasione, Onias, Simonis F. defuncto Manasse patruo, Sacerdotium Hierosolymæ adeptus, xx. talentorum tributum, quod Sacerdotes regibus Ægyptijs, de suo, & pro populo, exsolvere soliti, temerè detrectabat.

Eâ de re missus ab Evergete, Athenion tributum id exigebat.

Onias verò tam stolidus, quàm avarus, legatum duriore responso iam exacerbaverat. quùm soror Oniæ, filium suum, ex Tobiâ quodam, Iosephum nomine, ad se arcessitum, commonuit, quantum Urbi & genti universæ periculum impendeat, nisi maturè legati & regis ira placetur.

Iosephus tantâ prudentiâ usus est, in compellandis, tum Avunculo, tum Athenione, ut spem faceret brevi se regi satisfacturum.

Missus itaque in Ægyptum, cum expromtâ tributi, aliorumque munerum pensitatione; tum honestâ oratione, regem non modò placavit, sed & sibi amicum reddidit.

Quumque sub id tempus regia Syriæ vectigalia propalam hastæ subijcerentur, & quam-plurimi redemtores undique convenissent: neque pluris tamen quisquam quàm IIX. talentorum millib. licitaretur; Iosephus duplum obtulit; & insuper proscriptorum bona regi remisit.

Rogatusque à rege, quos vades daret! Duos, subiecit ille, locupletissimos, & maximè idoneos; Regem, scilicet, cum reginâ Cleopatra.

Grata hæc utrique ab ingenuo homine urbanitas: in quo non minus animi, quàm ingenij elucere, ad ea, quæ spoponderat, præstanda.

Quùm itaque alij redemtores annui esse solerent; ipse per XXII. ann. (hoc est, ad obitum usque) totius Syriæ, Phœniciæ & Samariæ, vectigalia, procuravit. eo tempore, quo Seleucus Ceraunus, Antiochi M. frater, Asiam regebat.

(*Iesus Strachides hoc anno in Ægyptum venisse, & Ecclesiasticum scripsisse proditur. Alij aliò referunt.*)

CLAUDIÆ APPIÆ FASTUS.

M. Otacilio Crasso II. M. Fabio Licino, eius an. Coss. memorat (Agell. lib. 10. cap. 6.) Claudiam Appii Cæci Filiam, & P. Claudii sororem, quùm fortè à ludis, quos spectaverat, rediens, turbâ confluentis populi iactata esset, & malè se habitam quereretur, in has voces erupisse: *Quid enim me tunc factum esset, quantóque, artiùs pressiusque, conflictata essem; si P. Claudius, frater meus, navali prælio classem navium, cum ingenti civium numero, non perdidisset! Utinam reviviscat frater, atque illam multitudinem perditum eat; qua me malè nunc miseram convexavit.*

(*Appiæ gentis fastu & fastidio digna vox*)

Hoc ubi resciverunt Ædiles plebei, multam dixérunt ei gravis æris XXV. millia. & ita insolentem fastum compresserunt.

3709. 2. Euerg. & Sel. Call. | 241.

(Tradit Florus M. Fabium Buteonem, Cos. C. Attilii Balbi collegam, classem hostium, quę iam in Italiam ultrò navigaret, apud Ægimurum, in Africo mari, gravi pugnâ adflixisse. sed interceptam tempestate victoriam, & triumphum perijsse naufragio. Quod nemo, præter eum prodidit. Si qua classis fuit, eam ad tutanda tantùm Italiæ littora Romani tunc habuisse putandi sunt.)

BELLUM

BELLVM ÆTOLICVM.

Scribit & Plut. (ARATO) ABAOCRITVM Boeotarcham, cum x. Boeotorum M. in Ætoliam excurrisse, qui ab Achæis auxilia speraret. Sed Ætoli priùs ad pugnam conserendam adegêrunt Boeotos, quàm Achæi advenissent: & prœlio prosperè facto, ABOEOCRITVM, & mille Boeotos, ad Chæroneam occidêrunt.

Quùm tamen ARATVS, Achæorum prætor, invitis Ætolis, Locridem & Calydonium, populatus esset; magnam inde sibi apud Achæos auctoritatem comparavit, ut tertio quóque anno Prætor crearetur.

BRVNDISIVM COLONIA.

3710. | 240.
III. Euerg. & Callin.

A MANLIO TORQVATO, & C. SEMPRONIO BLÆSO, II. Coss. Brundisium colonia à Romanis deducta est.

AGIDIS LACEDÆM. PRÆCLARI CONATVS.

AGIS, EVDAMIDÆ II. & AGESISTRATÆ F. AGESILAI illius magni atnepos, qui circa hoc tempus regnare Lacedæmone cœperat, vix ann. xx. natus, continens, & honesti amans supra ætatem, & liberiorem in delicijs muliebribus, sub matre educationem, qui ne regnum quidem concupijsset, nisi & leges & maiorum instituta id præscriberent. Is quùm perspexisset, Spartam inveterato iam luxu, ex hereditatum fortiumque inæqualitate, & hinc enatâ paucorum opulentiâ, diffluere, & ab antiquâ disciplinâ, ita dignitate degeneràsse; veteris LYCVRGI exemplum æmulari statuit.

Et Ephorum, LYSANDRVM nomine, LIBVIS F. ab illo instituto non abhorrentem, induxit, ad rogandam legem; quâ nomina omnia per novas tabulas abolerentur, & nova agrorum fieret distributio: Adeóque ut ad vetustam ἰσονομίαν, adscitis etiam peregrinis qui ingenuè modò essent instituti, paullatim rediretur.

Ipse rex, ut exemplo præiret, opes suas, agros & pecuniam, primus in commune confert, & necessarios suos, ut idem faciant, impellit.

LEONIDAS verò, alter rex, (CLEONYMI F. & CLEOMENIS Nep. & AREI, cui pater ACROTATVS fuit, patruelis) qui pupillo suo, AREI posthumo, & octenni, successerat: & ipse diu in Aulis Satrapicis volutatus, ac SELEVCVM Syriæ regem secutus, fastum peregrinum in Græcorum temp. & legitimum regnum transtulerat; cum maximâ Senatorum parte, (locupletissimis scilicet, & pridem luxu fractis) tam præclaris Agidis conatibus, obstitére.

LYSANDER contrà, LEONIDÆ ortum degenerem obiectat. *Nefas esse, immò capitale, ex peregrinâ natum, Spartiatis imperare.*

Adfingit insuper patriæ superstitionis nescio quod σχίασμα, quod nono quoque anno, Lunâ intermicante, in cœlo observari solebat: Ex stellæ scilicet traiectione, Deorum offensam, & regni abrogationem.

Simul CLEOMBROTVM, LEONIDÆ generum, Heraclidem, & Spartanâ matre satum, ad regnum sibi adserendum, impellit.

Neque hunc puduit, per soceri contumeliam, regnum ambire. Sed LEONIDAM, regno & patriâ pulsum, filia, nomine CHELONIS, comitata est: & patris infortis exsilio, iniqui mariti regnum posthabuit.

Et quùm AGESILAVS, novus Ephorus, AGIDIS avunculus, percussores fugienti LEONIDÆ immisisset, re compertâ, AGIS fidos alios submisit, qui LEONIDAM stiparent, eumque Tegeam tutò perducerent.

ARATI ET ACHÆORVM PROGRESSVS.

3711. | 239.
IV. Euerg. & Callin.

ANTIGONVS GONATAS fraude, & simulatis filij sui DEMETRII, cum NICEA, ALEXANDRI, in cuius manu fuerat Acrocorinthus, viduâ, nuptijs; arcem illam interceperat; & veluti luparum toti Græciæ iniectum, valido præsidio munitam tenebat.

ARATVS verò, Achæorum Prætor, (quem ille modò muneribus ad parteis suas pellicere; modò de certâ illius amicitiâ gloriando, Achæis, & EVERGETÆ suspectum reddere, erat molitus) eódem oculos mentemque converterat.

In eâ, quam dixi, arce DIOCLES, gente Syrus, miles erat præsidiarius; & fratres habebat, propinque urbis inquilinos, ERGINVM & DIONYSIVM.

Ex ijs,

Ex ijs ERGINVS, qui subductos è regio thesauro nummos aliquot apud Sicyonium trapezitam deposuerat; & fortè locum se scire iactârat, quà arx illa commodè invadi posset; ab ARATO LX. talentorum pollicitatione inductus, fratribus in partem pellectis; die dictâ, ARATVM cum CD. militibus, non sine prœlij discrimine, in arcem deduxit.

Deiecto itaque inde Macedonum præsidio, Corinthij libertate donantur; & ARATO iterum Prætore, in Achæorum societatem, haud illubentes, adsciscuntur.

Corinthiorum exemplum secuti sunt Megarenses, Troezenij & Epidaurij, ut iam Achæis libera esset in Atticam usque excurrendi facultas.

ARATVS, Heræo & Lechæo potitus, XXV. navis regias & D. equos ibidem intercepit.

Achæi Acrocorintho præsidium CD. militum, & L. canum, cum totidem venatoribus, vigilum instar, imposuére, qui eâ in arce alerentur.]

Neque ita multo pòst obijt ANT. GONVS GONATAS, quùm XXXVI. an. in Macedoniâ regnâsset. Et succedit F. DEMETRIVS, & X. an. regnat.

MOTVS LACEDEMONE, ET AGIDIS EXITVS, &c.

Postea-quàm LEONIDES, regno exutus, Lacedæmone excessisset; AGESILAVS ille; de quo dixi, Ephorus, qui latissimum quidem & uberrimum agrum possideret, sed ingenti ære alieno obrutus esset; AGINT incauto persuasit: *Rem nimis arduam esse, duo simul à civitate exigere; debitorum abolitionem, sive χρεωκοπίαν; & agrorum distributionem. Illud prius postulandum esse; impetrato*; facile fore, alterum (rem agrariam) impetrare. Annuit AGIS, non repugnante CLEOMBROTO.

Producta itaque ex Archivis syngraphæ omnes, & creditorum tabulæ flammis palam exuruntur, insultante, civium pecuniosis & feneratoribus, AGESILAO: *Iucundiorem flammam Spartæ nunquam antea illuxisse.*

Qui postulante post hæc plebe, & regibus urguentibus, ut agri quoque confestim ex convento publico dividerentur; remoram usque iniecit: & caussando tempus protraxit, dum AGIS ad longinquius bellum proficisci necesse haberet.

Interea namque Ætoli, Achæorum æmuli, per Megarensium agros, in Peloponnesum irruptionem facturi nuntiabantur.

Quibus obviam progressus ARATVS, Achæorum prætor, Lacedæmonios, eorumdem tum socios, rogat suppetias sibi, adversus communem hostem, veniant.

Missus eò AGIS, etiamnum adolescens, alacri, & agrarij beneficij cupidâ iuventute stipatus, magnam modestiæ & prudentiæ suæ admirationem apud vicinos populos concitavit.

Ipse ARATO, cui apud Corinthum se coniunxerat, uti natu grandiori & primario duci, cedens, consilia tamen de pugnâ, & de signis cum hoste conferendis, supra incuntis ætatis fervorem, utiliora proponebat.

Ætolis astu potiùs, ob desectas passim & perceptas ex agris fruges, quàm vi repulsis; AGIS revertens Spartam novo tumultu attonitam offendit.

AGESILAVS namque, insigni morum improbitate & audaciâ, eo, quod dixi, debiti onere liberatus, à nullo scelere, quod quæstui adfine esset, abhorrebat. Satellitio latus suum cingebat: & non sine regum contemtu, potestatem sibi prorogabat.

Inimici eius, coitione factâ, neque invitâ plebe, quæ se agrariæ largitionis spe excidisse, dolebat; LEONIDAN ex Tegea in regnum reduxerunt. Et AGESILAVM quidem, HIPPOMEDON F. ob animi probitatem omnibus carus, civibus exoratis, clam ex urbe eduxit, & servavit.

Reges verò ambo, AGIS in Neptuni; CLEOMBROTVS in Minervæ, Ædes, ceu asyla, confugére.

Pro CLEOMBROTO deprecatur uxor CHELONIS. eumque quantumvis nocentem, in exsilium, uti antè patrem, comitatur. *in utrumque æquè pia.*

AGIS verò, qui in Neptuni fano se ità continebat, ut satellitio suo fretus ad balnea subinde prodiret; ab AMPHARE, alijsque familiaribus, tandem proditus, & in carcerem pertractus; atque inibi indictâ caussâ (nisi quod se optimorum consiliorum pœnitere negaret) ab Ephoris, alijsque publici consilij administris, rei capitalis damnatus; & maturatâ, ob metum seditionis, necei strangulatus est.

Quùmque accurrissent AGESISTRATA mater, & ARCHIDAMIA avia; & *Indignum facinus*, clamitarent; altera post alteram, ab eodem AMPHARE immanissimè laqueis sunt enectæ.

Tam atroci facinore nihil umquam indignius Spartæ contigisse, ex quo urbs condita fuerit, plebes ipsa quiritabatur.

Frater AGIDIS, ARCHIDAMVS, Messenen fugiens, à NICAGORA humanissimè exceptus, regnû tandem consortio ab ipso LEONIDA donatus est. Eiusdem verò AGIDIS viduam, AGIATIDEM, GYLIPPI filiam, opibus, formâ, morumque castitate præstantem, LEONIDAS, qui eam elocari alteri nollet; filio suo CLEOMENI, vix nuptijs maturo, vel invitam, despondit. Inter quos nihilo-minus mutuus amor ita crevit, ut ille uxorijs sermonibus & præceptis, AGIDI, quàm patri similior evaderet; & ad remp. paribus cum illo institutis restituendam, se compararet. cæteris quidem virtutibus par; sed *verecundâ modestiâ & lenitate inferior.*

ÆTOLORVM SOCIETAS CVM ACHÆIS.

Ætoli, qui hactenus Macedonum regibus adversus Achæos, eorumque prætorem ARATVM, opitulati fuerant: quique eo temeritatis erant elati, ut cum ANTIGONO GONATA fedus facere, de distribuendis inter se Achaiæ civitatibus, non erubuerint; deinceps à DEMETRIO ANTIGONI F. lacessiti, dissensiones illas paullisper remisére; & in mutuam cum Achæis societatem venére.

NAVALIS

NAVALIS ROMAN. ADPARATVS; CONFLICTVS; ET VICTORIA.

3712. 5. Luerg. & Callin.		238.

Quòd autem Romani, uti dixi, aliquot iam annis maris imperio cessissent: Pœni segniùs rem nauticam exercebant. atque adeò, ut publicis sumtibus parcerent, classem è Siciliâ, uti minùs necessariam, subduxerant. & pedestribus copijs se reliquum belli confecturos, duce Amilcare, spectabant.

Romani contrà, qui ob ducis Pœni audaciam, nihil se terrâ promovere intelligerent; rursus sibi tentandam maris aleam statuérunt.

Ceperant illi, septem circiter abhinc annis, in Lilybæi oppugnatione, navem Rhodiam, eximiæ ad navigandum celeritatis; ad cuius exemplar, non tam publicis, quàm privatorum civium facultatibus, classem integram extruunt. Et à Rhodijs, eâdem in navi captivis, artem nauticam exactiùs addiscunt.

Postquam omnia probè instructa; C. Lutatium Catulum, cum CC. navibus, in Siciliam mittunt. Nam Cæcilius Metellus Pontif. tum maximus, A. Posthumium Albinum. eius collegam, (successerant hi, C. Fundanio Fundulo, & C. Sulpitio Gallo, antegressi anni Coss.) quoniam & idem Flamen Martialis erat, ne ad bellum proficisceretur, neve à sacris recederet; in urbe retinuit. Sed Q. Valerius Falto prætor, Lutatio adiutor datus.

(Et certè hoc primum anno duo prætores Romæ creati fuisse censeantur: unus, qui, in urbe ius diceret; alter, qui Consulem in bello comitaretur, & iuvaret.) Lutatius propinquas Drepano & Lilybæo stationes de-improviso occupat; & opera confestim ad Drepani oppugnationem necessariâ molitur.

Carthaginienses verò, licet inopinato Romanæ classis & expeditionis nuntio territi, naveis vicissim tumultuariâ operâ adornant; & remiges militeíque, plerosque nauticæ & bellicæ rei ignaros, undequaque conquirunt. Quùm Lutatius interim quotidianis exercitamentis in utramque disciplinam suos egregiè erudijsset.

Hanno classi Punicæ præfectus, in Insulam, quæ Hieronnesus dicta est, delatus, aliquantisper substitit, ut clàm hostibus in castra Hamilcaris enavigaret: Et exoneratis commeatu navibus, & meliore nautarum militumque delectu, ad prœlium navale esset expeditior.

Sed id ipsum subodoratus Lutatius, classem in proximâ Insulâ, Ægusâ (al. Ægatibus) collocat; & obviam procedit, omnia antè experiri certus, quàm pati, ut Hanno Amilcari coniungatur.

Turbido itaq; licet, & adversante mari, in Hannonem, vento secundo utentem, & plenis velis in Siciliam properantem, invehitur, & manus conserit. Facilèque ab omnibus, quæ ad prœlium navale usui esse solent, imparatiorem profligat.

Confractæ aut demersæ, ex Pœnis, naves L. Captæ cum vectoribus & onere, LXX. Reliquæ sublatis velis, & subitâ venti mutatione, in Sacram-Insulam ex fugâ se recepére.

Consul ad Lilybæum reversus, prædam & captivos, ad X. M. inter suos dividit. Inde ad Erycem, civitatem, quam Pœni tenebant, veniens, altera ii. Carthaginensium M. prœlio confecit.

Hæc Catastrophe I. Belli Punici.

PAX CVM POENIS, ET FINIS I. BELLI.

3713. 6. Luerg. & Callin.		237.

Q. Lutatio Cercone, & A. Manlio Torquato. II. Coss. pax postremò cum Carthaginiensibus facta est. Ex quibus Lutatius, cum fratre Catulo, res in Siciliâ composuisse traditur.

Pœni, quùm Romanos, unius victoriæ beneficio, maris totius circà Siciliam, imperio, iam liberè potiri; neque ei recipérando, se, amissâ iam classe, pareis esse cognoscerent; de Ducis, & militum optimè de rep. meritorũ salute soliciti, retinendæ Siciliæ spem deponunt, & pacem petũt.

Eius autem negotiationem Amilcaris Barcæ, viri, ut fortitudine, itâ consilio præstantis, prudentiæ fideique commiserunt.

Is, qui necessitati pro tempore cedendũ perspiceret; cũ Cos. Lutatio, qui & ipse Reguli in paciscẽdo præfractiones, exemplũ metueret; itâ transegit.

„*Ut amicitia Romanis cum Carthaginiensibus esset.*

„*Ut, si id pop. Romano videatur; Carthaginienses omni prorsus Siciliâ excederent, & dein abstinerent.* „*Ne posthâc HIERONI, Syracusanis, eorumve socijs, bellum inferrent.* „*Sine pretio captivos omneis dimitterent.* *Et intrà XX. annos, talenta Euboica II. Mill. & CC. penderent.*

Senatus, submissis in Siciliam X. Viris ad conditiones, hæc adiecit.

„*Ut illi M. talenta statim, & altera II. M. CC. intrà decennium exsolverent.*„ *Insulas omneis, Siciliæ Italiæq; interiectas, Romanis cederent.*

Ita finis

Ita finis primo bello Punico impositus, anno XXIV. postquam inchoatũ fuerat. Quo bello Pœni, D. quinqueremeis; Romani DCC. amisisse produntur.

Romani certè toties prælio navali victi, totiq; naufragijs attriti, laboris improbitate ac pugnandi pertinaciâ, & excelsâ propagandi imperij cupiditate, effecerunt, ut bello victores evaderent.

AMILCAR itidem Eryce excedere, relictis armis, à CATVLO iussus; se periturum potiùs responderat; quàm ut arma, contrà hosteis à patriâ data, hostibus traderet. Et non nisi mærens leges à Romanis impositas, & suâ manu scriptas, iubente patriâ, accepit.

LVTATIVS Coss. & VALERIVS proprætore, de Pœnis triumphárunt.

Eo bello Sicilia prima provincia populi Rom. facta esse censeatur: excepto Hieronis Syracusani regno. Vniversâ autem in pop. Rom. potestatẽ venit, bello Punico II. captis iam tũ à Marcello Syracusis.

ATTALI PERGAMENI FORTVNA ET LIBERI.

ATTALVS Pergamenus, cui præter divitias nihil ad spem regni fortuna dederat, ijs simul prudenter, simul magnificè utendo effecit; primùm ut sibi, deinde alijs, non indignus videretur regno.

Victis demùm prœlio uno Gallis, quæ tum gens recenti adventu terribilior Asiæ erat; regium adscivit nomen, cuius magnitudini semper animum æquavit.

Summâ Iustitiâ suos rexit: unicam fidem socijs præstitit. Liberos IV. superstites habuit. (EVMENEM, ATTALVM, ATHENÆVM, & PHILETÆRVM.) Regnumque adeò stabile ac firmum reliquit, ut ad tertiam stirpem possessio eius descenderit.

POESEOS ROMANÆ INITIA.

3714.
7. Euerg. & Callin.
Olym.135.V.C.514. | 236.

M. CLAVDIO CENTHONE, Cæci F. & M. SEMPRONIO TVDITANO. Coss. (teste Cicer. in Catone, & Bruto) LIVIVS Poëta, senex, fabulam, primus Romæ docuit, anno ipso antè quàm natus est Ennius. Sic & Agell. l. 17. c. 21.

Sed ACCIVS vult LIVIVM ann. demùm V.C. 545. à Q. FABIO V. Coss. Tarenti captum; & primam fabulam ab eo Romæ actam, anno V. C. 557.

FALISCI A ROMANIS SVBACTI.

Sub id tempus Falisci (qui anno V. C. 359. CAMILLO Tribuno militum, ob iustitiam, quòd is puerorum nobilium præceptorem, sed proditorem, ipsis captum remisisset; olim se in populi Rom. fidem tradidisse memorantur) nunc rebellantes, cæsis ex ijs XV. Millib. & cæteris pace concessâ, sexto die domiti, iterùm in deditionem venérunt.

INTESTINA AFRORVM SEDITIO.

Pœni verò, ex bello intestino, in extremum ferè discrimen devenére, hoc initio.

AMILCAR post percussum cum Romanis fedus, copias ex Eryce Lilybæum deduxerat; & magistratu abdicato, GISCONI duci copias in Africam transmittendas tradiderat.

Ille, seditionis præmetuens, mercenarios non simul omneis, sed disiunctos, in Africam dimittebat; ubi stipendia illi, & militiæ præmia singillatim exciperent. & primi domum antè abirent, quam secundi supervenissent.

Sed quùm milites in urbem admissi insolentiùs se gererent; & propterea in opidum Siccam cum uxoribus & liberis transducti licentiùs ibidem, per otium & socordiam, uti solet, agerent: & non modò stipendia; sed præmia etiam, immodica, quæ olim duces strenuis in Siciliâ erant polliciti, exigerent. Et Carthaginienses contrà, per ANNONEM, multa de ærarij pænuriâ causati, milites rogarent, ut aliquid de suo iure remittant.

Multitudo, ex magnâ morum, & linguarum varietate cõflata, (Hispani, Galli, Ligures, Baleares, & Græci profugi) ingenti cum tumultu insurgere cæpérunt; suoque exemplo totam Africam ad defectionem trahere.

Raptis iam per iram armis, ad XX. hominum M. apud Tunetem castra locant. Et SPENDIO, quodam servo, à Romanis transfugâ; & MATHONE, seditioso Afro, ducibus, sibi constitutis; GISCONEM, qui ad eos pacandos à Senatu missus erat, in vincula coniecérunt; & pecuniam; stipendio destinatam, dirípuérunt. Et Africæ civitates, propositâ libertate, ad belli societatem haud difficilè impulérunt.

Alij Vticam, alij Hipponem, urbeis à tàm nefariâ conspiratione abhorrenteis, partitis inter se copijs, & ad LXX. armatorum Mill. ex Africâ convenientibus, obsedére.

Carthaginienses, qui rem familiarem agriculturâ dumtaxat sustentare; publicas autem pecunias ex Africæ, tributis colligere, & bella conductitijs tantùm militibus gerere consuérant. Et quibus hæc omnia, præter spem, ob ictum nuper cum Romm. fedus, acciderant; quò se verterent, haud satis providebát. quùm in præsentia, pro seipsis, pro liberis, pro patriâ, periclitari se cernerent, omni adparatu destitutos; & vicinorum populorum, ob antegressam imperij erudelitatem, odijs expositos; omniq; pænè, tot urbibus in propinquo obsessis, Africâ exclusos.

Hanno

Hanno nihilo-minus, mercenarijs, quâ potuit, conscriptis, urbanam iuventutem armat; equites exercet; & triremeis instaurat, aut instruit.

Sed ad dissolvendam Vticæ obsidionem profectus, postquam hostem; primo impetu, & elephantorum violentiâ perterritum, dissipâsset; & cæterâ securus, Vticæ curando corpori operam daret. Seditiosi, qui in collem proximum, & naturâ munitum, haud longè è fuga se receperant, de-repentè castra hostium adgressi, & multis cæsis, aut in fugam actis, machinis & omni adparatu sunt potiti.

ANNONI; ut imperito, ita infelici duci, AMILCAR substitutus, incredibili virtute, uno tempore & hostium animos fregit, & Vticæ obsidionem dissolvit.

Carthago, tunc undique ab hostibus itâ circumcingebatur, ut nemini privato, nedum exercitui, liber ex urbe in Africæ continentem transitus esset.

Ille tamen copijs, præter fluvij, (Machæræ) tum fortè, obnitentibus ex-adversum ventis, & vadoso mari stagnantis ostia, traductis; adversùs MATHONEM & eos qui Gephyrâ, urbem Ponti Machæræ fluminis impositam, tenebant, de-improviso movit.

Quo cognito, SPENDIVS subsidio suis accurrit. Et quod Gephyræ decem hominum Millia essent; ipseque ab Vticâ XV. M. secum adduceret; hostem à fronte & à tergo opprimi facilè posse sperabat.

AMILCAR verò, acie peririssime instructâ, & mutatis subinde ordinibus, hostibus fugæ & perturbationis suspicionem iniecit; & ad manus è propinquo conserendas pellexit. Eosque incopósito agmine & utrimque in se irruenteis non modò sustinuit, sed etiam dissipavit. Adeò, ut ad VI. M. tam Afrorum, quam stipendiariorum, cecidisse, & bina Mill: capti esse memorentur.

AMILCAR Gephyram, milite, qui Tunetem effugerat, vacuam, primo impetu cepit: & pleraque finitimæ provinciæ opida in potestatem, deditione aut vi, redegit.

Ipse tandem in planitie quâdam, montibus undique circumseptâ, tribus hostium castris conclusus; ut à fronte Afri, à tergo Numidæ, & SPENDIVS (qui VI. veteranorum, & II. Gallorũ M. ducebat) ab latere, imminerent; opportunâ NARVÆ euiusdã, inter Numidas clari; & binorum eiusdem gentis Millium, transitione, itâ se expedivit; ut commisso acriter prœlio, ad X. hostiũ M. ceciderit, & ad quater Mille ceperit. Captivos tamen partim militiæ suæ adscîscit, & cæsorum spolijs ornat; partim certâ lege liberos dimittit.

MOTVS IN SARDINIA.

Per idem tempus mercenarij in Sardiniâ milites, Afrorum exemplum secuti, in Carthaginenseis, qui in insulâ erant, invadunt, ducem BOSTAREM aliosque obtruncant. ANNONEM, qui cum novis copijs illuc missus erat, à suis desertum, cruci adfigunt. & totâ insulâ sunt potiti; donec ortâ inter se, & Sardiniæ populos, seditione, ab illis expulsi, in Italiam venerunt.

Quâ occasione Sardinia postremùm à Carthaginiensibus defecit; licet pro tempore Romani legatos veteranorum, qui Insulam pop. Romano tradere vellent, non audierint.

SEDITIOSORVM IN AFRICA CRVDELITAS; ET SVPPLICIVM.

Ea autem, quam commemoravi, Amilcaris ergâ captivos benignitas, primarios seditiosorum in Africâ duces itâ efferavit; ut GISCONEM, aliosque apud se captivos, numero DCC. extrà vallum productos, præcisis priùs manibus, cruribusque diffractis, vivos in scrobem quamdam coniecerint. Eosque, qui tàm iniquum simul atque atrox supplicium deprecarentur, lapidibus obruerint.

Caduceatores, qui Carthagine missi mortuorum corpora ad sepulturam poscerent, omni in posterum ad se aditu interdixerint.

Decretum sibi esse; ut Carthaginiensis quilibet, qui in manus ipsorum venerit, atroci supplicio enecetur: Carthaginiensium verò socij, manibus præcisis, Carthaginem remittantur.

Amilcar vicissim, (qui ANNONE, altero duce, in urbem reverso, in exercitu remanere iussus esset) in captivos hostium sævit.

Sed postquam ad onerariarum, quibus necessaria in castra ex urbe importabantur, naufragium; & ad Sardiniæ defectionem, inopinata calamitas accessit. ut Hipponenses quoque & Vticenses, fidissimæ hactenus civitates, non modò turpiter ad Afros desciscerent; sed veterem etiam ergà Carthaginienseis fidem & benivolentiam, implacabili odio atque irâ, mutâssent. Et D. amplius præsidiarijs, unà cum duce, ibidem interfectis, & in præceps è muro deiectis, urbeis suas Afris tradidissent. neque cadavera civibus ad sepulturam poscentibus redderent.

Hoc rerum successu elati, MATHO & SPENDIVS, ipsam Carthaginem obsidere adgressi sunt.

Amilcar verò, unà cum Annibale collegâ, & Narvâ Numidâ; excursionibus assiduis itinera hostium observare, levibusque prœlijs castra infestate; commeatum intervertere; ac eos, qui frumentatum, pabulatumve excurrerent, intercipere satagebat.

Carthaginiensibus itâ undique circumventis, HIERON Syracusanus, (qui eorum salutem ad se quoque, in tantâ Romanæ potentiæ propinquitate,) pertinere putabat; non exigua auxilia submisit.

Neque Romani, federe obstricti, quidquam industriæ, quo minus omnem illis opem præstarent, prætermisere.

Et mòx compositâ, de captivis utrimque dimittendis, controversiâ; mercatoribus suis, ut frumenta Carthaginem comportarent, permiserunt. & ne rebellibus quidquam suppeditarent, vetuerunt.

Hisce autem subsidijs adiutus AMILCAR, cum rebelleis ad extremam rerum necessariarum penuriam; tum ad dissolvendæ obsidionis necessitatem, adegit.

Illi tamen facto ad L. hominum M. ex omnibus copijs delectu, ausi contrà Amilcarem contendere; quantumvis

quantumvis viribus atque audaciâ inferiores non essent; peritiâ tamen adversarij ducis, nunc à reliquis abscissi, nunc insidijs circumventi; nunc inexspectatis irruptionibus perterrefacti; immanè quantùm quotidie imminuebant. Quùm & ij, qui vivi in potestatem Carthaginiensium venissent, feris laniandi obijcerentur: & universi tandem castris hostilibus, & fossâ undique ac vallo circumsepti, quòd neque pugnare equitum elephantorumque metu auderent; neque tutò effugere possent; præ extremâ fame suis ipsorum corporibus invicem vesci cogerentur.

Postquam verò corporibus captivorum & ministrorum crudelissimè absumtis; & spe venturi à Tunete auxilij conclamatâ; incertis inter se consilijs, tum famis angore, tum præsentis supplicij formidine, diu, multumque fluctuassent: misso tandem caduceatore, petiére, ut sibi ad AMILCAREM legatos mittere liceat.

Quo impetrato, cum legatis, ANTARITO Gallorum duce, & SPENDIO, AMILCAR ità pactus est.

„Vt Carthaginienses X. quidem ex hostibus, quos velint, eligere; reliqui verò cum singulis tunicis impunè abire possint.

Et simul cum dicto, ijdem, qui præstò erant legati ex pacto deliguntur, & in manus AMILCARI traduntur.

Afri, captis ipsorum ducibus, pactionis ignari, & fidem à Carthaginiensibus fractam esse rati, raptis armis castra tutari pergebant.

Sed eos ità tumultuanteis confestim AMILCAR, cum elephantis & expeditis copijs adgressus facilimè oppressit. Omnesque ad XL. amplius Mill. ad Prienem, sive Serram, internecione delevit.

Et inde multis Afrorum urbibus receptis, Tunetem versus castra promovit, MATHONEM sociosque bipertito exercitu obsessurus.

Hìc ille SPENDIVM, cæterosque vinctos, in hostium conspectu, crucibus suffixit. Et vicissim MATHO, ANNIBALEM, alterum Pœnorum ducem, factâ ex urbe eruptione, multis hostium cæsis, aut in fugam actis, castris impedimentisq; direptis, vivum cepit; eumque e-vestigio ad Spendij crucem pertractum; corpore illius deposito, in eâdem cruce adfixit. Triginta præterea ex Punicâ nobilitate viros, circa eiusdem Spendij corpus sævissimè trucidat.

AMILCAR, qui ob loci intervallum, Collegæ succurrere non poterat; exercitum suum à Tunete ad fluv. Machæram reduxit, & proximè eius ostia castra est metatus.

Carthaginienses eius cladis nuntio graviter perculsi, ANNONEM iterum cum delectæ iuventutis manu emittunt. Eumque quorumdam Senatorum operâ reconciliatum, veterumque simultatum oblitum, communibus cum AMILCARA auspicijs rem gerere iubent.

Ipsi post levia aliquot cum Mathone certamina, tandem ex composito de summâ rerū cum hostibus, haud minus alacribus, decernere constituérunt.

Vbi post atrox prœlium victores, & Mathonem ipsum vivum cepérunt; & ex pugnæ discrimine reliquos, qui in propinquam urbem confugerant, ad deditionem adegérunt.

Vticenses soli, cum Hipponensibus, sceleris à se patrati conscij, neque veniæ aut misericordiæ locū sibi relictum arbitrantes, à pertinaciâ non destitére. Sed castris propiùs ab utroq; duce admotis, victoris arbitrio permittere se sunt coacti. Matho, reliquique captivi in triumphi modum per urbem tracti, dignas suis sceleribus pœnas expendére.

Hic exitus Africi belli, quod III. ann. & IV. Mensib. duravit. Omnium mutuâ crudelitate maximum.

SARDINIAM ROMANIS CEDVNT POENI.

Romani intereà, ab ijs, qui è Sardiniâ ad ipsos transfugerant, impulsi, insulam eam cum armis frequentare pergebant.

Quod factum, quùm Carthaginienses, qui sibi potiores iuris in eâdem parteis esse putabant, ægriùs ferrent; & iam copias, quæ eò mitterentur, pararent; Romani conquesti eum belli adparatum, non tàm adversùs Sardos, quàm contrà se ipsos fieri; bellum illis indicunt. Incusabantur porro, negotiatores Romanos mari populati fuisse.

At Carthaginienses imbecillitatis pro tempore suæ conscij; ità tempori cessérunt, omnemq; belli caussam à se avertere sunt conati; ut non modò Sardiniâ cederent; sed decreti etiâ sui temeritatē, MCC. talentûm multâ expiarent, & quasi bellū deprecarentur.

3715. 8. Euerg. & Callin.		235.

(Coss. C. MAMILIO TVRRINO, & Q. VALERIO, FALTONE, Q. ENNIVS Poëta nascitur. Qui primus amœno, (Romam) Detulit ex Helicone perenni fronde coronam. Vixit LXX. ann. obijtque anno V. C. 585. Tunc & Valentiam colonia deducta, in Hispaniâ.)

BELLVM CVM BOIIS, ET LIGVRIBVS.

3716. 9. Euerg. & Callin.		234.

T. SEMPRONIVS GRACCHVS, & P. VALERIVS FALTO, Coss. diversâ in Italiâ bella gessére.

VALERIVS quidem adversùs Gallos Cisalpinos, Boios; & variâ quidem sorte. Vt priore conflictu III. M.

III. M. D. Romanorum ceciderint: secundo autem, XIV. Mill. ex Gallis cæsi; & II. Mill. capti sint. Ob priorem tamen cladem, triumphus ei negatus.

SEMPRONIVS autem, VALERII collega, bellum Ligustinum inchoâsse traditur; quod eorumdem Ligurum latrocinia excitârunt. Cum quibus per annos LXXX. bellatum scribit, Strab. lib. 4. donec M. Fulvius Nobilior ann. V. C. DXCV. nobilem de ijs victoriam reportavit.

NOVI LACEDÆMONE MOTVS, REGE CLEOMENE.

LEONIDÆ illi, Spartanorum regi, CLEOMENES F. successerat. Qui quùm & naturæ gravioris instinctu, & domesticæ disciplinæ, (quam hauserat à Sphæro Borysthenite, Zenonis Cittyéi discipulo) acrimoniâ, ad imitandum AGIDIS exemplum, totus ferretur: & in tàm dissolutus eâ tempestate civium moribus; ut divites quidem privato luxui, & compendio remp. posthaberent: plebes verò, ob rei familiaris angustias, & ad bellum ignava, & ad pueritiæ disciplinam socors planè existeret, præterea se nomine tantùm regis frui, & reliquarum rerum arbitrium penes Ephoros esse, indoleret; ad res novandas animum adiecit.

LIVIVS eum quidem vocat Spartæ tyrannorum primum. Sed si mores spectes; habuit Sparta reges CLEOMENE longè deteriores. Si genus; regio sanguine ortus, ab Heraclidis originem ducebat.

Ipse, quod bellum potius, quam otium, commovendo reip. statui accommodatius esse iudicaret; primùm civitatem cum Achæis, qui & ipsi querelarum caussas præbuerant, commisit.

ARATVS namque, cuius summa apud Achæos erat auctoritas; id unum moliens, ut omneis Peloponnesios in unum corpus redigeret; eosque liberos, & à bellis externis tutos, faceret; quum soli ex ijs Lacedæmonij, & Eléi, & Arcadum aliquot, à tali societate abhorrèrent; simulatque LEONIDAS decessit; Arcadiam, Achæis finitimam, bello lentè infestat, quasi CLEOMENEM, ætate immaturum, contemneret.

CLEOMENES ab Ephoris emissus, Athenæum, Belbinæ propinquum (ea Arx claustrum Laconiæ erat, cum Megalopolitanis controversa) occupat & communit.

ARATVS vicissim, sine ullâ expostulatione, Tegeatas, & Orchomenios de nocte adortus, re infectâ, retrò cessit.

Quum illo autem absente Caphyas cepisset: & CLEOMENES iterùm cum copijs missus, expugnato Methydrio, fineis Argivorum depopularetur; Achæi XX. peditum Mill. & Mille equitibus, signa, prætore ARISTOMACHO, extulére.

Quibus cum ille ad Palantium occurreret; & dimicare gestiret; ARATVS, ducis audaciam expavescens, Prætori suasit, ne rem in pugnæ discrimen adduceret; & cum dicto abscessit.

Quâ caussâ, non modò à Lacedæmonijs, qui V. Mill. numerum non explebant, irrisus; sed ab Achæis etiam contumeliosè proscissus est.

Postquam verò Eléis, quibus Achæi vim inferrent, opitulaturus, in eosdem, se sensim iam recipienteis, ad Lycæum, invectus esset CLEOMENES; totum perpulit perpulitque Achæorum exercitum; tantâ cæde, ut ARATVS etiam ipse cecidisse passim vulgaretur.

Quâ ille vulgaris famæ occasione utens, raptim ex illâ fugâ Mantinéam petijt; & captæ de-improviso urbi præsidium imposuit.

ARCHIDAMVS, AGIDIS frater, priùs exsul, deinde à LEONIDA ad regni consortium admissus; (uti é POLYBIO colligi posse videtur) illo defuncto, metu CLEOMENIS filij iterùm exsulare, coactus est; & à NICAGORA, eâdem quâ pridem humanitate, apud Messenios, exceptus.

CLEOMENES, dum sibi bella assiduè agitanti refragranteis videt Lacedæmonios; eumdem ARCHIDAMVM, ad quem ex alterius familiæ prærogativâ tegnum spectaret; revocare é Messene instituit: quo præsente, obtusiorem fore Ephororum potestatem existimabat.

Sed AGIDIS, fratris eius interfectores, ne ARCHIDAMVS redux, de se pœnas reposceret, formidantes; ipsum clam in urbem ingressum illicò interemerunt, ambiguâ CLEOMENIS, invitі, an consentientis! famâ.

(Alij namq; tradunt, CLEOMENEM, ARCHIDAMO, quem absentem magis quàm præsentem metueret, reditûs spem iniecisse. Quam quidem reconciliationem magno studio NICAGORAS procurârit, & federis pignora postulârit. Eaque securitate fretum ARCHIDAMVM Spartam repetisse, & in ipso itinere à CLEOMENE esse obtruncatum.

Et NICAGORAM quidem; qui mos est à Principe discedentium, CLEOMENI, quod sibi comitibusque pepercisset, grateis quidem egisse; sed aliâ interim mente indignationem mansisse repostam; & tam sævæ perfidiæ detestationem, duodevigioti post annis, apud Alexandriam, erupisse. Quâ de re infrà.)

Pergit nihilo minus CLEOMENES res novare, matre CRATESICLEA filij gloriæ, quâ gratiâ, quâ pecuniâ, velificante. Et quum corruptis auro Ephoris belli potestas ipsi iterùm permissa esset; & Leuctra, (POLYB. Laodicia) agri Megalopolitani opidum, occupâsset; signis haud procul opido collatis, primùm ARATVM, qui cum Achæis opem adlaturus advenerat, perculit: deinde LYSIADEM Megalopolitanum, (qui positâ tyrannide, & libertate popularibus redditâ, civitatem suam Achæis adsociârat) cum equitatu, oppressit: ac postremò universum Achæorum exercitum profligavit. Quo successu ille sublatus, de Ephoris tollendis cogitavit.

BELLVM GALLICVM, ET LIGVSTINVM.

3717. 10. Euerg. & Callin. | 233.

L. CORNELIO LENTVLO, & Q. FVLVIO FLACEO Coss. Bellum contrà Gallos susceptum, & continuatum est. Atque illi, dum communi consensu rem gessére, invicti fuére. Vbi verò, distractis copijs prædæ cupiditate agros populari cępérunt; FLACCI castra à Gallis undique cincta & in discrimen adducta sunt, undè tum illi repulsi, maiore post conatu in Romanos rediérunt.

Contrà Ligures quoque, intrà Italiam, bellum gestum. Et, ijdem Coss. primi trans Padum Romanas legiones eduxére. Ibique cum Insubribus & Liguribus pugnatum: ex quibus XXII. Mil. interfecta, & V. Mill. capta. Et de ijs triumphus actus.

Eodem anno, vel, ut alijs placet, consequente, Galli Cisalpini, acciti, clàm, & inconsultâ plebe, ad se Transalpinis, terrorem Romanis multitudine suâ incussuros rati; per legatos Ariminensem agrum, uti suum, repetiérunt; & Romanos Arimino opido cedere iussérunt.

Coss. qui neque pro copiarum exiguitate confligere; neque postulata concedere auderent; factis pro tempore inducijs, Gallorum legatos ad Senatum Romanum reiecérunt. Qui irritâ re in castra reversi; & armis, quæ negabantur, ereptum ire obfirmati; res suas domi perditas offendérunt.

Quidam enim ex socijs ipsorum, graviora à Romanis, tû potentibus, veriti, mutatâ sententiâ, Boios ipsos adgressi sunt; eoque prœlio multi utrimque cecidére. Et reliquis domum dilapsis; Boij, agri parte multati, pacem impetrárunt.

Polyb. lib. 2. tradit; Quum Transalpini auxiliares ad Ariminum venissent; Boiorum multitudinem, earum rerum ignaram, & adventu illorum perculsam, regibus suis, ATE & GALATA, qui eos acciverant, interfectis; acie cum Transalpinis ipsis conflixisse.

Romanos verò, qui Transalpinorum motu perterriti exercitum eduxerant, auditâ Gallorum inter se dissensione & pugnâ, domum revertisse.

ANNIBAL DEVOTVS ROMANORVM HOSTIS.

AMILCAR autem BARCA, bello civili, confecto, ac rebus in Africâ feliciter prudenterque compositis; tàm Siciliam, licet iusto bello captam; quàm Sardiniam, contrà fedus à Romanis, calamitati Pœnorum tùm insidiantibus, interceptam; ægerrimè ferebat.

Sed quòd non esset is rerum Punicarum status, ut tum exerceri cum hoste, tàm potente, inimicitiæ possent; dum tempus opportunum exspectat, altâ interim mente dolorem pressit; & filium suum ANNIBALEM, vix IX. ann. natum, secum in Hispaniam, quò cum exercitu amandabatur, deduxit.

Ibi, sacris fortè peractis, cum perlitásset, amotis arbitris, filium insuetato ante aram iureiurando adegit; ut spondeat; *Æterno, se, & implacabili odio Romanos persecuturum.*

Eumque studijs militaribus imbuens, toto pænè novennio arma Pœnorum, quam-latissime potest, in Hispaniâ extendit: & multas civitates partim bello subegit, partim deditione in Carthaginiensium fidem accepit: multisque rebus egregiè gestis extremum vitæ diem, non illaudatâ ibidem morte, confecit.

Advénit autem cum Patre ANNIBAL in Hispaniâ, XXXVI. annis antè secundi Punici belli finem.

Defuncto, quem dixi, AMILCARE, Carthaginienses ASDRVBALEM, AMILCARI adfinem, & egregium Trierarchum, exercitui præfecérunt.

(Plin. lib. 2. cap. 87. *Memorat, hoc IV. Olympiad. CXXXV. anno, Insulas duas, Thiram & Therasiam, inter Cycladas, enatas: quomodo prid m antea Rhodos, & Delos, Anaphe & Néa. & multo-post Hiera, (quæ & Automate) de-subito exstitisse produntur.*)

CORSICA TENTATA A ROMANIS.

3718. 11. Euerg. & Callin. | 232.

P. CORNELIVS LENTVLVS, & C. LICINIVS VARVS Coss. Gallico tumultu composito, ille quidem adversus Ligures exercitum duxit; ijsque victis, castella etiam quædam in ditionem suam redegit. Hic verò Corsicam petiturus, cum propter navigiorum pænuriam traijcere non posset; CLAVDIVM CLINIAM (al. M. CLAVDIVM) illuc cum copijs præmisit.

Hic terrore Corsis iniecto, in colloquium venit; & quasi Imperator esset; fedus cum ijs fecit.

At Varus, eo neglecto, Corsos nihilo-minus oppugnare non destitit, donec eos subegisset.

Romani verò ut à se violati federis crimen removerent, CLAVDIVM, infamis pacis auctorem, eis dedidérunt; atque ab ijs non receptum, expulérunt. aut, uti VALERIVS scribit, in carcere necárunt.

Eodem anno Carthaginienses bellum reparare tentabant, Sardis, qui ex federis conditione Romanis parére debebant; ad rebellandum impulsis. Sed adveniens Carthaginiensium legatio, pacem impetravit.

ARSACIS IN PARTHIS CONATVS.

ARSACES, vir inter Parthos, ficut incertæ originis, (GEORG. MONAC. Chronico, ait, illum, cum fratre TERIDATE, genus duxisse, ab Artaxerxe, Persarum rege; & Bactriorum fuisse Satrapas.) Itâ virtutis expertæ; solitus latrocinijs & rapto viuere, acceptâ opinione SELEVCVM CALLINICVM à Gallis in Asiâ victum; sulutus regis metu, cum prædonum manu Parthos ingressus, præfectum eorum ANDRAGORAM oppressit. Eoque sublato, imperium gentis inuasit.

Non magno deinde post tempore, Hyrcanorum quoque regnum occupauit. Atque itâ duarum ciuitatum imperio præditus grandem exercitum parat; metu SELEVCI, & THEODOTI, qui paullo-ante à Macedonibus defecerat; & ex Bactriorum præfecto, regem appellari se iusserat.

Sed confestim, ex morte THEODOTI, metu liberatus, cum filio eius cognomine fedus ac pacem fecit.

Nec multo-post cum SELEVCO, qui ad defectores persequendos venerat, congressus, victor fuit. *Quem diem Parthi exinde solemnem, velut initium libertatis, obseruavère.*

SELEVCO deinde nouis motibus in Asiam reuocato, datoque inde laxamento; regnum Parthicum, & milite, & arcibus format, non minus memorabilis Parthis, quam Persis CYRVS; Macedonibus ALEXANDER; Romanis, ROMVLVS.

Cuius memoriæ hunc honorem Parthi tribuerunt; ut omneis exinde reges suos ARSACIDAS nuncupârint.

GEORG. MONACHVS tradit; AGATHOCLEM Persidis præfectum, insidiatū vitæ TERIDATIS, quem amare simulabat, sed à fratribus interfectum, & regnum Persidis occupatum. Cui ARSACES annis duobus; TERIDATES XXXVII. præfuerit.

Iustin. vult ARSACEM maturâ senectute decessisse; eique F. cognominem successisse.

LVDI SÆCVLARES.

Iisdem, quos dixi, Coss. III. Ludi sæculares fuere, siue XV. virales. quorum series post CX. annos recurrebat.

Primi quidem facti videntur, anno V. C. 188. regnante SER. TVLLIO; postulante id Dæmone. Et horum exemplo; XV. Virûm iussu, primi facti sunt anno V. C. 298. Secundi anno V. C. 408. Tertij denique hoc anno. (Sic Censorin.)

MOTVS IN EPIRO.

Sub hæc tempora, OLYMPIAS, PYRRHI Epirotæ regis filia, amisso marito, eodemque germano fratre, ALEXANDRO; cum tutelam filiorum, quos ex eo susceperat, PYRRHI & PTOLEMÆI; regnique administrationem in se recepisset; ab Ætolis, partem Acarnaniæ, quam in portionem belli, Pater pupillorum antè acceperat; eripere volentibus, ad regem Macedoniæ DEMETRIVM decurrit.

Eique, quantumuis uxorem haberet, ANTIOCHI, regis Syriæ, sororem; filiam suam PYTHIAM in matrimonium tradit, ut auxilium iure cognationis obtineret.

Prior uxor, velut matrimonio pulsa, sponte suâ ad fratrem ANTIOCHVM decedit; eumque in mariti bellum impellit.

Acarnanes quoque, diffisi Epirotis, aduersùs Ætolos, auxilium Romanorum implorantes, obtinuêrunt à Senatu; ut legati mitterentur, qui denuntiarent Ætolis; *præsidia ab urbibus Acarnaniæ deducerent*: paterenturque esse liberos; qui soli quondam aduersùs Troianos, originis suæ auctores, auxilia Græcis non misissent.

Sed Ætoli legationem Romanorum superbè audivére: Pœnos illis & Gallos exprobrantes, à quibus tot bellis occidione cæsi essent. *Se Græciæ Principes semper fuisse: se Macedonas, eorumq; reges, Philippum & Alexandrum, semper contemsisse.*

Et ne fortiùs locuti, quàm fecisse viderentur, fineis Epiri & Acarnaniæ depopulantur.

Iam OLYMPIAS filijs regna tradiderat; & in locum PYRRHI, fratris defuncti, PTOLEMÆVS successerat. Qui quùm hostibus instructo exercitu obvius processisset, infirmitate correptus in itinere decedit. Neque OLYMPIAS diu filijs superuixit.

Ex filiabus eius, NEREIS, GELONI, Siciliæ regis, filio, enupsit. LAODAMIA ad Aram Dianæ confugiens, concursu populi interfecta est.

Hinc Epirotæ sterilitatem fameinque passi, & intestinâ discordiâ vexari; externis ad postremum bellis pænè consumti sunt.

SARDINIA ROMANOR. PROVINCIA.

3719. 12. Euerg. & Callin. | | 231.

TI. MANLIO TORQVATO, & C. ATILIO BALBO Coss. de Sardis, qui auctoribus Pœnis rebellârant, triumphatum est. Et Sardinia tum certum accepit imperium, stipendio etiam superimposito.

Hæc prima pop. Romani prouincia hoc tempore facta est. Nam Sicilia, non nisi Syracusis à MARCELLO captis, in prouinciæ formam tota redacta est.

IANVS CLAVSVS APVD ROMANOS.

Romani pace omnibus pænè locis factâ, nullum bellum habuêrunt. quòd post Romam conditam semel tantum, NVMA POMPILIO regnante, contigerat. Et Varro, eodem anno clausum & patefactum scribit Iani Templum.

CORSI, ET LIGVRES DOMITI.

3720. 23. Euerg. & Callin. 230.

Sardi, Corsi, & Ligures iterum defecerant. Ex Consulibus L. POSTHVMIVS ALBINVS adversùs Ligures; & Sp. CARVILIVS MAXIMVS, adversùs Corsos, cum exercitu missi. Et utrique populi, quamvis non sine labore; summâ tamen celeritate devicti sunt.

Et P. CORNELIO prætore, ac plerisque alijs, qui in Sardiniam destinati fuerant, morbo exstinctis; idem CARVILIVS, Sardos, nihil moderatum animis agitantes, ingenti prœlio superavit, deque ijs triumphavit.

REPVDIVM I. ROMÆ.

Repudium inter uxorem & virum, usq; ad DXX. V. C. annum, nullum Romæ intercesserat.

Primus autem Sp. CARVILIVS uxorem sterilitatis causâ dimisit, (de amicorum sententia, Agell.)

Qui quamquam tolerabili ratione motus videbatur; reprehensione tamen non caruit. quia nec cupiditatem quidem liberorum, cōiugali fidei præponi debuisse, arbitrabantur.

(Eodem anno C. NÆVIVM Poëtam fabulas ad populum dedisse, testatur Agell.)

SARDI, ET LIGVRES, AVCTORIBVS POENIS DEFICIVNT.

3721. 24. Euerg. & Callin. 229.

Sardi & Ligures, Romanis inde digressis, de integro defecerant.

Ex Consulibus, Q. FABIVS MAXIMVS (quod cognomen ab avo accepit: Verrucossus, à Verruca in labris, dictus;) contrà Ligures: M. POMPONIVS MATHO, contrà Sardos, missi.

Carthaginienses, ut eorum bellorum auctores, hostes iudicati; iussique pecuniam numerare, & omnibus cedere Insulis, quæ iam in Romanorum potestatem venissent.

Missa ad eosdem epistola, ubi scriptum fuit; Pop. Romanum misisse ad eos hastam, & caduceum, duo signa, belli an pacis! (Varr. duas Tesserulas, in quarum altera caduceum; in altera simulacrum hastæ incisum.) E queis utrum vellent, optarent, & deligerent. quod elegissent; id unum ut esse missum existimarent.

Carthaginienses nihili territi, quùm ad alia responderunt asperiùs; tum se neutrum eligere dixerunt. sed posse, qui attulissent. utrum mallent, relinquere. quod reliquissent, id sibi, pro lecto, futurum. Hinc mutuis odijs conceptis, neutri dum bellum inire sunt ausi.

Fabius interim Ligures magno prœlio superavit. quâ illi clade acceptâ, ad Alpeis recesserunt, ac finem populandi fecerunt. (Observat PLVTARC. FABIVM non solùm de Liguribus tum triumphasse; sed ex nullâ umquam ipsum pugnâ, nisi ex eâ, ex quâ triumphavit, victorem excessisse. Cicero ab eodem, hoc bello Ligustino, Templum Honori dedicatum tradidit.

PHILIPPVS MACEDON. REX: ANTIGONVS TVTOR.

DEMETRIVS, Macedoniæ rex, moriens, filium Philippum impuberem relinquit. Huic ANTIGONVS, Patruelis, ὁ δώσων dictus, (quòd Daturum se semper polliceretur, nihilque præstaret) tutor est datus: Eoque nomine regiam potestatem per ann. XV. obtinuit; vel potius XI. bonâ fide & magnâ cùm laude tutelam gessit. (Iustin. Acceptâ in matrimonium matre pupilli, regem se constitui laborabat.)

Interiecto deinde tempore, quùm minaci Macedonum seditione clausus in regiâ teneretur; in publicum sine satellitibus processit. Proiectoque in vulgus diademate ac purpurâ, sua illis beneficia commemorat.

Vt defectionem sociorum vindicaverit: ut Dardanos Thessalosque, morte Demetrij regis exsultanteis, compescuerit: ut dignitatem denique Macedonum non modò defenderit, verumetiam auxerit. Quorum si illos pœniteat; deponere imperium, & reddere illis munus suum. quod adhuc invidiosum ipse non voluptatibus, sed laboribus ac periculis usque senserit.

(*Quære ipsi regem quærant; qui aut imperare illis nesciat, aut cui parere ipsi sciant.*)

Quùm populus pudore motus, recipere eum regnum iuberet; tamdiu recusavit, quoad seditionis auctores supplicio traderentur.

ACHAICÆ REIP. INCREMENTA, ET CVM ÆTOLIS DISSCIDIA.

Ab excessu Demetrij, incredibile Achæorum cōmuni, sive Reip. incrementum accesserat.

Nam præter mutuam cum Ætolis amicitiam; sive veriùs Syncretismum, quem infestus utrique genti DEMETRIVS extorserat; omnes pæne in Peloponneso Tyranni tum morte regis, quo fautore steterant; in desperationem adacti; tum invalescente ARATI, Tyrannidum osoris, & publicæ per Græciam libertatis vindicis, auctoritate, exterriti; Achaicæ societati certatim sese adgregarunt.

LYSIDAS

LYSIDAS Megapolitanus; ARISTOMACHVS Argivus; XENON Hermionius, & CLEONYMVS Phliasius, depofito fuæ quifque patriæ dominatu, in tàm generofam optimè conftitutæ Reip. æquabilitatem colére.

Sed his ARATI conatibus, agnata Ætolorum cupiditas, & adversùm Achæos invidia, obftitiffe vifa. qui uti anteà, focietatis inter populos, qui cooluerant, diffolvendæ appetentes; Acarnanû quidem civitates cum ALEXANDRO, Epiroiâ; Achæorum verò, cum ANTIGONO GONATA, inter fe, ex deftinato, diviferant; Ita confimili fpe, ANTIGONVM Macedoniæ; & CLEOMENEM Spartæ, reges, impleverunt; & in fententiam fuam pertraxérunt.

Haud dubiè & ipfi in eam fpem adducti; fi præter ANTIGONVM, Achæis, ob amiffam Corinthi arcem, maximè infeftum; Lacedæmonios quoque eo bello ad tutores haberent; facilè fe eam gentem, fibi ob res fecundas invifam, armis undique circumventam, effe oppreffuros.

Tantâ animorum cæcitate & obftinatione, ut eum ipfos puderet Achæis, optimè de fe, Demetriaco bello, meritis, bellum palàm indicere; Lacedæmonios ad id faciendum, incitarent.

Tum CLEOMENE, Tegêam, Mantinéam & Orchomenum, ampliffimas, & non modò focias, fed eiufdem planè cum illis civitatis & ftatûs participes, urbeis, quas ille per fraudem interceperat; lætiffimè refignarent.

ARATVS itaque & Achæorum proceres; qui bellum quidem nemini propalàm indicendum, fed Lacedæmoniorum conatibus obviàm eundum priùs conftituerant; ubi CLEOMENEM, Athenæum, in regione Megalopolitanâ caftellum, impunè exædificare; & apertè hoftem profiteri, vidérunt; bellum etiam adversùs Lacedæmonios manifeftè fufcipiendum decernunt. *Quod CLEOMENICVM appellatum eft.*

SARDI ITERVM DOMITI.

3722. 15. Euerg. & Callin.		228.

M. AIMILIVS LEPIDVS, & M. POBLICIVS MALLEOLVS, Coff. in Sardos, (qui ne priore quidem bello fracti quieviffe videntur) miffi, magnam prædam abegérunt: eâdemque à Corfis, cum ad eos acceffiffent, fpoliati funt.

LEX FLAMINIA, DE AGRO PICENO: ET EX EA BELLVM.

Tum C. FLAMINIVS Trib. Pl. popularis auræ cupidus, peffimo ut confilio, itâ exemplo atque eventu, Legem ad populum tulit; *Vt ager Picenus, unde Galli Senones fuerant expulfi*, populo militibufque Romanis divideretur. Quæ res nóvo & gravifsimo bello cauffam dedit.

Boij námque, præ cæteris, qui fe etiam eum de Principatu aut gloriâ ageretur, Romanorum iugo invitiffimi fubmiferant; ubi de focis atque aris agi vidérunt; cum Infubribus, & alijs Gallis, qui intrà Rhodanum & Alpeis habitant, re cõmunicatâ, permultos, & in ijs CONGOLITANVM & ANEROESTEM, Gæfatarum (hoc eft, eorum qui mercenariæ militiæ vacabant; vel qui gæfis, certo teli Gallici genere, in prœlijs utebantur) reges, partim auro oblato, partim opimę prædę fpe, in belli adversùs Romanos focietatem itâ animárunt; ut neque maior umquam exercitus; neque quà militum robore, quà rerum omnium adparatu, inftructior, è Galliâ umquàm defcenderit.

Qui nuntius Romam adlatus, tanto urbem terrore complevit; ut quum nequedum Galli è proprijs fedibus exceffiffent; ipfi novos delectus facere, commeatum adparare, copias in fineis fuos educere cœperint.

In huius belli adparatu, VII. plus minus anni utrimque confumti.

Eaque res haud parum Carthaginienfibus commodavit ad Imperium in Hifpania propagandum. Et coacti funt Romani res Hifpanienfeis negligere, quoad res in Italiâ in tuto collocarentur. Renovato itaque cum ASDRVBALE Carthaginienfium duce, fœdere, animos & vires in bellum Gallicum convertérunt.

ATHENIENSES ARATO FEDERATI.

Athenienfes, auditâ morte Demetrij, fpretâque PHILIPPI pueritiâ, & tutoris eius ANTIGONI fenectâ; ad libertatem (quod beneficium iampridem procurare ipfis ARATVS tentaverat) adfpirant. Et tum demum fpectatæ in viro illo virtutis, ac beneficiorum memores, ARATVM eumdem, quem antè XI. annos à fe pro hofte reppulerant; arceffunt, eiufque auxilium implorant.

Ille, licet, obtinente tum præturam LYSIADE, æger in lecto decumberet; fe tamen lecticâ Athenas deportari iuffit: quodq; armis non potuerat, comitate & promiffis impetravit.

DIOGENEM, qui Macedonum nomine, Piræum, Munychiam, Sunium & Salaminem, ibi eum præfidio tenebat, induxit; ut Athenienfibus, acceptâ ex talentorum mercede, (ex quibus ipfe xx. de fuo tulit) ea loca proderet.

(Apud Iudæos Simon II. Oniæ II. Fil. & Pontificatu fungitur & clarus habetur. De eodem fup.)

TRIVM-

TRIVMPHVS DE SARDIS ET CORSIS.

3723. 16. Euerg. & Callin. 227.

Ex Coss. M. POMPONIVS MATHO, qui Sardis arma intulerat; quùm eorum plerosque, in salcuosis specubus abditos, indagare non posset; sagaces canes ex Italiâ ad se adduci iussit: per eosque tramitibus hominum pecudumque investigatis, multos indè exstinxit.

C. verò PAPYRIVS MASO, Corsos campis pulsos, quum in monteis abegisset; ex insidijs multos milites amisit. Et præ siti plures amisisset; ni postremò aquâ inventâ, Corsos, ut deditionem facerent, induxisset.

(Hic MASO, qui primus in mõte Albano de Corsis triumphavit, Myrto coronatus Ludos Circenseis spectare solitus traditur. (Festus addit; *Quòd Corsos in campis Myrteis superâsset, eo frondis genere usum.*).

CLEOMENIS RES NOVÆ APVD SPARTANOS.

CLEOMENES, re cum MEGISTONO, vitrico suo, viro potenti, paucisque alijs cõmunicatâ, ad Reip. statum, sublatis Ephoris, pro arbitratu suo constituendum seriò se accinxit.

Et priùs quidem civibus, quos maximè sibi obstaturos suspicabatur, in expeditionem eductis; & post Heræum, Aleamque, (quæ opida Achæis contributa erant) receptas; & importatum Orchomenijs commeatum; in Arcadiâ relictis; cum mercenario milite Spartam contendit.

Et EVRYCLIDA, quem præmiserat, in convivium Ephororum ingresso, alij, ducibus THERICIONE & PHOEBIDE, districtis gladijs in triclinium irrumpunt, eosque omneis confodiunt.

Solus AGYLÆVS, è vulnere, quo exanimem iacentemque se simulârat; in propinquam TIMORIS Ædem se recepit; & postridie salvus evasit. Reliqui quattuor, cum decem alijs, qui auxiliaturi adcurrerant; cæsi sunt.

CLEOMENES LXXX. è civibus solum vertere iussit; & Ephororum sellas sustulit, præter unam; in qua sedens ius dicturus esset.

Indignam rem esse clamans; *Adscititiâ illâ novorum hominum potestate, vetus itâ imperium pessumdari; ut reges partim è regno deturbare; partim indictâ causâ occidere;* aut etiam, si qui pulcerrimum Spartæ statum restituere aveant; *palàm perniciem ijs minitari ausi sint.*

Ipse itaque primus agros, & patrimonium omne suum in medio posuit; & ære alieno obstrictos exsolvit. Quod exemplum mòx reliqui sunt secuti: & ager ex æquo divisus. fortibus etiam ijs, quos in exsilium egisset; quosque, rebus pacatis, revocaturus esset; attributis.

Suppletâ, ex delectu optimorum finitimorum, civitate, & milites veteri armorum disciplinâ imbuit; & iuventutem generosis Laconicæ patientiæ & frugalitatis legibus informavit.

Et ne nomen dominatus offenderet; fratrem EVCLIDAM regni consortem sibi cooptavit. *Et tunc duo unâ ex domo reges Spartiatæ habuêrunt.*

Et quem Achæi, suspensâ adhuc motibus novis civitate, suos fineis suos cum exercitu exiturum minimè putabant; ipse de-inopinato in Megalopolitanum agrum ingressus, tum prædam ingentem congessit; tum magnam edidit vastitatem.

Et quò acerbiùs hostibus insultaret; excitatâ, in hostico, theatri formâ, per peregrinos, ludicræ artis præstigiatores, ludos edidit, & spectavit.

Ipse nihilo minus totius temperantiæ exemplar, & doctor; comitate, & lepidâ oratione, præterea sibi hospites conciliare eruditus.

Hinc primùm Mantinéi exsules eum sponte suâ invitârunt. Et clàm, de nocte in urbem suam eo duce irrumpentes, eiecto Achæorum præsidio, in fidem eius se dedidére.

Et ipse restitutâ civibus rep. Tegeam progressus, & per Arcadiam circumvectus; Achæos, qui in Dymæis ad Hecatombæum castra habebant, intrepidè lacessens, ad manus conferendas adegit.

Quibus acie fusis, multos eo prœlio profligavit; nec paucioribus captivis potitus est. Et Langonem adortus, Achæis eiectis, opidum Eléis restituit.

Quumque legatis Achæorum paullò duriora visus sibi esset imperasse; alios submisit, qui postularent; *Sibi modò imperium permitterent: de cætero facilè cum ipsis conventurum:* captivis etiam, & ijs quæ occupâsset, è vestigio restitutis.

Quæ cum probarentur Achæis, ad pacem inclinatis: & ipsi CLEOMENEM, Lernam, quò gentis totius concilium indixerant; accirent; hic fortè agmine raptim acto, & aquâ intempestivè hausta, vim sanguinis effudit; ut vox ei interclusa sit, & nobilissimis captivorum, ad Achæos remissis, quòd dies conventûs prorogata esset, Lacedæmonem secessit.

Et hæc quidem mora, res Græciæ planè labefecisse visa est, quæ alioquin è præsenti calamitate oculos nonnihil attollere, & impotentem Macedonum dominatum declinare potuisset.

ARATI IMPRVDENTIA, AN INVIDIA?

ARATVS namque, sive diffidentiâ & metu CLEOMENIS, commotus; sive subitariæ eius prosperitati invidens, & probro sibi versurum ratus; Si sibi, qui XXXIII. iam annis Principatum inter suos obtinuerat, rex adolescens, nomen simul ac potentiâ subitò detraheret;

derraheret; & rerum ab se actarum, imperijq; amplificati gloriam interverteret; primùm Achæos à fœdere faciendo deterrere annisus est: Deinde, quũ Lacedæmoniorum (qui Peloponnesum in veterem statum libertatemq; restituere cõtendereat) postulata, æqua vulgo cęteri, & probari; animadvertisset, facinus Græco nomine, & tot antegressarum actionum gloriâ indignissimum ausus est.

Vt cum ANTIGONVM in Græciam acciret; & Peloponnesum Macedonibus, (quos, captâ Acrocorintho, pepulisse erat olim gloriatus) propinaret; tum regem Spartiatarum, Herculis progeniem; veterum Lycurgi legum, & Doricæ disciplinæ instauratorem; Sicyoniorum & Triccæorum, scilicet Principatu indignum iudicaret; atque ità alienaret.

Atque adeò, quum Argos iterum Achæi convenissent; & ex Tegeâ CLEOMENES ad illos descendisset; in summâ exoptatæ pacis spe, ARATVS, (cui iam maximis de capitibus cum Antigono clam convenerat,) CLEOMENEM, propositâ novarum conditionum inquitate, *Vt vel solus, acceptis obsidibus, in publicum concilium veniret; vel in Gymnasio suburbano (CYLLARABIO) remotis copijs, cum ijsdem transigeret*) iniuriosè averttit; & ad bellum ipsis Achæis, misso Ægion caduceatore, indicendum inflammavit.

BELLVM GALLICVM.

3724. 17. Euerg. & Callin. — 226.

Quùm Boij, cæterique Galli, ex venditione tum aliarum rerum, tum plurimorum captivorum, magnam pecuniam facerent; Romani veriti ne ijs opibus contrà se uterentur, edixérunt; *Nequis homini Gallo vel aurum, vel argentum daret.*

Hinc Galli, cognitâ Coss. M. Aimilij Barbulæ, & M. Iunij Piræ in Ligures expeditione, se, ut Romã rectà contenderent, iam comparabant. Sed Coss. eos improvisò adorti adeò terruerunt, ut per amicitiæ speciem obviàm eis egrederentur. Illi vicissim simularunt, se non contrà illos esse profectos; sed per eorum agrum in Ligures transituros.

BELLVM ILLYRICVM, EIVSQVE ORIGO.

Belli autem Illyrici, & primæ Romanorum in eam, vicinasque Græciæ regiones, traiectionis, hoc fuit initium.

Illyriorum (qui sub extremis Alpium radicibus, inter Arsiam, Titiumque flumen, olim agebant, longissimè per totum Hadriatici Maris littus effusi) rex AGRON, PLEVRATI F. copijs militaribus pollens; & à DEMETRIO, ANTIOCHI GONATÆ F. mercede corruptus, Midionijs (Pausan. Mothonæis) quos Ætoli tum obsidebant, auxilium tulerat.

Et haud secius ASDRVBAL, qui eâdem in obsidione multa sub Ætolis pericula tolerârat, urbis, si caperetur, prædam sibi ex æquo deposcebat.

Quâ de re dum in comitijs, inter duces, contenditur; x. Illyriorum M. lembis in urbis Portũ transvecti, Ætolorum castris mòx expugnatis; & Midionijs pariter ex urbe, in fugienteis, erumpentibus, post magnam hostium cædem, armis eorum & impedimentis omnibus sunt potiti.

Paucis, ab eâ suorum victoriâ, diebus rex AGRON, ex intemperantia, diem suum obijt. Et in eius locum suffecta TEVTA uxor, muliebri usa ingenio, & lucri dulcedine illecta, patiebatur subiectos sibi populos, Piraticis incursionibus, rebus & commercijs vicinorum omnium incommodare: agros populari, & urbeis expilare. Obvia denique omnia, diripere aut vastare.

Phœnice denique, urbe Epiri, potentissimâ, per Gallorum, quos ipsi imprudentissimè præsidio imposuerant; proditionem, potiti, Illyrij; Epirotas, prœlio victos; eò adegerunt: ut relictis Ætolorum Achæorumque, quos in auxilium evocârant, partibus; & missis ad, TEVTAM legatis, societatem secum, & cum Acarnanibus, inirent.

Quùm autem de Illyriorum rapinis Itali mercatores, alijque sæpè Romæ conquesti essent. & ipsi Issam, quæ sola adversùs eorum vim obduraverat; obsidére pergerẽt; missi sunt à Senatu ad TEVTAM legati, C. & L. CORVNCANI, de iniurijs expostulatũ.

Quibus superbè auditis, respondit tandem regina; *Curæ sibi futurum, ne qua populo Rom. ab Illyrijs publicè fiat iniuria. Quid privati faciant; reges non præstare.*

LVCIVS autem è legatis iunior; *At Romanis*, inquit; *Privatas iniurias publicè persequi mos est. Et dabimus operam, Deo volente, ut regia isthæc iura brevi emendes.*

Illa verò muliebri impotentiâ percita, dissimulatâ in præsens irâ, percussores submittit, qui tàm magnanimi responsi auctorem in itinere confodiant.

Romani ius gentium à feminâ violari non passi; ad tanti sceleris ultionem se comparârunt: & duobus Coruncanijs statuas in Vrbe posuérunt.

3725. 18. Euerg. & Callin. — 225.

Intereà dum Illyrij, missu TEVTÆ, maritimas Græcorum civitates infestant; quòd Romani, non tàm suis, quàm alienis sumtibus, iniurias ab ijs acceptas ulcisci; & hoc gratificandi nomine Græcis sese ostentare, decrevissent; Cn. FVLVIVS CENTVMALVS, cum CC. navium classe; & A. POSTHVMIVS ALBINVS, II. Coss. cum terrestribus copijs, XX. peditum, & II. equitum Millibus, Româ profecti sunt.

Et FVLVIVS quidem in Corcyram, quâ etiamdum ab Illyrijs obsideri rebatur; rectâ navigat. Vbi, cives, licet paullò-ante subacti, præsidium, ducemq; Demetrium

Demetrium Pharium acceperant. & crudo adhuc vulnere, ad ereptam sibi libertatem adspirabant. DEMETRIVS verò monitus se criminationibus æmulorum apud TEVTAM traduci; initâ cum Romanis societate, præsidium Illyricum, urbemq; ijs tradidit.

Consul autem coniunctus demùm cum collegâ POSTHVMIO, qui copias Brundisio iam transmiserat; Apolloniâ obiter in fidem acceptâ, Dyrrachiū navigant; & Illyrios ab iterata opidi obsidione trepidè discedere cogunt.

Inde cursu in interiora Illyrici instituto, Ardyæos, Parthinos, Atintanos & Issenses in fidem deditionemque accepére. Vrbes aliæ vi captæ.

TEVTA, exiguo cum comitatu, Rhizonem, in cognominis fluvij ripâ situm, fugiens se recepit.

Consules, plerisque Illyriorum civitatibus DEMETRIO traditis, cum classe & pedestri exercitu Dyrrachium reversi sunt.

Vbi POSTHVMIVS quidem, cum XL. navibus, & novo ex finitimis opidis, quæ se dediderant, delectu, stativa fecit. FVLVIVS verò, cum maiore copiarum parte, Romam navigavit. Cui tamen belli adversùs Illyrios imperium prorogatum videtur, qui Proconsf. de ijs triumpharit.

TERRÆ-MOTVS RHODI.

Quùm Rhodij eâ tempestate nimium suæ industriæ prudentiæq; fiderent; & omnium ferè regum ac populorum benivolentiam ijs artibus sibi conciliâsse gloriarentur: DEVS immisso terræ-motu, quo Colossus ille corruit, & maxima quæque eius urbis atque Insulæ ornamenta, & munimenta deiecta sunt; eorum insolentiam castigâsse visus est.

At quùm eum casum moderatè illi ferrent; & patriæ potiùs, quisque, quàm suam, vicem deflerent; tantam fortis suæ commiserationem apud universos commoverunt, ut regibus, Principibus, ac civitatibus vicinis, liberaliter ac certatim donaria, pecuniam, frumenta, submittentibus; intrà XII. plus minus annos, longè meliora & plura repofuerint; & damna multo cum fenore exsarserint.

PAX CVM ILLYRIIS.

3726. | 224.
19. Euerg.
& Callin.

Sp. CARVILIO MAXIMO II. & Q. FABIO MAXIMO II. Coss. TEVTA regina, missis Romam legatis, qui de federe agerent, his legibus pacem impetravit.

„*Vt imposita sibi tributa quotannis Romanis exsolveret.*

„*Vt omni Illyrio excederet; & intrà exiguos locorum, ex præscripto, limites se contineret; & deinceps ei ultrà Lissum, nisi duobus, ijsque inermibus, lembis, navigare ne liceret.*

Ita castigatâ mulieris impotentiâ, & Illyriorum rapacitate, Romani totam Græciam, quam illi offenderant; sibi, tamquam publicæ quietis vindices, obligârunt. belloque confecto, Achæos & Ætolos, Athenienses & Corinthios, de victoriâ, de federis conditionibus, deque sui instituti ratione, certiores fecérunt.

A Corinthijs etiam in ludorum Isthmiorum societatem adsciti. (Iustin. addit; strictas in Principum Illyriorum colla secureis; atque itâ Legatorum Manibus litatum.)

(De ijsdem Coss. CICERO in Catone. Q. FABIVS MAXIMVS Coss. iterùm, Sp. CARVILIO collega, quiescente, C. FLAMINIO Trib. pleb. restitit, agrum Picenum Gallicumque contrà Senatûs auctoritatem dividenti.

Augurque quùm esset, ausus est dicere; *Optimis auspicijs ea geri, quæ pro reip. salute gererentur: Quæ contra remp. fierent; contrà auspicia fieri.*)

POENORVM IN HISPANIA PROGRESSVS.

AMILCARE BARCA, postquam per IX. ann. multa præclare in Hispaniâ gessisset, defuncto; quod eius F. ANNIBAL vix duodevicesimum annum attigisset; eius loco ASDRVBAL, gener, non minus, quàm ille Romanis infensus, Hispaniensium rerum curam annos circiter IIX. sustinuit: & incredibili virtute maiorem Hispaniæ partem Punico imperio adiecit.

Vrbem deniquè, Carthaginem novam, loco tum ad ipsius Hispaniæ, tum ad Africæ res, maximè opportuno, condidit.

Romani his quidem successibus invidérunt: & Carthaginiensium nomen, suâ socordiâ in Hispaniâ adolevisse dolebât; ob imminentem tamen urbi suæ Gallorum in præsens terrorem, & impetum, dolore animorum dissimulato, quasi & ipsi socios in Hispaniâ baberent; fedus cum ASDRVBALE renovant: & intercætera cavent; *Ne Carthaginiensibus liceret Iberum fluvium cum armis trajicere.*

QVATTVOR ROMÆ PRÆTORES.

3627. | 223.
20. Euerg.
& Callin.

P. VALERIO FLACCO, & M. ATILIO REGVLO Coss. duo prætores Romæ facti & additi, ut quattuor essent. Ex quibus M. VALERIVS Sardiniam, FLAMINIVS Siciliam, provincias, sunt sortiti. Corsicæ administratio, Sardiniæ adpendix fuit.

ARATI

ARATI RES GESTÆ.

Quæ suprà de ARATI expeditionibus attigimus, ea alij in hunc annum referunt. Ille decimùm iam Prætor Achæorum factus; & cum CLEOMENE apud Lyceum congressus, ac fusus, & pro mortuo habitus; uti suprà diximus: de improviso Mantinæos adortus, urbem ceperat.

Postea Megapolitanis, in quorum fines Lacedæmonij incursabant; auxilio missus, neque cum eodem CLEOMENE, viro audace, decertare ausus; (quantumvis levis Achæorum armatura, Spartiatas ad castra usque repulisset, per eorum tentoria effusa esset) LYSIADEM collegam, qui cum equitatu in hostem impetum fecerat; inhibitâ militum suorum alacritate, turpiter deleuit; & pro patriæ portis cadere passus est: Ipse mox cum toto exercitu longè turpius profligatus.

Cuius facti probrum ut clueret; CLEOMENE iam digresso; & factâ in Laconicam, cum reliquis, impressione, ccc. Lacedæmonios interfecit; & in his MEGISTONVM, CLEOMENIS vitricum cepit.

SELEVCVS CERAVNVS V. SYRIÆ REX. Ann. III.

3728. 21. Everg. 1. Sel. Cerauni.	*M. VALERIO MESSALA, & L. APVSTIONE FVLLONE Coss. SELEVCO CALLINICO, postquam XX. ann. regnâsset, defuncto, succedit F. SELEVCVS CERAVNVS.*	222.

Præter bella, quæ SELEVCO illi CALLINICO, cum PTOLEMÆO EVERGETE, ob BERENICEN eius sororem, & CALLINICI novercam, apud Antiochiam, à privigno crudeliter interfectam, intercessêre; sæpiusque victus, & tantum-non regno avito exutus est. (de quibus suprà ad II. Danielis cap. fusiùs, & extra ordinem diximus) post factam etiam cum PTOLEMÆO in X. annos pacem, perpetua cum fratre germano, ANTIOCHO HIERACE (*Accipitris in modum rapaci*) fuit contentio.

Ipse namque is, quas dixi, cladibus fractus, auxilium fratris implorârat; & Asiam, inter fineis Tauri montis, præmium latæ opis, obtulerat.

Hic autem, supra ætatem (XIV. annorum) regni avidus, pacem, quam frater eum PTOLEMÆO intercà fecerat, interpellat. & conducto Gallorum exercitu, pro auxilio bellum; pro fratre hostem, exhibet. Eo in prælio victor virtute Gallorum fuit.

Sed Galli SELEVCVM in acie cecidisse arbitrati, in ipsum ANTIOCHVM arma vertere: liberiùs depopulaturi Asiam; si stirpem regiam funditùs extinxissent.

Id ubi sensit ANTIOCHVS; velut à prædonibus, auro se redimit; societatemque cum mercenarijs suis coniungit.

EVMENES, BITHYNIÆ (SIVE PERGAMI) REX.

EVMENES, Bithyniæ rex (sive Pergamenus) EVMENIS (qui frater maior fuit PHILETÆRI Tianij, Eunuchi, & gazæ Alexandreæ, sub LYSIMACHO, apud Pergamum, olim custodis) Filius. & ATTALI (qui Galatarum victor, & primus rex salutatus, Romanorum fuit socius) pater: quasi, consumtis intestinâ discordiâ fratribus, vacantem Asiæ possessionem invasurus; victorem ANTIOCHVM, Gallosque adgreditur. Nec difficilè saucios, adhuc ex superiore congressione, integer ipse viribus ad Sardeis, superat: & magnam Asiæ parem occupat.

Fratres nihilo-minus, omisso externo hoste, in mutuum exitium bellum reparârunt. Quo victus ANTIOCHVS; & ab ARTAMENE, Cappadocum rege, socero suo, benignè primùm exceptus: cognito deinde insidias sibi ab eodem parari; salutem fugâ quæsivit. atque hinc ad PTOLEMÆVM hostem decurrit.

Qui non amicus dedito quàm hostis factus servari eum artissimâ custodiâ iussit. Inde quoque meretricis operâ, & deceptis custodibus, elapsus fugiensque, à latronibus interfectus est.

Frater quoque SELEVCVS, iisdem fermè diebus, amisso ex parte regno, equo præcipitatus, decedit.

Sic fratres quasi & casibus germani, exsules ambo, post regna & clades, scelerum suorum, & novercæ interfectæ, pœnas, luerunt.

GALLICI BELLI TVMVLTVS.

Iam Romani Italiâ pænè totâ, Picenum usque, potiebantur. Siciliam & Sardiniam tenebant; Illyrici partem subegerant, & cum finitimis Græcis societatis initia iunxerant.

Sed quùm eorum animi in Gallici belli exspectatione essent; à socijs undique auxilia conquirunt. Magnum ipsi & militum & commeatuum adparatum faciunt. militaris ætatis tabulas conquirunt, ut scirent, quot ipsi, quot socij viros, ferendis armis idoneos, haberent.

Militiæ nomina professi sunt, ad DCC. peditum, & ad LXXX. equit. millia. Ex quibus septima circiter pars in armis erat; reliqui domesticis, ita curis incumbebant, ut velut in statione essent.

Et Itali universi non quasi pro Romanorum imperio; sed pro suâ ipsorum salute dimicaturi, ad bellum expromtis animis sese accingebant.

Veneti & Cenomani, eo bello, Romanorum, quàm Gallorum, popularium suorum, societatem amplecti maluerunt. Eâque de caussâ, Boij, quùm totis in Italiam viribus irruere cogitarent; domi, cum magnâ copiarum suarum parte, remanere sunt coacti.

3729.
22. Everg.
& 2. Sel.Cer.

L. Aimilio Papo, & C. Attilio Regulo, Coss. bellum illud Gallicum Cisalpinum erupit. 221.

Et IIX. post iniquam agri Piceni, per C. Flaminivm Trib. pleb. divisionem, anno; Gallorum, qui trans Alpeis ad Rhodanum accolunt; & Gæsatarum reges, Concolitanvs & Aneroestvs, ingentibuscum copijs Alpeis in Italiam transcendérunt: & cum Boijs Insubribusque coniuncti, ad L. peditum, & xx. equitum, essedariorumque mill. in Etruriam irrupérunt.

Romani unum ex Consulib. Attilivm, ad compescendos, qui eodem tempore oborti erant, in Sardiniâ motus, cum parte copiarum transmiserant. Et alter, Aimilivs, ut Gallos transitu prohiberet, marisque Hadriatici oram tutaretur; ad Ariminum contenderat.

Vni itaque Prætorum decernitur Etruria. per quam facto iam itinere Galli, Clusium, urbem tridui itinere à Româ distitam, pervenerant. & audito Prætore à tergo instare, ipsi obversâ fronte in eumdem pergunt; & collatis ad Fæsulas signis fugatum, in collem editum recipere se, amissis VI. mill. coëgerunt.

Cuius quùm obsidionem, re in sequentem diem, dilatâ, pararent Galli; L. Aimilivs Cos. saltibus Apennini superatis, de-improviso advénit.

Sed ne huius quidem copiæ Gallorum viribus pares erant; nisi illi, regis Aneroestis consilium secuti (qui priùs in patriam redeundum; depositisque ibi immensæ prædæ sarcinis, Etruriam expeditâ acie repetendam; & prœlium ita demum cum hostibus committendum, suaserat), castra ante lucem movissent; & tot impedimentis onusti, per Inferi maris littus, in Galliam repedâssent.

Et dum Cos. Aimilivs, copijs ijs, quæ in tumulum cum Prętore confugerant, susceptis, eosdem persequitur; alter interim Cos. Attilivs è Sardiniâ, per Liguriam, supervenisset.

Galli itaque utrinque conclusi, & quasi de-industriâ circumventi rati; quantumvis fortiter, & acie bifronti, atque ad præsentem necessitatem optimè instructâ, dimicantes; Gæsatarum potissimùm, qui nudi, & ob id telis maximè obnoxij, in primam aciem processerant; neque scuta ad corporum tutelam, neque enseis Romanis pares habebant; temeritate, an rabie! profligantur.

Cæsi ad XL. M. Decies mille, in quibus Concolitanvs, vivi in potestatem hostium venére. Aneroestes, cum paucis, à fugâ, manus sibi ultrò attulére.

C. Attilivs, initio pugnę, & mutuâ equitum incursatione, temerè, an strenuè! pugnans, occiderat; eiusque caput ad Gallorum reges fuerat perlatum.

His ita gestis L. Aimilivs, prædam, quam Galli averterant, legitimis dominis restituit; & cætera hostium spolia Romam transmisit.

Omnibusque cum copijs, per Liguriam in Boiorum fineis ingressus, vastato agro, & prædâ omnis generis inde abactâ, Romam reversus; armis, signis, torquibusque aureis, Capitolium exornat; & captivos cum exuvijs in triumphum ducit. (Addit Flor. Gallos priùs, Britomaro duce iurâsse; *Se non antè posituros balthea, quàm Capitolium adscendissent.* Quod & factum. Victos enim Æmilivs in Capitolio discinxit.)

IOSEPHI IVDÆI, PONTIFICII NEPOTIS; ET HYRCANI FILII, CASVS.

3730.
23. Everg.
3. Sel. Cerau.

220.

Hoc anno Iosephvs ille, Simonis Iusti, ex filiâ nepos, qui in summâ apud Evergetem gratiâ vixerat, mortuus est.

Is ex legitimâ uxore filios septem genuerat; Sed quùm in Ptol. Evergetæ aulâ meretricem psaltriam conspicatus, eiusque amore captus, fratrem Solymivm rogâsset, ut operam sibi lenonium præstaret: Hic, meretricis loco, filiam suam substituit. Et Iosephvs iam sæpe diuque cum eâ consueverat antè, quàm errorem agnosceret.

Ibi factum insolens miranti, respondit frater: *Se eius dedecus suo probro redemisse.* Malui, inquit, filiæ meæ stuprum à patruo offerri, quàm te alienigenæ contactu maculari. Factum id probavit Iosephvs; fratrisque sui filiam uxoris loco habuit.

Ex eâ natus Hyrcanvs, generosus quidem, & ingeniosus; sed qui immodicâ profusione, & aulicâ apud regem Ægyptium ostentatione, magnam opulentiæ paternæ partem absumserit. Vnde à patre exheredatus; & à fratribus invidis in exsilium pulsus, in Arabiam secesserit; inibique ex rapto vixerit. donec Antiochi Mag. iram, ob facinora, in Arabas patrata, metuens; mortem sibi ipse consciverit. post VII. à morte patris annum.

BELLVM GALL. CONTINVATVR.

Romani ex superiore victoriâ, in spem adducti, Gallos ex Italiâ omninò expelli posse; T. Manlivm Torqvatvm, & Q. Fvlvivm Flaccvm. II. Coss. in Galliam cum legionibus misérunt. Qui numeroso exercitu Boios Circumpadanos infestârunt; & in fidem Romanorum concedere coëgérunt.

Quùm autem ad reliquos Gallos bellum transferrent; imbrium ac pestilentię magnitudine deterriti, abstinuérunt.

Alij tra-

Alij tradunt; ductis tum primùm trans Padum legionibus, pugnatum cum Insubribus Gallis; & ex ijs ad XXIII. M. interfectos; ad V. M. captos.

Et quod Consules à bello Gallico avocari non placeret; L. METELLVM (qui idem Pont. II. Cos. & Mag. equit. fuerat) Dictatorem, cum N. FABIO BVTEONE, magistro equitum, comitiorum habendorum caussâ, creatum.

ARATI INCONSTANTIA, ET INDE ANTIGONI INCREMENTA.

ARATVS, ut suprà dicere cœpimus, CLEOMENI aut diffidens, aut invidens; aut fortè etiam luxui, in tot patriæ gentis præturis, ac regni licentiâ, adsuetus; & Laconicam frugalitatem aspernatus; quidvis experiri priùs statuerat, quàm ut CLEOMENI, licet Achæis iam in eius parteis & fœdus inclinatis, cederet.

Et quantumvis CLEOMENES, occupatâ, dedentibus se opidanis, Corintho, domui ARATI pepercisset; & thesauros ipsius amicis commendâsset, & insuper duodena quotannis talêta ei offerret; quùm à PTOL. EVERGETA sena tantùm accipere solitus esset; maluit tamen ille etiam ab ipso EVERGETA, cuius hactenus cliens & stipendiarius fuisset, deficere; & ad ANTIGONVM, cui semper fuerat infensissimus, confugere; quàm ei cedere, à quo suæ tot annorum gloriæ sementem, unâ æstate demessum iri metueret.

Et qui ex Macedonibus, usque pro patriâ oppugnatis, tantam gloriam pepererat; persuadere instituit Achæis; ut ANTIGONVM, redditâ Acrocorintho, firmissimo Peloponnesi claustro, demereantur; & Macedonum armis simul CLEOMENEM debellent. *Prima mali labes.*

ANTIGONVS, Dux Achæorum terrâ marique pronuntiatus; & Acrocorinthum, dotis ac pignoris instar, & futuri belli receptaculum; tum ARATI consilio, tum Achæorum voluntate, adeptus; ab ipsis etiam Argivis (CLEOMENI, quòd promissam χρεωκοπίαν sibi non præstitisset, infensis) ultrò accersitus est.

Et quantumvis CLEOMENES, qui Corinthum & Isthmi aditus tenebat, ANTIGONI conatus impediret; ARATVS tamen cum MD. militibus Argos pervasit.

CLEOMENES vicissim MEGISTONVM vitricum, cum peditibus bis mille, eòdem submittit. Quo inter pugnandum cæso, ipse accurrit, diuque obsistit. donec, ANTIGONO magnis cum copijs per Isthmum, iam reseratum, adventante, cum suis sospes Lacedæmonem repedare, coactus est.

Argivorum exemplum pleræque urbes sunt secutæ. ANTIGONVS milites in hiberna dimittit; & cum Achæis hilaria agit. Et custodes, pomeremque regiæ pompæ partem, à se amoliens, populari in speciem comitate Græcorum animos sibi conciliare conatur.

Atque ita CLEOMENES Peloponneso, quam pænè totam uno quasi impetu conquisierat, brevissimo temporis spatio excidit. alijs, qui in præsidijs urbium erant, ab eo descîscentibus; alijs opida ANTIGONO certatim tradentibus.

BELLVM INSVBRICVM.

3731. 24. Everg.	————————	219.

C. FLAMINIVS Nepos, & P. FVRIVS PHILVS Coss. in Galliam cum exercitu profecti, acceptis in fidem Ananibus, (al. Anamuris) qui haud procul Massiliâ habitabant; mox inde in Insubrium agros, (quo loco Addua fluv. in Padum influit) legiones traduxêre.

Hostes, ad L. M. signis aureis, è Templo Minervæ sublatis, castra ex-adversum opposuêre.

Et quantumvis Cos. FLAMINIVS, Cenomanos socios, uti gentem suspectam, amne transito & ponte rescisso, ab ope popularibus ferendâ, prudenter arcuisset; & incautiùs locum pugnæ inidoneum, ad ripam fluminis, delegisset; Tribunorum tamen militarium peritiâ atque industriâ, Insubreis numero longè superiores, egregiè vicit.

Illi namque hastas triariorum, qui in postremis ordinibus collocari solent; ante-signanis, sive primis cohortibus, ad primum Gallorum impetum, tradiderant: deìn, ubi hastis præcidendis, Gallorum gladios hebescere animadvertissent; strictis ipsi ensibus, pedem pedi conferre, & cæsim feriendo, ingentem quasi inermium Gallorum stragem edere iussi erant. (Plut. tradit; MARCELLO.

Quùm Coss. castra adversus Insubreis haberent, flu vium, qui per Picenum agrum labitur, sanguine fluere visum; & treis Lunas Arimini apparuisse. Quumque augures consulti vitio creatos videri Coss. respondissent; Senatum eos subitò ab exercitu litteris revocâsse.)

Eas autem acceptas non priùs FLAMINIVS aperuit, quàm collatis signis barbaros fudisset: & quasi Augurum vaticinia vanitatis convicisset.

Itaque redeunti ei, ac multa ex hostibus spolia referenti, populus obviam non processit; ac vix triumpho concesso, eum cum collegâ, magistratu abire coëgit.

OROS. addit IIX. Gallorum M. eo prælio cæsa; & XVII. M. capta.

LIVIVS verò; à M. IVNIO Dictatore, VI. hominum M. Gallicis spolijs, quæ triumpho C. FLAMINII translata erant, armata fuisse.

Et FLORVS; Torquibus Gallorum, ab eodem FLAMINIO, aureum IOVI Tropæum esse erectum.

CLEOMENIS LACEDÆM. HEROICI CONATVS.

Quùm CLEOMENI Spartano, ad publicas clades mors etiam AGIATINIS, uxoris amantissimæ, privatim accessisset; & rex Ægypti PTOLEMÆVS, auxilij spem ostentans, liberos eius, matremque obsides deposceret; mater CRATESICLEA, dubitantem ultrò, ad se dimittendam, cum puero, impulit.

Ea in Ægyptum adpulsa, ubi comperit, tum mandata, legatosque ANTIGONI à PTOLEMÆO admitti; tum filium CLEOMENEM, ab Achæis, pacis secum faciendæ, invitatum; suâ obsidumque caussâ vereri, quò minus bellum cum hostibus, iniussu PTOLEMÆI, componeret; generosè illum per litteras cohortata est; ne anûs & pueli gratiâ, quidquam trepidaret. Neve ab ijs, quæ ex dignitate Spartæ, atque è rep. essent, amplectendis, agendisque absisteret.

Porrò occupatâ ab ANTIGONO, Tegeâ; & Orchomeno, Mantineâque direptis, (Ex quibus, hanc Antigoniam deinceps appellari voluit) CLEOMENES in Laconicam quasi repulsus, ex Ilotis, qui v. minas Atticas præstare potuissent, manu-missis. D. talenta coëgit: & bina ex ijsdem millia, more Macedonico, adversùs ANTIGONI Leucaspidas, armavit, rem inexspectatam adgressus.

Et quoniam palàm erat, Megapolitanorum in primis instigatione Achæos inductos fuisse, ut ARATO suasore, ANTIGONO sese submitterent; & societatem cum eodem, Macedonibusque inirent. cui Epirotæ, Phocenses, Boeoti, Thessali, alijque mox accessuri essent: eorum urbem, Lacedæmone neque minorem, neque infirmiorem, sed negligentiùs, in tantâ sociorum potentiâ & propinquitate, custoditam; factâ sub noctem excursione, invadit.

Quo tam repentino casu consternati cives, plerique fugam capessunt: pauci, correptis armis, globoque facto, obsistunt. hoc saltim fructu, ut fugientibus abeundi securitatem præberent: & præter mille, reliquos, cæteri omnes cum coniugibus ac liberis in tutum Messenen evaderent.

Hic quùm LYSANDRIDAS, captivorum unus, CLEOMENEM rogaret: *Vt civitatem tam nobilem conservaret; & amicis in posterum fidis, sociisque firmis compleret.* tum consilium id, gloriosum magis sibi, quàm utile, non abnueret rex Lacedæmonius; & eodem LYSANDRIDA interprete, adiunctoque caduceatore, Megalopolitanis, qui Messenen confugerant. urbem se reddere enuntiaret; si, relictis Achæis societatem secum amicitiamque iunxissent; PHILOPOEMENES, Dux postmodò Achæorum inclytus, eam regis humanitatem sinisteriùs interpretatus; quod CLEOMENES non tantùm urbem, sed eiveis etiam profugos in potestate habere velle censeretur; effecit, ut Megalopolitani tam præsenti beneficio, pristinam Achæorum societatem anteposuerint.

Quibus renuntiatis, CLEOMENES, qui urbem intactam conservaverat; tunc irâ efferatus, fortunas civium in prædam concessit. Et signis, pictisque tabulis, Spartam transmissis, maximam urbis eius partem deformavit, & solo æquavit.

Deinde, quùm sciret ANTIGONVM, à copijs non satis instructum, cum Argivis deliciari; ad eam urbem usque excurrit, & circumquaque populatur. Multa probra ANTIGONO obiectans, quo illum ad pugnam eliceret.

Et Argivi, qui impatienter agrorum suorum vastitatem ferrent, nihilo modestiùs se gerebant.

Ille verò, uti prudentem ducem decebat, rumores aute salutem non ponere, & domi se continere decreverat; donec appetente iam Vere, Macedones atque Achæi ex hibernis reverterentur; & ipse exercitu ex popularibus & socijs; ex mercenarijs Gallis & Boijs; ex Epirotis, Acarnanibus, & Illyrijs; ad XXX. mill. conflato, in Laconicam vicissim irrumperet.

Quod si CLEOMENES nuperam ANTIGONI cunctationem imitatus, ad dies aliquot prœlium differre scilicet; victor procul-dubio host ium, sine pulvere & sanguine, evasisset. Et leges, quas vellet, ijs imposuisset, ANTIGONO ad bellum domesticum mox evocato.

Sed quia nervus belli pecunia eum deficeret; & ab unius urbis præsidio, ærarioque, in communi Sociorum defectione, stipendia, commeatusque penderent; ipse, qui vix XX. armatorum mil. haberet, in armis omnia posita ducere; & cum Macedonibus, (qui non numero tantùm, sed armorum etiam genere longè erant superiores) decertare coactus est.

PVGNA EXTREMA, QVA VICTI LACEDÆMONII.

Cognito namque per exploratores hostium adventu, aditus omneis, quin provinciam patebant, præsidijs, fossis, sectisque arboribus, diligenter munivit, aut obsepsit. & Seplasiam, quà hostem iter facturum rebatur, cum exercitu occupavit.

Cui loco, quùm colles duo imminerent; uni, cui Evæ nomen, EVCLIDEM fratrem, cum gregario milite socijsque, imposuit. Ipse in altero, Olympo, cum Lacedæmonijs & mercenarijs, consistere decrevit. equitibus in planitie, supra utramque fluminis ripam, collocatis.

Adeò ut ANTIGONVS uno tempore, & difficilem locorum situm, & miram CLEOMENIS in disponendo exercitu industriam conspicatus, abstinendum sibi à prœlio in præsens existimaret. & haud procul Gorgyli fluminis ripâ castra poneret.

Sed quùm duos duces, virtute & peritiâ pareis, fortuna commisisset; & communi quasi consensu inimicitias prœlio dirimere ipsi constituissent; post longum & atrox certamen, prius EVCLIDES undique in colle suo circumventus, PHILOPOEMENE maximè auspice, cæsus & profligatus est: deinde ipse CLEOMENES totam prœlij molem diu fortiterque sustinens, suis fugam circumspectantibus, se ipse servavit.

Præter

Præter mercenarios, ad VI. mil. Spartiatarum, minus CC. cecidisse eo prœlio feruntur.

SPARTA ANTIGONO DEDITA.

Victi Lacedæmonij, (Iustin. lib. 29.) non ipsi tantùm, sed etiam coniuges liberique, magno animo fortunam tulére. Suam modò vicem dolebant, quòd non ipsi quoque pro patriæ libertate cecidissent. Nullus in urbe strepitus, nulla trepidatio.

Inter hæc CLEOMENES rex, suo pariter & hostium cruore madens, supervénit. urbemque ingressus non humi consedit; non cibum aut potum poposcit; non denique armorum onus deposuit. sed acclinis parieti, quùm IV. millia sola, ex pugnâ superesse conspexisset; hortatus est, ut se ad meliora reip. tempora reservarent.

Addit PLVTARCH. Occurrentibus sibi civibus suasisse: *Et civitatem* ANTIGONO *traderent. Vitæ se reliquum, sive mortem, reip. in posterum commodaturum.*

Tum denique cum coniuge & liberis, navi ad Gythium conscensâ, in Ægyptum ad PTOLEMÆVM profectus est. apud quem aliquamdiu summâ in dignatione vixit.

Sed post PTOLEMÆI mortem, à filio eius cum omni familiâ interfectus est. *Vide supra seriem Regum Lacedæmoniorum.*

ANTIGONVS autem, cæsis ita occidione Spartanis, fortunam tantæ urbis miseratus, à direptione milites prohibuit; veniamque ijs, qui superfuerant, dedit.

Non minori sibi gloriæ fore, si ab eo servatâ Lacedæmon, à quo solo capi, contigisset; *ad posteros proderetur.*

Civeis itaque salvâ integrâque rep. patrijs legibus ac institutis vivere, & libertate frui permisit.

Ibi paucis diebus commoratus, quùm ei nunciatum esset; Macedoniam ab Illyrijs, alijsque barbaris, devastari; in patriam cum exercitu reverti constituit.

Et inde Tegeam profectus; & rebus in cæterâ Peloponneso, pro tempore compositis; Argos advénit, sub ipsum Nemeorum Ludorum tempus.

In quibus nihil ad fœdam adulationem reliqui fecérunt Græci, non modò regios, sed & divinos honores ei deferentes. Qui virtute quidem rex & prudentiâ præstabat; cæterum cadaverosâ facie & phthisi tabidus, sceleto mandibulanti, quàm viro viventi, erat propior.

Simul verò in Macedoniam reversus est; barbaros, qui eam populabantur, difficili certamine depulit & profligavit.

Et dum senio taboque confectum corpusculum Immodicis laboribus; & inter certandum, clamoribus fatigat; venis abruptis sanguinem effundit, & moritur, undecimo tutelæ suæ anno. *Fidi tutoris, boniq; regis, & strenui ducis laudem adeptus.*

Succedit ei privignus PHILIPPVS DEMETRII F. ANTIGONI GONATÆ *Nepos, XVI. ætatis annum agens; regnatque annos XLIV.*

SELEVCI CERAVNI FVLMINATORIS CONATVS.

SELEVCVS CERAVNVS (qui id nomen, veluti ad terriandos hosteis, adsciverat) quùm ex antiquitùo vetustæ possessionis iure, totam Asiam, ab Hellesponto, sive mari Ægæo, ad Indum usque flumen, sibi arrogare pergeret: & ex eâ Cœlen-Syriam à PTOLEMÆO; Cappadociam à MITHRIDATE; à Prusiâ Bithyniam; ab ATTALO Pergamum, occupari, indoleret. Sed in primis ATTALVM ita paulatim crevisse, ut maximam Asiæ, cis Taurum sitæ, partem sibi vindicaret; haud diutiùs ferendum ratus; & parentis, tot bellis agitati, & indignè spoliati, ultione ardens: regni administratiune HERMIÆ, Cari nequissimo, relictâ; & ACHÆO (is erat ANDROMACHI, matris Laodices, fratris, Filius) in consiliorum belliqùe societatem adscito; ad bellum accingitur.

Sed vixdum Taurum montem cum copijs suis adversus ATTALVM transcenderat; quùm à NICANORE, & viro Gallo, nomine verè Apaturio, per dolum interfectus est. (Alij pharmaco ab amicis sublatum volunt.)

ANTIOCHVS MAGN. VI. SYRIÆ REX. Ann. XXXVI.

Illi succedit ANTIOCHVS frater, impubes adhuc & adolescentulus. Eâque caussâ, & tutoris proregisve nomine, idem HERMIAS Car, omnia in novo regno susque deque ferebat.

ANTIOCHVS verò LAODICEN, MITHRIDATIS filiam, uxorem ducturus; magno cum adparatu obviam procedit; & Antiochię reginam salutari iubet.

REGVM PONTICORVM ORIGO.

MITHRIDATES autem ille socer, à Cappadociæ Satrapis, an regibus! erat oriundus. Ipsi autem genus trahebant ab uno ex VII. illis Persarum principibus, qui cum DARIO HYSTASPIDA magos interfecére, anno Vrb. C. 198. Et ipse, præmium virtutis perpetuam provinciarum, quæ Ponto Euxino adiacent, Satrapiam obtinuerat. Quam ubi hereditariam reddidérunt; eius posteri, regni etiam nomine auxérunt; & continenti successione, usque ad annum V.C.691. per annos ferè D. possedérunt.

DIES CONSVLATVI APVD ROMANOS SOLENNES.

3732.
25. Ptol. Everg.
2. Ant. Mag.

218.

C. FLAMINIVS, anni superioris Cos. triumphaverat, VI. Idus Mart. & post triumphum magistratu abire coactus, Interregem nominavit MARCVM CLAVDIVM MARCELLVM; qui unà cum collegâ, CN. CORNELIO SCIPIONE CALVO, consulatum adivit Idibus Martijs. Ita deinceps Idus Martiæ magistratibus inaugurandis solennes fuêre, usque ad annum Vrb. C. 600. quùm antea Kalendæ Quinctiles eo privilegio gauderent, ab anno usque V.C. 363. vel 425.

Sic observatum est anno 352. ab Idib. Decembrib. propter rem male ad Veios gestam, ad Kal. Octobris, abdicatis prioribus magistratibus, regressum esse factum. *Hac de re vide Fastos.*

BELLI GALLICI, SIVE INSVBRICI FINIS.

Quùm autem Insubres, accisis opibus fracti, pacem à Romanis peterent; uterque Consul, eductis repentè, ne à Senatu impetrarent, contra eos copijs ad arma capienda invitos compulêrunt.

Et ipsi quidem Acerras, Gallorum; Insubres verò Clastidium, sociorum Romanorum oppidum, vicissim obsederunt.

(Plut. tradit BRITOMARTVM, al. Virdumarum, Gallorum ducem, cum XXX. Gesatarum mill. (quos Insubres conduxerant,) castra ad Acerras (quæ inter Padum & Alpeis) posuisse; dum haud procul inde ambo Coss. abessent, & Mediolanum obsiderent.)

MARCELLVS inde ad Clastidium liberandum, cum equitibus DC. & aliquanto peditatu, profectus, postquam in populabundum Gallorum exercitum imprudens incidisset & equo in orbem flexo omnia esse infesta, vidisset; precatus Deos, in medios hosteis, & numero, immane quantum, superiores, irrupit; & BRITAMARTO, sive VIRDVMARO, qui prior Cos. ferire erat conatus; manu suâ in acie cæso, profligavit.

Cepit deinde Acerras: quùm ij, qui in præsidio erant, Mediolanum, Insubrium caput, confugissent.

Quos CORNELIVS alter Cos. insecutus, ipsumque recedentem adgressus, supremo prœlio superavit; & Mediolanum, Comumque, opida, expugnavit. Quo facto, & rebus desperatis, Insubres Romanorum fidei se permiserunt.

Addit Plut. MARCELLVM, eo prœlio, vovisse IOVI FERETRIO spolia regis VIRDVMARI, quem suâ manu occiderit: atque ipsi soli triumphum esse decretum.

Eutrop. spolia ea stipiti imposita humeris suis Romam advexisse.

Flor. Gallos, VIRDVMARO rege, Romana arma VVLCANO promisisse: sed vota aliorsùm cecidisse, & rege eorum occiso, MARCELLVM, Tertium & ultimum, post ROMVLVM, sive Quirinum patrem, Iovi arma, sive opima spolia suspendisse.

Hic Gallici belli finis, quo nullum, vel animorum obstinatione; vel prœliorum atrocitate; vel copiarum, cædiumque utriusque numero, maius umquam fuit.

CLEOMENIS IN ÆGYPTO CALAMITAS.

CLEOMENES Alexandriam, uti diximus, delatus, ita supplicem apud regem EVERGETEN egit, ut regiam tamen personam non exueret. Quod quidem tantâ solertiâ temperabat, ut Ægyptius, exsulis regis industriam ac generositatem miratus, ingemuerit; quod tantum virum ab ANTIGONO vinci, auxilij inopiâ passus esset. Et in posterum naveis, viros, equos; &. quotannis XXIV. talenta, queis regnum & pristinum decus reciperaret; sit pollicitus. Quæ consilia mors regis, quæ mox consecuta est, intervertit.

ACHÆVS ATTALO RECONCILIATVR.

Quùm ACHÆVS, SELEVCI CERAVNI cognatus, & expeditionum comes; quique provinciæ omni, quæ citra Taurum est, iam securè imperabat; ATTALVM, Pergami muris se tuentem, obsideret; Byzantij, pridem cum ATTALO societate conuncti, ACHÆVM monnerunt; *Longè consultius facturum, si cum ATTALO conciliatus, de tuendo ac firmando novo sibi regno*, adversùs PRVSIAM, ipsumque ANTIOCHVM cogitaret. ACHÆVS itaque cum ATTALO pacem fecit: eamque infidam, nec diuturnam.

MEDI ET PERSÆ AB ANTIGONO DEFICIVNT.

Diversâ ex parte fratres duo, MOLO & ALEXANDER, qui regiones trans Euphratem sitas, ille Mediam, hic Persidem, ANTIOCHI nomine, obtinebant; regis sui adolescentiam despicati, & HERMIÆ procuratoris impotentiam exosi, à rege deficiunt: quod idem facturum in Asiâ ACHÆVM sperarent.

Hic EPIGENES, vir consilio bonus, & manu promtus, sapienter suadebat; ut ANTIOCHVS ipse præsentiæ suæ maiestate exorientem illam perfidæ defectionis nubem dissiparet.

Contrà, HERMIAS, qui periculosiorem regi militiam

litiam, trans, quàm eis Euphratem, iudicaret, aut fingeret: contendebat. XENONEM & THEODOTVM duces, perduellibus debellandis pareis fore. *Regis præsentiam nobiliori bello destinandam:* quùm pro toribus sit Cœle Syria, à PTOL. LAGIDA, LXXX. antè annis, iniuriâ occupata.

Hæc ille; id unum satagens, ut ipsius opera regi, quam-plurimis curis implicito, magis esset necessaria: & ipse omnibus magis formidatus.

EPIGENIS consilium eventus comprobavit. MOLO namque, XENONE & MENODOTO profligatis, Mediâ non contentus, Apolloniatum agrum invasit, & circa Ctesiphontem hibernavit.

PTOLEM. PHILOPATOR IV. ÆGYPTI REX. 17. ann.

3733. ult. Everg. 11. Ant. M. 1. Phil. | *PTOL. EVERGETÆ successit PTOL. PHILOPATOR, postquam pater annis XXVI. (alijs XXIV. aut XXV.) regnásset.* | 217.

NOVI PASSIM REGES, EORVMQVE INDOLES.

Iisdem fermè temporibus (Iust. l. 29.) universi propè orbis imperia novâ regum successione mutata sunt.

In Macedoniâ, mortuo ANTIGONO DOSONTE, PHILIPPVS XIV. annos natus regnum paternum susceperat.

In Asiâ, ANTIOCHVS, CALLINICI F. adhuc impubes, fratri SELEVCO CERAVNO, erat suffectus.

Cappadociæ quoque regnum ARIARATHI, puero admodum, pater ipse, MITHRIDATES, tradiderat.

Ægyptum, patre ac matre interfectis occupaverat Ptol. PHILOPATOR. cui ex facinoris crimine, cognomentum fuit.

Spartani in locum CLEOMENIS, LYCVRGVM suffecerant.

Et ne qua temporibus mutatio deesset; apud Carthaginienses quoque, ætate immaturâ (minor XXV. ann.) dux ANNIBAL, publico mox decreto constitutus est. non penuriâ seniorum, sed odio Romanorum, quo imbutum eum à pueritiâ sciebant. *Fatale non tam Romanis, quàm ipsi Africæ malum.*

Hîc observat Polyb. Quemadmodum Olymp. 124. SELEVCVS, PTOLEM. LYSIMACHVS, ALEXANDRI Mag. successores simul fuerant exstincti: ita Olymp. 139. diem suum obijsse, ANTIGONVM DOSONTEM; PTOL. EVERGETEN, & SEL. CERAVNVM.

His regibus pueris, etsi nulli senioris ætatis rectores essent; tamen in suorum quisque maiorum vestigia intentis, magna indoles virtutis enituit.

PTOL. PHILOPATORIS NEQVITIA, ET IGNAVIA.

Solus PTOLEMÆVS, sicut scelestus in occupando regno; ita & segnis in administrando fuit. Et ANTIOCHI PHILIPPIQVE, vicinorum hinc inde regum, pueritiam despiciens; rem militarem, atque adeò seria omnia insuper habens; totusque in Venerem, iocos scurrileis, psaltrias, & id genus ludicra ac fœda, effusus; promissum CLEOMENI à patre EVERGETE auxilium ac commeatû, neque dare volens, neque negare sustinens, & diem de die ducens; Spartanum regem, æstuantem, varijs procrastinationibus ludificabatur.

Et ne à patris exemplo degeneraret; fratrem MAGAM, & sororem BERENICEN, velut æmulos & suspectos, à se amoliendos statuit.

(Iustin. Ad necem utriusque parentis, cædem etiam fratris adiunxit) auctore Sosibio, qui tum PHILOPATORIS nomine regnum quasi obtinebat. Et dum viveret MAGAS, fidem peregrini militis sibi non satis firmam suspectabat.

CLEOMENES, qui-cum SOSIBIVS regis propositum communicárat; primùm, *Regi honestius esse dixerat, plures fratres ad regni securitatem optare; quam nullum habere.*

Deinde, si à mercenarijs, imbellibus Syris, metus ullus; se, si ita placeat, *ter mille è Peloponneso Græcos arcessiturum*, quibus in omnem eventum, & pro nutu, rex uti possit.

SOSIBIVS itaque rem cæptam confidenter adgressus est, & perpetravit.

Sed PHILOPATOR tam sævus & infidus, quàm ignavus: ipsum etiam CLEOMENEM, (qui spe auxiliorum depositâ, solus cum amicis in Græciam, egregiè, Ætolis & Achæis, inter se commissis, tumultuantem, dimitti postulárat) uti *Leonem inter inertia* Aulicorum *pecora*, versantem, suspectiorem habere cæpit.

Sed qui veluti lupum auribus teneret; nec dimittere, virum audacem & inquietum, ægrique regni inspectorem; nec invitum retinere, gravem & corruptæ aulæ formidabilem, censorem audebat. ut quid consilij caperet, aliquamdiu in incerto fuerit.

BELLVM ISTRICVM.

PVBLIO CORNELIO SCIPIONI ASINA, & M. MINVTIO RVFO, Coss. Istri erant decreti.

Hi, Illyriorum populi, à DEMETRIO PHARIO, beneficiorum, quæ à Romanis acceperat, oblito; ad fœdus eum Romanis antè initum, (Quo cautum erat: *Ne pluribus, quàm duobus lembis Lissum* amnem Illyrij *superarent*) violandum impulsi; iam L. amplius lembis, Hadriaticum, Ioniumque mare, & Cycladas Insulas, piratieis incursionibus infestare audebant.

Eorumque latrociniorum particeps erat DEMETRIVS (Illyriorum rex) qui suas iam spes in Macedonum regibus positas haberet.

Illi itaque, dum Romani cum Gallis bellum gererent; & naveis mitterent, quibus per mare Hadriaticum frumentum, aliaque necessaria, exercitui suo subveherentur; in eas illapsi Istri, ceu prædam opimam lubenter arripuerant.

Sed Coss. exercitu eo traducto, multo quidem suorum sanguine; multas eorum urbeis, partim vi, partim deditione in potestatem redegérunt. de quibus SCIPIO triumphâsse existimatur.

Dum bello autem transmarino distinentur Coss. Dictator creatus est Q. FABIVS MAXIMVS, & C. FLAMINIVS Equitum magister.

Sed (res ridicula!) occentus soricis auditus, ut magistratum uterque deponeret, in caussâ fuit. Et Comitia deinde per Interregem habita.

ÆTOLORVM INQVIETA TEMERITAS.

Ætoli iamdiu pacem, quæ ANTIGONO vivente, inter Græcos erat firmata, pertæsi; & aliorum laboribus, sive rapto, vivere adsueti; contemtâ pueri PHILIPPI ætate; caussas belli cum Peloponnesijs anquirebant: & se Achæis multò belli potentiores existimabant.

Et fortè DORYMACHVS Trichonéus, NICOSTRATI F. Ætolicæ temeritatis plenus adolescens, publicè Phygaleam, urbem Arcadiæ, sociam, & Messeniorum montibus obversam, missus fuerat, qui urbi scilicet regionique præesset, re-verâ Græciæ statum exploraret.

Hic piratis ea loca infestantibus, quùm ex federe, per se, commeatum præbere non posset; auctor fuit; ut Messeniorum, licet amicorum & sociorum, agros pecoraque diriperent.

Messenij namque, Cleomenico etiam bello neutri, longæ pacis otio & animum bellicum exuerant; & magnas opes accumulárant: Ideoque iniuriæ magis obnoxij DORIMACHO visi sunt.

Ipse Messenijs, de piratarum iniuriâ querentibus, modò insultare; modò capriosis responsis omnia illudere.

Sed ab eorum Ephoro Scyrone, dum graviores minas intentat, scommate perstrictus; & BABYRTHÆ, vilissimæ apud se formis homini, cætera persimili, compositus; & prædam Messenijs refundere adactus; in Ætoliam quidem discessit; sed verbi contumeliam, bello per nefas excitato, ulcisci persequique decrevit.

SCOPAM, Ætolorum Prætorem, in parteis trahit; & docet Messenios ut opulentos, ita imbelleis, omni sociorum subsidio destitutos, posse magno lucro, & nullo periculo, incursari & expilari.

Tuta omnia à Macedonibus, rege adhuc impubere, fore.

Lacedæmonios, ex inveterato odio, à Messenijs alienos esse. Et quod in nuperâ ipsi eum Græcis amicitiâ perstarent; à nemine sibi, ad Messeum usque transitum impeditum iri.

Ætolis denique, qui prædas agere & rapto vivere gaudeant; futurum id gratissimum.

Si Achæi obstiterint; ultrò occasionem bello daturos: sin conquiescant; liberum sibi, quò volent, iter fore.

His rationibus inductus SCOPAS, & prædæ inhians, ne consultis quidem Ætolici concilij principibus; ea molitus est, quæ universam Græciam, Achaicæ societatis participem, Ætolis infensam reddidére.

Illi namque emissis omnem in partem piratis, & blandiente questûs cupidine, non modò Messeniorum; sed Macedonum etiam, & Arcananum, aliorumque maritimorum, rebus & commercijs, populando & grassando, incommodabant.

II. BELLVM PVNICVM.

ASDRVBALE verò, qui post octenne in Hispaniâ imperium, noctu per insidias à Gallo quodam privatim offenso, domi occisus fuerat; quique magnam inibi Carthaginiensium rebus accessionem fecerat; defuncto; milites ANNIBALEM, AMILCARIS BARCÆ F. & ASDRVBALIS adfinem, præceptis ab utroque militaribus, vel ab ineunte ætate, imbutum, suffecére.

Neque Carthaginiensibus militum sententia displicuit. quos iam pridem, ablato maris imperio, raptis Insulis, dare tributa, quę consueverant iubere, pudebat.

Et huius iniuriæ ultionem puer ANNIBAL patri ad aram iuraverat. Et ipse parris fratrisque vestigijs insistens, in id unum pro tempore incumbebat; ut reliquam Hispaniæ (eius potissimùm, quæ mari mediterraneo adluitur) partem, Punicæ ditioni adiungeret.

Ea namque Hispaniæ pars, quæ Oceano Atlantico contigua est; Pœnis ac Romanis tum ferè ignota, & barbara, egestatem simul, ac morum feritatem, pro suî munimento habebat.

Accepto itaque ANNIBAL imperio, & exercitu properè in Holcadum fineis traducto; Carteiam, (al. Althæam) caput gentis, obsedit, & horrendis modis expugnavit. Eoque metu perculsę cęteræ urbes ultrò se Pœnis dedidére.

Victor exercitus, prædâ onustus, Carthaginem-novam, alteram Carthaginiensium regiam, in hiberna deducitur; & non inani, futurarum rerum spe, impletur.

RHODIO-

RHODIORVM CVM BYZANTIIS BELLVM.

Sub idem tempus Rhodij, adversus Byzantios, hac de caussa bellum commovére.

Byzantij, præter loci opportunitatem, & maris utrimque commoditates, agrum etiam fecundissimum incolebant. & hinc à vicinis Thracibus, ceu fucis, gravissima damna perpetiebantur.

A quorum bellis & vexationibus ut se redimerent; ad vicena, & tandem ad octogena quotannis talenta pendere erant coacti. Quos sumtus, ut tolerarent, vectigalia & ipsi à prænavigantibus, portorij nomine, exigere ceperant.

Id cum alijs, tum Rhodijs potissimùm, qui maris principatum eo tempore sibi quodammodo vindicabant; grave erat & molestum.

Et cum legationibus nihil proficerent; bellum Byzantijs indixére. & in eosdem, PRVSIAM, Bithyniæ regem, concitárunt; id Byzantijs succensentem, quòd pacis inter ACHÆVM & ATTALVM, sanciendæ, paullo-ante auctores fuissent.

Byzantij vicissim, ATTALVM & ACHÆVM, ut sibi adversus Rhodios auxilio sint, missâ legatione, solicitant.

Et cum ATTALVS, ad id præstandum promtus; sed summis rerum angustijs pressus, & intra paterni imperij limites ab ACHÆO redactus, parùm virium haberet; tum ACHÆVS, omnium, quæ citra Taurum erant, potens; & palàm se regem, contemto ANTIOCHO, præferens, auxilium Byzantijs palàm etiam pollicitus est.

Quæ res PRVSIÆ & Rhodijs non exiguum terrorem; & Byzantijs ad bellum sustinendum, alacritatem iniecit.

ANTIOCHI IN DEFECTORES EXPEDITIO.

ANTIOCHVS verò MAGN. cognitis MOLONIS, quem ad Ctesiphontem hibernâsse diximus, conatibus; omisso PTOLEMÆO, adversus defectorem, copias educere, (uti EPIGENES suaserat) parabat.

Sed HERMIAS, à priore sententiâ non discedens; *Defectoribus, scilicet, duces tantùm regios, regibus regem ipsum opponendum esse:* XENOETEN Achæum, cum copijs, adversus MOLONEM emisit.

Rex autem, per loca Libani montis, vasta & angusta, alterum exercitum in Syriam ducens; ubi THEODOTVM Ætolum, quem PTOLEMÆVS Syriæ præfecerat, Brochis & Gerris positum comperit; & loca circum vallis custodijsque munita; ab incepto & vi destitit.

Atque adeò adlato ad se de infelici XENOETÆ adversus MOLONEM conflictu, nuntio; de domesticis tuendis, relictâ Syriâ, cogitare cæpit.

XENOETAS ille, cum copijs Seleuciam profectus, DIOGENE & PYTHIADE, (quorum ille Susianæ regionis; hic Rubri maris præfecti erant) ad se arcessitis; castra haud longè ab hostibus, medio Tigri, collocárat.

Sed transfugarum fraude ad flumen transmittendum pellectus; & MOLONEM, qui impedimentis apud castra relictis, fugam astu simulabat, persecutus; ab eodem è Mediâ redeunte, unà cum militibus, vino & somno sepultis, tam variâ peste & horribili fugientium strage, profligatus est; ut victor, tum castris etiam, quæ ultra flumen erant, potiretur; tum non Seleuciam modò desertam, sed cæteras urbeis in fidem impunè acciperet.

Deinde totius Babyloniæ, & omnium citra mare Rubrum locorum, imperium consecutus; Susa è vestigio (præter Arcem, à DIOGENE infessam) debellaret. Et paucis pòst diebus, omnem, citra & ultra Tigrim, provinciam, ad Europen usque; & Mesopotamiam, ad Dura, sibi subigeret.

Hic dum hæret ANTIOCHVS; & iterum sententias de bello, in procerum consilio inquirit: & HERMIAS vix tandem EPIGENI, eadem quæ priùs suadenti, adsentitur; totus bellicæ expeditionis furor in MOLONEM conversus est. Sic tamen, ut eius consilij auctor, & fidus regis monitor EPIGENES, procul ab expeditione, & honoris specie aliò amandaretur.

HERMEAS autem amicis quidem regijs, terrore; militibus verò, ob divisum ex æquo frumentum, beneficio sibi conciliatis; & auctoritate supremâ ad se devolutâ; tam ambitiosus, quàm ignavus; adeoque sævus. ut regem cum regno, seque ipse perditum ire mallet, quàm pati, ut quisquam rebus gerendis idoneus, gratiâ apud regem præ se polleret. Dum veretur, ne revocatus aliquando EPIGENES sibi officeret; confictis per calumniam litteris, quasi à MOLONE ad EPIGENEM scriptis; per servum ALEXIDIS, (qui arcis Apamcēnsis præses, fraudis erat conscius) easdem cæteris EPIGENIS scedis admiscendas clam curavit.

Tum ALEXIS, ceu vestigabundus, & in EPIGENIS scrinia ingressus, deprehensis scilicet vetitarum litterarum commercio, reum, confestim occidit.

3734. 3. Ant.M. 2. Pt. Philopat.	*(Hic annus Olympiadis 140. initium est POLYBIO Historiæ eius, quam πραγματικὴν vocat; quæque annos LIII. complectatur.)*	216.

LVC. VETVRIVS PHILO, & C. LVTATIVS CATVLVS, Coss. in Istros profecti, & cum exercitu ad Alpeis usque progressi, citra pugnam multos ex ijs sibi adiunxére.

LVSTRVM ROMÆ, ET CENSVS.

Tunc quoque lustrum à Censoribus, L. AEMILIO PAPO, & C. FLAMINIO, Viris Consularibus, conditum est. Et lectus ab ijs Senatus; quia per quinquennium multi & bello, & alijs casibus, Senatores perierant.

Eo autem lustro, censa sunt civium capita CCLXX. mill. CCXIII.

Libertini in IV. Tribus redacti, quùm antea dispersi fuissent; in Æsquilinam, Palatinam, Suburranam, Collinam.

C. FLAMINIVS ille Censor, Viam Flaminiam munivit; & Circum Flaminium exstruxit. (Plin. lib. 35. tradit, ab iisdem Censoribus, legem Metilliam, de Fullonibus dictam, datam ad populum ferendam.)

RES ANNIBALIS IN HISPANIA GESTÆ.

Primo Vere, ANNIBAL, ducto in Vaccæos exercitu, Ermandicâ potitur, (al. Salmantica est) & deinde Arbachalam, sed longiore obsidione, nec sine discrimine & vi, expugnat.

Carpetani interea, cum Vaccæis & Holcadibus, ad c. hominum mill. in apertum prælium proruperant. Sed dum Tagum flumen, ad cuius ripas castra locârat ANNIBAL, temerè transmittunt; ab elephantis obtriti; & ab equitibus expeditis, ipsi vix vado fidentes, medios inter gurgites, trucidati, aut in fugam versi sunt. Vt iam, præter Saguntinos, nulla trans Iberum gens, adversùs Pœnos, oculos auderet attollere.

Illi itaque, & de rebus suis soliciti, & futurorum præscij, missis crebrò legatis, instant, & Romanos monent; ut ambitiosi, & odio in Romanos furentis Iuvenis, conatibus, ac successibus maturè obsistant.

Romani verò, quibus federum summa religio esset; memores icti cum Pœnis federis, non statim ad arma procurrunt; dum priùs, more legitimo, queri malunt.

Mittunt itaque oratores, qui & actiones ANNIBALIS speculentur; & eidem denuntient: *A Saguntinis, populi Romani socijs, abstineat. Néve Iberum, uti federe cautum, transgrediatur.*

ANNIBAL feroci responso, odium non dissimulavit. *Principes quosdam* suæ civitatis, à Romanis, qui dissidium cum Saguntinis compositum vellent, per iniuriam à Romanis *interfectos, ulcisci velle* comminatus.

Nec secùs missis Carthaginem nuntijs Senatum consuluit: *Quid adversùs Saguntinos facto opus esset*, qui Romanorum scilicet societate, freti, gravia plerisque Carthaginiensium opidis & clientelis damna intulissent.

Romanorum legati, etsi bellum necessariò suscipiendum esse intelligerent; Carthaginem tamen profecti, eadem illis in concione denuntiârunt.

Et quoniam non in Italiâ se, sed in Hispaniâ cum Pœnis dimicaturos; & Saguntum ibi, veluti quoddam belli longinqui receptaculum & sedem habituros esse sperabant; tantò acriùs Illyrico sibi bello incumbendum putârunt. ut eo confecto, toti in Hispaniâ essent.

Sed consilia eorum antevertit; & longè aliò, quàm opinabantur, transtulit ANNIBAL.

ILLYRIORVM PRINCIPVM REBELLIO.

Per id autem tempus. DERCYLLAIDAS Illyrius & DEMETRIVS PHARIVS, contemtis Romanorum mandatis & minis, cum XC. lembis Lissum transgressi, Ionium Ægeúmque, maria, latrocinijs infesta reddebant: Pylum tamen frustrà adorti.

Et DEMETRIO, in Cycladas, ad Rhodum usque incursante; DERCYLLAIDAS, fretus amicitiâ & adfinitate AMYNTÆ, Athamanum regis, Naupactum contendit.

Et sequestro AGELAO, fedus cum Ætolis iniit; *Vt prædâ æquabiliter distributâ, unà simul* (adscitis in partem DORYMACHO & SCOPA) *en Achaiam irruerent.*

Et commodùm inopinata latrocinandi occasio sese offerre visa. Arcades, ab heroicis usque temporibus, quòd rigente solo, & crasso aëre nutrirentur; & ærumnosam vitam magno labore sustentarent; rusticam ingenij sui torvitatem musicæ dulcedine & cantandi studio emollire soliti erant & edocti.

CYNÆTHENSIVM IMPROBITAS, ET CLADES.

Soli inter eos Cynæthenses, musicâ, & ingeniorum expolitione reiectâ, feros animos morum diritate exasperare pergebant. Et binc omnibus invisi, & inter se discordes, perpetuis seditionibus, cædibus & rapinis, & mutuis exsilijs conflictabantur.

Et non ita pridem CCC. civibus in exsilium pulsis, præsidiarios milites, cum duce, ab Achæis, urbis tutandæ, impetraverant.

Exsules verò, culpam deprecati, reditum exorant; & Achæis adsentientibus, impetrant. simulatâque concordiâ persuadent opidanis, *onerosum & inutile iam ipsis pariter esse Achæorum præsidium.*

Eoque, cum duce, ex urbe dimisso; ijdem exsules, vix intra urbis mœnia recepti, perfidiosissimè, tum vindictæ studio, tum spoliorum ex adversarijs spe, Ætolos portis reclusis, invitant.

Ætoli urbe potiti, primos proditores (quod uoum iustissimè fecisse existimentur) confodiunt, eorumque fortunas diripiunt. reliquos, simul arma posuérunt, urbe pellere, & bonis omnibus, nisi quæ celarent, spoliare contenti.

Cynæthenses, uti exitio suo dignissimos, nemo vicinus miseratus est. Et Mantinei, profugis ex urbe suâ facessere iussis, cum quasi temporario ipsorum

rum contagio impiatam, lustrandam curârunt.

ÆTOLORVM CVM ACHÆIS CERTAMINA.

DORIMACHVS interea & SCOPAS, coactas iuxta Rhium montem Ætolorum copias, Cephalleniorum navibus in Peloponnesum traiecerunt.

Factoque præter Patrensium, Pharæensium, & Triteensium oram, itinere; neque id sine incolarum detrimento; Messenios, non occulto iam latrocinio, sed quasi iusto bello populabantur. & omnibus promiscuè evastatis, tandem Phygaléam pervenerant.

Messenij verò, uti viribus impareis, intra urbis suæ mœnia se continebant.

Achæi, comitiorum tempore, Ægium convenérant. Vbi quùm hinc Patrensium & Pharæensium legati de iniurijs Ætolorum quererentur: illinc Messenij, ius societatis simul & auxilium postularent. ipsi quidem, nisi consultis reliquis socijs, & maximè PHILIPPO Macedonum rege, iure civitatis suæ Messenios donare negabant: opem tamen, sed certis legibus, pollicebantur.

Et TIMOXENVS, Achæorum prætor, cuius magistratui pauci dies supererant; eam rem paullò lentiùs, aut dissolutum, aut neglectum à Cleomenico bello, in Peloponnesijs disciplinæ militaris usum, urgnebat & procurabat.

ARATVS verò Prætor designatus, suorum iniurias, & Ætolorum audaciam graviter ferens; nec veterum simultatum immemor; quam-primùm Achæos armare, & cum Ætolis grassatoribus congredi properâbat. Et diebus V. ante legitimum præturæ suæ diem, Sigillum publicum ab antecessore exigit, & litteras ad socias civitates perscribit: quibus cogi ad arma Iuventutem, & Megalopolim convenire, pro suâ auctoritate, imperabat.

Ipse rebus cum Messenijs (*qui liberos suos Lacedæmonijs tradere; & fœdus, aut pacem cum Ætolis, in posterum, facere vetabantur*) compositis; legatos ad Ætolos mittit: qui eos iubeant ex agro Messeniorum copias educere; neque Achæorum ulli vim inferre. *Secus pro hostibus habitum iri.*

Eo audito, Ætoli quidem receptui canunt: & præmissâ navigijs prædâ, itinere ad Eleos, sibi fidos, instituto, discedunt.

ARATVS verò, temerè illos, uti statuerant, discessuros ratus; copijs pænè sociorum omnibus missionem, & suas cuique domos abeundi potestatem dederat. III. dumtaxat peditum millibus, & CCC. equitibus, qui sub TAVRIONE militabant, apud se retentis. Et inde Patras, ubi se abeuntibus temerè hostibus, scilicet, objiceret, contendit.

DORVMACHVS, postquam Olympiam venit; & ab exploratoribus cognovit TAVRIONEM cum copijs, quas dixi, haud procul à Clitorio abesse; veritus ne propterea ex Rhio, uti statuerat, solvere, sine certaminis periculo, non posset; optimum factu iudicavit, si sine morâ, cum ARATO; qui exiguis admodum copijs stipatus, & futuræ rei ignarus esset; prœlio decerneret. sive pugnam detrectante, sive profligato; & vastatâ provinciâ, tutus sibi per Rhium transitus esset.

Dumque ipse non longè à Megalopoli, iuxta Methydrium, castra collocasset: Achæi imprudenter primùm Clitorio profecti & ad Caphyas sunt metati castra.

Et postea, dum Ætoli à Methydrio, per Orchomenum, transirent; ipsi deductis in Caphyensium agrum copijs, præterfluente amne, quodam veluti munimento, conclusi; Ætolos, tum loci iniquitate, & fossarum antè flumen profunditate; tum metu copiarum, quę interea cogi, & subsidio venire poterant, deterritos, eò adegisse videbantur; ut omisso pugnandi instituto, Olygyrtum versùs, eo quo constituerant ordine, progrederentur; & omne conflictûs discrimen declinarent.

Verùm hic ARATVS, in eâ, quam dixi, copiarum paucitate; & omissâ imprudenter camporum opportunitate, (ubi procul-dubio, ob varium armaturæ genus, superior esse potuisset) in equitatum hostilem; qui à peditatu suo, iam summa montis tenente minimùm aberat; equites, & deinde ferentarios, ex utroque cornu immittit. & mox cum reliquis copijs, raro agmine, eòdem festinat.

Ætolorum vicissim equites, ad montium radices progressi; & pedites suos ex alto in subsidium evocantes, primùm Achaicum equitatum; deinde ferentarios, in fugam coniecêrunt. Sic tamen ut vix quingenti in acie ceciderint; sed bis pænè mille fugæ se commiserint.

Qui dum ad ARATI ordines honestè & salutariter fugere se putarent; illos quoque loco motos conspicati, alij aliò, alij in suos delapsi, miserabile fugæ aut cædis spectaculum præbuerunt.

Et nisi vicinæ urbes, Orchomenus & Caphyæ, tutum fugientibus receptum præstitissent; copiæ omnes ad internecionem, eo die, cæsæ essent.

Megapolitani, qui postridie Achæis subsidio accurrerant, socios, cum quibus viventibus adversus Ætolos pugnaturos speraverant, ab hostibus interfectos sepelierunt, eisque more patrio iusta persolvérunt.

Ætoli verò victores, liberè per mediâ Peloponnesum vagati, tentatâ Pellenensium civitate, & agro Sicyoniorum pervastato; tandem per Isthmi angustias evasérunt.

ARATVS Achæos, qui publicè & privatim ipsum tantę cladis auctorem modo-non detestabantur; eloquentiæ suæ vi, & antegressorum meritorum commemoratione, facilè placavit.

Decretum ab Achæis; ut legati ad Epirotas, Bœotios, Phocenseis, Acarnanes, & ad Macedoniæ regem PHILIPPVM, mitterentur, qui ex fœdere præsidium peterent adversùs Ætolos, iam bis in Achaiam, contra fœderis leges, per vim ingressos.

Præterea; „*Vt Messenij in societatem adsciscerentur.* „ *Vt Achæorum Dux, sive Prætor, V. peditum mill. & D. equites conscriberet; & Messenijs, si iterum ab Ætolis infestentur, subsidium ferret.*

Legati, mandata sedulò persequi. Dux, Iuventutem ad arma cogere: & cum Lacedęmonijs Messenijsque

sensijsque pacisci; ut *utrique II. pedit. millia, CCL. equites compararent: & omnes sociorum copiæ, ad X. pedit. mill. & equites mille, euaderent.*

Ætoli vicissim, ex concilij decreto, pacem agitare cum Lacedæmonij, & Messenijs, alijsque vicinis, constituérunt: atque ita Achaicæ societatis vireis labefactare.

Achei, si à Messeniorum societate discederent, amici: secus, hostes iudicaretur.

PHILIPPVS rex, & Epirotæ, Messenios quidem in federis societatem non illubentes accepérunt. sed cum Ætolis (qui licet multa protervè egisse traducerentur, nihil tamen à moribus suis alienum fecisse, visi essent;) in pace perseverare malebant.

Lacedæmonij, quantumvis adeò nuper Achæorum operâ ab ANTIGONO in libertatem restituti; PHILIPPO Macedonibusque promisissent, nihil se adversùs eos molituros; missis tamen clam ad Ætolos legatis, occultam cum ijs amicitiam firmavérunt. & seditionibus inter se caedibusque, ob partium dissidia, sunt conflictati.

Ætoli, captâ in eum, quo diximus, modum, & exspoliatâ Cynethâ, Lusas versùs discesserant.

Quumque ibi Templum DIANÆ, quod Cynethę & Clitorio erat interiectum; & Asyli instar à Græcis colebatur; cum gregibus Deæ sacris, & donarijs, expilare vellent; Lusiatæ, parte eorum ultrò oblatâ, vix gentis impietatem represserunt.

Et illi inde castra haud procul Clitorio metati; & oppidanos hortati, ut missis Achæis, secum societatem inirent; quùm nihil neque obsidione, neque impressione militari profecissent; Cynætham reversi, direptis Deæ armentis, urbem Eléis tradere voluérunt.

Sed ijs munus id respuentibus, EVRIPIDEM cum præsidio urbi imposuére.

Famâ verò adventantis è Macedoniâ præsidij, & Achæorum adparatu, exterriti, eamdem incendérunt: & Rhium versus profecti, transitum illàc tentárunt.

TAVRION, DEMETRIO Phario, quem Rhodij, ab Insularum Cycladum depopulatione redeuntem, cum classe persequebantur, sibi adiuncto: & transportatis per Isthmum Lembis, quùm Ætolos biduo antè tra- sisse intellexisset; maritima eorum loca populatus, Corinthum renavigavit.

ARATVS verò suos, ut civiliter potiùs, quàm militariter agerent, hortatus, tamdiu, ex acceptæ nuper cladis memoriâ, quietus restitit; quoad SCOPAS & DORIMACHVS, à provinciæ populatione, domum essent regressi.

PHILIPPVS REX PACI STVDET, AVT SIMVLAT.

PHILIPPVS verò Macedo, qui cum exercitu Achæis subsidio Corinthum usque venerat, quùm serùs venisse se intellexisset; dimissis ad socios præconibus, hortatum, ut ad se Corinthum, de communibus rebus consulturi, convenirent; ipse Tegeam versùs exercitum promovit, ut Lacedæmonios tumultuanteis, & dissidiis in varia studia cum populo, præsidibus, defectionem molienteis, terreret potiùs, quàm castigaret: & lenitate potiùs, quàm supplicij acerbitate, ad mutuam amicitiam, & fidei sacramentum, revocaret.

Inde Corinthum reversus, compertisque ibi sociorum legatis, de rerum summâ consultare cæpit.

Hic quùm omnes uno quasi ore Ætolorum facinora detestarentur; bellum ijs indicendum decrevérunt. Quod Sociale dictum paullò post est, sit.

BELLVM SOCIALE CONTRA ÆTOLOS.

Et quùm iterùm Achæi ÆGIVM convenissent, veterem cum PHILIPPO, quę cùm maioribus eius intercesserat, amicitiam renovárunt.

Ætoli vicissim conventu suis indicto, quasi remedium ab eo, qui vulnus fecerat, sperarent; SCOPÆ, qui belli crimina severat, & tot facinorum auctor fuerat; Præturam maliosè & præposterè restituérunt.

CLEOMENIS INDIGNVS EXITVS.

CLEOMENE, iis, quas dixi, de caussis, apud Alexandrinos æstuante, & regis aulicorumque suspicionibus obnoxio; evénit, ut NICAGORAS Messenius, ARCHIDAMI, Spartani antè regis, (quem CLEOMENES occidit) paternus hospes, Alexandriam delatus, præstanteis equos venaleis ad regem adduceret.

Cui obvius CLEOMENES, & adventûs caussam percontatus, responderit: *Se malle, ut exoletos & sambucistrias ad regem PHILOPATOREM, qui in ijs totus esset, quàm equos, adveheret.*

NICAGORAS verò subridens, & iniuriarum memor, quas ante XXIX. annos à CLEOMENE acceperat, (Plut. addit; pretium agri olim venditi ab eo fraudatum) scomma istud in regis personam, aliasque privatæ simultatis caussas, SOSIBIO (penes quem primaria aulici negotij erat auctoritas) aperuit, & confictis ad eumdem litteris, regi etiam suspectiorem reddidit.

CLEOMENEM, nisi statim cum classe & commeatu ex Ægypto dimittatur, statum regis in magnum discrimen adducturum.

Persuadet itaque facilè regi SOSIBIVS, CLEOMENEM, ne elaberatur, in custodiâ habendum.

Ille, qui regis iram ac diffidentiam, tam levi supplicio contentam non fore, iam ex aulicorum susurris subolfecisset, cum reliquis amicis, custodiæ suæ socijs, vel ad memorabile facinus patrandum, vel ad honestâ morte occumbendum, se comparabat.

Et rege Canobum fortè digresso, se litteras ab eo accepisse finxit, quibus liberationis spes facta esset. eoque nomine epulum paravit; & milites, à quibus custodiebatur, victimis, coronis, & vino liberaliter accepit.

Quos ut vino sepultos vidit; strictis ensibus custodes suos confódit. & impetu in plateam urbis facto, & aliquot capitum cæde, Alexandrinos ad libertatem invitat.

Cives, quibus ne libertatis quidem nomen erat notum; CLEOMENIS tantùm audaciam mirari, & stupere:

ſtupéret ſed conſortium fugere & expaveſcere.

Poſtquam opido perrepiato; & impreſsione in arcem carceremq́ue fruſtrà tentatâ, effugio locum non eſſe perſpexerunt; audaciâ in iram versâ, Tredecim numero, inter ſe pacti ſunt, ut alter alterius mucrone pereant potiùs, quàm regis effeminati ludibrio reſerventur.

Maximus natu ex CLEOMENIS liberis, quamvis puer, ex domûs faſtigio in ſolum deſiliens, ne ſic quidem, licet adflictus, exſpiravit.

Mater, CRATESICLEA, nepotum, quos complexa tenebat, ſortem cum eiulatu graviter lugebat.

In eos omneis, eorumq́ue comites, etiam feminas; & id cæteris, PANTEI uxorem, PTOLEMÆVS promiſcuâ cæde deſævijt: & CLEOMENIS corpus cruce ſuffigi iuſsit. Ità perijt ille, quùm annos XIIX. (al. XVI.) regnâſſet. Et licet vir rebus gerendis ſtrenuus; tamen perfidæ in ARCHIDAMVM, Agidis fratrem, ſævitiæ, meritas pœnas, luiſſe viſus.

BELLI BYZANTII EXITVS.

Byzantij à Rhodijs, & à Pruſiâ rege, terrâ mariq́ue infeſtati, cum Achæum ad opem ſibi ferendam ex pacto ſolicitárunt; tum ex Macedoniâ, Thibætem, Pruſiæ patruum, ceu regni aviti æmulum, evocárunt.

Rhodij, qui omnem Byzantiorum ſpem ab uno Achæo pendére; & ipſum Patris ANDROMACHI, quem PHILOPATOR Alexandriæ forte captivum in vinculis detinebat, liberandi cupidiſsimum eſſe cognóſſent; ipſi, qui pridem gratiâ & auctoritate apud Ptolemæos plurimùm pollebant; à PHILOPATORE, magni muneris loco, ANDROMACHVM efflagitant.

Quo impetrato; & Achæo ſibi ità per Patrem, gratis reſtitutum, reconciliato, maximam ſubſidij ſpem Byzantijs ademérunt. Atque illi, tali deſtituti auxilio, pacem cum Rhodijs & Pruſiâ facere, & Portorij exactionem abolere ſunt coacti.

ANTIOCHI VLTERIOR IN ASIAM EXPEDITIO.

ANTIOCHVS verò, qui ad Euphratem uſque iam venerat, motis ad Antiochiam caſtris; in Mygdoniâ, dum hiems deſæviret, ſubſtitit, & dein Libam venit.

Hìc dum de itineris, & quærendorum commeatuum ratione, diſceptatur; (quòd eâ tempeſtate MOLON in Babyloniâ moram traheret) & HERMIAS cenſeret, *ſecundùm citeriorem Tigris ripam progrediendum eſſe*; qui fluvius, unà cum alijs, Lyco & Capro, ſibi pro munimento eſſet futurus: ZEVXIS vix regi, metu Hermiæ, qui adverſarium non ferret, ſalutarius conſilium exprómere auſus eſt: *Traijciendum eſſe Tigrim*, ob maximas viarum citrà amnem; & tranſitus denique ulterioris, atque adeò commeatûs, difficultates.

Amne tranſmiſſo, Apolloniates ſe ultrò regi dedituros; & rerum neceſſariarum copiam, ex fertili illîc regione, ſuppeditaturam.

MOLONEM denique in Mediam reditu omninò interclusum iri. Futurum itaq́ue eſſe, ut vel MOLON in prœlij aleam deſcenderet; vel copiæ eius non ità duci audientes, regiæ fidei ſeſe permitterent.

Comprobatâ ZEVXIDIS ſententiâ, & Tigri tripertitis copijs, cum impedimentis, traiecto; primùm Dura, urbem, obſidione, quam Moloniani tentare cæperant; liberárunt: deinde, Orico monte, per octiduum ſuperato, Apolloniam deſcendérunt.

MOLON, Suſianis & Babylonijs, recens à ſe ſubactis, haud ſatis fidens; & metuens, ne ſibi in Mediam reditus intercluderetur; Tigrim & ipſe cum omnibus copijs traijcit, & regionis montana prior occupare nititur.

Eâ ſpe deiectus; concubiâ nocte in regis caſtra cum delectâ manu, ex editioribus locis, impetum facere conſtituerat; ſed comperto, decem ſimul iuvenes, ex conſcijs, clàm & noctu ad regem tranſiſſe, ab incepto deſtitit. Et ad ſuos rediens, inopinato ſub auroram copiarum adventu, ingenti terrore & tumultu caſtra complevit: & pænè ad turpem fugam impulit.

Rex poſtridie, copijs in aciem productis, hoſtem ad prœlium provocat.

MOLON, cui pedem referre integrum non erat; ſuos, ut erant conturbati, paucis cohortatus, acie temerè ordinatâ concurrit.

Sed dum ipſe dextro cornu adversùs Zeuxidem fortiter rem gerit; Læva, & media exercitûs pars, cui fratrem NEOLAVM præfecerat; in ipſa dimicatione ad regem tranſgreſſa, reliquum exercitum conſternat, & in fugam impellit. MOLON, & primarij defectionis auctores, ſibi manus intuléreNEOLAVS, qui incolumis è prœlio fugerat, in Perſidem, ad ALEXANDRVM, alterum fratrem, profectus, matrem liberoſq́ue MOLONIS obtruncat; ALEXANDRO, ut idem in ſe ſtatuat, perſuaſo. Et dein ſuper agnatorum cadaveribus ſe ipſe iugulat.

Sic brevi vitam, & iniquè partum regnum perduelles amiſére.

Recuperatis autem trans Euphratem regionibus; & militibus, qui arma contrà tulerant, veniâ datâ in Mediam remiſſis; rex ANTIOCHVS Seleuciam profectus, res vicinarum civitatum non minus prudenter, quàm clementer compoſuit.

Sed hîc HERMEAS, veteris inſtituti non immemor, Seleucienſibus, quòd à fide defeciſſent, Mille talentûm mulctam irrogavit; alios vinculis, alios morte adfecit.

Rex contrà humanior, centum modò & quinquaginta talentis placari ſe ſivit.

Et ut vicinos Barbarorum reges ab ope perduellibus ferendâ in poſterum deterreret; ARTABAZANEM, (cuius provincia, inter Euxinum Caſpiumq́ue maria, ſita; Mediæ imminebat) adoriri decreverat.

Et Herméas; qui cum Atropatios; ARTOBAZANIS ſubiectos, validam & fortem gentem, metueret; & belli in Ptolemæum transferendi cupidior eſſet; tum omne periculum in regis, iuvenili audaciâ ferocientis, caput, redundaturum; & ſe

filioli, qui nuper ANTIOCHO natus erat, tutorem summâ cum potestate futurum esse speraret; regem ad eam expeditionem, publicè arduam, sed tot hominibus privatim sibi utilem, magis magisque incitavit.

Verùm ARTABAZANES, ætate iam grandis, audaciæ & fortunæ ANTIOCHI in tempore cedendum ratus; cum eodem, quibus ipse vellet legibus, pacem fecit.

Prætereà rex ab APOLLOPHANE medico, ut ab Hermeæ audaciâ insidijsque sibi caveret, monitus; & comperto, plerosque aulæ proceres, idem cum APOLLOPHANE, sentire; illum simulatâ, leniendi eiulorum morbi, prodeambulatione, comitem longiùs à castris, militumque conspectu, abductum, per amicos, consilij arcani participes, interficiendum curavit.

Hic iustus potentiæ, per multa scelera impotenter grassantis, exitus. Eodem namque tempore Apaméæ, feminæ quidem, Vxorem; pueri verò, filios eiusdem Hermeæ contrucidârunt.

3735. 4. Ant. M. 3. Pt. Philop.	*Anno primo Olympiadis CXL. Sive V. C. DXXXV. creati Romæ Coss. M. LIVIVS SALINATOR, & L. AIMILIVS PAVLLVS.*	215.

BELLVM CVM ILLYRIIS.

(Sub quibus, primus è Medicis, Romam venit è Peloponneso, ARCHAGATHVS, LYSANIÆ F. Plin. l. 29. c. 1.) Et ipsi iterum cum Illyrijs rebellantibus bellum gerere iussi.

DEMETRIVS namque Pharius, Illyriorum Princeps, cum Romanos, hinc Gallorum, inde Carthaginiensium, terrore perculsos, cerneret; ijsque relictis, spem in Macedoniæ regibus, ex bello CLEOMENICO sibi obnoxijs, positam haberet; opida Illyrij, quæ Romanis iam-tum parebant, evastabat, aut expugnabat. Et navigijs in Cycladas insulas invectus, subiti turbinis instar, omnia in Ægéo Mari percellebat.

Cognito autem Romanorum adpatatu, Dimalum quidem urbem præsidio & commeatu muniérat; eiectis verò ex toto Illyrio Romanorū amicis, cum VI. veteranorū Millib. Pharum contenderat.

AIMILIVS Cos. Dimalo intrà VII. dies per vim expugnatâ, & Illyrijs vicinis in fidem receptis; adversùs Pharum, DEMETRII regiam, infestus pergit: & hoc astu capit.

Facto per noctem in Insulam cursu, aliquantam copiarum partem in silvâ, densis obsitâ arboribus, collocavit. Et ipse, orto iam die, paucis cum navibus in proximum urbi Portum delatus, exscensionem parabat; quùm DEMETRIVS, contemtâ Romanorum paucitate, cum opidanis effusus, aditu Consulem prohibere, & à litore arcere conatur.

Romani è propinquâ silvâ, audito pugnæ clamore, tempestivè eòdem concurrunt: & colle, qui inter urbem & Portum erat munitissimus, occupato, ipsos hosteis reditu in urbem intercludunt.

In quos dum aversi Illyrij confertis agminibus incumbunt; & CONSVL, cum suis, è navibus liberè egressus, eorum tergis instat; DEMETRIANI à fronte & à tergo conclusi, non sine atroci certamine profligantur.

DEMETRIVS lembis, in eum eventum paratis, devectus, ad PHILIPPVM Macedonem profugit: apud quem reliquum ætatis peregit.

Cos. verò AIMILIVS, Pharo potitus, urbem funditùs evertit: & cæteras Illyrij civitates Romano imperio adiungit.

(Addit Liv. lib. 22. PINEVM regem, AGRONIS F. TEVTÆ privignum, stipendia quotannis dare coactum.)

SAGVNTI OBSIDIO IN HISPANIA: ET BELLI II. PVNICI INITIA.

Intereà ANNIBAL Carthagine-Novâ cum omnibus copijs profectus, Saguntum Vrbem Romanis fidam, & opulentam, & virtute militari præstantem, & in libertate communi fœdere exceptam, (Ea ultrà Iberum sita in radicibus montis, qui Hispanos à Celtiberis dividit, circiter M. passib. à mari distabat) totâ vi oppugnabat. Nequid ipse, meditatum pridem bellum in Italiam translaturus, à tergo infestum relinqueret; & Romanis omnem gerendi peregrè in Hispaniâ, belli, spem adimeret.

Vrbem itaque, licet munitissimam & acriter propugnatam, octavo mense cepit: & novis incolis implevit. Pecuniam ibi repertam in belli sumtus seponit; & militibus mancipia largitus, supellectilem pretiosiorem Carthaginem transmittit. Quâ re & militum animos ad subeunda pericula acuit; & à Carthaginensibus, Romano nomini, pridem infensis, longè ampliorem rerum pro arbitratu gerendarum facultatem obtinuit.

FLOR. addit, IX. mensibus fessos Saguntinos, fame, machinis ferro & igne; versâ denique in rabiem fide, immanem in foro excitâsse rogum: tum desuper se suosque, cum omnibus opibus suis, ferro & igne corrupisse.

Fidei erga Romanos magnum quidem, sed triste monimentum.

Illi, Sociæ urbis casum ægrè ferentes, feciales Carthaginem mittunt; qui, ANNIBALEM, & *præcipuos belli Saguntini auctores, uti fœderis violati reos, dedi sibi postulent: secus, bellum denuntient.*

Tergiver-

Tergiversantibus Pœnis & de iure federum disceptantibus, dux legationis, FABIVS; *In hoc*, inquit, *sinu, bellum ego adfero & pacem: Vtrum eligitis; Vtrum placet; sumite.*

Cumque non minus ferociter succlamatum esset; *Vtrum vellet, ipse daret.* Excusso in mediâ Curiâ togæ gremio, non sine horrore, quasi planè sinu bellum ferret; effudit.

Similis, ait Flor. *exitus belli, initio fuit*: Nam quasi has inferias sibi Saguntinorum ultimæ diræ, in illo publico parricidio incendioque, mandâssent; ita Mânibus eorum, *vastatione Italiæ, captivitate Africæ, ducum & regum*, qui id gessére bellum, *exitio, parentatum* fuit.

Hanno, in cæteris, æqua à Romanis postulari censebat; sed quòd odio Barcinæ domus, non caritate in patriam, ità sentire videretur, ab omnibus ferè explosus est.

NOVVS MOTVS LACEDÆMONE.

Quùm novi apud Lacedæmonios Ephori creati essent; illi, qui seditionis & cædium antè auctores fuerant, ab Ætolis impetrant; ut MACHATAS legatus ad se mittatur, qui primò *societatem postulet*; deinde suadeat; *ut defuncto iam Cleomene, regem ex Heraclidis eligere pergant.*

Ephori, quibus neutrum placebât, de rege tamen posteà se dispecturos, dixérunt: Populum interea, per maiores natu viros, monent, quot beneficia à Macedonibus; quot iniurias ab Ætolis, acceperint. Caussam itaque non esse, cur fidos ac potenteis socios deserant; & cum infidis Græciæ prædonibus consocientur.

Ità re infectâ dimissus MACHATAS in Ætoliam rediit. At ij, quibus turbæ & latrocinia; & Ætolica societas cordi erat; non modò taciti fremere, & Ephoris obloqui; sed rem maximè nefariam moliri adgressi sunt.

Festo die solebant Ephori quidem in Minervæ Chalcioecæ delubro sacra annua peragere; & Iuvenes in armis, urbé perlustratâ, ad idem fanum accedere.

Cuius templi, ceu Asyli, ea erat religio, ut ne nocentibus quidem, perduellibus aut capite damnatis, vim in eo adferre fas esse ducerent.

Nonnulli ex hisce Iuvenibus, qui armati ludis interesse debebant; præmijs corrupti; constituto tempore, Ephoros ad ipsum altare contrucidárunt: & optimos quosque seniorum, aliosque, qui Ætolicæ societati adversati fuerant, partim iugulárunt; partim in exilium eiecérunt. Novos ex suis magistratus creant, & cum Ætolis societatem redintegrant.

Et qui triennio ferè, post CLEOMENIS discessum, in liberâ rep. de subrogandis regibus ne cogitárant quidem; atque adeò in CLEOMENE ipso, cuius reditum incredibili desiderio præstolabantur, spem benivolentiæ permagnam habuerant; ubi de eius obitu nuntiatum est; repentè ad regum creationem animos convertérunt.

Et primùm quidem AGESIPOLIM, ætate puerum, AGESIPOLIDIS F. CLEOMBROTI, antè XXVII. ann. in exilium pulsi, nepotem; legitimè, & eâ lege regem delegére; ut CLEOMENES CLEOMBROTI F. AGESIPOLIDIS filius germanus; tutoris nomine, patruus, regnum pupilli administraret.

Et licet ex alterâ, regiâ, familiâ, ARCHIDAMO, EVDAMIDÆ Filio, ex HIPPOMEDONTIS filiâ, duo filij; & ipse etiamnum HIPPOMEDON, AGESILAI Filius & EVDAMIDÆ nepos; aliique complures, superessent; ijs posthabitis, LYCVRGVS, ab Heraclidarum stirpe planè alienus; Ephororum cuique talentum largitus; regni & stirpis regiæ titulum emercatus est.

MACHATAS Spartam, rebus ità mutatis nutantem, reversus, facilè eos ad bellum Achæis indicendum impulit.

Et LYCVRGVS, copijs, ex mercenario milite & urbanâ multitudine, coactis, in Argivos nihil tale exspectanteis, insultat. Et repentino impetu Polychniam, Prasiam, Leucam, Cyphantem, aliaque eorum opidula capit; agrumque circum-circà ferro ignique evastat.

MOTVS IN CRETA.

Sub idem tempus, omnis Creta erat in motu. Gnossij Gortynijque, inito inter se fœdere & communibus auspicijs, totam Insulam, exceptis Lyctijs, antiquissimis Lacedæmoniorum colonis, sibi subegerant: & bello adversus eos, qui iugum abnuebant, suscepto, mox inter se diffidere cœpérunt.

Et Polyrenij Ceretæ, Lampei, Horij atque Arcades, desertis Gnossijs, pro Lyctijs stetére.

Et quùm Gortynij quoque variarent, Gnossij, in re tam inopinatâ, Mille viros ex Ætoliâ, iure societatis, in subsidium arcesivére.

Quo comperto, Gortyniorum seniores, arce extemplò occupatâ, Gnosios simul cum Ætolis introduxérunt; & Iunioribus partim in exilium eiectis; partim crudeliter interfectis, urbem Gnossijs dedidére.

Deinde, quùm fortè Lyctij universo agmine in hostilem agrum irrupissent; Gnossij urbem eam, præsidio, & custode vacuam, occupárunt; & mulieres cum pueris Gnossum transmisére.

Lyctij ab expeditione reversi, patriæ incensæ & dirutæ fortunam, suorumque vicem lamentis & gemitu tantùm prosecuti; ad Lampæorum urbem se recepére, humaniter & amicè ab ijs accepti. Et pro civibus, profugi licet atque hospites, intra unius diei spatium, facti, cum socijs bellum adversus Gnosios strenuè perseverabant.

Et initâ vicissim cum PHILIPPO Macedone, & Achæis, Ætolorum hostibus, societate; & impetratis ad DCC. auxiliaribus, auctisque viribus; Eleutherneos, Cydoniatas, Apteræos, aliosque, à Gnossijs ad se deficere compulérunt.

Et Gorthynij exsules, Phæsti & ipsius Gortynis Portubus occupatis, in suos populareis hostiliter incursabant.

(Tum quoque METHRIDATES rex, Sinopensibus bellum intulisse: Et his Rhodij commeatum, arma, pecunias, tormenta, aliaque sustinendæ obsidioni necessaria, submisisse memorantur.

BELLVM PHILIPPI CVM ÆTOLIS, ET DARDANIS.

Quùm autem PHILIPPVS rex è Macedoniâ in Thessaliam atque Epirum exercitum duceret; & inde transitum in Ætoliam facere maturaret; DORIMACHVS Ætolus, cum ALEXANDRO, ex Oeanthiâ transmittens, Ægiram, Achæorum urbem, inter Ægium & Sicyonem, ex adverso, sitam; proditione iam ceperat.

Sed dum ad prædam temerè properant Ætoli; ab Ægiratis, qui in arcem confugerant, incredibili animi constantiâ repelluntur; & cum ducibus ipsis, ad internecionem cæduntur.

Dymæi vicissim, Patrenses & Tritæi, ab Eleis & Ætolis, duce eorum EVRIPIDA, bello & excursionibus vexati, & infeliciter præliati; & amisso Muro, (castello, ad prædas agendas hosti opportunissimo) graviora veriti; litteris & legationibus ab Achæis auxilium petunt. ARATVS, ob stipendij inopiam, & suo more, solens, segniùs rem agebat.

At illi spe suâ frustrati, de suo sibi prospiciunt. Decretoque cavent; *ne quam deinceps pecuniam in communis belli usus Achæis penderent*; sed ipsi, contractis CCC. peditibus, & L. equitibus, se patriamque tutarentur.

PHILIPPVS, iam adscitis Epirotis, alijsque auxilijs, in Ambraciotarum regionem pervenerat; in Mediterranea Ætoliæ loca impetum facturus.

Sed ipse ab Epirotis, qui privatum commodum publicæ sociorum utilitati anteponerent, & iam antè Ætolis auxilium polliciti essent; persuasus, ut Ambracum, ab Ætolis sibi ereptum, priùs reciperaret; positis ibi castris, necessaria ad obsidionem parabat.

Quùm intereà SCOPAS, Ætolorum prætor, aliena invadere, quàm sua tueri, doctior; in Macedoniam, quasi vacuam, usque excurrit. Et cum alia multa, tum maximè Dium, regiam urbem, amœnam, sed minus munitam, & incolis fugientibus desertam; promiscuè, & nullis operibus, neque Gymnasio, neque Templorum Porticibus, aut regum statuis parcens, evastat.

PHILIPPVS verò, Ambraco intrà XL. dies potitus, traiecto Ambracio sinu, per amicitiorem Acarnaniam, devectus; Poetiam, Ætolorum urbem, perendie quam eò venerat, pactione capit. Et cæsis in itinere Ætolis, qui suppetias Poetinis veniebant; castrisque ad Acheloum amnem, haud procul ab urbe Strato, positis, provinciam totam impunè populatur: Metropoli incensâ, & Ithoriâ funditus eversâ; alijsque opidis & castellis in prædam militi datis.

Hinc promoto Oeniadas versùs exercitu, Pæanium expugnavit, & solo æquavit.

Postremo, Clao (al. Elao) munitissimâ urbe potiti Macedones, in Calydoniam vastabundi se effudérunt. & urbem Oeniadarum, uti traiectioni, in Peloponnesum faciendæ, accommodam, cum arce navalibusque instaurárunt.

In his quùm esset PHILIPPVS; & Dardanos, cum finitimis, (quibus velut immortale odium cum Macedonum regibus erat,) facto suorum delectu, & rebus ad bellum paratis, in Macedoniam cogitare audiret; ad sua tuenda animum advertit. & legatis Achæorum, (qui ad Straton opidum occurrerant; & ut iterum transmisso Rhio iter in Elidem verteret, sibique auxilio veniret, postulárant) cum bonâ spe domum remissis, dum summâ celeritate per eadem, quà venerat, loca, reverteretur; & Ambracio sinu ex Acarnaniâ in Epirum transmitteret; DEMETRIVS Pharius, quem victum, & Illyrio expulsum à Romanis diximus; unico lembo occurrit. Eumque rex benignè amplexum, Corinthum, navigare iussit; atq; indè per Thessaliam in Macedoniam proficisci. Ipse in eamdem Macedoniam, ad Vrbem Pellam, se è-vestigio recepit.

Dardani; iam Macedoniæ imminentes; regis, præter exspectationem redeuntis; metu perculsi, exercitu statim dissoluto, diffugére.

Et quia messis tempus instabat; Philippus missionem militibus suis, ut fruges ex agris perciperent, fecit. ipse reliquum æstatis Larissæ acturus.

Ætoli, consequente auctumno, stato comitiorum tempore, Dorymachum prætorem, sive Polemarchum, creárunt. Is statim in supernateis Epirotas copias ducit; non tàm spe prædæ, quàm vindictæ studio, fœdè omnia depopulans.

Dodonæum Iovis fanum omni ornatu spoliat, porticus incendit, sacram denique Ædem evertit. *Adeò Ætoli nec pace, nec bello, quicquam pensi habebant, dum quæstum facerent.*

PHILIPPVS, præcipitante iamtum hieme; & omnibus, ob anni tempestatem, eius in Peloponnesum adventum desperantibus; adscitis V. Popularium gravis armaturæ Millib. CCC. Cretensibus, & CD. circiter equitibus; Larissâ profectus, facto per Thessaliam Eubœamque itinere; inde per Bœotiam, & Megaridem, sub solstitium hibernum, improvisus Corinthum advénit. Clausisque opidi Portis, & custodijs in itinere positis; postridie ARATVM seniorem à Sicyone arcessit. Iuniori, qui tum prætor Achæorum erat, quid fieri velit, quando & quo loco armati convenire debeant, per litteras mandat. Hinc Dioscorium petit, Phliasiorum urbem; & haud longè castra ponit.

CLADES ÆTOLORVM EVRIPIDA DVCE.

Eodem forte tempore EVRIPIDAS, cum duabus Eleorum, (quibus cum Ætolis vetus societas intercedebat) legionibus; & equitibus circiter C. alijsque

aliisque cum Piratis, tum mercenarijs; postquam Dyméos & Patrenseis, Eleis vicinos, aliquamdiu & frustrà vexasset; circà Brumam, Psophide, sociâ Eleorum in Arcadibus urbe, in quam diverterat, profectus; per Phœnicem & Stymphaliam, in Sicyoniorum agrum incurrit. quasi plus damni ex improviso illaturus; & maiorem ex longinquo terrorem.

Et quum prior ipse per pabulatores Cretenseis, adventum PHILIPPI rescivisset; id dissimulans, & copias sensim inde subducens, de-repente medios in hosteis illapsus vix sensit.

PHILIPPVS namque sub ipsâ Stymphalo, Caphyas versus, iter instituebat: quò loci in armis Achæos convenire mandarat.

Et fortè accidit, ut hinc Macedonum, inde Eleorum, primi ordinis milites, in collis Apeauri, haud procul Stymphaliâ, verticem simul, sed diversâ parte; & alteri alteris ignari, eniterentur.

EVRIPIDAS itaque loci temporisque iniquitate exterritus, fugâ cum paucis arreptâ, per saltus penè invios, Psophidem evasit. Exercitus verò à duce suo desertus, & rei novitate perculsus, aliquantisper in dubio hæsit.

Et prius quidem, ex armaturæ genere, galeatum, Megapolitanos esse rati, conferta acie procedebant. Deinde, ubi Macedonas propiùs esse comperêrunt; omnes armis abiectis, se in fugam coniecerunt. Et paucis ità servatis, ad Mill. CC. vivi in potestatem hostis venére: Reliqui, pecudum in morem, trucidati, aut per præcipitia delapsi.

Hoc PHILIPPI factum eò illustrius visum est, quòd fâmâ eodem tempore, & adventum eius, & victoriam Peloponnesijs enuntiâsset.

ACHÆI REBELLIO,

ET CONATVS.

Diversâ ex parte, ACHÆVS, quo tempore ANTIOCHVS adversùs ARTABAZANEM exercitum educebat; ratus, aut regem eâ in provinciâ periturum: aut se antè reditum eius, qui longinquo bello distineretur, impetum, tutò in Syriam facturum; & Cyrrestharum, qui nuper à rege defecerant, ope, regnum illud de-repente occupaturum; maximis cum viribus è Lydiâ fuerat profectus. Quumque Laodicéam Phrygiæ venisset, diadema & regium nomen adsumserat; & continuato in Syriam itinere, haud longè à Lycaoniâ aberat; quùm tumultuari & diffidere ab eo milites cæpére; qui nollent in Antiochum, regem suum, hostiliter educi.

Ille mutatâ in præsens consilij ratione, à cæpto itinere deflexit; & Pisidarum, tanquam rebellium, regionem depopulatus est: distributâque inter milites prædâ, & conciliatâ sibi omnium benivolentiâ, domum remeaverat.

SELEVCIA AB ANTIOCHO

OBSESSA ET CAPTA.

Nec seciùs ANTIOCHVS, bello Transeuphratensi defunctus; & domum reversus; ACHÆO per litteras ingratitudinem & perfidiam exprobrat: gravia interminans, ni resipiscat.

Interruptum interim de reciperandâ Cœle-Syriâ consilium repetens; eius expeditionis initium, ex Apollophanis, Medici Seleuciensis, sententiâ, à Seleuciâ ipsâ fecit.

Eam ad Orontis ostia opportunissimo & munitissimo loco sitam, terrâ marique fortiter adgressus; submissis etiam, qui opidanos partim minis terrerent, partim promissis pellicerent: suburbium quidem vi; urbem verò ipsam, alioqui inaccessam, minorum ibi ducum proditione cæpit.

(Fuerat ea urbs in potestate ac præsidio regum Ægyptiorum, ex quo PTOL. EVERGETES, ultus casum BERENICES sororis, ducto in Syriam exercitu, eâ potitus est.)

ANTIOCHVS victor, non modo liberis civibus ex pacto, pepercit; sed revocatis etiam in urbem Seleuciensium exsulibus, & remp. & suas cuique fortunas, restituit.

Et quùm indè totâ belli mole in Achæum ferretur; litteris & cohortatione THEODOTI Ætoli, in Syriam revocatur.

Is Ptolemæo fidus, antè biennium, à Syriâ Antiochum fortiter repulerat. sed invidorum apud regem, PHILOPATOREM, calumnijs traductus, præsentissimum vitæ periculum adierat.

Igitur partim odio ac contemtu regis Ptolemæi; partim spe mercedis; quas urbeis in Syriâ obtinebat, Ptolemaidem, Tyrum & alias, cum omni belli naviumque adparatu, ANTIOCHO tradidit.

ANTIOCHI IN PTOLEMÆVM

EXPEDITIO.

Quumque intereà nuntiatum esset, Ptolemæum clàm Memphim confugisse; omneisque eius copias ad Pelusium cogi, & aditus Nili undique intercludi; ipse ab invadendo quidem Pelusio destitit; sed rapto per provinciam exercitu grassatus, civitates partim vi, partim benivolentiâ adiungere sibi adnitebatur.

PTOLEMÆVS verò mulicbri luxu, ac fœdo fastu regem agens, & omnia per socordiam susque deque ferri sinens; SOSIBIO & AGATHOCLI totius penè regni negotia, & habenas commiserat.

Et hi quidem quàm magnâ diligentiâ peritissimos quosque è Græciâ duces, & quamplurimas omnis generis copias, conscriberent; easque militaris disciplinâ imbuendas accurarent; legatos nihilo minus de pacis conditionibus ad ANTIOCHVM miserunt. Et Cyzicenos, Rhodios, By-

zantios & Ætolos folicitârunt, qui reges scilicet, ad mutuam pacem legationibus exhortarentur: & sic ANTIOCHI conatus, quoad vires sibi vicissim paratæ essent, morarentur.

ANTIOCHVS cum Dura, urbem, diu irrito labore obsedisset: quasi legatorum postulatis id tribueret, sub hiemis initium quadrimestres inducias pactus, pollicetur insuper se de rei summâ ad æquissimas cum Ægyptio coditiones descensurum.

MEMORABILIS DE IVRE REGNORVM DISCEPTATIO.

Seleuciæ legatos Alexandrinos, aliosque, comiter audit. ignarus eius adparatûs, qui Alexandriæ interim fiebat: Et militiæ in posterum negligentior, quòd tot locorum in Syriâ & Phœnice potens, speraret Ptolemæum numquam secum in prœlium descendere ausurum.

Atque ut non tàm armis, quam iure, disceptare videretur; prætendebat Syriam, maioribus suis ereptam. (Cuius priùs ANTIGONVS COCLES, deinde SELEVCVS NICANOR, veri iusti; domini fuissent) sibi, iure hereditario vindicatum venisse.

Reges ipsos, ANTIGONI illius victores, Ptolemæum Lagidam, Cassandrum & Lysimachum, in regnorum inter se partitione, SELEVCO commilitoni Syriam omnem adiudicâsse.

Verùm Alexandrini contrà adferebant; Cœlesyriam à Ptolemæo Lagidâ, non SELEVCO, sed ANTIGONO ipsi ereptam, iure belli Ægypto adiecisse. Qui SELEVCO totius quidem Asiæ imperium, suis sociorumque regum armis, peperisset: sibi verò, eius operæ præmium, Syriam & Phœnicen vindicâsset. Iniquè itaque earum regionum possessionem, & Principum sociorum decreto, & annor. LXXX. præscriptione confirmatam, ab ANTIOCHO, SELEVCI abnepote, in dubium revocari.

ACHÆVM, quem fœdere comprehendi Antiochus nollet; non uti rebellem aut proditorem, sed ut adfinem, à Ptolemæo defendi.

In his Legatorum, ultrò citroque commeantium, disceptationibus, hiems inutiliter transacta est.

SVPERSTITIO ROMÆ COMPRESSA.

Quum verò peregrina sacra Romæ paullatim invalescerent; id sapientioribus displicuisse docet factum L. AIMILII PAVLLI Cos. Sub quo cum Senatus ISIDIS & SERAPIDIS fana diruenda censuisset; nemoque ea opificum tangere auderet; ipse, positâ prætextâ, securim arripuit, Templique eius foribus inflixit.

ANNIBALIS IN ITALIAM EXPEDITIO.

3736. 5. Ant. M. 4. Pt. Philop. | 214.

ANNIBAL, qui Nova-Carthagine hibernârat, ante quàm ex Hispania discederet; & luctuosam, & iamdiu destinatam Punici belli tempestatem in Italiam, Romanosque effunderet; ut mutuis velut pignoribus Africam cum Hispaniâ constringeret; in hâc quidem, valida ex Afro milite præsidia; in illâ verò, accita ex Hispanis supplementa collocavit.

Et cum Hispaniæ populis, trans Iberum sitis, fratrem ASDRVBALEM; tum Ilergetibus, Bargusijs, Ausetanis, alijsque, quos, traiecto Ibero, ad Pyrenæum usque montem recèns subegerat; HANNONEM; iusto utrumque cum exercitu, præfecit. & singulis Dena pedit. Mill. equites Millenos attribuit.

Postquam autem nuntij, quos ad explorandos Gallorum animos, & Alpium transitus, cum donis, præmiserat, reversi, satis omnia prospera nuntiâssent: & ea quæ Carthagine cum Romanis legatis acta, decretaque pro se essent, cognovisset; cum reliquis copijs, L. pedit. & equit. circiter IX. Millibus, omnibus durissimâ, inter Hispaniæ genteis, XXIII. annor. militiâ induratis, Pyrenæum transgressus, ad proximum Rhodani ostium contendebat.

Fama est (inquit LIVIVS) in quiete visum ab eo iuvenem divinâ specie, qui se ab Iove diceret ducem in Italiam Annibali missum. Proinde sequeretur; neque usquam à se oculos deflecteret.

Pavidum primò, & nusquam circumspicientem, aut respicientem, secutum: deinde, curâ humani ingenij, cum quidnam id esset, quod respicere vetitus erat, agitaret animo; temperare oculis nequivisse.

Tum vidisse pòst se serpentem, mirâ magnitudine, non sine ingenti arborum ac virgultorum strage, ferri: ac, pòst insequi cum fragore cœli nimbum.

Tum quæ moles ea, quidve prodigij esset, quærentem, audijsse; *Vastitatem Italiæ esse*. Pergeret porrò ire; nec ultrà inquireret. sineretque fata in occulto esse.

ADPARA-

ADPARATVS ROMANORVM CONTRA HANNIBALEM.

Hæc Romæ nuntiata non exiguum patribus terrorem iniecérunt. Et Consules provincias, iam nominatas, sortiri iussi. Ex quibus P. CORNELIO SCIPIONI Hispania; TIBERIO SEMPRONIO Longo Africa cum Siciliâ evenit.

VI. in eum annum decretæ legiones; & sociorum, quantum ipsis videretur, quantaque classis parari posset.

XXIV. pedit. Roman. Mill. scripta sunt; Mill. DCCC. equites.

Sociorum XLIV. pedit. & IV. equit. Mill.

Naves CCXX. quinqueremes, & XX. celóces deductæ.

Eius belli caussâ, supplicatio per urbem habita; & adorati Dij, ut bene ac feliciter eveniret, quod bellum populus Romanus iussisset.

Copiæ autem inter Cos. ità divisæ.

SEMPRONIO datæ legiones II. (eæ singulæ quaterna erant pedit. Millia, & equites CCC.) Ex socijs, XVI. pedit. Mill. equites Mill. DCCC. Naves longæ CLX. & celoces XII.

Cum his terrestribus, maritimisque copijs, TIB. SEMPRONIVS missus in Siciliam, indè in Africam transmissurus; si ad arcendum Italiâ Pœnum Cos. alter satis esset.

SCIPIONI minus copiarum datum; quia L. MANLIVS prætor, & ipse, cum haud invalido præsidio, in Galliam mittebatur.

Navium maximè SCIPIONI numerus diminutus. LX. quinqueremes datæ. (Neque enim mari venturum, aut eâ parte dimicaturum hostem credebant.) Et II. Romanæ legiones cum suo iusto equitatu. Et XIV. Mill. Sociorum; equitibusque Mill. CC.

Atque hâc apparatus bellici specie SEMPRONIVS quidem Veterem in Africâ Carthaginem; SCIPIO Novam in Hispaniâ obsessuri censebantur. *Quùm longè aliò versa est belli alea.*

Postquam enim, per Pyrenæum saltum, traduci Pœnorum exercitus cæptus est: rumorque per Barbaros manavit, certior, de bello Romano; III. Millia indè Carpetanorum peditum iter averterunt: non tàm belli metu, quàm longinquitate viæ, insuperabilique Alpium transitu deterritorum.

Annibal illos ab se dimissos simulans: alios, quos & ipse gravari militiam, senserat, suprà VII. hominum Mill. domos remisit.

Quùmque ad opidum Illiberim castra locâsset: Galli, quamquam Italiæ bellum inferri audiebant, metu tamen servitutis, quam Hispanis trans montem Annibal imposuerat, ad arma consternati, RVSCINONEM aliquot populi conveniunt.

Sed reguli Gallorum, missis legatis invitati, & castris ad Illiberim exceplò motis; haud gravatè ad Pœnum venientes, capti donis, cum bonâ pace exercitum per fineis suos, præter Ruscinonem, transmisérunt.

BOIORVM INSVBRIVMQVE DEFECTIO.

Galli circumpadani, Boij & Insubres, haud secus ac si Annibal Alpeis iam transisset, cuius adventum avidè exspectabant: rupto federe à Romanis palàm defecére. Nec tam ob veteres in pop. Romanum iras, quàm quòd nuper circà Padum, Placentiam, Cremonamque colonias, in agrum Gallicum deductas, ægrè patiebantur.

Itaque armis repentè arreptis, in eum ipsum agrum impetu facto, tantùm terroris ac tumultûs fecérunt, ut non agrestis modò multitudo; sed ipsi Triumviri Romani, qui ad agrum venerant adsignandum, diffisi Placentiæ mœnibus; Mutinam confugerint.

Qui quùm ibi obsiderentur; & simulari cæptum esset; de pace agi; evocati ab Gallorum Principibus legati ad colloquium, non contrà ius modò gentium, sed violata etiam, quæ data in id tempus erat, fide, comprehenduntur. Negantibus Gallis, *Nisi obsides sibi redderentur, eos se dimissuros.*

Quùm hæc de Legatorum, & præsidij Mutinensis periculo, nuntiata essent; & L. MANLIVS Pr. irâ accensus, effusum agmen ad Mutinam duceret; ipse in loca silvis impedita, & in insidias, præcipitatus, multis militibus & signis amissis, Cannetum vicum, Pado propinquum, se recepit. ibi se muniméntu ad tempus, commeatibusque fluminis, & Brixianorum Gallorum auxilio, adversùs crescentem in dies multitudinem hostium, tutaturus.

Qui tumultus repens postquàm est Romam perlatus; & Punicum insuper Gallico bello auctum Patres accepérunt; C. ATTILIVM Pr. cum unâ legione Romanâ, & V. Millib. sociorum, delectu novo à Cos. conscriptis, auxilium ferre MANLIO iubent. Is sine ullo certamine, (abscesserant enim metu hostes) Cannetum pervénit.

P. verò CORNELIVS, novâ legione in locum eius, quæ missa cum Prætore ATTILIO fuerat, transcriptâ, profectus ab urbe LX. longis navibus, præter oram Etruriæ Ligurumque, & inde Salvum, mox (quincto die) venit Massiliam: & ad proximum ostium Rhodani castra locat. *Vixdum satis credens Annibalem superâsse Pyrenæum.*

Quem ut de Rhodani quoque transitu agitare animadvertit; incertus quonam loco ei occurreret; CCC. interim delectos equites, ducibus Massiliensibus, & auxiliaribus Gallis, ad exploranda omnia præmittit.

Annibal cæteris accolis, aut metu, aut pretio pacatis; iam in Volcarum pervenerat agrum, qui circà utramque Rhodani ripam colunt.

Sed diffisi, citeriore agro arceri Pœnum posse; ut flumen pro munimento haberent, eodem traiecto, ulteriora armis obtinebant.

ANNIBAL ingente vi navium lintriumque coactâ; aut raptim ex obviâ materiâ, fabricatâ, & omnibus satis ad traijciendum comparatis; ut hosteis, qui exadverso terrebant, & omnem ripam viris equisque obtinebant, averteret; HANNONEM, BOMILCARIS F. cum parte copiarum, maximè Hispanis; amne longiùs & occulussime traiecto, agmen circumducere iussit; ut cum facto opus esset, hostem à tergo adoriatur.

Quos simulatque transijsse, & haud procul abesse, fumi indicio, ANNIBAL accepit; suis quoque ad traijciendum signum dedit.

Galli vim quidem facere conati; sed quòd simul è navibus tàm conferta vis armatorum in terram evaderet; & improvisa à tergo HANNONIS acies premeret; ultrò pulsi, quà patére visum maximè iter, perrumpunt; trepidique in vicos passim suos diffugiunt.

ANNIBAL cæteris copijs, & elephantis, per otium traiectis, & spretis Gallorum conatibus; castra locat. Dumque elephanti ratibus vecti transmittunt; ipse interim Numidas equites D. ad castra Romana miserat speculatum, ubi, & quantæ copiæ essent, quidve pararent.

Et quùm isti equitum alæ, missi à SCIPIONE, uti dictum est, ab ostio Rhodani, equites occurrissent; prœlium atrocius, quàm pro numero pugnantium, editur, cæde propè pari.

Fuga nihilominus, & pavor Numidarum, Romanis, iam admodum fessis, victoriam dedit.

Victores, ad CLX. nec omnes Romani, sed pars Gallorum; Victi, verò, ampliùs ducenti, cecidérunt.

Re ita gestâ, ad suum utrique Imperatorem rediérunt.

Nec SCIPIONI stare sententia poterat; nisi ut ex consilijs cæptisque hostis, & ipse pro re natâ conatus caperet.

Et ANNIBALEM animo fluctuantem, utrum cæptum in Italiam intenderet iter; an cum eo, qui primus se obtulisset Romanorum exercitus, manus consereret; averterat à præsenti certamine, Boiorum legatorum, reguliquè MATALI (al. Magili) adventus: qui se itinerum duces, & socios periculorum fore, adfirmantes, integro bello, & nondum libatis viribus, Italiam adgrediendam censebant.

ANNIBAL igitur suos ad invadendam Italiam cohortatus; & adversâ ripâ Rhodani profectus, Mediterranea Galliæ petit. Non quia rectior ad Alpeis via esset; sed quantùm à Mari recessisset, minus obviàm sibi fore Romanum credens; Cum quo, prius quàm in Italiam ventum foret, non erat in animo manus conserere.

Quartis castris ad Insulam pervénit; ubi Arar, Rhodanusque amnes, diversis ex Alpibus (sed Arar ex monte Vogeso) decurrentes, agri aliquantulum amplexi, confluunt in unum.

Accolebant propè Allobroges, gens opibus aut famâ nulli Gallorum inferior. tum discors, regni inter fratres certamine & seditione.

Cuius quidem disceptatio quùm ad ANNIBALEM reiecta esset; ipse regni arbiter factus, maiori, BRANCO, imperium restituit; undè à minore fratre, & cœtu iuniorum, per vim fuerat depulsus.

Ob quòd meritum, commeatu copiâque rerum omnium, & vestimentis est adiutus.

Et quum inde iam Alpeis peteret; non rectâ regione iter instituit; sed ad lævam (veriùs, dextram) in Tricastinos flexit. Indè, per extremam oram Vocontiorum agri, tetendit in Tricorios. haud usquam impeditâ viâ, prius quàm ad Druentiam flumen pervenit, rapidum, & omnium transitu difficillimum.

P. CORNELIUS Coss. triduo ferè postquàm ANNIBAL ab ripâ Rhodani movit, quadrato agmine ad hostium castra venerat, nullam dimicandi moram facturus.

Cæterùm ubi deserta munimenta; nec se facilè, tantùm progressos, adsecuturum videt; ad mare, & ad classem redijt; tuuùs faciliusque ità descendenti ab Alpibus ANNIBALI occursurus.

Ne tamen nuda auxilijs Romanis Hispania esset, quàm provinciam sortitus erat; CN. SCIPIONEM fratrem, cum navibus & magnâ copiarum parte, non ad tutandos modò veteres ibi socios, novosque conciliandos; sed ad pellendum etiam Hispaniâ ASDRUBALEM, dimisit.

Ipse cum admodum exignis copijs Genuam repetit: easque in Galliam Circumpadanam ducit, ut prætoribus, qui iam inibi pugnabant, coniunctus, Italiam ab Annibale defenderet.

ANNIBAL ALPEIS TRANSCENDIT.

ANNIBAL ab Druentia, campestri maximè itinere, cum bonâ pace incolentium ea loca Gallorum, ad Alpeis pervenerat.

Tum ex propinquo visa montium altitudo, nivesque cœlo propè immistæ; cæteraque visu quam dictu fœdiora; terrorem in Pœno milite renovavére.

Et certè non nisi pòst ardua cum montanis, sive Inalpinis gentibus, certamina; cum nivibus, præcipitijsque rupium, luctamina; post ingentem hominum, pecorum & sarcinarum stragem; vix nono die in iugum Alpium perventum est. Idque per invia pleraque; & errores; quos aut ducentium fraus; aut, ubi fides ijs non esset, temerè initæ valles à coniectantibus iter, faciebant.

Biduum in iugis stativa habita. Sed fessis tædio tot malorum militibus, nivis etiam casus, occidente iam sidere Virgiliarum, sive Pleiadum, (circiter Id. Octobr.) ingentem terrorem & moram iniecit.

Et quùm pigritia inter incedendum, ac desperatio in omnium vultu emineret; prægressus signa ANNIBAL, in promontorio quodam, unde longè ac latè prospectus erat, consistere iussis militibus, *Italiam latus ostentat.*

Cæterùm iter multò, quam in adscensu fuerat, difficilius fuit; rupium inviarum, quæ se objiciebant, angustijs aut lubricitate.

Quarum saxa cum cædenda essent, milites arboribus

arboribus circà immanibus detruncatis, struem ingentem lignorum fecére; eamque vento ferente succendérunt; & ardentia iam saxa infuso aceto macerárunt.

Ità torridam incendio rupem ferrò pandunt; & clivos modicis anfractibus ità molliunt, ut non iumenta solùm, sed elephanti etiam deduci possent. Quatriduum circà rupem consumtum.

Sed iumenta propè fame absumebantur, donec ex nudis, aut nive opertis cacuminibus, in inferiora vallium deventum est. Ibi iumenta in pabulum missa; & quies fessis hominibus data triduo. Inde in planum descensum est; & *locis mollioribus, & accolarum ingenijs.*

Hoc maximè modo, & Alpeis intrà quinctumdecimum diem superatæ: & à Carthagine-Novâ in Italiam quincto mense perventum est.

Alpeis transgresso ANNIBALI vix superfuisse ex tanto exercitu pedit. X X. & equitum VI. Mill. perhibentur. Quamquam vero simile fit, multa ex Gallia Transalpinis, & Liguribus, Millia, voluntariorum aut mercenariorum ad eumdem ANNIBALEM, postquam Rhodanum transierat, adfluxisse.

Peropportunè autem, ad principia rerum, Taurinis; (quæ proxima Gallis gens) adversùs Insubreis motum bellum erat. Sed armare exercitum, malè adhuc adfectum, ANNIBAL non poterat.

Ea P. Cornelio Scipioni caussa fuit; quùm Pisas navibus venisset, & exercitum à MANLIO ATTILIOQVE Prætt. accepisset; tironem, & à novis ignominijs (quas à Boijs, ad Mutinam, acceperat) trepidum; ad Padum festinandi; ut cum hoste, nondum refecto, manum consereret.

Sed quùm Placentiam venit; iam ex stativis moverat ANNIBAL: Taurinorumque unam urbem, caput gentis eius, quia volens in amicitiam non veniebat; vi & quidem triduo, expugnárat.

Iunxissetque sibi, non metu solum, sed etiam voluntate Gallos, Padi accolas; ni eos, circumspectanteis defectionis tempus, subitò adventus Coss. oppresisset.

Et is, Pado traiecto, ad Ticinum castra movebat; eumque amnem Ponte iungebat, superimposito castello.

Quo in opere dum occupantur Romani; MAHARBAL cum alâ Numidarum, D. equitibus; sociorum pop. Roman. agros depopulari iussus est; & Gallorum animos ad defectionem solicitare.

Ponte perfecto, traductus Rom. exercitus in agrum Insubrium; V. passuum Mill. à Vico, (Clastidio) in tumolis consédit.

Ibi Annibal castra habebat: revocatoque properè MAHARBALE atque equitibus, quùm instare certamen cerneret; vocat ad concionem milites.

Quos longâ, & acri oratione anteà ad rem strenuè agendam cohortatus; certa præmia promittit; in quorum spem pugnarent.

SCIPIO procuratis prodigijs, quibus Romani nonnihil terreri videbantur; cum equitatu iaculatoribusque expeditis, profectus ad castra hostium, ut ex propinquo copias, quantæ & cuius generis essent, specularetur; obvius fit ANNIBALI, qui & ipse cum equitibus ad exploranda circà loca fuerat progressus.

PRIMA ANNIBALIS PVGNA CVM SCIPIONE.

Vbi inter se propinquárunt, constitit utrimque agmen: & prœlio sese expediebant.

SCIPIO iaculatores & Gallos equites in fronte locat: Romanos, sociorumque quod roboris fuit, in subsidijs.

ANNIBAL frenatos equites in medium accipit; cornua Numidis firmat.

Vixdum clamore sublato; iaculatores fugére, inter subsidia, ad secundam aciem. Indè equitum certamen erat aliquamdiu anceps.

Deinde, quia turbabant equos intermisti pedites, dum multi ex equis laberentur aut desilirent, ubi suos premi circumventos vidissent; iam magnâ ex parte dubia erat pugnæ alea. donec Numidæ, qui in cornibus erant, circumvecti paullulum, ab Romanorum tergo sese ostendére.

Is pavor perculit Romanos: auxitque pavorem, Consulis vulnus. Periculumque ab eo, intercursu tùm primùm pubescentis, & prætextati filij, cognominis, propulsatum. *Et hic erit SCIPIO, qui in exitium Africæ tum crescebat; cognomen ex malis eius habiturus.*

Iaculatoribus, quos primos Numidæ invaserant; effusè fugientibus; alius confertus equitatus, Consulem in medium acceptum; non armis modò, sed corporibus etiam suis protegens, in castra, nusquam trepidè, neque effusè cedendo, reduxit.

SCIPIO, ut campos patenteis, & equitatui, quo melior erat Pœnus, aptos, declinaret; proximâ nocte iussis militibus vasa silentio colligere; castris ab Ticino motis, ad Padum festinavit. ut ratibus, quibus iunxerat flumen, nondum resolutis, sine tumultu atque insectatione hostis, copias traduceret. Priùs Placentiam pervenére, quàm satis sciret ANNIBAL ab Ticino profectos.

Vix biduo locus, rate iungendo flumini, ab ANNIBALE inventus; quà, cum Magone, equites, Hispanorumque expediti, præmissi, ab transitu fluminis, diei unius itinere, Placentiam ad hosteis contendére.

ANNIBAL, qui citrà flumen legationibus Gallorum audiendis moratus, gravius tandem peditum agmen traiecerat; paucis pòst diebus, VI. Millib. pass. à Placentiâ castra communivit. & postero die, in conspectu hostium; acie directâ, potestatem pugnæ fecit.

Insequenti nocte, cædes in castris Romanis, tumultu tamen quàm re maior; ab auxiliaribus Gallis facta est. Ad duo scilicet Millia peditum, & ducenti equites, vigilibus ad Portas trucidatis,

trucidatis, ad ANNIBALEM transfugere. quos Pœnus benignè acceptos, & spe ingentium munerum accensos, in civitates quemque suas, ad sollicitandos popularium animos, dimisit.

SCIPIO cæde eâ, & defectione Gallorum, commotus, quamquam gravis adhuc vulnere erat; quartâ tamen vigiliâ noctis insequentis; tacito agmine profectus ad Trebiam flumen, in loca altiora, collesque equiti impeditiores, castra movet.

Et ni aviditate prædæ in vacua Romanorum castra, Numidæ divertissent; & nullo satis digno moræ pretio, in perscrutandis castrorum locis, tempus trivissent; novissimum utique Romanor. agmen turbari & carpi potuisset.

Scipio adhuc saucius, collegam SEMPRONIUM, quem iussu Senatûs iam revocatum ex Siciliâ audierat; exspectandum ratus; locum, qui propè flumen tutissimus stativis est visus; delectum; communivit.

Nec procul indè ANNIBAL consedit; quantùm victoriâ equestri elatus; tantùm anxius inopiâ, quæ per hosticum euntem, nusquam præparatis commeatibus, maior in dies excipiebat.

Mittit itaque ad Clastidium vicum, quò magnum frumenti numerum congesserant Romani. Et quùm vim ibidem pararent; P. BRUNDISINUS, præsidij præfectus, haud sanè magno proditionis pretio, CD. nummis aureis, (Mill. Coronatis) ANNIBALI Clastidium tradidit. quod Pœnis horreum fuit, ad Trebiam sedentibus.

RES IN SICILIA, ET ALIBI.

Interim, aliâ ex parte, circà Siciliam, Insulasque, Italiæ imminenteis, & à SEMPRONIO Cos. & ante adventum eius, terrâ Marique res gerebantur.

Viginti quinqueremes, cum Mille armatis, ad depopulandam Italiæ oram; à Carthaginiensibus missæ, novem ex ijs Liparas; octo, Insulam VULCANI tenuerunt: treis in fretum avertit æstus.

Ad earum conspectum, duodecim naves ab HIERONE, Syracusarum rege, (qui tum fortè Messanæ Consulem Rom. opperiebatur,) missæ, nullo repugnante captas ex eo numero naveis in Portum Messanæ addnxerunt.

Cognitum ex captivis, XXXV. alias quinqueremeis Siciliam petere, ad solicitandos veteres socios, quæ fortè classis, eâdem tempestate, quâ ipsi, ad Ægateis, Insulam, fit deiecta. Lilybæi occupandi præcipuam ijs curam esse.

His de rebus à rege commonitus AEMILIUS, Siciliæ prætor, necessaria quæque prospicit sedulò, & procurat; ut ad hostium adventum, pars militum in muris Portarumque stationibus; pars in navibus præstò essent.

Carthaginienses de industria morati cursum navium suarum, ut antè lucem sublatis armamentis, accederent Lilybæum; quòd rem sibi fore haud cum imparatis, ex signo è speculis dato; & solemni, AD ARMA, per opidum conclamatione, animadverterent; usque ad lucem Portu se abstinuerunt: sed classem interim ad pugnam aptârunt.

Vbi illuxit; in altum se recepére; ut spatium pugnæ esset; liberumque è Portu exitum naves hostium haberent.

Vbi in altum evecti sunt; Romanus militum multitudine ac virtute fretus, è propinquo vireis conferre, & pugnam conserere velle. Pœnus contrà, qui socijs navalibus adfatim instructam classem, sed milite inopem haberet; eludere, & arte, non vi rem gerere; naviumque, quàm virorum aut armorum, malle certamen facere.

Extemplo VII. naves Punicæ circumventæ; cæteræ fugam cepérunt. M. DCC. fuére in navibus capti, milites nautæque; & in ijs tres nobiles Carthaginiensium.

Classis Romana incolumis, unâ tantùm nave perforatâ; sed ea quoque ipsa cum cæteris, reduce, in Portum redijt.

Secundùm hanc pugnam T. Sempronius Cos. Messanam venit. qui ab eodem Hierone de statu Insulæ, & Carthaginiensium conatis edoctus; & nihil cunctatus, Lilybæum classe petijt.

Et Hierone, qui omnia Romanis officia & subsidia liberaliter pollicebatur, cum regiâ classe inde dimisso, & Prætore ad tuendam Siciliæ oram relicto; ipse in Insulam Melitam; quæ à Carthaginiensibus tenebatur; traiecit.

Advenienti AMILCAR, Gisgonis F. præsidij præfectus, cum paullo minus II. militum Millib. opidumque simul cum Insulâ, traditur. Ipse Lilybæum reversus, captivos, præter insigneis nobilitate viros, sub coronâ vendidit.

Indè ad Insulas Vulcani; ubi stare Punicam classem fama erat; traiecit. Nec quisquam hostium circà eas Insulas inventus.

Iam fortè transmiserant ad vastandam Italiæ oram: depopulatoque Vibonensi agro, in Bruttijs, Vrbem etiam terrebant.

Quod quidem repetenti Siciliam Consuli nuntiatum est; & simul litteræ à Senatu, de Annibalis in Italiam transitu; & ut primo quoque tempore Collegæ ferret auxilium; missæ, traduntur.

Ille multis simul anxius curis, exercitum extemplò in naveis impositum, Ariminum Supero mari. (POLYB. terrestri itinere XL. dierum) misit. & Sex. Pomponio legato cum XXV. longis navibus Vibonensem agrum, maritimamque oram Italiæ tuendam attribuit. M. Aemilio Præt. L. navium classem explevit.

Ipse verò compositis Siciliæ rebus, X. navibus oram Italiæ legens, (POLYB. & Româ transiens) Ariminum pervenit. Inde cum exercitu suo ad Trebiam flumen profectus, Collegæ Scipioni coniungitur.

ALTERA

ALTERA PVGNA AD TREBIAM.

Illis amborum Coss. copijs, iam ANNIBALI oppositis, aut defendi posse Romanum imperium; aut spem nullam aliam esse, satis declarabatur; Tamen Consul alter, equestri prœlio uno, & vulnere suo minutus, trahi rem malebat. Alter recens animi, eoque ferocior, præpropero pugnandi studio flagrabat.

Pœnus, quùm periniquo animo ferret, Gallos, qui Trebiam inter Padumque accolunt, nihil movere, à quibus accitum se venisse, ad liberandum eos, dictitabat: simul ut prædâ militem aleret; 1 s. M. peditum, & M. equites, Numidas Gallosque inter se mixtos, populari omnem deinceps agrum usque ad Padi ripas imperárat.

Egentes ope Galli, cum ad id dubios servassent animos, Legatis ad Coss. missis, adversùs iniuriæ auctores, auxilium Romanorum, terræ, ob nimiam in incolis, erga ipsos, fidei constantiam oppressæ & laboranti, orant.

SCIPIONI nec caussa, nec tempus agendæ rei, placebat, ob gentem multis nominibus suspectam. SEMPRONIVS contrà, continendis in fide socijs maximum vinculum esse, primos, qui coissent, ope defensos, censebat.

Et cunctante collegâ, equitatum suum, & Mille peditum, iaculatoribus fermè admistis, ad defendendum Gallicum agrum, trans Trebiam mittit.

Ij sparsim incompositos, prædâque oneratos populatores nacti, ingentem terrorem, cædemque ac fugam, usque ad castra stationesque hostium, fecere.

Sed effusâ inde multitudine repulsi, rursùs aliquot in subsidium à SEMPRONIO submissis, prœlium restituêre; & variâ pugnâ hostem sunt insecuti, victoribus propiores, quàm victis.

Vndè SEMPRONIVS animo elatus, quâ parte copiarum alter Consul victus foret, eâ se vicisse. Nec quemquam esse, præter collegam, qui dilatam dimicationem vellet. *Nihil esse cur ultrà differatur. & tempus inutiliter teratur. & hostes in mediâ Italiâ, ac propè in conspectu Vrbis, invalescere sinatur.*

Stimulabat & tempus propinquum Comitiorum, ne in novos Consules bellum differretur; & occasio, in se unum vertendæ gloriæ, dum æger collega esset.

Itaque, nequidquam dissentiente CORNELIO, qui consultius fore monebat; *si nuper conscriptus miles, & tiro, per hiemem, præceptis & exercitationibus militaribus imbueretur* (quâ ex morâ minus periculi, aut damni Romanis, quàm Pœnis futurum esset) parari ad propinquum certamen milites iubet.

Hoc ipsum sentiens ANNIBAL, adesse gerendæ rei fortunam haud diffidebat. Et locum insidijs circumspectare cœpit.

MAGONI Mille equites, totidemque pedites attribuit, qui rivum in medio prægltis utrimque clausum ripis, & herbis palustribus vepribusque obsitum, insideant.

Primâ deinde luce Numidas equites, transgressos Trebiam flumen, obequitare iubet hostium Portis; eosque ad pugnam elicere; & iniecto certamine, cedendo sensim citrà flumen pertrahere.

Cæteris postremò equitum peditumque ducibus præceptum; ut prandére omneis iuberent; armatos deinde, instratisque equis signû exspectare.

SEMPRONIVS ad primum tumultum obequitantium Numidarum, primò omnem equitatum; deinde VI. Mill. peditum, ac postremò omneis côpias, (duodeviginti Mill. Romanorum erant: sociûm, nominisque Latini, XX. auxilia, præter Cenomanos) raptim; neque capto antè cibo; ad locum iam antè consilio destinatum, avidus certaminis eduxit.

Erat fortè Brumæ tempus, & dies nivalis: & quidquid auræ fluminis adpropinquabat, vi frigoris acriore adflabatur.

Simul igitur refugienteis Numidas insecuti sunt; & in aquam, quæ tam pectoribus tenùs aucta erat nocturno imbri, ingressi; tum utrique egressis & madentibus rigere omnibus corpora; ut vix armis tenendis essent: & procedente iam die, fame etiam deficere. Cum se ANNIBALIS interim Miles ignibus oleoque fovisset; & per otium cibo procurásset.

Posteaquam itaque transgressos flumen nunciatum est hosteis; ipse alacer animis corporibusque arma cepit, atque in aciem processit.

ANNIBAL Balearibus antè signa locatis, ac levi armaturâ, ad VIII. fermè hominum Millia: graviorem deinde armis peditem, quod virium robur erat; (POLYB. XX. Mill. inter Hispanos atque Afros mixtis Gallis) X. equitum Millib. in cornibus circumfudit.

His utrimque copijs concursum est, prœlio à Balearibus orto.

Romani equites, quùm vix iam per se subsisterent: X. Millib. equitum, ipsi quater Mille, & fessi, plerique integris oppositi; obruebantur insuper velut nube quâdam iaculorum, à Balearibus, levitęrque armatis, sine more, coniectâ.

Ad hoc, elephanti, ab extremis cornibus eminentes, equis maximè, non visu modò, sed odore insolito territis, fugam latè faciebant.

Pedestris pugna par animis magis; quàm viribus erat: quas quidem recenteis Pœnus, paulloantè curatis corporibus, in prœlium attulerat. Romanis contrà ieiuna fessaque corpora, & rigentia gelu, torpebant.

Neque id satis: sed Baleares ijdem, pulso equite, in eorum latera iaculabantur; & elephanti iam in mediam peditum aciem sese intulerant.

MAGO denique, cum suis Numidis à tergo exortus, ingentem tumultum & terrorem faciebat.

Romani, licet multa conati, elephantos verutis coniectis averterent; & sub caudis aversos foderent. quùm tamen ijdem adversùs Gallos auxiliareis ab ANNIBALE agi iussi, haud

dubiam

dubiam fecissent fugam. ut fusa auxilia sua vidérunt, novo terrore consternati, & in orbem utrimque pugnantes, x. Millia fermè hominum, mediâ Afrorum acie, quæ Gallicis auxilijs firmata erat; cum ingenti hostium cæde, perrupére; & Placentiam rectò itinere perrexére.

Maxima exercitûs pars in acie, vel in Trebiæ traiectu, ubi finis insequendi fuit, periére. Pauci flumen transgressi in castra pervenére,

Imber nive mistus, & intoleranda vis frigoris, homines ex ipsis etiam Pœnis permultos, & iumenta; ac elephantos, absque uno, omneis absumsit.

Et sic ijsdem quietis; aut præ lassitudine sentire dissimulantibus, exercitus è castris, transmisso Trebiâ, & tacito agmine ab SCIPIONE Cos. Placentiam traductus est: Et inde, ne duorum exercituum hibernis colonia una premeretur, traiecto Pado, Cremonam.

Romam tantus terror ex hâc clade perlatus est; ut iam-tum infestis signis venturus ad se hostis crederetur. Itâ territis SEMPRONIVS Cos. advenit, non sine periculo, per effusos passim ad prædandum hostium equites, transgressus. Et quod unum in præsentiâ maximè desiderabatur; Comitijs Consularibus habitis, in hiberna rediit.

RES IN HISPANIA PROSPERIVS GESTÆ.

Dum hæc in Italiâ geruntur, Cn. SCIPIO in Hispaniam cum classe & exercitu à fratre missus, quùm ab ostio Rhodani profectus, Pyrenæosque monteis circumvectus, Emporijs adpulisset classem; orsus à Lacetanis, omnem oram usque ad Iberum flumen, partim renovandis societatibus, partim novis instituendis, Romanæ ditionis fecit.

Indè conciliata clementiæ & æquitatis famâ, non ad maritimos modò populos, sed in Mediterraneis quoque ac montanis, ad ferociores iam genteis, invaluit. Ex quibus aliquot auxiliorum cohortes conscriptæ sunt.

HANNO, quem ad regionis eius præsidium ANNIBAL reliquerat, haud inscius; & priusquam alienarentur omnia, obviàm eundum ratus; castris in conspectu hostium positis, suos in aciem eduxit.

Nec Romanus certamen distulit; qui sciret cum HANNONE & ASDRVBALE sibi dimicandum esse: malletque adversùs singulos separatim, quàm adversùs duos simul rem gerere.

Nec magni certaminis ea dimicatio fuit. VI. M. hostium cæsa: II. capta, cum præsidio castrorum: & ipsis, HANNONE Pœnorum; & INDIBILI, Hispanorum, præcisè ducibus.

Scissum (al. Stissum; Cissa, POLYB.) propinquum castris opidum expugnatur. supellex ibi vilis & Barbarica direpta.

Sed castra, non eius modò exercitûs, qui victus erat; sed & eius, qui cum ANNIBALE in Italiâ militabat; quique res omneis caras, uti impedimenta, antè discessum, circà Pyrenæum reliquerat; militem ditavére.

Antè quam certa huius cladis fama accideret, transgressus Iberum ASDRVBAL, cum VIII. pedit. Millib. & Mille equitibus, tamquam ad primum adventum Romanorum occursurus; postquam perditas res, amissaque castra accepit, iter ad Mare convertit. Et haud procul Tarracone, classicos milites, navalesque socios, Romanorum, qui vagi per agros palabantur, magnâ cum cæde & fugâ ad naves compulit. Nec diutiùs circà ea loca morari ausus, ne à SCIPIONE opprimeretur, trans Iberum se recepit.

Et SCIPIO, raptim ad famam novorum hostium agmine accito, quùm in paucos præfectos, classicorum suorum, paullulùm animadvertisset; præsidio Tarraconi modico relicto, Emporias cum classe rediit.

Eo vix digresso, ASDRVBAL adfuit: & Ilergetum populo, qui obsides SCIPIONI dederant, ad defectionem impulso, cum eorum ipsorum Iuventute, fidelium Romanis sociorum agros evastat.

Sed excito hibernis SCIPIONE, hostis cis Iberum Tarraconem versus cedit. Et Romanus agros, ab auctore defectionis relictos, ipsamque Ilergetum gentem, infesto exercitu invadit.

Et compulsis in unum omnibus, Athanagiam urbem, quæ caput eius populi erat; circumsedit: intraque dies paucos, pluribus quàm antè obsidibus imperatis, Ilergetes pecuniâ etiam multatos, in ius ditionemque recepit.

Deinde quùm Ausetanorum urbem obsidéret; Lacetanos, auxilium finitimis ferenteis; & nocte, intrare in urbem conanteis, insidijs excepit. Cæsa ad XII. Mill. reliqui armis exuti, domos quisque suas palabundi diffugére.

Iniqua oppugnantibus hiems obsidionem in XXX. diem protraxit. Et nix, quæ pluteos vineasque Romanorum operuerat; adversùs igneis ab hoste è muris iniectos, tutamentum fuit.

Postremò, cum AMVSITVS eorum Princeps ad ASDRVBALEM effugisset; XX. argenti talentis pacti, deduntur. Et Tarraconem in hiberna reditum est.

PSOPHIS IN ARCADIA A PHILIPPO OBSESSA, ET DEDITA.

PHILIPPVS autem Macedonum rex, partâ, uti diximus, ex Eléis, eorumque duce Euripide, ad Stymphalum, victoriâ, territis hostibus instandum ratus; suas, & quas ARATVS iunior adduxerat, copias, Psophidem ducit; urbem Arcadum antiquissimam, & in Mediterraneo Peloponnesi sitam: velut belli arcem, naturâ & arte, atque adeò eorumdem Eleorum, duce EVRIPIDE qui eo confugerat, præsidio munitam.

Et quò

Et quò locus, si caperetur, Arcadum Achæorumque rebus opportunior visus est; tanto rex maiore studio & contentione illam hosti eripere cupiens, claro die & tribus partibus scalas admovet; & oppidanos, quantumvis non impigre se defensarent, rei novitate, militum robore & constantiâ, & multitudine, inusitatoque genere machinarum territos, à mœnibus in arcem compulit.

Et mox urbe per vim captâ, arx à commeatu rebusque necessarijs inops, factâ civibus simul & advenis liberè abeundi facultate, dedita est. Vtramque rex, non sine manifesto summæ in eos benivolentiæ indicio, Achæi donavit: & Psophidij in urbem, suas quisque domos, tutò reverti permissi.

Lasionenses quoque, præsidiarijs urbem deserentibus, eodem impetu à rege recepti, & ijsdem Achæis concessi. & Stratum, quod Eléi intercepetant, Telphusijs restitutum.

Hinc Olympiam delatus, & sacris consuetis operatus; Eleorum agros populosissimos, & à rebus omnibus instructissimos; & olim, ex communi Græcorum, propter religionem & certamen Olympicum, consensione, tutissimos & liberrimos, incursat; & Thalamo præsertim vico expugnato, ingentem pecorum hominumque ad v. mil. prædam, Olympiam reportat.

APELLIS MACEDONIS IN ACHÆOS INIQVITAS.

APELLES unus ex ijs, quos ANTIGONVS regendæ PHILIPPI regis adolescentiæ admoverat, gratiâ & auctoritate plurimùm apud eum valebat. Is quùm animo agitare cæpisset, quo pacto Achæorum gentem αὐτόνομον in patem cum Thessalis, qui iam toti in Macedonicam erga reges suos obedientiam, servituti adfinem, transierant, conditionis statum adduceret; primùm Macedonibus mandavit, ut tum Achæos, si quæ fortè loca præoccupassent, è stationibus expellerent: & prædâ, quam nacti essent, fraudarent, aut spoliarent. Tum ex ijs refractarios, levi etiam ex caussâ, per ministros verberarent, aut in vincula ducerent.

Sic nuper eosdem Achæos, odio imperij Cleomenici, sub ANTIGONO, ad cuiuslibet molestiæ tolerantiam, adsuevisse.

PHILIPPVS nihilo-minus, rex tum optimis naturæ donis ornatus; & qui solidis virtutibus imperij sui fundamenta iecerat; ab ARATO de iniurijs APELLIS commonitus, illi, nequid in posterum in Achæos, socios & amicos, sine ducis sui sententiâ, statueret, mandavit.

Ipse, motis ex Olympiâ castris, primùm Phariam, deinde Eréam venit: Ibi ponte supra Alphéum constructo, in Triphaliam transmissurus.

Sub idem tempus DORIMACHVS, Ætolorū dux, Eléis, quorum ager vastabatur, eum Ætolis circiter DC. ducem Phylidam, subsidio miserat.

Et is acceptâ ab Eléis mercenariorum & oppidanorum, & aliquot Tarentinorum, ad MD. & eò amplius, manu; in eamdem regionem, (quæ Eleorum & Messeniorum regioni interiecta, x. civitates complectebatur) pervenerat. & Eléis Lepreon; mercenarijs Alipheram tenere iussis; ipse cum Ætolis, Typaneæ considebat.

PHILIPPVS TOTA TRIPHALIA POTITVR. EIVSQVE REGIONIS descriptio.

Ad hanc autem urbem acceders PHILIPPVS, immissis & in collem præruptum, & in mœnia ipsa militibus, primùm urbem vacuam, deinde arcem, quò cives confugerant, deditione cepit.

His cladibus perterriti Triphaliæ populi, de suâ patriæque salute consultare cæperant; quùm PHYLIDAS Typaneâ, direptis antè per summam iniuriam aliquot civium domibus, Lepræum profugit.

Mox Typaneatæ urbem suam PHILIPPO dedidére: & secuti idem exemplum Hipanenses.

Phialenses pariter, deiectis ex urbe Ætolorum piratis, & missis ad regem legatis; seque & urbem in eius potestatem tradidére.

Lepreatę, postquam rex TAVRIONEM cum parte copiarum in Phialiam transmisisset; & ipse cum reliquo exercitu haud longè à se abesset; rem memoratu dignam peregére.

Licet namque PHYLIDAS urbem suam, cum MD. Ætolis, Lacedæmonijs CC. & M. Eléis, præsidij specie, mancipâsset, & arcem insideret; tantâ tamen animi celsitate fuére, ut minimè desperandam, in tam asperâ fortunæ conditione, patriç salutem & libertatem existimàrint.

Quâ constantiâ, & regis adpropinquantis metu, fractus PHYLIDAS, cum Eléis & Lacedæmonijs ex urbe profugit: & eum Ætolis Samicon se recepit. & Lepreatæ ita liberati honestis conditionibus PHILIPPO se permiserunt.

Ipse cum scutatis & levi armaturâ PHYLIDAM persecutus, omnibus illum impedimentis exuit.

Quùmque Samici obsidionem simularet; eâ re territi Elei & Ætoli, acceptâ à rege fide, & oppido tradito; Elim sunt profecti. Idem exemplum reliquæ urbes secutæ, Phryxa, Tylangion, (al. Sylagium) Epion, Bolax, Pyrgos & Epitalion.

Atque eum in modum PHILIPPVS universam Triphaliam, cum aliquot urbibus intra VI. dies, ditioni suæ subiecit.

Inde per Tegeam, Argos profectus, reliquum hiemis ibi transegit.

CHILON LACEDÆMONE TYRANNVS.

Sub idem tempus CHILON Lacedæmonius, ab Heraclidis stemma repetens, eoque sibi prælatum LYCVRGVM iniquè ferens; ad res novas animum adiecit. Et re cum amicis communicatâ, novæ agrorum partitionis spem iniecit.

Sed quùm huic suo instituto maximè adversaturos, LYCVRGVM & magistratus, per quos ille rex fuerat creatus, suspicaretur; hos quidem, simul fortè cœnanteis, de-improviso & crudeliter trucidavit;

filioli, qui nuper ANTIOCHO natus erat, tutorem summâ cum potestate futurum esse speraret; regem ad eam expeditionem, publicè arduam, sed tot nominibus privatim sibi utilem, magis magisque incitavit.

Verùm ARTABAZANES, ætate iam grandis, audaciæ & fortunæ ANTIOCHI in tempore cedendum ratus; cum eodem, quibus ipse vellet legibus, pacem fecit.

Præctereà rex ab APOLLOPHANE medico, ut ab Hermeæ audaciâ insidijsque sibi caveret, monitus; & comperto, plerosque aulæ proceres, idem cum APOLLOPHANE, sentire; illum simulatâ, leniendi oculorum morbi, prodeambulatione, comitem longiùs à castris, militumque conspectu, abductum, per amicos, consilij arcani participeis, interficiendum curavit.

Hic iustus potentiæ, per multa scelera impotenter grassantis, exitus. Eodem namque tempore Apamēæ, feminæ quidem, Vxorem; pueri verò, filios eiusdem Hermeæ contrucidârunt.

3735. 4. Ant. M. 3. Pt. Philop. | *Anno primo Olympiadis CXL. Sive V.C. DXXXV. creati Romæ Coss. M. LIVIVS SALINATOR, & L. AIMILIVS PAVLLVS.* | 215.

BELLVM CVM ILLYRIIS.

(Sub quibus, primus è Medicis, Romam venit è Peloponneso, ARCHAGATHVS, LYSANIÆ F. Plin. l. 29. c. 1.) Et ipsi iterum cum Illyrijs rebellantibus bellum gerere iussi.

DEMETRIVS namque Pharius, Illyriorum Princeps, cum Romanos, hinc Gallorum, inde Carthaginiensium, terrore perculsos, cerneret; iisque relictis, spem in Macedoniæ regibus, ex bello CLEOMENICO sibi obnoxijs, positam haberet; opida Illyrij, quæ Romanis iam-tum parebant, evastabat, aut expugnabat. Et navigijs in Cycladas insulas invectus, subiti turbinis instar, omnia in Ægéo Mari percellebat.

Cognito autem Romanorum adparatu, Dimalum quidem urbem præsidio & commeatu munierat; eiectis verò ex toto Illyrio Romanorũ amicis, cum VI. veteranorũ Millib. Pharum contenderat.

AIMILIVS Cos. Dimalo intrà VII. dies per vim expugnatâ, & Illyrijs vicinis in fidem receptis, adversùs Pharum, DEMETRII regiam, infestus pergit: & hoc astu capit.

Facto per noctem in Insulam cursu, aliquantam copiarum partem in silvâ, densis obsitâ arboribus, collocavit. Et ipse, orto iam die, paucis cum navibus in proximum urbi Portum delatus, exscensionem parabat; quùm DEMETRIVS, contemtâ Romanorum paucitate, cum opidanis effusus, aditu Consulem prohibere, & à litore arcere conatur.

Romani è propinquâ silvâ, audito pugnæ clamore, tempestivè eodem concurrunt: & colle, qui inter urbem & Portum erat munitissimus, occupato, ipsos hosteis reditu in urbem intercludunt.

In quos dum aversi Illyrij confertis agminibus incumbunt; & CONSVL, cum suis, è navibus liberè egressus, eorum tergis instat; DEMETRIANI à fronte & à tergo conclusi, non sine atroci certamine profligantur.

DEMETRIVS lembis, in eum eventum paratis, devectus, ad PHILIPPVM Macedonem profugit: apud quem reliquum ætatis peregit.

Cos. verò AIMILIVS, Pharo potitus, urbem funditùs evertit: & cæteras Illyrij civitates Romano imperio adiungit.

(Addit Liv. lib. 22. PINEVM regem, AGRONIS F. TEVTÆ privignum, stipendia quotannis dare coactum.)

SAGVNTI OBSIDIO IN HISPANIA: ET BELLI II. PVNICI INITIA.

Intereà ANNIBAL Carthagine-Novâ cum omnibus copijs profectus, Saguntum Vrbem Romanis fidam, & opulentam, & virtute militari præstantem, & in libertate communi fœdere exceptam, (Ea ultrà Iberum sita in radicibus montis, qui Hispanos à Celtiberis dividit, circiter M. passib. à mari distabat) totâ vi oppugnabat. Nequid ipse, meditatum pridem bellum in Italiam translaturus, à tergo infestum relinqueret; & Romanis omnem gerendi peregrè in Hispaniâ, belli, spem adimeret.

Vrbem itaque, licet munitissimam & acriter propugnatam, octavo mense cepit: & novis incolis implevit. Pecuniam ibi repertam in belli sumtus seponit; & militibus mancipia largitus, supellectilem pretiosiorem Carthaginem transmittit. Quâ re & militum animos ad subeunda pericula acuit; & à Carthaginiensibus, Romano nomini, pridem infensis, longè ampliorem rerum pro arbitratu gerendarum facultatem obtinuit.

FLOR. addit, IX. mensibus fessos Saguntinos, fame, machinis ferro & igne; versâ denique in rabiem fide, immanem in foro excitâsse rogum: tum desuper se suosque, cum omnibus opibus suis, ferro & igne corrupisse.

Fidei erga Romanos magnum quidem, sed triste monimentum.

Illi, Sociæ urbis casum ægrè ferentes, feciales Carthaginem mittunt; qui, ANNIBALEM, & *præcipuos belli Saguntini auctores, uti fœderis violati reos, dedi sibi postulent: secus, bellum denuntient.*

Tergiver-

Tergiversantibus Pœnis & de iure fœderum disceptantibus, dux legationis, FABIVS; *In hoc*, inquit, *sinu, bellum ego adfero & pacem. Vtrum eligitis; Vtrum placet; sumite.*

Cumque non minus ferociter succlamatum esset; *Vtrum vellet, ipse daret.* Excusso in mediâ Curiâ togæ gremio, non sine horrore, quasi planè sinu bellum ferret, effudit.

Similis, ait Flor. *exitus belli, initio fuit.* Nam quasi has inferias sibi Saguntinorum ultimæ diræ, in isto publico parricidio incendioque, mandássent; ita Mánibus eorum, *vastatione Italiæ, captivitate Africæ, ducum & regum*, qui id gessére bellum, *exitio, parentatum* fuit.

Hanno, in cæteris, æqua à Romanis postulari censebat; sed quòd odio Barcinæ domus, non caritate in patriam, ità sentire videretur, ab omnibus ferè explosus est.

NOVVS MOTVS LACEDÆMONE.

Quùm novi apud Lacedæmonios Ephori creati essent; illi, qui seditionis & cædium antè auctores fuerant, ab Ætolis impetrant; ut MACHATAS legatus ad se mittatur, qui primò *societatem postulet*; deinde suadeat; *ut defuncto iam Cleomene, regem ex Heraclidis eligere pergant.*

Ephori, quibus neutrum placebat; de rege tamen posteà se dispecturos, dixérunt. Populum interea, per maiores natu viros, monent, quot beneficia à Macedonibus; quot iniurias ab Ætolis, accepérint. Caussam itaque non esse, cur fidos ac potenteis socios deserant; & cum infidis Græciæ prædonibus consocientur.

Ità re infectâ dimissus MACHATAS in Ætoliam rediit. Alij, quibus turbæ & latrocinia, & Ætolica societas cordi erat; non modò taciti fremere, & Ephoris obloqui; sed rem maximè nefariam moliri adgressi sunt.

Festo die solebant Ephori quidem in Minervæ Chalcioecæ delubro sacra annua peragere; & Iuvenes in armis, urbe perlustratâ, ad idem fanum accedere.

Cuius templi, ceu Asyli, ea erat religio, ut ne nocentibus quidem, perduellibus aut capite damnatis, vim in eo adferre fas esse ducerent.

Nonnulli ex hisce Iuvenibus, qui armati ludis interesse debebant; præmijs corrupti; constituto tempore, Ephoros ad ipsum altare contrucidárunt: & optimos quosque seniorum, aliosque, qui Ætolicæ societati adversati fuerant, partim iugulárunt; partim in exsilium eiecérunt. Novos ex suis magistratus creant; & cum Ætolis societatem redintegrant.

Et qui triennio ferè, post CLEOMENIS discessum, in liberâ rep. de subrogandis regibus ne cogitárant quidem; atque adeò in CLEOMENE ipso, cuius reditum incredibili desiderio præstolabantur, spem benivolentiæ permagnam habuerant; ubi de eius obitu nuntiatum est; repentè ad regum creationem animos convertérunt.

Et primùm quidem AGESIPOLIM, ætate puerum, AGESIPOLIDIS F. CLEOMBROTI, antè XXVII. ann. in exsilium pulsi, nepotem, legitimè, & eâ lege regem delegére; ut CLEOMENES, CLEOMBROTI F. AGESIPOLIDIS illius germanus, tutoris nomine, patruus, regnum pupilli administraret.

Et licet ex alterâ, regiâ, familiâ, ARCHIDAMO, EVDAMIDÆ Filio, ex HIPPOMEDONTIS filiâ, duo filij; & ipse etiamnum HIPPOMEDON, AGESILAI Filius & EVDAMIDÆ nepos; aliique complures, superessent; ijs posthabitis, LYCVRGVS, ab Heraclidarum stirpe planè alienus, Ephororum cuique talentum largitus; regni & stirpis regiæ titulum emercatus est.

MACHATAS Spartam, rebus ità mutatis nutantem, reversus, facilè eos ad bellum Achæis indicendum impulit.

Et LYCVRGVS, copijs, ex mercenario milite & urbanâ multitudine, coactis, in Argivos nihil tale exspectanteis, insultat. Et repentino impetu Polychnam, Prasiam, Leucam, Cyphantem, aliaque eorum opidula capit; agrumque circum-circà ferro ignique evastat.

MOTVS IN CRETA.

Sub idem tempus, omnis Creta erat in motu. Gnossij Gortynijque, inito inter se fœdere & communibus auspicijs, totam Insulam, exceptis Lyctijs, antiquissimis Lacedæmoniorum colonis, sibi subegerant: & bello adversus eos, qui iugum abnuerant, suscepto, mox inter se diffidere cæpérunt.

Et Polyrenij, Ceretæ, Lampei, Horij atque Arcades, desertis Gnossijs, pro Lyctijs stetére.

Et quùm Gortynij quoque variarent; Gnossij, in re tam inopinatâ, Mille viros ex Ætoliâ, iure societatis, in subsidium arcessivére.

Quo comperto, Gortyniorum seniores, arce extemplò occupatâ, Gnosios simul cum Ætolis introduxérunt; & Iunioribus partim in exsilium eiectis; partim crudeliter interfectis, urbem Gnossijs dedidére.

Deinde, quùm fortè Lyctij universo agmine in hostilem agrum irrupissent; Gnossij urbem eam, præsidio, & custode vacuam, occupárunt; & mulieres cum pueris Gnossum transmisére.

Lyctij ab expeditione reversi, patriæ incensæ & dirutæ fortunam, suorumque vicem lamentis & gemitu tantùm prosecuti; ad Lampæorum urbem se recepére, humaniter & amicè ab ijs accepti. Et pro civibus, profugi licet atque hospites, intrà unius diei spatium, facti, cum socijs bellum adversus Gnosios strenuè perseverabant.

Et initâ vicissim cum PHILIPPO Macedone, & Achæis, Ætolorum hostibus, societate; & impetratis ad DCC. auxiliaribus, auctisque viribus; Eleuthernæos, Cydoniatas, Apteræos, aliosque, à Gnosijs ad se deficere compulérunt.

Et Gorthynij exsules, Phæsti & ipsius Gortynis Portubus occupatis, in suos populareis hostiliter incursabant.

(Tum quoque MITHRIDATES rex, Sinopensibus bellum intulisse: Et his Rhodij commeatum, arma, pecunias, tormenta, aliaque sustinendæ obsidioni necessaria, submisisse memorantur.

BELLVM PHILIPPI CVM ÆTOLIS, ET DARDANIS.

Quùm autem PHILIPPVS rex è Macedoniâ in Thessaliam atque Epirum exercitum duĉtaret; & inde transitum in Ætoliam facere maturaret; DORIMACHVS Ætolus, cum ALEXANDRO, ex Oeanthiâ transmittens, Ægiram, Achæorum urbem, inter Ægium & Sicyonem, ex adverso, sitam; proditione iam ceperat.

Sed dum ad prædam temerè properant Ætoli; ab Ægiratis, qui in arcem confugerant, incredibili animi constantiâ repelluntur; & cum ducibus ipsis, ad internecionem cæduntur.

Dymæi vicissim, Patrenses & Tritæi, ab Eléis & Ætolis, duce eorum EVRIPIDA, bello & excursionibus vexati, & infeliciter præliati; & amisso Muro, (castello, ad prædas agendas hosti opportunissimo) graviora veriti; litteris & legationibus ab Achæis auxilium petunt. ARATVS, ob stipendij inopiam, & suo more, solens, segniùs rem agebat.

At illi spe suâ frustrati, de suo sibi prospiciunt. Decretoque cavent; *ne quam deinceps pecuniam in communis belli usus Achæis penderent*; sed ipsi, contractis CCC. peditibus, & L. equitibus, se patriamque tutarentur.

PHILIPPVS, iam adscitis Epirotis, alijsque auxilijs, in Ambraciotarum regionem pervenerat; in Mediterranea Ætoliæ loca impetum facturus.

Sed ipse ab Epirotis, qui privatum commodum publicæ sociorum utilitati anteponerent, & iam antè Ætolis auxilium polliciti essent; persuasus, ut Ambraeum, ab Ætolis sibi ereptum, priùs reciperaret; positis ibi castris, necessaria ad obsidionem parabat.

Quùm intereà SCOPAS, Ætolorum prætor, aliena invadere, quàm sua tueri, doctior; in Macedoniam, quasi vacuam, usque excurrit. Et cum alia multa, tum maximè Dium, regiam urbem, amœnam, sed minus munitam, & incolis fugientibus desertam; promiscuè, & nullis operibus, neque Gymnasio, neque Templorum Porticibus, aut regum statuis parcens, evastat.

PHILIPPVS verò, Ambraeo intrà XL. dies potitus, traiecto Ambracio sinu, per amiciorem Acarnaniam, devectus; Poetiam, Ætolorum urbem, perendie quam eò venerat, pactione capit. Et cæsis in itinere Ætolis, qui suppetias Poetinis veniebant; castrisque ad Acheloum amnem, haud procul ab urbe Strato, positis, provinciam totam impunè populatur: Metropoli incensâ, & Ithoriâ funditùs eversâ; alijsque opidis & castellis in prædam militi datis.

Hine promoto Oeniadas versùs exercitu, Pæanium expugnavit, & solo æquavit.

Postremo, Clao (al. Elao) munitissimâ urbe potiti Macedones, in Calydoniam vastabundi se effuderunt. & urbem Oeniadarum, uti traiectioni, in Peloponnesum faciendæ, accommodam, cum arce navalibusque instaurârunt.

In his quùm esset PHILIPPVS; & Dardanos, eum finitimos, (quibus velut immortale odium cum Macedonum regibus erat,) facto suorum delectu, & rebus ad bellum paratis, in Macedoniam cogitare audiret; ad sua tutanda animum advertit. & legatis Achæorum, (qui ad Straton opidum occurrerant; & ut iterum transmisso Rhio iter in Elidem verteret, sibique auxilio veniret, postulârant) cum bonâ spe domum remissis, dum summâ celeritate per eadem, quà venerat, loca, revertebatur; & Ambracio sinu ex Acarnaniâ in Epirum transmitteret; DEMETRIVS Pharius, quem victum, & Illyrio expulsum à Romanis diximus; unico lembo occurrit. Eumque rex benignè amplexum, Corinthum, navigare iussit; atq; indè per Thessaliam in Macedoniam proficisci. Ipse in eamdem Macedoniam, ad Vrbem Pellam, se è-vestigio recepit.

Dardani, iam Macedoniæ imminentes, regis, præter exspectationem redeuntis, metu perculsi, exercitu statim dissoluto, diffugêre.

Et quia messis tempus instabat; Philippus missionem militibus suis, ut fruges ex agris perciperent, fecit. ipse reliquum æstatis Larissæ acturus.

Ætoli, consequente autumno, stato comitiorum tempore, Dorymachum prætorem, sive Polemarchum, creârunt. Is statim in supernateis Epirotas copias ducit; non tàm spe prædæ, quàm vindictæ studio, fœdè omnia depopulans.

Dodonæum Iovis fanum omni ornatu spoliat, porticus incendit, sacram denique Ædem evertit. *Adeò Ætoli nec pace, nec bello, quidquam pensi habebant, dum quæstum facerent.*

PHILIPPVS, præcipitante iamtum hieme; & omnibus, ob anni tempestatem, eius in Peloponnesum adventum desperantibus; adscitis V. Popularium gravis armaturæ Millib. ccc. Cretensibus, & CD. circiter equitibus; Larissâ profectus, facto per Thessaliam Eubœamque itinere; inde per Bœotiam, & Megaridem, sub solstitium hibernum, improvisus Corinthum advênit. Clausisque opidi Portis, & custodijs in itinere positis; postridie ARATVM seniorem à Sicyone arcessit. Iuniori, qui tum prætor Achæorum erat, quid fieri velit, quando & quo loco armati convenire debeant, per litteras mandat. Hinc Dioscorium petit, Phliasiorum urbem; & haud longè castra ponit.

CLADES ÆTOLORVM EVRIPIDA DVCE.

Eodem forte tempore EVRIPIDAS, cum duabus Eleorum, (quibus cum Ætolis vetus societas intercedebat) legionibus, & equitibus circiter c. alijsque

aliisque tum Piratis, tum mercenarijs; postquam Dymæos & Pharenseis, Elidi vicinos, aliquamdiu & frustrà vexasset; circâ Brumam, Psophide, sociâ Eleorum in Arcadibus urbe, in quam diverterat, profectus, per Phœnicem & Stymphaliam, in Sicyoniorum agrum incurrit, quasi plus damni ex improviso illaturus; & maiorem ex longinquo terrorem.

Et quum prior ipse per pabulatores Cretenseis, adventum PHILIPPI rescivisset; id dissimulans, & copias sensim inde subducens, de-repente medios in hosteis illapsus vix sensit.

PHILIPPVS namque sub ipsâ Stymphalo, Caphyas versus, iter instituebat: quò loci in armis Achæos convenire mandârat.

Et fortè accidit, ut hinc Macedonum, inde Eleorum, primi ordinis milites, in collis Apeauri, haud procul Stymphaliâ, verticem simul, sed diversâ parte; & alteri alteris ignari, eniterentur.

EVRIPIDAS itaque loci temporisque iniquitate exterritus, fugâ cum paucis arreptâ, per saltus pænè invios, Psophidem evasit. Exercitus verò à duce suo desertus, & rei novitate perculsus, aliquantisper in dubio hæsit.

Et prius quidem, ex armaturæ genere, galearum, Megapolitanos esse rati, confertâ acie procedebant. Deinde, ubi Macedonas propiùs esse compererunt; omnes armis abiectis, se in fugam coniecerunt. Et paucis ità servatis, ad MILL. CC. vivi in potestatem hostis venére: Reliqui, pecudum in morem, trucidati, aut per præcipitia delapsi.

Hoc PHILIPPI factum eò illustrius visum est, quòd famâ eodem tempore, & adventum eius, & victoriam Peloponnesijs enuntiâsset.

ACHÆI REBELLIO, ET CONATVS.

Diversâ ex parte, ACHÆVS, quo tempore ANTIOCHVS adversùs ARTABAZANEM exercitum educebat; ratus, aut regem eâ in provinciâ periturum: aut se antè reditum eius, quì longinquo bello distineretur, impetum; tutò in Syriam facturum; & Cyrrestharum, qui nuper à rege defecerant, ope, regnum illud de-repente occupaturum; maximis cum viribus è Lydiâ fuerat profectus. Quumque Laodicéam Phrygiæ venisset, diadema & regium nomen adsumserat; & continuato in Syriam itinere, haud longè à Lycaoniâ aberat; quùm tumultuari & diffidere ab eo milites cæpere; qui nollent in Antiochum, regem suum, hostiliter educi.

Ille mutatâ in præsens consilij ratione, à cæpto itinere deflexit; & Pisidarum, tanquam rebellium, regionem depopulatus est: distributâque inter milites prædâ, & conciliatâ sibi omnium benivolentiâ, domum remeaverat.

SELEVCIA AB ANTIOCHO OBSESSA ET CAPTA.

Nec seciùs ANTIOCHVS, bello Transeuphratensi defunctus; & domum reversus; ACHÆO per litteras ingratitudinem & perfidiam exprobrat: gravia interminans, ni resipiscat.

Interruptum interim de reciperandâ Cœle-Syriâ consilium repetens; eius expeditionis initium, ex Apollophanis, Medici Seleuciensis, sententiâ, à Seleuciâ ipsâ fecit.

Eam ad Orontis ostia opportunissimo & munitissimo loco sitam, terrâ marique fortiter adgressus; submissis etiam, qui opidanos partim minis terrerent, partim promissis pellicerent: suburbium quidem vi; urbem verò ipsam, alioqui inaccessam, minorum ibi ducum proditione cepit.

(Fuerat ea urbs in potestate ac præsidio regum Ægyptiorum, ex quo PTOL. EVERGETES, ultus casum BERENICES sororis, ducto in Syriam exercitu, eâ potitus est.)

ANTIOCHVS victor, non modo liberis civibus ex pacto, pepercit; sed revocatis etiam in urbem Seleuciensium exsulibus, & remp. & suas cuique fortunas, restituit.

Et quùm indè totâ belli mole in Achæum ferretur; litteris & cohortatione THEODOTI Ætoli, in Syriam revocatur.

Is Ptolemæo fidus, antè biennium, à Syriâ Antiochum fortiter repulerat: sed invidorum apud regem, PHILOPATOREM, calumnijs traductus, præsentissimum vitæ periculum adierat.

Igitur partim odio ac contemtu regis Ptolemæi; partim spe mercedis; quas urbeis in Syriâ obtinebat, Ptolemaidem, Tyrum & alias, cum omni belli navalique adparatu, ANTIOCHO tradidit.

ANTIOCHI IN PTOLEMÆVM EXPEDITIO.

Quumque intereà nuntiatum esset, Ptolemæum clàm Memphim confugisse; omneisque eius copias ad Pelusium cogi, & aditus Nili undique intercludi; ipse ab invadendo quidem Pelusio destitit; sed rapto per provinciam exercitu grassatus, civitates partim vi, partim benivolentiâ adiungere sibi adnitebatur.

PTOLEMÆVS verò muliebri luxu, ac stolido fastu regem agens, & omnia per socordiam susque deque ferri sinens; SOSIBIO & AGATHOCLI totius pænè regni negotia, & habenas commiserat.

Et hi quidem quàm magnâ diligentiâ peritissimos quosque è Græciâ duces, & quamplurimas omnis generis copias, conscriberent; eisque militaris disciplinâ imbuendas accurarent; legatos nihilo minus de pacis conditionibus ad ANTIOCHVM miserunt. Et Cyzicenos, Rhodios, By-

zantios & Ætolos solicitárunt, qui reges scilicet, ad mutuam pacem legationibus exhortarentur: & sic ANTIOCHI conatus, quoad vires sibi vicissim paratæ essent, morarentur.

ANTIOCHVS cum Dura, urbem, diu irrito labore obsedisset: quasi legatorum postulatis id tribueret, sub hiemis initium quadrimestreis inducias pactus, pollicetur insuper se de rei summâ ad æquissimas cum Ægyptio cōditiones descensurum.

MEMORABILIS DE IVRE REGNORVM DISCEPTATIO.

Seleuciæ legatos Alexandrinos, aliosque, comiter audit. ignarus eius adparatûs, qui Alexandriæ interim fiebat: Et militiæ in posterum negligentior, quòd tot locorum in Syriâ & Phœnice potens, speraret Ptolemæum numquam secum in prœlium descendere ausurum.

Atque ut non tàm armis, quam iure, disceptare videretur; prætendebat Syriam, maioribus suis ereptam. (Cuiusprius ANTIGONVS COCLES, deinde SELEVCVS NICANOR, veri iustiq; domini fuissent) sibi, iure hereditario vindicatum venisse.

Reges ipsos, ANTIGONI illius victores, Ptolemæum Lagidam, Cassandrum & Lysimachum, in regnorum inter se partitione, SELEVCO commilitoni Syriam omnem adiudicâsse.

Verùm Alexandrini contrà adferebant; Cœle-Syriam à Ptolemæo Lagidâ, non SELEVCO, sed ANTIGONO ipsi ereptam, iure belli Ægypto adiecisse. Qui SELEVCO totius quidem Asiæ imperium, suis sociorumque regum armis, peperisset; sibi verò, ceu operæ præmium, Syriam & Phœnicen vindicâsset. Iniquè itaque earum regionum possessionem, & Principum sociorum decreto; & annor. LXXX. præscriptione confirmatam, ab ANTIOCHO, SELEVCI abnepote, in dubium revocari.

ACHÆVM, quem fœdere comprehendi Antiochus nollet; non uti rebellem aut proditorem; sed ut adfinem, à Ptolemæo defendi.

In his Legatorum, ultrò citroque commeantium, disceptationibus, hiems inutiliter transacta est.

SVPERSTITIO ROMÆ COMPRESSA.

Quum verò peregrina sacra Romæ paullatim invalescerent; id sapientioribus displicuisse docet factum L. AIMILII PAVLLI Cos. Sub quo cum Senatus ISIDIS & SERAPIDIS fana diruenda censuisset; nemoque ea opificum tangere auderet; ipse, positâ prætextâ, securim arripuit, Templique eius foribus inflixit.



ANNIBALIS IN ITALIAM EXPEDITIO.

3736. 5. Ant. M. 4. Pt. Philop.		214.

ANNIBAL, qui Nova-Carthagine hibernârat, ante quàm ex Hispania discederet; & luctuosam, & iamdiu destinatam Punici belli tempestatem in Italiam, Romanosque effunderet; ut mutuis veluti pignoribus Africam cum Hispaniâ constringeret; in hâc quidem, valida ex Afro milite præsidia; in illâ verò, accita ex Hispanis supplementa collocavit.

Et cum Hispaniæ populis, trans Iberum sitis, fratrem ASDRVBALEM; tum Ilergetibus, Bargusijs, Ausetanis, alijsque, quos, traiecto Ibero, ad Pyrenæum usque montem recèns subegerat; HANNONEM; iusto utrumque cum exercitu, præfecit. & singulis Dena pedit. Mill. equites Millenos attribuit.

Postquam autem nuntij, quos ad explorandos Gallorum animos, & Alpium transitus, cum donis, præmiserat, reversi, satis omnia prospera nuntiâssent: & ea quæ Carthagine cum Romanis legatis acta, decretaque pro se essent, cognovisset; cum reliquis copijs, L. pedit. & equit. circiter IX. Millibus, omnibus durissimâ, inter Hispaniæ genteis, XXIII. annor. militiâ induratis, Pyrenæum transgressus, ad proximum Rhodani ostium contendebat.

Fama est (inquit LIVIVS) in quiete visum ab eo iuvenem divinâ specie, qui se ab Iove diceret ducem in Italiam Annibali missum. Proinde sequeretur; neque usquam à se oculos deflecteret.

Pavidum primò, & nusquam circumspicientem, aut respicientem, secutum: deinde, curâ humani ingenij, cum quidnam id esset, quod respicere vetitus erat, agitaret animo; temperare oculis nequivisse.

Tum vidisse pòst se serpentem, mirâ magnitudine, non sine ingenti arborum ac virgultorum strage, ferri: ac, pòst insequi cum fragore cœli nimbum.

Tum quæ moles ea, quidve prodigij esset, quærentem, audiisse; *Vastitatem Italiæ esse*. Pergeret porrò ire; nec ultrà inquireret. sineretque fata in occulto esse.

ADPARA-

ADPARATVS ROMANORVM CONTRA HANNIBALEM.

Hæc Romæ nuntiata non exiguum patribus terrorem iniecerunt. Et Consules provincias, iam nominatas, sortiri iussi. Ex quibus P. CORNELIO SCIPIONI Hispania; TIBERIO SEMPRONIO Longo Africa cum Siciliâ evenit.

VI. in eum annum decretæ legiones; & sociorum, quantum ipsis videretur, quantaque classis parari posset.

XXIV. pedit. Roman. Mill. scripta sunt; Mill. DCCC. equites.

Sociorum XLIV. pedit. & IV. equit. Mill.

Naves CCXX. quinqueremes, & XX. celoces deductæ.

Eius belli caussâ, supplicatio per urbem habita; & adorati Dij, ut bene ac feliciter eveniret, quod bellum populus Romanus iussisset.

Copiæ autem inter Cos. itâ divisæ.

SEMPRONIO datæ legiones II. (eæ singulæ quaterna erant pedit. Millia, & equites CCC.) Ex sociis, XVI. pedit. Mill. equites Mill. DCCC. Naves longæ CLX. & celoces XII.

Cum his terrestribus, maritimisque copijs, TIB. SEMPRONIVS missus in Siciliam, indè in Africam transmissurus; si ad arcendum Italiâ Pœnum Cos. alter satis esset.

SCIPIONI minus copiarum datum; quia L. MANLIVS prætor, & ipse, cum haud invalido præsidio, in Galliam mittebatur.

Navium maximè SCIPIONI numerus diminutus. LX. quinqueremes datæ. (Neque enim mari venturum, aut eâ parte dimicaturum hostem credebant.) Et II. Romanæ legiones cum suo iusto equitatu. Et XIV. Mill. Sociorum; equitibusque Mill. CC.

Atque hâc apparatus bellici specie SEMPRONIVS quidem Veterem in Africâ Carthaginem; SCIPIO Novam in Hispaniâ obsessuri censebantur. *Quum longè aliò versa est belli alea.*

Postquam enim, per Pyrenæum saltum, traduci Pœnorum exercitus cæptus est: rumorque per Barbaros manavit, certior, de bello Romano; III. Millia indè Carpetanorum peditum iter avertêrunt: non tàm belli metu, quàm longinquitate viæ, insuperabilique Alpium transitu deterritorum.

Annibal illos ab se dimissos simulans: alios, quos & ipse gravari miliriam, senserat, suprà VII. hominum Mill. domos remisit.

Quumque ad oppidum Illiberim castra locâsset: Galli, quamquam Italiæ bellum inferri audiebant, metu tamen servitutis, quam Hispanis trans montem Annibal imposuerat, ad arma consternati, RVSCINONEM aliquot populi conveniunt.

Sed reguli Gallorum, missis legatis invitati, & castris ad Illiberim exceptò motis, haud gravatè ad Pœnum venientes, capti donis, cum bonâ pace exercitum per fineis suos, præter Ruscinonem, transmiserunt.

BOIORVM INSVBRIVMQVE DEFECTIO.

Galli circumpadani, Boij & Insubres, haud secus ac si Annibal Alpeis iam transisset, cuius adventum avidè exspectabant: rupto federe à Romanis palàm defecêre. Nectam ob veteres in pop. Romanum iras, quàm quòd nuper circà Padum, Placentiam, Cremonamque colonias, in agrum Gallicum deductas, ægrè patiebantur.

Itaque armis repentè arreptis, in eum ipsum agrum impetu facto, tantùm terroris ac tumultûs fecerunt, ut non agrestis modò multitudo; sed ipsi Triumviri Romani, qui ad agrum venerant adsignandum, diffisi Placentiæ mœnibus, Mutinam confugerint.

Qui quùm ibi obsiderentur, & simulari cæptum esset, de pace agi; evocati ab Gallorum Principibus legati ad colloquium, non contrà ius modò gentium, sed violata etiam, quæ data in id tempus erat, fide, comprehenduntur. Negantibus Gallis, *Nisi obsides sibi redderentur, eos se dimissuros.*

Quùm hæc de Legatorum, & præsidij Mutinensis periculo, nuntiata essent; & L. MANLIVS Pr. irâ accensus, effusum agmen ad Mutinam duceret; ipse in loca silvis impeditâ, & in insidiàs, præcipitatus, multis militibus & signis amissis, Cannetum vicum, Pado propinquum, se recepit. ibi se munimento ad tempus, commeatibusque fluminis, & Brixianorum Gallorum auxilio, adversùs crescentem in dies multitudinem hostium, tutaturus.

Qui tumultus repens postquam est Romam perlatus; & Punicum insuper Gallico bello auctum Patres accepêrunt; C. ATTILIVM Pr. cum unâ legione Romanâ, & V. Millib. sociorum, delectu novo à Cos. conscriptis, auxilium ferre MANLIO iubent. Is sine ullo certamine, (abscesserant enim metu hostes) Cannetum pervenit.

P. verò CORNELIVS, novâ legione in locum eius, quæ missa cum Prætore ATTILIO fuerat, transcriptâ, profectus ab urbe LX. longis navibus, præter oram Etruriæ Ligurumque, & inde Salyum, mòx (quinctò die) venit Massiliam: & ad proximum ostium Rhodani castra locat. *Vixdum satis credens Annibalem superâsse Pyrenæum.*

Quem ut de Rhodani quoque transitu agitare animadvertit; incertus quonam loco ei occurreret; CCC. interim delectos equites, ducibus Massiliensibus, & auxiliatibus Gallis, ad exploranda omnia præmittit.

Annibal cæteris accolis, aut metu, aut pretio pacatis, iam in Volcarum pervenerat agrum, qui circà utramque Rhodani ripam colunt.

Sed diffisi, citeriore agro arceri Pœnum posse; ut flumen pro munimento haberent, eodem traiecto, ulteriora armis obtinebant.

ANNIBAL ingente vi navium lintriumque coactâ; aut raptim ex obviâ materiâ, fabricatâ, & omnibus satis ad traijciendum comparatis; ut hosteis, qui exadverso terrebant, & omnem ripam viris equisque obtinebant, averteret; HANNONEM, BOMILCARIS F. cum parte copiarum, maximè Hispanis; amne longiùs & occultissimè traiecto, agmen circumducere iussit; ut cum facto opus esset, hostem à tergo adoriatur.

Quos simulatque transijsse, & haud procul abesse, fumi indicio, ANNIBAL accepit; suis quoque ad traijciendum signum dedit.

Galli vim quidem facere conati; sed quòd simul è navibus tàm conferta vis armatorum in terram evaderet; & improvisa à tergo HANNONIS acies premeret; ultrò pulsi, quà patére visum maximè iter, perrumpunt; trepidíque in vicos passim suos diffugiunt.

ANNIBAL cæteris copijs, & elephantis, per otium traiectis, & spretis Gallorum conatibus; castra locat. Dumque elephanti ratibus vecti transmittunt; ipse interim Numidas equites D. ad castra Romana miserat speculatum, ubi, & quantæ copiæ essent, quidve pararent.

Et quùm isti equitum alæ, missi à SCIPIONE, uti dictum est, ab ostio Rhodani, equites occurrissent; prœlium atrocius, quàm pro numero pugnantium, editur, cæde propè pari.

Fuga nihilominus, & pavor Numidarum, Romanis, iam admodum fessis, victoriam dedit.

Victores, ad CLX. nec omnes Romani, sed pars Gallorum; Victi, verò, ampliùs ducentis, cecidérunt.

Re ita gestâ, ad suum utrique Imperatorem rediérunt.

Nec SCIPIONI stare sententia poterat; nisi ut ex consilijs cæptisque hostis, & ipse pro re natâ conatus caperet.

Et ANNIBALEM animo fluctuantem, utrum cæptum in Italiam intenderet iter; an cum eo, qui primus se obtulisset Romanorum exercitus, manus consereret; averterat à præsenti certamine, Boiorum legatorum, reguliique MATALI (al. Magili) adventus: qui se itinerum duces, & socios periculorum fore, adfirmantes, integro bello, & nondum libatis viribus, Italiam adgrediendam censebant.

ANNIBAL igitur suos ad invadendam Italiam cohortatus; & adversâ ripâ Rhodani profectus, Mediterranea Galliæ petit. Non quia rectior ad Alpeis via esset; sed quantùm à Mari recessisset, minus obviàm sibi fore Romanum credens; Cum quo, prius quàm in Italiam ventum foret, non erat in animo manus conserere.

Quartis castris ad Insulam pervénit; ubi Arar, Rhodanusque amnes, diversis ex Alpibus (sed Arar ex monte Vogeso) decurrentes, agri aliquantulum amplexi, confluunt in unum.

Accolebant propè Allobroges, gens opibus aut famâ nulli Gallorum inferior. tum discors, regni inter fratres certamine & seditione.

Cuius quidem disceptatio quùm ad ANNIBALEM reiecta esset; ipse regni arbiter factus, maiori, BRANCO, imperium restituit; undè à minore fratre, & cœtu iuniorum, per vim fuerat depulsus.

Ob quòd meritum, commeatu copiâque rerum omnium, & vestimentis est adiutus.

Et quum indè iam Alpeis peteret; non rectâ regione iter instituit; sed ad lævam (veriùs, dextram) in Tricastinos flexit. Indè, per extremam oram Vocontiorum agri, retendit in Tricorios. haud usquam impeditâ viâ, prius quàm ad Druentiam flumen pervenit, rapidum, & omnium transitu difficillimum.

P. CORNELIUS Coss. triduo ferè postquàm ANNIBAL ab ripâ Rhodani movit, quadrato agmine ad hostium castra venerat, nullam dimicandi moram facturus.

Cæterùm ubi deserta munimenta; nec se facilè, tantùm progressos, adsecuturum videt; ad mare, & ad classem redijt; tutiùs faciliusque ità descendenti ab Alpibus ANNIBALI occursurus.

Ne tamen nuda auxilijs Romanis Hispania esset, quàm provinciam sortitus erat; Cn. SCIPIONEM fratrem, cum navibus & magnâ copiarum parte, non ad tutandos modò veteres ibi socios, novosque conciliandos; sed ad pellendum etiam Hispaniâ ASDRUBALEM, dimisit.

Ipse cum admodum exiguis copijs Genuam repetit: easque in Galliam Circumpadanam ducit, ut prætoribus, qui iam inibi pugnabant, coniunctus, Italiam ab Annibale defenderet.

ANNIBAL ALPEIS TRANSCENDIT.

ANNIBAL ab Druentia, campestri maximè itinere, cum bonâ pace incolentium ea loca Gallorum, ad Alpeis pervenerat.

Tum ex propinquo visa montium altitudo, nivesque cœlo propè immistæ; cæteraque visu quam dictu fœdiora; terrorem in Pœno milite renovavére.

Et certè non nisi pòst ardua cum montanis, sive Inalpinis gentibus, certamina; cum nivibus, præcipitijsque rupium, luctamina; post ingentem hominum, pecorum & sarcinarum stragem; vix nono die in iugum Alpium perventum est. Idque per invia pleraque; & errores; quos aut ducentium fraus; aut, ubi fides ijs non esset, temerè initæ valles à conjectantibus iter, faciebant.

Biduum in iugis stativa habita. Sed fessis tædio tot malorum militibus, nivis etiam casus, occidente iam sidere Virgiliarum, sive Pleiadum, (circiter Id. Octobr.) ingentem terrorem & moram iniecit.

Et quùm pigritia inter incedendum, ac desperatio in omnium vultu emineret; prægressus signa ANNIBAL, in promontorio quodam, unde longè ac latè prospectus erat, consistere iussis militibus, *Italiam latus ostentat.*

Cæterùm iter multò, quam in adscensu fuerat, difficilius fuit; rupium in viarum, quæ se objiciebant, angustijs aut lubricitate.

Quarum saxa cum cædenda essent, milites arboribus

arboribus circà immanibus detruncatis; ſtruem ingentem lignorum fecére; eamque vento ferente ſuccenderunt; & ardentia iam ſaxa infuſo aceto macerárunt.

Ità torridam incendio rupem ferro pandunt; & clivos modicis anfractibus ità molliunt, ut non iumenta ſolùm, ſed elephanti etiam deduci poſſent. Quatriduum circà rupem conſumtum.

Sed iumenta propè fame abſumebantur, donec ex nudis, aut nive opertis cacuminibus, in inferiora vallium deventum eſt. Ibi iumenta in pabulum miſſa; & quies feſſis hominibus data triduo. Inde in planum deſcenſum eſt; & *locis mollioribus, & accolarum ingenijs.*

Hoc maxime modo, & Alpeis intrà quinctumdecimum diem ſuperatæ: & à Carthagine-Novâ in Italiam quincto menſe perventum eſt.

Alpeis tranſgreſſo ANNIBALI vix ſuperfuiſſe ex tanto exercitu pedit. XX. & equitum VI. Mill. perhibentur. Quamquam vero ſimile ſit, multa ex Gallis Tranſalpinis, & Liguribus; Millia, voluntariorum an mercenariorum? ad eumdem ANNIBALEM, pòſtquam Rhodanum tranſierat; adfluxiſſe.

Peropportunè autem, ad principia rerum, Taurinis; (quæ proxima Gallis gens) adversùs Inſubreis motum bellum erat. Sed armare exercitum, malè adhuc adfectum, ANNIBAL non poterat.

Ea P. Cornelio Scipioni cauſſa fuit; quùm Piſas navibus veniſſet, & exercitum à MANLIO ATTILIOQVE Prætt. accepiſſet; tironem, & à novis ignominijs (quas à Boijs, ad Mutinam, acceperat) trepidum; ad Padum feſtinandi; ut cum hoſte, nondum refecto, manum conſereret.

Sed quùm Placentiam venit; iam ex ſtativis moverat ANNIBAL: Taurinorumque unam urbem, caput gentis eius, quia volens in amicitiam non veniebat; vi & quidem triduo, expugnárat.

Iunxiſſetque ſibi, non metu ſolum, ſed etiam voluntate Gallos, Padi accolas; ni eos, circumſpectanteis defectionis tempus, ſubitò adventus Coſſ. oppreſsiſſet.

Et is, Pado traiecto, ad Ticinum caſtra movebat; eumque amnem Ponte iungebat, ſuperimpoſito caſtello.

Quo in opere dum occupantur Romani; MAHARBAL cum alâ Numidarum, D. equitibus; ſociorum pop. Roman. agros depopulari iuſſus eſt; & Gallorum animos ad defectionem ſolicitare.

Ponte perfecto, traductus Rom. exercitus in agrum Inſubrium, V. paſſuum Mill. à Vico, (Claſtidio) in tumulis conſédit.

Ibi Annibal caſtra habebat: revocatoque properè MAHARBALE atque equitibus, quùm inſtare certamen cerneret, vocat ad concionem milites.

Quos longâ, & acri oratione anteà ad rem ſtrenuè agendam cohortatus; certa præmia promittit, in quorum ſpem pugnarent.

SCIPIO procuratis prodigijs, quibus Romani nonnihil terreri videbantur; cum equitatu iaculatoribuſque expeditis, profectus ad caſtra hoſtium, ut ex propinquo copias, quantæ & cuius generis eſſent, ſpecularetur; obvius fit ANNIBALI, qui & ipſe cum equitibus ad exploranda circà loca fuerat progreſſus.

PRIMA ANNIBALIS PVGNA CVM SCIPIONE.

Vbi inter ſe propinquárunt, conſtitit utrimque agmen: & prœlio ſeſe expediebant.

SCIPIO, iaculatores & Gallos equites in fronte locat: Romanos, ſociorumque quod roboris fuit, in ſubſidijs.

ANNIBAL frenatos equites in medium accipit; cornua Numidis firmat.

Vixdum clamore ſublato; iaculatores fugére, inter ſubſidia, ad ſecundam aciem. Indè equitum certamen erat aliquamdiu anceps.

Deinde, quia turbabant equos intermiſti pedites, dum multi ex equis laberentur aut deſilirent, ubi ſuos premi circumventos vidiſſent; iam magnâ ex parte dubia erat pugnæ alea. donec Numidæ, qui in cornibus erant, circumvecti paullulum, ab Romanorum tergo ſeſe oſtendére.

Is pavor perculit Romanos: auxitque pavorem, Conſulis vulnus. Periculumque ab eo, intercurſu tùm primùm pubeſcentis, & prætextati filij, cognominis, propulſatum. *Et hic erit SCIPIO, qui in exitium Africæ tum creſcebat; cognomen ex malis eius habiturus.*

Iaculatoribus, quos primos Numidæ invaſerant; effuſè fugientibus; alius confertus equitatus, Conſulem in medium acceptum; non armis modò, ſed corporibus etiam ſuis protegens, in caſtra, nuſquam trepidè, neque effuſè cedendo, reduxit.

SCIPIO, ut campos patenteis, & equitatui, quo melior erat Pœnus, aptos, declinaret; proximâ nocte iuſſis militibus vaſa ſilentio colligere; caſtris ab Ticino motis, ad Padum feſtinavit. ut ratibus, quibus iunxerat flumen, nondum reſolutis, ſine tumultu atque inſectatione hoſtis, copias traduceret. Prius Placentiam pervenére, quàm ſatis ſciret ANNIBAL ab Ticino profectos.

Vix biduo locus, rate iungendo flumini, ab ANNIBALE inventus; quà, cum Magone, equites, Hiſpanorumque expediti, præmiſſi, ab tranſitu fluminis, diei unius itinere, Placentiam ad hoſteis contendére.

ANNIBAL, qui citrà flumen legationibus Gallorum audiendis moratus, gravius tandem peditum agmen traiecerat; paucis pòſt diebus, VI. Millib. paſſ. à Placentiâ caſtra communivit. & poſtero die, in conſpectu hoſtium, acie directâ, poteſtatem pugnæ fecit.

Inſequenti nocte, cædes in caſtris Romanis, tumultu tamen quàm re maior, ab auxiliaribus Gallis facta eſt. Ad duo ſcilicet Millia peditum, & ducenti equites, vigilibus ad Portas

trucidatis,

trucidatis, ad ANNIBALEM transfugére. quos Pœnus benignè acceptos, & spe ingentium munerum accensos, in civitates quemque suas, ad sollicitandos popularium animos, dimisit.

SCIPIO cæde eâ, & defectione Gallorum, commotus, quamquam gravis adhuc vulnere erat; quartâ tamen vigiliâ noctis insequentis, tacito agmine profectus ad Trebiam flumen, in loca altiora, collesque equiti impeditiores, castra movet.

Et ni aviditate prædæ in vacua Romanorum castra, Numidæ divertissent; & nullo satis digno moræ pretio, in perscrutandis castrorum locis, tempus trivissent; novissimum utique Romanor. agmen turbari & carpi potuisset.

Scipio adhuc saucius, collegam SEMPRONIVM, quem iussu Senatûs iam revocatum ex Siciliâ audierat; exspectandum ratus; locum, qui propè flumen tutissimus stativis est visus, delectum, communivit.

Nec procul indè ANNIBAL consedit; quantùm victoriâ equestri elatus; tantùm anxius inopiâ. quæ per hosticum euntem, nusquam præparatis commeatibus, maior in dies excipiebat.

Mittit itaque ad Clastidium vicum, quò magnum frumenti numerum congesserant Romani. Et quùm vim ibidem pararent; P. BRVNDISINVS, præsidij præfectus, haud sanè magno proditionis pretio, CD. nummis aureis, (Mill. Coronatis) ANNIBALI Clastidium tradidit. quod Pœnis horreum fuit, ad Trebiam sedentibus.

RES IN SICILIA, ET ALIBI.

Interim, aliâ ex parte, circà Siciliam, Insulasque, Italiæ imminenteis, & à SEMPRONIO Cos. & antè adventum eius, terrâ Marique res gerebantur.

Viginti quinqueremes, cum Mille armatis, ad depopulandam Italiæ oram, à Carthaginiensibus missæ; novem ex ijs Liparas; octo; Insulam VVLCANI tenuérunt: treis in fretum avertit æstus.

Ad earum conspectum, duodecim naves ab HIERONE, Syracusarum rege, (qui tum fortè Messanæ Consulem Rom. opperiebatur,) missæ; nullo repugnante captas ex eo numero naveis in Portum Messanæ adduxérunt.

Cognitum ex captivis, XXXV. alias quinqueremeis Siciliam petere. ad solicitandos veteres socios. quæ fortè classis, eâdem tempestate, quâ ipsi, ad Ægateis, Insulam, sit deiecta. Lilybæi occupandi præcipuam ijs curam esse.

His de rebus à rege commonitus AIMILIVS, Siciliæ prætor, necessaria quæque prospicit sedulò, & procurat; ut ad hostium adventum, pars militum in muris Portatumque stationibus; pars in navibus præstò essent.

Carthaginienses de-industria morati cursum navium suarum, ut antè lucem sublatis armamentis, accederent Lilybæum; quòd rem sibi fore haud cum imparatis, ex signo è speculis dato; & solemni, AD ARMA, per opidum conclamatione, animadvertérent; usque ad lucem Portu se abstinuérunt: sed classem interim ad pugnam aptárunt.

Vbi illuxit; in altum se recepére; ut spatium pugnæ esset; liberumque è Portu exitum naves hostium haberent.

Vbi in altum evecti sunt; Romanus militum multitudine ac virtute fretus, è propinquo viceis conferre, & pugnam conserere velle. Pœnus contrà, qui socijs navalibus adfatim instructam classem, sed milite inopem haberet; eludere, & arte, non virem gerere: naviumque, quàm virorum aut armorum, malle certamen facere.

Extemplo VII. naves Punicæ circumventæ; ceteræ fugam cepérunt. M. DCC. fuére in navibus capti, milites nautæque; & in ijs tres nobiles Carthaginiensium.

Classis Romana incolumis, unâ tantùm nave perforatâ; sed ea quoque ipsa cum ceteris, reduce, in Portum redijt.

Secundùm hanc pugnam T. Sempronius Cos. Messanam venit. qui ab eodem Hierone de statu Insulæ, & Carthaginiensium conatis edoctus; & nihil cunctatus, Lilybæum classe petijt.

Et Hierone; qui omnia Romanis officia & subsidia liberaliter pollicebatur; cum regiâ classe indè dimisso, & Prætore ad tuendam Siciliæ oram relicto; ipse in Insulam Melitam; quæ à Carthaginiensibus tenebatur; traiecit.

Advenienti AMILCAR, Gisgonis F. præsidij præfectus, cum paullo minus II. militum Millib. opidumque simul cum Insulâ, traditur. Ipse Lilybæum reversus, captivos; præter insigneis nobilitate viros, sub coronâ vendidit.

Indè ad Insulas Vulcani; ubi stare Punicam classem fama erat; traiecit. Nec quisquam hostium circà eas Insulas inventus.

Iam fortè transmiserant ad vastandam Italiæ oram: depopulatoque Vibonensi agro, in Bruttijs, Vrbem etiam terrebant.

Quod quidem repetenti Siciliam Consuli nuntiatum est; & simul litteræ à Senatu, de Annibalis in Italiam transitu; & ut primo quoque tempore Collegæ ferret auxilium; missæ, traduntur.

Ille multis simul anxius curis, exercitum extemplò in naveis impositum, Ariminum Supero mari (POLYB. terrestri itinere XL. dierum) mittit; & Sex. Pomponio legato cum XXV. longis navibus Vibonensem agrum, maritimamque oram Italiæ tuendam attribuit. M. Aimilio Præt. L. navium classem explevit.

Ipse verò compositis Siciliæ rebus, X. navibus oram Italiæ legens, (POLYB. & Româ transiens) Ariminum pervenit. Inde cum exercitu suo ad Trebiam flumen profectus, Collegæ Scipioni coniungitur.

ALTERA

ALTERA PVGNA AD TREBIAM.

Illis amborum Coss. copijs, iam ANNIBALI oppositis, aut defendi posse Romanum imperium; aut spem nullam aliam esse, satis declarabatur; Tamen Consul alter, equestri prœlio uno, & vulnere suo minutus, trahi rem malebat. Alter recens animi, eoque ferocior, præpropero pugnandi studio flagrabat.

Pœnus, quùm periniquo animo ferret, Gallos, qui Trebiam inter Padumque accolunt, nihil movere, à quibus accitum se venisse, ad liberandum eos, dictitabat: simul ut prædâ militem aleret; II. M. peditum, & M. equites, Numidas Gallosque inter se mixtos, populari omnem deinceps agrum usque ad Padi ripas imperârat.

Egentes ope Galli, cum ad id dubios servassent animos, Legatis ad Coss. missis, adversùs iniuriæ auctores, auxilium Romanorum, terræ, ob nimiam in incolis, erga ipsos, fidei constantiam oppressæ & laboranti, orant.

SCIPIONI nec caussa, nec tempus agendæ rei, placebat, ob gentem multis nominibus suspectam. SEMPRONIVS contrà, continendis in fide socijs maximum vinculum esse, primos, qui coissent, ope defensos, censebat.

Et cunctante collegâ, equitatum suum, & Mille peditum, iaculatoribus fermè admistis, ad defendendum Gallicum agrum, trans Trebiam mittit.

Ij sparsim incompositos, prædâque oneratos populatores nacti, ingentem terrorem, cædemque ac fugam, usque ad castra stationesque hostium, fecêre.

Sed effusâ inde multitudine, repulsi, rursùs aliquot in subsidium à SEMPRONIO submissis, prœlium restituere; & variâ pugnâ hostem sunt insecuti, victoribus propiores, quàm victis.

Vndè SEMPRONIVS animo elatus, quâ parte copiarum alter Consul victus foret, eâ se vicisse. Nec quemquam esse, præter collegam, qui dilatam dimicationem vellet. *Nihil esse cur ulteriù differatur, & tempus inutiliter teratur. & hostis in mediâ Italiâ, ac propè in conspectu Vrbis, invalescere sinatur.*

Stimulabat & tempus propinquum Comitiorum, ne in novos Consules bellum differretur; & occasio, in se unum vertendæ gloriæ, dum æger collega esset.

Itaque, nequidquam dissentiente CORNELIO, qui consultius fore monebat; *si nuper conscriptus miles, & tiro, per hiemem, præceptis & exercitationibus militaribus imbueretur:* (quâ ex morâ minus periculi, aut damni Romanis, quàm Pœnis futurum esset) parari ad propinquum certamen milites iubet.

Hoc ipsum sentiens ANNIBAL, adesse gerendæ rei fortunam haud diffidebat. Et locum insidijs circumspectare cœpit.

MAGONI Mille equites, totidemque pedites attribuit, qui rivum in medio prealtis utrimque clausum ripis, & herbis palustribus vepribusque obsitum, insideant.

Primâ deinde luce Numidas equites, transgressos Trebiam flumen, obequitare iubet hostium Portis; eosque ad pugnam elicere; & iniecto certamine, cedendo sensim citrà flumen pertrahere.

Cæteris postremò equitum peditumque ducibus præceptum; ut prandere omneis iuberent; armatos deinde, instratisque equis signū exspectare.

SEMPRONIVS ad primum tumultum obequitantium Numidarum, primò omnem equitatum; deinde VI. Mill. peditum, ac postremò omneis copias, (duodeviginti Mill. Romanorum erant: sociûm, nominisque Latini, XX. auxilia, præter Cenomanos) raptim; neque capto antè cibo; ad locum iam antè consilio destinatum, avidus certaminis eduxit.

Erat fortè Brumæ tempus, & dies nivalis: & quidquid auræ fluminis adpropinquabat, vi frigoris acriore adflabatur.

Simul igitur refugienteis Numidas insecuti sunt; & in aquam, quæ iam pectoribus tenùs aucta erat nocturno imbri, ingressi; tum utrique egressis & madentibus rigere omnibus corpora; ut vix armis tenendis essent: & procedente iam die, fame etiam deficere. Cum se ANNIBALIS interim Miles ignibus oleoque fovisset; & per otium cibo procurâsset.

Posteaquam itaque transgressos flumen nunciatum est hosteis; ipse alacer animis corporibusque arma cepit, atque in aciem processit.

ANNIBAL Balearibus antè signa locatis, ac levi armaturâ, ad IIX. fermè hominum Millia: graviorem deinde armis peditem, quod virium robur erat; (POLYB. XX. Mill. inter Hispanos atque Afros mixtis Gallis) X. equitum Millib. in cornibus circumfudit.

His utrimque copijs concursum est, prœlio à Balearibus orto.

Romani equites, quùm vix iam per se subsisterent: X. Millib. equitum, ipsi quater Mille, & fessi, plerique integris oppositi; obruebantur insuper velut nube quâdam iaculorum, à Balearibus, leviterque armatis, sine more, coniectâ.

Ad hoc, elephanti, ab extremis cornibus eminentes, equis maximè, non visu modò, sed odore insolito territis, fugam latè faciebant.

Pedestris pugna par animis magis, quàm viribus erat: quas quidem recenteis Pœnus, paulò antè curatis corporibus, in prœlium attulerat. Romanis contrà ieiuna fessaque corpora; & rigentia gelu, torpebant.

Neque id satis: sed Baleares ijdem, pulso equite, in eorum latera iaculabantur; & elephanti iam in mediam peditum aciem sese intulerant.

MAGO denique, cum suis Numidis à tergo exortus, ingentem tumultum & terrorem faciebat.

Romani, licet multa conati, elephantos verutis coniectis averterent; & sub caudis aversos foderent. quùm tamen ijdem adversùs Gallos auxiliareis ab ANNIBALE agi iussi, haud dubiam

Et quò locus, si caperetur, Arcadum Achæorumque rebus opportunior visus est; tanto rex maiore studio & contentione illam hosti eripere cupiens, claro die & tribus partibus scalas admovet; & opidanos, quantumvis non impigre se defensarent, rei novitate, militum robore & constantiâ, & multitudine, inulitatoque genere machinarum territos, à mœnibus in arcem compulit.

Et mox urbe per vim captâ, arx à commeatu rebusque necessarijs inops, factâ civibus simul & advenis liberè abeundi facultate, dedita est. Vtramque rex, non sine manifesto summæ in eos benivolentiæ indicio, Achæi donavit: & Psophidij in urbem, suas quisque domos, tutò reverti permissi.

Lalionenses quoque, præsidiarijs urbem deserentibus, eodem impetu à rege recepti, & ijsdem Achæis concessi. & Stratum, quod Eléi intercepe-rant, Telphusijs restitutum.

Hinc Olympiam delatus, & sacris consuetis operatus; Eleorum agros populosissimos; & à rebus omnibus instructissimos; & olim, ex communi Græcorum, propter religionem & certamen Olympicum, consensione, tutissimos & liberrimos, incursat; & Thalamo præsertim vico expugnato, ingentem pecorum hominumque ad v. mil. prædam, Olympiam reportat.

APELLIS MACEDONIS IN ACHÆOS INIQVITAS.

Apelles unus ex ijs, quos Antigonus regendæ Philippi regis adolescentiæ admoverat, gratiâ & auctoritate plurimùm apud eum valebat. Is quùm animo agitare cœpisset, quo pacto Achæorum gentem συνέγγυμον, in parem cum Thessalis, qui iam toti in Macedonicam erga reges suos obedientiam, servituti adfinem, transierant, conditionis statum adduceret; primùm Macedonibus mandavit, ut tum Achæos, si quæ fortè loca præoccupassent, è stationibus expellerent: & prædâ, quam nacti essent, fraudarent, aut spoliarent. Tum ex ijs refractarios, levi etiam ex caussâ, per ministros verberarent, aut in vincula ducerent.

Sic nuper eosdem Achæos, odio imperij Cleomenici, sub Antigono, ad cuiuslibet molestiæ tolerantiam, adsuevisse.

Philippus nihilo-minus, rex tum optimis naturæ donibus ornatus; & qui solidis virtutibus imperij sui fundamenta iecerat; ab Arato de iniurijs Apellis commonitus, illi, nequid in posterum in Achæos, socios & amicos, sine ducis sui sententiâ, statueret, mandavit.

Ipse, motis ex Olympiâ castris, primùm Phariam, deinde Eréam venit: Ibi ponte supra Alphéum constructo, in Triphaliam transmissurus.

Sub idem tempus Dorimachus, Ætolorũ dux, Eléis, quorum ager vastabatur, cum Ætolis circiter nc. ducem Phylidam, subsidio miserat.

Eris acceptâ ab Eléis mercenariorum & opidanorum, & aliquot Tarentinorum, ad mn. & eò ampliùs, manu; in eamdem regionem, (quæ Eleorum & Messeniorum regioni intericcta, x. civitates complectebatur) pervenerat. & Eléis Lepréon; mercenarijs Alipheream tenere iussis; ipse cum Ætolis, Typaneæ considebat.

PHILIPPVS TOTA TRIPHALIA POTITVR. EIVSQVE REGIONIS descriptio.

Ad hanc autem urbem accedens Philippus, immissis & in collem præruptum, & in mœnia ipsa militibus, primùm urbem vacuam; deinde arcem, quò cives confugerant, deditione cepit.

His cladibus perterriti Triphaliæ populi, de suâ patriæque salute consultare cœperant; quùm Phylidas Typaneâ, direptis antè per summam iniuriam aliquot civium domibus, Lepræum profugit.

Mox Typaneatæ urbem suam Philippo dedidére; & secuti idem exemplum Hipanenses.

Phialenses pariter, deiectis ex urbe Ætolorum piratis, & missis ad regem legatis; seque & urbem in eius potestatem tradidére.

Lepreatę, postquam rex Taurionem cum parte copiarum in Phialiam transmisisset; & ipse cum reliquo exercitu haud longè à se abesset; rem memoratu dignam perégére.

Licet namque Phylidas urbem suam, cum md. Ætolis, Lacedæmonijs cc. & m. Eléis, præsidij specie, mancipásset, & arcem insideret; tantâ tamen animi celsitate fuére, ut minimè deserendam, in tam asperâ fortunæ conditione, patriç salutem & libertatem existimárint.

Quâ constantiâ, & regis adpropinquantis metu, fractus Phylidas, cum Eléis & Lacedæmonijs ex urbe profugit: & cum Ætolis Samicon se recepit. & Lepreatæ ita liberati honestis conditionibus Philippo se permisérunt.

Ipse cum scutatis & levi armaturâ Phylidam persecutus, omnibus illum impedimentis exuit.

Quùmque Samici obsidionem simularet; eâ reterriti Elei & Ætoli, acceptâ à rege fide, & opido tradito; Elim sunt profecti. Idem exemplum reliquæ urbes secutæ, Phryxa, Tylangion, (al. Stylagium) Epion, Bolax, Pyrgos & Epitalion.

Atque eum in modum Philippus universam Triphaliam, cum aliquot urbibus intra vi. dies, ditioni suæ subiecit.

Inde per Tegéam, Argos profectus, reliquum hiemis ibi transegit.

CHILON LACEDÆMONE TYRANNVS.

Sub idem tempus Chilon Lacedæmonius, ab Heraclidis stemma repetens, eoque sibi prælatum Lycurgum iniquè ferens; ad res novas animum adiecit. Ere cum amicis communicatâ, novæ agrorum partitionis spem iniecit.

Sed quùm huic suo instituto maximè adversaturos, Lycurgum & magistratus, per quos ille rex fuerat creatus, suspicaretur; hos quidem, simul fortè cœnanteis, de-improviso & crudeliter tru-

eidavit; illum verò facto agmine domi obsedit. Qui amicorum ope clam elapsus, Pellenen migravit.

Deinde Tyrannus CHILON in forum progressus, adversarijs omnibus manus iniecit. Quùmque eius facti indignitate irritatos in se civium animos perspexisset; ex urbe egressus, solus & exul in Achaiam occultis itineribus pervénit.

Lacedæmonij nihilo-minus veriti PHILIPPI adventum, opida sua præsidijs rebusque necessarijs communivére; & Athenæum Megapolitanorum, locum opportunum, funditùs evertére.

APELLIS MALITIA, ET ARATI CONSTANTIA.

APELLES ille, quò inceptum suum de Achæis in ordinem redigendis perficeret; & ARATI, qui maximè adversari putabatur, auctoritatem, quâ ille & apud regem, & in vulgum pollebat, imminueret; non modò PHILIPPVM iterùm monere ausus est: *Ita Græcos in libertatem adserendos, ut dignitatem suam ipse proditum non eat.* Moderandam utriusque ARATI potentiam; quæ regibus gravis, & civibus sæpè sit exitiosa.

Sed ex Achæis eos etiam, qui diversæ ab ARATO factionis essent, ad amicitiam suam pellicere; & de Prætore, ex eâdem factione, proximis comitijs, deligendo, agitare.

Quo felle imbutus PHILIPPVS, qui ARATI virtutem hactenus suspexerat & foverat; deinceps eiusdem æmulis auscultans, comitiorum tempore, (circa Pleiadum ortum, mense Aprili) Ægium profectus, TIMOXENO, quem ARATVS nominárat, reiecto; EPERATO Pharæensi, cuius imperitiam & segnitiem idem ARATVS, innocentiæ nomine, texerat aut dissimulárat; præturam dandam curavit.

Et motis Ægio castris, castellum, quod Murum incolæ vocant; quodque multo-antè EVRIPIDES interceperat; Eléis pulsis, receptum, Dymensibus restituit.

APELLES primo conatu non contentus, alteram calumniæ tragulam ARATO impingere contendit. hoc initio.

AMPHIDAMVS Eleorum dux, in villâ, quam Thalamum suprà nominavimus, captus, & Olympiam traductus, impetrato regis adloquio, posse se aiebat, si dimitteretur, Eléos in regis amicitiam societatemque adducere.

Gratis ille dimissus; & regiam gratiam, libertatem & immunitatem, Eléis renuntiare iussus, non persuaserat.

APELLES ARATVM, & eiusdem factionis Achæos, qui sinceram enm rege Macedonibusque amicitiam non colant; neque è re Peloponnesiorum esse, ut PHILIPPVS Eleis dominetur, iudicent; in caussâ fuisse, incusat, cur Eléi pacis conditiones sint adspernati.

Sed hæc calumnia per ipsum AMPHIDAMVM, qui desertis Eléis Olympiam ad regem redierat, detecta est: & rex ARATVM falsò ab APELLE insimulatum deprehendit.

Ex primarijs regiæ Aulæ ministris, LEONTIVM Cetratorum, & MEGACLEAM scribarum præfectos, ob morum similitudinem, sibi APELLES facilè sociárat, sed TAVRIONI Peloponnesi præfecturam, & ALEXANDRO regij corporis custodiam invidebat. quos quo minus locis suis moveret, sola ARATI prudentia obsistebat.

PHILIPPVS namque EPERATI vecordiam ignaviamque te ipsâ expertus, & errorem in delectu agnoscens, utrumque ARATVM ad se evocat; culpam facti in APELLEM LEONTIVMQVE confert; & in posterum meliora pollicetur.

Ipsi vicissim, indicto Sicyonem conventu, regi, summâ commeatuum & pecuniarũ inopiâ laboráti, suâ apud Achæos gratiâ & intercessione, impetrant & procurant, ut quinquagena quidem in præsens talenta; sive trimestre militibus stipendium; & x. modiorum frumenti millia persolverentur. In posterum verò, quamdiu in Peloponneso rex imperfonatus bellum gereret; septena-dena in mensem talenta.

MARITIMA PHILIPPI EXPEDITIO.

PHILIPPO, cui cum Ætolis, Eléis & Lacedæmonijs, eodem tempore, bellum erat; simul copiæ ex hibernis præstò fuere; visum est, maritimâ expeditione in hosteis, magno inter se locorum spatio dissitos, insultare. & mutui auxilij spem intercidere.

Naveis Achæorum, & suas, in Lechæo, Corinthiorum portu, cogit: ibique milites remigio exercendos curat.

TACITA ET INTESTINA IN EVMDEM CONIVRATIO.

APELLES, cum LEONTIO & MEGACLEA, dummodo inimici interciderent, PHILIPPVM etiam perditum iam cupiebant; & inter se coniurant. ut hi duo, pro re natâ, consilia progressusque regis coram impediant; ipse, in Chalcidem profectus, regijs undique copijs commeatum intercludat.

Rex classem Corintho solvens, iussis Messenijs & Epirotis, Acarnanibus & Dercyllaidâ, cum navibus sibi ad Cephalleniam occurrere; Patris profectus, ad Pronum, eius Insulæ castellum, (al. metropolim) navigavit: & inde Paleam, urbem opulentam, sibique ad cæpta opportunam, adpulsus est. Sed quo minus eâ urbe, iam pænè expugnatâ, potiretur; LEONTII perfidiâ effectum est.

Intereà LYCVRGVS ille Lacedæmonius, cum exercitu ad Messenen veneat: & DORYMACHVS, cum dimidiâ Ætolorum parte, in Thessaliam moverat.

Quùm igitur legati utrimque, hinc à Messenijs; inde ab Acarnanibus, ad PHILIPPVM, opem imploratum, venissent; LEONTIVS quidem coniurationis memor, suadere instituit, ut in Messenen traijceret. (quod si factum fuisset, reliquam Veris partem rex in otio erat transacturus.)

ARATVS verò in Ætoliam navigandum esse censebat; quæ absente cum copijs DORIMACHO prædæ & depopulationi iam obnoxia pateret.

Rex itaque dato negotio EPARATO Prætori, ut cum

cum subitarijs Achæorum legionibus suppetias Messenijs iret; ipse è Cephalenia in Leucadem profectus; & inde per Ambracium Sinum, ad flumen usque Acheloum, delatus; Thermum, inaccessio, ut putabatur, loco situm, belli arcem, & provinciæ ærarium, obsidet, capit & evertit. neque locis quidem, quæ pro sacris habebantur, pepercit.

Ita dum ira indulget, sacrilegia ab Ætolis, Dodona & Dij, admissa, non tam ulcisci, quàm imitari visus est. parum memor, quæ pari in caussâ, eius decessores PHILIPPVS & ALEXANDER; ille in Athenienses; hic in Thebanos, infensissimos sibi hosteis, olim patrassent; Qui nôrant, *parcere subiectis, & debellare superbos.*

Regem cum immensâ prædâ à Thermo, per easdem locorum angustias, quà venerat, digressum, adorti à tergo Ætoli, & in insidias pertracti, magnam cladem accepérunt.

Rex deinde Metapâ eversâ; & alteram urbem, Acras, prætervectus, non sine miserabili agrorum vastitate; & Acheloo iterùm traiecto, haud procul ab urbe Strato castrametatus est.

Et quantumvis eâ in urbe III. circiter pedit. M. equites CD. & Cretes D. essent; nemo tamen inde in hostem provocantem erumpere ausus est; donec postremum agmen prætergredi urbem cœpisset.

In hos, equites aliquot Ætolorum invecti; & mox à Cretibus alijsque subsidio advolantibus, adiuti, periculum Acarnanibus, regi fidis comitibus, creâssent; ni Illyrij, à PHILIPPO submissi, & ad mœnia usque persecuti, eorum impetum repressissent.

Huius de Ætolis victoriæ quia meritò pars aliqua ARATO adscribebatur; LEONTIVS & MEGACLEAS uri & ringi.

Et quùm PHILIPPVS, ob res feliciter gestas, Dijs gratias ageret; & epulo publico duces suos acciperet; ijdem vel ipso vultu animi malignitatem prodere: Et inde ad tentoria reversi, & ARATVM in itinere nacti, non modò convicijs, sed saxis etiam impetere ausi sunt.

Fuitque ea PHILIPPI facilitas, ut MEGACLEAM vinctum, & manifestò condemnatum, XX. tantùm talentis multaret; & LEONTIO fide iubente dimitteret: ipsum verò LEONTIVM, perduellem, verbis tantùm castigaret.

DORIMACHVS ab ingressu Thessaliæ, à CHRYSOGONO, regis PHILIPPI alumno, prohibitus; & suis popularibus, quos premi à Macedonibus audierat, suppetias ire festinans, non priùs advenit; quàm ex Ætoliâ rex victor decessisset.

PHILIPPVS namque è mediâ Ætoliâ, uti diximus, digressus, nocte unâ Ambracium sinum traiecerat; & cum classe Leucadem delatus, & ordinandis per ea loca rebus, biduum commoratus; evastatâ Ætoliæ orâ maritimâ, Corinthum adpulit: navibusque in Lechæo relictis, copias eduxit.

Continuato inde per Argivum agrum, & Tegeam, itinere; & acceptis, qui eò convenire iussi erant, Achæorum armatis; die septimo, in agrum Laconicum pervénit, priùs conspectus, quàm auditus.

PHILIPPI IN LACONICAM EXCVRSIO

Primo dein die iuxta Amyclas, urbem & omni frugum genere, & Templo Apollinis memorabilem, castra posuit, agrumque circa omnem depopulatus, ad PYRRHI, quæ dicuntur, Castra; deinde ad Carnium, non sine insigni agrorum vastitate, metatus est. Et Asine frustrà tentatâ, & provinciâ omni ad Tænarum usque evastatâ, ad navale Lacedæmoniorum, quod Gythion dicitur, iter convertit.

Eleâ denique, quam paullo antè LYCVRGVS interceperat; quæque maxima atque optima Spartani agri pars erat; cum Acribus, Leucade, & Boijs, miserandum in modum ferro ignique defœdatâ, ad Amyclas omnem exercitum reduxit.

Messenij, uti PHILIPPVS imperárat, confestim habito ex opidanis maximè idoneis, delectu, circiter II. pedit. M. & equites CC. ad regem miserant.

Verùm illi, ob itinerum longinquitatem, Tegeam, seriùs; & rege iam inde digresso, pervenérunt. Ne tamen suo defuisse officio viderentur; ut se cum regijs copijs coniungerent, irrumpere in agrum Spartanum decrevérunt.

Sed castris ad Olympes castellum negligentiùs positis, quæ nec fossâ, nec vallo circumdederant; freti vetustâ, erga se incolarum benivolentiâ; ad mœnia proximè accesserunt.

LYCVRGVS verò, mercenarijs, cum aliquantâ Lacedæmoniorum parte, secum adscitis, quùm illuc pervenisset, instructâ acie in Messenios ferebatur.

Illi, & numero imminuti; & rerum improvidi, hoste vix conspecto, fugâ se præcipiti in castellum recepérunt: & LYCVRGVS equis atque impedimentis, maximam partem, potitus est.

Captoque domi cum ducibus & amicis consilio, ne PHILIPPVS per Spartanum agrum prœlij aut periculi expers evaderet; ipse cum II. circiter hominum M. ex urbe egressus, loca Menelaio proxima occupat. Et ijs, qui in urbe erant, mandat; ut tempori, & ad certi signi conspectum, summâ cum celeritate, & diversis locis, erumpant, & ad flumen Eurotam se recipiant.

PHILIPPVS LYCVRGVM ex ijs, quæ occupárat, locis expellere conatus, & quasi flumen traiecturus, in colleis cum suis enititur. prœlioque commisso, tam Lycurgianos, quàm opidanos in fugam vertit. ex quibus C. cæsi, & paullò plures capti: reliqui in urbem refugére.

Rex victor collibus Illyrico præsidio firmatis; & transmisso flumine, cum copijs, quas ARATVS ex Amyclis adduxerat, se coniungit.

Lacedæmonij equites, quùm facto in Macedonas impetu prœlium conseruissent; scutatis fortissimè unà cum rege dimicantibus, turpiter ad portas usque urbis sunt repulsi.

Rex verò, Tegeæ, quò per loca ea, quibus ANTIGONVS & CLEOMENES memorabili prœlio inter se conflixerant, reversus erat: ibique aliquantisper, dum præda divideretur, commoratus, mox cum copijs Corinthum remeavit.

Eò ad illum venére Rhodiorum & Chiorum legati,

gati, quorum intercessione pax cum Ætolis componeretur. Illos, benè de se sperare iussos, ad Ætolos abire permisit, quibuscum de pacis conditionibus tractarent.

Ipse ex Lechæo ad navigandum se parat, quædam in Phocide negotia expediturus.

Sed in ipso quasi articulo, LEONTIVS, cum MEGACLEA & PTOLEMÆO, coniurationis Apelleæ consortibus; scutatos, & eos, quos AGEMA Macedones vocant, quasi *cohortem prætoriam*; ad seditionem, & in regem, ceu illiberaliorem, ita concitárunt; ut rex è portu in urbem, iam tumultuantem, & iræ cupiditatique militari expositam, regressus, vix singulari prudentiâ & dissimulatione, eosdem sedaverit.

LEONTIVS autem & socij, qui se facinoris principes denotari perspexerant; APELLEN, absque quo nihil se effecturos sperarent, è Chalcide evocárunt.

Ille, qui regem ibi egerat, & PHILIPPO contempto, omnia pro animi sui lubidine administrârat; ubi Corinthum venit, magnâ & stipantium, quos dixi, ducum, & militum pompâ comitatus, rectà in regiam contendit.

Sed à Ianitore, regem in præsentiâ occupatiorem excusantte, non admissus, & rei novitatem admiratus, inde discedit; & solus pænè cum domesticis pueris domum redit.

Illum rex paullo post secum in Phocidem ducit. & rebus ex voto expeditis, Cyrrhâ cum classe profectus, in Sicyoniorum portum navigavit: & apud ARATVM, in urbe diverut, APELLE Corinthum ablegato.

MEGACLEAS inter hæc, timore suffusus, Athenas, & inde Thebas, profugerat.

Quod ubi rex rescivit; scutatos, quibus LEONTIVS præerat, in Triphaliam cum TAVRIONE, per speciem negotij gravioris amandat; & mox LEONTIVM, ceu exauctoratum, in vincula duci iubet. & eorumdem militum importunâ pro duce suo deprecatione, atque adeò comminatione, siquid in eum gravius statueretur, exstimulatus; celeriùs quàm statuerat, LEONTIVM è medio tollendum curavit.

PAX PER LEGATOS TENTATA ET IRRITA.

3736. | 214.
5. Ant. Mag.
4. Ptol. Phil.

Inter hæc, Rhodij Chijque legati, ex Ætoliâ ad regem reversi, & XXX. dierum inducias pacti, diem inter se constituére, quo ad Rhium convenirentur. polliciti insuper Ætolos nihil non facturos, quo pax semel componatur.

Rex vicissim, litteris ad socios datis, hortatus est, ut Patras legati undique mitterentur, qui secum de pacis conditionibus agitarent.

Eidem ad Patras adpulso litteræ ex Phocide adlatæ sunt; quibus MEGACLEAS, super alia in regem maledicta, Ætolos ad bellum adversus ipsum, in opiâ commeatuum, rerumque necessariarum scilicet laborantem, continuandum incitabat.

Rex horum criminum caussam & caput, APELLEM meritò ratus; comprehendi eum, & Corinthum cum filio, & exoleto quodam, abduci iussit.

MEGACLEAS, qui misso Thebas ALEXANDRO, venire ad regem, & fideiussorem liberate, iussus esset; sibi ipse manus intulit. Et paullo-pòst APELLES, cum ijs, quos dixi, extremo supplicio sunt adfecti.

Ætoli, qui die dictâ ad futuros se Rhij, sive Patris receperant; licet bello exhausti, & suâ iam spe toties frustrati, à bello abhorrerent; quòd Macedonas tamen tot magnatum & ducum suorum necem non impunè laturos; & motum aliquem in aulâ exoriturum, arbitrarentur; non comparuérunt.

Neque PHILIPPO, belli quàm pacis cupientiori, Ætolorum prævaricatio ingrata fuit. Is sociorum legatos, qui convenerant, ad bellum, pace ab adversarijs prius repudiatâ, necessarium cohortatus; & Macedonibus in Thessaliam hibernatum remissis; è Cenchréis, per Euripum, in Demetriadem navigavit.

BELLI INTER ANTIOC. MAG. ET PTO. PHILOPAT. ADPARATVS.

In Asiâ verò, magno utrimque adparatu; & animorum contentione, inter ANTIOCHVM MAGN. & PTOLEM. PHILOPATOREM; Hinc, NICOLAO Ætolo, DIOGNETO & PERIGENE; Inde THEODOTO Ætolo, MENEDEMO & DIOCLE, ducibus adversis, de Cœle-Syriâ pugnabatur. Et NICOLAVS quidem, iussu PHILOPATORIS, præoccupatis, cum parte copiarum, ijs, quæ circa Plataneum sunt, angustijs; ipse cum reliquo exercitu, ad urbem Porphyreonem profectus, adiuvante PERIGENE, classis (quæ XXX. cataphractis, sive constratis; & plus CD. onerarijs navibus constabat) præfecto, regem ANTIOCHVM ab ingressu provinciæ prohibere moliebatur.

ANTIOCHVS autem, quùm Marathum venisset, Aradios, qui ad se ineundæ societatis caussâ accesserant, tam Insulareis, quàm continentis incolas, sublatis dissensionum caussis, inter se reconciliavit. Inde per promontorium, (quod Πρόσωπον Θεοῦ, sive Facies Dei, dicitur) in regionem ingressus, Botro obiter captâ; & Triere Calamoque incensis; Berytum pervenit.

Et speculatus NICOLAI castra, inter Libanum marisque litus, loco angusto & pænè inaccesso posita; tripertitis copijs, totidemque ducibus & locis, in eadem impetum fieri iussit: Et simul prœlium navale, haud procul terrâ, per præfectos iniri. Sic ut ipse è medio loco utrumque certamen prospectaret; & uno signo, unâque præconis voce exciti, terâ marique, milites acerrimè pugnarent.

Et mari quidem æquis pænè viribus, diu, & ancipiti victoriâ, depugnatum est: In terrâ verò, ubi NICOLAVS, opportuno locorum situ, se facilè utroque ex

que ex latere tutabatur; simul atque THEODOTVS ex superioribus montis iugis, de-improviso irrumpere in capita cœpit; ipse, utque cæteri in fugam sunt conversi: & II. circiter mill. amissis, Sidonem se recepêrunt. Et PERIGENES, classis Ægyptiæ præfectus, sinistro terrestrium conflictu turbatus, eodem cum suis vela convertit.

ANTIOCHVS castra quidem proximè eam urbem posuit; sed quòd & à commeatu probè instructa; & non incolarum modò, sed fugitivorum etiam recentium multitudine esset munita, tentandam armis non putavit. Et DIOGNETO, (an Diocli?) classis suæ præfecto; Tyrum navigare iusso; ipse ad Philoteriam accessit. quæ propè paludem sita est, in quam Iordanes fluv. defluit; & rursus in agrum Scythopolitanum erumpit.

Quarum duarum urbium iam potens; & quod ager ille, cellæ instar penariæ aut horrei, exercitui futurus esset; animo ad res futuras erectior, superatis montibus, Atabyrium venit. Quæ urbs in colle mamillante sita, vix XV. stadiûm adscensu penetratur.

Rex oppidanos in insidias pertrahit, & circumventos magnâ ex parte concidit: reliquosque persecutus, urbem unà cum ijs cepit.

Inde cœptum iter persequens, Pellam, Camum, & Gephrum occupat.

Et proximis Arabiæ populis in fidem ultrò acceptis, in interiora penetrans, Galaaditim & Abilam sibi adiungit.

Gadara, locum quasi naturâ inexpugnabilem, machinis ad terrorem ostentatis, ad deditionem compulit.

Rabbathamanam, ulterioris Arabiæ urbem, quò magna hostium copia confluxerat; & agros Arabum, eorum, qui regi adhæserant, depopulabantur; nec murorum parietinis, nec continuis noctu diuque impressionibus, expugnâsset; nisi obsepto rivo, quem captivi demonstrârant, omnem aquationis spem obsessis ademisset.

HIPPOLOCHVM Thessalum, & CHÆREAM, qui recens à PTOLEMÆO ad se defecerant; cum V. pedit. mill. Samariam mittit, ut à dediticijs & subiectis sibi populis periculum & vim omnem depellerent. Æstate hisce in rebus consumtâ, rex Ptolemaide cum copijs hiemavit.

PEDNELISSÆ IN PAMPHILIA OBSIDIO.

Eâdem æstate Pednelissenses, in Pamphyliâ, à Selgensibus artè obsessi, subsidium ab ACHÆO petierant. Et ille GARSYERIM ducem cum VI. peditum millib. & equitibus D. opitulatum miserat. Cuius adventu per exploratores cognito, Selgenses, angustias, circa Climaca, sive Scalas, conferti insederunt.

ACHÆVS, facto impetu, in Myliadem ingressus, quùm castra circa urbem, quæ Cretum dicitur, posuissetes finxit subitò discessum, quasi ademtâ sibi ferendi auxilij potestate.

Selgenses, hostem seriò, præ desperatione, digressum rati; partim in castra, partim ad messem iam maturam, abierant.

Sed GARSYERIS de-subito regressus, fauceis Scalarum, iam custode vacuas occupat; & præsidium, duce PHAYLLO, imponit.

Ipse Pergen profectus, Pamphyliæ Pisidiæque populos, tum ad Achæi societatem, tum ad opem Pednelissensibus obsessis ferendam, invitat. & ab Aspendijs, Etennensibusque impetrat.

Selgenses, re infeliciter adversus PHAYLLVM in Faucibus tentatâ, artiùs intentiùsque hosteis suos Pednelissenseis obsidebant; & fame propè obfuscabant.

Cui malo ut mederetur GARSYERIS, bis mille homines, frumento onustos, de nocte in urbem immittere annixus, frustrà fuit. Nam & milites, magnam partem, à Selgensibus interfecti; & frumentum omne interceptum est.

Hoc illi successu elati in ipsa hostium castra irruptionem parant. Et GARSYERIM tam repentino impetu ita obstupefecêrunt; ut in extremâ salutis spe, ad extremam consilij ancoram, confugerit.

Equites per loca, à custodiâ vacua, emittit. Iique crediti fugam, impendentis cladis metu, arripuisse; & proinde à Selgensibus contemti, & impunè abire permissi; facto paullisper in orbem circuitu, & mox à tergo hosteis adorti, acerrimo prœlio eos invadũt.

Nec secius pedites, obverso in eosdem vultu feruntur, & undique circumventos in fugam convertunt.

Pednelissenses denique, factâ ex urbe eruptione, eos, qui ad castrorum custodiam erant relicti, penitùs eiecêre. Vltra X. hominum M. desiderati. Ex reliquis autem, socij quidem suas quisque domos remeârunt: at Selgenses, rapto per monteis itinere, in patriam confugêre.

Quos postridie insecutus GARSYERIS ita oppressit; & exterrefecit, ut confestim unum ex civibus suis, LOGBASIM, ANTIOCHO olim, qui in Thraciâ obijt; & in præsens, ACHÆO, ab uxore LAODICE, quam domi aluerant, familiarem, de pace acturum, ad victorem miserint. Is pro deprecatore proditorem agit; & ACHÆO, si arcesseretur, urbem se traditurum pollicetur.

Induciæ interim, dum fedus commodè percutiatur; aut veriùs LOGBASI rei perficiendæ opportunitas præbeatur; civitati datæ. earumque beneficio Selgam milites è castris crebrò commeabant.

ACHÆVS ad constitutam diem venit. deque eius erga se humanitate Selgenses, unà congressi, haud exiguam spem conceperant. At LOGBASIS satis magno militum numero, ex ijs, qui in urbem ventitabant, domi suæ coacto, cives hortari cœpit, ut vocato in concionem populo, de federis conditionibus inter se agerent.

Quod dum fit, & ij etiam, quibus munitiorũ in urbe locorũ custodia erat cõcredita, eòdem cõfluunt; LOGBASIS dato, uti cõvenerat, signo, repentè, quoscumque domi habebat, instruit; seque unà cum filijs armatum, ad eventum periculi, comparat.

Et simul ex hostibus, ACHÆVS quidem cum dimidiâ copiarum parte ad urbem accedit: GARSYERIS verò cum reliquis, Cesbedium versus, (quod erat Templum Iovis, urbi, arcis instar, imminens) contendit. Quùm quidam verò forte-fortunâ expeditos, & urbi adpropinquanteis hosteis prospexisset, idque præcipiti cum cursu multitudini, quæ in concione erat, enunciâsset; tantus repentè omnium ani-

mis ardor incessit, ut certatim alij ad Cesbedium; alij ad loca custodiæ suæ adsignata; permulti ad ædes ipsius LOGBASIS concurrerint. Ibique detectâ proditione, & impetu in fores facto, ipsum auctorem, cum filijs, cæterosque coniurationis conscios, promtissimè contrucidârunt.

Posthæc, proclamatâ per præconem servis libertate, mutuò sese cohortati, ad tuendas locorum urbisque munitiones, alacerrimè convolârunt.

Atque ita tum GARSYERIS, Cesbedio iam à civibus præoccupato, ab instituto desistere coactus: tum ACHÆVS, dum in portas arietare molitur, cum magnâ suorum clade repulsus; non sine dedecore & irâ, in castra recurrerunt.

Selgenses tamen, & intestinę seditionis, & hostis adhuc impendētis metu, maiores natu ad ACHÆVM, pacem postulatum, ex urbe emisêrunt: quam his conditionibus impetrârunt. „*Pax mutua inter Selgenses ACHÆVMQVE esset.* „ *Ipsi eidem in præsens* CCC. *talenta; & aliquamo-pòst* CD. *exsolverent. & Pednelissensium captivos gratis dimitterent.*

BELLVM ACHÆI ADVERSVS ATTALVM.

ACHÆVS, Myliade, & magnâ Pamphyliæ parte in ditionem redactâ, & exercitu Sardeis abducto; bellū adversus ATTALVM gerebat, iam toti eis Taurum Asię, eiusque Dynastis, gravis & formidabilis.

Quo verò ipse tempore in Pamphyliâ, & apud Selgenseis, occupatus fuit; ATTALVS, Tectolagarum, & aliorum Gallorum; quorum aliquot tum examina circa Pontum incertis sedibus vagabantur, operâ usus; multas Æolidis; finitimarumque regionum civitates, quæ priùs metu ad ACHÆVM defecerant; & in ijs, Cumas. Smyrnam & Phocæam: deinde Ægeëtes & Lemnitas; Teios & Colophonios, ad deditionem & societatem compulit.

Hinc Lycum flum. transgressus, Mysios, Carseas, & Didymenos, prodente THEMISTOCLE, (quem ACHÆVS ducem ijs in locis reliquerat) in fidem accepit.

Quùmque agro Apiæ evastato Pelecantem montem transcendisset; & ad flumen ibi Megistum (fortè Maximum) castra posuisset; Galatæ, qui coniuges suas, cum parvulis, curribus circumducebant, viarum difficultatibus fracti, ulteriùs procedere recusabant; deficientis tum fortè Lunæ prodigio deterriti.

ATTALVS veritus, ne illi à se contemtim deserti, aut missi, ad ACHÆVM se converterent; confectâ militiâ, sedes ijs, ad Hellespontum, adsignavit. Et Lampsacenis, Alexandrinis atque Iliensibus, quod integrâ erga se fide constitissent, humaniter tractatis, & in patriam reductis, Pergamum se cum copijs recepit.

3737.
6. Ant. Mag.
5. Ptol. Phil.

213.

NOVVM PHILOPATORIS CONTRA ANTIOCHVM BELLVM.

PTOL. PHILOPATOR, quòd ANTIOCHI præsentiam militibus suis superioris victoriæ caussam fuisse cognovisset; tandem, excusso veluti veterno, ad bellum accingitur: & Vere ineunte, Alexandriâ movens, Pelusio in potestatem recepto, per Casium montem, & Bathra, Gazam venit.

Et dein haud procul Raphiâ, primâ Cavæ-Syriæ urbe, castra-metatus est. secumque adduxerat LXX. peditum, V. equit. M. & è Libyâ elephantos LXXIII.

ANTIOCHVS vicissim, cuius copiæ erant LXXII. peditum, & VI. equit. M. præter CII. ex Indiâ elephantos; eòdem venit: & cum exercitu, X. circiter stadijs, ab hoste consedit. Deinde castris propiùs coniunctis, modò inter eos, qui aquatum, seu pabulatum utrimque exierant; modò inter pedites equitesque, levibus interdum prœlijs, & ex provocatione, ad militarem exercitationem, certatum est.

Sub id tempus THEODOTVS Ætolus, loco tabernaculi regij, in quo PHILOPATOR cœnare, & clientibus responsa dare compertus, eminùs observato; duobus tantùm comitatus, noctu in castra eius irrépit. Et in tentorium, quod oculis & animo designârat, ingressus; è tribus quidem viris, quos ibi compererat, cubicularios duos sauciavit, & ANDREAM Archiatrum interfecit.

Rex verò, extra prętorium, loco arcaniore, tum fortè, ex DOSITHEI, hominis Iudæi, providentiâ, decumbebat.

THEODOTVS, isto facinore peracto, (in quo tum Ætolicam planè audaciam; tum Dei in rege servando providentiam mireris) tutò, licet re infectâ, in regis sui ANTIOCHI castra reversus est.

Reges autem, quùm iam dies pænè quinque, invicem, & procul, spectassent; & de summâ rerum uno prœlio inter se decertare; & ultima experiri tandem decrevissent; Vterque in primis phalanges, & delectos, ac more Macedonico armatos, ex-adversum sibi collocârunt.

Cornua autem suę aciei PTOLEMÆVS ita instituit: ut POLYCRATES cum equitibus proprijs lævum teneret. interque eos, & Creticam Phalangem, proximè eius equites locarentur.

Hos regium agmen; deinde scutati, sub SOCRATE: postremò Libyes, ritu Macedonum instructi, sequerentur.

Dextrum verò, ECHECRATES Thessalus, cum equitibus pariter proprijs, tueretur. quibus proximi Galatæ & Thraces. deinde PHOXIDAS, cum mercenarijs è Græciâ militibus; ac postremò Ægyptia phalanx.

Ex elephantis, XL. lævo cornu, (quâ parte rex PTOLEM. pugnaturus credebatur) & alios XXXIII. haud procul à mercenarijs equitibus, in fronte dextri cornu, collocati.

ANTIOCHVS contrà, LX. elephantos, præfecto PHILIPPO, dextrum cornu, ubi adversus PTOLEMÆVM certare decreverat; antecedere iubet.

Hos bis mille, sub ANTIPATRO, regij fratris F. equites secuti. & ab eorum fronte Cretes. deinde mercenarius è Græciâ miles. ac postremò V. pedit. millia, quos Macedonico ritu armatos, BITTYCVS Macedo ductabat.

In sinistro verò cornu, ante omneis, bis mille equites, duce THEMISONTE, dispositi. iuxtaque eos Cardaces, & Lydi sagittarij. Deinde tria expeditorum, duce MENEDOMO, millia, necnon Cissij, Medi & Carmani: & extremi Arabes, cum Phalange implicati.

Ex elephantis reliquos, & in fronte sinistri cornu collocatos, MYISCVS, ex regijs pueris unus, regendos susceperat.

Milites, regijs utrimque cohortationibus animati, ad manus veniunt. Et reges in primis sibi adversi, PTOLÆMEVS quidem cum sorore eademque coniuge, ARSINOE, (al. Laodice) lævum aciei suæ cornu: ANTIOCHVS verò, cum phalange regiâ dextrum, tenentes: ad classici sonitum, cum elephantis, prœlium invadunt.

Sed elephanti Libyci, Indicorum nec adspectum; nec odorem ferre adsueti, protinus in fugam aguntur; suorumque ordines conturbant; & magnam in PTOLEMÆI phalange stragem ediderunt.

Quod conspicatus ANTIOCHVS, cum ijsdem elephantis in equites POLYCRATIS invehitur: & simul mercenarij milites, qui circa phalangem, in scutatos PTOLEMÆI rapido impetu feruntur.

Feris itaque hos ordines etiam dissipantibus, lævum Ægyptiorum cornu inclinare cæpit.

Altera verò ex parte, ECHECRATES, qui dextro cornu præerat, & eventum primi conflictûs exspectabat; elephantis, quos minus audenter in adversos ferri animadverterat, ex acie subductis; unà cum PHOXIDA, & mercenarijs, hosteis à fronte adortus; post anceps diu prœlium, lævum ANTIOCHI cornu in fugam vertit.

Sed phalangibus adhuc utrimque integris, quùm PTOLEMÆVS ad suam se recepisset; & quantùm alacritatis suis, tantùm terroris hostibus iniecisset; ANDROMACHVS cum SOSIBIO in eosdem sarissis invecti, NICARCHVM cum suis retrò cedere coëgerunt.

ANTIOCHVS victorem se ratus, & iuvenili temeritate POLYCRATEM fugientem longiùs insecutus; quùm montus exsurgentem, & à phalange ad ipsius usque castra delatum pulverem respexisset; converso quidem itinere ad eadem castra reverti conatus est; sed maximam exercitûs sui partem fugæ se dare conspicatus, consilij inops, & militum ignaviam incusans, & ipse Raphiam fugit. Et eductis ex urbe, quę ex tantâ clade supererant copijs, postridie Gazam profectus, castra ibi posuit, missisque, qui suorum cadavera reposcerent; mortuis parentavit.

Desideravit eo prœlio x. pedit. mill. ccc. equites, & elephantos v. Vivi verò ad IV. M. in potestatem hostium venere.

Ex Ptolemaicis cæsi sunt, equites DCC. pedites M D. elephanti XVI. sed reliquorum pars maior ab ANTIOCHO capta.

(Lib. 3. Machab. memoratur, ARSINOEN, PTOLEMÆI sororem, in ipso prœlij huius ardore, milites, præmijs promissis, ad graviter agendum, egregiè animásse.)

ANTIOCHO victo, & domum cum copijs regresso; & populis Syriæ certatim, & ex veteri erga Alexandrinos reges benivolentiâ, sese dedentibus; PTOLEMÆVS Raphiâ, & plerisq; Cavæ-Syriæ civitatibus potitus est. Quæ & culpam deprecatæ; & victoriæ eius exquisitissimis, & tantum-non divinis lætitiæ imitamentis, gratulatum processérunt.

ANTIOCHVS simul-atque Antiochiam venit, ANTIPATRVM patruelem, cum THEODOTO Hemiolio, ad Ptolemæum ablegavit, qui pacem postularent.

Ptolemæus, cui præter spem victoria obvenerat; tanto rerum secûdarum successu elatus; & in Syriæ, regni aviti, possessione acquiescens, leviter increpitis ANTIOCHI legatis. quàm & ipse quietis cupidus esset, dissimulare non potuit. Annuas itaque inducias, cum spe firmioris pacis coniunctas, concessit: & SOSIBIVM, sententiæ suæ interpretem, ad ANTIOCHVM, amandavit.

Et circiter III. menseis, in Syriâ ac Phœnice, rebus illic ordinandis, & hilarijs concelebrandis, commoratus; ANDROMACHVM Aspendium Syriæ Prætorem reliquit: & cum sorore ARSINOE, atque exercitu, Alexandriam reversus est.

PTOLEMÆI CONSTERNATIO,
DIVINITVS IMMISSA.

Memorant (Machab. l. 3.) huic PHILOPATORI postquam Hierosolymam venisset; sacrisque ibidem operatus esset; cupidinem Templi penitius lustrandi incessisse. Quùm eius verò conatibus SIMON summus Sacerdos, obstaret; & doceret, præter sacerdotes, nemini id fas esse; nedum homini peregrino, & à Iudaicis ritibus alieno; eò vehementiùs ille in proposito insistere. se supra leges esse persuasus.

Quùmque Iudæi omnes, nullo ætatis aut sexûs discrimine, anxiè solliciti essent; Deumque precibus fatigarent, ut vetera Templi sui iura tueretur: Regem iam sibi aditum vi parantem, cæcus horror invadit; adeoque trepidantem consternat, ut vix à suis in pedes erigi potuerit. Sed in Ægyptum reversus, iram in Iudæos, Ægypti inquilinos, acerbè convertit.

ANTIOCHVS verò, firmatâ iam cum SOSIBIO pace, & rebus ex sententiâ compositis, bellum adversus ACHÆVM, uti initio constituerat, adparabat.

LYCVRGVS autem; quem suprà falsis criminibus traductum, in Ætoliam fugisse diximus, ab Ephoris, veriora edoctis, Lacedæmonem revocatus; & secum PYRRHIA Ætolo, Eliensium adversus Messenios duce, coniungere iussus; Messeniorum quidem agrum incursavit, & Calamas opidum, proditione ex ijs intercepit; sed cum PYRRHIA, qui nudus ferè ex Elide advenerat; & mox à Cyparensibus cum clade fuerat reiectus; iungere copias prohibitus; neque ipse per se ad rès gerendas par, Spartam redijt.

ARATI PRÆTORIS INDVSTRIA.

ARATVS contrà, Achæorum præturâ recèns auctus, quâtumuis & milites, & civitates negligentiùs, EPERATI decessoris ignaviâ, ad bellum instructas comperisset; ex Achæorum tamē decreto, quo mercenarij milites ad octo millia, & equites quingenti, conscribi; & tèr mille pedites, equitesque trecenti, ex Achæis: & mille pedites, centumque equites, ex

Megalopolitanis & Argivis, coniunctè deinde & sex naves bellicæ, partim in Argolico sinu, partim ad Patras, armari iubebantur; in belli ad paratum omni studio incumbebat. Et Megalopolitos, Tegeæ, Argiæ, & Messeniæ fineis, adversus Lacedæmoniorum incursiones, propugnaculis, & præsidiarijs militibus, duce TAVRIONE, communiebat. & Achaiam ipsam ab Eléis & Ætolis gnaviter defendebat.

Et Megalopolitanos quidem intestinis, ob egestatem, & Cleomenicum exsilium, dissidijs, laborantcis; inter se conciliavit. & ratas pacis conditiones æreæ columnæ inscriptas, ad Vestæ aram, in Omario collocavit.

Ipse deinde, mercenarijs SELEVCO Pharæo traditis, ad Achæorum consilium profectus est. Quâ occasione usus EVRIPIDES, quem Eléi, PYRRHIÆ, uti ignavo, ducem subrogârant, cum copijs, DC. equitibus, & bis mille peditibus, Pharæos incursans, & regionem omnem ad Ægiadem usque depopulatus; captâ iam ingenti prædâ ad LEONTIVM se recipere cogitabat; quùm LYCVS, obviam hosti progressus, & collatis viribus, circiter CC. ex ijs interfecit; & CC. vivos, & quidem oppidò claros, in cæteris virus, cepit. armis atque impedimentis omnibus potitus.

Et sub id tempus Achaicæ classis præfectus, è Molyeriâ in Chalcéam navigâs, oppidanis obviam egressis, binas longas naves, remigio cæterisque rebus abundè instructas, cum aliquot navigiolis, è portu abduxit.

DERCYLLAIDÆ A REGE PHILIPPO DEFECTIO.

DERCYLLAIDAS interea, ob stipendium imminutum, à rege PHILIPPO alienior, XV. lembis in Leucadem immissis, AGATHINVM & CASSANDRVM, Corinthios, (qui in eumdem portum, tanquam amici, quattuor cum navibus fuerant ingressi) violato federis iure, unà cum navibus captus, ad se transmitti imperavit. Et per eosdem prædones, cursu in Maleam usque instituto; in mercatores passim omneis vim inferri.

Et quùm EVRIPIDES per Tritensium regionem impunè grassaretur; LYCVS & DEMODOCHVS, privati Achæorum duces, coactâ, supra mercenarios, ex Patræis, Dimæis, & Pharæis, manu; & impetu in Eléum agrum facto; hosteis non longè à Phyxio in insidias pertractos, cæsis ad ducentos, & ad octoginta captis, in fugam egerunt: & omni prædâ spoliârunt.

Neque secius, classis Achaicæ præfectus, in Calydonem & Naupactum navigans, omnemque circa regionem depopulatus; AGETAM, Ætolorum ducem ad redhostiendum, & ad inferendam Acarnaniæ & Epiro omni vastitatem, incitavit.

Qui tamen, post Acarnanas è Stratensi agro turpiter repulsos, vanâ apud Phanotenses, in Phocide, proditionis spe pariter elusus est.

PHILIPPI CVM ÆTOLIS BELLA.

PHILIPPVS autem Macedo, tunc temporis Bylazorâ, maximâ totius Pæoniæ urbe, captâ; Dardanis in Macedoniam aditum omnem intercluserat. Eâdemque facilitate Melitéam iam pænè ceperat; absque eorum culpâ fuisset, qui scalas iusto breviores fecisse sunt deprehensi.

Thebas in Phthiotide, urbem mari propinquam, Ætoli tunc tenebant; atque inde Thessalorum, Pharsaliorum & Larissæorum, aliorumque finitimorum, rebus plurimùm incommodabant.

Quâ tam molestâ viciniæ spinâ liberare suos cupiens PHILIPPVS, urbem eam acriter oppugnat: & tandem omni machinarum genere, actisque cuniculis, expugnat. civeis deditiios, cum pretiosissimâ supellectili, sub hastâ vendi: & novos è Macedoniâ colonos, Philippopolim, mutato nomine, immittit.

FLAMINII CONSVLIS TEMERITAS. PVGNA AD THRASYMENVM.

C. FLAMINIVS II. & CN. SERVILIVS GEMINVS Coss designati. (ex quibus ille, legionibus duabus, quæ Placentię hibernârant, à SEMPRONIO & ATTILIO acceptis; & Arimini in castris ad Id. Martias esse iussis; ob vetera cum patribus certamina, non Romæ, sed in provinciâ, inauspicatò, magistratum iniit; neque revocatus Senatui paruit) Ignari quâ impetum facturus esset ANNIBAL, duabus vijs illi obviam ituri; hic classe Ariminum; ille per Apenini tramites, & Etruriam, Arretium petivere. ANNIBAL namque, dum Consul alter placandis Romæ Dijs, & procurandis prodigijs, delectuque habendo dat operam; ex hibernis moverat. Et nequidquam antè conatus Apenninum, præ intolerandis frigoribus, transcendere; & cum ingenti vitæ periculo, metuque Gallorum moratus; (Galli scilicet, quùm suas terras, sedem belli esse, & utrimque premi viderent; verterant retrò ad ANNIBALEM ab Romanis odia) Et ille mutando nunc vestem, nunc tegumenta capitis, errore etiam sese ab eorum insidijs munire fuerat coactus.

Iamque FLAMINIVM Consulem Arretium pervenisse fama erat; quùm Pœnus ex duabus propiorem, licet incommodiorem viam; per paludes petit, quà Arnus fluv. per eos dies solito magis inundaverat. Iis ex locis vix post quatriduum, multis hominibus iumentisque fœdè amissis; exercitus emersit. Dux ipse, ex vernâ intemperie & vigilijs, altero oculo captus est.

Et castris tandem in sicco locatis, Consulis, quem propinquum sibi esse cognoverat, consilia atque animum, cæteraque quæ cognoscenda in re erant, summâ cum curâ inquirebat.

Insitam FLAMINII ingenio ferocitatem iam consulatu priore, fortuna, prospero civilibus bellicisque rebus successu, aluerat. Itaque satis apparebat, nec Deos, nec homines consulentem, ferociter omnia ac præproperè acturum. Quoque pronior in vitia sua esset; callidus Pœnus agitare eum atque irritare parat.

Et hoste ad lævam relicto, Fæsulas petens, Etruriæ agros prædatum profectus, quantam maximam vastitatem potest, cædibus incendijsque Consuli procul ostendit.

Ille, qui ne quieto quidem hoste quieturus erat; postea-quam res sociorum, ante oculos propè suos, agi ferrique vidit; cæteris omnibus in concilio salutaria magis, quàm speciosa suadentibus; signum simul itineris, pugnæque, proposuit.

Et vexillis

Et vexillis ocyùs convelli iuſſis; quùm in equum inſiluiſſet, equus repentè corruit; lapſumque Conſulem ſuper caput effudit. Inſuper nuntiatur, ſignum, omni vi moliente ſignifero, cõvelli nequiiſſe.

Et primoribus quidem duplici prodigio territis; ſed milite, in vulgus, eâ ducis ferociâ læto; agmen incedere iuſſum eſt: & Pœnos quaſi fugienteis inſequi. *Tantâ animi præſidentiâ ac ſecuritate, ac ſi ad prædam, non ad prælium, irent.*

Quod ipſum præſagiens ANNIBAL, colles inſidijs delegit, Thraſymenum lacum inter & Tiberim, ſitos.

Via tantùm intererat perangusta, velut ad id ipſum de-induſtriâ relicto ſpatio. deinde paulò latior pateſcit campus; inde colles adſurgunt.

Ibi caſtra in aperto locat, ubi ipſe cum Afris modò, Hiſpaniſque conſideret. Baleareis, levemque armaturam, poſt monteis circumducit. equites, ad ipſas fauceis ſaltûs, tumulis aptè tegentibus, locat. Vbi intráſſent Romani; obiecto equitatu, clauſa omnia lacu ac montibus eſſent.

FLAMINIVS neque loci, neque temporis, quod nebuloſum erat, ratione habita; per anguſtum, Peruſiam inter, lacumque, aditum, copias intromittit in convallem, ſive patentiorem campum, qui collibus ab ANNIBALE inſeſſis ſubiacebat.

Pœnus ubi circumfuſum ſuis copijs habuit hoſtem; ſignum omnibus dat invadendi.

Romanis eò magis ſubita atque improviſa res fuit; quòd orta ex lacu nebula, campo, quàm montibus, denſior ſederat.

Agmina verò hoſtiũ ex pluribus vallibus ipſa inter ſe ſatis cõſpecta; eóq; magis pariter decurrérunt.

In Romanos, qui circumventi vix ſenſerant, antè in frontem lateraque pugnari cæptum; quàm ſatis inſtrueretur acies; aut expediri arma, ſtringique gladij poſſent.

Quantumvis enim Conſul, perculſis omnibus, ipſe ſatis, ut in trepidâ re impavidus, turbatos ordines, pro tempore & loco inſtrueret; ſtare ac pugnare iubens; præ ſtrepitu tamen ac tumultu, nec imperium accipi poterat; neque ſigna, ordinē aut locum, noverat miles. *Sors omnia conglobabat. & animus ſuus cuique, antè, an pòſt, pugnandi ordinem dabat.*

Tantuſque fuit pugnantium ardor, ut eum terræmotum, qui commiſſam aciem ſecutus eſt; quique multas Italiæ urbeis concuſſit, & monteis lapſu ingenti proruit; nemo ſenſerit.

Treis fermè horas pugnatum eſt; ſed acerrimè circa Conſulem; qui inſignis armis, rem impigrè gerebat; donec Inſuber eques, (DVCARIO nomen erat) faciem noſcitans, ſubditis calcaribus equo; per confertam hoſtium turmam, impetum fecit; & obtruncato priùs armigero, Conſulem lanceâ tráſfixit.

Spoliare cupientem, Triarij obiectis clypeis arcuére. Magnæ partis fuga inde primùm cæpit. multi gurgitibus lacûs hauſti, plures ab hoſtium equitibus, inter fugiendum, paſſim trucidati.

Sex millia fermè primi agminis, per adverſos hoſteis, eruptione impigrè factâ, ex ſaltu evaſere. & conſpectâ eminùs ſociorum ſtrage, ſublatis raptim ſignis, & quàm citatiſſimo poterant agmine, ſeſe abripuérunt.

Poſtero die, quùm, ſuper cætera, extrema etiam fames inſtaret; MAHARBALE, qui cum equeſtribus copijs nocte conſecutus erat, fidem dante, ſi arma tradidiſſent, abire cum ſingulis veſtimentis paſſurum; ſeſe dedidérunt. Quæ Punicâ religione ſervata fides ab ANNIBALE: atque in vincula omnes coniecti.

.XV. Romanorum M. in acie cæſa ſunt. (totidem capta, alijs.) X. M. ſparſa fugâ, per omnem Etruriam, diverſis itineribus Romam petiére.

Pœni mille & quingentos, è ſuis, & maximam partem Gallos, deſiderárunt. Multi poſtea utrimque ex vulneribus periére.

ANNIBAL captivorum, qui Latini nominis eſſent; ſine pretio dimiſſis; & Romanis in vincula datis; ſegregata ſuorum corpora ſepeliri iuſſit. & FLAMINII Cos. quoque corpus, funeris cauſſâ, magnâ cum curâ conquiſitum, non invénit.

TREPIDATIO ROMÆ

Romæ ad primum nuntium cladis eius, omnia ingenti terrore ac tumultu ſunt complera. Senatum Prætores per dies aliquot continenter in curiâ retinent, conſultantes; quonam duce, aut quibus copijs; reſiſti Pœnis victoribus poſſit.

Et priùs quàm certa conſilia eſſent; repèns alia nuntiatur clades. IV. M. equitum, quos cum C. CENTENIO (al. Centronio) Proprætore, ad Collegam alter Coſ. SERVILIVS, Arimino, ſuppetias miſerat; in Vmbriâ, quò poſt pugnam ad Thraſymenum auditam averterant iter, ab ANNIBALE circumventa. (al. à MAHARBALA partim obtruncata, partim capta.)

DICTATOR ROMÆ CREATVS FABIVS MAXIMVS.

Cuius rei fama quùm variè homines adfeciſſet; ad remedium iam diu deſideratum, nec adhibitum; *Dictatorem dicendum*, civitas confugit.

Et quia tum Coſ. aberat, à quo uno dici poſſe videbatur. & per occupatam armis Punicis Italiam; haud facilè erat, vel nuntium vel litteras mittere: neque Dictatorem à populo creari fas erat. quod nunquam ante eam diem factum, Pro-dictatorem populus creavit, Q. FABIVM MAXIMVM II. & Mag. equitum M. MINVTIVM RVFVM: Iiſque negotium ab Senatu datum; *Curarent nequid detrimenti civitas acciperet.*

ANNIBAL IN PICENO.

ANNIBAL interim recto itinere per Vmbriam ad Spoletum uſque venerat. & per populato agro, urbem oppugnare adortus, magnáque cum ſuorum cæde repulſus. Atque inde coniectans, quanta Romanę urbis, ſi tentaretur, moles eſſet; in agrum Picenum, non modò frugibus, ſed prædis etiam refertum; iter avertit. Ibique habitis per dies aliquot ſtativis, militem hibernis, paluſtribuſque itineribus, & prœliorum laboribus, malè adfectum, refecit. ſimul & portus ad Adriatici littoris ripam occupaturus; quibus Carthagine nuntios & commeatus opportuniſſimè acciperet.

Inde relicto Adriæ campo, per Prætutinos, Marrucinos,

rucinos, Pelignos, Ferentanos, Arpos, in Dauniam, Apuliæ provinciam, & Luceriam, populabundus pervenit.

C. SERVILIVS, alter Cos. leviter cum Gallis ibidem prœliatus, postquam de collegæ exercitûsque cæde audivit; iam mœnibus patriæ metuens, ne abesset in discrimine extremo, ad urbem iter intendebat.

SIBYLLINI LIBRI INSPECTI.

Q. FABIVS MAX. Dictator, quo die magistratum iniit, vocato Senatu, quùm edocuisset Patres, plus negligentiâ cæremoniarum auspiciorumque, quam temeritate atque inscitiâ, peccatum à C. FLAMINIO Cos. esse; pervicit: ut libri Sibyllini à x. Viris adirentur: vota Dijs facta persolverentur; & Ver sacrum, & Ludi magni, voverentur.

Decretum à Patribus, ut ipse à SERVILIO Cos. exercitū acciperet. ex civibus præterea socijsq; quantum equitum peditumque videretur, conscriberet.

Duabus legionibus à Magistro equitum scriptis, & Tibur convenire iussis; edictoque proposito, ut passim omnes in loca tuta commigrarent, eóque ex agris fruges comportarēt: ipse via Flaminiâ obviam Consuli exercituque ad Ocriculum profectus est. & Consul sine lictoribus, uti per Viatorem imperatum, ad Dictatorem accessit.

Quùmque litteræ ab urbe adlatæ essent; naveis onerarias, quibus commeatus ab Ostiâ in Hispaniā ad exercitum portabantur, à classe Punicâ, circa portum Cosanum, captas esse; Consul extemplò Ostiam proficisci iussus est: & navibus milite complētis persequi hostium classem; ac littora Italiæ tutari.

Dictator Tibure digressus, itineribus summâ cum curâ exploratis, ad hostem ducit; nullo loco, nisi quantum necessitas cogeret, fortunæ se commissurus.

FABIVS CVNCTATOR.

Quo primùm die, haud procul Arpis, in conspectu hostium posuit castra; Pœnus sine morâ in aciem educit, pugnandique copiam facit. Sed ubi quieta omnia apud hosteis, nec castra ullo tumultu mota videt; increpans Romanorum metum & ignaviam, in castra sua redijt.

Dictator, varijs licet modis ad pugnandum lacessitus, per loca alta agmen ducebat, modico semper ab hoste intervallo: & militi ne pedis quidem extra vallum efferendi potestatem faciebat. & tamen tuta suis omnia, & infesta effusis hostium pabulatoribus præbebat.

Sed non ANNIBALEM ille magis infestum tam sanis consilijs habebat; quàm Magistrum equitum; virum ferocem, & in consilijs rapidum, ac linguâ immodicum; qui propalam ipsum, *pro cunctatore segnem; pro cauto timidum*, compellaret.

ANNIBAL ex Arpinis in Samnium transiens, & Beneventanum agrum depopulatus; Telesiam (al. Venusiam) urbem capit. & tam propinquis sociorum cladibus, ducem Romanum ad æquum certamen trahere nitebatur.

Atque inductus à tribus Campania equitibus in spem Capuę potiundæ; quùm ex peritis regionum didicisset, si saltum Casinatem occupásset, exitum Romano, ad opem ferendam socijs, interclusum iri; eòque se perduci ipse imperásset; Punicum abhorrens a Latino nomen, Casilinum, pro Casino, accipere ducem fecit. aversusque ab itinere, per Allifanum, Calatinum & Calenum agrum, in Campum Stellatem descendit. Et detecto ibi errore, te duce ad reliquorum terrorem in crucem sublato, castris communitis, MAHARBALEM cum equitatu, in agrum Falernum prædatum dimisit.

Neque tamen is belli & populationis terror, fide socios demovit.

Sed postquam ad Vulturnum flumen castra sunt posita, & amœnissimus Italiæ ager exurebatur, villæque passim incendijs fumabant. Et FABIVS, qui ad prohibēdam populationibus Campaniâ, agmen celeriùs duxisse credebatur; extrema Massici montis iuga otiosus insideret; propè de-integro, eodem Magistro Equitum instigatore, seditio inter milites coórta est:

Adeò non Tribunorum modò, sed militum etiam animis MINVTII oratione concitatis; ut si militaris suffragij res fuisset, haud dubiè Magistrum equitum Dictatori prælaturi fuerint.

FABIVS nihilo-minus, quamquam probè sciret, non in castris modò suis, sed iam Romæ etiam suam cunctationem infamem esse: obstinatus tamen, eodem consiliorum tenore, æstatis reliquum extraxit. ut ANNIBAL destitutus ab spe summâ appetiti certaminis, iam hibernis locū circumspectaret. quia ea regio præsentis erat copiæ, non perpetuæ. ubi omnia amœnis magis, quàm necessarijs fructibus essent consita.

FABIVS, qui, re exploratâ, satis sciret ANNIBALEM per easdem angustias, quibus in Falernum agrum intraverat, rediturum; Calliculam montem, & Casilinum, urbem Vulturno flumine diremtam, modicis præsidijs occupavit. Ipse iugis ijsdem exercitum reducit; misso priùs exploratum, cum CD. sociorum equitibus, L. HOSTILIO MANCINO; & iusso, quàm tutò posset progressum, priùs sese recipere, quàm in hostium conspectum veniret.

Illum certaminis avidum, Numidæ primùm nunc occursando, nunc refugiendo, ad castra propè sua, cum fatigatione equorum atque hominum pertraxére.

Deinde CARTALO concitatis equis invectus, aversum hostem & fugientem quinque mill. fermè pass. continenti cursu secutus, MANCINVM, omni parte virium imparem, præ desperatione, ad prœlio confligendum, seque expediendum, adegit. Itaque ipse dux & delecti equitum circūventi occiduntur: Cæteri effuso rursus cursu, & in vijs propè collibus, ad Dictatorem perfugerunt.

Eo fortè die MINVTIVS se FABIO coniunxerat; missus antè ad firmandum præsidio saltum, qui super Tarracinam in artas coactus fauceis, imminet mari. ne immunito Appiæ viæ limite, Pœnus pervenire in Agrum Romanum posset.

Coniunctis tum exercitibus, castra in viam deferunt, quà ANNIBAL ducturus esse credebatur, qui duo inde millia aberat.

Quùm postero die Pœni, quod viæ inter bina castra erat, agmine complevissent; & Romani

sub

sub ipso vallo, loco haud dubiè æquiore, consistenti ANNIBAL tamen, cum expeditis equitibus, successit; qui raptim ad lacessendum hostem nunc procursando, nunc sese recipiendo pugnarent.

Restitit suo loco Romana acies, lenta pugnâ. & ab his quidem CC. Pœnorum verò DCCC. cecidere.

ANNIBAL, qui inclusus, & intra Casilinum obsessus, suis sibi artibus peti videretur: & intra Formiana saxa, Linterni arenas, stagnaque situ perhorrida, hibernaturus; ad arteis se convertit. & terribili quodam ludibrio oculorum hostem frustrari; & principio noctis furtim ad monteis succedere statuit.

MIRVM ANNIBALIS STRATEGEMA.

Faces undique ex agris, fasceis virgarum & arida sarmenta, collegerat; quæ præligarentur cornibus boum. (Ad II. millia, ex agresti prædâ fuére.)

ASDRVBALI negotium datum, ut primis noctis tenebris id armentum, accensis cornibus, ad monteis ageret; & maximè quidem super saltum ab hoste insessum.

Vbi ad radices montium ventum, & signum datum; boves, motis iam castris, aliquantò antè signa acti, in adversos concitantur monteis. & tum ipso relucentis ex capite flammæ metu; tum calore ad vivum penetrante, quibusdam; veluti stimulis, in furorem aguntur. Eoque repentè discursu, haud secus quàm silvis montibusque accensis, omnia circum virgulta ardebant; capitumque in bobus inquietatio flammam excitans, hominum passim discurrentium speciem præbebat.

Romani in transitu saltûs locati, ignibus suprà se conspectis, circumventos se esse rati, præsidio excessére. Et dum summa montium iuga, quà flamma ingens emicabat, peterent; in boves quosdam, à suis gregibus palanteis, incidérunt. Et primò, quùm procul cernerent, veluti flammas spirantium miraculo attoniti, constiterunt: Deinde ut humana apparuit fraus, insidias rati, in fugam effunduntur. Et quantumvis in levem hostium armaturam incurrerent; nox tamen, æquato timore, neutros pugnam incipientis ad lucem tenuit.

Toto intereà agmine ANNIBAL per saltum, paucis oppressis, traducto, in agro Alifano castra posuit.

FABIVS, qui hunc tumultum senserat, & insidias ratus erat; ab nocturno utique abhorrens certamine, suos munimentis continebat. & post leve sub iugo montis, cum levi hostium armaturâ, Hispanisque prœlium, castris trans saltum motis; super Alifas, loco alto ac munito consedit.

Et quùm ANNIBAL per Samnium Romã se petere simularet, & in Pelignos usque populabundus rediisset; & cõverso iterum in Apuliam itinere, Geronem (Polyb. Geranium) urbem metu desertam, pervenisset. FABIVS, qui mediis eátenùs, inter hostium agmen urbemque Romam, iugis, nec absistens, nec congrediens, duxerat; in Larinate agro castra communiit.

Atque inde, sacrorum caussâ, Romam revócatus, nequidquam præmonito Mag. Equitum, ut *civis servandi, quàm hostis lædendi studiosior esset; & se potiùs ducem Cunctatorem; quàm SEMPRONIVM FLAMINIVMQVE, præcipiteis, imitaretur*; legiones eidem tradidit, & in patriam profectus est.

BELLVM IN HISPANIA.

Principio æstatis, quâ hæc in Italiâ gerebantur, apud Hispanos quoque terrâ marique cæptum est bellum. ASDRVBAL namque Novâ-Carthagine moverat, tum classicum XL. naviũ, tum pedestrem exercitum; eâ mente, ut iuxta Iberi ostium, alterum alteri coniungeret. CN. autem SCIPIO minus terrâ, propter ingentem novorum ex Hispaniâ auxiliorum famam, concurrere ausus; delecto milite in naves imposito, XXXV. navium classe, ire obviam hosti pergit. Eumque, altero ab Tarracone die, in ostio Iberi castra-metantẽ, & in naveis properè conscendentem, nactus in fugam eò faciliùs vertit; quòd Pœni paratum sibi in pedestris exercitûs propinquitate perfugium destinarent; & non ab hoste & prœlio magis, quàm suometipsi tumultu turbarentur. Et in littus naves agere coactis vadisque, aut littore sicco excepti; armati, inermes; ad instructam per littus aciem se reciperent. duabus navibus primo concursu captis, & quattuor depressis.

Romani prætereà, licet armatam, totoque prætentam in littore hostium aciem cernerent; haud cunctanter insecuti, naveis, ex XL. ad V. & XX. integras cepére: & toto eius oræ mari potiti sunt.

Honoscam urbem, quò exscensu è navibus in terram facto profecti fuerant, vi cepérunt. & circa Carthaginem, agrum omnem, tectis ad muros usque & portas incensis, depopulati, ad Longunticam pervenére.

Et in Ebusum Insulam transvecti, urbe frustrà oppugnatâ, prædam immensam ex vicis & agris in naveis congessére.

Ibi & ex Balearibus Insulis pacem petentes ad SCIPIONEM venére. Et postquam in citeriora provinciæ reditum est; eorum, qui Iberum accolunt, & ultimæ Hispaniæ, ad CXX. populorum, legati, concurrérunt.

Quùmque iam Romani, terrestribus quoque copiis satis fisi, in agrum usque Castulonensem; & ASDRVBAL in Lusitaniam, ac propiùs Oceanum, concessisset; & quieta per æstatem utrimque omnia fore viderentur; MANDONIVS vir nobilis, qui antea Ilergetum regulus fuerat, avidi in res novas ingenii. postquam Romanos ab saltu ad oram maritimam recessisse comperisset; concitis popularibus, in agrum pacatum Romanorum sociorum, populabundus, invasit. Sed ea, uti tumultuaria manus, multis occisis aut captis, levi expeditorum auxiliorum, quæ SCIPIO submiserat, certamine fusa est.

Hic tamen tumultus cedentem ad Oceanum ASDRVBALEM, cis Iberum ad socios tutandos retraxit. Et quùm ipse quidem in Ilercaonensium agros; Romani verò ad novam classem castra posuissent; Celtiberi principes, qui regionis suæ legatos, obsidesque Romanis dederant; nuntio misso à SCIPIONE exciti; arma cepérunt, provinciamque Carthaginiensium valido exercitu invasérunt. Inde cum ASDRVBALE duobus prœliis egregiè pugnantes, XV. hostium M. occisis; IV. M. virorum, cum multis militaribus signis, cepérunt.

Hoc statu rerum, P. SCIPIO in Hispaniam venit; prorogato post Consulatum Imperio, ab Senatu missus; cum XXX. longis navibus, & IIX. M. militum, magnâque commeatûs copiâ.

Ea clas-

Fa classis, ingens agmine onerariarum, procul visa, magnâ cum lætitiâ civium sociorumque, portum Tarraconis ex alto tenuit. Ibique exposito milite, profectus SCIPIO CNÆO fratri coniungitur. ac deinde communi animo cõsilioque gerebant bellum.

Carthaginiensibus bello Celuberico occupatis; haud cunctanter Iberum transgrediuntur; nec ullo viso hoste, Saguntum ire pergunt. Ibi obsides totius Hispaniæ, custodiæ ab ANNIBALE traditos, fama erat, modico in arce custodiri præsidio.

Quod unum pignus, inclinatos ad Romanam societatem omnium Hispanię populorum animos, morari videbatur: ne sanguine liberûm suorum, culpa defectionis lueretur.

Eo vinculo Hispaniam vir unus, solerti magis quàm fideli consilio, exsolvit. ACEDVX (Polyb. Acilyx) Sagunti erat, nobilis Hispanus. fidus antè Pœnis, tum cum fortunâ mutaverat fidem, & ad Romanos inclinabat. Ad quos ut insigni cum emolumento transiret; obsidibus in eorum manus tradendis animum adiecit.

BOSTAREM, arcis præfectum, qui castra extra urbem in ipso litore, ut aditum ex portu intercluderet Romanis, habebat; arte aggreditur, docetque: *Non sine periculo tot obsides uno loco adservari. Si parentibus quisque sui restituantur; artiore benivolentiæ vinculo, quàm obsidum pignore, civitates Pœnis devinctiores fore. Ipsum BOSTAREM, tanti beneficij auctorem, magnam gratiam apud omneis initurum; & exquisita munera accepturum.*

Vt persuasit; & ipse ministerium obsidum domos restituendorum, uti depoposcerat, à duce accepit; re antè cum SCIPIONE communicatâ; transfuga, de nocte, cum custodibus puerorum, ex urbe egressus, veluti ignarus, in præparatas suâ fraude insidias pręcipitavit; obsidesque prodidit. Eosdemque SCIPIO liberaliter ad suos remisit.

Ingenti itaque consensu pleræque civitates ad defectionem à Pœnis spectare. Et extemplò arma movissent; ni hiems, quæ Romanos pariter & Pœnos in tecta concedere coëgerat, intervenisset.

PHILIPPVS MACEDO IN ROMANOS INCITATVS.

PHILIPPVS autem Macedo, quùm adhuc Philippopoli moraretur; & à legatis intercessorum, Chiorum, & cæt. regisque PTOLEMÆI, frustrà compellatus fuisset; piratas priùs, qui auspicijs DERCYLLAIDÆ, excursione ad Maleam usque factâ, mercatoribus omnibus haud secus ac hostibus utebantur; & quasdam ex suis naveis ad Leucadem interceperant; coercere quidem; & armatâ iam classe, ipsorum lembis potiri contendebat.

Sed re infeliciter tentatâ; Argos venit, ludosque ibi Nemeæos celebravit. Nova belli in Ætolos continuandi consilia agitaturus.

Hic quùm spectaculo interesset, litteræ ad eum ex Macedoniâ sunt adlatæ; quibus significabatur; Romanos ingenti clade ab ANNIBALE ad Thrasymenum lacum, victos castrisque exutos esse.

Quâ occasione usus, DEMETRIVS Pharius, quicum rex litteras, remotis arbitris, communicârat; regem naturâ audacem, & imperij avidum adolescentem, rebus priùs in Illyrio compositis, & pace cum Ætolis factâ; ad tentandam in Italiæ oras transmissionem, & ad principatum totius orbis eâ viâ capessendum, cohortatus est. quò & præsens Græcię tranquillitas, & clades Romano populo nuper à Pœnis illata, invitarent.

Romanos, non contentos Italia terminis, & imperium terrarum spe improbâ amplexos, bellum cum omnibus regibus gerere. Sic illos Siciliæ Sardiniæq; potenteis, & Hispaniæ totiusq; Africa imperia adfectanteis, bellum pro tempore cum Pœnis Hispanisq; suscepisse. Se quoque regno patrio ab ijs expulsum; quòd Italia nimis finitimus videretur. Regi & ipsi cavendum esse exemplum; cuius quò proximius nobil usq; sit regnum; tantò sit Romanos acriores hosteis habiturus.

His auditis, PHILIPPVS, serió legatos Ætolûm, pacem postulanteis, audire cæpit. Et in Ætoliam ipse profectus, coacto semel atque iterum Senatu, pacem eâ summatim lege, haud procul Naupacto, sanxit; & socijs imperavit: *Vt sibi quisque in posterum retinerent, quidquid ex alterutrâ iurisdictione, vel Achæi, vel Ætoli, eorumq; socij usurpâssent; & bello exacto parta, tuerentur.*

Græcos autem ad pacem mutuamq; concordiam graviter & pertiè id temporis AGESILAVS Naupactius excitâsse memoratur.

„ Græciam in maiore numquam periculo fuisse, licet frequenter nunc Persarum, nunc Gallorum, nunc Macedonum bellis, ingenteis olim motus cladesq; perpessam.

Consurgentibus siquidem ab Occidente novis Pœnorum & Romanorum imperijs, quibus una hæc, à Græciâ atque Asiâ, sit mora, dum præsenti inter se bello discrimen imperij faciunt: cæterum, statim victoribus transitum in Orientem fore.

Cernere se quàm dira & cruenta inter se bella, utrique populi, & viribus copiarum, & ducum artibus, gerant. Quæ rabies finiri solo partis alterius interitu, sive ruinâ finitimorum, non possit.

Metuendum non minus Macedoniæ, licet remotiori & in vindictam sui robustiori; quàm Græciæ propinquæ & imbecillæ, certamen eorum; qui superiores exstiterint: Neque hoc sine victoriæ contenti sint futuri.

Græcis itaque, & inprimis Regi sedulò serioq; curandum; ut inter se concordes in Occidentem potius arma convertant, quàm ut patiantur sive à Pœnis, sive à Romanis victoribus, in Græciam bella transferri.

Firmato itaque fœdere, pacem singuli in patriam pro bello reportârunt. & ab intestinis dissidijs animos menteisque ad Italiam convertérunt.

Atque adeò in Asiâ ipsâ, & Insulis, omnes qui vel PHILIPPO infensi erant, vel ab ATTALO diffidebant; neque iam in ANTIOCHVM aut PTOLEMAVM; neque in Meridiem aut Ortum; sed in Occasum defixi hærebant. alij Carthaginienseis, alij Romanos, crebris legationibus fatigabant.

Romani quoque, tametsi Pœni, eorumque socij, in cervicibus erant; Macedonum, & industrij, atque in bella prompti eorum regis metu, legatos in Græciam mittebant.

Et ipse PHILIPPVS, nihil aliud quàm Pœnorum Romanorumque bella respicere; & singulorum vires ex victorijs offensionibusve, perpendere.

PAX

PAX IN GRÆCIA. ATHENIENSES FLVCTVANTVR.

Achæi, bello exstincto, & TIMOXENO duce eiecto, ad vetera patriæ reip. instituta reversi: & reliquæ itidem Peloponnesi civitates, iam agros colere, iam Ludos & annua Deorum sacra, quæ assiduus armorum tenor aboleverat; instaurare cœperunt.

Athenienses metu quidem Macedonum liberati, quiescere honestè poterant; sed ducum suorum, EVRICLIDÆ & MITIONIS imprudentiam secuti, omnium pænè regum, & potissimum PTOLEMÆI erant tributarij. Cui quidem PTOLEMÆO mòx bellum, cum ipsis Ægyptijs, subortum est. Quorum operâ quùm superiore bello adversùs Antiochum usus esset; mox ab eis desertus est, parère regi iam detrectantibus. & quasi bello per se gerendo pares, ducem sibi alium conquirebant.

ANTIOCHVS verò, initâ cum Ætolis societate, & Tauro transcenso, bellum adversùs infestum sibi ACHÆVM renovabat.

Ætoli, Agelao illi Naupactio, quasi præcipuo publicæ per Græciam pacis conciliatori, primùm gratulari, ac præturam deferre. Mòx deinde succensere, quòd omneis impunè & solenniter prædandi vias sibi in id insuetis, occlusisset.

Sed prætor pro suâ prudentiâ rumores & querelas eorum patienter audire: furentium impetum moderari; & tandem vel invitos, depositâ iracundiâ, ad sanitatem revocare.

PHILIPPI IN ILLYRIOS BELLVM.

PHILIPPVS totus quidem bellum Italicum spirabat; sed priùs Illyrios, qui non minùs toti Græciæ ac Macedoniæ graves erant, quàm anteà Ætoli; debellandos sibi putavit. Et quas civitates, in Dassaretide, Pelagoniâ, & Macedoniâ, DERCYLLAIDAS, per speciem stipendij à rege sibi debiti, occupârat; facilè recepit. belloque in DERCYLLAIDAM decreto, pernecessarium sibi existimavit Illyricum omne ditioni suæ subigere; cum ad alias res gerendas, tum ad classem indè commodè in adversas Italiæ oras transmittendam.

Ee DEMETRIVS Pharius, belli suasor, eo se pacto urbeis, quibus à Romanis anteà spoliatus erat, faciliùs reciperaturum arbitrabatur.

PHILIPPVS itaque reliquâ æstatis & Auctumni parte, incursatis latè Illyriorum agris, & copijs in hiberna dimissis, in Macedoniam redit.

PTOL. REGIS IN IVDÆOS INIQVITAS.

PHILOPATOR intereà decreto publico sciverat, ut Iudæi omnes, qui in Ægypto commorabantur, abdicatâ religione, Idolis immolarent. secùs, privilegijs omnibus, omnique immunitatis iure spoliati, in vectigaleis referrentur. Si qui præfractè obsisterent; mancipio darentur; & impresso frontibus DIONYSI, ederæque signo, stigmatiæ traducerentur.

Plerique Iudæorum tributum iniquum exsolvere, quàm patriam legem violare maluerunt. Et si quem ex suis, profanis sacris operatum, nossent; è ritu solenni Synagogâ interdicebant.

Id ubi rex rescivisset, iussit conquisitos undique Iudæos Alexandriam compelli. Et factâ per dies XL. descriptione, ingens multitudo in urbem est adducta.

Rex elephantos, quos D. habebat, vino, thure condito, inebriandos curarat; ut efferatæ belluæ obiectos in catastâ Iudæos dentibus dilacerarent, aut pedibus proculcarent. ratus id spectaculum sibi, Curiæ, & populo Alexandrino, fore gratissimum.

Postero tamen die, quùm regem altus sopor ad prandij usque horam detinuisset; tota iam spectatorum turba diffluxerat. Et die consequenti tanta crudelis mandati regem cepit oblivio; ut eos, qui ipsum ad spectaculum invitabant, insanire ultrò putaret.

Mòx tamen redeunte sævitiâ, iussa repetuntur. Sed tertio die admissæ belluæ, rabiem in carnifices ipsos convertêrunt.

Tum denique Philopator divinæ potentiæ, & in sui cultores benivolentiæ id tribuens, Iudæos non modò intactos dimisit; sed multis etiam honoribus ac præmijs mactavit. Ipsi per dies septem, rege publicum epulum præbente, hilaria celebrârunt.

Et sic quidem DEVS, populi sui custos ac servator, regis adhuc adolescentis lasciviæ in præsens pepercit. Sed quia nihilo melior indè evasit; quinquennio post, petulantiæ & impietatis suæ pœnas ANTIOCHO dedit.

MINVTII, MAG. EQVIT. TEMERITAS, ET PVGNA.

MINVTIVS, absente & ad urbem profecto, ut diximus, Fabio, in omnem opprimendi ex parte hostis, & parandæ indè famæ, occasionem intentus; & translato in tumulum quemdam, quem hosti ademerat, cum castris exercitu; indè Pœnos, quos ANNIBAL pabulatum frumentatumque è castris emiserat, vagos; & per agrum vicinum palanteis, conspicatus; sub meridiem copijs eductis, graviorem quidem armaturam, acie instructâ castris hostium opponit; equites verò cum expeditis in frumentatores immittit, nulli parcere iussos.

ANNIBAL repentino malo circumventus, neque aciè pugnare, ob paucitatem suorum; neque sparsis per agrum militibus opem ferre poterat.

Dum itaque Romani equites & expediti cædem latè ac fugam palantium facerent; qui cum MINVTIO in castris & pro vallo erant, sociorum exemplo & audaciâ animati, in hostium castra comminùs irrumpere, & ducem ipsum pænè obsidére iam audebant.

ANNIBAL, suis intra vallum retentis, castra sua tutari

tutari vix posse videbatur; quùm Asdrubal, collectis subitò ad IV. Millia militibus, qui in priora, pro Geryonis mœnibus, castra refugerant; Annibali suppetias venit.

Quo auxilio erectus Annibal, & è castris egressus, vix tandem præsenti periculo exercitum liberavit. & ad ea, quæ ad Geryonem erant, castra, prædæ amittendæ metu, reversus est.

Minutius quoque, magnâ iam & ad hostium stationem, & in agris cęde factâ, & vacuis eorum castris potitus; in præsentiâ copias reduxit, ingenti in futurum spe elatus.

Auctores sunt, inquit Livius, iustâ acie dimicatum: & primò concursu Pœnum usque ad castra fusum. Indè eruptione factâ, repentè versum in Romanos terrorem.

Numerii Decimi, (viri inter Samnites facilè Principis, qui iussu Dictatoris IIX. pedit. Mill. & cc. equites, in castra adducebat) adventu, prœliũ restitutum. Et quum is ab tergo Annibali apparuisset. spem parti utrique novi subsidij præbuisse. Tumque Fabio ab Româ veniente; Annibalem, insidiarum aliquid timentem, recepisse suos. Romanum insecutum, adiuvante Samnite, duo castella eo die expugnâsse. VI. hostium Mill. cæsa: V. admodum Romanorum. Tamen in tàm pari propè clade famam egregiæ victoriæ, cum vanioribus litteris Magistri equitum, Romam perlatam.

MAG. EQVIT. DICTATORI EXÆQVATVS.

Hic, re in Senatu & concione sæpius agitatâ, unus M. Metellus Trib. pleb. tum criminandis ad plebem Fabii Dictatoris; tum extollendis Minutii Magistri equitum, rebus gestis; effecit, ut huic imperium cum Dictatore exæquaretur.

Nec prius Fabius ad exercitum dimitteretur, quàm Consulem in locum C. Flaminij suffecisset. De eodem etiam abrogando Tribunus ille laturus erat, si suffragatores invenisset.

Dictator, Consule creato M. Attilio Regulo, ne præsens de iure imperij dimicaret, pridie quàm rogationis ferendæ dies adesset, nocte ad exercitum abijt.

Cumque autoritas Metellianæ rogationi deesset; vnus pariter inventus est suasor legis, M. Terentius Varro, priore anno prætor; homo sordido loco, & Patre lanio ortus, ipse institor. quique iam honoribus alijs popularitate quæsitis perfunctus, ad Consulatûs spem animos attollere audebat.

Is itaque haud parum callidè auram favorabilis populi, ex Dictatoriâ invidiâ, captans, unus plebis gratiam tulit.

Minutius vix antè tolerabilis secundis rebus, ac favore vulgi; tum utique immodicè immodesteque non Annibale magis victo ab se, quam Fabio in ordinem redacto, gloriari. Et petere à Fabio, ut vel alternis diebus, vel partitis temporibus, summum ius imperiumque penes alterutrum esset.

Fabius verò; *se non tempora aut dies imperij cum eo, sed exercitus divisurum*, respondit: *suisq; consilijs, quoniam omnia non liceret, quæ posset; adversus alterius temeritatem, servaturum.*

Ità obtinuit, ut legiones, sicut Consulibus mos esset, inter se partirentur. Sed Minutius castris se quoque separari voluit.

Duplex indè Annibali gaudium; liberam Minutij temeritatem dolis suis obnoxiam fore: & solertiæ Fabij dimidium virium decessisse.

Tumulus erat inter castra Minutij Pœnorumque. Eum qui occupâsset, haud dubiè iniquiorem erat hosti locum facturus. Hic statuit Annibal caussam certaminis cum Minutio, quem occursurum ad resistendum satis sciebat; contrahere.

Et emissis noctu, in maximè idoneas rupium propinquarum latebras, ducenis & trecenis, equitibus, ad quingentos; peditibus, ad quinque Mille; iussisque ibi sese quam possent tectissimè condere; paucos primâ luce ad capiendum, quem diximus, tumulum mittit; Eoque pacto ab insidijs, quæ in valle apertâ latebant, hostium oculos avertit.

Primò statim conspectu contemta à Romanis paucitas: & ad locum capiendum dux ipse, inter tirones, stolidè feroceis, ad arma vocat: vanis animis, minisque hostem increpat. Et principio quidem levem armaturam; deinde conferto agmine equites dimittit: Postremò, quùm hostibus subsidia mitti videret; instructis legionibus, procedit.

Annibal vicissim laborantibus suis, alia atque alia, gliscente certamine, auxilia peditum equitumque submittens, iustam iam expleverat aciem. ac totis utrimque viribus certabatur.

Inclinatâ nonnihil Romanorum acie, exorti repentè insidiatores eum tumultum terroremque in latera utrimque, & ab tergo, incursantes, fecerunt; ut neque animus ad pugnam; neque ad fugam spes cuiquam superesset.

Tunc Fabius primo clamore paventium audito; dein conspectâ procul aciei perturbatione; *Ita est*, inquit, *non celeriùs quàm timui, deprehendit fortuna temeritatem.* Ille Fabio æquatus imperio, Annibalem, & virtute & fortunâ superiorem videt. *Vos, me duce, signa extrà vallum proferte; ut victoriam hosti; civibus erroris confessionem, extorqueamus.*

Iam Minutiani, cæsis quamplurimis, fugam circumspectabant; quùm Fabiana se acies repentè, velut cœlo demissa, ad auxilium ostendit. Itaque priusquàm ad coniectum teli veniret; & socios à fugâ effusâ; & à feroci pugnâ, hosteis continuit.

Qui solutis ordinibus vagè dissipati erant; undique ad integram aciem se receperunt. Qui plures simul terga verterant; conversi in hostem, orbe facto, nunc sensim referre pedem; nunc conglobati restare.

Ac iam propè una acies facta erat, victi atque integri exercitûs; inferebantque signa in hostem: cum Pœnus receptui cecinit. Palàm ferente Annibale; *Ab se Minutium; se à* FABIO *victum.*

EGRE-

EGREGIVM GRATI ANIMI ET SVBMISSIONIS IN MILITIBVS EXEMPLVM.

Vbi in castra reditum, MINVTIVS, & milites eius, persuasi, ut castra cum FABIO coniungant; & adlatis ad prætorium eius signis; dux quidem, Dictatorem, pro beneficio, parentem: milites verò, socios, pro sui tutela, patronos salutent. signo dato, & vasis conclamatis, profecti, & facto agmine ad socia castra incedentes, tum ipsum FABIVM, tum omneis, qui circà erant, in admirationem convertêrunt.

Vt constituta sunt antè tribunal signa; progressus antè alios Magister equitum, quùm ipse FABIVM; & milites, Dictatori circumfusos, quo consuetum erat ritu, consalutâssent. *Parentibus*, inquit, *meis, ô Dictator, quibus te modò nomine, quo fando possum, aequavi; vitam tantùm debeo. Tibi verò, cum meam, tum omnium horum salutem, acceptam refero.*

Itaq; plebiscitum, quo oneratus magis, me, quam honeratus sum, sentio, primus antiquo abrogoq;. Et quod tibi mihiq;, quodque exercitui tuo, conservato & conservatori, sit felix; sub imperium auspiciumq; tuum redeo: & signa hæc legionesq; restituo.

Tu, quæso, placatus me, Magistrum equitum hosce, suis quemque ordinibus, teneri iubeto. Tum dextræ intercunctæ, & mutuæ hospitalitatis lætitia consecuta.

Romæ, ut perlata est fama rei gestæ, & litteris utrimque adfirmata; pro se quisque MAXIMVM laudibus efferre.

Et tum demum sensit ANNIBAL, cum Romanis, atque in Italiâ bellum esse: quos iam per biennium adeò spreverat.

Illum prætereà ex acie redeuntem dixisse memorant: *Nubem eam, quæ sedisset in iugis montium, subitatam procellâ imbrem aliquandò edidisse.*

SERVILII COS. INFELIX IN AFRICA MOLITIO.

Dum hæc in Italiâ geruntur, Cn. Servilius Cos. cum classe navium centumvectus Sardiniæ & Corsicæ oram, Meninge Insulâ vastatâ, ad litora Africæ accessit, copiasque exposuit. Sed quòd milites iuxtà ac socij navales, agros, tamquam cultorum egenteis, depredantur; in insidias temerè illati; & à gnaris locorum circumventi, cum multâ cæde ac fœdâ fugâ retrò ad naveis compulsi sunt: ad Mille hominum, cum Quæstore, amissis.

Classis verò à littoribus, hostium plenis, soluta, in Siciliam cursum tenuit. Eàque traditâ, Lilybæi, T. OTACILIO prætori, ut ab legato eius P. SVRA Romam reduceretur; ipse Consul per Siciliam pedibus profectus, freto in Italiam traiecit.

Litteris Q. Fabij accitus, & ipse, & Collega eius M. ATTILIVS; ut exercitum ab se, exacto iam propè semestri, Dictaturæ, imperio, acciperent. Illiq; exercitu accepto, hibernaculis maturè communitis, geminis Fabij artibus, cum summâ inter se concordiâ, bellû gesserunt: & ANNIBALEM ad eam pabuli frumentique inopiam adegerunt, ut de repetendâ Galliâ cogitaret.

NEAPOLITANOR. MVNIFICENTIA.

Cum ad Geryonem, hieme iam impendente, constitisset bellum; Neapolitani legati Romam venêre. Ab ijs XL. pateræ aureæ, magni ponderis, in curiam illatæ, quòd pop. Romani ærarium bello exhauriri scirent. Gratiæ à Senatu actæ; unaque patera, quæ minimi ponderis erat, accepta.

LEGATIO ROMANOR. AD PHILIPPVM, ET ALIOS.

Legati & ad PHILIPPVM, Macedonum regem, missi, ad deposcendum DEMETRIVM Pharium, qui bello victus ad eum fugisset.

Alij in Ligures; ad expostulandum, quòd Pœnum opibus auxilijsque suis iuvissent. simul ad visendum, quid Boij Insubresque molirentur.

Ad PINEVM quoque, Illyriorum regem; ad stipendium, cuius dies exierat, poscendum.

Ædes Concordiæ, quam per seditionem militatem, biennio antè, L. Manlius prætor in Galliâ voverat, in Arce facienda, à Duumviris locata est.

A prætore urbis Æmylio, ex Senatusconsulto, litteræ ad Coss. missæ, ut si ijs videretur, alter eorum ad Consules creandos Romam veniret.

DICTATVRA, ET INTERREGNVM.

Quumque à Coss. rescriptum esset; sine detrimento reip. abscedi, ob hosteis, non posse; Itaq; per Interregem comitia habenda potiùs, quàm Consulû alter à bello avocetur; Patribus rectiùs visum est, Dictatorem à Consule dici, comitiorum habendi caussâ.

Dictus L. Veturius Philo. M. Pomponium Mathonem Magistrum Equitum dixit. Sed his vitio creatis, iussisque die quartodecimo se Magistratu abdicare; ad Interregnum res redijt. Et Consulibus prorogatum in annum imperium.

Interreges primùm proditi à Patribus, C. CLAVDIVS Centho, APPII F. deinde P. CORNELIVS ASINA. Et in huius interregno, comitia habita, magno certamine Patrû & plebis. Dum plebes C. Terentium Varronem, insectatione Principum & popularibus artibus conciliatû, obenâque invidiâ splendentem; ad Consulatum extrahere niteretur & Patres summâ ope obstarent. Tandem, hcettres Patricij, & nobiles duo plebi familiares, ambirent; C. TERENTIVS Consul unus creatus est: in cuius manu essent comitia rogando collegæ.

Et proximo comitiali die, concedentibus omnibus qui cû VARRONE certaverant, L. Æmylius Paullus, ob priorem in Côsulatu damnationem, plebi infestus; par magis in adversando, quàm collega, datur Consuli Varroni. Prætores creati, M. POMPONIVS Matho, & P. FVRIVS Philus: quorum ille Romæ, sive in Vrbe: hic inter cives Romanos & peregrinos, ius diceret.

EXERCITVS ROMANI, ET LEGIONVM INCREMENTA.

Exercitus quoque multiplicati sunt. Alij, x. novorum militum Millia in supplementum scripta: Alij, novas IV. legiones, v. legionibus additas, tradidére. ut IX. legionibus tem gererent.

Numero quoque peditum equitumque legiones auctas, Millibus peditum, & centenis equitibus in singulas adiectis. ut quina Mill. peditum, treceni equites essent. Socij duplicem numerum equitum darent; pedites æquarent.

Quidam auctores sunt, LXXXVII. armatorum Millia, & ducentos, in castris Romanis fuisse, quùm ad Cannas pugnatum est.

Cæterùm priùs, quàm signa ab Vrbe Novæ legiones moverent; x. Viri libros Sibyllinos adire atque inspicere iussi. propter territos vulgò homines novis prodigijs, quæ undique nuntiabantur. Eaque ritè sunt procurata.

Legatis, qui à Pæsto pateras aureas Romam attulerant; sicut Neapolitanis, gratiæ actæ: aurum non acceptum.

HIERONIS MVNIFICENTIA.

Per eosdem dies, ab HIERONE Syracusano classis Ostiam cum magno commeatu accessit. Laudato palam HIERONE; qui ex quo tempore in amicitiam populi Rom. venerit, fidem coluisset; ac rem Romanam semper munificè adiuvisset; Senatus Victoriam auream, pódo CCCXX. (hoc est; 35840. coronatór.) quam ominis causâ attulerant, accepit, & in Capitolio collocavit. Funditores sagittarijque, Mille, ab eodem tegè submissi: idonea, adversùs pugnaccis missili telo genteis, manus; cum frumento, Consulibus traditi.

Et quia legati Syracusani ad sua dona consilium quoque addiderant; ut prætor Siciliensis, classem in Africam traijceret; & hostibus in terrâ suâ bellum facesseret; quinqueremes ad navium classem, quæ cum T. OTACILIO proprætore in Siciliâ erant, XXV. additæ: Eique permissum, ut si è rep. censeret esse, in Africam traijceret.

Delectu perfecto, Consules paucos morati dies, dum socij ab Latino nomine venirent: Et milites, quod numquam antea factum, iure iurando à Tribunis adacti; *Iussu Consulum conventuros; neq; iniussu abituros.*

3738. | 212.
7. Ant. M.
6. Pt. Philop.

Vt in castra Consules venérunt, permisto novo exercitu, ac vetere, castris bifariam factis (ut nova minora essent propiùs Annibali: in veteribus, maior pars, & omne robur virium esset) tum anni prioris Conf. M. ATTILIVM, qui ætatem excusaret, Romam misérunt: Cn. SERVILIVM in minoribus castris Legioni Romanorum, & sociûm peditum equitumque duobus Millibus, præfecérunt.

PÆNVRIA IN CASTRIS ANNIBALIS.

ANNIBAL, quamquam parte dimidiâ auctas hostium copias, quarum duæ partes propè essent tironum, cerneret; adventu tamen Consulum, qui dissimiles discordesque imperitarent; mirè gaudere, & spes novas rei meliùs in posterum gerendæ agitare.

Ipsi ANNIBALI, in præsens, quùm nihil undè taperet, quidquam reliqui esset; & omne undique frumentum, postquàm ager parum tutus erat, in urbeis munitas convectum; vix decem dierum, quod posteà compertum est, commeatus supererat. Hispanorumque, ob inopiam, transitio parata erat; si maturitas temporis exspectata foret.

Sed temeritati & properantiæ Consulis VARRONIS, fortuna etiam materiam dedit. quòd tumultuario quodam in prohibendis prædatoribus prœlio, haud quaquam par Pœnis dimicatio fuisset; qui ad M. DCC. ex suis desideràrant; non plus centum Romanorum sociorumque occisis.

VARRONIS COS. TEMERITAS.

Victoribus effusé sequentibus, metu insidiarum, PAVLVS Cos. cuius eo die erat imperium, prudenter obstitit; VARRONE indignante ac vociferante; *Emissum è manibus hostem: debellari, ni cessatum foret, potuisse.*

ANNIBAL, qui istâ suorum iacturâ, velut inescatam temeritatem ferocioris Consulis, & novorum maximè militum, credetet; locum & tempus insidijs aptum se habere ratus, nocte proximâ è castris, nihil præter arma ferenteis secum milites, educit. Et postquàm trans proximos monteis, lævâ quidem pedites instructos; dextrâ verò equites condidisset; & impedimenta per cornua in medium agmen traduxisset; castra plena omnis fortunæ, publicæ privatæque, relinquit. ut in ijs diripiendis impeditum hostem opprimeret.

Crebri relicti in castris ignes fidem fecerant; dû ipse longius spatium fugâ præriperet; falsâ imagine stativorum castrorû tenere in locis Côsules voluisse.

Vbi illuxit, satis compertâ castrorum hostilium solitudine, milites ad prætoria Coss. concurrunt & conclamant; *Ad castra diripienda, hostesq; persequendos, extemplò ducantur.*

Et Cos. alter, velut unus turbę militaris erat. PAVLVS contrà, quum vix seditionẽ, ducemq; seditionis sustinere interim posset; per M. Statiliû præfectum,

quem

quem exploratum miserat, certa insidiarum indicia edoctus, milite iterùm ad rerum pretiosarum, & obvij in castris adversis argenti mentionem accenso, educique cupiente; atque adeò VARRONE ipso proficiscendi signum dante; obnuntiati Collegæ iussit; *Pullos auspicio non addixisse*. Ea res, recentiaque eius generis exempla, religionem, Consulis, licet fetocis, animo incusserunt.

Et certè Dij propè ipsi eo die magis distulisse, quàm prohibuisse imminentem pestem Romanis censeantur. Nam fortè ità evenit; ut quùm referri signa in castra inberet Cos. milites non parerent; duo equitum Italorum servi, eo die ab Numidis ab heros suos refugerent; & deducti ad Coss. denuntiarent; *Omnem exercitum Annibalis trans proximos monteis sedere in insidijs*.

ANNIBAL detectâ nequidquam fraude in castra reversus, quùm & inopiâ frumenti premeretur; & crebræ militum de stipendiò, de annonâ & fame, querelæ exorirentur. & non modò mercenarij, Hispani maximè generis, de transitione consilia caperent; sed ipse dux etiam de fugâ subinde in Galliam, cum solo equitatu, capessendâ agitaret; movere indè statuit in calidiora, atque eò maturiora messibus Apuliæ loca. Simul ut, quò longiùs ab hoste recessisset, transfugia impeditiora levibus ingenijs essent.

Profectus est nocte, ignibus similiter factis, tabernaculisque paucis in speciem relictis; ut insidiarum par priori metus contineret Romanos. Sed per eumdem STATILIVM, omnibus ultrà castra, transque monteis, exploratis, quùm relatum esset; *visum procul hostium agmen*; tum postridie eius insequendi consilia agitari cæpta.

Quumque utriusque Cos. eadem esset, quæ semper antè fuisset, sententia; cæterùm VARRONI ferè omnes; PAVLLO nemo, præter SERVILIVM, prioris anni Consulem, adsentiretur; maioris partis sententià, ad nobilitandas quarto cladis Romanæ vulnere Cannas, urguente fato profecti sunt.

PVGNA ET CLADES CANNENSIS.

Propè eum vicum (à Canusio III. pass. Mill. ad Aufidum amnem, dissitum) ANNIBAL castra posuerat, aversa Vulturno vento. Cuius beneficio, in obcæcatum, pulvere campis torridis effuso, hostem, pugnaturus esset.

Consules, ut eodem ventum est; & in conspectu Pœnum habuerunt; bina castra communiunt, eodem fermè intervallo, sicut antè ad Geryonem, divisis copijs.

ANNIBAL spem nactus loci ad equestrem pugnã, quâ parte virium invictus erat; acie directâ, pugnandi copiam Consulibus facit: & hostem Numidarum procursatione lacessit.

Dum altercationibus magis inter discordeis Cõsules, quam consilijs tempus teritur, Annibal ex acie, quam ad multum diei tenuerat instructam, eũ in castra cæteras reciperet copias; Numidas, ad invadendos ex minoribus castris Romanorum aquatores, trans flumen, immittit.

Illi vixdum in ripam egressi, quùm inconditam lixarum turbam solo pænè clamore fugâssent; in stationem quoque pro vallo locatam, atque ipsas propè Portas, evecti sunt.

Ea indignitas, & terror castris Romanis ab tumultuario auxilio iniectus, ad flumen transeundum, aciemque dirigendam, impulerat; nisi summa imperij eo die penes PAVLLVM fuisset.

VARRO itaque postero die, cui forte eius diei imperium erat, nihil consulto collegâ, signum pugnæ (*sagulum coccineum*) proposuit; instructisque copijs flumen transivit: sequente PAVLLO, quia licet consilium non probaret; non tamen adiuvare, aut errorem corrigere, pro re natâ, non posset.

Transgressi flumen, in dextro cornu, quod erat flumini propius, Romanos equites locant; deinde pedites. Lævum cornu extremi equites sociorum; intrà pedites, & ad medium iuncti legionibus Romanis iaculatores, tenuerunt. Ex cæteris leviorum armorum auxilijs, prima acies facta.

Consules cornua tenent; TERENTIVS quidem lævum; AIMILIVS verò dexterum. Cn. SERVILIO media acies tuenda data est.

ANNIBAL, luce primâ, Balearibus, levique aliâ armaturâ præmissâ, transgressus flumen, ut quosque traduxerat, ità in acie locabat. Gallos Hispanosque equites propè ripam, lævo in cornu, adversùs Romanum equitatum: Dextrum cornu Numidis equitibus datum: media acies peditibus firmata. ità ut Afrorum utraque cornua essent; interponerentur his medij Galli atque Hispani.

Numerum omnium, qui tum in acie pro ANNIBALE steterunt, L. Millia fuisse memorant. XL. peditum, & X. equitum.

Duces cornibus præerant: Sinistro ASDRVBAL, dextro MAHARBAL. (Pol. Hanno) Mediam aciem ANNIBAL ipse, cum fratre MAGONE, tenuit.

Sol, seu de industriâ ità locatis, seu fortè ità stando, peropportunè utrique parti obliquus erat: Romanis in meridiem, Pœnis in Septemtrionem versis.

Ventus, quem Vulturum incolæ regionis vocant; adversùm Romanos enortus, multo pulvere in ipsa ora volvendo, prospectum ademit.

3738. 7. Ant. M. 6. Pr. Philop.		212.

Clamore sublato, concursum ab auxilijs; & pugna levibus primùm armis commissa. Deinde equitum Gallorum Hispanorumque lævum cornu, cum dextro Romano confligit. & præter equestris pugnæ morem, in directum utrimque nitentes, stantibus ac confertis, & postremò turbatis equis, vir virum amplexi equo detrahebant.

Sub equestris finem certaminis, quo pulsi Romani equites terga vertent; coorta est peditũ pugna. Hic Romani defuncti nequidquã prœlio uno, omisis

omiſſis Gallis Hiſpaniſque, quorum terga ceciderant; etiam adversùs Afros integros pugnam inire ſunt coacti. Non tantum eò iniquam, quod ab tergo incluſi, adversùs circumfuſos, alaſque circumdantes; ſed etiam quòd feſſi cum recentibus ac vegetis, pugnare cogerentur.

Iam & in ſiniſtro Cornu Romano, ubi ſociorum equites adversùs Numidas ſteterant, ſegnius erat prœlium, à Punicâ cæptum fraude. Quingenti fermè Numidæ, occultos gladios ſub loricis, & parmas poſt terga habentes, ſpecie transfugarum, ab ſuis adequitarant, & ex equis deſilierant. Iidemque parmis & iaculis ad hoſtium pedes proiectis, ex mediâ acie ad ultimos ducti, ibique ab tergo conſidére iuſſi.

Poſtquam omnium animos oculoſque certamen occupâſſet; iidem arreptis ex obvio ſcutis, averſam adorti Romanam aciem; tergaque ferientes, ac poplites cædentes, ſtragem ingentem dedérunt: ac maiorem aliquantò pavorem ac tumultum fecérunt.

Quumque alibi terror ac fuga; alibi pertinax in malâ iam ſpe prœlium eſſet; ASDRVBAL, quâ parte præerat, ſubductos ex mediâ acie Numidas, ad perſequendos paſſim fugienteis mittit: & Hiſpanos Galloſque pedites Afris, cæde magis quàm pugnâ feſſis, ſuccenturiat.

Parte alterâ pugnæ, PAVLLVS Coſ. primùm eques, deinde pedes, ob vulnus ex fundâ; aliquot locis prœlium reſtituerat. Eiuſq; exemplo alijs equitibus ad pedes deſcendentibus; & haud dubiâ iam hoſtium victoriâ, poſt aliquantum, ex deſperatione, equitum Romm. circà ſe prœlium, pulſus; & in ſtrage militum ſuorum mori atque exſpirare obfirmatus, telis ab ignaro hoſte obrutus eſt.

VII. Millia hominum in minora caſtra: x. in maiora; II. fermè in Vicum ipſum, Cannas, perfugérunt. Sed hi extemplò à Cartalone atque equitibus circumventi ſunt.

Coſ. alter, nulli fugientium inſertus agmini, cum L. (al. CCC. al. LXX.) ferè equitibus, Venuſiam profugit. XL. Millia (POLYB. LXXII.) pedit. bis Mille & ſeptingenti equites, pari civium ſociorumque numero, cæſi. In his, præter alterum Conſulum, Quæſtores duo: XXI. Tribuni Militum; Conſulares quidam, (Servilius & Attilius) prætorijque, & Ædilitij: LXXX. Senatores; aut qui eos magiſtratus geſsiſſent, undè in Senatum legi deberent; quùm ſuâ voluntate milites in legionibus facti fuiſſent.

Capta eo prœlio III. (al. IIX.) Mill. peditum: & equites CCC. dicuntur. (Flor. addit ANNIBALEM militibus edixiſſe; parcerent ferro.)

Binis autem in caſtris cum multitudo ſemiermis ſine ducibus eſſet; nuntium, qui maioribus præerant, ad alteros mittunt. *Dum quies nocturna hoſteis premeret; ut ad ſe tranſirent, uno agmine Canuſium abituros.*

Eam ſententiam alij totam aſpernari: alijs animus ad tranſeundum deeſſe. Donec P. Sempronij Trib. milit. hortatu quidam ex ijs excitati, ad DC. cuneo facto, per medios hoſteis, in maiora caſtra evaſérunt; atque indè protinùs, alio magno agmine aucti, Canuſium incolumes pervenére.

ANNIBALI victori quùm cæteri circumfuſi gratularentur; ſuaderentque; *Vt tanto perfunctus bello, diei quod reliquum eſſet, noctiſq; inſequentis, quietem & ipſe ſumeret, & feſſis daret militibus*; MAHARBAL equit. præfectus, (Plut. BARCAS dicitur; Flor. Bomilcaris filius) minimè ceſſandum ratus, ſubiecit: *Intrà quinctum diem epulari ANNIBALEM in Capitolio poſſe; ſi quemadmodum ſciret vincere, ſic uti victoriâ.*

Sed ille victoriâ frui, quàm uti maluit. qui & rem, & viam maiorem eſſe exiſtimaret, quàm ut eam ſtatim vel ipſe, vel milites feſſi animo capere poſſent. *Mora eius diei ſatis creditur ſaluti fuiſſe, Vrbi atque imperio.*

Poſtero die, ubi primùm illuxit, ad ſpolia legenda accingunt. Quibus ad multum diei lectis, ANNIBAL ad caſtra minora ducit: ubi ab omnibus, labore, vigilijs, vulneribuſque etiam feſsis, maturior ipſius ſpe deditio eſt facta. Pacti; *Vt arma atque equos traderent: & pretio, quod convenerat, perſoluto, cum ſingulis abirent veſtimentis.* Eos intrà caſtra hoſtes recepérunt: traditique in cuſtodiam omnes ſunt; ſed ſeorſum cives, ſocijque.

Caſtra maiora, undè, quibus ſatis virium aut animi fuit, ad IV. hominum Millia, & CC. equites, Canuſium profugerant; ab ſaucijs timidiſque, eâdem conditione, quâ altera, tradita hoſti. Præda ibi ingens reperta eſt: & præter equos viroſque; & ſiquid argenti, quod plurimum in Phaleris equorum erat; omnis cætera præda à milite direpta eſt.

Tum ſepeliendi cauſsâ conferri in unum corpora ſuorum iuſsit ANNIBAL. Ad IIX. Millia fuiſſe dicuntur. (Auctores ſunt, Conſulem quoque Romanum conquiſitum, ſepultumque ab eo fuiſſe.)

Eos, qui Canuſium perfugerant, mulier quædã, BVSA nomine, genere & divitijs clara, mœnibus tantùm tectiſque à Canuſinis acceptos; frumento, veſte, viatico etiam iuvit.

PRIMVM IN P. SCIPIONE VIRTVTIS MILITARIS SPECIMEN.

Ibi quùm Tribb. Milit. quattuor eſſent, omnium conſenſu ad P. CORNELIVM SCIPIONEM, admodùm adoleſcentem; & ad App. CLAVDIVM Pulcrum, ſumma imperij delata eſt.

Cumq; illis, inter paucos, de ſummâ rerum conſultantibus nuntiatum eſſet; quaſi deſperatâ comploratâque rep. nobileis Iuvenes quoſdam, Principe L. CAECILIO METELLO, mare ac naveis ſpectare; ut deſertâ Italiâ, ad regum aliquem transfugiant. Eoque tàm atroci, quàm novo malo, cæteri torpidi conſternarentur; SCIPIO, iuvenis, fatalis dux huiuſce belli, pergit ire, paucis ſequentibus, in hoſpitium Metelli. Ibique concilio iuvenum, de quibus adlatum erat, invento; ſtrictoque ſuper capita conſultantium gladio, ſubiecit:

„ *Ex mei animi ſententiâ iuro; ut ego remp. non deſeram; neque alium civem Romanum deſerere patiar. Si ſciens fallo; tum me, Iupp. Opt. Max. domum, familiam, remq; meam peßimo leto adficias. In hæc verba L. Cæcili iures, poſtulo, cæteriq; qui adeſtis. Qui non iuraverit, in ſe hunc gladium ſtrictum eſſe ſciat.*

Quo

Quo dicto, illi haud secus pavidi, quam si Annibalem victorem cernerent; omnes iurant: custodiendosque semetipsos, contrà Annibalem, Scipioni tradunt.

Iam ad x. Millia hominum eò confluxerant.

Eoque tempore, quo hæc Canusij agebantur, Venusiam, ad Cos. ad IV. Mill. peditum equitumque, qui sparsi fugâ per agros fuerant, pervenére. Quos omneis amicè & liberaliter Venusini accepérunt, & curárunt: & præter vesteis pecuniasque, arma etiam, quibus deerant, dedérunt.

APPIUS & SCIPIO postquam incolumem esse Cos. alterum accepérunt; nuntium extemplò mittunt, quantæ secum peditum equitumque copiæ essent: sciscitatumque simul, Utrum Venusiam adduci exercitum; an manere iuberet Canusij?

Varro ipse Canusium copias suas traduxit: ut iam species aliqua consularis exercitus esset; & mœnibus se certè, si non armis, ab hoste viderentur defensuri.

ROMÆ TREPIDATIO.

Romæ, quantum numquam salvâ urbe, ingens pavor fuit & tumultus. quò iam adlatum erat; *Occidione occisos, cum duobus exercitibus, Consules; omneisq; copias deletas: nec castra Romanis, nec ducem, nec militem esse. Totam propè Italiam Annibalis iam factam.*

Hoc rerum publicè privatimque tumultu, & Senatu in Curiam Hostiliam per prætores vocato, quùm consilium non satis expedire possent; censuit FABIUS MAXIMUS: *Equites expeditos, Appiâ & Latinâ vijs, mittendos, qui de fortunâ Consulum exercituumq; certiora explorent, & referant.*

Patrum auctoritate, in tantâ magistratuum infrequentiâ, trepidationem omnem & tumultum in urbe tollendum. Custodes Portis adponendos, nec quemquam ex urbe egredi sinendum.

Quum summotâ foro per magistratus turbâ, Patres diversi ad sedandos tumultus discessissent; tum demum litteræ à TERENTIO Cos. adlatæ sunt; L. AEMILIUM Cos. *exercitumq; cæsum. Canusijq; se esse, & reliquias tantæ cladis, velut ex naufragio, colligere. Ad X. Millia Militum, sed incompositorum, esse.*

ANNIBALEM nunc ad Cannas sedere, in captivorum pretijs, prædâq; aliâ, victoriam, nec victoris animo, nec magni ducis more, metientem.

Tum privatæ quoque per domos clades vulgatæ sunt. Adeoque totam urbem opplevit luctus, ut sacrum anniversarium Cereris intermissum sit. Et ne alia sacra desererentur; luctus, Senatûs-consulto xxx. diebus finiri iussus. (Vide Valer. Max. lib. 1. cap. 1.)

Cæterùm, cum sedato urbis tumultu, revocati in Curiam Patres essent; aliæ insuper ex Siciliâ litteræ adlatæ sunt abs T. OTACILIO proprætore; *Regnum Hieronis classe Punicâ vastari. Aliam classem ad Ægateis Insulas stare instructam: ut ubi se versum ad tuendam Syracusarum oram Pœni sensissent; Lilybæum extemplò, Romanamq; circà provinciam, adgrediantur.* Classe itaque opus esse.

Litteris Cos. proprætorisque lectis, placuit: M. CLAUDIUM MARCELLUM, qui classi ad Ostiam stanti præerat, Canusium ad exercitum mitti. Scribique Consuli, ut cum prætori exercitum tradidisset, primo quòque tempore, quod commodo reip. fieri posset, Romam veniret.

Quùm prodigijs etiam super tantas clades terrerentur, & Vestalium stupris supplicijsque; placuit, Deos, humanis etiam inter cætera hostijs, Galli & Gallæ, Græci & Græcæ, placari. idque ex librorum Sibyllinorum inspectione; & irâ in Gallos, qui acciverant; & in Græciæ magnæ incolas, qui adm iserant Annibalem.

MARCELLUS ab Ostiâ Mille & quingentos milites, quos in classem scriptos habebat, Romam, ut urbi præsidio essent, mittit. Ipse legione classis, (ea Tertia erat) cum Tribuno militum, è Theano Sidicino præmissâ, & classe P. FURIO collegæ traditâ; paucis pòst diebus Canusium contendit.

Dictator ex auctoritate Patrū dictus M. IUNIUS, Pera; & T. SEMPRONIUS Magister equitum, delectu edicto, Iuniores ab annis XVII. & quosdam prætextatos scribunt. Ex quibus IV. legiones, & Mille equites effecti.

Item ad socios Latinumque nomen, pro militibus ex formulâ accipiendis, mittunt. arma, tela, aliaque parari iubent: & vetera hostium spolia templis porticibusque detrahunt. Et præ inopiâ liberorum capitum, IIX Mill. iuvenum validorum; ex servitijs empta, publicè armavérūt. (Hi VOLONES dicti, quod velle se militare, rogati, respondissent.) Et cum pretio minore redimendi, apud ANNIBALEM, captivos copia fieret; hic miles magis placuit; ratis, *Nullum in milite crimen esse capitalius, ignaviâ & officij desertione.*

Annibal quùm captivis productis, segregatisque socijs, sicut anteà ad Trebiam & Thrasymenum; hos benignè compellatos sine pretio dimisisset; Romanos quoque vocatos, quod numquam aliàs, satis miti sermone adloquutus est: *Se de dignitate atq; imperio cum Romanis certare*: itaque redimendi suis captivis copiam facere. Pretium fore in capita, equiti quingenos quadrigatos nummos: trecenos pediti, servo centum.

LEGATI EX CAPTIVIS ROMAM MISSI.

Placuit suffragio eorum decem deligi, qui Romam ad senatum irent. Nec pignus aliud fidei, quàm ut iurarent se redituros, acceptum. Missus cum his CARTHALO, nobilis Carthaginiensis: qui, si fortè ad pacē inclinarent animi, condiciones ferret.

Ubi eos Romam venire nuntiatum est; CARTHALONI obviàm missus lictor, qui Dictatoris verbis nuntiaret; ut antè noctem excederet finibus Romanis. Legatis captivorum vix ab Dictatore Senatus datus est.

Pro ijs redimendis dixit M. IUNIUS, legatorum princeps. Contrà T. MANLIUS TORQUATUS, priscæ severitatis homo: *Indignos esse qui redimantur,* pertendit. *quòd in tentorijs latentes lucem simul atque hostem exspectare maluissent; quàm silentio noctis*, duce & hortatore P. SEMPRONIO, *erum-*

pendi occasio fuisset. Et quùm orto sole hostis ad vallum accessisset; antè secundam horam, nullam certaminis fortunam experti, *arma ac seipsos tradiderunt*.

Quæ posteaquam Manlius dixit, (quamquam Patrum quoque plerosque captivi cognatione attingerent; & magno cum eiulatu eorumdem parentes Curiæ vestibulum obsiderent,) præter exempl̄ m civitatis, minimè in captivos voluntarios iam inde antiquitùs indulgentis; pecuniæ quoque summa homines movit. quia nec ærarium exhaurire, magnâ iam summâ erogatâ, in servos ad militiam emendos armandosque; nec Annibalem, maximè huiusce rei, ut fama erat, egentem, locupletari volebant.

DEFECTIO SOCIORVM.

Quantò autem hæc Cannensis clades maior superioribus cladibus fuerit, vel ea res indicio est; quòd qui sociorum ad eam diem firmi steterant; tū labare cœperint, & de imperio desperare.

Defecere autem ad Pœnos hi populi; Atellani, Calatini, Hirpini, Appulorum pars. (Polyb. Argyripani) Samnites: &, præter Petellinos, Brutij omnes; & Lucani.

Deinde Surrentini, & Græcorum omnis fermè ora: Tarentini, Metapontini, Crotonienses Locrique: & Cisalpini omnes Galli.

Neque tamen hę clades, defectionesque populorum movérunt, ut pacis umquam mentio apud Romanos fieret. Immò eo tempore tàm magno animo civitas fuit, ut Consuli Varroni, ex tantâ clade, cuius ipse præcisè magna caussa fuisset; redeunti, & obviàm itum frequenter ab omnibus ordinibus sit: & gratiæ actæ, quod de rep. non desperâsset. Cui, si Carthaginiensium ductor fuisset, nihil recusandum supplicij foret. Ei in Piceno quattuor annos continuatum imperium: & cæteris Tribunis militum, honor servatus.

COMPSA ANNIBALI TRADITA, &c.

Moverat iam ex Apuliâ in Samnium Annibal, accitus in Hirpinos à Statio Compsano. ab eoque, sine certamine, adversarijs tantùm ex urbe egressis, urbs Compsa tradita; præsidiumque acceptum est.

Ibidem prædâ omni & impedimentis relictis, ANNIBAL exercitum cum MAGONE partitus; illum quidem regionis eius urbeis, vel deficienteis ab Romanis in fidem accipere; aut detrectanteis cogere ad defectionem iubet.

NEAPOLIS TENTATA.

Ipse per agrum Campanum, mare inferum petit, oppugnaturus Neapolim, ut urbem maritimam haberet. Vndè quùm turma equitum in Numidas prædatores erupisset; à cedentibus consultò, tracta in insidias & circumventa, maiorem cladem accepisset; nisi mare propinquum, & scaphæ in littore repertæ, peritis nandi dedissent effugium. Ab urbe oppugnandâ Pœnum abstinuére conspecta mœnia, haud quaquam promta oppugnanti.

CAPVANORVM LVXVS ET PERFIDIA.

Indè Capuam flectit iter, longâ felicitate atque indulgentiâ fortunæ luxuriantem. Prona semper in luxuriam civitas; tum verò obsequio Principum & licentiâ plebis, (quorum utrumque PACVVIVS CALAVIVS obnoxium sibi fecerat) ità lascivire, ut nec libidini, nec sumtibus modus esset.

Ad contemtum legum, magistratuum, Senatûsque; accessit tum post Cannensem cladem, ut, cuius aliqua erat verecundia, Romanum quoque imperium spernerent. Id modò erat in morâ, ne id extemplò efficerent; quod connubium vetustum, multas familias claras ac potenteis Romanis miscuerat. Quodque cum militarent aliquot apud Romanos, maximum vinculum erant CCC. equites, nobilissimus quisque Campanorum, in præsidia Sicularum urbium delecti ab Romanis, ac missi. Horum parentes cognatique ægrè pervicérunt, ut legati ad Cos. Romanum, (VARRONEM, tum adhuc Venusiæ desidentem) mitterentur.

Cumque legati; *Ægrè ferre Sen. Populumq́, Campanum, adversi quidquam evenisse Romanis*, nuntiâssent; pollicerenturque omnia, quæ ad bellū opus essent. Et Consul nimis coràm ijs detegeret cladem acceptam, ac nudaret: & se, cum paucis semiermibus, bonis quidem socijs miserabilem; superbis verò atque infidelibus, uti erant Campani, vilem ac spernendum ostentaret. *Pulcrum scilicet fore Campanis, si prolapsum continenti clade Romani imperij statum, suâ fide suisq́, viribus retinerent, aut reciperarent.*

Triginta pedit. Millia, & IV. equitum, ex Campaniâ conscripta: pecunia præterea, frumentiq́, adsatim penes ipsos esse. Si parem itaq́, fortunæ suæ fidem habeant; nec Annibalem vicisse, nec Romanos victos se esse sensuros.

Hâc oratione Cos. dimissis, redeuntibusque domum legatis, unus ex ijs VIBVS VIRIVS; *Tempus venisse*, ait, *quo Campani non agrum solùm, ab Romanis quondam per iniuriam ademtum, reciperare; sed imperiô etiam Italiæ potiri possint.*

Fœdus enim cum Annibale, quibus velint legibus, facturos. neq́, controversiam fore; quin ipse, confecto bello, victor in Africam hinc decedat, exercitumq́, deportet: Italiæ imperium Campanis relinquatur.

Hæc Virio loquenti adsensi omnes: & ità renuntiant legationem, uti deletum omnibus videretur nomen Romanum.

Extemplò plebes ad defectionem, & maxima pars Senatus, spectare: Et licet res, seniorum autoritatibus, per paucos dies fuisset extracta; postremò vicit sententia plurium: *ut ijdem legati, qui ad Cos. Romanum ierant, ad ANNIBALEM mitterentur.*

Quò priùs quàm iretur, certumque defectionis consiliū esset; (ut quidam tradidére) Romā legati à Campanis missi sunt; postulantes, *Vt alter Cos. Campanus fieret*: si rem Romanam à se adiuvari vellent.

Sed indi-

Sed indignatione ortâ, summoveri à Curia iussi sunt. Missusque lictor, qui ex urbe educeret eos; atque eo die manere extrà fineis Romanos iuberet. quia Legatio ea nimis compar vetustæ Latinorum quondam postulationi erat.

CAPVANI CVM ANNIBALE PACISCVNTVR.

Legati ad Annibalem profecti, pacem cum eo his conditionibus fecerunt.

„ *Ne quis Imperator, magistratúsve Panorum, ius ullum in civem Campanum haberet.*

„ *Neve civis Campanus invitus militaret; munúsve faceret.*

„ *Vt suæ leges, sui magistratus Campanis essent.*

„ *Vt CCC. ex Romanis captivos Pœnus daret Campanis, quos ipsi elegissent: cum quibus equitum Campanorum,* (qui in Sicilia sub Romanis militarent aut stipendia facerent) *permutatio fieret.* „

His ità pactis, alia insuper quàm quæ pacta erant, fœdiora Campani, ediderunt Nam præfectos Socium, civeisque Romanos alios, partim militiæ munere aliquo occupatos; partim privatis negotijs implicitos, plebs repentè omneis comprehensos, velut custodiæ suæ caussâ, balneis includi iussit; ubi fœtore atque æstu animâ interclusâ, fœdum in modum exspirarent.

Annibal è castris modico cum præsidio in urbem venit; eamque lustrando magnam diei partem consumsit.

EGREGIA MAGII CAMPANI CONSTANTIA.

Et quum frequentes studio visendi tot iam victorijs clarum Imperatorem, sibique federatū,concurrerent; Decimvs Magivs, vir egregius, qui & legationi, ac defectioni, & civium in Romanos crudelitati, quà pote, restiterat: atque adeò ut interfecto Punico præsidio, si quod receptum esset, cives se vetustissimis consanguineisque socijs restituerent, suadere ausus erat; neque evocatus à Pœno in castra ire voluit; neque in urbem venienti obviàm egressus est.

PACVVIVS CALAVIVS ANNIBALIS HOSPES.

Pacvvivs Calavivs, Punicæ factionis Princeps, apud quem Annibal diversabatur; filium Pacollam, cui, uti acerrimo Decimianæ factionis defensori, Annibalem placârat; à cœna, ad quam unà cum Patre vocatus erat, exsurgentem, & sanguine Annibalis hospitis Romanum fedus, vel inter mensæ sacra, resarcire molientem, vix enixis precibus & lacrymis compescuit; & ut gladium darâ fide poneret, pervicit.

Annibal Magivm Decium dedi sibi postulârat; uti Punicæ amicitiæ, federisque secum facti, exsortem.

Comprehensus ille, & coràm magistratu caussam dicere iussus,cum manente ferocia animi, negaret, *lege federis id cogi posse* : tum iniectæ catenæ, ducique ante lictorem in castra iussus.

Extemploque impositus in navim, & Carthaginem missus; ne motus aliquis Capuæ ex indignitate rei oriretur. Navem Cyrenas detulit tempestas,quę tum in ditione regum erant.

Ibi quùm Magius ad statuam Ptolemæi regis confugisset; deportatus à custodibus Alexandriam, ad regem; dum eum docuisset; contrà ius federis, vinctum se ab Annibale esse;vinculis liberatur permissúmque ut rediret, seu Romam, seu Capuam mallet. Ille in regno eius vivere maluit, quem vindicem atque auctorem habuerat libertatis.

ORACVLVM DELPHIS ADLATVM.

Dum hæc geruntur, Q. Fabivs Pictor legatus, à Delphis Romam redijt; responsumque ex scripto recitavit, græco carmine, ut videtur, conscriptum; & ex eo interpretatum.

In eo Divi erant, *quibus, quoque modo supplicaretur:* Ea ut primo quoque tempore cum curâ fierent, Senatus decrevit.

Legatus coronam lauream, quâ coronatus & oraculum adierat, & rem divinam fecerat, navemque adscenderat; Romæ in arâ Apollinis deposuit.

POENORVM EX VICTORIA GAVDIVM.

Nuntius intereà victoriæ ad Cannas, Carthaginem venerat. Mago namque ab Annibale fratre præmissus, cum ei Senatus datus esset , res in Italiâ à fratre gestas exposuit. Pro quibus tot tantisque victorijs petere ; *Vt sacrum Diis immortalibus agatur & habeatur.*

Ad fidem deinde tàm lætarum rerum, effundi in vestibulo curiæ iussit annulos aureos: quorum acervus dimidium, super treis modios , expleverit. (Plin. lib. 33. cap. 50. Trimodia annulorum.) fama propior vero, haud plus fuisse modio . *Neminem nisi equitem, atque eorum ipsorum priores, id gerere insigne. Quo propius spes belli perficiendi sit; eò magis omni ope iuvandum Annibalem* . Et victoris etiam copijs parte aliquâ minutis, *supplementum,cum pecuniâ & frumento, mittendum esse*, tàm bene-meritis de nomine Punico militibus.

Post aliquantam Himilconis, factionis Barchinæ viri, cum Hannone adversario, qui ea quæ Mago vehementiùs exaggerare visus erat, gravi oratione elevabat; & ea , quæ ille postulârat, nec victoribus;nedum falsâ atque inani victoriâ frustrantibus, mittenda esse censebat; disceptationem , ingenti consensu fit S. C. *Vt Annibali X L. Numidarum Millia in supplementum mitterentur, & X L. elephanti, multaq. argenti talenta.*

Dictator Carthaginiensium cum Magone in Hispaniam præmissus, ad conducenda xx. pedit. & iv. equitum Millia. quibus exercitus,qui in Italiâ, quique in Hispaniâ erant, supplerentur.

Cæterū

Cæterùm hæc, ut in secundis rebus, segniter ab iis otioseque gesta sunt. Romanos, præter insitam animis industriam, fortuna etiam præsens cunctari prohibebat.

Dictator M. IVNIVS, præter II. urbanas legiones, quæ à Consulibus conscriptæ fuerant; & servorum delectum; cohortesque, ex agro Piceno & Gallico collectas, ad ultimum propè desperatæ reip. auxilium, reos & vinctos, qui ex ipsis apud se milites fierent, noxâ pecuniâque exsolvit. Et VI. eius generis hominum Millia Gallicis spoliis, quæ triumpho C. Flaminij olim translata erant, armavit. Itaque cum XXV. armatorum Millib. ab urbe profectus est.

NOLA AB ANNIBALE TENTATA.

ANNIBAL, Capuâ receptâ, quum iterùm Neapolitanorum animos partim spe, partim metu, nequidquam tentâsset; in agrum Nolanum exercitum traduxit, ibi paria tentaturus.

Prætorem MARCELLVM CLAVDIVM, qui Canusij cum exercitu erat, (plebe, quæ rerum novarum avida, & tota Annibalis esset, & novi fœderis conditiones exspectaret; delusâ) Senatus & primores Nolani, ad se acciverant. Sub cuius adventum Pœnus agro Nolano excessit; & ad mare proximè Neapolim descendit. Et quum eam quoque urbem à præfecto Romano teneri accepit; (M. IVNIVS SYLLANVS erat, ab ipsis Neapolitanis accitus) neutróbi admissus, Nuceriam petit.

NVCERIA DEDITA ET DIREPTA.

Eam fidam licet, Principibus cum plebe nequidquam ad deditionem solicitatis, fame tandem cepit: & ut dedititij inermes cum singulis abirent vestimentis, ex pacto, permisit. Iis, qui remansissent, ac militare secum vellent, præmia quidem atque honores proposuit; sed ea spes neminem tenuit.

Dilapsi omnes, per Campaniæ urbeis, maximè Nolam Neapolimque. Cum fermè XXX. Senatores, ac fortè primus quisque Capuam petissent; exclusi, Cumas se contulerunt.

Nuceriæ præda militi data est; urbs direpta atque incensa.

Nolam Marcellus non sui magis fiduciâ præsidij, quam voluntate Principum habebat. Plebes timebatur, & antè omneis L. BANTIVS, iuvenis acer, & in socijs nobilis eques. quem seminecem ad Cannas, curatumque, cum donis, ANNIBAL domum remiserat: & ob eius gratiam meritum, rem Nolanam in ius ditionemque Pœni dare volueràt.

Hunc prætor Rom. donis & promissis ità sibi conciliavit, ut nemo indè sociorum rem Rom. fortiùs aut fideliùs iuverit.

PVGNA AD NOLAM.

Quumque Annibal, qui Nolam rursùs à Nuceriâ castra moverat, ad portas esset; plebsq; Nolana de integro ad defectionem spectaret; & nocturna colloquia inter plebem Pœnosq; fierent; MARCELLVS Nolanis muros portasque adire vetitis; & ad treis portas, in hostem versas, exercitu tripertitò instructo, fortunam pugnæ experiri statuit.

ANNIBAL, qui sub signis, uti per aliquot dies steterat, ad multum eius diei in acie steterat; miratus, nec exercitum Rom. portâ egredi, nec armatum quemquam in muris esse: Et ratus deinde prodita esse colloquia; partem militum in castra remittit, iussos propetè omnem adparatum, oppugnandæ urbis, in primam aciem adferre.

Quod dum fit, & in sua quisque ministeria ad prima signa discurrit, succeditque ad muros acies; patefactâ repentè portâ mediâ, Marcellus signa canere, clamoremque tolli; ac pedites primùm, deinde equites, quam maximo possent impetu, in hostem erumpere iubet.

Satis illi terroris rumultûsque in aciem mediam intulerant; quùm duabus circa portis, Legati, cum novis militibus, levique armaturâ, ac sociorum equitatu, in cornua hostium erupêre.

Addidêre clamorem, & frequentiæ maioris suspicionem, lixæ calonesque, & alia turba custodiæ impedimentorum adposita.

Bis Mille, & Trecenti hostium cæsi traduntur: Romani non plus uno amisisse. Ingens eo die res gesta. *Non vinci enim ab Annibale, vincere solito, difficilius fuit, quàm posteà vincere.*

ANNIBAL spe poriundæ Nolæ ademtâ, cum Acerras recessisset; MARCELLVS, quæstione de perfidis civibus habitâ, suprà LXX. damnatos proditionis, securi percussit; bonaque eorum iussit publica esse. Et summâ rerum Senatui civitatis traditâ, cum exercitu omni suprà Suessulam castris positis consêdit.

ACERRA DESERTA, INCENSA.

Acerrani, licet initiò obstinari, ut circumvallari mœnia sua vidêrunt, desperatâ urbis tutelâ, Silentio noctis dilapsi, in urbeis Campaniæ, quæ fidem non mutârant, perfugêrunt. Annibal Acerris direptis atque incensis, exercitum ad Casilinum ducit.

CASILINVM ACRITER PROPVGNATVM.

Id opidum eo tempore Quingenti plus minus Prænestini, cum paucis Romanis, Latinique nominis, habebant. Illi seriùs post delectum, domo profecti; & nuntio adversæ ad Cannas pugnæ, ab itinere, Casilinum retrò aversi; postquàm Annibalem Capuæ acceptum pro certò habuere; interfectis nocte opidanis, & Campanis, quibus suspecti mutuas insidias metuebant; partem urbis, quæ citrà Vulturnum est, occupavêre. Idque præsidium Casilini habebant Romani.

Accesserat & Perusina cohors, homines CD. & LX. eodem nuntio, quo Prænestini, paucos antè dies Casilinum compulsi. Et satis armatorum ad tàm exigua mœnia, & flumine alterâ parte cincta, tuendum erat. Pænuria frumenti, nimium etiam ut videretur hominum, efficiebat.

Primùm Gætuli ab Annibale præmissi, & iussi

præsidiarios

præsidiarios ad Portas sibi aperiendas verbis benignis pellicere; secùs, tentare, si quà parte urbem invadere possint: dum claustra effringere parant, repulsi sunt.

Deinde MAHARBAL maiore cum robore virorum, nec ipse eruptionem cohortium sustinuit.

Postremò neque ipse Annibal, multa moliens, & castra antè ipsa mœnia opponens, fortiter resistentibus Romm. socijs, & palàm & clàm cœptis hostiû obviam euntibus; quidquam profecit. Donec eum pudor ab incepto revocavit: & modico præsidio communitis castris imposito, ne omissa res videretur; in hiberna Capuam concessit. Ibi partem maiorem hiemis exercitum in tectis habuit.

Et quos nulla mali (itinerum, laborum & præliorum) hactenus vicerat vis, perdidére nimia bona; & Campanarum deliciarum voluptates *immodicæ, corporibus animisq; paullatim enervatis*.

Cæterum nitescente iam hieme, & ducto ex hibernis milite, Casilinum redit: ubi ob continuatam obsidionem, oppidani præsidiumq; ad ultimum inopiæ erant adducti.

MARCELLVS, qui ferre auxilium obsessis cupiebat, Vulturnus inflatus aquis; & preces Nolanorum atque Acerranorum, metu Campanæ viciniæ, tenebant.

TIT. SEMPRONIVS, qui castris Romanis, Dictatore absente; & auspiciorum repetendorum caussâ, Romam profecto, præerat; licet tristia patientiæ militaris exempla nûtiarentur; cum neque pugnam iniussu Dictatoris conserere auderet;neque frumenti clàm importandi spes esset; dolia farre ex agris undique convecto complevit, quæ secundo amni Casilinum deferrentur. Donec ANNIBAL, doli certus, intentiore custodiâ cavendum curavit, ne quid falleret Vulturno ad urbem missum.

Deinde nuces fusæ, in amnem, eódem delatæ & cratibus exceptæ.

Postremò ad id ventum inopiæ est; ut lora, detractasque scutis pelles, ubi ferviduà mollissent aquâ, mandere conarentur. Nec muribus, alióve animali abstinerent: & omne herbarum radicumque genus aggeribus infimi muri eruerent. Et quum obarássent, quidquid herbidi terreni propè murû erat, raporum semen iniecérunt.

CASILINI DEDITIO GLORIOSA.

Adeò ut Annibal longiorem ad Casilinum sessionem veritus, qui nullam anteà pactionem auribus admiserat, tum demum agi secum passus sit de redemtione liberorum capitum.

Et quidem septunces auri (63. coronati) in singulos pretium convenit. fideque accepta sese tradidérunt. Et donec aurum omne persolutum est, in vinculis habiti. tum remissi Cumas cum fide.

Prænestini, uti diximus, maxima pars fuére. Ex quingentis septuaginta, qui in præsidio fuérût; minus dimidium ferrum famesque absumsit. Cæteri incolumes Præneste cum prætore suo MANITIO (scriba is anteà fuerat) rediérunt. Prætori statua in foro urbis posita: & militibus Prænestinis Senatus Rom. duplex stipendium, & quinquennem militiæ vacationem decrevit. Civitate cum donarentur ob virtutem, non mutaverunt.

Perusinorum casûs obscurior fama est; nec ipsorum monimento ullo, nec decreto Romanorum illustratus.

Casilinum oppidum redditum est Campanis; firmatumque DCC. militum, de exercitu Annibalis, præsidio.

PETELLINORVM FIDES ET CONSTANTIA.

Eodem tempore Petellinos, qui uni ex Bruttijs in amicitiâ Romanâ manserant; non Carthaginienses modò, regionis potentes; sed Bruttij quoque cæteri, ob separata ab se consilia, oppugnabant.

Quumque missis Romam ad præsidium petendum legatis, nec precibus, nec lacrymis, impetratent; sed fide ad ultimum expletâ, consulere sibimetipsi, pro præsenti fortunâ, iussi essent; post aliquantam trepidationem, convectis omnibus ex agris, urbem ac muros firmare decrevérunt.

Par ferè responsum datum proprætoribus Siciliæ & Sardiniæ. OCTACILIO, & CORNELIO MAMMVLÆ: Non esse unde stipendium frumentumve mitteretur: *Ipsi sibi exercitibusq; consulerent*.

OCTACILIVS, ab HIERONE quantum argenti opus fuit: & VI. mensium frumentum accepit. CORNELIO in Sardiniâ civitates sociæ benignè contulérunt.

Et Romæ quoque propter pænuriam argenti, Triumviri mensarij facti sunt. Et tres Pontifices, totidem alijs, qui pugnâ Cannensi ceciderant, suffecti.

DICTATOR NOVO DELECTV SENATVM EXPLET.

Et quùm ad explendam Curiæ solitudinem, M. FABIVS BVTEO, per C. TERENTIVM Cons. ex S. C. sine Magistro equitum Dictator in VI. mensis dictus esset; ipse rebus tàm novis modum imposuit: & recitato vetere Senatu, indè primum in demortuorum locum legit, qui post L. AEMILIVM & C. FLAMINIVM censores (quinquennio ferè antè) curulem Magistratum cepissent; & necdum in Senatum lecti essent; ut quisque eorum primus creatus erat.

Tum legit, qui Ædiles, Tribuni, Prætores Quæstorésve fuerant: tum ex ijs, qui spolia ex Rom. hoste fixa domi haberent, aut civicam coronam accepissent. Ita CLXXVII. cum ingenti approbatione omnium, in Senatum lectis, extemplò se magistratu abdicavit: summo cum honore & frequenti omnium adplausu, quæ ceu vana ille fugerat, domum deductus.

Consul nocte insequenti ad exercitum redijt. Eoque absente, ex decreto Senatûs, Dictator IVNIVS cum Magistro equitum, T. SEMPRONIO; & prætore M. MARCELLO (qui relictis legatis in exercitu, omnes mòx advenérunt) accitus, comitia edixit; quibus L. POSTHVMIVS III. (absens ille tum

tum Galliam provinciam obtinebat) & T. SEMPRONIVS GRACCHVS (qui tum Magister equitum è castris adcurrerat) Coss. crearentur. Dictator cõfestim Theanum in hiberna ad exercitum rediit,

Et Sempronius Cos. iam designatus, Romæ relictus, de exercitibus comparandis Patres consulebat; quùm nova clades nuntiatur. L. POSTHVMIVM Cos. designatum ad Litanam, Galliæ Togatæ Silvam, cum exercitu deletum.

CLADES A GALLIS AD SILVAM LITANAM.

Ille suprà binas Rom. legiones, tantùm sociorum ab supero mari conscripserat, ut XXV. armatorum Millia in agros hostium induceret.

Galli eius, quam dixi silvæ oras ità circumsederant; ut simulatque Romani saltum intrâssent, arborum incisarum impulsu & lapsu, arma, viros & equos, ancipiti strage obruerint; & cæteros inopinato malo trepidos interfecerint. Capnt consulis præcisum, & auro cælatum, Templo apud ipsos sanctissimo illatum est, & sacro vasi destinatum.

A Gallis nihilo minus tàm dira ausis, in Pœnos, belli auctores, pro tempore, conversa est ultio. *Cætera ijs victis, in Deorum ac pop. Romani potestate fore.*

Exercitus Dictatoris, Consuli decretus. Qui ex Cannensi strage fugissent, & commilitones in pugnâ deseruissent; in Siciliam eos traduci, atque ibi militare, donec in Italiâ bellum esset, placuit. Eodemque reijci, ex Dictatoris legionibus, minimi quemque roboris aut pretij.

BELLVM IN HISPANIA.

Dum hæc in Italia geruntur, adparanturque; nihilo segniùs in Hispania bellum erat; sed ad eam diem magis prosperum Romanis. Fratres SCIPIONES inter se partiti copias; ut Cn. terrâ; Pub. Mari navibusque, rem gererent.

ASDRVBAL neutri parti virium satis fidens, procul & locis rutis se tenebat. Eique diu obtestanti, IV. Mill. pedit. & D. equites in supplementum ex Africâ missi. Et dum classem instaurare molitur; in præfectos navium, qui transfugerant; & motu in Carpesiorum gente facto, urbeis aliquot ad defectionem adegerant; & Asenam in cæteris, vi ceperant; arma ab Rom. avertere est coactus.

Quibus tandem domitis, subinde ab Carthagine adlatum est; ut ipse primo quoque tempore in Italiam exercitum duceret. Quæ vulgata res per Hispaniam, omnium fermè animos ad Rom. convertit.

Carthaginienses, quibus Italiæ cura prior potiorque erat, HIMILCONEM tantùm cum exercitu iusto, & auctâ classe, ad retinendam terrâ marique, ac tuendam Hispaniam, misêrunt.

ASDRVBAL priusquàm castra ex Hispaniâ moveret; pecunias populis omnibus suæ ditionis imperat: Iisque raptim exactis, ad Iberum descendit.

Ea ubi ad Rom. sunt perlata, ambo duces iunctis copijs ire obviàm cœptis atque obsistere parant; nè ASDRVBAL dux, atque Hispaniensis exercitus, Annibal in Italia iungantur.

Quumque illi, ut hostem ab itinere proposito morentur, urbem Iberam; & ASDRVBAL vicissim pro ope socijs ferenda, aliam urbem, nuper in fidem Roman. deditam, oppugnare, pararent; omissâ tàdem utrimque obsidione castra castris contulerunt. Et post aliquot velitationes, uno eodemque die, velut ex composito, signum pugnæ utrimque propositum; atque omnibus copijs in campum descensum est.

Romani, quibus reditus in patriam, & Italiæ salus, eo pugnæ discrimine verteretur; obstinaverant animis, vincere, aut mori.

Hispani, quorum in alterâ acie maxima pars, vinci in Hispaniâ, quàm victores in Italiam trahi malebant.

Primo igitur concursu, & vix pilis coniectis, retulit pedem media acies, Hispanis maximè firmata; & inferentibus sese magno impetu Romanis terga vertit. Quibus pulsis, & totâ in medium coëunte Romm. acie, cornua hinc Pœnorum, inde Afrorum, post acre prœlium, dimota, & profligata sunt. Magna vis hominum ibi occisa.

Mauri Numidæque equites, simul inclinatam mediâ aciem vidêre; effusâ fugâ nuda cornua, elephantis quoque præ se actis, extemplò deseruerant.

Et ASDRVBAL usque ad ultimum eventum pugnæ moratus, è mediâ cæde cum paucis effugit. Castra Romani cepere, atque indè diripuére.

Ea pugna, si qua dubia in Hispania erant, Romanis adiunxit. & Roma, nõ tàm victoriâ, quam prohibito Asdrubalis in Italiam transitu, lætabatur.

PETELLIA EXPVGNATA.

Intereà Petellia in Bruttijs, aliquot post mensibus, quàm cœpta oppugnari erat; ab IMILCONE, Annibalis præfecto, expugnata. Multorumque sanguine ac vulneribus ea Pœnis victoria stetit. Nec ulla magis vis obsessos, quàm extrema fames expugnavit: ut vires ad standum in muris ferendaque arma civibus deessent. Pœnus inde ad Consentiam copias traducit. quam minus pertinaciter defensam, intrà paucos dies in deditionem accepit.

CROTON DEDITVR.

Crotonem Græcam urbem, circumsedit, opulentam olim annis virisque: tum varijs adeò cladibus adflictam, ut vix omnis ætatis XX. Millia civium superessent. Eâ itaque defensoribus vacuâ facilè potiti sunt.

Arx tantum retenta: in quam, & inter tumultum captæ Vrbis, è mediâ cæde quidam effugére.

Locri quoque multitudine à Principibus proditâ, ad Bruttios Pœnosque paullo post descîscunt.

Rhegini

Rhegini soli, eâ in regione, & in fide erga Romanos; & potestatis suæ ad ultimum mansére.

SICILIA FLVCTVAT.

In Siciliam quoque eadem animorum inclinatio penetravit. & ne domus quidem HIERONIS tota ab defectione abstinuit. Namque GELON, maximus stirpis, contemtâ simul senectute patris; simul post Cannensem cladem, à Romanâ societate, ad Pœnos defecerat. Movissetque in Siciliâ res, ut patrem quoque suspicione adspergeret; nisi mors adeò opportuna, armantem eum multitudinem, sociosque solicitantem, occupásset.

MARITIMÆ PHILIPPI MOLITIONES.

PHILIPPVS autem Macedo, dum in hibernis esset, ut suprà diximus, opus sibi navium adparatu ratus, non tam ad pugnam navalem (imparem quippe se Romanis, mari, esse sciebat) quàm ad copias in Italiam obiter transmittendas; c. lembos fabricari iusserat. & ineunte æstate, factoque per Euripum & Maleam itinere, ad loca, Cephallenniæ & Leucadi proxima, cum classe venerat: & castra in terrâ posita, Romanæ classis metu, vallo ac fossâ diligenter communierat.

Vbi verò eam circa Lilybæum versari ab exploratoribus didicit; cæptum iter prosequens, cursum ad Apolloniam dirigit. Ibi vano & panico terrore perculsus, collectis ancoris, inhibere remos, atque iter convertere iussit.

DERCYLLAÏDAS namque quùm audisset illam lemborum classem à PHILIPPO magno studio instrui; eamque in se, multis nominibus invisum, parari arbitraretur; auxilium à Romanis per legatos implorárat. & Romani X. naveis quinqueremeis, è Lilybetanâ classe submiserant. Eædem Rhegium prætervectæ, & à regijs naviculatoribus conspectæ; regem ab incepto absterruérunt.

Quod si in præsens contemsisset; & navibus ijs potiri, & peropportunum ad res Illyricas tempus habere potuisset, Romanis non unâ clade adflictis.

PRVSIAS GALLOS EXTERMINAT.

Sub idem tempus PRVSIAS rem memoratu dignam gessit. Quùm namque Galli, quos ex Europâ rex ATTALVS adversus ACHÆVM in Asiam accesserat, à rege digressi, universas Hellesponti civitates cupide crudeliterque depopularentur; & Iliensium quoque urbem obsidione cinxissent; ab Alexandrinis, THEMISTE, quodam ad IV. hominum millia, duce; ex omni Troade ejecti sunt.

Et PRVSIAS adversus eosdem, qui Arisbâ ex Abydenis interceptâ denuò in vicinos omneis insultabant; cum copijs profectus, inito mox prœlio profligavit: uxoresque eorum cum filijs impuberibus, sine discrimine interfecit.

3739.
8. Ant. Mag.
7. Pt. Phil.

211.

Circumacto III. anno Punici belli, Idib. Mart. T. SEMPRONIVS Cos. II. magistratum inijt, solus.

Et paullo-pòst comitijs, uni Consuli rogando, in locum L. POSTHVMII, edictis, creatus erat ingenti plebis consensu, M. CLAVDIVS MARCELLVS, qui extemplò magistratum occiperet.

Is verò à Cos. SEMPRONIO, ad permutandos exercitus, in Campaniam, fremente plebe, proficisci iussus antè fuerat.

Sed eo iam ineunte, quùm tonuisset; vocati Augures vitio creatum videri pronuntiavérunt. vulgoque patres ita famâ ferebant: *Quòd tum primùm duo plebeij Consules facti essent; id Deis cordi non esse.* Atque ita in locum MARCELLI, ubi is se magistratu abdicavit, suffectus est FABIVS MAX. tertiùm

Consules exercitus inter se divisérunt: & FABIO quidem, is, cui M. IVNIVS Dictator præfuerat, obvénit: SEMPRONIO, Volonum quod fuerat, & sociorum XXV. M. M. VALERIO Præt. legiones, quę ex Siciliâ redissent, decretæ. M. autem CLAVDIVS Procons. ad eum exercitum, qui supra Suessulam Nolæ præsideret, missus. Prætores in Siciliam ac Sardiniam profecti.

SARDINIA AD POENOS DEFICIT.

Interim Carthaginem (unde MAGO, frater ANNIBALIS, XII. pedit. M. & MD. equit. XX. elephantos, & mille argenti talenta in Italiam transmissurus erat cum præsidio LX. navium longarum) nuntius adfertur, in Hispaniâ rem malè gestam: omneisque eius provinciæ populos ad Romanos defecisse.

Simul & Sardiniæ recipiendæ repentina ijs spes adfulsit, missâ clam per principes eius Insulæ, auctore primario HARSICORA, ad Pœnos legatione: *Sibi imperij Romani pertæsis nihil deesse aliud, quàm auctorem, ad quem deficiant.*

Mittitur itaque cum classe suâ & copijs in Hispaniam MAGO. Et in Sardiniam ASDRVBAL, cognomento Calvus, dux delectus: eique tantum ferè copiarum, quantum MAGONI, decretum.

FABII COS. INDVSTRIA.

FABIVS Cos. ad bellum profecturus, edixit; ut frumenta omnes ex agris, antè Kal. Iunias, in urbeis munitas convehérent: secus eorum, ceu perduellium se agrum populaturum, villas incensurum, servos sub hastâ vendituram.

Nec Prætoribus quidem urbanis vacationem à belli administratione dedit. Ex quibus, M. VALERIVM LÆVINVM in Apuliam ire placuit, ad exercitum à TERENTIO accipiendum. quùmque ex Siciliâ legio-

liâ legiones venissent,is potissimum uti, ad regionis eius præsidium, Terentianum verò militem illuc mitti,cum aliquo legatorum.

Eidem VALERIO XXV. naves datæ, quibus oram maritimam,Brundisium inter ac Tarentum, tutari posset.

Par navium numerus Q. FVLVIO FLACCO, urb. Præt. decretus,ad suburbana littora tutanda.

C. TERENTIO Procons. negotium datum, ut in Piceno agro conquisitionem militum haberet,locisque ijs præsidio esset. Et T. OTACILIVS CRASSVS in Siciliam cum imperio,qui classi præesset, missus.

LEGATIO PHILIPPI AD ANNIBALEM.

In hanc dimicationem duorum potentissimorum toto orbe populorum, omnes reges gentesque animos intenderant. Inter quos PHILIPPVS, eò magis, quòd Macedonia propior Italiæ,ac mari tantùm Iônio discreta esset; cum fortunâ in Pœnos inclinabat:Mittit itaque ad ANNIBALEM legatos,qui evitatis Brundisij Tarentique portubus, ad Laciniæ Iunonis Templum in terram egressi; & inde per Apuliam, petentes Capuam, media in præsidia Rom. illati:& ad M. VALERIVM LÆVINVM, qui circa Nuceriam(al. Luceriam)castra habebat, deducti sunt.

Ibi intrepidè XENOPHANES,legationis princeps, à PHILIPPO rege se missum adfirmat. ad amicitiam societatemque cum pop Rom. iungendam, mandata eâ de re habere ad Coss.ac Senatum populumque Romanum.

VALERIVS inter defectiones veterum sociorum, novâ tam clari regis societate lętus admodùm, hostem pro hospite comiter accipit, & fidos itinerum duces attribuit.

Legati Macedones, per præsidia Romanorum in Campaniam;inde quà proximum fuit,in castra ANNIBALIS pervenérunt: fedusque cum eo atque amicitiam iunxére, his legibus: „ *Vt PHILIPPVS rex quam maximâ classe (CC ferè navium) in Italiam traijceret;vastaret maritimam oram;bellum pro parte suâ terrâ mariq; gereret.*

Vbi debellatum esset; Italia omnis, cum ipsâ urbe Româ, prædáq; omni Carthaginiensium atque ANNIBALIS esset.

Perdomitâ verò Italiâ, in Græciam simul navigarent; bellumq; cum quibus regibus placeret, gererent. Quæ civitates continenti, quæ insulæ ad Macedoniam vergunt; ea PHILIPPI regniq; eius essent.

Remissi vicissim cum Macedonibus, ad regis ipsius firmandam fidem, à Pœnis legati, GISCO, BOSTAR, & MAGO; eòdem, ad Iunonis Laciniæ Templum, ubi navis occulta in statione erat, perveniunt.

Inde provecti quùm altum tenerent, & conspecti à classe Romanâ essent; atque ad navem persequendam retrahendamque Q. FLVVIVS FLACCVS Corcyræos misisset;regij primò fugere conati; deinde, ubi celeritate victi cessérunt,ad præfectum classis adducti sunt.

Ex litteris ab ANNIBALE ad PHILIPPVM deprehensis, compertum. quid consilij ambo caperent. Captivi comitesque eorum Romam ad Senatum; aut ad Coss. ubicumque essent,ut deportarentur,L. VALERIO ANTIATI cum curâ & navibus commissi sunt.

In Sardiniam,quam ad bellum ac defectioné spectare CORNEL. MAMMVLA retulerat; ob Q. MVTII, qui ei successerat,periculosum morbum, missus est, iussu FLVVII FLACCI, cum v. pedit. mill. & CD. equitibus T. MANLIVS TORQVATVS, qui Consulatu priore Sardos subegerat.

Et sub idem ferè tempus, classis in eamdem Insulam, duce ASDRVBALE Calvo, Carthagine missa, fœdâ tempestate ad Baleareis Insulas eiecta, dum naves quassatæ reficiuntur; rei gerendæ moram iniecit.

CVMANI TENTANTVR, EORVMQVE DOLVS.

Quùmque in Italiâ, post Cannensem pugnam, fractis alterius partis viribus; alterius (Punicæ) mollitis luxuriâ animis, segnius bellum esset; Campani per se adorti sunt,rem Cumanam suæ ditionis facere; partim apertè eos ad defectionem sulicitando; partim tectiore publici conventûs dolo.

Invitant illi Cumanum Senatum, ad statum Hamis sacrificium,ubi in commune consultarent;quos pro ijsdem uterque populus socios hostesve haberet.

Cumani, quamquam suspecta fraus erat; nihil abnuére; ita tegi fallax consilium posse rati. & Tit. SEMPRONIO Cos. qui circa Liternum castra posuerat;nuntiandum curant, quid Campani moliantur. Triduum post enim diem festum esse: cum omni Senatu castra etiam & exercitum Campanum ibi futurum.

Consul, iussis Cumanis omnia, ex agris in urbem convehere,& intra muros manere; Cumas movet castra,unde Hamæ III. pass. millibus aberant.

Iam Campani eò frequentes ex composito, convenerant: Nec procul inde, MARIVS ALFIVS (al. Medi stuticus, qui summus magistratûs erat Campanis) cum XIV. militum millibus habebat castra: sacrificio,& instruendę fraudi intentior, quàm muniendis castris aut operi militari.

Triduum ad Hamas sacrificatum.& nocturnum erat sacrum,ita ut ante mediam noctem cōpleretur.

Huic GRACCHVS insidiandum tempori ratus; custodibus ad portas positis,ne quis enuntiare posset; à sextâ ad decimam diei horam,coactis militibus,corpora cibo somnoque curare,& primis tenebris ad signum convenire; Vigiliâ fermè primâ, tolli iussit signa; silentique profectus agmine, cum ad Hamas mediâ nocte pervenisset;castra Campana,ut in pervigilio neglecta, simul omnibus portis invadit. Alios somno stratos;alios perpetrato sacro inermeis, redeunteis,obtruncat. Cęsa eo tumultu plus II. millia, cum ipso duce ALFIO: capta signa militaria XXXIV. GRACCHVS minùs C. militum iacturâ castris hostium potitus, Cumas se properè recepit; ab ANNIBALE metuens, qui supra Capuam ad Tifata castra habebat.

Et certè is ratus Romanos in prædis agendis adhuc occupatos inventurum, citato agmine ad Hamas pervénit. Vbi vacua ab hostibus castra, nec quidquam, præter recentis cædis vestigia, & strata passim

passim sociorum corpora, invenit; & retrò in castra sua se recepit.

CVMÆ OPPVGNATÆ ET DEFENSÆ.

Inde fatigatus Campanorum precibus, sequenti die cum omni adparatu oppugnandę urbis, Cumas redit; & agro populato mille passus ab urbe castra locat. GRACCHVS magis verecundiâ deserendi socios, quàm satis fidens exercitui, ibi subsistit.

FABIVS interim, alter Cos. qui ad Cales castra habebat; neque Vulturnum traijcere ausus erat exercitum: primò auspicijs Romæ repetendis, deinde prodigijs expiandis, occupabatur.

Et iam ANNIBAL operibus Cumas oppugnabat: neque segniùs Cos. Romanus omni missilium genere urbem mœniaque tuebatur.

Et quùm inter operum incendia, trepida armatorum Pœnorum multitudo de turri, quam proximè muro admoverant, sese præcipitâsset; eruptione ex opido simul duabus portis factâ, stationes hostium fudit fugavitque in castra. Ad M. CD. Carthaginiensium cæsi; capti pauciores, & ex-improviso oppressi. ANNIBAL, postquam acie, urbem inter & castra, instructâ, hostem ad iustum prœlium frustrà lacessijsset; infectâ re in castra ad Tifata reversus est.

RES IN LVCANIS PROSPERÆ.

Iisdem diebus & in Lucanis ad Grumentum, T. SEMPRONIVS LONGVS cum HANNONE Pœno prosperè pugnans, suprà II. hominum mill. occidit, vix CCLXXX. militibus amissis. signa militaria ad XLI. cepit.

HANNO finibus Lucanis pulsus, retrò in Bruttios se recepit. Tria ex Hirpinis opida, quæ defecerant, per M. VALERIVM Prætorem recepta: defectionis auctores securi percussi; & supra mille captivorum sub hastâ veniérunt.

LEGATI MACEDONIS ROMÆ SISTVNTVR.

Interea naves V. quæ Macedonum atque Pœnorum legatos captos Romam portabát, à Supero mari ad Inferum circumvectę, & Cumas adpulsæ sunt; & captivi cum litteris ad Cos. GRACCHVM deducti. Qui ille omnia consignata ad Senatum itinere terrestri misit; & navibus devehi legatos iussit.

Cum eodem ferè die litteræ legatique Romam venissent; & percunctatione factâ, dicta cum scriptis congruerent; extemplò agitatum est, quemadmodum ultrò inferendo bellum, averterent ab Italiâ Macedonem. Captivis in vincula conditis, eorumque comitibus sub hastâ venditis; Decretum; ut M. VALERIVS LÆVINVS Tarentum ad classem, quæ L. navium erat futura, profectus, non modò Italiæ oram tueretur; sed primo quoque tempore in Macedoniam transmitteret; daretque operam, ut PHILIPPVM in regno contineret.

NOVA PHILIPPI AD ANNIBALEM LEGATIO.

PHILIPPVS ubi cognovit legatos suos cum litteris captos; & ignarus esset, quæ cum ANNIBALE legatis suis convenissent, quæve legati eius ad se adlaturi fuissent; legationem aliam cum eisdem mandatis mittit. cuius principes HERACLITVS Scotinus, CRITON Berrhæus, & SOSITHEVS Magnes, prosperè tulérunt ac rettulérunt mandata. Sed priùs se æstas circumegit, quàm movere ac moliri rex quidquam posset.

Et iam circa Capuam, FABIO, post expiata tandem prodigia, Vulturnum transgresso, ambo Coss. rem gerebant; & aliquot, quę ad Pœnos defecerant, opida, & in ijs ANNIBALIS præsidia, vi cepérunt.

Quumque Nolæ, sicuti priore anno, Senatus Romanorum, plebes, ANNIBALIS esset; & occulta de cæde principum, & urbis proditione, consilia inirentur; ne ijs incepta procederent, exercitu, Capuam inter, castraque ANNIBALIS, quæ in Tifatis erant, transducto; FABIVS super Vesuvium in castris Claudianis consedit; atque MARCELLVM Proconsulem, cum ijs, quas habebat, copijs, Nolam in præsidium misit.

BELLVM IN SARDINIA CVM HARSICORA.

T. verò MANLIVS, Proprætor, in Sardiniam ut venit, navibus longis ad Caraleis subductis; navalibusque socijs, ut terrâ rem gereret, armatis; exercituque à Prætore (Q. MVCIO) accepto, qui iam XXII. pedit. millia & MCC. equites confecerat; profectus in agrum hostium, haud procul ab HARSICORÆ castris castra posuit. HARSICORA verò tum fortè ad Pellitos Sardos profectó, ut armatâ inde Iuventute copias augeret; filius eius, nomine HIOSTVS, castris præfectus, adolescentia ferox, prœlio temerè inito fusus fugatusque. Ad XXX. Sardorum mill. eo prœlio cæsa: mille circiter & trecenti vivi capti.

Alius exercitus, primò per agros silvasque fugâ palatus: dein, quò ducem fugisse fama erat, ad urbem, nomine Cornum, eius regionis caput confugit.

Debellatumque eo prœlio in Sardiniâ esset; ni classis Punica, cum duce ASDRVBALE, è Balearibus, in tempore ad spem rebellandi advenisset. MANLIO itáque ad famam classis Caraleis se recipiente; HARSICORA Pœno se coniunxit.

ASDRVBAL copijs in terram expositis, & classe Carthaginem remissâ, ad sociorum pop. Roman. agrum populandum profectus; Caraleis erat perventurus, ni MANLIVS obvio exercitu ab effusâ eum populatione continuisset: & post levia certamina in aciem descendisset.

Hic signis collatis, iustoque prœlio per quattuor horas pugnatum. pugnam diu ancipitem, Sardis facilè vinci adsuetis, Pœni fecére. donec & ipsi terga darent; & circumducto cornu, quo Sardi pulsi fuerant, à Romanis includerentur.

Cædes inde magis quàm pugna fuit. XII. hostium milli cæsa, Sardorum simul Pœnorumque III. cr-

III. circiter mill. & ccc. capti,& XXVII. militaria signa. Victoriam memorabilem fecére. ASDRUBAL imperator, HANNO belli concitator, MAGO propinquâ cognatione ANNIBALI iunctus, in manus victoris delapsi.

Ex Sardis, HIOSTUS Harficoræ F. in acie cecidit. Pater,auditâ filij nece, mortem sibi ipse conscivit.

Cornus, eadem, quæ antè, fugæ receptaculum, intra paucos dies à MANLIO recepta. Aliæ deinde civitates, obsidibus datis, sese certatim dediderunt, stipendio aut frumento imperato multatæ.

MANLIUS navibus longis è Caralitano portu deductis; impositoque, quem secum advexerat, milite, Romam navigat. & stipendium Quæstoribus; frumentum Ædilibus; captivos FULVIO Prætori tradidit.

Per idem tempus OCTACILIUS Præt. L. navium classe ab Lilybęo in Africam transvectus,agrumque Carthaginiensem depopulatus, quùm Sardiniam inde peteret; classi Punicæ Africam repetenti occurrit. & certamine in alto commisso, VII. inde naves cum socijs navalibus cepit. cæteras metus, haud secus quàm tempestas,passim disiecit.

Tum & BOMILCAR cum militibus ad supplementum Carthagine missis, XL; elephantis, & commeatu, ad Locros accessit; inde ad HANNONEM in Bruttios profectus. APPIO CLAUDIO frustrà multa conante, & Locrorum portis exclusò.

NOLAM ITERUM TENTAT ANNIBAL.

MARCELLUS ab Nolâ,quam præsidio obtinebat, crebrò in agrum Hirpinum, & Samnites Caudinos excurrens, adeò omnia ferro atque igni vastavit; ut antiquarum cladium memoriam Samnio renovaret: & ipsi legatos ad ANNIBALEM expostulatum mitterent. Quorum querelis instigatus ille, modico in Trifatis præsidio relicto, profectus,cum cætero exercitu Nolam ire pergit.

Eodem HANNO ex Bruttijs,cum recenti supplemento, atque elephantis venit.

MARCELLUS, qui inter prædandum, eatenus nihil aut fortunæ, aut hosti temerè commisisset; ubi hostem adventare sensit, copias intra mœnia tenuit: & per muros inambulare Senatores Nolanos iussit; omniaque circa explorare, quæ apud hosteis fierent.

ANNIBAL, primarijs aliquot è civitate frustrà ad colloquium de societate;urbeque,desertis aut proditis Romanis, dedendâ, per HANNONEM evocatis, & compellatis;ubi spem Nolæ per proditionem recipiendæ ablatam vidit; opidum coronâ circumdedit,ut simul ab omni parte mœnia adgrederetur.

Quem ut successisse muris MARCELLUS vidit;instructâ intra portam acie, cum magno tumultu erupit.Vbi atrocem pugnam effusus ingentibus procellis imber diremit, nemine ex Romanis desiderato.

Triduo pòst, quùm ANNIBAL partem copiarum prædatum in agrum Nolanum misisset,Marcellus extemplò in aciem copias eduxit: neque Annibal detrectavit:In campo itaque urbi proximo concurrérunt. & Nolani aciem Romanam auxerant; sed eos Marcellus in subsidijs state, & pugnâ abstinere iussit, nisi ab se signum accepissent.

Prœlium erat anceps. summâ vi & duces adhortabantur, & milites pugnabant. Tandem pulsi omni parte Pœni terga vertunt.& in castra compelluntur. Quæ oppugnare cupienteis milites, MARCELLUS magno cum gaudio, & plebis, antè in Pœnos inclinatioris, gratulatione, Nolam reducit. Hostium plus mille eo die cæsi:capti DCC. & signa militaria XIX. Ex elephantis IV.in acie occisi, II. capti. Romanorum minùs mille interfecti. (Plut. Marcello, & ver. lib. Hostium plùs vel cæsi eo die,vel vivi capti, V. millia.)

Posterum diem,inducijs datis,sepeliendo utrimque in acie cęsos consumsérunt. Spolia hostium Marcellus, Vulcano votum, cremavit.

Tertio pòst die (vel ob iram credo aliquam, vel ob spem liberalioris militiæ) CCLXXII. equires, mistì Numidæ, Hispanique, ad Marcellum transfugérunt. quorum forti fideliquе operâ eò in bello usi sæpe Romani: & ipsi, in suâ utrique patriâ, post bellum,agro lato,virtutis caussâ,donati.

DUORUM EQUITUM AD CAPUAM DUELLUM.

Q. FABIUS, castris propiùs Capuam motis agrum Campanum latè depopulatus est. & coacti Campani egredi portis, & castra ante urbem in aperto communire: quod equitatu pollebant, equestribus prœlijs hostem lacessebant. Ibi singulare & præclarum ex provocatione, inspectante utrimque exercitu, certamen duorum equitum, IUBELLII TAUREÆ Campani, & CLAUDII ASELLII Romani, sed incruentum. non tamen sine Romanæ virtutis & constantiæ gloriâ.

Quieta inde stativa fuére, ac retrò etiam Cos. castra movit, ut sementem Campani facerent. nec antè agrum eorum violavit, quàm iam altæ in segetibus herbæ pabulum præbere poterant. Id convehi curavit in Claudiana castra super Suessulam, ibique hiberna ędificavit.

SUBSIDIA IN HISPANIAM SCIPIONIBUS SUBMISSA, ET MEMOrabilis victoria.

Quùm verò ex Hispaniâ fratres SCIPIONES, & res à se gestas, & stipendij frumentique & aliarum rerum penuriam, litteris ad Senatum significâssent: FULVIUS Prætor, publicas necessitates populo indicavit: exhortatusque est, qui redemturis auxissent patrimonia, ut reip. ex quâ crevissent, ad tempus commodarent: conducerentque, ex lege, præbenda, quæ ad exercitum Hispaniensem opus essent. ut cum pecunia in ærario esset,ipsis primis solveretur.

Quùm autem hi commeatus, per redemtores & publicanos Romæ coemti, in Hispaniam venérunt: Illiturgi opidum ab Asdrubale,& Magone Hamilcaris,& Asdrubale Gilgonis, FF. ob defectionem ad Rom. oppugnabatur.

Inter

Inter hæc terna hostium castra, SCIPIONES frumentum, cuius inopia erat, non sine certamine & strage obsistentium, in urbem invexérunt:& confirmatis opidanis, sine morâ, ad castra maxima, quibus ASDRVBAL præerat, educunt.

Eódem duo alteri Pœnorum duces, cum suis exercitibus, concurrérunt: & factâ è castris eruptione, pugnam conferuérunt. LX. hostium mill. eo die in pugnâ fuérunt; XVI. circiter Romanorum. Tamē adeò haud dubia victoria fuit, ut plureis, quàm ipsi erant, Romani hostium occiderint. ceperint amplius III. hominum mill. paullo minus mille equorum, LIX. militaria signa. elephantis V. in pugna occisis; ternisque castris eo die potiti. Pœni autem de integro suppletis ex provinciâ ipsâ, & belli avidâ, & Iuventutis abundante, copijs, ad Iodibili, alterum opidum oppugnandum, exercitus suos traduxerant. Signis ibi iterum collatis, eâdem fortunâ utriusque partis pugnatum. Supra XI II. hostium mill. cæsa, supraque I II. capta, cum signis XLII. & IX. elephantis. Tum verò omnes propè Hispaniæ populi ad Romanos defecérunt.

MAGNÆ GRÆCIÆ VRBES TENTANTVR.

HANNO verò in Italiâ, ubi ex Campaniâ in Bruttios redijt, adiutoribus & ducibus Bruttijs, Græcas urbeis tentavit; quæ eò faciliùs in societate manebant Romanâ, quòd Bruttios, quos oderant & metuebant, iam factionis Punicæ factos esse cernerent.

Locri, metu victi, ob suos, dum palantur, urbe interclusos, AMILCAREM Pœnosque eâ conditione, ut fedus æquis legibus fieret, in urbem accepérunt: L. ATILIO, præfecto præsidij, quique cum eo milites Romani erant, clam in portum deductis, atque impositis in naveis; ut tutò Rhegium devehererentur.

Pœni insecuti, si quo casu in freto æstûs morari, aut deferre naveis in terram possent; postquam alias à Messanâ traijcienteis freto Rhegium naveis conspexérunt, quibus milites Romani à CLAVDIO Prætore mittebantur, ad obtinendam præsidio urbem, extemplò inde abscessérunt.

INTESTINA IN VRBIBVS DISSCIDIA.

Vnus velut morbus invaserat omneis Italiæ civitates, ut plebes ab optimatibus dissentirent: Senatus, Romanis faveret; plebs, ad Pœnos rē traheret.

Sic quùm Bruttij à plebe acciti & accepti urbem Crotonem cepissent; optimates arcem tenebant, præparato iam antè ad talem casum perfugio: & à Bruttijs, cum plebe suâ, circumsedebantur.

Et HANNONE Crotoniatas illos ad deditionem certis conditionibus compellere conato, ut coloniam Bruttiorum eò deduci, & urbem vastam ac desertam bellis, frequentari paterentur; morituros se adfirmabant citiùs, quàm immisti Bruttijs in alienos ritus, mores legesque, ac mòx linguam etiam verterentur.

Locrenses brevi pòst legati, cum permissu HANNONIS arcem iotrâssent, persuasérunt; ut traduci se Locros patiantur, nec ultima experiri velint. quod ut sibi liceret, iam ab ANNIBALE impetrârant. Ita Crotone excessum est: deductique Crotoniatæ ad mare, navibus conscensis, Locros omnis multitudo abiérunt.

In Apuliâ, Luceriæ SEMPRONIVS Cos. ANNIBAL haud procul Arpis, bibernabant. Inter eos leuia ex occasione, & huius aut illius partis opportunitate, prœlia subinde conserebantur.

HIERONIS MORS; SICILIA TVRBAT.

In Siciliâ verò, Romanis omnia mutaverat mors HIERONIS, regnumque ad HIERONYMVM, nepotem eius, translatum; puerum (XV. fermè annor.) vix dum libertatem, nedum dominationem modicè laturum.

Ipse HIERON ultimâ senectâ voluisse dicitur liberas Syracusas relinquere, ne sub dominatu puerili, per ludibrium, bonis artibus partum, firmatumque interiret regnum.

Sed huic consilio eius summâ ope obstitére filiæ; nomen regium penes puerum futurum ratæ; regimen rerum omnium penes se, virosque suos, ANDRONODORVM (cui DAMARATA enupserat) & ZOILVM. Nam ij tutorum primi relinquebantur.

Tutores itaque, numero XV. puero pater reliquit; eosque moriens precatus est: Vt *fidem erga pop. Rom. L. annos ab se cultam*, (Ipse anno scilicet II. primi belli Punici, M. VALERIO MAXIMO, M. OCTACILIO CRASSO Coss. in societatem venerat Romanam, iam quadragenarius. à quo anno, ad hunc, numerantur XLIX.) *inviolatam servarent*. iuvenemque suis potissimum vestigijs insistere vellent; disciplinæque, in quâ edoctus esset. Post hæc mandata, quùm exspirâsset; tutores testamentum proferunt, & funere regio persunguntur.

HIERONYMI REGIS INSANVS LVXVS ET FASTVS.

ANDRONODORVS, qui iuvenem iam tum esse HIERONYMVM, & regni potentem dictitabat, deponendo tutelam, quæ ipsi cum pluribus communis erat, in se unum totius aulæ imperium, cæterorumque vireis convertit.

Et HIERONYMVS, cui, licet moderato, haud facilis apud Syracusanos favor fuisset, succedendi, tantâ caritate HIERONIS; velut vitijs suis desiderabilem efficere vellet Avum, (qui nec vestis habitu, nec ullo alio insigni, à cæteris umquam civibus differre visus esset) purpurâ ac diademate, satellitibus armatis, & alborum equorum quadrigis, more DIONYSII tyranni, regem agere & ostentare cœpit.

Huc accedebant mores, tam superbo adparatui & habitui convenientes; fastidia, contumeliæ, libidines novæ, & crudelitas. ut quidam ex tutoribus, aut morte voluntariâ, aut fugâ, prævenirent metum suppliciorum.

Ex tribus autem, quibus solis aditus in aulam familiarior erat, ANDRONODORVS & ZOILVS, generi HIERONIS, ad Carthaginienseis; THRASO, ad Romanam societatem, tendebant; & certamine ac studijs interdum in se animum adolescentis convertebant.

Quùm verò non pauci in Tyrannum coniuraſſent; ex iis unus THEODORVS comprehenſus, traditusque ANDRONODORO torquendus, conſcios celabat. ſed tandem intolerandis cruciatibus laceratus, ac malis victum ſe ſimulans; avertit ab conſciis, in inſontes, ſed peſſimos quoſque tyrannidis adminiſtros, indicium: THRASONEM eſſe auctorem conſilii mentitus.

Ab latere inde eos nominat Tyranni, quorum capita viliſſima fingenti inter dolores occurrerant. Ii omnes extemplò ad ſupplicium traditi.

THRASONE itaque è medio ſublato, quod unum vinculum cum Romanis ſocietatis erat; res haud dubiè ad defectionem ſpectabat. Legatique ad ANNIBALEM miſſi: ac remiſſi ab eodem nobiles adoleſcentuli, HIPPOCRATES & EPICYDES, nati Carthagine, ſed oriundi ab Syracuſis, exſule, avo: qui iunctâ iam ſocietate apud tyrannum, non illubente ANNIBALE, manſerunt.

AP. CLAVDIVS Siciliæ Prætor legatos viciſſim ad HIERONYMVM, renovandæ, quæ cum Avo eius fuiſſet, ſocietatis, miſit. Sed illi per ludibrium, & non ſine cladium, quas Romani à Pœnis acceperant, exprobratione, auditi ac reiecti.

Et mox HIERONYMVS, miſſis Carthaginem legatis, pacto convenit, „ *Vt cum Romanos Siciliâ, expuliſſent, (id brevi fore, ſi naveis atque exercitum mitterent) Himera amnis, qui fermè inſulam dividit, finis regni Syracuſani, ac Punici imperii eſſet.*

Verùm ille aliam deinde legationem miſit: quùm adſentatores eum non HIERONIS tantùm, ſed PYRRHI etiam regis, materni avi, meminiſſe iuſſiſſent.

Æquum itaque ſe cenſere: *Vt Sicilia ſibi omnis cedatur; & Italiæ imperium proprium Carthaginienſi populo quæratur.*

Eam animi levitatem ac iactationem, in iuvene furioſo, & ad exitium præcipiti, Pœni neque mirabantur, neque arguebant: dummodò averterent eum ab Romanis.

Iamque ille in Romanos expeditionē parabat; & præmiſſis HIPPOCRATE atque EPICYDE, cum binis armatorum millibus, ad tentandas urbeis, quæ præſidiis tenebantur Romanis; ipſe in Leontinos, cum cætero omni exercitu, (erant autem ad XV. peditum equitumque M.) profectus eſt.

Ibi à coniuratis, qui tum omnes fortè militabant, fraude INDIGEMINI, unius ex corporis regii cuſtodibus, in anguſtiis plateæ cuiuſdam, confoſſus eſt.

Satellitibus, ut iacentem vidére regem, dilapſis; Interfectores, pars in forum, ad multitudinem lætam libertate; pars Syracuſas pergunt; ad præoccupanda ANDRONODORI, aliorumque regiorum conſilia.

ROMANI OBVIAM EVNT CÆPTIS, &c.

Incerto hoc rerum ſtatu, AP. CLAVDIVS bellum oriens ex propinquo cùm cerneret, & Senatum de conciliatione hoſtium certiorem feciſſet; adverſus Syracuſana conſilia, provinciam regnique fineis, omnia convertit præſidia.

Q. FABIVS IV. ET M. MARCELLVS III. COSS. CREATI.

Exitu eius anni, Q. FABIVS, ex auctoritate Senatûs, Puteolos, cæptum per bella frequentari emporium, communiit, præſidiumque impoſuit. Inde Romam comitiorum cauſsâ veniens, die comitiali, comitia edixit: atque ex itinere, præter urbem, in campum deſcendit.

Quùm eo die ſors prærogativę ante iuniores exiſſet, eáque T. OTACILIVM, & M. ÆMYLIVM REGILLVM Coſſ. diceret; interceſſit FABIVS: & potiores pro tempore Coſſ. creandos cenſuit.

Prærogativâ Iuniorum in ſuffragium revocata, cùm T. OTACILIVS ferociter eum continuare conſulatum velle vociferaretur, atque obſtreperet; lictores ad eum accedere Conſul iuſſit, & admonuit; cum ſecoribus (quod extra urbem licebat,) faſceis ſibi præferri, quibus in eum animadvertere poſſit.

Interim prærogativa ſuffragium init; in eáque Conſules ipſe præſens Q. FABIVS MAXIMVS IV. & M. MARCELLVS III. licet abſens, ad exercitum eſſet; creati. eoſdemque Conſules, cæteræ centuriæ, ſine variatione ullâ, dixérunt.

Et Prætor unus refectus Q. FVLVIVS FLACCVS. novi alii creati, T. OTACILIVS CRASSVS II. Q. FABIVS Conſulis F. P. CORNELIVS LENTVLVS.

Comitiis Prætorum perfectis, S. C. factum eſt; ut Q. FVLVIO extra ordinem urbana provincia eſſet: iſque potiſſimùm, Conſulibus ad bellum profectis, urbi præeſſet.

MAGNVS TERRA MARIQVE BELLI ADPARATVS.

3740.
9. Ant. Mag.
8. Pt. Phil.

210.

V°. ſecundi belli Punici anno, Conſules, quos dixi, magiſtratum ineuntes, plus ſolito converterant in ſe civitatis animos. multis enim annis tale Conſulum par non fuerat.

Decretum prætereà eodem die, ut Conſules ſortirentur, uter Cenſoribus creandis comitia haberet, priuſquam ad exercitum proficiſcerentur. Prorogatum deinde imperium omnibus, qui ad exercitus erant.

Duodeviginti legionibus bellum geri placuit. ex iis binas Coſſ. ſibi ſumere: totidem Galliam, Siciliam ac Sardiniam obtineri: duabus Q. FABIVM Prætorem Apuliæ; & totidem Volonum. T. GRACCHVM circa Luceriam præeſſe. Singulas C. TERENTIO Pro-

TIO Proconsule ad Picenum; & M. VALERIO ad classem, circa Brundusium; & duas urbi præsidium, relinqui.

Qui numerus legionum ut expleretur; VI. novas legiones Coss. scribere iussi. & classem parare; ut cum eis navibus, quæ pro Calabriæ littoribus in statione erant, CL. longarum navium classis esset.

T. OTACILIUS cum classe in Siciliam proficisci iussus, nautas, quorum tunc pænuria, ex edicto, & pro ratâ censûs portione, armatos instructosque ab dominis, cum XXX. dierum coctis cibarijs, accepit; & naveis socijs navalibus, privatâ civium impensâ completas, conscendere iussit.

Campani tanto adparatu conterriti, ANNIBALEM orant, ut propiùs Capuam exercitum admoveret. Is, ne prævenirent Romani, profectus Arpis, ad Tifata, in veteribus castris super Capuam consedit. Inde Numidis Hispanisque ad præsidium simul castrorum, simul Capuæ, relictis. cum cætero exercitu ad lacum Averni, per sacrificij speciem; re ipsâ, ut Puteolos, & ibidem præsidiarios tentaret, descendit.

ANNIBAL A TARENTINIS CLAM INVITATUR.

Ad ANNIBALEM, quùm ad lacum Averni esset, quinque iuvenes nobiles, olim capti & comiter ab eo dimissi, ab Tarento venêrunt; qui in potestate Iuniorum, plebem; in manu plebis, rem Tarentinam esse; & Punicam societatem expeti nuntiarent.

Illos domum ad cœpta maturanda Pœnus redire iubet; urbis potiundæ cupidus; & maritimæ, & sibi, socijsque Macedonibus, opidò opportunæ.

ANNIBAL PUTEOLOS, ET NEAPOLIM TENTAT.

Sacro inde perpetrato, ad quod venerat; & dum ibi moratur, agro Campano ad Miseni promontorium pervastato, Puteolos repentè agmen convertit, ad opprimendum præsidium Romanum. Locus non munimento modò, sed naturâ tutus; & sex hominum millia inerant. Ibi triduùm moratus Pœnus, & frustrà tentato undique præsidio; ad populandum agrum Neapolitanum magis irâ, quàm potiundæ urbis spe, processit.

NOLA ITERUM AD ANNIBALEM INCLINAT.

Adventu eius in propinquum agrum, Nolana plebs mota; iam diu aversa ab Romanis, & suo Senatui infesta. Legati itaque ad ANNIBALEM arcessendum, cum haud dubio promisso tradendæ urbis, venêrunt.

Inceptum verò eorum MARCELLUS Cos. à primoribus accitus, prævenit; & summâ cum celeritate adcurrens, VI. peditum millia, equitesque CCC. qui præsidio Senatui essent, Nolam intromisit, dum ANNIBAL tempus tereret; bis iam antea nequidquam tentatâ re, segnior ad credendum Nolanis factus.

PUGNA AD BENEVENTUM.

Iisdem diebus ad Beneventum, velut ex composito, parte alterâ HANNO ex Bruttijs; magnâ cum peditum equitumque manu; alterâ T. GRACCHUS ab Luceriâ accessit.

Is primò opidum intravit; deinde, ut HANNONEM III. fermè millibus ab urbe ad Calorem fluv. castra posuisse, & inde agrum populari audivit; & ipse egressus mœnibus, mille fermè passus ab hoste castra locavit.

Legiones, magnâ ex parte Volonum erant, qui iam alterum annum libertatem tacitè mereri, quam postulare maluerant. Et ipse bonâ eorum fortique opera usus fuerat: neque ad exemplum iusti militis quidquam eis, præter libertatem, deesse videbatur. Priùs itaque quàm cum hoste manum consereret; pronuntiat; *Tempus venisse eius libertatis, quam diu sperâssent, potiundæ*. postero die signis collatis dimicaturum, puro ac patenti campo; *ubi verâ virtute res geri posset*. Qui caput hostis retulisset, eum se extemplò liberum (vel ipso Senatu libertatis auctore) iussurum esse. Qui loco cessisset; in eum servili supplicio animadversurum.

Ipse, lætis ad ea militibus, & pugnam poscentibus, postridie, sole iam orto, in aciem copias eduxit.

Nec hostes moram dimicandi fecêrunt. XVII. pedit. mill. erant, maximâ ex parte Bruttij ac Lucani. Equit. MCC. ferè Numidæ omnes & Mauri.

Pugnatum acriter & diu; quattuor horis, neutrò inclinante victoriâ.

Nec alia magis Romanum impediebat res, quàm capita hostium, pretia libertati facta. quæ dum abscinduntur, & dextrâ à singulis tenentur, iam penè in stanteis hosteis pugnari desierat.

Signum itaque dari iubet GRACCHUS, ut proiectis capitibus, hostem invadant: *libertatem strenuis viris haud dubiè futuram*.

Tum redintegrata pugna, & eques in hostem immissus. Post acre certamen, fugientibus in castra Pœnis instant Romani, continenti propè agmine insecuti. & novum quasi de-integro prœlium, inclusi hostium vallo, ediderunt.

Adiuvere & captivi, qui rapto inter tumultum ferro conglobati, & terga ceciderunt Pœnorum, & fugam impediêrunt.

Minùs itaque II. millia hominum ex tanto exercitu; & ea maior pars equitum, cum duce ipso, effugêrunt. alij omnes cæsi aut capti. capta & signa, XXXIIX. Ex victoribus II. fermè M. ceciderе.

Quùm prædâ onusti in castra redijssent, IV. fermè M. Volonum militum, qui pugnaverant segniùs, nec in castra hostium simul irruperant; metu pœnæ, collem haud procul castris cæperunt. Postero die per Trib. militum inde deducti, concione militum advocatâ à GRACCHO, supervenêre.

GRACCHUS cum veteres milites, ita meritos, donis militaribus donavit; tum Volones quidem omnes,

fine discrimine, liberos esse iussit.

Sed ne nullum discrimen virtutis, ignaviæve; exstaret; nomina eorum, qui detrectatę pugnæ conscij, & memores secessionem fecerant, referri ad se iussit. citatosque singulos iureiurando adegit; nisi quibus morbus caussa erit, *Non aliter, quàm stanteis, cibum potumq́, quoad stipendia peregerint, esse capturos.*

Inde vasis collectis, milites cum prædâ, quasi ludibundi Beneventum rediere. Ibi in publico epulati omnes: & Volones quidem Pileati, alij stantes, alij accubantes, simul & ministrabant & vescebantur.

PVGNA ALTERA AD NOLAM.

ANNIBAL verò agrum Neapolitanum depopulatus, ad Nolam castra movit. Consul POMPONIO Propręt. cum eo exercitu, qui super Suessulam erat, accito, ire obviam hosti parat; ne moram dimicandi faceret.

CLAVDIVM NERONEM, cum robore equitum, per aversam maximè ab hoste portam, silentio noctis emittit; & circumvectum occultè ac sensim agmen hostium subsequi iubet; & coörto iam prœlio, à tergo se obijcere.

Id errore viarum, an exiguitate temporis, NERO exsequi non potuerit, incertum.

Absente eo cùm prœlium commissum esset, superior quidem haud dubiè Romanus erat; sed quia equites non adfuêre in tempore, non ausus insequi cedentes MARCELLVS, vincentibus suis signum receptui dedit. plus tamen II. M. hostium eo die cæsa traduntur: Romanorum minùs CCCC.

NERO, sole ferè occaso, & equis hominibusque nequidquam diem noctemque fatigatis rediens, adeò graviter à Cos. increpitus est, ut per eum stetisse diceret, quo minus accepta ad Cannas redderetur hosti clades.

Postero die Romanus in aciem descendit. Pœnus tacitâ etiam confessione victus, castris se tenuit. & inde Tarentum ad certiorem spem proditionis profectus est.

CENSORIA ROMÆ DECRETA.

Nec minore animo res Romanę domi, quàm militiæ gerebantur. & Censores ad mores hominum regendos, castigandaque vitia, animum advertêrunt.

Citati & notati, qui post Cannensem pugnam, remp. deserere, Italiaque excedere voluisse, principe L. CÆCILIO METELLO, erant convicti. Deinde callidi exsolvendi iurisiurandi interpretes; qui captivorum ex itinere regressi clam in castra ANNIBALIS, solutum, quod iuraverant reditoros, erant rati. His, superioribusque illis, equi ademti, qui publicum equum habebant. tribuque moti, ærarij omnes facti.

Nomina omnium ex Iuniorum tabulis excerpta, qui quadriennio non militâssent; quibus neque vacatio iusta militiæ, neque morbus caussa fuisset. Ex ijs supra bis mille in ærarios relati; tribuque omnes moti. Et ex S. C. ita à Censoribus notati; pedibus merere, & in Siciliam abire iussi sunt, ad Cannensis exercitûs relliquias.

Huc accessit magna omnium ordinum liberalitas, & inclinatio animorum plebis, ad sustinendam inopiam ærarij. quæ ex urbe etiam in castra manavit; ut non eques, non centurio stipendium acciperent; sed sustinerent.

CASILINVM OPPVGNATVR ET DEDITVR FABIO COSS.

Q. FABIVS Cos. iam ad Casilinum castra habebat, quod bis mille Campanorum, & DCC. militum ANNIBALIS tenebatur præsidio. MARCELLVS à collegâ accitus, II. militum millibus Nolæ in præsidio relictis, cum cetero exercitu Casilinum venit, eiusque adventu, Campani, qui duce MAGIO Atellano sese iam moverant, & castra Romana invadere cogitabant, quievêrunt. atque ita à duobus Coss. opidum oppugnari cæptum.

FABIVS, ob crebra succedentium mœnibus temerè militum vulnera, tardioremque successum, abscedendum inde censebat. MARCELLVS verò, *Multa magnis ducibus, sicut non adgredienda; ita semel adgressis non dimittenda esse*, dicendo: *& magna famæ momenta in utramque partem fieri*; tenuit, ne incepto abiretur.

Quumque ille vineas, aliaque operum machinationumque genera admoveret; Campanique FABIVM orarent, ut abire sibi Capuam tutò liceret; paucis egressis, MARCELLVS portam, quâ egrediebantur, occupavit. cædesque promiscuè omnium, primò circà portam; deinde, irruptione factâ, etiam in urbe fieri cæpta est.

Ex Campanis ferè L. qui primum egressi ad FABIVM confugerant, eiusdem præsidio Capuam pervenêre. Cæteri, Casilino sic inter colloquia, cunctationemque petentium fidem, occupato, captivi, sive Campanorum, sive Annibalis militum erant; Romam missi; atque ibi in carcerem inclusi sunt. opidanorum turba per finitimas urbeis in custodiam divisa.

CLADES IN LVCANIS ACCEPTA, QVAM FABIVS IN SAMNIO redhostit.

Sub idem tempus GRACCHVS in Lucanis aliquot cohorteis eâ in regione conscriptas, cum Præfecto Sociorum, in agros hostium prædatum miserat. Eos effusè palatos HANNO adortus, haud multò minorem, quàm ad Beneventum acceperat, reddidit hosti cladem. sed celeri fugâ se proripuit, ne GRACCHO insequendi spatium esset.

MARCELLO retrò, unde venerat, Nolam regresso; FABIVS in Samnium processit: & agris depopulatis, opida vi cepit, Compulteriam, Telesiam, Compsam, Melasialiaq; in Sanitibus; Lucanis, & Apulis.

Hisce in opidis ad XXV. hostium millia, aut capta, aut occisa feruntur. perfugæ ad CCCLXX. recepti: qui Romam à Consule missi, & virgis in comitio cæsi

cæsi,& de saxo deiecti sunt.

A Præt. Q. FABIO, cui circa Luceriam provincia erat; Accua opidum vi captum; & stativa ad Erdoneas in Apuliâ communita. dum MARCELLVM ab rebus gerendis valetudo adversa Nolæ teneret.

TARENTVM FRVSTRA TENTAT ANNIBAL.

Interea Tarentum pervenerat ANNIBAL, non sine magnâ omnium, quâcumque ierat, clade: sed in Tarentino agro nihil violari voluit. Cæterum, quòd triduo antè, à M. VALERIO Propræt. classis ad Brundisium præfecto, T. VALERIVS legatus Tarentum missus esset; & is conscriptâ primorum iuventute, stationibusque passim ad portas, circaque muros dispositis, neque hostibus, neque dubijs sociis, loci quidquam præberet ad tentandum. Atque adeò nemo eorum, qui ad lacum Averni ad ANNIBALEM adiissent, aut ipsi venirent, aut nuntium litterasve mitterent; Pœnus vana se promissa temerè secutum cernens, castra inde movit. Et agro Tarentinorum iterum intacto, Salapiam tendit: eoque, tamquam lectum hibernis locum, frumentum ex Metapontino atque Heracliensi agris, comportat.

FACTIONES ET DIVERSA STVDIA SICVLORVM.

Romani Siciliam, ubi mors tyranni duces magis impigros dedisse Syracusanis, quàm caussam aut animos mutâsse videretur; M. MARCELLO alteri Consulum, provinciam decernunt.

Leontij, post HIERONYMI cædem; & aliquantum inde tumultum, quo sanguine coniuratorum regi esse parentandum fuerat conclamatum; primùm dulce restitutæ libertatis nomen auditum, & crebrò usurpatum; deinde spes facta ex pecuniâ regiâ largitionis militi, atque fungendi potioribus ducibus: tum vulgata tyranni scelera ac lubidines, adeò vulgi & militum mutavére animos, ut insepultum iacére corpus, paullo-antè desiderati regis, paterentur.

Et quùm cæteri ex coniuratis ad exercitum obtinendum remansissent; tum THEODORVS & SOSIS regijs equis, quanto maximo cursu poterant, ut ignaros rei gestę regios opprimerent, Syracusas contendunt.

Sed iam ANDRONODORVS certior, & Insulam & Arcem, aliaque opportuna præsidijs firmârat.

Illi verò ingressi, & per Tychen transvecti, multitudinem, ostentatâ veste regiâ, capitisque insigni, simul ad libertatem, simul ad arma vocant; & in Achradinam convenire iubent.

Inermes, ex Olympij Iovis Templo, spolia Gallorū Illyriorumque, dono data HIERONI à pop. Rom. ab eoque fixa, detrahunt; precantes Iovem: *Vt volens propitius sacra arma pro patriâ, pro Deûm delubris, pro libertate sese armantibus, præbeat.* Iidemque stationibus, per principes regionum urbis dispositis, sese adiungunt.

Et postquam horrea publica frumentumque in Senatûs potestate esse cognovére; in Achradinam, ad curiam conveniunt. Vbi POLYNEI, unius ex principibus concione, ut liberâ, ita moderata, commoniti, ad ANDRONODORVM legatos mittunt, qui denuntient; Vt in potestate Senatûs ac populi sit. alioqui multò acriùs ab eo, quàm ab HIERONYMO, repetitum iri libertatem.

Ille licet à DEMARATA uxore retinendam tyrannidem, & milites Leontio arcessendos, instigaretur; in præsentiâ tempori cessit; & postero die patefactis Insulæ portis in forum Achradinæ venit; & excusatâ cunctatione; iisque, quæ metu publicæ omnium regis propinquorum, aut ministrorum cædis, tenuisset; omnia, quæ rex fidei eius tutelæque commendârat, patriæ restituere paratus, claves portarum, pecuniæque regiæ, ante pedes eorum deposuit.

Posteroq; die comitia Prætoribus creandis habita. & creatus in primis ipse ANDRONODORVS; cæteri magnâ ex parte interfectores tyranni; THEODORVS, SOSIS, THEMISTIVS; duoque absentes, SOPATER & DEOMENES.

Et hi pecuniam regiam, quæ Leontij erat, Syracusas devectam quęstoribus tradiderunt. Pars ea muri, quæ ab cæterâ urbe nimis firmo munimento intersepire Insulam videbatur, consensu omnium deiecta est.

HIPPOCRATES autem & EPICYDES militum duces, auditâ morte tyranni, ab ijs, quos ducebant, deserti, Syracusas rediére. & Prætores primùm, deinde per eos Senatum adeunt: *Se ab ANNIBALE missos ad HIERONYMVM, tamquam amicum & socium, eius paruisse imperio. cuius Imperatori sui voluerit. nunc eo mortuo ad ANNIBALEM redire velle.* Cæterùm tam infestis à Romano passim exercitu itineribus, petere, ut præsidij dent aliquid, quo Locros in Italiam tutò perducantur.

Dum ea missio minùs, quàm maturato opus erat, naviter expeditur; Iuvenes interim militares, egentes atque æquè audaces, nunc apud milites, nunc apud transfugas, Romanorum socios plerosque: nunc apud infimæ plebis homines, crimina in Senatum & optimates serebant.

Id unum eos clam moliri, ut Syracusa, per speciem reconciliandæ societatis, in ditione Romanorum sint; deinde factio, & perpauci auctores federis renovati, dominentur.

Et certè credula multitudo, maior in dies Syracusas confluens, non solùm Pœnis illis ducibus spem novandarum rerum, sed ipsi etiam ANDRONODORO, præter quotidiana, ambitiosæ uxoris convicia præbebat.

Hic cum THEMISTIO, cui HARMONIA Gelonis filia nuptijs iuncta erat, rem consociat: & paucos post dies ARISTONI cuidam Tragico actori, arcanorum participi, incautiùs aperit. Et is extemplò fidem potiorem ratus, quam patriæ debebat, iudicium ad Prætores defert.

Qui ubi rem haud vanam esse certis indicijs compererunt; consultis senioribus; & auctoritate eorum præsidio ad fores posito, ingressos Curiam THEMISTIVM atque ANDRONODORVM interfecérunt.

Detulerat autem index, inter eos convenisse, ab ambitio-

ambitiosis coniugibus antè instigatos: *Vt occisis reliquis Prætoribus, & optimatum potentissimis quibusq; HIERONIS regnum inter se partirentur.*

Sed orto ob cædem tumultu, populus primò fremere, atque adversarijs Prætoribus succensére. Et mòx idem ubi DEMARATÆ consilia;& publicæ libertatis discrimina edoctus est; non modò factum laudare; sed edito ex omnibus partibus concionis clamore: *Neminem ex tyrannorum stirpe superesse sinendum*: continuò in HIERONIS domum irrumpitur; & DEMARATA HARMONIAQUE statim iugulantur.

HERACLEA, HIERONIS filia, uxor SOSIPPI(qui legatus ab HIERONYMO ad regem PTOLEMÆUM missus, voluntarium conscìverat exsilium) cum tenellis filiabus, in sacrarium illapsa, aliquantisper percussores morata est. Mulier proba, & HIERONE patre digna.

Sed lymphati, & sanguinem spirantes cives, ex penatium penetralibus abstractam iugularunt. Filiæ quoque, inter effugiendum, vulneribus confectæ exanimes corruérunt.

Et iam mutatis repentè, sed serò, ad misericordiam animis, nuntius advenit, populi nomine iubens, ut matri liberisque parceretur. *Adeò varia & cæca furentis multitudinis consilia.* cuius natura est; *ut vel serviat humiliter, vel superbè dominetur.*

Iidemque mox misericordiâ in iram versâ, fremere graviter,& in locum ANDRONODORI & THEMISTII, Prætorum comitia poscere. Et quasi ipsis suæ libertatis auctoribus irascentes, quos ex ipsorum sententiâ minimè futuros esse nórant; inconditis vocibus, & haud dubio multorum adsensu, EPICYDEM & HIPPOCRATEM, pridem ab ANNIBALE ad HIERONYMUM regem missos, & eo cæso abiturienteis, prætores pronuntiant.

HIPPOCRATES ET EPICIDES PRÆTORES DICTI.

Quibus nihil erat ægrius; quàm legatos de induciis x. dierum, ad APPIUM CLAUDIUM Cos. missos; & ijs impetratis, qui de federe antiquo cum Romanis renovando agerent, alios esse remissos.

APPIUS ad Murgantiam tum classem c. navium habebat: quò evaderent motus, ex cædibus tyrannorum orti Syracusis; quóve eos ageret nova atque insolita libertas; opperiebatur.

MARCELLUS à morbo convalescens, & in Siciliam delatus,cognitis pacis,quæ proponebatur,conditionibus; Syracusis, coram Prætoribus, eàdem de re per legatos agi curat.

Quùm sæpè res acta esset medijs certaminibus; postremò, quia belli cum Romanis gerendi ratio nulla adparebat; pacem fieri placuit:mittitque cum Prætoribus, & Senatorum delectis, legatos ad rem confirmandam.

Quùmque paucos post dies ex Leontinis legati venissent, presidium finibus suis orantes: eaque legatio peropportuna visa esset,ad urbem inconditâ multitudine levandam, eiusque duces ablegandos; HIPPOCRATES Præt. ducere eò transfugas iussus, cum mercenarijs, qui ultrò secuti, IV. armatorum M. effecit.

Hic,qui novandi res occasionem sibi datam duceret, finitima provinciæ Romanæ primò furtivis excursionibus vastare cæpit: deinde, quùm ad tuendos sociorum agros missum ab APPIO præsidium esset; omnibus copijs impetum in oppositam stationem cum cæde multorum, fecit.

Eaque ubi nuntiata sunt MARCELLO, legatos extemplò Syracusas mittit, qui pacis fidem ruptam esse dicerent. nec belli defuturam umquam caussam, nisi HIPPOCRATES atque EPICYDES, non ab Syracusanis modò, sed totâ procul Siciliâ ablegentur.

EPICYDES & ipse in Leontinos profectus, quùm satis eos adversus pop. Rom. concitatos cerneret; avertere etiam à Syracusanis cæpit. quos ita pacem cum Romanis pepegisse fingeret: *Vt quicumque populi sub regibus fuissent, suæ etiam ditionis in posterum essent. Nec libertate contentos, regnare etiam & dominari cæteris velle.*

Legatis itaque Syracusanorum, & de cæde stationis Romanæ querentibus, & Pœnos illos duces ex Siciliâ excedere iubentibus; quùm eò venissent, ferociter responsum est; *Neque mandâsse sese Syracusanis, ut pacem pro se cum Romanis facerent; neque teneri alienis federibus.*

MARCELLUS, ad quem Syracusani detulerant Leontinorum defectionem, cum omni exercitu, APPIO quoque accito, in eosdem profectus, primo impetu urbem expugnavit. Pœni duces, iam captis muris, in arcem sese cum paucis receperant; & inde clam nocte Herbessum confugerant.

Leontinorum militumque aliorum nemo, (præter duo transfugarum mill. qui verberati aut securi percussi) post captam urbem, violatus fuerat. suaque omnia eis, nisi quæ primus tumultus absumserar, restituebantur.

Syracusanis tamen, qui IIX. millium armatorum agmine domo erant profecti, quasi & ipsi Leontinos unà cum Romanis oppugnaturi; ad Mylam flumen nuntius occurrit; qui *captam urbem esse; cætera falsa mista veris ferret. Cædem promiscuè oppidanorum atque militum factam: direptam urbem: bona locupletum donata; nec quemquam puberem superesse.*

His auditis, quùm ad defectionem inclinatos militum suorum animos cernerent Prætores ducesque, SOSIS ac DINOMENES: sed enim motum haud diuturnum fore, si duces amentiæ sublati essent. exercitum quidem Megaram ducunt: sed ipsi paucis cum equitibus Herbessum profecti, spe urbis per proditionem potiundæ; & ubi frustrà ipsis inceptum fuit, castra Megaris movent, ut Herbessum omnibus copijs oppugnarent.

Et prima, tum fortè signa DC. erant Cretensium, qui apud HIERONYMUM sub illis ducibus meruerant; & capti ad Thrasymenum, inter Rom. auxilias, & ab ANNIBALE dimissi fuerant.

Quùm itaque HIPPOCRATES & EPICYDES militaris benivolentiæ fiduciâ obviam agmini processissent; & Cretas ex signis armorumque habitu cognôssent; ramis oleæ porrectis, orant; ut sese recipiant, & tutentur. neu Syracusanis prodant, à quibus mox ipsi populo Romano trucidandi tradantur. Illi vicissim bonum ut animû haberent, conclamât.

Postquam Pœnos duces, qui conquirebantur, adesse pervasit rumor: fremitusque toto agmine erat haud

haud dubiè adprobantium aduentum eorum, & Prætores ad prima signa progressi, colloquijs suorum cum hoste in re, it s, comprehendi vincirique catenis H IPPOCRATI iusserunt; tantus repentè inter milites clamor ortus est, ut ijdem, rerum suarum incerti, signa Megaram referrent; & nontios de statu præsenti Syracusas mitterent.

Pœnus, inclinatis ad omnem suspicionem animis, fraude & vana crimina addidit: & litteras, quas ipse composuerat, quasi à Cretensibus interceptas, recitari curavit. Quibus scilicet à Prætoribus Syracusanis gratiæ MARCELLO agebantur, quod de Leontinis supplicium sumsisset. Sed eamdem omnium mercenariorum militum esse caussam: eorum itaque cæde liberandandas tandem esse Syracusas.

Quùm præterea subornatus testis, qui ea, quæ ad Mylam falsò nuntiata erant, oculis se vidisse suis, cædem Leontinorum, & Romanorum inibi crudelitatem, auctorem se exhiberet; & narrandò, itas hominum conciaret. Tum verò fremere omnes, & Romanorum sævitiam avaritiamque incusare: & Pœnis ducibus, Syracusas redire.

Prætores nequidquam multa moliti, in Achradinà, quò confugerant, interficiuntur. Creatis eà in iterum perturbatione HIPPOCRATE & EPICYDE, iterum Prætoribus, Syracusæ, cùm breve tempus libertas adfulsisset, in nequissimos dominos; in odium Romanorum, & in antiquæ servitutis mala, recidérunt.

SYRACVSÆ A ROMANIS OBSESSÆ.

Syracusæ, post irrita legatorum, quos APPIVS priùs è portu; deinde ex Olympieo miserat, cum Pœnis ducibus extra portam colloquia; terrà marique simul, sive ab Hexapylo & Achradinà, oppugnari cæptæ. Nec diffidebant Romani, vastam dissectamque spatio urbem aliquâ se parte invasuros: omnemque adparatum, oppugnandæ urbi necessarium, muris admoverant.

Neque res cæpta, fortunâ caruisset, nisi unus homo Syracusis eâ tempestate fuisset; ARCHIMEDES, unicus cœli siderumque spectator; sed admirabilior tormentorum bellicorum operumque machinator; quibus, ea, quæ hostes ingenti mole agerent, ipse perlevi momento everteret, aut ludificaretur.

Incomparabilis nihilo-minus illa, & fidem propemodum superans unius hominis solertia, Siciliæ exitio fuit.

Dum enim munimentis illis, pridem ab HIERONE provisis & à se elaboratis, ingeniosè ætes, MARCELLI insultus conatusque remoratur; ab Italiâ in Siciliam bellum transfertur. Romanis retinere, Pœnis recipere tam divitem Insulam, enixè molientibus.

Romani maritimâ primùm ad Achradinam oppugnatione, artibus ARCHIMEDIS elusi; deinde, dum totis viribus terrà urbem adgredi tentant, eodem tormentorum adparatu, & aditu undique arduo aut intercluso, coercit; quod omnis conatus ludibrio esset; ab oppugnando abstinere, atque obsidendo tantùm arcere terrà marique commeatibus hostem placuit.

MARCELLVS interea cum tertiâ ferè exercitûs parte, ad urbeis, quæ eo motu defecerant, recipiendas profectus, Pelorum atque Herbessum, dedentibus ipsis, recepit. Megaram vi captam diruit ac diripuit; ad reliquorum, & maximè Syracusanorum, terrorem.

HIMILCO quoque, qui ad Pachini promontorium classem diu tenuerat, ad Heracleam, quæ Minoa dicta est, XXV. pedit. & III. equir. millia, cum XII. elephantis, exposuit. Adventu ipso Heracleam, & paullo pòst Agrigentum, volenteis, recepit.

His auxilijs & successibus, ijs, qui obsidebantur Syracusis, animi ita sunt sublati, & inter se munia belli partiti; ut EPICYDES præesset custodiæ urbis; HIPPOCRATES coniunctus HIMILCONI, bellum adversus Cos. Romanum gereret.

Ille itaque cum X. millibus pedit. & D. equitibus ex urbe egressus, castra circa Acrillas urbem, ponebat; quùm munientibus de-inopinato supervenit MARCELLVS: sed Agrigento iam à Pœnis occupato, quò frustrà ut præveniret hostem, festinanter tetenderat, revertens.

Et Siculos ita incompositos, & plerosque inermeis nactus, quod peditum fuit, circumvenit: eques, post leve certamen, cum HIPPOCRATE, Actas perfugit.

Eâ pugnâ deficienteis ab Romanis, quùm cohibuisset Siculos MARCELLVS; Syracusas rediit. Et post paucos dies HIMILCO adiunctò HIPPOCRATE, ad flum. Anapum, IX. fermè inde millibus castra posuit.

Et sub idem ferè tempus, tum naves longæ LV. Carthaginiensium, cum BOMILCARE classis Præf. in magnum portum ex alto Syracusas decurrere; tum Romana item classis, XXX. quinqueremes, legionem primam Panhormi exposuêre.

Quam inde venientè Syracusas, prædæ haud dubiè sibi futuram ratus HIMILCO, sed viâ deceptus est. Quùm ipse namque mediterraneo itinere duceret; Romani maritimâ orâ, classe prosequente, ad APPIVM, Pachynum, cum parte copiarum obviam progressum, pervenêre.

Nec diutiùs Pœni Syracusis morati sunt. BOMILCAR, nec par classi Romanæ, nec utilis suis; velis in altum datis, in Africam transmisit. Et HIMILCO nequidquam MARCELLVM secutus, quùm tutum ad Syracusas, & munimentis, & viribus hostem cerneret; castra inde movit, sociorum ab Romanis defectioni intentus.

Murgantiam primùm, ubi magna frumenti commeatuumque vis convecta erat à Romanis, prodito ab ipsis Rom. præsidio, recepit. Eòque exemplo aliæ civitates ad defectionem erectæ; præsidia Romana, aut arcibus suis pellebant; aut prodita per fraudem opprimebant.

L. PINARII ASTVS.

Ennenses iam cum HIMILCONE de proditione præsidij clam pacti; quasi volentes, ac non coacti, in Romanorum amicitiâ manere vellent, à L. PINARIO præfecto claves portarum urbis suæ reposcebant.

Ille primùm tergiversari, ad MARCELLVM Cos. cuius

cuius iuris atque arbitrij tota res esset; quique haud procul abesset, legatos mitterent.

Quùm illi missuros negarent; & vindictam aliquam libertatis suæ quæsituros se testarentur; PINARIVS saltim dari sibi populi concilium rogavit. Quùmque ex consensu concio in posterum diem edicta esset; ipse proximâ nocte milites evocatos, & periculum edocet; & quid facto opus sit, hortatur.

Postero die productus ad populum à magistratibus Præf. Romanus, Ius Consulis, & eadem quæ pridie, repetit. Quùmque cives reddi claves unà quasi voce iuberent, & cunctanti ferociter minitarentur; nec viderentur ultra vim ultimam dilaturi; tum præfectus togâ excussâ, ut convenerat, signum dedit.

Militesque intenti dudum ac parati, alij supernè in adversam concionem clamore sublato decurrunt; alij ad exitus theatri conferti obsistunt. Ennenses caveâ inclusi, cæduntur: ut urbis captæ modo, fugâque & strages omnia teneret.

Ita Enna aut malo, aut necessario facinore retenta. MARCELLVS nec factum improbavit; & militibus prædam Ennensium concessit. eam rem exemplo ceteris fore ratus.

Verùm ea clades, ut urbis in mediâ Siciliâ sitæ, & multis nominibus claræ, propè uno die omnem Siciliam pervasit. Et quia cæde infandâ putabant, non hominum tantùm, sed etiam Deorum (CERERIS & PROSERPINÆ) sedem violatam esse; qui antè dubij, fuerant; defecére ad Pœnos.

HIPPOCRATES inde Murgantiam; HIMILCO Agrigentum, sese recepere: postquam acciti à proditoribus nequidquam ad Ennam copias suas admovissent.

MARCELLVS verò retrò in Leontinos redit: modicoque ibi præsidio relicto, & commeatibus alijs in castra convehi iussis, ad Syracusas obsidendas venit. Et APPIO CLAVDIO inde Romam ad Consulatum petendum misso, T. QVINCTIVM CRISPINVM in eius locum classi castrisque præfecit veteribus. Ipse hibernacula, v. pass. M. ab Hexapylo (Leontiam vocant locum) ædificavit & communijt.

BELLVM CVM PHILIPPO MACEDONE.

Eâdem æstate & cum PHILIPPO Macedone, quod iam ante suspectum fuerat, motum bellum est. hoc iniuo.

Romanorum societatem ante annos xv. amplexæ fuerant urbes in Ionij maris orâ, Oricum, Apollonia, & Epidamnus. Hinc per legatos nuntiatur M. VALERIO, Pr. classis ad Brundisium Calabriamque præfecto, PHILIPPVM levibus biremibus cxx. flumine adverso subvectum, primò Apolloniam tentâsse. deinde ad Oricum clam nocte exercitum admovisse; quam, uti invalidam, primo impetu oppressit.

M. VALERIVS, T. VALERIO legato ad locorum custodiam relicto, & classe instructâ, Ionium pelagus emensus, alterâ die Oricum pervénit; & urbem modico Macedonum præsidio infessam haud magno certamine recepit.

Deinde, ab Apolloniatibus, iam artè obsessis, rogatus; mille delectorum militum, duce NÆVIO CRISPO, sociûm præfecto, in urbem, hoste vix sentiente, immittit.

Et is armatâ Apolloniatium iuventute, silentique agmine noctu egressus, castra hostium offendit ita temerè neglecta, ut vel rex ipse in prætorio opprimi potuerit: nisi terror & clamor ex cæde vigilum omnia occupâsset. Et rex eodem tumultu excitus, propè seminudus, ad naves cum multâ turbâ perfugisset. Paullo minus III. militum millia in castris aut capta aut occisa. Castris direptis, Apolloniatæ tormenta bellica, in se cõparata, tuendæ in eventum urbi, secum avexére: cętera præda Rom. concessa.

Quùmque M. VALERIVS, certior factus, classem extemplò ad fluminis ostium duxisset, ne rex navibus capessere fugam posset; ille, qui neque terrestri, neque navali certamine satis fore se parem fideret; subductis aut incensis navibus, cum exercitu spoliato, terrâ Macedoniam petijt. VALERIVS cum classe Orici hibernavit.

BELLVM IN HISPANIA CONTINVATVR.

In Hispaniâ priùs quàm Romani amnem Iberum transissent, ingentes copias Hispanorum MAGO & ASDRVBAL fuderant. defecissetque ab Romanis ulterior Hispania, ni P. CORNELIVS, traducto Iberum exercitu, dubijs sociorum animis, in tempore advenisset.

Iamque Romani ab Alto Castro, ad montem Victoriæ castra transtulerant, & communierant; quùm eòdem CN. SCIPIO cum omnibus copijs: & ASDRVBAL GISGONIS F. tertius Carthaginiensium dux, cum exercitu iusto, advenit. contraque castra Romanorum trans fluvium omnes consedére.

Ibi P. SCIPIO cum expeditis ad explorandum profectus, & in tumulo, quem in propinquo ceperat, ab hoste circumsessus; adventu fratris exemptus est.

Castulo, Hispaniæ urbs nobilis, unde uxor ANNIBALI erat, ad Rom. defecit. Et quùm Pœni Illiturgi oppidum, in quo præsidium erat Romanum, iterum oppugnare adorti essent; locumque inopiâ expugnaturi viderentur; CN. SCIPIO, ad opem obsessis ferendam, cum legione expeditâ profectus, intra bina castra, cum magnâ hostium cæde, inurbem est ingressus: & postero die eruptione æquè felici pugnavit. ut duobus his prœlijs supra XII. hominum M. cæsa sint: plus x. mill. capta, cum XXXVI. militaribus signis.

Recesserant ab Illiturgi obsidione Pœni, & Bigerram inde, urbem Rom. sociam, oppugnabant. Idem SCIPIO, fine certamine, adveniens, eosdem discedere coëgit.

Tum ad Mundam, signis collatis, pugnatum per IV. fermè horas. egregieque vincentibus Romanis, ob CN. SCIPIONEM femur tragulâ confixum, signum receptui est datum. Absque quâ morâ, castra Punica eo die capi potuerint. Hoc quoque prœlio ad XII. hominum mill. cæsi, & propè ter mille capti, cum signis militaribus LVII. Elephanti usque ad vallum acti, & ex ijs XXXIX. pilis confixi.

Ad Auri-

Ad Auringen indè urbem Pœnos recedenteis, & territos, secuti Romani: Ibique iterum SCIPIO, lecticulâ in aciem illatus, conflixit. Minus dimidio hostium, quàm anteà, occisum.

At in gente, instaurandis bellis natâ, MAGO ad militum conquisitionem à fratre missus, brevi replevit exercitum: animosq; ad tentandũ de-integro certamen fecit. Sed pari, ut prius, eventu pugnatum. Plus IIX. hominum Mill. cæsi, Mille capti, & signa militaria LIIX. Multa ex Gallis spolia, anuli aurei, torques, armillæ. Et duo eius gentis reguli, MOENICAPTVS & GVISMARVS, in acie ceciderunt. Ex elephantis, IIX. capti, & III. occisi.

Saguntum indè oppidum, quod belli caussa, octavum, (veriùs, VI.) iam annum sub hostium potestate fuerat; vi pulso præsidio Punico, receperunt: cultoribusque antiquis, quos vis reliquerat belli, restituerunt. Et Turdetanos, qui contraxerant eis cum Carthaginiensibus bellum, in potestatem redactos, sub corona vendidére, urbemque delevére.

Consularia tum Comitia habita à Q. FABIO Max. Cos. & creati Consules, ambo absentes, Q. FABIVS Max. Consulis Verrucosi F. & T. SEMPRONIVS GRACCHVS II.

Prætores fiunt M. ATTILIVS, P. SEMPRONIVS Tuditanus, Cn. FVLVIVS CENTIMALVS, & M. ÆMYLIVS LEPIDVS.

Comitijs perfectis, ab Q. FABIO Consule designati Coss. Romam arcessiti, magistratum iniérunt. Inter quos, & prætores, provinciæ exercitusque divisi sunt.

3741. 10. Ant. M. 9. Pt. Philad. | 209.

Consules procuratis de more, & ex decreto Pontificum, prodigijs, ab urbe movent; & Sempronius in Lucanos; in Apuliam Fabius, proficiscuntur.

Pater filio legatus ad Suessulam in castra venit. Cumque ei obviàm filius progrederetur, & lictores verecundiâ maiestatis eius taciti anteirent, neque Patrem summovérent; præter XI. fasceis equo prævectum senem ut Consul animadvertit; proximo lictori, ut sibi adpareret, imperavit: atque is, ut descenderet ex equo, inclamavit.

Tum demum desiliens; *Non ego*, inquit, *ô fili summum imperium contemsi: sed experiri volui, satin' scires Consulem agere, & te esse. Ita publica instituta privatæ pietate apud Rom. potiora.* ubi & Patribus in filios tamen ius erat vitæ ac necis.

CASSIVS ALTINVS PRODITOR.

In eadem castra CASSIVS ALTINVS, Arpinâs, clam nocte venit; promittens, si sibi præmio foret, se Arpos (quorum prodendi ANNIBALI auctor fuerat) Romanis prodıturum esse.

Quùm alij eum pro transfugâ verberandum necandumque censerent; Pater Fabius; neque eum pro hoste, neque pro socio in præsentiâ habendum; liberâ custodiâ haud procul castris in aliquâ fidâ civitate, per belli tempus, adservandum decrevit. Perpetrato bello, tum consultandum, utrum defectio prior plus merita sit pœnæ, an hic reditus veniæ.

Eo audito Annibal, qui & ipsum, ut ambiguæ fidei virum, suspectum iam pridem habuerat; & caussam se nactum gaudebat, in tam locupletis hominis bona invadendi; ut iræ tamen magis quàm avaritiæ datum crederent homines; coniugem eius liberosque, in castra accitos, vivos combussit.

ARPI A FABIO RECEPTI.

Fabius nihilo minus ab Suessulâ profectus, Arpos instituit oppugnare. Milites D C. portam quamdam humilem atque angustam, parte urbis infrequenti & à custodiâ neglectâ, scalis prius transgressos ad murum pergere, & ex interiore parte claustra refringere iubet. & tum cornu signum dare, ut cæteræ copiæ admoveantur.

Imber tum commodùm à media nocte coortus, & vigiles dilapsos è stationibus suffugere in tecta coegerat; & strepitum demolientium portam ab auribus averterat.

Cornicinibus itaque canentibus, Consul ex composito signa efferri iubet; & paullo-ante lucem, per effractam portam, urbem ingreditur.

Præsidium in ea erat, Annibalis V. fermè armatorum Millia: & ipsi Arpini ter Mille numerum explebant. Et hi, quos primos, nequid ab tergo fraudis esset, Pœni hostibus opposuerant; cum Romanis colloqui, sese purgare, & Principes, à quibus venumdati oppressique sint, incusare cœpérunt.

Prætor denique Arpinus ab suis ad Cos. fide datâ deductus, effecit; ut Arpini repentè pro Romanis adversus Carthaginienseis arma verterent.

Hispani quoque, paullo minus Mille hòmines, nihil præterea cum Consule pacti, quàm ut sine fraude Punicum emitteretur præsidium; ad Cos. signa transtulérunt.

Pœnis portæ patefactæ; dimissique cum fide incolumes, ad Annibalem, Salapiam venérunt. Hispanis duplicia cibaria dari iussa: Quæ fida deinceps Romanis manus. Sic Arpi sine clade ullius, præter proditoris & perfugæ, restituti.

SCIPIONES CVM SYPHACE NVMIDA SOCIETATEM AVSPICANTVR.

Eodem anno Scipiones in Hispaniâ, multis veteribus socijs receptis, & novis adiectis, in Africam quoque spem extendérũt. Illi ad Syphacem, Numidarũ regem, qui tũ subitò Carthaginiensibus hostis factus fuerat; centuriones treis, legatos, misérũt, qui cum eo amicitiam societatemq; facerent. & pollicerētur, si perseveraret urguére bello Carthaginienseis,

eam rem gratam Sen. populoque Romano fore.

Barbarus vicissim exorat, ut duo ex ijs legationem ad Imperatores suos referrent; unus apud sese, magister rei militaris, remaneret; qui rudem ad pedestria bella Numidarum gentem, & equis tantùm habilem, ordinaret, instrueret, alijsque institutis militaribus ità adsuefaceret; ut hosti, qui pedestri Marte fideret, robore virium æquari posset.

Rex itaque cum duobus Romanis, relata; & ex suis Numidis legatos in Hispaniam misit, ad accipiendam ab Imperatoribus Romm. fidem. Ijsdemque mandatum; ut protinùs Numidas, qui intrà Portas, seu præsidia Carthaginiensium auxiliares essent, ad transitionem nomine suo pellicerent.

Carthaginienses ea de re certiores facti, confestim ad GALAM, in alterâ Numidiæ parte (quæ gens Massyla dicitur) regnantem, legatos vicissim mittunt, & docent; *Conducibilius esse Galæ, ut se quam-primum Carthaginiensibus federe & societate coniungat; quàm Syphax, qui regibus populisq́, Africa imminere, & ex nova societate, dominari ambiat, in Hispaniam; aut Romam federati in Africam transeant.*

Facilè persuasum GALÆ, filio eius MASSANISA, magnæ indolis adolescente, id bellum ultrò deposcente; ut exercitum mitteret.

Is coniunctis sibi Carthaginiensium legionibus, magno prœlio SYPHACEM devicit, ut XXX. hominum M. eo prœlio cæsa dicantur. Quumque SYPHAX cum paucis ex acie equitibus in Maurusios (hi extremi propè Oceanum adversus Gadeis colebant) refugisset; & adfluentibus ad famam eius undique barbaris, ingenteis brevi copias armâsset; ante quàm cum ijs in Hispaniam, angusto diremtam freto, traijceret; MASSANISA cum victore exercitu advénit. Ibique cum SYPHACE, per se, fine ullis Pœnorum opibus, ingenti gloriâ bellum gessit.

Et tum primùm Romani in Hispaniâ mercenarium militem in castris, Celtiberos, à Pœno abstractos, pari stipendio habere, cœpérunt.

VARII IN BRUTTIIS PROELIORUM CASUS.

Intereà ANNIBAL in agro Tarentino æstatem cõsumsit, spe urbis per proditionem potiundæ; aliquot simul Salentinorum opidulis ad eum deficientibus. Eodemque tempore in Bruttijs, ex XII. populis, qui annis prioribus ad Pœnos desciverant, Consentini & Thurini (al. Derinæi) in fidem pop. Romani rediérunt. Et plures redissent; ni L. POMPONIUS Veientanus, præf. Sociûm, ob prosperas aliquot in agro Bruttio populationes, iusti ducis speciem nactus, exercitu tumultuariè coacto, cũ HANNONE conflixisset: & magnam quidem vim hominum, sed inconditæ turbæ agrestium servorumque, ipse in cæteris captus, amisisset. Et SEMPRONIUS Cos. in Lucanis nec satis memorabiliter præliatus; nec nobilia eâ in regione opida expugnavit.

SUPERSTITIO ROMÆ COERCITA.

Sacrificuli ac vates, eo tempore Romæ ità hominum ceperant menteis; & religio, eaque magnam partem externa, civitatem incesserat; ut non iam in secreto modò, atque intrà parietes, ritus Romani contemnerentur; sed in publico etiam, ac foro Capitolioque, mulieres neque sacrificarent, neque Deos patrio more precarentur. Datum itaque ab Senatu negotium M. Aimilio (al. Atilio) præt. ut cum Ædilibus & Triumvirr. capitalibus, his religionibus populum liberaret.

Quùm iam Comitiorum Consularium tempus appeteret, & Consules à bello avocari non placeret; T. SEMPRONIUS Cos. comitiorum causâ Dictatorem dixit C. CLAUDIUM CENTONEM. Et ab eo Mag. equitum est dictus Q. FULVIUS FLACCUS.

3742. | 208.
11. Ant. M.
10. Pr. Philop.

Dictator primo comitiali die Consules creavit Q. FULVIUM FLACCUM (III.) Mag. pro tempore equit. & AP. CLAUDIUM PULCRUM, qui Siciliæ prætor fuerat.

P. CORNELIO SCIPIONI, cui pòst Africano cognomen fuit, Ædilitatem tum petenti, Tribb. quidem plebis, ob ætatem, ad petendum nequedum legitimam, obsistebant; sed acria Tribuum suffragia Tribunos coercuère.

ACHÆI PRINCIPIS EXITUS.

Circiter hunc annum, Orb. Cond. 3742. qui est XI. ANTIOCHI MAGNI (siquid ex Polybianæ historiæ reliquijs, ubi plurimæ lacunæ, & abruptæ rerum narrationes, certi colligi possit. Proptereà quòd isti, quem memorabo, Achæi casui, subijciatur Tarentinorum, auctoribus NICONE & PHILOMENE, proditio, & ad Annibalem defectio, libr. 8.) ACHÆUS dolis circumventus, captus, & ANTIOCHO traditus est, hoc modo. ACHÆUS, ab ANTIOCHO, ut videtur, bello lacessitus, & Sardeis, inque arcem compulsus, & cum LAODICE uxore, alijsque amicis circumsessus; tum SOSIBII, amici simplicitate, qui Achæi liberandi consilia cum infidis hominibus communicâsset: tum Bolidis, & Cambyli, Cretensium, artibus & perfidiâ, qui eamdem consiliorum rationem ANTIOCHO retulissent; misericè elusus est. Et quidem ipse litteris à NICOMACHO Rhodio, hospite paterno; & MELANCOMA Ephesio, quorum fideli antè operâ usus fuerat; confirmatus: non modo liberationis suæ spem hauserat; sed

vanas

vanas etiam cogitationes fovebat, si liberatus subitò evasisset; & ANTIOCHVS apud Sardeis moraretur; posse se & Antiochiæ, & in Phœnice Syriâque magnum tumultum facere.

Sed proditoribus subindè in arcem ingressis; & de tuti exitûs ratione consultantibus; tandem quattuor tantùm, ex amicis, stipatus, ipse, quantumvis LAODICE, re improvisâ consternaretur, & dissuaderet; tritâ & vulgari veste, ut lateret, indutus, nocte ex arce egreditur; & in eos, qui in insidijs erant, inque eorum potestatem incidit: & unà cum amicis, ad ANTIOCHVM in vicina castra perducitur. Rex quidem lacrymis & commiseratione restatus est, *Incertos, & incustabiles fortunæ casus:* Decretum nihilo minus in publico concilio, ut manibus pedibusque præcisis, & capite in utrem asininum consuto, reliquum eius corpus in cruce suffigeretur.

LAODICE per præconem res suas convasare, & arce excedere iussa est. Milites in partes discissi, & pars in LAODICEN, pars in ARIOBAZVM animis inclinati, sese, arcemque, ob mutuam inter se diffidentiam, tradidêrunt.

Inito iam à Consulibus magistratu, prætores quoque novi provincias sunt sortiti. P. CORNELIVS SVLLA, urbanam simul & peregrinam, quæ duorum antè sors fuerat: Cn. FVLVIVS FLACCVS Apuliam: C. CLAVDIVS NERO Suessulam: M. IVNIVS Syllanus, Thuscos.

Consulibus bellum cum Annibale, & binæ legiones decretæ. Sed ad veteres exercitus duæ Vrbanæ legiones ab ijsdem scriptæ: summaque XXIII. legionum eo anno effecta.

PVBLICANI MVLTATI.

Tum quoque de Poblicanis, quorum Princeps, & fraude avaritiaque nemini secundus, M. POSTHVMIVS Pyrgensis; quòd naufragia, & commeatuum maritimorum iacturas fuissent ementiti; partim gravi ære, partim ob motum in civitate contra Tribunos concitatum, & Concilium plebis sublatum; bonis, & capite, aut exsilio multati.

NOVA DELECTVS MILITARIS RATIO.

Consules quùm ægrè delectum conficerent, ob inopiam iuniorum; Tribuni pleb. ad populum tulêrunt; ut qui minores VII. & X. annis sacramento dixissent, ijs perinde stipendia procederent, ac si VII. & XX. annorum, aut maiores, milites facti essent. Et ex hoc Senatûs Consulto conquisitio ingenuorum, in quibus ad ferenda arma roboris satis esset; à binis Triumviris per agros habita.

DESERTORES MILITIÆ NOTATI.

Militabant unà cum P. LENTVLO in Siciliâ, Cannensis cladis reliquiæ. Exercitus pridem in eam Insulam eâ lege relegatus, ne antè Punici belli finem in Italiam reportaretur. Ijpermissu Lentuli, ex pedite equiteque delectos, ad M. MARCELLVM in hiberna miserant, & hanc ignominiæ notam deprecabantur.

Senatus eâ de re consultus, ità decrevit; *Militibus, qui ad Cannas commilitones suos pugnantes deseruissent, Senatui nihil videri, remp. committendam esse.* Si M. Claudio proconsuli aliter videretur; faceret quod è rep. fideque suâ duceret. *Dum nequis eorum munere vacaret; neu dono militari, virtutis ergò, donaretur; neu in Italiam reportaretur, donec hostis intrà Italiam esset.*

OBSIDES TARENTINI, OB FVGAM, PVNITI.

Tarentinorum obsides, quum Romæ, in Atrio Libertatis, liberiore custodiâ detinerentur; quòd nec ipsis, nec civitati eorum fallere Romanos expediret; à PHILEA, qui diu iam per speciem legationis Romæ versabatur, crebris colloquijs solicitati; & corruptis æditiis duobus; primis tenebris è custodiâ educti, iam fugam spectabant. quùm vulgato sub lucem rumore emissi ex urbe qui persequerentur, à Tarracinâ comprehensos omneis retraxêrunt. Deducti in comitium, virgisque adprobante populo cæsi, de saxo deijciuntur.

TARENTINORVM CONIVRATIO. ET PRODITIO.

Huius atrocitas pœnæ, duarum nobilium in Italiâ Græcarum civitatum animos, & publicè, & privatim iritavit.

Ex ijs XIII. iuvenes nobiles Tarentini coniurant; eorumque Principes, NICON & PHILOMENES, per speciem venandi, nocte ex urbe egressi, & cum ANNIBALE congressi, fide datâ acceptâque sanxêrunt:

„ *Liberos Tarentinos, leges suaq; omnia habituros: neq; ullum vectigal Pœno pensuros, præsidiumve invitos recepturos. prodita hostium præsidia, Carthaginensium fore.* Sed quòd Arx valido præsidio; urbs quoque à multis militibus teneretur; cautiùs agi visum.

PHILOMENES, venandi studio insignis, consuetudinem nocte egrediundi redeundique in urbem, cum canibus alioque adparatu; & cum prædis, impunè & clàm ex hostico actis, frequentiorem fecerat: eique, quocumque noctis tempore, ad sibili signum porta aperiebatur.

ANNIBAL cum X. pedit. equitumque Millib. concubiâ nocte, proximè urbem movit; & ex composito, flammæ indicium extulit.

Tunc, indè NICON portarum vigiles in cubilibus suis

ſuis obturat; portâq; Temenide apertâ, ANNIBALEM, cum peditum agmine, equitibus ſubſiſtere in eventum iuſſis; admittit.

Inde PHILOMENES, duos iuvenes, inferenteis aptum, cum expedito venatore, ſecutus, vigilem portulæ, ſibi ad commeandum adſuetæ, venabulo traijcit. Et ingreſſi mox XXX. ferè armati, cæteros vigiles cædunt, & portam maximam refringunt. Et agmen confeſtim ſub ſignis irrupit. Indè cum ſilentio in forum perducti, Annibali ſeſe coniunxérunt.

Iam tumultus erat clamorque, qualis eſſe in captâ urbe ſolet; pleriſque quid rei eſſet haud ſatis gnaris. Præfectus, C. LIVIVS, ad primum tumultum excitatus, in Portum effugit; & inde acceptus ſcaphâ in arcem adſcendit.

Poſteaquam lux certior eſſet; & Romani, qui cædibus ſuperfuerant, (nam Annibal per Gallos tripartitò in urbem dimiſſos, Romanos paſſim cædi, & oppidanis parci iuſſerat) in Arcem cum aliquot civibus, confugiſſent; conticeſcente paullatim tumultu, & concione vocatâ, ANNIBAL Tarentinos recipere ſe in domos ſuas quemque iuſſit, & foribus nomen ſuum inſcribere. Domos, quæ inſcriptæ nō eſſent, ſigno dato, diripi ſe iuſſurum. Et capital fore; ſiquis in hoſpitio, licet vacuo, civis Romani nomen inſcripſiſſet. Ea enim omnia militi in prædam ceſſura.

Ipſe, qui Arcem neque vi, neque operibus expugnabilem eſſe perſpiceret; ne aut ſeipſum cura tuendi Tarentinorum, à maioribus rebus moraretur; aut in relictos ſine valido præſidio Tarentinos impetum ex arce, quùm vellent, Romani facerent; vallo urbem ab arce interſepire ſtatuit; & modico pòſt intervallo murum addere.

Quumque indè profectus cum copijs ad flum. Galæſum caſtra poſuiſſet; & ex ijs ſtativis ad opus inſpiciendum regreſſus, id aliquantum opinione eius celeriùs creviſſet; ſpem cepit etiam arcem expugnari poſſe, quæ muro tantum ac foſſâ ab urbe eſſet diviſa.

Et iam omni machinationum operumque genere arcem oppugnabat; quùm miſſum à Metaponto præſidium Romanis fecit animum, ut nocte ex improviſo in opera hoſtium invaderent; aliaque diſijcerent, aliaque igni corrumperent.

Annibal Principibus Tarentinis præſenteis difficultates exponit. Neque in arcis munitæ expugnatione, neque in eiuſdem obſidione quidquam habere ſpei, donec mari potiantur hoſtes.

Si naves ſint, quibus commeatus invehi prohibeant; hoſteis extemplò aut abſceſſuros, aut dedituros ſe.

Tarentini contrà, Punicas naveis ex Siciliâ accitas id poſſe præſtare: ſuas, quæ Sinu exiguo interclusæ eſſent, quùm clauſtra portûs hoſtis haberet, in apertum mare qui evaſuras?

ANNIBAL viâ eâ, quæ ex portu per mediam urbem, in plano poſitam, ad mare transmiſſa erat, naveis haud magnâ mole plauſtris transvehendas curat: & paucos pòſt dies claſſis inſtructa ac parata circumvehitur arcem, & antè ipſum portum ancoras iacit.

LVDI APOLLINARES.

Quùm anno ſuperiore Senatus damnáſſet omneis novos & peregrinos ritus; tum pro tempore nova religio animis hominum credulorum obiecta eſt ex carminibus MARTIANIS: ſive veriùs, planus aliquis in medium protulit Verſus, quaſi pridem à MARTIO, Vate illuſtri, conſcriptos.

Priore carmine impoſtor Cannenſem cladem, rem antè geſtam, videlicet vaticinabatur; In altero obſcuriùs hariolatus, & Pœnorum fugam, ex Ludis Apollini vovendis, ominatus.

Senatus iſtiuſmodi πιχνάσματα amplecti, & pronis auribus excipere ſolitus, mandat Decemviris, ut libros, Sibyllinos, inſpiciant.

Ea quum inſpecta relataque ad Senatum eſſent; cenſuerunt; *Apollini ludos ex voto faciendos; & ſacra eidem, Latonæq;, Græco ritu peragenda.*

Hæc origo Ludorum Apollinarium; qui victoriæ, non valetudinis ergô, voti.

Et primò quidem incertis; deinde ſtatis diebus fieri ſoliti, III. Non. Quinctileis, ex S. C. quod quadriennio pòſt factum eſt.

CAPVANÆ OBSIDIONIS INITIA.

Quùm Conſules, qui ambo in Samnio erant, Capuam circumſeſſuri metuerentur; & Campani, malum diuturnæ obſidionis, famem, iam ſentire cæpiſſent; Legatos Tarentum ad Annibalem mittunt, ut frumentum in tempore ex propinquis locis Capuam convehi iubeat.

Eius iuſſu, Hanno ex Bruttijs cum exercitu profectus, ubi Benevento adpropinquavit, III. paſſ. Millib. ab ipsâ urbe; loco edito caſtra ponit, & accuratè communit, illinc frumentationi operam daturus.

Frumento undique in caſtra devecto; & præſidijs, quæ commeatus eos proſequerentur, iam deſtinatis; factum eſt Campanorum ſocordiâ, qui vix XL. vehicula, & pauca præterea iumenta ſubmiſerant, ut ea res lentiùs procuraretur:

Et FVLVIVS Coſ. monitus, & accitus, Beneventum veniret. Compertoque Hannonem ipſum cum parte exercitus frumentatum abiſſe; caſtra carris, & inconditâ agreſtium turbâ plena eſſe; quartâ noctis vigiliâ egreſſus, antè lucem, caſtra adoritur. Sed ea edito munitoque loco ſita eſſe; & milites ex alto ſuos vulnerari conſpicatus: animumque deſpondens, & meliora in poſterum diem pollicitus, receptui canit.

Milites, qui ad vallum ac foſſas pervenerant, imperatoris conſilia ſegnitiemque aſpernati, pergunt atque inſtant. VIBIVS, Pelignæ cohortis præfectus: & dein T. PEDANIVS III. legionis Princeps, vexilla ſua in hoſtium caſtra traijciunt: ſe & milites ſuos exſecrati, niſi ea ab hoſte capi prohibeant.

Itâ pertinaci manipularium labore, totâ legione ſecutâ, & ipſo Conſule ad incitandos, quos

quos revocârat, milites versos castra uberrimâ prædâ multoque frumento referta, capiuntur. Suprà VI. Mill. hostium cæsa; & plus VII. capta, cum frumentatoribus Campanis; omnique plaustrorum & iumentorum adparatu.

Hanno auditâ suorum clade, cum paucis frumentatoribus, fugæ magis, quàm itineris modo, in Bruttios redijt.

Et Campani, quòd duo Coss. Beneventi essent, diei iter à Capuâ; rursus Annibalem solicitant: neve se indefensos relinquat, obtestantur. Ille curæ sibi omnia fore pollicitus, in præsentia II. equit. Millia cum legatis mittit: quo præsidio agros populationibus possint prohibere.

METAPONTINORVM ET THVRIOR. DEFECTIO.

Romanis interim de Arce Tarentinâ solicitis, C. Servilius legatus, à P. Cornelio præt. in Etruriam, ad frumentum coëmendum, missus, cum aliquot navibus onustis in Portum Tarentinum, inter hostium custodias, pervénit.

Sed traductis ad Arcem tuendam, qui Metaponti erant, militibus; Metapontini metu præsidij, quo tenebantur, liberati, ad Annibalem protinus defecére. Idem vicini & consanguinei (ex Achaiâ oriundi) Thurij fecére. quibus scilicet, obsides sociorum, Tarentinorum, Romæ, nuper, & acerbiùs, interfectos fuisse, doleret.

Postquam Hanno spe urbis potiundæ ab ijs evocatus, M. Atinium, Romani ibidem præsidij præfectum ad certamen, & in insidias pertraxisset; & aliquantam cædem militum, quos fusos ex acie, Thurini portis exclusérant, fecisset; illi, Atinio cum suis, ad mare ac naveis, ob mite & iustum eius in se imperium, in tutum deducto; Carthaginienseis in urbem accepérunt.

CAPVÆ OBSIDIO CÆPTA.

Consules, deductis à Benevento in Campanum agrum legionibus, nobilem se Consulatum tàm opulentæ urbis, (cuius iam tertium (immò quintum) annum defectio impunita fuisset) excidio, facturos rati; ad Capuam oppugnandam se comparabant. Et T. Gracchum ex Lucanis, cum equitatu, ac levi armaturâ, Beneventum venire, ac tueri iusserant; alio in Lucanis, qui res ibi obtineret, relicto.

Sed ille, Flavij Lucani, qui prætor & caput fuit eius partis Lucanorum, qui pro Romanis stabant; perfidiâ; & prætextâ publicæ omnium eius provinciæ populorum, sive Nominis Lucani, cum Rom. reconciliationis simulatione; in insidias præcipitatus; & in Magonis manus, post acrem pugnam, traditus; & exanimis propè, ab eo ad Annibalem missus; incertum vitæ exitum invénit. (Alij ab Annibale in rogum iniectum, & magno honore exsequias celebratas: Alij, capite tantùm Gracchi hosteis porrectos, quod ad se delatum Annibal, per Carthalonem, ad Cn. Cornelium quæst. in castra Romana detulerit. Et ab eo funus imperatori in castris, celebrantibus unà cum exercitu Beneventanis, factum esse, tradidérunt.)

Interea dum Coss. agrum Campanum passim populantur; ab erumpentibus cum Magone oppidanis, ad M. D. ex palantibus cæsi sunt. Et hinc ad cavendum intentiores facti.

Neque parum animi audaciæque Romanis adiecit, duellum T. Quinctij Crispini, cum Badio Campano; ingrato hospite, & præferoci hoste, feliciter & cum iusta armorum spoliorumq; ostentatione, adfectum.

Annibal ex agro Beneventano castra ad Capuam quum movisset, tertio pòst die quàm venit; copias in aciem eduxit. prœlioque inito, acies Romana, equitum maximè incursu iaculisque obruta, laborabat.

Quumque equestre ex æquo prœlium committeretur; Cn. Cornelius Quæstor cum Semproniano exercitu superveniens, utrique parti parem metum præbuit; ne hostes recentes advenatarent. Et sic utrimque, velut ex composito, signum receptui datum; & æquo propè Marte discessum.

Consules autem, ut Capuâ Annibalem averterent; Fulvius, in agrum Cumanum; Claudius, in Lucanos, abierunt.

Posterò die quùm vacua castra Romanorum nuntiatum Annibali esset; & Consules duobus agminibus diversos abisse; ex ijs Appium insistit sequi. Ille verò circumducto hoste, quà voluit, alio itinere ad Capuam in castra redijt.

CENTENII CENTVRIONIS TEMERITAS, ET CLADES.

Sed aliam rei benè gerendæ fortunam obtulit Annibali M. Centenius Penula, insignis antè inter Primi-pili Centuriones.

Is perfunctus militiâ, & in Senatu multa de se magnificè pollicitus; quasi brevi operæpretium facturus, ex hostis, & regionum peritiâ; IIX. militum Millia, præter voluntarios, adscivit: ac propè duplicato ex agris exercitu, in Lucanos, ubi Annibal substiterat, pervénit.

Vt conspecta inter se agmina sunt, & neutra pars detrectavit pugnam; extemplò instructæ acies. Pugnatum, in tanto Ducum exercituumque, veteranorum & novorum, discrimine, duas amplius horas: & donec dux staret, Romanâ acie immotâ.

Qui posteaquam, ne suâ temeritate contractæ cladi superesset, obiectans se hostium telis eccidit; fusi Romani. Et quum ne fugæ quidem iter pateret, omnibus vijs ab equite insessis, ex tanta multitudine (XVI. Mill.) vix Mille evasérunt.

CAPVÆ OBSIDIO CONTINVATVR.

Capua interim ab Consulibus summâ vi, rebus quæ opus erant comportatis, obsideri cæpta est. Et quod

Et quod tum flumen Vulturnum, tum mare proximum, in eorum esset potestate; frumenta, tam ex Sardinia, quam ex Etruriâ, facilè in maritima castella. & indè in castra, convehebantur.

Super eam autem cladem, quæ in Lucanis erat accepta; Volonum exercitus, velut morte GRACCHI ducis, exauctoratus, ab signis discessit.

FVLVIJ PRÆTORIS CLADES.

Præterea ANNIBAL castris in Apuliam motis, ubi circà Herdoneam FVLVIVS prætor, cum legionibus Romanis, erant, in tantam licentiam socordiamq; effusi, ut nulla disciplina militiæ esset; insidijs opportunè positis, & itineribus per equites insessis, in aciem copias educit.

Nec FVLVIVS cûctatus est, non tàm suâ ullâ spe, quam fortuito impetu procurrentium temerè militum tractus: Ita he clamorem quidem atque impetum primum Afrorum, Romani sustinuere.

Dux ubi rem inclinatam vidit; equo arrepto, cum CC. fermè equitibus effugit. Cæteri à tergo, à fronte atque alis circumventi. Eo usque cæsi, ut ex XIIX. hominum Millib. II. haud amplius Millia evaserint; hosteisque castris sint potiti.

Senatus missis ad Coss. legatis, denuntiant, ut duorum exercituum reliquias cum curâ colligant: denique operam; ne per metum ac desperationem hosti se dederent: & ut desertores de exercitu Volonum conquirerent; iique ad signa reducerentur.

SERIA CAPVÆ OBSIDIO.

Etiam Cl. NERO Pr. ab Suessulâ ex Claudianis castris accitus, ad Consules, qui Capuam circumsidebant, cum omnibus copijs descenderat; quum tribus prætorijs circà urbem erectis, tres exercitus diversis partibus opus adgressi, fossâ valloque eam circumdare parant. Et sic cum erumpentibus pugnant, ut postremò portis muroque se contineret Campanus.

SYRACVSARVM OPPVGNATIO.

Quùm maximè Capua circumvallaretur; Syracusarum quoque oppugnatio ad finem venit: suprà ducis virtutem, intestinâ etiam proditione, & suspectis exsulum Syracusanorum, cum suæ partis civibus, colloquijs; non minimè adiuta.

MARCELLVS loco muri, inter colloquia, animadverso, qui vel mediocribus scalis superari posset; & cognito, diem festum DIANÆ, per triduum, epulis vino longiùs celebrandis, agitatum iri; nocte concubiâ, loco pluries scalas adplicat. Et parte muri captâ; portulâque ad Hexapylum refringi cæptâ; iam undique non furtim, sed vi, apertè, res gerebatur. & ad Epipolas, frequentem custodijs locum, iam perventum erat. atque adeo ad tubarum cantum, è muris editum, custodes, omnia latè teneri rati, alij per murum fugiebant; alij de eodem desiliebant.

MARCELLVS, ut mœnia ingressus ex alto urbem, omnium eâ tempestate pulcerrimam, subiectam oculis vidit; illacrymâsse dicitur; partim gaudio rei perpetratæ, partim vetustâ urbis gloriâ.

Et dum is frustrà tentatis transfugis, qui Achradinæ portas muroque tenebant; frustraque Philodemo Argivo, quem EPICYDES, Euryalo, (Tumuli nomen est) imposuerat; de statione tradendâ, côpellato; castra inter Neapolim, & Tychen (urbis parteis; & quidem ipsas, urbium instar) posuisset; legati utrimque ad eum cum velamentis accessêrunt; precantes, ut à cædibus atque incendijs parceretur.

MARCELLVS verò militibus edixit; *Nequis liberum corpus violaret; cætera præda futura.*

Et à cædibus quidem temperatum est: rapinis verò nullus antè modus fuit, quàm omnia, tàm diuturnâ felicitate cumulata, bona egessissent. Atque inter hæc PHILODEMVS, fide acceptâ, ut inviolatus ad EPICYDEM rediret; reducto secum præsidio, Tumulum Romanis tradidit.

BOMILCAR verò, noctem nactus tempestuosam, cum XXXV. navibus è Portu Syracusano egressus; LV. alijs EPICYDÆ relictis, vela in altum dedit. Edoctisque Carthaginiensibus in quanto res Syracusana discrimine esset, cum C. navibus, post paucos dies, eòdem redijt.

MARCELLVS, Euryalo recepto, quùm nullam ab tergo vim hostium formidaret; Achradinam ternis castris, per idonea disposita loca, circumsedit. quùm aliquot post dies, repentè adventus HIPPOCRATIS & HIMILCONIS, ut ultro undique oppugnarentur Romani, effecit.

Sed & CRISPINVS, qui veteribus Romanorum castris præerat, HIPPOCRATEM non modo à munimentis reppulit; sed trepidè etiam fugientem insecutus est. Et MARCELLVS Epicydem in urbem, undè eruperat, gnaviter compulit.

GRAVIS IN VTRISQVE CASTRIS PESTILENTIA.

Accessit & pestilentia, commune malum, quod facilè utrorumque animos averteret à belli consilijs.

Et iam quotidiana funera, & mors ob oculos omnium obversabatur. Iam mortui ægros; ægri validos; cum metu, tum tabe ac pestifero odore cadaverum conficiebant. Ægros vicissim sani; mortuos vivi; deserebant. Quidam ferro malentes, quam vi pestis absumi; ferro in hostium stationes soli irruebant.

Ex hostium exercitu, Siculi, ut primum vidêre ex gravitate loci, vulgâri morbos; in suas quisque propinquas urbeis dilapsi sunt. Carthaginienses, quibus nusquam receptus erat; cum ipsis ducibus, HIPPOCRATE & HIMILCONE, ad internecionem omnes periêre.

Et quantumvis MARCELLVS, in tantâ vi mali, suos in urbem adduxisset; corporaque infirma tectis atque umbris recrearentur; multi tamen ex Rom. exercitu, eâdem peste absumti sunt.

Deleto terrestri Pœnorum exercitu; Siculi, qui sub Hippocrate militârant, in opida tuta perfugêre; è quibus

è quibus & auxilia arcessebant, & commeatus obsessis comportabant.

BOMILCAR CXXX. navibus longis, & LXX. onerarijs auctus, & Carthagine profectus; primò adventûs sui famâ; deinde, præter spem, morâ; gaudium metumque, invicem, Romanis Syracusanisq; præbebat.

EPICYDES, Acradinâ mercenariorum militum ducibus traditâ, ad BOMILCAREM, navale prœlium reformidantem, navigat; eumque ad fortunam certaminis experiundam perpulit.

Et MARCELLVS, ne simul terrâ marique, inclusus urbe hostiū, urgeretur; licet numero navium impar, prohibere aditu Syracusarum BOMILCAREM constituit.

Duæ classes infestæ circâ promontorium Pachynum stabant. BOMILCAR, qui prior moverat, postquàm tendere ad se Romanas naveis vidit; subitò territus, vela in altum dedit. Missisque nuntijs Heracleam, qui onerarias naveis retrò Africam repetere iuberent; ipse Siciliam prætervectus, Tarentum petit.

EPICYDES ità destitutus, & nolens in obsidionem, magna ex parte captæ urbis redire; Agrigentum navigat.

Quæ ubi in castra Siculorum sunt nuntiata, EPICYDEM Syracusis excessisse; & Insulam propè iterùm Romanis traditam; legatos de conditionibus dedendæ urbis (exploratâ priùs per colloquia voluntate eorum, qui obsidebantur) ad MARCELLVM mittunt.

Prætores tamen priùs creati, ex eorumque numero delegati, qui cum Consule paciscerentur.

Dum in eo sunt, ut æquabiles à Romano pacis leges impetrent & accipiant; Transfugæ tradi se Romanis rati, mercenariorum quoque auxilia in eumdem compulére metum; arreptisque armis, prætores primùm obtruncant; indè ad Syracusanorum cędem discurrunt. Et VI. è suis præfectos creavére, ut terni Acradinæ, ac Nasso præessent.

At sedato tumultu, mercenarij, sciscitando, quæ cum Romanis acta essent, cognovére, aliam suam, ac transfugarum, caussam esse. Eâque suspicione ab ipsis legatis, qui in tempore redierant, sunt liberati.

MERICI HISPANI OPPORTVNA DEDITIO.

Intereà MERICVS Hispanus, ex III. Acradinæ præfectis unus, clàm per fratrem, legationis sociū, cum MARCELLO pactus; milites eius, eâ regione portæ, quæ propè fontem Arethusam, expositos, recepit. Et simul Marcellus omnibus copijs Acradinæ mœnia adgressus est.

Quumque ab Nasso etiam armati, relictis stationibus suis, ad vim arcendam concurrerent; actuariæ naves iam antè instructæ, & ad Nassum adpulsæ, suos quoque armatos exposuérunt. qui improvisò adorti semiplenas stationes; & adapertas portæ fores, haud magno certamine Nassum cepére.

MARCELLVS ut captam esse Nassum didicit; & Acradinæ regionem unam teneri; Mericumq; cum præsidio suis adiunctum; ne regiæ opes diriperentur; receptui cecinit. Atque ità suppresso multum impetu; & transfugis, qui in Acradinâ erant, spatium, locusque fugæ datus est: & Syracusani tandem liberi metu, portis Acradinæ apertis, oratores ad Marcellum mittunt; nihil petentes aliud, quam incolumitatem sibi, liberisque suis.

MARCELLVS, Quæstore cum præsidio ad Nassum, accipiendæ custodiendæque regiæ pecuniæ, misso; & divisis per domos eorum, qui vel exsulârant, vel intrâ præsidia Romana fuerant, custodibus; urbem militi diripiendam dedit. Vbi tantum prædæ fuisse dicitur, quantum vix captâ Carthagine tum fuisset.

ARCHIMEDEM memoriæ proditum est, in tanto discurrentium diripientiumque tumultu, intentum formis, quas in pulvere descripserat, ab ignaro milite interfectum. Ægrè id ferentem Marcellum sepulturæ curam habuisse: & propinquis, etiam inquisitis, honori præsidioque nomen ac memoriam eius fuisse.

OCTACILII PRÆTORIS INDVSTRIA.

Paucis antè diebus, quàm Syracusæ caperentur, T. Otacilius cum quinqueremibus LXXX. Vticam ab Lilybæo transmiserat; & portum incustoditum ingressus, onerarias frumento onustas ceperat; simulque prædam ex agro vicino retrò ad naveis egerat. Ipse Lilybæum tertio die, quam inde profectus erat, cum CXXX. onerarijs navibus, frumento prædâque onustis, redijt. Id frumenti Syracusas missum, ni tàm in tempore subvenisset; victoribus victisque pariter perniciosa fames instabat.

RES MAGNÆ IN HISPANIA: ET SCIPIONVM EXITVS.

In Hispania SCIPIONES, qui hactenus ASDRVBALEM, in Italiam tendere gestientem, retinuerant; ad bellum ibidem finiendum se accingunt. Satis ad id virium accessisse rati, XXX. Mill. Celtiberorum, eâ hieme ad arma excitata.

Tres hostiū exercitus erant. ASDRVBAL, GISGONIS F. & MAGO coniunctis castris, V. fermè dierum iter ab Romanis aberant. ASDRVBAL, AMILCARIS F. vetus in Hispania imperator, propiùs ad urbem Anitorgin exercitum habebat.

Romani duces optimum rati, divisis bifariàm copijs totius simul Hispaniæ amplecti bellum; ità inter se diviserunt. Vt P. CORNELIVS duas parteis exercitûs, Romanorum sociorumque, ad versùs ASDRVBALEM Magonemque duceret: Cn. CORNELIVS cum tertiâ parte veteris exercitûs, adiunctis Celtiberis, cum ASDRVBALE Barchino bellum gereret.

Postquam fratres unà profecti cum exercitibus suis, & Celtiberis prægredientibus, ad urbem Anitorgin, in conspectu hostium, & amne tantum dirimente, castra posuissent; Ibi Cn. quidem SCIPIO, cū quibus antè dictum est copijs, substitit; & P. Frater ad destinatam sibi belli partem profectus est.

ASDRVBAL exiguum Romanorum exercitum in castris animadvertens; & spem omnem in Celtiberorum auxilijs esse; per occulta popularium colloquia, magnâ mercede cum eius gentis Principibus paciscitur; ut copias inde abducant. Signis itaque repentè sublatis, Barbari abeunt; domestico se avocari bello restari.

SCIPIO, qui nec se hosti iam parem: nec fratri rursus coniungi posse videret; retrò, quantum posset, cedere statuit; in id omni curâ intentus, necubi hosti æquo se committeret loco; qui trãsgressus flumen propè vestigijs abeuntium insistebat.

Alterâ ex parte, per eosdem propè dies, par terror, sed periculum maius, P. SCIPIONEM ab novo hoste urguebat.

MASSANISSA erat iuvenis, eo tempore Carthaginiensium socius, qui cum equitatu Numidarum adeò infensa omnia SCIPIONIS faciebat; ut compulsis intrà vallum Romanis, propè iusta obsidio esset.

Quam cum artiorem fore appareret; si INDIBILIS Hispanus, (quem cum VII. Millib. & D. Suessetanis advenire fama erat) se Pœnis coniunxisset. dux Cautus & prudens, necessitatibus victus, temerarium capit consilium; ut nocte INDIBILI obviàm iret.

Modico igitur in castris præsidio relicto; & T. FONTEIO legato ijsdem præposito; mediâ nocte profectus, cum obvijs hostibus manus conseruit.

Sed hîc Romanis, ut in tumultuariâ pugnâ, vincentibus; equites Numidæ, quos fefellisse dux ratus erat, ab lateribus circumfusi, magnum terrorem intulére.

In hoc novi certaminis ardore, tertius insuper advenit hostis. Pœni scilicet duces, ASDRVBAL & MAGO, ab tergo iam pugnanteis adsecuti.

Anceps prœlium Romanos circumsteterat, in quam partem conferti erumperent, incertos. Pugnanti hortantique Imperatori, & ubi plurimus erat labor, se offerenti, latus dexterum lanceâ traijcitur: & is exanimis ex equo lapsus est. Cuius rei rumor passim pervagatus, ut & hostes haud dubiè pro victoribus; & Romani pro victis essent, effecit.

Fuga confestim, amisso duce, ex acie fieri cæpta; in quâ plures, quam in pugnâ, cæsi sunt. Paucos, præcipiti iam ad vesperum die, nox periculo exemit.

Duces indè Pœni haud segniter fortunâ usi, vix necessariâ quiete datâ militibus, citatum è prœlio agmen ad ASDRVBALEM AMILCARIS rapiunt; non dubiâ spe, ubi copias coniunxissent, debellari posse.

Cn. SCIPIO, in quem tota belli moles vertebatur, cedere quantum posset enitens; suos prœlijs obiter editis fessos, & collectos in tumulum quemdam subducit.

Vbi quum neque virgulta vallo cædendo; nec terra cespiti faciendo, aut ducendæ fossæ, alijve ulli operi aptâ, inveniri posset; clitellas illigatas oneribus, velut struentes, ad altitudinem solitam, circumdabant. cumulo sarcinarum omnis generis obiecto, ubi ad moliendum clitellæ defuerant.

Hæc nova munitionis facies primò Pœnos, veluti miraculo quodam tenuit; donec pluribus partibus munimenta deiecta armatis viam dedére. Et captis ram undique castris, pauci à multis, perculsi à præsenti victoriâ læti, passim cæsi sunt.

Magna pars tamen militum, cum in propinquas refugisset silvas, in castra P. SCIPIONIS, quibus FONTEIVS præerat, perfugérunt.

Cn. SCIPIONEM alij in tumulo, primo hostium impetu, cæsum tradunt: Alij, cum paucis in propinquam castris turrim confugisse. hanc igni circumdatam, & exustis foribus vi captam; omnesque intùs, cum ipso Imperatore, occisos, sive crematos.

Ita SCIPIADÆ, *duo fulmina belli*, septimo postquàm in Hispaniam advenerant, anno, perierunt. ab optimis quibusque, non minus in Hispaniâ, quàm in Italiâ, desiderari.

LVC. MARTIJ VIRTVS.

Sed vir unus res Romanorum perditas restituit. Is erat L. MARTIVS, Septimij F. sub Cn. SCIPIONIS disciplinâ, per tot annos, omneis militiæ arteis edoctus.

Hic & ex fugâ collectis militibus, & quibusdam de præsidijs deductis, haud contemnendum exercitum fecerat; seque cum T. FONTEIO, P. SCIPIONIS legato, coniunxerat.

Ad illum, quùm castris citrà Iberum communitis, ducem exercituum comitijs militaribus creari placuisset; eunte per omneis suffragio, cuncti summam imperij detulérunt.

Iamque ASDRVBAL iunior Iberum transierat; & ad delendas quasi belli reliquias veniebat; quùm signo pugnæ ab novo duce proposito, Romani milites, ex priorum Imperatorum, quibus freti ad pugnam prodire soliti essent, recordatione, in lamenta & muliebres fletus effusi, veluti torpebant. Donec mulcente & increpante MARTIO, ad propinquum hostilium tubarum sonum, versò repentè in iram luctu, ad arma & ad portas discurrunt. Et in hostem, negligenter atque incompositè insultantem, tàm ferociter incurrunt; ut Pœni stupentes, pedem referre; & dein validiore pulsi impressione, terga vertere sint coacti.

Et, aut fœda fugientium cædes fuisset; aut temerarius periculosusque insequentium impetus; ni MARTIVS suis concitatis, & renitentibus, properè receptui signum dedisset: & in castra, avidos adbuc cædis sanguinisque, reduxisset.

Quum itaque omnia apud hosteis neglecta, ob contemtum ducis, & paucitatis Romanæ, essent; ijs exploratis, MARTIVS ad consilium primâ specie temerarium magis, quàm audax, animum adiecit; ut ultrò castra hostium oppugnaret, antè, quàm se rursus tres exercitus, ac tres duces, iunxissent.

Erant ultrà proxima castra, VI. Millium intervallo distantes, aliæ Pœnorum copiæ. Vallis cava intererat, condensa arboribus.

In huius silvæ medio fermè stadio cohors Romana cum equitibus abdita est. Et sic medio itinere intercepto, cæteræ copiæ silenti agmine ad proximos hostes ductæ. & quòd statio nulla pro portis, neque in vallo custodiæ essent; velut in sua castra,

castra, nullo usquam obsistente, penetravére.

Indè signis canentibus, & sublato clamore, pars semisopitos hosteis cædunt; pars stramenta arida tectis injiciunt: pars portas, ne fugæ sit locus, occupant.

Fit varia & promiscua cædes ferè inermium, aut sensibus alienatorum. Dumque non pauci ad altera castra fugam intendunt; à cohorte, & equitibus ex occulto prorumpentibus, circumventi cæsique ad unum omnes sunt.

Romani raptim adeò in altera transcurrére castra, (MAGONIS) ut prævenire nuntius cladis non posset. Ibi verò quò longius ab hoste aberant; & quia sub lucem pabulatum, lignatum aut prædatum, multi dilapsi fuerant; neglecta magis omnia ac soluta invenére.

Feroci victori nequaquam in portis resisti potuit. Intrà portas, concursu ex totis castris ad primum tumultum facto, atrox prœlium oritur. Diuque tenuisset, ni cruenta scuta Romanorum visa cominùs, alterius cladis indicium Pœnis, atque inde pavorem, iniecissent. Hic terror in fugam avertit omneis.

Ità nocte & die bina castra hostium expugnata. & ductu L. Martij, Scipionum Manibus pulchrè parentatum.

Variant in numero cæsorum captorumque auctores. Alij ad XXXVII. hostium Mill. cæsa; captos ad M.DCCCXXX. VALER. ANTIAS, vna castra Magonis capta tradit; VII. Mill. cæsa. Et altero prœlio eruptione pugnatum cum Asdrubale, X. Mill. occisa, IV. Mill. CCCXXX. captos. Piso, V. Millia, quùm Mago cedenteis nostros effusè sequeretur, cæsa ex insidijs scripsit. VALER. MAXIM. lib. I. c. 6. de prodig. Æquè felicis, inquit, eventûs, illa flamma, quæ ex L. Marcij, duorum exercituum ducis, quos interitus Cn. & P. SCIPIONUM in Hispania debilitaverat, capite, tùm concionantis, eluxit. Namque eius adspectu, pavidi adhuc milites, pristinam reciperare fortitudinem admoniti. Momimentum victoriæ eius, usque ad incensum Capitolium, fuisse produnt, in Templo, Clypeum, argenteũ, pondo CXXXIIX. MARTIUM appellatum, cum imagine Asdrubalis Barchini.

LUXUS ROMAM INVECTUS.

Quietæ deinde aliquamdiu res in Hispaniâ, mutuo metu, fuére. MARCELLUS verò, captis Syracusis, cum cætera in Siciliâ tantâ fide atque integritate composuisset, ut non modò suam gloriam, sed pop. etiam Romani maiestatem augeret; ornamenta urbis, signa tabulásque, quibus urbs illa abundabat, uti spolia, iure belli parta, Romam devexit. *Vnde primum initium mirandi Græcarum artium opera: & hinc licentiæ, sacra profanáq; omnia vulgo spoliandi, factum est.*

Et perexigua certè pars talium ornamentorum, in Templis à MARCELLO dedicatis, *post paucos annos comparuit.*

MUTINÆ, DUCIS AFRI VIRTUS.

Intereà EPYCIDES & HANNO Agrigentum adhuc tenebant, priores belli reliqui duces. Et his tertius novus accessit ab ANNIBALE, in locum HIPPOCRATIS missus, MUTINES Hipponiates, gente Libyphœnix, vir impiger, & belli peritus.

Is primis expeditionibus, cum auxiliari Numidarum manu, ità in hostium agros pervagatus est; & tam opportunè socijs auxilium tulit: ut magnum quid spondere censeretur, & brevi tempore rotam Siciliam nominis sui impleret. Et duces, Pœnus Syracusanusque, extrà muros, Agrigento egressi, ad Himeram amnem castra ponerent.

Vt Marcellus extemplò copias eòdem movit, in eius stationes, MUTINES de-subito, & ingenti cum tumultu, invectus, & postridie iusto propè Marte prœliatus, Romanum intrà munimenta compulit.

Sed hic CCC. Numidarum, qui Heracleam Minóam secesserant, rebellio eius impetum retardavit. Ad quos ille mitigandos atque ad officium revocandos profectus, multùm contestatus collegas dicitur: ne, absente se, cum hoste manus consererent. Id ambo ægrè passi, eius gloriã anxij; & transgressi flumen, in aciem exeunt.

Numidæ, & eâ seditione, quam diximus, moti; & invidiam veterum ducum, qui præfectum suũ, sub ipsam certaminis diem, ex æmulatione ablegâsse viderentur, detestati; à prœlio abstinére, in animum inducunt: & id se facturos Imperatori Romano denuntiant.

Quæ à transfugis edoctus Marcellus, haud magnâ vi certaminis, sed primo clamore atque impetu rem decrevit. Multa hominum Millia cæsa, captaque. Et ea clades, Punici fuit in Sicilia fundi calamitas.

Hâc siquidem victoriâ Sicilia tota in potestatem P. R. venit: factaque est provincia.

3743. 207.
12. A t. M.
11. Pt. Philad.

CN. FULVIUS CENTIMALUS, & P. SULPITIUS GALBA Coss designati, cum Idib. Mart. Magistratum inijssent;

Q. FULVIO, & APPIO CLAUDIO, prioris anni Coss. imperium prorogatum, atque exercitus, quos habebant, decreti. adiectumque, ne à Capuâ, quam obsidebant, abscederent, prius quàm expugnâssent. Quæ urbs nobilis & potens, sicut defectione suâ traxerat aliquot populos; ità recepta, inclinatura rursùs animos videbatur ad veteris imperij respectum. Tribus & viginti legionibus Romanis eo anno bellum terrâ marique gestum est.

MILITARIA SENATUS DECRETA.

Militibus Cn. Fulvij, qui fœdè in Apulia cæsus fugatusque fuerat, Senatus eundem, quem Cannensibus, finem statuerat militiæ. Additum etiam utrorumque

utrorumque ignominiæ; ne in opidis hibernarent; neve hiberna propiùs ullam urbem x. pass. Millib. ædificarent.

Et ipse Cn. FVLVIVS, bis accusatus; & tertiùm testibus datis (præterquàm quod omnibus probris onerabatur: & iurati permulti dicerent; fugæ pavorisque initium ab ipso, prætore, ortum; & ab eo desertos milites terga dedisse;) ab iratâ plebe perduellionis iudicatus, exsulatum Tarquinios abijt.

L. quoque Marcij res in Hispania gestæ, Senatui quidem magnificæ sunt visæ: sed titulus honoris, quod Imperio, non populi iussu, neque ex auctoritate Patrum, dato, proprætore Senatui se inscripserat; magnam partem hominum offendebat; uti res novi exempli. Alium itaque cum imperio in Hispaniam mitti placuit ad eum exercitum, cui Cn. SCIPIO imperator præfuisset.

CAPVA CAPITALITER OPPVGNATVR.

Inter hæc vis omnis belli versa in Capuam erat. Adversùs eorum eruptiones, & equestria prœlia, fermè ijs prospera, inita est ratio peditum equiti immiscendorum: qui & vehi post equites, & ex equis desilire perniciter adsuefierent, & parmis brevibus protecti, in hostium equites incurrentes, iacula ferro præfixa, quale hastis velitaribus inest; alia super alia emitterent. Et tum equites denique in perculsum hostem invecti, vel fugam, vel stragem facerent.

ANNIBAL AD CAPVAM.

ANNIBALEM, nuntijs & querelis Campanorum excitatum, à Tarento, Capua ad se traxit; in quam omnium sociorum hostiumque conversi animi essent. Relictâ itaque magnâ impedimentorum parte in Bruttijs; & omni graviore armaturâ; cum delectis peditum equitumque; & XXXIII. elephantis, in Campaniam contendit.

Quumque adveniens Calatiam, castellum, pulso indè præsidio, cepisset; in circomsedentes Capuam se vertit: præmissis antè in urbem nuntijs, quo tempore castra Rom. adgressurus esset; ut eodem & illi, ad eruptionem parati, portis sese omnibus effunderent.

Primo certè impetu castra Rom. minimo minus capta. Sed ANNIBAL, postea quam cohortem Hispanorum, quæ cum tribus elephantis usque ad vallum pervaserat; & per stragem iacentium belluarũ, atrocem pugnam ediderat; cæsam vidit, & alterâ parte Campanos, cum Punico præsidio, in urbem magnâ vi compulsos; omissâ oppugnatione, recipere signa, & convertere agmen retrò peditum, obiecto à tergo equitatu, cœpit.

Cæsa eo die ferũtur, ex Annibalis exercitu, IIX. homin. Mill. & III. ex Campanis. multa signa utrimque adempta.

Quùm fame ferroque urguerentur Campani; neque spes ulla superesset; ijs, qui nati in spem honorum essent, honores detrectantibus; SEPPIVS LESIVS, loco obscuro, tenuique fortunâ ortus, querendo desertam ac proditam à primoribus Capuam, summum magistratum, qui Mediastuticus dicitur, eo anno, ultimus omnium, ceperat.

Quem adhuc puerum aruspex quidem ad summum imperium civitatis perventurum responderat; & mater eumdem, in summo honore, res Campanorum perditurum subiecerat.

Annibali abscedere, irrito incepto; & castra à Capuâ movere iam paranti; & multa secum quò porrò ire pergeret, volventi; subijt animum impetus, caput ipsum belli, Romam, petendi. Cuius rei semper cupitæ prætermissam occasionem, pòst Cannensem pugnam, & alij vulgò fremebant; & ipse non dissimulabat. Hortatus antè per litteras Campanos, ne animum intereà desponderent; neve se dederent, tolerando paucos dies, Româ in extremum discrimen coniectâ, totam soluturos obsidionem.

ANNIBAL ROMAM CONTENDIT.

Q. FVLVIVS proconsul, cui ex Senatûs consulto, collegâ APPIO ex vulnere, quod nuperâ ad Capuam pugnâ acceperat, ægro, & Capuam porrò obsidere iusso; eundum Romam erat; è III. exercitibus milite electo, ad XV. peditũ Mill. & equites M. Vulturnum ratibus, (naveis namque Annibal incenderat: &, indè haud procul, idem flumen transgressus, castrà posuerat) traiecit.

Iamque Annibal pervastatis passim, quà ierat, agris, Algido Tusculum petebat; nec receptus mœnibus, infrà id opidum dextrorsùs in Gabios descendens, in Pupiniam demisso exercitu, IIX. pass. Millia, à Româ, castra collocârat: quùm in magno civitatis terrore ac tumultu, FVLVIVS FLACCVS portâ Capenâ cum exercitu Romam ingressus, mediâ urbe, per Carinas Esquiliasque, contendit; & indè egressus, inter Exquilinam Collinamque portas, castra posuit.

Annibal tum Anienem transgressus, in aciem omneis copias edoxit. Nec FLACCVS Cousulesque certamen detrectavêre.

Instructis utrinque exercitibus in eius pugnæ casum, in quâ, *urbs Roma victori præmium esset*; imber ingens, grandine mistus, ità utramque aciem turbavit; ut vix armis retentis in castra se receperint; nullius rei minore, quàm hostium metu. Et postero die acies eodem loco instructas, eadem tempestas diremit.

Vbi recepissent se in castra; mira cœli serenitas cum tranquillitate oriebatur.

In religionem ea res apud Pœnos versa est: auditaque vox Annibalis fertur; *Potiundæ sibi urbis Romæ, modò mentem non dari, modò fortunam.* In reditu, Feroniæ templum, divitijs eâ tempestate inclytum, omnibus donis spoliavit.

Cæterùm non quantùm pertinaciæ ad premendam obsidione Capuam Romanis fuit; tantùm ad defendendam Annibali. Ipse ex Lucanis in Bruttiũ agrum; ad Fretum verò ac Rhegium, eò cursu contenderat; ut propè repentino adventu incautos oppresserit.

PERTINACIA CAPVANORVM, ET SVPPLICIVM.

Capua verò, etsi nihilo segniùs per eos dies oppugnata fuerat, tamen adventũ Flacci sensit; mirata,

non simul regressum Annibalem. Vndè relictos se desertosque, & spem Capuæ retinendæ deploratam apud Pœnos esse, intellexerunt.

Neque tamen, edicto proconsulis etiam palàm vulgato; *Vt qui civis Campanus ante certam diem transisset, sine fraude esset*; ulla facta est transitio. *Metu magis eos, quam fide continente*, Domibus inclusi, omnes patriæ occasum, cũ suo exitio, in dies exspectabant.

Quùm cæteri de legatis mittendis ad Imperatores Romanos agerent; VIBVS VIRTVS, defectionis ab Romanis auctor; aliique, ad XXVII. Senatores, eius oratione inducti, & cum eo postremùm epulati; alienatis vino mentibus, ab imminentis sensu mali, venenum omnes sumsérunt; & priusquam aperirentur hostibus portæ, exspirárunt, corporibus in communem rogum coniectis.

Postero die legio una Capuam intromissa. & duæ alæ, cum C. FVLVIO legato. Is cum omnium primùm arma telaque, quæ Capuæ erant, ad se conferenda curásset; custodijs ad omneis portas dispositis, nequis exire aut emitti posset, præsidium Punicum comprehendit.

Senatum Campanũ ire in castra ad Impp. Rom. iussit. quò cum venissent, extemplo ijs omnibus catenæ iniectæ; iussiq; ad Quæstores deferre, quod auri argentique haberent.

Senatores v. & xx. Cales in custodiam; Duodetriginta Theanum missi, quorum de sententiâ maximè defectum ab Rom. constabat.

De supplicio captivorum Senatorum, haudquaquam inter FVLVIVM, APPIVMQVE conveniebat. Facilis impetrandæ veniæ CLAVDIVS; Fulvij durior sententia erat.

Ille ad Senatum censebat rem deferendam; hic, agro collegâ, præcipuum imperium obtinens, nec differendum supplicium, nec crudelitatis invidiâ onerandum Senatum ratus; primum Theani, deinde Calibus, etiam cum à Senatu Rom. litteræ eâ de re missæ & traditæ ipsi essent; Principes civitatis, virgis cæsos, securi percussit. Et tũ litteræ, quas acceptas, neque resolutas in gremio reposuerat, lectæ; Senatũsq; consultum, serum ad impediendam rem actam; quæ summâ ope, ne impediretur, erat adproperata.

Alij adscriptum in eo Senatûs-consulto tradidérunt; *Si ei videretur, integram rem ad Senatum reijceret*. Idque illum interpretatũ esse; quid magis è rep. duceret, æstimationem sibi permissam.

Itá ad LXXX. Principes Senatûs interfecti; & CCC. fermè nobiles Campani in carcerem conditi. Alij per sociorum Latini nominis urbeis in custodias dati, varijs casibus interiérunt. Multitudo alia civium venumdata.

Atellâ & Calatiâ in deditionem acceptis, ibi quoque in eos, qui capita rerum erant, animadversum.

Vrbs Capua, propter agri fertilitatem, ut esset aliqua aratorum sedes, servata est: Nec sævitum incendijs ruinisque in tecta innoxia & muros. Ager omnis publicus pop. Romani factus: Et præfectus ad iura reddenda ab Româ quotannis missus.

Et habitari tantùm, tanquam urbem, Capuam, frequentarique; & sine consilio publico; sine imperio esse, placuit.

Romani pro-Coss. perfuncti, quod ad Capuam attinebat, curâ; CLAVDIO NERONI, ex ijs duabus legionibus, quas ad Capuam habuerat, VI. pedit. Mill. & CCC. equites, quos ipse legisset; & sociũm Latini nominis parem pedit. numerũ, & DCCC. equites, decrevêrũt. Eumq; exercitũ, Puteolis in naveis impositum, NERO in Hispaniam transportavit.

CLAVDII NERONIS RES IN HISPANIA GESTÆ.

Quùm Tarraconem Navibus venisset; & ad Iberum flumen profectus, exercitum abs T. FONTEIO, L.q; MARTIO accepisset; ad hosteis ire perrexit.

ASDRVBAL, AMILCARIS, F. ad Lapides-Atros castra habebat; locum inter opida Illiturgi, & Mentissam.

Eius saltûs fauceis quùm Nero occupásset; & ASDRVBALI res in arto essent; neque expedire se ipse posset; Is caduceatorem misit, qui promitteret, si indè missus foret, omnem se exercitum ex Hispaniâ deportaturum.

Sed dum de conditionibus, & arcium tradendarum; & diei ad præsidia deducenda constituendæ, diutiùs consultatur; dataque operâ dies de die ducitur; Pœnus singulis noctibus clàm aliquam exercitûs sui pedestris partem, è periculo & saltu subducit, & in tutum emittit, Dunec & ipse cum equitatu, elephantisque, castris egressus, nebulâ saltũ omnem intexente; & sine ullo tumultu, evasit.

CLAVDIVS, Punicam fraudem agnoscens, hostem frustrà & insecutus est, & ad pugnam provocavit.

Senatus NERONEM passum sibi fucum fieri, tàm iniquo tulit animo, ut confestim alium, & quidem proconsulem comitijs creandum, ipsique sufficiendum censeret.

Cum nemo ex Magistratibus, aut Principibus, nomen profiteretur; neque periculi plenam provinciam, imperiumq; accipere auderet; P. Cornelius, P. illius qui in Hispaniâ ceciderat, F. I V. & xx. fermè ann. natus, professus est se petere.

P. CORNEL. SCIPIO HISPANIÆ PROVINCIAM SVSCIPIT.

In eum postquàm omnium ora conversa essent; clamore ac favore ominati extemplò sunt felix faustumque imperium; & initis centuriatim (sive curiatim,) suffragijs decrevérunt.

Quam ille populi de se existimationem, & crebris concionibus confirmavit; & homines certioris spei, quàm quantam fides promissi humani, aut ratio ex fiduciâ rerũ subijcere solet; implere cõtendit.

Divinę stirpis vir esse creditus; & anguis immanis, qui in matris eius cubiculo persæpè visus fuerat, cõcubitu conceptus. rettulitque famâ, in ALEXANDRO M. prius vulgatam, vanitate aut fabulâ parem.

Ad eas copias, quas ex vetere exercitu Hispania habebat; quæque à Puteolis cũ CLAVDIO NERONE traiectæ erant; x. pedit. M. & equites M. addũtur.

Itá cum xxx. navium, quinqueremium, classe, Ostijs Tiberinis profectus, Emporijs tandem, urbe Græcâ, & Phocæâ origine, copias exposuit.

Atque inde, sequi navibus iussis, Tarraconem pedibus profectus, conventum omnium sociorum habuit. &

buit: & respons â legationibus, tot casuum varietate suspensis, dare cæpit. sic ut omnibus, quæ diceret, cum ingens maiestas inesset, tum fides.

Pœnorum duces in hiberna diversi concesserant: ASDRVBAL iunior ad Oceanum usque & Gadeis: MAGO in mediterranea, suprà Castulonensem saltum: ASDRVBAL senior proximè Iberum, circà Saguntum, hibernabat.

CLASSIS PVNICA AD TARENTVM INVTILIS.

Classis Punicâ, quæ ex Siciliâ Tarentum erat accita, ad arcendos commeatus præsidij Rom. quòd in arce erat Tarentinâ; clauserat quidem omneis, ad arcem, à mari aditus: sed adsidendo diutiùs, artiorem annonam socijs, quàm hosti faciebat: & classis ipsa turbâ navali mista plurimum frumenti absumebat. Maiore itaque tandem gratiâ, quàm venerat, ea dimissa est.

M. MARCELLI TRIVMPHVS.

M. MARCELLVS, quùm ex Siciliâ provinciâ ad urbem venisset; neque, ut triumphans iniret liceret, impetrâsset: Tribuni pleb. ex auctoritate Senatûs ad populum tulerunt: *Vt ei, quo die urbem ovans iniret, imperium esset.*

Pridie tamen quàm urbem iniret, in monte Albano triumphavit: inde ovans, multam præ se prædam in urbem intulit.

Nec minimum fuére spectaculum, cum coronis aureis præcedentes, Sosis Syracusanus, & MERICVS Hispanus: quorum altero, duce nocturno, Syracusas introitum erat: alter Nassum præsidiumque prodiderat. His ambobus civitas data, & agri adsignati.

POENI SICILIAM DEPOPVLANTVR.

Post profectionẽ Marcelli ex Siciliâ, Punica classis (haud dubiè, BOMILCARE DVCE à Tarẽto digressa) IIX. pedit. & III. Numidarum equitum Millia, exposuit. Et ad eos, Murgantinæ terræ tractus, cum Hyblâ & Magellâ, alijsque ignobilioribus quibusdã, descivit. Et Numidæ, præfecto MVTINE, vagi, per totam Siciliam, sociorum pop. Rom. agros fœdè urebant.

Exercitus verò Romanus, iratus, partim quòd cũ Imperatore Marcello non devectus ex provinciâ esset: partim quod in opidis hibernare vetiti erant: ad seditionem inclinati, segni fungebantur militiâ.

Sed eos M. CORN. Pr. nunc consolando, nunc castigando sedavit: & civitates omnes, quæ defecerant, in deditionem redegit: atque ex ijs Murgantiam, MERICO, & Hispanis: quibus urbs agerque debebatur, ex S. C. tribuit.

Quùm ambo Coss. Apuliam provinciam haberent; minusque iam terroris à Pœnis & ANNIBALE esset; sortiri iussi sunt provincias. Et SVLPITIO quidem Macedonia evénit; isque Levino succesit.

FVLVIVS Romam, ex Apuliâ, comitiorum caussâ arcessitus, quùm comitia Consulibus rogandis haberet, prærogativa centuria Iuniorum declaravit T. Manlium Torquatum, & T. Otacilium. Ex quibus prior ille, valetudinem oculorũ, & præsentem reip. bellique statum, caussatus, constanter recusavit, & effecit ut in suffragium rediretur, seniorumque centuria citaretur. Itâ de tribus cõsultatione datâ (tertius erat Q. Fabius) senioribus dimissis, iuniores suffragium ineunt: & M. CLAVD. MARCELLVM, fulgentem tum Siciliâ domitâ, & M. VALERIVM in Macedoniâ occupatum, absenteis Coss. dixerunt.

Exemplum, & Principum à cupidine imperij temperantûm; & multitudinis eâ tempestate benè moratæ.

Et forte ita incidit, ut comitijs perfectis nuntiaretur, T. Otacilium collegam T. Manlio datum, mortuum in Siciliâ esse.

SOCIETAS ROMANOR. CVM ÆTOLIS, ET ALIIS.

Per idem tempus M. VALER. LÆVINVS, tentatis prius per secreta colloquia Principum animis; & expositis in publico Ætolorum concilio, rerum in Italiâ Siciliâque & Macedoniâ secundarũ successibus; illos, & ad deserendum PHILIPPVM, & ad ineundam cum Romanis societatem, impulit.

Cuius quidem fœderis SCOPAS prætor; & DORYMACHVS, Princeps gentis, auctores præcisè fuérũt: quos spes Acarnaniæ potiundæ maximè movebat.

Conscriptæ igitur conditiones, quibus illi in amicitiam societatemque populi Romani venirent. Additumque, ut si placeret, vellentque; eodem in iure amicitiæ Elei Lacedæmonijque; & ATTALVS Asiæ; & PLEVRATVS, ac SCARDILETVS, Illyriorum reges; essent.

„ *Ætoli extemplò bellum cum Philippo terrâ gererent; navibus ne minus XX. quinqueremibus à Romanis adiuti.*

„ *Et urbiũ, ab Ætoliâ, Corcyrâ tenus, solum, tectaq, ac muri cum agris, Ætolorum; alia omnis præda pop. Rom. ani esset.* „ *Daremq, operã Romani, ut Acarnaniam à corpore suo diremtam, in antiquam iuris ac ditionis suæ formulam restitutam, Ætoli haberent.*

Hæc quidem, & eius generis adfinia, in præsentiâ convenére; sed itâ conscripta non nisi biennio pòst, Olympiæ ab Ætolis; in Capitolio ab Romanis, ut testata sacratis monimentis essent, sunt posita.

Ætoli nihilo minus adversùs Philippum bellum movérunt: & Lævinus Zacynthũ, & Oeniadas Naxumq; Acarnanũ urbeis, vi captas, Ætolis cõtribuit.

PHILIPPVM quoq; satis implicatum bello finitimo ratus, ne Italiam Pœnosque, & pacta cum ANNIBALE, posset respicere; Corcyram ipse se recepit.

PHILIPPVS de Ætolorum defectione certior factus, expeditionem subitam in Oricorum & Apolloniatium fines fecit: & Apolloniates egressos magno cum terrore intrà muros compulit.

Illyriorum proximis vastatis, & captâ ex Dardanis urbe, quæ in Macedoniam transitum facere posset; per Berrhoeam in Thessaliam descendit. Et relicto ad fauceis regionis PERSEO, F. cum IV. armatorum Millib. ad arcendos aditu Ætolos, ex Macedoniâ in Thraciam exercitum, & in Mædos eduxit; & eius gentis caput arcemque, Iamphorinam, oppugnare cæpit.

ÆTOLO-

ÆTOLORVM IN ACARNANAS EXPEDITIO.

Cognitâ regis profectione, SCOPAS armatâ Ætolorum iuventute, bellum inferre Acarnaniæ parat. Adversus quos Acarnanum gens, & viribus impar; & amissis, quę dixi, opidis; Romanâque societate conterrita; ira magis, quàm consilio bellum instruit.

Coniugibus liberisque, & senioribus supra LX. ano.in propinquam Epirum missis,ab XV.ad LX.annos cæteri omnes coniurant: *Nisi victores, se non redituros.* diras inprecati, *& iis,qui victi acie excessissent, & eorumdem fugientium hospitibus.*

Precarique simul Epirotas: *Vt qui suorum in acie cecidissent; eos uno tumulo contegerent*; & hunc titulum humatis adhiberent: *Hic siti Acarnanes, qui adversus vim atque iniuriam Ætolorum, pro pa.triâ, pugnantes, mortem oppetierunt.*

Ipsi castra, in extremis regionis suæ finibus, obviam hosti posuerunt. & missis ad PHILIPPVM nuntijs, id quod in manibus erat, bellum omittere coëgerunt; Iampborinâ per deditionem iam receptâ, & prospero ano rerum successu.

Ætolorum impetum tardaverat primò Acarnanicæ coniurationis fama; deinde auditus PHILIPPI adventus, regredi etiam in fineis intimos coëgit.

LÆVINVS, veris principio, à Corcyrâ, ubi hibernârat, navibus profectus, superato Leucate promontorio, cùm venisset Naupactum; Anticyram Locrorum inde petit; & unà cum SCOPA Ætolisque utrimque oppugnat. eamque intra paucos dies deditione receptam, Ætolis tradidit: & præda ex pacto Romanis cessit.

ARATI EXITVS.

ARATVS ille iam decimum-septimum Achæorum Prætor hoc anno obijsse videtur. Illum PHILIPPVS, aliquot, post ANTIGONI mortem, annis, ob consilij & auctoritatis prætogativam, in honore babuerat: filium etiam eius in delicijs. Quæ turpitudo utrique exitiosa fuit. Nam in libidinem semel effusus PHILIPPVS, ARATI etiam Iunioris uxorem deperire & corrumpere cœpit; & mariti animum venenatis ac pestiferis moribus imbuit. Patrem, qui vel tacens vitiorum in rege censor videretur, amoliendum ratus, TAVRIONI negotium dederat, ut lentum aliquod, eóque minùs suspectum, venenum ei propinaret.

3744.
13. Ant. Mag.
12. Pt. Phil.
(V.C.544. alijs)

206.

M. MARCELLVS Idib. quidem Martijs consulatum inijt, absente, & ægro peregrè in Ætoliâ Collegâ M. VALERIO LÆVINO. Sed quùm partim M. CORNELIVS Pr. delectum per totam pęnè Siciliam habuisset; ut quam plurimi questum de Consule Romam venirent; partim falsis litteris urbem implêsset, bellum in Siciliâ tectum potiùs, quàm ab eodem exstinctum: dum eius rei cognitio in LÆVINI collegæ reditum differtur; & propè iustitium omnium rerum futurum videtur; otium, ut solet, excitavit plebis rumores; Consules nimis bellicosos ambos, ac feroceis creatos; qui ne à bello quidem respirare civitatem forent passuri.

INCENDIVM ROMÆ.

Interim prid. Quinquatrûs (XVIII. Martij) pluribus simul locis circa forum incendium ortum est; nocte ac die continuatum n.

Quùm verò Consul pro concione edixisset; *Præmium indici fore; libero pecuniam, servo libertatem*; NANNVS quidam, Calaviorum, Campanæ gentis nobilium, servus, (qui verberibus castigatus ab dominis discesserat) indicavit dominos; & quinque præterea Iuvenes nobileis Campanos, quorum parentes à Q. FVLVIO securi percussi erant; id incendium fecisse. Quæstione ex ministris facinoris habitâ cæptâ, fassi omnes. atque ita in dominos, servosque conscios animadversum est.

QVERELÆ CAMPANORVM ET SICVLORVM.

LÆVINVS Cos. cui Capuam prætereunti multitudo Campanorum se circumfuderat, obsecrantium cum lacrymis, ut sibi Romam ad Senatum ire liceret, oratum; Ne se ad ultimùm perditum irent: aut à Q. FLACCO penitùs deleri sinerent: unà cum Siculis, qui sibi obviam egressi fuerant, & paria penè postulabant; Romam pervenit: FVLVIO & MARCELLO, clarissimarum urbium exscidio celeberrimis viris, victos bello accusatores secum in urbem adducens.

Sed prius de Rep. & de provincijs ad Senatum relatum. & decretum: *Vt alteri Consulum Italia, bellumque cum* ANNIBALE, *provincia esset*; (quæ LÆVINO obvenit) *Alter classem*, cui T. OTACILIVS præfuisset; *Siciliamque provinciam*, cum L. CINCIO Pr. *obtineret*.

Et multis prorogato in annum imperio, ne plures, quàm una & viginti Romanæ legiones, (ad v. peditum millia, & trecentos equites redactæ) eo anno essent, statutum.

Inter Consules, maximè ob Siculorum à MARCELLO alienorum complorationem, facta est provinciarum permutatio.

In Siculorum caussâ ita patres decrevêrunt: *Quæ* MARCELLVS, *gerens bellum, victorque, egisset; rata habenda esse. In reliquum, curæ Senatui fore rem Syracusanam. & Consuli* LÆVINO *mandaturos, quoad sine iacturâ*

iacturâ resp. fieri posset; fortunis eius civitatis consuleret. In Campanos duriùs consultum; & omnia ferè FVLVII acta, partim exsilio aut relegatione capitivorum, aut bonorum publicatione, comprobata. Vt illi, non iam FVLVII sævitiem in se, sed iniquitatem Deûm, atque exsecrabilem fortunam suam, incusarent.

REMIGII SVPPLENDI RATIO.

Habito deinde delectu, & scripto exercitu, de remigum supplemento agi cæptum. Ob publicæ pecuniæ inopiam, edixerant Consules, ut privati, ex censu, ordinibusque, sicut antea, remiges darent, cum stipendio, cibariisque xxx. dierum. Ad id edictum tantus fremitus hominum, tantaque indignatio fuit; ut magis dux, quàm materia seditioni deesset.

Consules inter se collocuti, viam pecuniæ, ad belli classisque usus conflandæ, commodiorem, & æquabiliorem invenêrunt, & persuasêrunt.

Senatorum in primis pro se quisque aurum, argentum, & æs signatum, in publicum contulêrunt; ut præter quod in bullis, cingulis, & anulis erat, nemo sibi auri relinqueret. Idque tanto certamine, ut nec Triumviri mensarij accipiendo; nec scribæ in publicas tabulas referendo, sufficerent. Hunc Senatûs consensum, Equester ordo est secutus: Equestris ordinis, plebes. Ita sine edicto, sine cohortatione magistratûs, nec remige in supplementum, nec stipendio resp. eguit.

ANNIBALIS RAPACITAS.

ANNIBAL quùm videret socios in Italiâ populos in dies magis ac magis, captâ iam Capuâ, Romanorum potentiam extimescere, neque urbeis eorum omneis tenere præsidijs, nisi exercitu in multa discerpto, posset: nec deductis præsidijs, spei liberam, vel timori obnoxiam, sociorum relinquere fidem vellet; præceps in avaritiam & crudelitatem animus, ad spolianda, quæ tenére nequibat, ut vastata hosti relinquerentur, inclinavit.

Id fœdum consilium cum inexpto, tum etiam exitu fuit; & multorum animos alienavit. quòd ad pluréis exemplum, quam calamitas, indigna patientium, pertineret.

SALAPIA RECEPTA.

Salapia, auctore BLASIO, (al. Bladio) & obsistente gnaviter DASIO, æmulo, qui ANNIBALI amicus erat; cum Punico prælidio, (D. Numidæ erant) MARCELLO traditur.

Sed equites, in re improvisâ eruptionem tentârunt, & quùm evadere nequirent, pugnantes ad ultimum occubuêrunt: nec plus L. ex ijs vivi in potestatem hostium venêrunt. plusque aliquanto damni hæc ala fortissimorum equitum amissa, ANNIBALI, quàm Salapia fuit.

PVGNA NAVALIS AD SACRIPORTVM.

Tum quoque D. QVINCTIVS, classis xx. fermè navium, quæ Rhegij stabat; & commeatibus ab Sicilâ ad arcem Tarenti iam missis, præfectus; cum DEMOCRATE, qui pari cum classe navium Tarentinarum, ad Sacriportum obvium se dederat, concurrit; & ex propinquo pugnam conseruit. Sed inter pugnandum hastâ transfixus, non modò præetoriam navim amisit; sed cæteris etiam tantum terroris iniecit, ut fugientes passim, aliæ in alto mersæ, aliæ in terram remis abreptæ, mox prædæ fuerunt.

FRVMENTATORES TARENTINI CÆDVNTVR.

Haud pari fortunâ per eos dies Tarenti res gesta. Ad IV. hominum mil. frumentatum egressa, cum in agris passim vagarentur; à C. PERSIO, quem LIVIVS præsidij Rom. præfectus, cum II. armatorum millib. ex arce emiserat, cæsa sunt. & pauci ex multis, trepidâ fugâ in urbem, semiapertis portarum foribus, ne urbs patens eodem impetu caperetur, compulsi. Sic frumenti spes, quæ in oculis fuerat, utrosque pariter est frustrata.

AGRIGENTVM RECEPTVM.

LÆVINVS verò Cos. in Siciliam cùm venisset; Syracusanorum rebus utcumque compositis, Agrigentum inde, quod belli reliquum erat, tenebaturque Carthaginiensium præsidio; duxit legiones.

HANNO Carthaginiensium imperator, omnem in Mutine Numidisque spem reposi am habebat. is per totam Siciliam v. gus prædas ex socijs Romanorum agebat. neque intercludi ab Agrigento vi aut arte ulla, neque quin erumperet, ubi vellet, prohiberi poterat.

Huius gloriæ invidens HANNO, præfecturam eius filio suo donat. ratus cum imperio auctoritatem quoque ei inter Numidas erepturum. Quod longè aliter evenit. Nam veterem favorem eius suâ insuper invidiâ auxit: neque ille indignitatem inultam tulit.

Is pactus cum LÆVINO, & rei gerendæ modum edocens, portam ad mare ferentem, per Numidas suos occupat: & pulsis inde custodibus aut cæsis, Romanos ad ipsum missos, in urbem accepit.

HANNO, qui veluti ad comprimendam Numidarum seditionem processerat; quùm clamor Romanus, haudquaquam ignotus, ad aureis accidisset; priusquam ad ictum teli veniret, per aversam portâ emissus, adsumto cum mite EPICYDE, cum paucis ad mare pervénit. Nactique opportunè parvum navigium, relictâ hostibus Siciliâ, de quâ per annos certatum erat, in Africam traiecêrunt.

Alia multitudo Pœnorum Siculorumque, quùm clausi exitus essent, inter fugiendum, circa portas cæsa est.

Cos. opido recepto, qui capita rerum Agrigenti erant, virgis cæsos securi percussit: cæteros, prædamque vendidit: omnem pecuniam Romam misit.

SICILIA OMNIS DEBELLATA.

Huius cladis fama, ita cæteram Siciliam exterruit, ut omnia repentè ad Romanos inclinârint. Prodita brevi

brevi sunt xx. opida, vi. vi capta; & voluntariâ deditione in fidem venérunt ad xl.

Quarum civitatum principibus, eum pro cuiusque merito præmia pœnasve exsolvisset; & Siculos positis tandem armis, ad agros colendos, animos convertere coëgisset; Lævinus ab Agatirnâ inconditam multitudinem, iv. hominum mill. ex omni colluvione mistos, exsules, obæratos, capitalia ausos plerosque, in Italiam secum transvexit. & adsuetam latrocinijs manum, Rheginis usui futuram, ad populandum Bruttiorum agrum, ratus; ibidem collocavit. Et sic in Siciliâ eo anno debellatum.

NOVAM-CARTHAGINEM OPPUGNAT SCIPIO.

In Hispaniâ P. Scipio, navibus deductis, evocatisque edicto Tarraconem sociorum auxilijs; classem onerariasque, ostium inde Iberi flum. petere iubet. Quumque eódem ex hibernis legiones convenire iussisset; ipse cum v. millib. sociorum, ab Tarracone ad exercitum profectus est.

Ibi accensis gravi oratione veterum militum animis; & nomini Scipionum; sibique, imperatorū suorū suboli favere iussis; & relicto ad prę sidiū regionis eius M. Syllano, cum iii. pedit. m. & ccc. equit. cæteras omnes copias (erant autem xxv. pedit. m. & bis mille quingenti equites) Iberum traiecit. Novam scilicet Carthaginem oppugnare constituerat. Vrbem, cum suis divitijs opulentam, tum hostium omni bellico adparatu plenam. (*Ibi arma, ibi pecunia, & totius Hispaniæ obsides erant*) Sitam præterea opportunè ad traijciendum in Africam: tum super portum, quantævis classis capacem.

C. Lælius, qui solus omnium, quò iretur, gnarus erat; classe circummissus, ita moderari cursum navium iussus fuerat, ut eodem tempore Scipio ab terrâ exercitum ostenderet; & classis portum intraret.

Septimo autem die, ab Ibero Carthaginem ventum est. Vrbs confestim terrâ marique oppugnari cæpta. Quùm autem ea murorum esset altitudo, ut frustrà, maximoque cum damno, scalas admoverent Romani; & receptui proinde signum dare Imperator cogeretur; mox idem, comperto maris æstum decessisse; & piscatores nunc levibus cymbis; nunc, ubi æ sedérent, vadis per stagnum pervagari; & facilem proinde pedibus ad muros infimos transitum dari; eò de-repente armatos deduxit. medio stagno evadere in mœnia cohortatus; nullo opere pęnè emunita; nec ullâ armatorum statione aut custodiâ obsepta. intentis illic omnibus ad opem eò ferendam, unde certius periculum, ab terrâ scilicet; ostendebatur.

Vbi urbem sine certamine intravére; contento cursu ad eam pergunt portam, circa quam omne contractum certamen erat. In quod adeò omnium non animi solúm, sed etiam aures, oculique, erant intenti; ut nemo antè ab tergo senserit captam urbem, quàm tela in aversos incidérunt; & utrimque ipsi ancipitem hostem habebant.

Tum confractis intus forisque portæ foribus, armati ex-adverso impetum fecére; & iustæ aciei instar, cum ducibus, cum ordinibus, mediâ urbe in forum processére. quùm interim, qui muros transcenderant, passim ad cædem opidanorum verterentur.

Mago Pœnorum dux, præter castellum in alto tumulo situm, & primo impetu captum: Arcem, in quam cum omnibus armatis, qui muris pulsi fuerant, refugerat; defendere conatus: cùm omnia hostium plena videret, neque spem ullam esse; se arcemque, & præsidium dedidit.

Tum signo dato, cædibus finis factus; & victores ad prædam versi. Liberorum capitum, virilis sexûs, ad x. m. capta.

Inde, qui cives Novæ-Carthaginis erant, misit; urbemque & sua omnia, quæ reliqua eis bellum fecerat, restituit. Opifices, ad ii. mill. hominum, publicos fore populo Romano edixit: cum spe propinquæ libertatis, si ad ministeria belli enixè operam navâssent. Cæteram multitudinem incolarum, iuvenum & validorum servorum, in classem, ad supplementum remigum, dedit.

Captus, & adparatus ingens belli, & armorum telorumque numerus. Auri argentique relata ad Imperatorem magna vis. Naves onerariæ lxiii. in portu expugnatæ: captęque quędam cum suis oneribus, frumento, armis, ære, & ferro, linteis & sparto, aliaque materiâ ad classem ædificandam. *Vt minimum omnium, inter tantas opes belli, capta ipsa Carthago fuerit.*

CERTAMEN DE CORONA MVRALI.

Coronæ muralis decus, inter milites, duo, magnâ partium, hinc sociorum navalium, inde legionariorum, contentione petebant; Q. Trebellius Centurio quartæ Legionis; & Sex. Digitius, socius navalis. ut propè seditionem id certamen veniret. Donec Scipio, cognitione à reciperatoribus, quos dederat, ad se traductâ, pronuntiaret: *Se satis compertum habere*, *utrumque*, quos dixi, *pariter in murum adscendisse: seq. eos ambos, virtutis causâ, coronis muralibus donare.*

C. Lælium, classis præfectum, & omni genere laudis sibimet ipse ęquavit; & coronâ aureâ, & xxx. bobus donavit.

OBSIDES HISPANIS REMISSI.

Inde vocatis civitatum Hispaniæ obsidibus; & acceptis earumdem civitatum nominibus, recensuit captivos, quot cuiusque populi essent. & nuntios domum misit, ut ad suos quisque recipiendos venirent. Romanos beneficio potiùs, quàm metu sibi obligare Hispanorum animos studere.

Matronas, & puellas, ætate & formâ florenteis (inter quas mulier magno natu, Mannonii, qui frater Indibilis, Ilergetum reguli, erat; uxor: & ipsius Indibilis filiæ, aliæque nobilitate pari; cuidam spectatæ integritatis viro tradidit; tuerique haud secùs verecundè ac modestè, quam hospitum coniuges ac matres, iussit.

In cæteris captivis, quùm ad eum virgo adulta, & for-

& formâ eximia, à militibus adduceretur; ubi desponsam eam principi Celtiberorum adolescenti, ALLVCIO, (al. LVCEIO) accepit; parentibus, sponsoque ab domo accitis, intactam reddidit. mercedem pro eo munere pactus; *Vt amici pop. Rom. essent.*

Aurum quoque, cuius satis magnum pondus, ad filiam redimendam, parentes cognatique attulerant, summæ dotis adiecit. Sponsus, iis donis honoribusque lætus, ac dimissus domum, implevit populareis laudibus & meritis SCIPIONIS. Delectu itaque clientium habito, cum delectis M. & CD. equitibus, intra paucos dies, ad SCIPIONEM rediit.

LÆLIVS ROMAM MITTITVR.

SCIPIO retentum secum LÆLIVM, dum captivos obsidesque, & prædam ex consilio eius disponeret; rebus tandem omnibus compositis, datâ quinqueremi, captivis, cum MAGONE, & XV. ferè Pœnorum Senatoribus, in nave I. impositis, nuntium victoriæ Romam mittit. Ipse paucos dies, quibus morari Carthagine statuerat, exercendis navalibus pedestribusque copijs, & edendis prœliorum terrâ marique simulacris absumsit.

In urbe omnia apparatu belli strepebant, fabris omnium generum in publicâ officinâ inclusis. Ipse urbis muris, quos quassaverat, refectis, & præsidijs ad eius custodiam dispositis; Tarraconem est profectus, quò omnibus veteribus novisque socijs edixerat conventum.

(*Memorat Val. Max. l. 3. c. 7. tantam sui fiduciam in SCIPIONE fuisse; ut, cum oppidum Badiam circumsederet, eos, qui ad tribunal suum adibant, intentis in Ædem, quæ intra hostium mœnia erat, digitis; ibi vadimonia in posterum diem facere iusserit. fiduciæ respondit eventus. scalis enim confestim admotis, urbe potitus, & tempore & loco quo prædixerat, ius militibus dixit.*)

In Italiâ Cos. MARCELLVS, Salapiâ per proditionem receptâ, Maronéam & Meles de Samnitibus vi cepit. Ad III. M. militum ibi ANNIBALIS, quæ præsidij caussâ relicta erant, oppressa. prædæ aliquantum usui militum concessum. Tritici quoque CCXL. M. modiûm, & CX. mill. hordei inventa. Sed clades intra paucos dies accepta, huius successûs gaudium obscuravit.

FVLVII PROCONS. CLADES AD HERDONEAM.

CN. FVLVIVS Proconſ. castra ad Herdoneam habebat. nec loco satis tuto posita, nec firmata præsidijs. Auxerat scilicet negligentiam ingenio ducis spes ea, quòd labare in obsessis, adversus Pœnum, fidem senserat.

Ea occultè ANNIBALI in Bruttios delata, simul curam retinendæ sociorum urbis, & spem fecére incautum hostem adgrediendi. Exercitu expedito, ita ut famam quoque præveniret, magnis itineribus ad Herdoneam contendit; & acie instructâ, ad terrorem hosti obijciendum accessit.

Par audaciâ Romanus, consilio & viribus impar, copijs raptim eductis, conflixit.

Romanos, licet acriter pugnanteis, subitus equitum Pœnorum à tergo tumultus; simul à castris clamor auditus, turbavit, & in fugam vertit. multis in medio cæsis, ubi, & ipse CN. FVLVIVS, cum XII. milit. Tribunis cecidit: memoriamque renovavit cladis, quam biennio antè CN. FVLVIVS Pr. & eius cognatus, cognominis, iisdem devictus locis, acceperat.

Fuerant Romanor. XIII. circiter M. ex quibus VII. M. cæsa, reliqui capti. Pauci semiermes ad MARCELLVM se recepérunt, castris prædâque hostis potitus est.

Hordeoniam, fidei suspectam, multitudine omni Metapontum ac Thurios traductâ, incendit. occiditque principes, qui cum FVLVIO colloquia occulta habuisse comperti essent.

PVGNA MARCELLI CVM ANNIBALE AD NVMISTRONEM.

MARCELLVS nihil admodum tantâ clade territus; & Senatui secundiora per literas pollicitus ex Sãnio in Lucanos trãsgressus; ad Numistronẽ, in conspectu ANNIBALIS, qui collem tenebat, plano loco castra posuit; & prior in aciem produxit. Nec detrectavit ANNIBAL, ut signa portis efferri vidit. Ab horâ tertiâ ad noctem pugna extenta; & submissis utrimque recentibus in locum fessorum diu neutrò inclinata acies stetit. Nox tandem, incertâ victoriâ, diremit pugnanteis.

Postero die Romani, ab Sole orto, in multum diem stetére in acie. Vbi nemo hostium adversus prodijt; spolia per otium legére; & congestos in unum locum cremavére suos.

Nocte insequenti, ANNIBAL silentio movit castra: & in Apuliam abijt. MARCELLVS, ubi lux fugam hostium aperuit; saucijs cum modico præsidio Numistrone relictis, vestigijs institit sequi. eosque ad Venusiam adeptus est. Ibi procursantibus subinde ab statione militibus, minuta prœlia, & fermè omnia Romanis secunda, fuére.

NOVVM CAPVANORVM FACINVS.

Capuæ interim FLACCVS, dum bonis principum vendendis; & agro. qui publicatus fuerat, locando, tempus terit; novum in occulto gliscens, per indicium, protractum est facinus.

Milites ædificijs emoti, ut cum agro tecta etiam urbis fruenda locarentur; neve ipsi urbis ad concentrate etiam emollirentur; in portis munisque tecta militariter ædificárant ex materiâ, quæ igni esset obnoxia.

Hæc noctis unâ horâ ut omnia incenderent, CLXX. Capuani, principibus BLOSIIS fratribus, coniuravérant. Portis repentè Proconsulis iussu clausis, & indicio eius rei ex familiâ BLOSIORVM facto; omnes, qui in noxâ erant, comprehensi; & quæstione acriter habitâ, damnati necatique.

AMICITIA ROMANORVM CVM SYPHACE.

Eo fortè tempore, legati ab rege SYPHACE Romam venérunt; prospera eius cum Carthaginiensibus prœ-

bus prœlia, & amicissimum Romanis regem esse memorantes. Misisse autem in Hispaniam legatos ad fratres SCIPIONES, Romanos Imperatores: nunc,ab ipso velut fonte, petere Romanam amicitiam voluisse. Non modò legatis benigne responsum; sed & Senatus legatos vicissim cum donis ad regem misit: & alios porrò Africæ regulos, non sine muneribus, adire iussit.

Misi præterea alij Alexandriam ad PTOLEMÆVM CLEOPATRAMQVE reges; qui & dona ferrent, & commemorarent renovarentque amicitiam.

NOVA ROMANORVM CONTRA HOSTIVM MOLITIONES CONSILIA.

3745. XIV. Ant. M. XIII. Pt. Ph. | 205.

M. VALERIVS Cos. litteris L. MANLII Prætoris urbani, & iussu Senatûs, ex Siciliâ; ad comitia, (quòd MARCELLVS, alter Cos. negâsset è rep. esse, vestigium abscedi ab ANNIBALE) revocatus, & X. navibus profectus Romam pervenit: & habito Senatu de rebus à se gestis commemoravit. Quùm annos propè LX. in Siciliâ terrâ marique inter Romanos & Carthaginienses vastis cladibus bellatum esset, se eam provinciam confecisse.

Quùm intereà M. VALERIVS Messalla, (quem classis præfectum, cum L. navibus, prædatum simul speculatumque Carthaginiensium moli tones, Cos. paullo-ante in Africam miserat: & ipse factâ de-improviso in agrum Vticensem excursione, & multis inde mortalibus, cum aliâ omnis generis prædâ, captis, tertiodecimo, quàm profectus inde erat, die, in Siciliam redierat) statum Africæ, aliaque ex captivis comperta, omnia Consuli ordine perscripsisset. Copias scilicet per totâ Africam cogi, & mercede conduci, quæ in Hispaniam ad ASDRVBALEM traijcerentur. ut is quàm maximo exercitu primo quoque tempore in Italiam transgressus, iungeret se ANNIBALI. Classem præterea ingentem adparari ad Siciliam repetendam.

DICTATOR CREATVS.

Hæc palam à Consule recitata, ita movérunt Senatum, ut non exspectanda comitia Consulibus creandis censeret; sed Dictatore comitiorum habendorum causâ dicto, extemplò in provinciam redeundum.

Longa hîc disceptatio tenuit; quùm & Consul populum rogare nollet; (quem Dictatorem dici placeret) quod suæ id potestatis esset; & Prætorem rogare vetaret Et Tribuni pleb. nihilo-minus rogantibus, plebeque sciscente, ut Q. FVLVIVS, qui tum ad Capuam erat, Dictator diceretur; quo die id plebis concilium futurum erat; idem Cons. qui M. VALERIVM Messalam optârat; clam nocte in Siciliam abijsset: MARCELLVS alter Consul à patribus accitus, ut desertæ à Collegâ reip. subveniret; eumdem, quem populus iusserat, Q. FVLVIVM Dictatorem; & FVLVIVS, ex eodem plebiscito, Q. LICINIVM CRASSVM, qui tum Pontifex maximus erat, Mag. equitum.dixit.

Dictator postea quam Romam venit, comitia, quo primùm die potuit, edixit. Sed ea certamine inter Tribunos Dictatoremque iniecto, perfici non potuerant.

Quùm namque Galeria iuniorum, quæ forte prærogativa erat, Q. FVLVIVM, & Q. FABIVM Consules, dixisset; eodemque aliæ iure vocatæ, inclinarent; Tribuni pleb. se interposuérunt. qui vix, quod Senatus censuisset, stetérunt.

Patribus id tempus reip. interesse visum est, ut per veteres & expertos Imperatores res publica gereretur. Atque ita tandem, comitijs habitis, ijdem qui suprà Consules declarati, Q. FABIVS MAXIMVS V. & Q. FVLVIVS FLACCVS IV.

SARDINIAM POPVLANTVR POENI.

Præcipiti huius anni æstate, Punica classis XL. navium, præfecto AMILCARE, in Sardiniam traiecta, vastatis Olbiensium & Caralitanorum agris, cum prædâ omnis generis in Africam redijt.

Paullo-pòst C. LÆLIVS, legatus SCIPIONIS, ex Hispaniâ Romam venit: & cum captivorum agmine ingressus, magnum concursum hominum fecit. Ipse metu ASDRVBALIS, in Italiam transituri, confestim cum quibus venerat navibus, redire in Hispaniam iussus est.

CONSVLES PROVINCIAS PARTIVNTVR

Idib. Mart. quo die magistratum iniérunt, Italia ambobus Coss. provincia decreta. sic tamen ut regionibus imperiu partirêtur; & FABIVS ad Tarentû, FVLVIVS in Lucanis ac Bruttijs rê gereret. M. CLAVDIO prorogatum in annum imperium: & eædem legiones quibus Consul benè rem gesserat, decretæ.

Nec de Hispaniâ quidquam mutatum: nisi quod non in annum Scipioni Syllanoque, sed donec revocati ab Senatu essent; prorogatum imperium est.

QVERELÆ COLONIARVM.

Ob bella, bellicorumque sumtuum longinquitatem; & transportatos in Siciliam milites; quorum maior pars Latini nominis sociorumque. magni motus in concilijs coloniarum, orti sunt.

Decimum iam annum delectibus, & stipendijs, se iam exhaustos esse: alios in acie occidi, alios morbo absumi. Si veteres milites non redeant in patriam, & novi usque legantur; brevi neminem superfuturum. Itaque quod propediem res ipsa negatura sit, priùs quàm ad ultimam solitudinem atque egestatem perveniant, negandum pop. Romano esse.

Romanos, si consentienteis in hoc socios videant; profectò de pace cum Carthaginiensibus iungendâ cogitaturos. aliter numquam vivo ANNIBALE, qui nunc maximè viribus floreat, fine bello Italiam fore.

Tum ex xxx. populi Romani colonijs, cum omnium legationes Romæ essent; Duodecim (eæ fuére, Ardea, Nepet, Sutrium, Circeij, Alba, Carseoli, Suessa, Sora, Setia, Cales, Narnia, Interamna) pálam Consulibus negaverunt sibi esse, unde milites pecuniamque darent.

Consules re novâ perculsi; & eos in sententiâ obstinatos experti; ad Senatum detulerunt: & magnum animis omnium pavorem iniecérunt, donec pertentatis priùs aliarum coloniarum animis, & citatis legatis rogatisque: *Ecquid milites ex formulâ paratos haberent?* pro xiix. colonijs, M. SEXTILIVS Fregellanus respondit; *Et milites ritè paratos; & si pluribus opus esset, daturos: & quod à populo Romano imperaretur, enixè facturos. Ad id neque sibi opes deesse; animum etiam superesse.* Illis non Consoles modò, sed Senatus etiam, & deinde populus universè, gratias egérunt.

Fuére autem; Signini, Nolani, Norbani, Satriculani, & Brundisini, & Fregellani, Lucerini, & Venusini, Adriani, & Firmani, & Ariminenses: & ab altero mari, Pontiani, & Pæstani, & Cosani. Et Mediterranei; Beneventani, Esernini, Spoletini, Placentini & Cremonenses.

Harum Coloniarum subsidio & fide tum imperium populi Romani stetit.

Patres, duodecim aliarum coloniarum, quæ imperium detrectaverant, legatos, vel dimitti, vel retineri, vel à Consulibus appellari vetuérunt. *eaq; tacita castigatio maximè ex dignitate populi Romani esse visa est.*

Cætera expedientibus, quæ ad bellum opus erant, Consulibus, aurum vicesimarium, quod in sanctiore ærario ad ultimos casus servaretur; promi placuit. Idque varios in usus distributum impensumque est.

VARIÆ AD CANVSIVM PVGNÆ.

MARCELLVS Consulis FABII litteris excitatus, ut quàm acerrimo bello detineret ANNIBALEM, dum ipse Tarentum oppugnaret; ad Canusium ANNIBALI occurrit, eumque locis planis ac patentibus adsecutus, castra ponentem, pugnando undique in munitores, operibus prohibet. Ita signa collata, pugnatumque totis copijs. & cum iam nox instaret, Marte æquo discessum est.

Postero die copiæ iterum utrimque in aciem educuntur. pugnatum ampliùs duabus horis est. Dum Romanorum alij trepidè cedunt, alij segniter subeunt; turbata tota acies est. dein prorsus fusa; & vincente pudorem metu terga dabant. Cecidére in pugnâ fugáque ad duo millia & septingenti civium sociorumque. & in his quattuor Romani centuriones, duo Tribuni militum. signa militaria sex amissa.

MARCELLVS tam asperâ & sævâ oratione milites in castris castigavit, ut illi ipsi qui primi fugerant, primos se in acie & ultimos pugnaturos deierarent. nec minùs ferociter in aciem procedunt.

Quod ubi ANNIBALI nuntiatum est; *cum eo sibi hoste rem esse testatus est, qui nec bonam, nec malam ferre fortunam posset. qui seu vicerit, ferociter instet victis: seu victus sit, instauret cum victoribus certamen.*

Quum anceps diu pugna fuisset; ANNIBAL elephantos in primam aciem induci iussit. Turbárant illi primò signa ordinesque: sed C. DECIMIVS Trib. militum, aliquot manipularibus sequi se, & pila confertim in eos conijcere iussis; effecit, ut saucij, in fugam versi, etiam integros secum averterent. Atque ita in suos ruentes belluæ tantò maiorem stragem ederent, quàm inter hosteis ediderant. *quantò acriùs pavor consternatos agit; quam insidentis magistri imperio reguntur.*

In perturbatam, transcursu belluarum, aciem signa inferunt Romani pedites: & haud magno certamine dissipatos trepidanteisque avertunt.

Tum in fugienteis, equitatum immittit MARCELLVS. Nec antè finis sequendi est factus, quam in castra paventes compulsi sunt.

Cæsa ad VIII. hominum mill. & v. elephanti. Ex Romanis mille fermè & septingenti, de duabus legionibus: & sociorum suprà M. & CCC. occisi, prçter vulneratos.

ANNIBAL motis de nocte castris in Bruttios contendit.

MVLTARVM VRBIVM DEDITIO.

Iisdem fermè diebus, & ad Q. FVLVIVM Cos. Hirpini, & Lucani & Volscentes, traditis præsidijs ANNIBALIS, quæ in urbibus suis habebant, dediderunt sese. clementerque à Consule verborum tantùm castigatione, ob errorem prçteritum, accepti.

Et Bruttijs similis spes veniæ facta est; cum ab ijs VIBIVS & PACTIVS fratres, longè nobilissimi gentis eius, eamdem, quæ data Lucanis erat, conditionem deditionis petentes venissent.

TARENTVM A FABIO COS. EXPVGNATVR.

Q. FABIVS alter Cos. post Manduriam, opidū in Sallentinis, vi captam; ubi ad IV. hominū M. prçter prædam, capta sunt, Tarentum profectus, positis in ipsis portus faucibus castris, navibus omni machinationum missiliumque genere instructis, & scalis ad muros propiùs adlatis; comminùs eminùsque, urbem adgredi atque oppugnare parabat. Quùm miles quidam, qui eius in exercitu erat, ad illum accessit & nuntiat; sororem sibi esse Tarenti, quam præsidij Bruttiorum, quod Tarentinis ab ANNIBALE datum, præfectus, homo locuples, & inter suos honoratus, deperiret. per eam, quólibet amantem impelli posse.

Mittitur miles, qui transfugæ specie, præfectum lenocinijs & blanditijs muliebribus, atque adeò promissis tentet; & perpellat ad proditionem custodiæ loci, cui præpositus erat.

Postquam convénit, & ratio rei agendæ, & tempus; FABIVS primâ vigiliâ, dato signo ijs, qui in arce erant, quique custodiam portus habebant; ipse circuito portu, ab regione urbis ad Orientem versâ, occultus consédit. Canere inde tubæ simul ab arce, & à portu; & à navibus, quæ aperto & iam libero mari adpulsæ erant.

Cla-

Clamorque undique, cum ingenti tumultu, unde minimum periculi erat, de-industriâ ortus.

Postquam locum designatum, a defensoribus (deductis ad arcem custodijs) vacuum ex silentio cognovit; scalas ad eam partem muri, quâ Bruttiorum cohors præsidium agitabat, admoveri iussit.

Eâ primùm captus est murus, adiuvantibus recipientibusque Romanos Bruttijs: atque in urbem transcensum est. & portâ refractâ, frequenti agmine signa illata.

Quùmque in forum impunè pervenissent; omneis undique, qui ad arcem portumque pugnabant, in se convertérunt. Tarentini priùs pæne quàm consererent manus, terga dederunt; & domos dilapsi sunt.

Duo ex ducibus, NICON & DEMOCRATES, fortiter pugnantes cecidére. PHILOMENES, proditionis antè ad ANNIBALEM auctor, ex prœlio citato equo evectus, creditus est, errante per urbem equo, & corpore nusquam invento, in puteum apertum ex equo præcipitasse.

CARTHALO, Punici præsidij Præfectus, dum positis armis, commemoratione paterni hospitij, ad Consulem veniret; ab milite obvio obtruncatus est.

Promiscua Carthaginensium pariter ac Tarentinorum cædes edita. & inter eos multi ex ipsis Bruttijs, sive errore, sive odio, & ad proditionis famam exstinguendam, interfecti.

Tum à cæde ad diripiendam urbem discursum. XXX. millia servilium capitum dicuntur capta: argenti auríque vis ingens; signa tabulæque. propè ut Syracusanum ornamenta æquarent.

Sed eius generis prædâ abstinuit FABIUS; & signa (ingentis magnitudinis Dij erant, suo quisque habitu, in modum pugnantium, formati) templis detrahi vetuit; *Deos*, inquiens, *iratos Tarentinis relinquamus*. Murus inde, qui arcem ab urbe dirimebat, dirutus est ac disiectus.

ANNIBAL ijs, qui Cauloniam in Bruttijs obsidebant; quíque sub adventum eius, ne opprimerentur, in tumulum, nec satis tutum, concesserant; in deditionem acceptis; auditâ Tarenti oppugnatione, quùm rapto agmine festinans ad opem ferendam, captam urbem audisset: *Romani*, inquit, *suum habent ANNIBALEM: qui eâdem, quâ nos ceperamus, arte Tarentum recepit.*

FRAUS ANNIBALIS DETECTA AD METAPONTUM.

Ipse ad dolos versus, Metapontinos quosdam, cum litteris principum eius civitatis, ad FABIUM Tarentum mittit, fidem ab Consule accepturos; impunita priora fore, si Metapontum cum Punico præsidio ei prodidissent. FABIUS vera ea ratus, diem, quâ accessurus erat, constituerat; & ANNIBAL haud procul Metaponto insidias posuerat. Sed proditores remissi, ut cunctantem illum hortarentur; & repentè comprehensi, metu gravioris quæstionis, detexérunt insidias.

PUGNA SCIPIONUM CUM ASDRUBALE.

ASDRUBAL, cum P. SCIPIONIS, Romanorumque res tacitis augescere incrementis; & velut fortuitâ animorum inclinatione Hispaniam omnem à Punico imperio ad eos averti cerneret; suasque res in dies imminui; dimicare quam-primùm statuit.

Et SCIPIO cum uno dimicare duce exercitúque, quàm simul cum universis mallet, malebat. Et ipse arte quâdam copias auxerat. Quòd namque vacua omnis Hispaniæ ora classibus Punicis esset, subductis navibus suis Tarraconem, navaleis socios terrestribus copijs addiderat; & armis, quæ tum capta Carthago, tum opifices in urbe inclusi, suppeditabant; instruxerat.

Veris itaque principio, ab Tarracone profectus, LÆLIO iam ab Româ reverso, ducere ad hostem pergit.

Per omnia pacata eunti, INDIBILIS & MANDONIUS, haud dubiè omnis Hispaniæ principes, cum omni populanum manu, occurrérunt. Coniuges liberíque eorum, obsides aut captivi, ijs redditi; & fœdere accepta fides. ijsdem que ducibus ad hostem perventum.

Proximus Carthaginiensium exercitus ASDRUBALIS, prope urbem Bæculam erat: & pro castris, equitum stationes habebat. In eas veltes & antesignani, ex itinere advenientes, priùs quàm locum castris caperent, impetu contemtim facto, in castra trepidâ fugâ compulérunt; & propè portis signa intulérunt.

Postero die, ad castra ASDRUBALIS, edito loco probè communita, & fluvio ripisque circumsepta, acerrimè pugnatum. Romani quamquam adscensus difficilis erat, & propè telis saxisque obruebantur; pertinaciâ tamen animorum subierunt.

SCIPIO iussis adversus mediam aciem evadere victoribus; ceteras copias cum LÆLIO dividit. Et hunc parte dextrâ tumuli circumire iubet: ipse ab lævâ in transversos hosteis incurrit. & locum medijs ad evadendum dedit; qui per tam iniquum locum, stantibus integris ordinibus, & elephantis ante signa locatis, evadere vix potuissent.

Et iam ne fugæ quidem hostibus locus patebat. Nam & stationes utrinque Romanæ dextrâ lævâque insederant vias; & portam castrorum ducis principumque fuga, clauserat. nec minor ab elephantis, iam territis, trepidatio. Cæsi itaque ad IIX. hominum mill.

ASDRUBAL antè quàm dimicaret, pecuniâ raptâ, elephantisque præmissis, quam-plurimos poterat de fugâ excipiens, præter Tagum flum. ad Pyrenæum tendit.

SCIPIO castris hostium potitus, cum præter libera capita omnem prædam militibus concessisset; in recensendis captivis, X. mill. peditum & II. equitum invénit. Ex ijs Hispanos omnes sine pretio domum dimisit; Afros vendere Quæstorem iussit.

SCIPIO REX AB HISPANIS APPELLATVS.

Circumfusa inde multitudo Hispanorum, & antè deditorum, & pridie captorum, Regem eum ingenti consensu appellavit. Quod ille nomen, *uti Romæ male-ominatum & intolerandum*, aspernatus, *maximum sibi Imperatoris nomen esse*, dixit, quo sui se milites appellassent.

Sensere barbari etiam magnitudinem animi. cuius miraculo nominis alij mortales stupeerent, id ex tam alto fastigio adspernantis.

Dona deinde regulis principibusque Hispanorum divisa: & INDIBILIS CCC. equos, quos ex magnâ copiâ vellet, eligere iussus.

MASSIVA CAPTIVVS AD MASANISSAM REMISSVS.

Inter venaleis Afros puer adultus, formâ inter eos insigni, à Quæstore, quòd regij generis esse audisset; ad SCIPIONEM missus: & Numidam esse professus est. MASSIVAM à popularibus vocari; orbum à patre relictum, apud maternum avum GALAM, regem Numidarum, educatum, cum avunculo Masanissa in Hispaniam traiecisse. prohibitum anteà propter ætatem, ne prœlio interesset; eo die, quo cum Romanis pugnatum esset, clam avunculo, armis equoque sumto, in aciem exisse. Ibi prolapso equo effusum in præceps, captum ab Romanis esse.

Illum ita cupientem, & magnis muneribus exornatum; iussis prosequi quoad vellet equitibus; ad MASANISSAM SCIPIO dimisit.

Paucis post prœlium, ad Bæculam factum, diebus, cum SCIPIO rediens iam Tarraconem saltu Castulonensi excessisset; ASDRVBAL GISCONIS F. & MAGO, alteri Pœnorum Imperatores, ex ulteriore Hispaniâ ad ASDRVBALEM venere. serum post malè rem gestam auxilium: consilio ad cętera belli exsequenda, haud parum opportuni.

MARCELLVS CRIMEN OBIECTVM DILVIT.

Fortè sub idem tempus, & MARCELLVS Procos. ad deprecandam ignominiam, quam eiC. PVBLICIVS BIBVLVS, Trib. pleb. Romæ intentabat; & de abrogando eius imperio (ob adversam pugnam; & milites mediâ æstate, vagante tum per Italiam ANNIBALE, Venusiam in tecta abductos:) agebat. & simul Q. FVLVIVS Cos. comitiorum caussa; Romam venere. MARCELLVS, Tribuni orationem, qui non MARCELLVM modò, sed omnem nobilitatem, uti quæ ANNIBALI, decimum iam annum in Italiâ grassanti, indulgeret; accusabat: ita rerum suarum commemoratione obruit; ut non rogario solùm de abrogando eius imperio antiquaretur; sed postero die Consulem eum V. (al. IV.) ingenti consensu centuriæ omnes designarent; & T. QVINCTIVM CRISPINVM, qui tum prætor erat, collegam adderent.

ONIÆ, SVMMI APVD IVDÆOS PONTIFICIS, LIBERI.

3746. xv. Ant. Mag. xiv. Pt. Phil. — 204.

Quùm Consules, quos dixi, XI. Punici belli anno consulatum inirent;

Apud Iudæos, ONIAS III. SIMONIS II. F. Pontificatum gerebat. SIMON ille II. filios tres reliquerat; hunc, quem dixi, ONIAM: IESVM, qui IASON dici maluit; & ALTERVM ONIAM, cui cognomen Menelao fuit. Eorum maximus, etiam optimus fuit. reliqui duo, quàm pravi fuerint, ex ijs, quæ infrà memorabuntur, facilè constabit.

P. SCIPIO, cui, unà cum M. SYLLANO, Hispaniæ, exercitusque sui in annum erant decreti; ex LXXX. navibus, quas aut secum ex Italiâ adductas, aut captas Novâ-Carthagine habebat; L. in Sardiniam transmittere iussus. quia fama erat, magnum navalem adparatum eo anno Carthagine, in Africâ, esse. qui CC. navibus omnem oram Italiæ, Siciliæque ac Sardiniæ impleturi essent: Viiâ & viginti legionibus eo anno defendi imperium Romanum placuit.

Consules religio tenebat, quod prodigijs aliquot nuntiatis non facilè litabant. Per dies aliquot hostię maiores sine litatione cæsæ; diuque non impetrata pax Deûm. In capita ipsorum Consulum, Rep. incolumi, exitiabilis prodigiorum eventus vertisse iudicatus est.

LVDI APOLLINARES.

Ludi Apollinares, qui ante triennium primùm facti fuerant, deinceps per Prætores urbanos facti sunt quidem; sed illi in unum annum vovebant; dieque incertâ faciebant. Quùm verò eo anno pestilentia gravis in urbem agrosque incidisset; lex ad populum lata, ut hi ludi in perpetuum & in statam diem voverentur. dies autem deinde solennis servatus, ad III. Nonas Quinctileis.

INQVISITIO IN ETRVSCOS.

Solicita fuerat anno superiore Civitas de Hetruriæ defectione, cuius rei principium ab Aretinis fieri fuerat nuntiatum. Eò confestim missus MARCELLVS, consul tum designatus, qui rem inspiceret, ac si di-

si digna videretur, exercitu accito ex Apulià bellum in Hetruriam transferret.

Eo metu compressi Etrusci quieverant. Nunc de ijsdem Aretinis, & fama in dies gravior, & cura patribus crescebat.

Ita C. HOSTILIO TVBVLO, cui prorogatum erat imperium, ut Pro-prætore in Etruriam ad duas legiones succederet C. CALPVRNIO, perscriptum est: Ne differret obsides ab Aretinis accipere. cui traderet Romam deducendos, C. TERENTIVS VARRO cum imperio missus.

Qui ut advénit, extemplò HOSTILIVS legionem unam, quæ ante urbem castra habebat, signa in urbem ferre iussit. Tum in foro citatis Senatoribus, obsides imperavit.

Dum res in posterum diem differtur; & portæ negligentiùs custodiuntur, septem principes Senatûs, ante noctem, cum liberis evasêrunt. Quibus postridie desideratis, bona eorum veniêrunt. & à cæteris Senatoribus cxx. obsides, liberi ipsorum, accepti, traditique C. TERENTIO.

Is, tamquam imminente Etrusco tumultu, legionem alteram ex urbanis ducere iussus; eamque habere in præsidio urbis. & C. HOSTILIVS, cum cætero exercitu totam provinciam peragrare, & cavere, nequa occasio movare cupientibus daretur.

DECRETVM IN TARENTINO.

De Tarentinis, quos FABIVS, quòd ipsos armis cepisset, defendit; alij infensi, Campanorum noxæ pœnæque æquabant; S.C. factum est: *Vt oppidum præsidio custodiretur: Tarentiniq; omnes intra mœnia continerentur.* res integra postea referretur, cùm tranquillior status Italiæ esset.

M. LIVIVS arcis Tarentinæ præfectus, ab alijs notatus est: quod eius socordià Tarentum proditum hosti ANNIBALI fuisset. Alij præmia decernebant; quòd per quinquennium arcem tutatus esset.

Quumque amici eius Tarentum illius unius operâ receptum fuisse vulgò, & in Senatu, iactarent; subiecit falsè FABIVS: *Fateri se operà LIVII urbem receptam: Neque enim recipiendam fuisse, nisi amissa foret.*

Consulum alter T. QVINCTIVS CRISPINVS, ad exercitum, quem Q. FVLVIVS FLACCVS habuerat, cum supplemento, in Lucanos est profectus.

COSS. CLADES, ET MARCELLI INTERITVS.

MARCELLVS bello Gallico ad Clastidium, tunc primùm Consul, Ædem HONORI & VIRTVTI voverat; eiusque dedicatio a Pontificibus fuerat impedita. Tunc additâ Virtutis Æde, & opere quidem adproperato, ad exercitum, quem priore anno Venusiæ reliquerat, cum supplemento, proficiscitur.

Quem ubi eduxisse iam Venusiâ exercitum CRISPINVS cognovit; omissâ Locrorum oppugnatione, quam machinis & navibus è Siciliâ arcessitis parârat, in Apuliam ex Bruttijs redijt, ut collegæ se coniungeret.

Iamque inter Venusiam Bautiamque, minùs trium millium passuum intervallo, binis castris Coss. consederant; quùm averso ab Locris bello, ANNIBAL in eamdem regionem venit.

Quùm levia inter bina castra vario eventu prœlia fierent; Coss. nihilo-minus oppugnari Locros posse rati, L. CINCIO, ut ex Siciliâ eòdem cum classe traijceret, scribunt. Et ut ab terrâ quoque oppugnari mœnia possent; ab Tarento partem exercitûs, qui in præsidio erat, duci eò iussêrunt.

Quæ ita futura per Thurinos quosdam ANNIBAL edoctus; mittit II. equit. & III. pedit. mill. quæ ab Tarento viam insideant. In eos autem, inexploratò eunteis Romani quùm incidissent, ad bis mille armatos cæsi, & M. CC. fermè vivi capti.

Quùm autem ad tumulum quemdam silvestrem, qui inter Punica & Romana castra erat; & in cuius medio ANNIBAL clam & nocte aliquot Numidarum turmas condiderat; explorandum, cum equitibus ccxx. Consules ambo exijssent; undique circumventi, post aliquantum in re ancipiti certamen, MARCELLVS quidem lanceâ transfixus ex equo prolapsus est; CRISPINVS verò, duobus iaculis ictus, cum MARCELLO Iuniore, saucio & ipso, effugit.

Lictores Consulum V. vivi in hostium potestatem venêrunt; cæteri aut interfecti, aut cum Consule evaserunt.

Præter A. MANLIVM, Tribunum militum, & M. AVLVM præfectum sociorum; equites quadraginta tres, aut in prœlio, aut in fugâ ceciderunt. XXX. vivi capti, cum L. ARENNIO, altero sociûm præfecto.

ANNIBAL castris in tumulum, in quo pugnatum erat, translatis, inventum ibi corpus MARCELLI sepelit; sive splendidè & magnificè ornatum cremavit. Ossa Romam ad filium remissa, à prædonibus Numidis intercepta, perijsse produntur.

CRISPINVS, & morte Collegæ, & suo vulnere territus, silentio noctis insequentis profectus, in proximis montibus, loco alto & undique tuto, castra posuit.

Ipse, ne qui dolus à Pœno necteretur, circa civitates proximas nuntios miserat, occisum Collegam esse, annuloque eius hostem potitum. ne quibus litteris crederent, nomine MARCELLI compositis.

POENI AD SALAPIAM SVA FRAVDE CIRCVMVENTI, ET cæsi.

ANNIBAL Salapianis per eius generis litteras denuntiârat; MARCELLVM, scilicet, nocte, quæ diem illum secutura esset, ad urbem venturum; parati milites essent, qui in præsidio erant.

Illi fraudis gnari, perfugis Romanis, habitu & ore Latinis, quos ANNIBAL præmiserat, subductâ vectibus funibusque in altum portæ cataractâ, aditum dedêrunt. & cum DC. fermè intrâssent, emisso fune, quo suspensa erat, eamdem cataractam magno impetu

impetu sonituque deiecerunt.

Alij itaque perfugas negligenter armatos invadunt; Alij è turribus murisque, saxorum pilorumque grandine, subeunteis absterruére.

LOCRORVM OBSIDIO SOLVTA.

ANNIBAL suâmet ipse fraude captus, ad Locros liberandos abijt, quos CINCIVS summâ vi, operibus & tormentis ex Siciliâ advectis, oppugnabat.

MAGO, ut Numidas auxiliareis edito è speculis signo adventare sensit; & ipse patefactâ repentè portâ ferox in hosteis erumpit, & anceps certamen ciet. Deinde ut supervénere Numidæ, tantus pavor Romanis est iniectus, ut passim ad mare ac naveis fugerent. relictis operibus machinisque, quibus muros quatiebant. Ita adventu ANNIBALIS soluta Locrorum obsidio.

CRISPINVS, postquam ANNIBALEM in Bruttios profectum sensit; exercitum, cui collega præfuerat, M. MARCELLVM Trib. militum Venusiam abducere iussit. ad quem regendum mox Q. FABIVS, filius, Româ missus est.

PRÆDA EX AFRICA REPORTATA.

Eâdem æstate M. VALERIVS cum classe c. navium ex Siciliâ in Africam transmisit: & factâ ad Clupeam urbem exscensione, agrum latè & impunè vastabat. quùm repentè fama accidit, classem Punicam adventare; LXXX. erant & tres naves.

Prædatores raptim ad naveis recepti, cum Pœnis ad Clupeam pr. sperè pugnant. & x. & XIIX. navibus captis, alijs fugatis, cum magnâ terrestri navalique prædâ, Lilybæum redeunt.

GRÆCI IN FACTIONES DISSCISSI.

Paucis antè annis, PHILIPPVS Macedo, & Ætoli Græciæ turbatores, multos in bellum concitaverant. & PHILIPPVS quidem, Achæos, & PRVSIAM Bithyniæ regem, & Pœnos: Ætoli verò Eléos, Romanos, Lacedæmonios, & ATTALVM, sibi conciliárant.

Achæos urebant Elidenses vicini, & MACHANIDAS Lacedæmoniorum tyrannus; & ipsi Ætoli è propinquo in eos subinde, traiecto freto, insultabant.

Præcipuum verò virium suarum ac sociorum robur in PHILIPPVM regem armabant: & secum auxilia ab ATTALO habebant; quem absentem, honoris causâ, Prætorem suum designárant.

Habebant & mille fermè ex Romanâ classe, à P. SVLPITIO missos; quùm classis interim Romana maritimam Achæorum oram infestaret.

PHILIPPO itaque in Græciam descendenti, ad Lamiam urbem, Ætoli, duce PHYSSA, qui Prætor in eum annum, cum absente ATTALO, creatus erat; occurrérunt. Cum ijs bis PHILIPPVS prospero eventu pugnavit, multis admodum hostium utrâque pugnâ occisis; & intra Lamiæ muros sese continere coëgit.

INDVCIÆ, ET PVBLICI FEDERIS TENTAMENTA.

Quùm victor rex ad Phaleram, in Maliaco sinu, exercitum reduxisset; eò legati ab rege Ægypti PTOLEMÆO, Rhodijs, Atheniensibusque, & Chijs venére, ad dirimendum, inter PHILIPPVM atque Ætolos bellum. & ab Ætolis, AMINANDER, rex Athamanum, pacificator adhibitus est.

Sed omnium non tanta pro Ætolis, feroci genti, cura erat, quàm metus; ne PHILIPPVS, regnumve eius, grave libertati futurum, rebus Græciæ immisceretur: & fortè ne Romanorum eo prætextu invalesceret potentia. Verùm amplior de pace consultatio in concilium Achæorum dilata est: interim XXX. dierum induciæ impetratæ.

Profectus inde rex, per Thessaliam Bæotiamque, Chalcidem Eubocæ; ut ATTALVM, quem classe Eubœam petiturum audiverat, portubus & littorum adpulsu arceret. Relictoque ibi adversus ATTALVM præsidio, cum paucis equitum Argos venit.

Ibi curatione Heræorum, (hoc est, IVNONIS, Argivorum patronæ) Nemeorumque, suffragijs populi, ad eum delatâ; (quia se Macedonum reges ex eâ civitate oriundos referunt) & Heræis peractis, ab ipso ludicro extemplò Rhium profectus est, ad indictum antè sociorum concilium.

CONVENTVS AD RHIVM. PHILIPPI POPVLARITAS, ET LVXVS.

Ibi de bello finiendo actum, ne caussa aut Romanis, aut ATTALO, intrandi Græciam esset. Sed ea omnia, vixdum induciarum tempore circumacto, Ætoli turbavére; postquam & ATTALVM Æginam venisse, & Romanam classem stare ad Naupactum audivére.

Iniquis itaque postulatis; & locorum, quibus vellent restituendorum conditionibus; satis testati sunt, bellum se malle.

Id verò indignum ratus PHILIPPVS, infectâ pace, concilium dimisit. & relictis ad præsidium Achæorum IV. armatorum millib. Argos regressus est, appetente Nemeorum tempore; quæ præsentiâ suâ celebrari volebat.

In ipso ludorum adparatu, P. SVLPITIVS ab Naupacto profectus, classem adpulit inter Sicyonem & Corinthum: agrumque effusè vastavit.

Eius rei fama PHILIPPVM ab ludis excitavit: raptimque cum equitatu profectus, iussis subsequi peditibus, palanteis passim per agros, graveisque prædâ, adortus Romanos ad naveis, & ad Naupactum redire compulit. victoriolâque hâc elatus, ingenti cum lætitiâ dies festos celebravit. Ibi specie popularitatis regem exuens, demto capitis insigni & purpurâ, alioque regio habitu, cæteris se æquaverat.

Et præbuisset haud dubiam eo facto spem libertatis; nisi omnia intolerandâ libidine fœda ac deformia effecisset: & libertatem, quam alijs vanam ostenderat, in suam licentiam vertisset.

Iam

Iam periculosum erat viris & parentibus, moram, incommodâ severitate, libidini regię fecisse. & vim flagitijs etiam adhibebat.

ARATO Iuniori, uni Achæorum principi, uxorem POLYCRATIAM, ademerat; & ipe nuptiarum regiarum in Macedoniam asportârat.

Per hujusmodi flagitia solenni Nemæorum peracto, Dymas profectus est, ad præsidium Ætolorum, quod ab Eleis accitum & in urbem acceptum erat, inde eijciendum.

CONFLICTVS AD ELIDEM.

Achæi, duce CYCLIADA, penes quem summa imperij erat, ad Dymas regi occurrére: & Eleorum accensi odio, quòd à cæteris Achæis dissentirent; & infensi Ætolis, quos Romanum quoque adversus se movisse bellum credebant.

Coniuncto itaque exercitu, & acie instructâ, ad urbem accesserunt: ignari SVLPITIVM cum XV. navibus ab Naupacto Cyllenen traiecisse; & expositis in terram IV. mill. armatorum, silentio noctis intrâsse Elim.

Postquam inter Ætolos Eleosque Romana signa atque arma rex cognovit; primo quidem recipere suos voluerat; dein contracto inter Ætolos, & Triballos certamine, ubi urgeri suos vidit; & ipse cum equitatu in cohortem Romanam incurrit.

Ibi equus pilo traiectus cum prolapsum per caput regem effudisset; & ipse pedes inter equites coactus esset inire prœlium; multis circa eum cadentibus, aut vulneratis, raptus ab suis, atque alteri equo iniectus fugit.

Eo nihilo minus die castra v. pass. mill. ab Eleorum urbe posuit; & deinde copias omnes ad Pyrgum, propinquum Eleorum castellum, duxit. Quo expugnato, prędâ ibi reperta pænè compensavit, quod ignominiæ ad Elim acceptum fuerat. Erant autem IV. hominum agrestium, pecorumque omnis generis ad XX. mill.

PHILIPPVS DOMESTICO BELLO REVOCATVR.

Dum in eo est, nuntius ex Macedoniâ venit, ÆROPVM quemdam, corrupto arcis præsidijque præfecto, Lychnidum cepisse; & quosdam Dardaniorum vicos, & Dardanos etiam concire.

Omisso itaque Ætolico bello; & relictis, ad præsidium sociorum, MMD. armatis, profectus ab Dymis, per Achaiam Bœotiamque, & Bœbeidem, decimis castris Demetriadem, in Thessaliam, pervénit.

Ibi nuntiatur, famâ regis ad Sicyonem occisi, inter barbaros vulgatâ, Dardanos in Macedoniam effusos, Orestidem iam tenere, ac descendisse in Ægestæum campum.

Post profectionem ex Achaiâ PHILIPPI, SVLPITIVS Æginam classe profectus, ATTALO se coniunxit: & uterque ibidem hibernavit.

Exitu huius anni, T. QVINCTIVS Cos. Dictatore, comitiorum ludorumque faciendorum causâ, dicto, coram tribus legatis, Ron à ad se missis, T. MANLIO TORQVATO; ex vulnere (al js Tarenti, alijs in Campania) moritur.

Sic duo Consules, sine memorando prœlio interfecti, velut orbam remp. reliquerant. Dictator MANLIVS C. SERVILIVM, qui tum Ædilis Curulis erat, Magistrum equit. dixit.

LIVII SALINATORIS COS. LAVS.

Cæterùm quùm duo consulares exercitus tam prope hostem, sine ducibus, essent; unà præcipua cura patres populumque incessit, Consules primo quoque tempore creandi; & eos potissimùm, quorum virtus satis tuta à fraude Punicâ esset.

C. CLAVDIO NERONI, acri viro, M. LIVIVM SALINATOREM collegam adiungi placuit. Licet is multis antè annis ex Consulatu priore, ob prædam Illyricam malignius divisam, populi iudicio damnatus & rus migrâsset, & urbe omnique cœtu hominum caruisset. dein e à Coss. MARCELLO & LÆVINO; in urbem reductus, & à Censoribus, depositoſqualore, in Senatum venire, & alijs publicis muneribus fungi, coactus est.

Et populus indigno se iniuriam fecisse; & magno sibi damno fuisse perspexit; quòd tam gravi bello, nec operâ, nec consilio talis viri usa resp. esset.

Comitijs peractis, C. TERENTIVS VARRO in Etruriam Propr. missus, ut ex eâ provinciâ C. Hostilivm Tarentum ad eum exercitum ire iuberet, quem T. QVINCTIVS Consul habuerat. Vtque L. Manlius trans mare legatus iret, viseretque, quæ ibi res gererentur.

Simul quòd Olympiæ ludicrum eâ æstate futurum erat, quod maximo Græciæ cœtu celebraretur; ut si tutò per hostem posset, adiret id concilium. Et si qui ibi Siculi, bello profugi, aut Tarentini cives relegati ab Annibale essent, domos redirent; scirentque sua cuique omnia, quæ ante bellum habuissent, reddere populum Romanum.

COSS. INTER SE RECONCILIATI.

Quia verò periculosissimus annus imminere videbatur; neque Consules in rep. erant; in Consules designatos omnes versi, quam-primùm eos sortiri provincias; & præscîscere, quam quisque eorum provinciam, quemquem hostem haberet, volebant.

Et quùm de reconciliatione gratiæ eorum, (nam nobiles antè, & ex Livii calamitate acerbiores, inimicitiæ inter eos erant) in Senatu actum esset; vicit eiusdem Senatûs auctoritas, ut positis simultatibus, communi animo consilioque administrarent remp.

Provinciæ itaque ijs diversę extremis Italiæ finibus, alteri adversus ANNIBALEM Bruttij Lucanique: alteri Gallia adversus ASDRVBALEM, quem iam Alpibus adpropinquare fama erat, decreta. & exercitus inter eos æquabiliter divisi.

Sed ob Asdrubalis in Italiam adventum, II. legiones ad-

sics addiç veteribus, ut esset summa XXIII. legionum. Ex JS SV. in Hispaniâ erant: Binę in Siciliâ, Sardiniâ, & Galliâ: & Romæ sub Prætoribus. Binæ Consulum utrique, & tribus Proprætoribus attributæ. Vna C. HOSTILIO Capuæ, quæ pro Tarento ei mutata erat. Supra sociorum auxilia; quæ legionariorum militum numerum ferè superabant; robur numquam æquabant.

ASDRUBAL IN ITALIAM DESTINATUS.

Quùm dissensiones inter ASDRUBALES duos, ANSICARIS & GISGONIS FF. Pœnorum res in Hispaniâ plurimùm adflixisse comportæ essent; visum est è rep. fore, ut senior ad fratrem ANNIBALEM mitteretur; alter in Hispaniâ maneret.

Illum Massiliensium legati iam nunc nuntiaverant in Galliam transgressum: erectosque adventu eius, (quia magnum pondus auri attulisse diceretur, ad mercede auxilia conducenda) Gallorum animos.

Et missi ab Româ legati ad rem inspiciendam, retulerant, pro comperto habere ; ASDRUBALEM ingenti iam coacto exercitu, proximo Vere, Alpeis traiecturum; quem nisi nihil clausæ frigoribus Alpes morentur.

3747. 16. A. t. M. 15. Pt. Phil. — 203.

Hoc anno lustrum Romæ conditum est à Censoribus, P. SEMPRONIO TUDITANO, & M. CORNELIO CETHEGO. censa civium capita CXXXVSS. M. CISA. minor dimidio pænè numerus, quàm qui ante bellum fuerat.

CL. CONSUL cum XL. pedit. & SI. equit. millib. D. in Sallentinos, adversus ANNIBALEM: LIVIUS cum aliquantò maioribus copijs, nam & Volones ad signa revocati, & in legiones scripti erant.

Et P. SCIPIO ex Hispaniâ ISX. mill. Hispanorum Gal orumque, & II. de legionibus militum mill. Equitum ad MD. mistos Numidas Hispanosque, duce M. LUCRETIO: Et C. MANLIUS ex Siciliâ, sagittariorum funditorumque ad IV. mill. navibus submiserant) in Galliam adversus ASDRUBALEM, eodem pænè tempore, profecti sunt.

ASDRUBAL IN ITALIAM PENETRAT.

ASDRUBALI, cuius non tam facilem maturumque in Italiam transitum frater ANNIBAL exspectârat; & suâ & aliorum spe omnia celeriora atque expeditiora fuére.

Non enim receperunt modò Arverni eum, deincepsque Gallicæ atque Alpinę gentes; sed etiam ad bellum ultrò secutæ sunt. Et iam XSS. annorum adsuetudine Alpes quasi perviæ factæ erant.

Cæterum, quod celeritate itineris profectum erat; id morâ ad Placentiam, dum frustrà obsidet magis quàm oppugnat, corrupit. quam coloniam frater, ab Trebia victor regressus, frustrà olim tentârat.

Priusquam Claudius Cos. in provinciam perveniret; Annibalem per agrum Larinatem exercitum ducentem, cum expeditis cohortibus adortus C. Hostilius, incomposito Pœnorum agmini terribilem tumultum intulit. ad SV. hominum mill. occidit, & IX. militaria signa cepit. Et Capuam petens, CLAUDIO Cos. qui copias ex hibernis moverat, & in Sallentinos convertebat, ad Venusiam obvius fit. & delectis ex utroque exercitu peditum XLII. & equitum II. mill. D. quibus Consul adversus ANNIBALEM rem gereret; reliquas copias Capuam ducere, & Q. FULVIO Procos. tradere iussus est.

VARII CLAUDII COS. CUM ANNIBALE CONFLICTUS.

ANNIBAL undique contracto exercitu ex Bruttijs, in Lucanos, ad Grumentum venit. cuiusque urbis mœnibus propè vallum iam iunxerat; quùm CLAUDIUS exploratis itineribus à Venusiâ eò cum contendit; & MD. ferè pass. castra ab hoste locat.

In campo, qui medius inter utraque castra iacebat, subinde à stationibus procursatum, & leviter certatum. dum Romanus id modò quærit, ne abire hostem pateretur: & ANNIBAL inde evadere cupiens, totis viribus in aciem descendit.

Tum Cos. ingenio hostis usus, quo minus in nudis, & neutri suspectis collibus, timeri insidiæ poterant, quinque cohorteis, cum totidem m nipulis, nocte iugum superare, & in aversis vallibus considére iubet. Tribunis, quos cum ijs mittebat, tempus ex insidijs exsurgendi, & adgrediendi hostem, edoctis.

Ipse luce primâ copias omneis pedit. equitumque in aciem eduxit. paullò pòst & ab ANNIBALE signum pugnæ propositum; & clamor in castris ad arma discurrentium est sublatus.

Quos ubi è portis ruenteis & effusos Cos. vidit; equites legionarios magno impetu in hostem emitti iubet.

Incompositi hostes, ut quemque aut pediti, aut equiti, casus obtulit; ita conserunt manus: & pugna subsidijs crescit.

Iamque pugnanteis veteranos suos, inter tumultum ac terrorem, dux vetus ANNIBAL haud difficilè instructurus videbatur; quùm cohortium ac manipulorum, per colleis decurrentium, clamor ab tergo auditus, metum, ne à castris intercluderetur, iniecit.

Hinc ex pavore fuga passim fieri cœpta est : sed eam propinquitas castrorum breviorem perculsis fecit. Tamen supra IIX. hominum M. occisa, supra DCC. capti. & signa IX. Ex elephantis IV. interfecti, II. capti. Romanorum sociûmque CC. ceciderunt.

Postero die quùm Pœnus quiesceret, Romanus copijs

copijs in hostem eductis, spolia cæsorum hostium legit, suosque sepelivit: & diebus aliquot continuis ità institit portis, ut propè inferre signa videretur.

Annibal tertiâ vigiliâ clàm profectus, Apuliam petere intendit. Consul ubi silentium in castris, neminemque in vallo portisq; se ostendentem vidit; postquam tuta omnia satis exploratum habuit, inferri signa iussit. tantumque ibi moratus, dum milites ad prædam discurrerent; receptui cecinit; multoque antè noctem copias reduxit.

Postero die magnis itineribus famam & vestigia agminis sequeos, haud procul Venusi: hostem adsequitur. Ibi quoque tumultuaria pugna fuit. & suprà II. Mill. Pœnorum cæsa.

Indè nocturnis montanisque itineribus Pœnus, ne locum pugnandi faceret, Metapontum petijt.

HANNO indè in Bruttios cum paucis ad exercitum novum comparandum missus: eiusque copijs ad suos additis, ANNIBAL, Venusiam retrò, quibus venerat itineribus, repetit; atque inde Canusium procedit.

Numquam NERO vestigijs hostis abstiterat; & Q. FVLVIVM, cum Metapontum ipse proficisceretur, in Lucanos, ne ea regio sine præsidio esset, arcessierat.

CLAVD. COS. ASDRVBALI OCCVRRERE PARAT.

Inter hæc ab ASDRVBALE. postquam à Placentiæ obsidione abscessit; IV. Galli equites, cum duobus Numidis, cum litteris ad ANNIBALEM missi; & incertis itineribus Tarentum delati, à pabulatoribus Romanis ad Q. CLAVDIVM Propræt. deduceuntur. Ij metu tormentorû vera fateri coacti, edocuêrunt; litteras sese ab ASDRVBALE ad ANNIBALEM ferre.

Cum ijs litteris, ita ut erant, figuatis. L. VIRGINIO Trib. mil. ducendi ad CLAVDIVM Cos. traduntur.

CLAVDIVS litteris per interpretem lectis, & factâ ex captivis percunctatione, litteras easdem Romam ad Senatum mittit. simul & ipse Patres cõscriptos, quid pro re natâ paret, edocet. ut quùm in Vmbriâ se occursurum ASDRVBAL fratri scribat, legionem à Capuâ Romam arcessant; & exercitum urbanum hosti ad Narniam opponant.

Iussi præterea Larinates, Prætutiani, alijque finitimi, ex agris urbibusque commeatus paratos, militi. ad vescendû, in viam deferre; equos iumentaq; alia producere; ut vehiculorû fessis copia esset.

Ipse de toto exercitu civium sociorumque, quod roboris erat, VI. pedit. Mill. & equites Mille deligit. Tum pronuntiat se in Lucanis proximam urbem. Punicumque in eâ præsidium, occupare velle; ut ad iter parati omnes essent.

Et relicto Q. TATIO Legato, qui castris præesset, nocte profectus flexit in Picenum; & quantis maximis poterat itineribus, ad collegam LIVIVM ducebat.

Milites, iam detecto ducis consilio, eiusque oratione animati, nihil in itinere morari, nec ab signis absistere. Cibum, quem viri mulieresque, undiq; ex agris effusi, benignè & ultrò præbebant; capientes, diem ac noctem ite. vix quod satis ad naturale desiderium corporum esset, quieti dare.

Ad Senam (quæ Senogallia est) castra alterius Consulis erant: & D. inde fermè pass. ASDRVBAL aberat.

Itaque quùm iam appropinquaret, tectus montibus substitit NERO, ne antè noctem castra ingrederetur.

Silentio ingressi, ab sui quisque ordinis hominibus in tentoria adducti: & cum summâ omnium lætitiâ hospitaliter accepti sunt.

Postero die, variantibus in concilio, de re in præsens gerendâ, sententijs; NERO non suadere modò, sed summâ ope orare institit, ne consilium suum, quod tutum celeritas fecisset, temerarium & inutile alij morando facerent. *Qui prolatando spatium hosti det; eum & castra sua, sine duce relicta, prodere Annibali; & aperire in Galliam iter*; ut per otium, ubi velit, ASDRVBALI fratri coniungatur.

Extemplò igitur signum dandum, & exeundum in aciem; *abutendumq; errore hostium, absentium præsentiumq;*. Dum neq; illi sciant cum paucioribus; nec hi cum pluribus & validioribus rem sibi futuram.

MEMORABILIS AD SENOGALLIAM PVGNA. ASDRVBAL CÆSVS.

Concilio dimisso, signum pugnæ proponitur; confestimque in aciem procedunt. Et iam hostes ante castra instructi stabant.

Sed ASDRVBAL, vetus dux, & Romano hosti adsuetus; ac Cõsulis alterius adventû subodoratus; receptui properè canit, & pugnâ detrectat. Et multis anxius curis, ne vel frater haud mediocri aliquâ clade absterritus insequi è castris discedétem Cõsulem ausus nô esset; vel ipse serû perditis rebus auxiliû venisset; exstinctus ignibus, & dato suis primâ vigiliâ, signo, ut taciti vasa colligerent; signa efferri iussit.

Post nocturnos errores, quibus desertû à ducibus agmen per agros palatum est; & relictis signis, corpora somno ac vigilijs fessa passim straverat; ASDRVBAL, luce iam viam ostendente, quùm Metaurû flumen traijcere cogitaret; sed quantum à mari abscedebat, tantò altioribus, coercentibusque amnem ripis, non inveniret vada; diem terendo spatium dedit, ad insequendum seic, hosti.

Et NERO quidem cû omni equitatu advénit; quê L. Porcius Licinius Præt. eum levi armaturâ adsecutus est. Qui cû fessû hostiû agmen ab omni parte carperent, & incurrerent: & iã omisso itinere, quod fugæ simile erat, Pœnus castra metari in tumulo, super fluminis ripâ, vellet; advénit Livius peditum omnibus copijs, nô itineri modò, sed ad conferendû extemplò prœlium, instructis, atque armatis.

Vbi directæ acies fuêre, CLAVDIVS dextrò in cornu, LIVIVS ab sinistro pugnam instruit: media acies Prætori tuenda datur.

ASDRVBAL, omissâ castrorum munitione, postquàm pugnandum vidit; in primâ acie antè signa elephantos locat. Circà eos, lævo in cornu, adversùs CLAVDIVM, Gallos, ab hoste timeri credens, opponit. Ipse dextrum cornu adversùs LIVIVM, sibi, atque Hispanis, veterano militi, sumsit.

Ligures, quorum IIX. Millia obiter cõscripserat; in medio, longiore quàm latiore acie, positi.

Post acre certamen inter LIVIVM ASDRVBALEMQVE;

BALEMQVE, & atrocem cædem, ubi maior pars peditum equitumque; CLAVDIVS, quum dextram omnem aciem, extra prælium eminentem, cessare videret; & collis oppositus arceret, ne aut à fronte, aut ab latere adgrederentur: & in adversum collem signa frustrà erigerentur; cohortes aliquot subductas è dextro cornu post aciem circumducit, & in sinistrum hostium latus incurrit. Idque tantâ celeritate, ut quum ostendissent se iu latere, mox in terga iam pugnarent.

Ità ut ab omnibus partibus, ab fronte, ab latere, à tergo trucidarentur Hispani Liguresque. Et minimo iam certamine Galli, intolerantissima laboris corpora, cæderentur aut caperentur.

Ex elephantis, plures ab ipsis rectoribus, quàm ab hoste interfecti, postquam sævire & ruere in suos cœperant.

ASDRVBAL, post quam omnia ducis militisque munia eâ in pugnâ naviter obijsset; cum haud dubiam hostium fortunam intueretur; ne superstes tanto exercitui, suum nomen secuto, esset; concitato equo se in cohortem Romanam immisit. Ibique, ut patre AMILCARE, & ANNIBALE fratre, dignum erat, pugnans cecidit.

Numquam eo bello, unâ acie, tantum hostium interfectum: Reddiraque æqua Cannensi clades, vel ducis, vel exercitûs interitu, videbatur. LVI. Mill. occisa, capta V. Mill. & CD.

Præter prædam, civium etiam Romanor. qui capti apud hostes erant, supra IV. Mill. capitum recepta.

Nec incruenta Romanis fuit victoria. IIX. fermè Mill. ex ijs, socijsque occisa.

Passus est LIVIVS Gallos Cisalpinos, Liguresque, qui aut prœlio non interfuissent, aut inter cædem effugissent; uno agmine abeunteis, impunè evadere: ut aliqui nuntij, & hostium cladis, & Romanæ virtutis sup. ressent.

Nero verò eâ nocte, quæ secuta est pugnam, citatiore, quàm inde venerat, agmine, die sexto, ad stativa sua, atque ad hostem ANNIBALEM pervenit.

Senatus de victoriâ certior factus, quòd Consules incolumi exercitu, ducem hostium legionesque occidissent; supplicationem in triduum decrevit.

Claudius verò Cos. quùm in castra redîsset, caput ASDRVBALIS, quod servatum cum curâ attulerat, proijci antè hostium stationes: captivosque Afros vinctos, ut erant, ostendi: duos etiam ex ijs solutos ire ad Annibalem, & expromere, quæ acta essent, iussit.

ANNIBAL publico simul, familiarique ictus luctu; *Agnoscere se fortunam sive, infelicitatem Carthaginis,* fertur dixisse; non sine *præsagio quodam fati imminentis.*

Castrisque indè motis, omnia auxilia, quæ diffusa latiùs tueri non posset, in extremum Italiæ angulum, Bruttios, contrahit. Metapontinos & Lucanos, qui suæ ditionis erant, sedibus suis excitos, in Bruttium agrum traducit.

NOVVM IN HISPANIIS BELLVM.

In Hispanijs, quæ Asdrubalis in Italiam transitu levatæ videbantur, renatum subitò par priori bellum est.

Ibi nostri maris ora, omnisque fermè Hispania, quà in Orientem vergit; sub SCIPIONE, Romanæ ditionis erat.

ASDRVBAL, GISGONIS F. ad Oceanum penitùs, Gadesque concesserat. Hanno, novus Imperator, in locum ASDRVBALIS BARCHINI, novo cum exercitu ex Africâ transgressus; & Magoni iunctus, cum in Celtiberiâ, quæ inter duo maria media est, brevi magnum hominum numerum armâsset; SCIPIO, adversùs eum, M. Syllanum cum X. pedit. Mill. & D. equitibus misit.

Is per aspera viarum non modò nuntios, sed famam etiam adventûs sui prægressus, ducibus indidem ex Celtiberiâ transfugis, ad hostem pervenit.

Et castra MAGONIS, quæ soluta neglectaque, ut Barbarorum & tironum, & in patrio solo otiantiū, compertum habebat; priùs adgredienda ratus; vix quoquam hostium sentiente, militem recentem & expeditum iustâ acie in pugnam vadere iubet.

Quùm ijs, qui vix Mille passuum aberant, conspectis, trepidari repentè cœptum esset; MAGO ex castris, citato equo, ad primum tumultū advectus, iustam quasi legionem, IV. Mill. scutatorum Celtiberorum, & CC. equites in primâ acie locat. & in eos, vixdum vallo egressos, Romani pila coniecêruut. Mòx pes cum pede collatus, & gladijs geri res cœpta est.

Sed inter angustias & virgulta, ordinibus dirēmtis, singuli iam, aut bini, velut cum paribus, conserere pugnam cogebantur.

Quod autem ad fugam hostibus, in prœlio concursare solitis, impedimento erat; id Romanis stabili pugnæ adsuetis, ad cædem eos, velut, vinctos, præbebat.

Scutatis interfectis, levis armatura, alijque Carthaginienses, qui ex alteris castris subsidio venerāt; baud difficiliter cædebantur. Duo haud amplius pedit. Mill. & equitatus omnis, vix inito prœlio, cum MAGONE effugêrunt.

HANNO, alter Imperator, cum eis, qui postremi, profligato iam prœlio, advenerant, vivus capitur. MAGO, cum ijs quos dixi, decimo die in Gaditanam provinciam ad ASDRVBALEM pervenêrunt. At Celtiberi, novus miles, in proximas dilapsi silvas, indè domos diffugêrunt.

SCIPIO spem, ex tam opportunâ victoriâ, debellandi nactus; ad id quod reliquum belli erat, in ultimâ Hispaniam, adversùs Asdrubalem, pergit.

Pœnus cum castra sua fortè, ad sociorum animos in fide continendos, in Bæticâ haberet; signis repentè sublatis, fugæ magis, quàm itineris modo, penitùs ad Oceanum & Gadeis ducit.

Cæterùm ante quàm freto Gadeis traijceret; exercitum passim omnem in civitates dimisit, ut & muris seipsi, & armis muros tutarentur.

ORINGIS

ORINGIS OPIDI OPPVGNATIO.

SCIPIO, qui circumferre ad singulas urbeis arma, diutini magis quàm magni operis esse censeret; retrò vertit iter. Sed ne hostibus regio relinqueretur; L. SCIPIONEM fratrem, cum X. pedit. Millib. & equitibus Mille, ad Oringin, opulentam ijs locis, & auri feracem, urbem, oppugnandam mittit. (Ea arx erat ASDRVBALI ad excursiones, circà, in mediterraneos populos, faciendas.)

Tentati prius, quàm urbs circumvallaretur, per adloquium è propinquo civium animi. Qui ubi nihil pacati responderunt; fossâ duplicique vallo urbe circumdatâ, fit acris & spissa in muros impressio; adeo ut opidani mœnia repentinâ fugâ desererent; & Punicum præsidium, metu proditionis, relictis stationibus, in unum locum se colligeret.

Deinde opidani, metu promiscuæ cædis, patefactâ repentè Porta, frequentes ex opido sese eiecerunt, scutis quidem adversùs tela protecti; sed gladijs abiectis dextras nudas ostentantes.

Romani, utrum parum id ex intervallo prospexerint; an dolum aliquem suspectum habuerint; haud liquet.

Impetus itaque hostilis in transfugas factus; nec secùs, quam adversa acies, cæsi. eâdemque Portâ signa infesta urbi illata.

Quâ pervasâ & direptâ, Carthaginienses omnes in custodiam dati, cum CCC. opidanis, qui Portas clauserant. Cæteris traditum opidum, suæque res redditæ.

P. SCIPIO, fratre collaudato, & acceptis captivis; quòd hiems instaret, ut nec tentare Gadeis, nec disiectas passim per provinciam ASDRVBALIS copias consectari posset; in citeriorem Hispaniam recipit exercitum. Dimissisque in hiberna legionibus; & L. FRATRE, cum HANNONE hostium imperatore, cæterisque nobilibus captivis, Romam misso; ipse Tarraconem concessit.

ROMANI PROCONS. ET ATTALI ADVERSVS PHILIPPVM molitiones.

P. verò SVLPITIVS Proconf. & ATTALVS rex, hibernis Æginæ actis, primo vere, & classe iunctâ, ille cum XXV. hic cum XXXV. quinqueremibus, Lemnum petunt.

PHILIPPVS Macedo, ut in omnem eventum paratus esset, Demetriadem ad Mare descendit; conventu exercitui ad Larissam edicto.

Ætoli, cum ab Romanâ societate, tùm post Attali adventum, animos sustulerant; & finitimos depopulabantur. Et iam non Acarnanes solùm, Bœotique & Eubœenses, in magno metu erant; sed Achæi quoque; quos super Ætolicum bellum, MACHANIDAS etiam, Lacedæmoniorum tyrannus, è propinquo terrebat. Hi omnes auxilia regem petebant.

Nuntiabantur prætereà SCERDILETVS, PLEVRATVSQVE, & Thracum maximè Mædi, si quod longinquum bellum regem occupâsset; in proxima Macedoniæ incursuri. Et Thermopylarum saltus fossâ valloque ab Ætolis intercludi; ne transitum ad sociorum urbeis tuendas PHILIPPO darent.

Rex Legatis, benè sperare iussis, pollicitus omnibus auxilium pro tempore laturum, Peparethum, urbem, Insulæ cognominem, præsidium mittit; undè ATTALVS ab Lemno classe transmissâ agrum Insulæ depopulari ferebatur.

Et missis in Bœotiam, atque in Chalcidem præsidiatijs, ipse Scotusam profectus est; eódemque ab Larissâ Macedonum copias traduci iubet.

Hic nuntiatur regi ATTALVS ad Concilium, ab Ætolis Heracleæ indictum, ad consultandum de summâ belli, venturus. Ille ut subito adventu conventum eum turbaret; magnis itineribus Heracleam duxit. Et Concilio quidem dimisso serius venit: segetibus tamen, quæ iam propè maturitatem erant, maximè in sinu Æniano, evastatis, Scotusam copias reducit: & inde cum cohorte regiâ Demetriadem sese recipit.

Et ut ad omnes hostium motus posset occurrere; in Phocide, Eubœâ, & Peparetho, alta loca eligit, unde editi ignes apparerent. Et in Tisæo monte speculam posuit, ut ignibus procul sublatis, signum, ubi quid hostes molirentur, momento temporis acciperet.

OREVM EXPVGNATVR.

Romanus imperator, & ATTALVS rex, è Peparetho Nicæam traiecerunt: atque indè classem in Eubœam ad urbem Oréum transmittunt. Et quatriduo occultis cū PLATORE, quem PHILIPPVS urbi præposuerat, colloquijs absumto; Romani à mari, & regij à terrâ, urbem adgressi sunt. Et dum turrim quamdam, omni telorum genere instructam, tormentis, machinisq; è navibus expositis, oppugnant; PLATOR, oculis animisque omnium ad id certamen aversis, in maritimam arcem Romanos accepit.

Inde pulsi opidani in mediam urbem, ad alteram tendebant arcem; sed foribus portæ de composito obiectis exclusi, in medio cæduntur aut capiuntur.

Macedonum præsidium, quod sub arcis muro conglobatum immotumque stabat; PLATOR, veniâ à SVLPITIO impetratâ, in naveis impositum, ad Demetrium, Phthiotidis, exposuit: ipse ad Attalum se recepit.

Ne Chalcis; opidum aliâ parte clausum mari, alia terrâ egregiè munitum, eodem impetu caperetur; obstitit præfectorum principumque fides: & Euripus, infesta clasi statio.

(Non qui septies die, sicuti fama fert, & statis temporibus reciprocet; sed temerè in modū, atque adeò ad arbitrium, ventorum, (qui à præaltis montibus utrimque subiti & procellosi decidunt) nunc huc, nunc illuc verso mari, veluti torrens monte præcipiti devolutus, rapiatur.)

Et PHILIPPVS ad Chalcidis auxilium, ubi signum ex ignibus, quos dixi, accepit, impigrè motus est. Et deiecto præsidio, & fusis Ætolis, qui saltum Thermopylarum insidebant, quùm ab Deme-

Demetriade Scotusam tertiâ vigiliâ profectus, trepidos hosteis Heracléam compulisset; ipse unâ die Phocidis Elatiam, Millia amplius LX. cõtendit.

OPVS CAPTA, ET MOX RECEPTA.

Eodem fermè die ab Attalo rege Opuntiorum urbs capta diripiebatur. quam prædam SVLPITIVS regi concesserat; quia Oreum paucos antè dies ab Rom. milite, expertibus regijs, direptum fuerat.

Et Romana quidem classis Oreúm se receperat: Attalus verò ignarus adventûs PHILIPPI, pecunijs à Principibus exigendis tempus terebat.

Et nisi Cretenses pabulatores, ab urbe longiùs progressi agmen hostium procul conspectum nuntiâssent, opprimi poterat.

Ipse inermis, cursu effuso, mare ac naveis petit. & molientibus ab terrâ naveis PHILIPPVS advénit: & metu tamen nautis iniecto, Opuntem redijt & recepit. civeisque, quod quum trahere obsidionem in adventum suum potuissent, viso statim hoste in voluntariam propè deditionem concessissent; graviter increpuit.

Attalus, quum Oréi esset; & famâ accepisset PRVSIAM Bithynum in regni sui fineis transgressum; omissis Romanorum rebus & Ætolico bello, in Asiam traiecit: & SVLPITIVS ad Æginam classem recepit.

PHILIPPVS verò compositis circâ Opuntem rebus, Toronen (al. Thronium est) haud magno certamine cepit; urbem ex ruinis Thebarum Phthioticarum conditam.

Deinde Tritonn & Drymijs, parvis Doridis opidis, potitus; Elatiam, iussis ibi se opperiri PTOLEMÆI Rhodiorumque legatis, qui nuper Heracléæ Concilio Romanorum Ætolorumque interfuerant; venit.

Et quùm de finiendo cum Ætolis bello ageretur; nuntiusque intereà adferretur, MACHANIDAM Eléis, Olympiorum solenne parantibus, vim adferre statuisse; id prævertendum ratus; legatis cum benigno responso dimissis, expedito agmine profectus per Bœotiam, Megaram atque indè Corinthum descendit. & sumto inde commeatu Phliunta Pheneumque petit.

Et iam quùm Heræam venisset, audito MACHANIDAM, famâ adventûs sui territum, refugisse Lacedæmonem (Eléi in gratiam fortè cum Ætolis redierant) Ægium, ad Concilium Achæorum, Prætore NICIA, se recepit. Simul classem Punicam, ut mari etiam aliquid posset, ibi ratus se inventurum.

Pœni namque paucis antè diebus in Phocidem traiecerant; & inde Portus Acarnanum petierant; quùm ab Oréo profectum ATTALVM Romanosq; audissent: veriti ne in se iretur; & intrà Rhium, sive Corinthij sinûs fauceis, opprimerentur.

PHILIPPI IN PVBLICO IACTATIO, ET IN REBVS CIVITATIVM COMponendis industria.

Philippus in concilio incusans fortunæ iniquitatem, quæ rapiens omnia ex oculis celeritatem suam elusisset; & hostium duces, propè captos, quasi è manibus suis elabi sivisset; elato animo multa disseruit. Confessionem se hostium habere, nequaquam pareis eos esse; nec meliore eventu eos secum, quàm spe, si modò congredi ausint, pugnaturos.

Achæis Heréam & Triphyliam; & Megalopolitis, sui iuris esse probantibus, Aliphéram restituit.

Indè cum navibus lembisque profectus ad Erythras Ætolorum, propè Eupalium, exscensionem fecit.

Ibi pecora quæ inter festinationem ab incolis abigi nequiverant, direpta & in naveis compulsa. Cum his, cæteráque prædâ, Niciâ Achæorum Pr. Ægium misso, quum Corinthũ petisset, pedestreis indè copias per Bœotiam, terrâ duci iussit.

Ipse Cenchreis, præter Atticam, super Sunium, navigans, inter medias propè hostium classeis, Chalcidem pervénit; fidemque ac constantiam civium collaudat.

Indè Oréum petit: & ijs Principum, qui fugere captâ urbe, quàm se Romanis tradere maluerant; summam rerum, urbisque custodiam, permitit. Ipse Demetriadem, ab Eubœa, undè primò ad ferendam socijs opem erat profectus, traiecit.

Et Cassandréæ contractâ navalium fabrorum multitudine, qui positas iam Centum navium longarum carinas pertexerent; retrò in regnum concessit, ut Dardanis bellum inferret.

COSS. VICTORES ROMÆ TRIVMPHANT.

Patres intereà Romę nõ M. LIVIVM Cos. tantũ, decedere è provincia, sanis suis; cupientem, sed collegam quoq; eius M. CLAVDIVM ad urbem redire iussérunt. Eo discrimine, ut Livij exercitus, manente cum suis legionibus L. PORCIO, deduceretur: NERONIS legiones ANNIBALI oppositæ in provinciâ manerent.

Ambo eodem die Præneste venére; & triduo post ad urbem accessére. non sine publicâ populi, ob rem benè gestam, congratulatione.

Senatus supplicationem Dijs, amborum Consulum nomine, & triumphum utrique decrevit.

Inter ipsos, ne cum bellum communi animo gessissent, triumphum separarent; ità convenit. Quoniã in provinciâ M. Livij res gesta esset; eiusque eo die, quo pugnatum, auspicium fuisset; & exercitus eius Romam deductus venisset; NERONIS, de provinciâ deduci non potuisset. ut M. LIVIVM quadrigis urbem ineuntem milites sequerentur: C. CLAVDIVS equo, sine militibus, inveheretur.

Ità consociatus triumphus, cum utrique, tum magis ei, qui quantùm merito anteibat, tantùm honore collegæ cesserat; gloriam auxit.

A M. LIVIO, quem Claudius collega Dictatorem comitija habendis dixerat; creati postero die Consules, L. VETVRIVS PHILO, & Q. CÆCILIVS METELLVS; tum Mag. equitum à Livio dictus.

Hos, milites inter triumphandum magnis extulerant laudibus; hortarîq; fuerant plebẽ, ut eos Consules in proximum annum crearent. cui equitum prærogativæ, Consules auctoritatem adijcerent.

INQVI-

INQVISITIO IN ETRVSCOS CONTINVATVR.

Comitijs perfectis, Dictator Magistratu abdicato, dimissoque exercitu, in Etruriam pro-vinciam ex S. C. profectus est, ad quæstiones habendas; qui Etruscorum Vmbrorumve populi defectionis ab Romanis ad Asdrubalem, sub adventum eius, consilia agitassent; quique cum auxilijs, aut commeatu, aut ope aliquâ iuvissent.

3748. 17. Ant. M. 16. Pt. Philop. | 202.

Anno belli Punici XIII. Bruttij, ambobus Consulibus; & ut cum ANNIBALE bellum gererent; provincia decreta est.

Exercitus ità divisi. Consulum alteri, quem C. CLAVDIVS, prioris anni Consul; alteri, quem Q. CLAVDIVS proprætor (ex binæ legiones erant) exercitum habuisset.

Ex prætoribus C. SERVILIVS Siciliam, cũ Cannensibus duabus legionibus; & XXX. navibus, quas à M. VALERIO proconf. acciperet: T. CLAVDIVS Sardiniam, cum novâ legione, quam Consules conscripserant; sortiti sunt.

M. Livius pro-conf. cui prorogatum in annum imperium erat; duas in Hetruriâ Volonum legiones à C. TERENTIO propræt. acciperet.

In civitate, tanto belli discrimine solicitâ, cum omnium secundorum adversorumque caussas in Deos verterent; multa prodigia nuntiabantur, quæ Consules procurare iussi.

Ignis in Æde Vestæ exstinctus, negligentiâ humanâ, Vestalis Virginis, plus omnibus prodigijs animos terruerat.

Quùm Coss. in Consentinũ agrum exercitus suos duxissent, passimque omnia depopularentur; in saltu angusto à Bruttijs, iaculatoribusque Numidis, maiore tumultu, quàm pugnâ turbati sunt. Et præmissâ prædâ incolumes legiones in tuta evasére.

Inde in Lucanos profecti: quæ tota gens sine certamine in ditionem pop. Rom. redijt.

QVIES ANNVA VTRIMQVE.

Cum Annibale nihil rei eo anno gestum: qui fratris nece perculsus quievit; neque a Coss. eius quies interpellata est.

Ipse intereà rebus adversis, quàm secundis melior, quantumvis in ultimum Italiæ angulum conclusus, pecuniæ ac commeatûs indigens; exercitũ, ex multarum gentium colluvione mistum, in officio fideque continebat; tutumque adversùs duorum Consulum insultus præstabat.

RES ITERVM TVRBANT IN HISPANIA.

In Hispaniâ, ASDRVBAL GISGONIS, regressus ab Gadibus. rebellandi spem, adiuvante MAGONE AMILCARIS, delectibus per ulteriorem Hispaniam habitis, ad L. (al. LXX.) hominum M. & IV. M. D. equites armârat.

Ad Silpiam urbem duo duces Pœni, eâ mente, ne detrectarent certamen, considebant.

SCIPIO, arcessitis undequaque auxilijs, cum SILANO, qui III. pedit M. & equites D. à COLICHA regulo adduxerat; cumque omni exercitu civium, sociorum; peditum equit.que; v. & XL. Millib. ad Bæculam urbem processit.

Castra ponenteis, Mago & Masanissa, cũ omni equitatu adgressi sunt. sed abditi à Scipione post tumulum equites, in effusos incurrunt, & vixdum inito prœlio fundunt. Et cæteri, qui sub signis atque ordinibus agminis incesserant; post longiorem pugnam, ab expeditis cohortibus, & militibus ex opere deductis, fessi ab integris, Pœni Numidæq; terga vertere coacti sunt.

Per dies deinde aliquot prior semper Pœnus copias castris educebat; priorque fessis stando signum receptui canebat.

INGENS AD BÆCVLAM PVGNA.

Iamque credebantur mediæ acies Romanorum Pœnorumque, quos inter belli caussa esset; pari robore animorum armorumque concursuræ; quùm Scipio omnia de industriâ in eum diem, quo pugnaturus erat, mutavit: & vixdum satis certâ luce, equitatum omnem cum levi armaturâ, in stationes Punicas immisit.

Ipse indè confestim cum gravi legionum agmine procedit; præter destinatam hostium, suorumque opinionem, cornibus, Romano, milite firmatis; socijs in mediam aciem acceptis.

Asdrubal contrà subito tumultu excitatus, & equitatu exemplò in equites emisso, castris cum peditum agmine egressus, nihil ex ordine solito, in acie instruendâ, mutavit.

Hinc effectum est, ut ab omni parte haudquaquam par pugna esset. tum quòd turba lixarum tironumque Hispanorum, quæ in cornibus Punicæ aciei erat, Romano Latinoque militi obijceretur; tum quòd procedente iam die, vires etiam deficere Pœnos cœperant; quos matutino tumultu oppressos, priùs quam cibo corpora firmarent, ASDRVBAL raptim in aciem exire coegisset.

Et certè ad id sedulò diem extraxerat Scipio, ut sera pugna esset. Fessi igitur corporibus animisque retulére pedem, ordinem tamen servantes. Donec victore in semel inclinatos acriùs invehente; & frustrà Imperatore in collcis proximos receptum tutum, si modicè se reciperent, ostentante; terga dedere, atque in fugam sese omnes effudére.

Atque immò, quùm primo consistere signa in radicibus collium, & revocari in ordines milites cœpissent; cunctantibus in adversum collem erigere aciem Romanis; statim ut inferni intrepidè

signa viderunt; integratâ fugâ, in castra pavidi compelluntur.

Quæ eodem impetu victores cepissent; nisi tanta vis aquarum è nubibus deiecta esset, ut vix in castra sua se receperint.

Carthaginienses, licet labore ac vulneribus fessi, quasi primâ luce hostibus castra eorum oppugnaturis, saxis undique circà, ex propinquâ valle, congestis augent vallum; munimentis sese, quando in armis parum præsidij foret, defensuri.

Sed transitio sociorum, fuga ut tutior morâ videretur, fecit. Principium defectionis ab ATTANE, Turdetanorum regulo, factum. Is cum magnâ popularium manu transfugit: Et duo munita opida, cum præsidijs, tradita, à præfectis, Romano.

Quæ res ne latiùs serperet; silentio proximæ noctis ASDRVBAL castra movet: Et clauso Romanis insequentibus fluminis Bætis transitu, ad Oceanum deflectit.

Eques nihilo minus, levisque armatura, nunc ab tergo, nunc ab lateribus agmini effusè fugienti occurrendo, fatigabat ac morabatur; donec supervenirent legiones.

Inde non iam pugna, sed trucidatio velut, pecorum, fieri.

Dux ipse fugæ auctor, in proximos colles cum VII. Milib. ferme semermium evasit: cæteri cæsi captique.

Pœnus quidem castra tumultuaria tumulo editissimo communierat; sed obsidiu, loco nudo atque inopi, vix in paucos dies tolerabilis erat. Itaque crebræ ad hostem transitiones fiebant.

Postremò ipse dux, navibus haud procul à mari acceptis, nocte, relicto exercitu, Gadeis perfugit.

SCIPIO fugâ ducis hostium auditâ, X. pedit. Millia, & equites Mille SYLLANO relinquit ad castrorum obsidionem: ipse cum cæteris copijs, septuagesimis castris, pronuùs caussis regulorum civitatumque cognoscendis; & præmijs cuique, ad veram meritorum æstimationem, tribuendis; Tarraconem redijt.

Post profectionem eius MASANISSA cum SYLLANO clàm congressus, cum paucis popularibus, in Africam traiecit; & obsequij deinceps ergà Romanos, & constantissimæ ad ultimam senectam fidei fundamenta iacturus.

MAGO verò, remissis ab ASDRVBALE navibus, Gadeis petit. Cæteri deserti ab ducibus, pars transitione, pars fugâ dissipati sunt, per proximas civitates. Nulla manus numero aut viribus insignis.

CARTHAGINIENSES OMNI HISPANIA PVLSI. ET SCIPIO IAM AFRICAM spectat, animoq; complectitur.

Ità ductu atque auspicio P. SCIPIONIS pulsi Hispaniâ Carthaginienses, XIII. anno post bellum initum, V. postquam idem SCIPIO provinciam & exercitum accepit. Neque multo pòst SYLLANVS debellatum referens, Tarraconem ad SCIPIONEM redijt.

L. SCIPIO, cum multis nobilibus captivis, nuntius receptæ Hispaniæ Romam missus est. Quam rem cum cæteri lætitiâ gloriâque ingenti vulgò ferrent; unus qui gesserat, inexplebilis virtutis veræq; laudis, non contentus Hispaniâ, iam Africâ magnamq; Carthaginem, & in suû decus nomenque, velut consummatam eius belli gloriam, spectabar.

Præmoliendas itaque ibi sibi res, conciliandosq; regum ac gentium animos ratus, SYPHACEM primùm, Masæ-Sylorum, gentis Mauris adfinis, opulentissimum regem, tentare statuit. qui antè octennium cum Pœnis bellum; cum Romanis societatem inchoaverat. quemque MASANISSA à Romanis alienatum Pœnis conciliaverat.

Illi itaque fœdus eâ tempestate cum Carthaginiensibus erat, quod haud gravius et sanctiusque, quàm vulgò Barbaris, quibus ex fortunâ pendet fides; ratus fore, SCIPIO, oratorem ad eum C. LÆLIVM cum donis mittit.

Quibus Barbarus lætus, amicitiam se Romanorum, quibus tum res ubique erant prosperæ, accipere annuit. Sed eius firmandæ fidem nec dare in præsens, nec accipere, nisi cum ipso coràm duce Romano.

Ita LÆLIVS in id modò fide ab rege acceptâ, tutum adventum fore, ad SCIPIONEM redijt.

SCIPIO IN AFRICAM, AD SYPHACEM, TRAIICIT.

Dignam itaque rem SCIPIO ratus, quæ vel magno periculo peteretur; L. MARTIO, & M. SYLLANO, ad præsidium Hispaniæ relictis; cum LÆLIO, duabus quinqueremibus, ab Carthagine profectus, in Africam traiecit.

Et fortè ità inciderat, ut eo ipso tempore ASDRVBAL, pulsus Hispania, VII. triremibus Portum invectus, ancoris positis, terræ adplicaret naveis. Et commodùm perculsa ex alto vela paullò acriore vento prius in Portum intulerint quinqueremeis Romanas; quàm Pœni, nequidquam arma naveisque expedientes, ancoras molirentur. Nec ultrà tumultum agere quis quidquam in regio Portu audebat.

Itaque prior in terram ASDRVBAL; mòx SCIPIO & LÆLIVS egressi, ad regem pergunt.

(Duo scilicet opulentissimorum eâ tempestate populorum duces, uno die pacem amicitiamq; regis petentes.)

SYPHAX SCIPIONIS ET ASDRVBALIS HOSPES.

Vtrumque rex in hospitium invitat. Et quoniam fors eos sub uno tecto esse, & in eodem Penate voluisset; contrahere in colloquium, dirimendarum simultatum caussâ, est conatus.

SCIPIONE abnuente, aut privatim sibi ullum cum Pœno odium esse, quòd colloquendo finiret; aut de re publicâ se quidquam cum hoste agere, iniussu Senatûs, posse.

Cœnatum nihilo minus simul apud regem est; qui id magnoperè contendebat, ne alter hospitium mêsâ exclusus videretur. eodem etiam lecto SCIPIO

atque

atque ASDRVBAL mensæ accubuérunt.

Nec SYPHACEM modò Barbarum, insuetumque moribus Romanis; sed ASDRVBALEM etiam, hostem infestissimum, SCIPIONIS comitas, & ad omnia naturalis ingenij dexteritas ità cepit, & facundiis adloquijs conciliavit; ut hic iam tum SYPHACEM, eiusque regnum, in Rom. potestate esse non dubitàrit. Et non tantum de Hispaniâ atque Italiâ desperare; sed ipsi etiam Africæ ac Carthagini timere cæperit.

SCIPIO fœdere ictò cum SYPHACE profectus ex Africâ, die quarto Novæ Carthaginis Portum tenuit.

CASTVLONENSIS ET ILLITVRGITANI DEFECTORES CASTIGANTVR.

Castulonenses, quùm, prosperis rebus, Romanorum focij fuissent; post cæsos cum exercitibus P. & Cn. SCIPIONES, ad Pœnos defecerant.

Illiturgitani prodendis, qui ex illâ clade ad se perfugerant, interficiendisque, scelus etiam defectioni addiderant.

Scipio, tranquillis iam rebus, expetendæ pœnæ tempus commodum venisse ratus, accitum ab Tarracone L. MARTIVM, cum tertiâ copiarum parte, ad Castulonem oppugnandum mittit. Ipse cum cætero exercitu ad Illiturgim pergit.

Hi & Portas clauserant; & omnia ad oppugnationem arcendam parata instructaque habebant. Et ob supplicij metum, tanto ardore certamen inierunt, ut domitor ille totius Hispaniæ exercitus, ab unius opidi iuventute repulsus à muris, haud satis decóro prœlio trepidàrit.

Sed incitati ducis exemplo milites, scalas multis simul partibus erexére; & detectis propugnatoribus muros occupàrunt. arce etiam inter tumultum captâ.

Afris transfugis, qui tum inter auxilia Romana erant, in editissimam urbis partem, quà rupe præaltâ tegebatur, clavis per modica intervalla defixis, & factò veluti ità gradu, evadentibus: & indè cum clamore in urbem, iam à Romanis captam, decurrentibus.

Præ irâ atque odio, inermes iuxtà atque armati, feminæ pariter ac viri, cum infantibus, trucidantur. Ignis deinde tectis iniicitur: & quæ incendio absumi nequibant, ità diruuntur, ut & ipsa urbis vestigia exstinguerentur.

Castulonem indè Scipio exercitum duxit. quam urbem non Hispani modò Convenæ; sed Punici etiam exercitûs, è dissipatâ passim fugâ, reliquiæ tutabantur.

Sed quùm Imperatoris Rom. adventum fama Illiturgitanæ cladis prævenisset, ex terrore ac desperatione, tacita primò suspicio, deinde aperta discordia, secessionem inter Carthaginienseis atque Hispanos fecit.

His CERDVBELLVS, propalàm deditionis auctor; Himilco, Punicis auxiliaribus præerat. quos, urbemque, clàm fide acceptâ, CERDVBELLVS Romanis prodidit. Verùm mitior ea victoria fuit: quòd nec tamtundem noxæ admissum esset; & aliquantum iræ lenijsset voluntaria deditio.

SCIPIO IVSTA FVNEBRIA PATRI PATRVOQVE EXSOLVIT.

L. MARTIVS indè in Barbaros, si qui nondum perdomiti erant, sub ius ditionemque redigendos, missus est.

Scipio Carthaginem ad vota solvenda Dijs, munusque gladiatorium, quod mortis causâ Patris, patruique, paraverat; edendum redijt: in quo voluntaria omnis & gratuita opera pugnantium esset.

In eo CORBIS & ORSVA, Patrueles fratres, de Principatu civitatis, quam Ibem vocant, ambigentes, ferro inter se certàrunt.

ASTAPENSIVM AVDAX EX DESPERATIONE FACINVS.

Martius, superato Bæte amne, duas opulentas civitates sine certamine in deditionem accepit.

Astapenses, latrocinijs adsueti, Romanorum rebus plurimùm incommodaverant. Vbi L. MARTIVM cum exercitu in se venientem viderunt; conscientiâ scelerum, vecordes, quia nec deditio tuta ad tàm infestos videbatur; nec spes mœnibus, aut armis tuendæ, salus erat; facinus in se ac suos fœdum ac ferum consciscunt.

Locum in foro destinant, quò pretiosissima rerum suarum congererent. Et ingenti circà rogo coniuges cum liberis imponunt: dato mandato L. iuvenibus armatis, ut si rem inclinatam viderent; atque in eo iam esse, ut urbs caperetur; ipsi ignem Pyræ subijcerent.

Eruptione itaque factâ, in ipsis propè hostium castris, cæci furore in vulnera ac ferrum ruunt; & in vestigio quisque suo obstinati mortem oppetunt. In urbe verò, imbellis feminarum puerorumque turba à civibus suis fœdiùs cæditur; & in succensum rogum semanima plerumque corpora injiciuntur. adeò ut rivi sanguinis flammam orientem pænè restinguerent. Et ipsi postremò carnifices, miserandâ suorum cæde fatigati, cum armis medio se incendio intecérunt. *Ita Astapa, sine predâ militum, ferro igniq; absumta est.* Et Martius cæteris eius regionis metu in deditionem acceptis, victorem exercitum Carthaginem ad Scipionem deduxit.

MAGO RES NOVAT IN HISPANIS.

MAGO ex fugâ, Gadibus, post ASDRVBALIS decessum, substiterat; navibusque in Oceano collectis, aliquantum auxiliorum, & trans fretum Africæ oræ, & ex proximis Hispaniæ locis, per HANNONEM præfectum, collegerat.

Per eos autem ipsos dies, perfugæ à Gadibus ad Rom. Imperatorem venérunt, pollicentes, urbem, Punicumq; præsidium & præfectum præsidij cum classe, proditturos esse.

Fide acceptâ datâque perfugis, & MARTIVS eò cum expeditis cohortibus; & LÆLIVS cum VII. triremibus, unâque quinquereмi, missi; ut

terra mariqúe, communi consilio, rem gererent.

SCIPIONIS MORBVS.

Scipio sub id tempus gravi morbo implicitus, graviore tamen famâ, provinciam omnem, ac maximè eius longinqua, turbavit: adeò ut nec socij in fide, neque exercitus in officio manserit.

Mandonius & Indibilis, (quibus, quia regnum sibi Hispaniæ, pulsis inde Carthaginiensibus, destinârant animis, nihil pro spe contigisset) concitatis popularibus, Lacetanis, & Iuventute Celtiberorum, agrum Suessitanum Sedetanumque, sociorū pop. Romani, hostiliter depopulati sunt.

SEDITIO MILITARIS INTER ROMM.

Civilis deinde alius furor in castris ad Sucronem ortus. Octo ibi Millia militum erant, præsidium gentibus, quæ cis Iberum incolunt, impositum.

Illi iamdum pridem licentiâ ex diutino, ut fit, otio collectâ, efferebantur. nonnihil etiam commoti, quòd in hostico, laxiùs rapto suetis vivere, artiores in pace res essent. Itaque omnia pro libidine militum; nihil instituto ac disciplina militiæ, aut imperio eorum, qui præerant, ibi gerebatur.

Atque adeò, postquam Tribunos improbare ea quæ fierent; & conari obviàm ire; & propalàm abnuere, furoris eorum se futuros socios, senserunt; erupit aperta seditio.

Fugatis itaque ex principijs, & paullo-post è castris Tribunis, ad principes seditionis, gregarios milites duos, delatum omnium consensu imperium est. Qui præter tribunitia ornamenta, insignia etiam summi imperij, fasceis secureisque, attrectare ausi.

Sed evanescente sensim, qui temerè ortus erat, rumore; quùm vivere primò, mox etiam valere SCIPIONEM certi auctores adferrent; seditioni, in stuporem atque horrorem datæ, VII. Tribuni militum, ab ipso SCIPIONE missi, supervenêrunt.

Ad quorum adventum, quantumvis militum ducumque animi nonnihil exasperarentur; mòx tamen, ipsis placido sermone permulcentibus, leniti; vulgò stipendium non datum ad diem; neque suis rectè factis gratiam exsolutam, caussabantur.

SCIPIO bellis adsuetus, ad seditionum procellas rudis; solicitus erat, ne aut exercitus peccando, aut ipse puniendo modum excederet. In præsentiâ tamen leniter agi placuit; & missis circa stipendiarias civitates exactoribus, stipendij spem propinquam facere. Edictum subinde propositum, ut ad stipendium petendum convenirent Carthaginem. seu carptim partes, seu universi, mallent.

SEDITIOSORVM SVPPLICIA.

Tranquillam militum seditionem, iam per se languescentem, repentina quies rebellantium Hispanorum fecit. Redierant enim in fineis, omisso incepto, MANDONIVS & INDIBILIS, postquam vivere SCIPIONEM adlatum.

Vbi seditiosi milites Carthaginem, ad petendum stipendium, venêrunt; & alterum exercitum, duce M. SILLANO, omnia ad iter & expeditionem, quæ egregiè simulabatur, in defectores Lacetanos parantem, viderunt; rati se magis habituros solum imperatorem, quàm ipsi futuri in potestate eius essent; excepti sermonibus de industriâ compositis, corpora, uti iussi in crastinum curant. Et à Tribunis interim, sine ullo tumultu, auctores seditionis (ad XXXV.) inducti in hospitia, vinoque sopiti, comprehensi ac vincti sunt.

Agmen alterius exercitus, quòd motis sub lucem signis proficisci simulabat, ad Portam retentum est: & custodes circùm omnes Portas missi, nequis urbe egrederetur.

Vocati deinde ad concionem, qui pridie venerant, quùm ferociter in forum ad tribunal Imperatoris, veluti ultrò succlamationibus territuri, concurrissent; simul & Imperator in Tribunal conscendit; & armati à Portis reducti, inermi se concioni ab tergo circumfudêrunt; tum omnem ferociam deposuêre. Mirati in eâcione, robur animi, & coloris vultusque in Imperatore cōstantiam, qualem ne quidem in acie meminerant.

Atque is cognito, deductos in forum seditionis auctores, & parata iam omnia esse; atrocitatem facti, acerrimâ & liberâ oratione, incusans; Quod ad universos attinet, *si erroris modò pœniteat, satis superq; pœnarum habere* se dixit. sed nefariæ seditionis auctores, ALBIVM CALENVM & ATRIVM VMBRVM, cæterosque, *sanguine luituros, quod admiserint.*

Vix finem dicendi fecerat; cum ex præparato simul omnium rerum terror oculis auribusque est offusus.

Exercitu, qui coronâ concionem circumdederat, gladijs ad scuta concrepante; præco nomina damnatorum in concilio citat. Illi nudi in medium protrahuntur; & deligati ad palum, virgisq; cæsi ac securi percussi. adeò torpentibus metu, qui aderant, ut ne gemitus quidem, nedum vox ferocior, exaudiretur.

Loco purgato, citati nominatim milites, apud Tribb. militum in verba SCIPIONIS de-integro iurârunt: stipendiumque ad nomen singulis persolutum.

HANNONIS CONATVS INTERRVPTVS.

Per idem tempus, ad Bætim fluvium, HANNO præfectus à MAGONE, missus à Gadibus cum parvâ manu Afrorum, mercede Hispanos solicitando, ad IV. Mill. iuvenum armavit.

Castris deinde exutus ab L. MARTIO, maximâ parte militum, inter tumultum captorū castrorum; quibusdam etiam in fugâ amissis; & equite Romano palatos persequente, cum paucis ipse effugit.

LÆLIVS interim freto in Oceanum evectus, ad Carteiam. urbem, in ora maris, ubi primum è faucibus angustis panditur, sitam, accessit.

PRODITIO APVD GADEIS DETECTA.

Apud Gadeis, quam spes erat sine certamine per transfugas recipiendi; patefacta immatura proditio

ditio est. Comprehensosq; omnis Mago Adherbali praeter Carthaginem devehendos tradit.

CONFLICTVS NAVALIS INTER LÆLIVM ET ASDRVBALEM.

Adherbal, coniuratis in quinqueremem impositis, eâque ob tarditatem præmissâ; ipse cum xxx. triremibus, modico intervallo, sequutus est.

Iam fretum intrabat quinqueremis, quùm Lælivs & ipse quinquereme è Portu Carteiæ, sequentibus vii. triremibus, evectus, in Adherbalem, & triremes invehitur.

Pœnus, in re subitâ, parumper incertus trepidavit; Utrùm quinqueremem sequeretur, an in hostcis rostra converteret.

Sed facultate detrectandæ pugnæ ademtâ, inter triremes, fortunâ æstûs ac freti regente, anceps prœlium miscebatur. & quinqueremis Romana duas hostium triremeis, detersis remis, suppressit. Cæterasque, quas indepta esset, mulcasset; ni cum reliquis v. navibus Adherbal, velis in Africam transmisisset.

Lælius Carteiam revectus, spe proditionis apud Gades in irritum redactâ; cum Martio Carthaginem redijt.

Mago eorum discessu, & auditâ Illergetum rebellione, nuncijs ad Senatum Carthaginem missis, spem reciperandæ repetendæque Hispaniæ proponit, si auxilia maturè mittantur.

NOVA MANDONII ET INDIBILIS DEFECTIO.

Mandonivs verò & Indibilis in fineis suos regressi; postquam vulgata est supplicij, quo in motûs civilis auctores usus erat Scipio, atrocitas; suam quoque noxam pari pœnâ æstimatam rati; vocatis rursus ad arma popularibus; contractisque, quæ antè habuerant, auxilijs, in Sedetanum agrum, ubi principio defectionis stativa habuerant, cum xx. pedit. & II. equit. Millib. D. transcendêrût.

Scipio, cum fide solvendi omnibus noxijs, innoxijsque stipendij; tum vultu ac sermone in omneis placato, facilè militum animos reconciliârat. Et in concione, in perfidiam rebellantium Regulorum invectus, ad iter se comparare milites iubet. Profectusque decimis castris pervênit ad Iberum flumen: & superato indè amni, die quarto in conspectu hostium posuit castra.

IIDEM RECONCILIANTVR.

Victus magnâ clade Indibilis; licet Romanis minimè incruenta fuerit victoria. Et fugâ, cum tertia suorum parte, quæ in colle ad spectaculum magis tutum, quam ad partem pugnæ capessendam, steterat; inter tumultum, elapsus; abiectit belli consilijs, & fiduciâ Romanæ clementiæ, Mandonivm fratrem ad Scipionem mittit. Qui veniam erroris deprecatus, & omnem in misericordiâ victoris spem habere repositam professus; itâ facilè impetravit; ut pecuniâ tantummodò imperatâ, ex quâ stipendium militi præstari posset, dimitteretur.

Ipse, Scipio, Martio in ulteriorem Hispaniam præmisso; & Syllano Tarraconem remisso, paucos moratus dies, dum imperatam pecuniam Illergetes pernumerarent; cum expeditis Martivm, iam Oceano appropinquantem, adsequitur.

Caussa tam longi, tamque devij itineris fuit; dilatum, alijs atque alijs de caussis, cum Masanissa colloquium: qui cum ipso congredi Scipione, atque eius dextrâ fidem sancire vellet.

COLLOQVIVM SCIPIONIS CVM MASANISSA.

Ille itaque cum Gadibus esset, certior adventare eum à Martio factus; anquisita equorum, in insulâ præ desidiâ otioque marcescentium, caussâ, Magonem perpulit, ut se traijcere in continentem, ad depopulandos proximæ Hispaniæ agros, pateretur.

Transgressus, tres Principes Numidarum præmittit, ad tempus locumq; colloquio statuendum. & duobus obsidum loco retentis, & tertio remisso, qui quò iussus erat, Masanissam adduceret; cum paucis in colloquium venêrunt.

Numida propè ipso congressu, ob maiestatem viri, attonitus, gratias de remisso nuper fratris filio (Massiva) egit. Cupere se & Scipioni & pop. Romano, operam enixè navare.

Quod minùs in Hispaniâ, terrâ alienâ atq; ignotâ, præstare potuerit; idem in quâ genitus, educatusque in spem paterni regni esset, faciliùs promtiusque præstaturum. *Perbrevis avi Carthaginem fore; si SCIPIONEM ducem Romani in Africam mittant.*

Et Scipio quidem lætus, fide datâ acceptâque, profectus retrò Tarraconem est: Masanissa verò, permissu Romanorum, ut consilium occultaret; populatus proximos agros, Gadeis redijt.

MAGO IN ITALIAM COGITAT, ET HISPANOS EXPILAT. NOVAM-CARTHAGINEM TENTAT, & LOCA QUÀ TRANSITURUS.

Magoni, desperatis in Hispaniâ rebus, paranti traijcere in Africam, nuntiatum est ab Carthagine; *Iubere Senatum, ut classem, quam Gadibus haberet, in Italiam traijceret*: conductâq; ibi Gallorum ac Ligurum, quanta maxima posset, iuventute, coniungeret se Annibali.

Ad eam rem, & à Carthagine pecunia advecta est: & ipse quantam potuit, à Gaditanis exegit. Nõ ærario modò eorum, sed templis etiam spoliatis. Et privatim omnibus coactis, aurum argentumque in publicum conferre.

Quùm præterveheretur Hispaniæ oram, haud procul Carthagine-Novâ, expositis in terram militibus, & agris depopulatis, classem ad urbem adpulit. Et noctu in littus expositos, ad partem eam muri, quà capta ab Romanis urbs fuerat, ducit. Nec præsidio

præsidio satis valido urbem teneri ratus; & opidanos aliquid moturos.

Vbi effusi hostes, mistâ inter milites navali turbâ, ad muros tumultu maiore, quàm vi subiérunt; patefactâ repentè portâ, Romani cum clamore erumpunt; & hostes ab primum telorum coniectum aversos usque ad littus multâ cum cæde persequuntur.

Postero die, quùm classis indè retro ad Oceanum, undè venerat, fugisset; ad DCCC. homines cæsi; & inter murum litusque, ad II. Mill. armorum inventa.

MAGO quùm Gadeis repeteret; exclusus indè ad Cimbim classe adpulsâ, mittendis legatis, querendoque, quod Portæ sibi socio atque amico clausæ forent; ad colloquium Suffetes eorum (qui summus Pœnis est magistratus) eum Quæstore, ex urbe, elicuit: laceratosque verberibus cruci adfigi iussit.

Indè navibus ad Pityusam insulam, quam Pœni incolebant, traiecit. Hic non modò commeatus benignè præbiti; sed in supplementum classis, iuventus, armaque data.

Quorum fiduciâ Pœnus in Baleareis insulas transmisit. In Maiore ea ijs, commodo Portu hibernaturum se censebat. Cæterùm haud secùs, quàm si Romani eam Insulam incolerent, hostiliter classi occursum est.

Tantaque vis lapidum, creberrimæ grandinis modo, in propinquantem iam terræ classem è fundis, peculiari incolarum telo, effusa est; ut intrare Portum non ausi averterent in altum naveis.

In Minorem inde Insulam traijcientes, & egressi navibus, loco munito castra locant, ac sine certamine urbe agroque potiti, duobus Millib. auxiliarium inde conscriptis, missisque Carthaginem; ad hibernandum naveis subduxerunt.

Post Magonis ab Oceani orâ discessum, Gaditani Romanis deduntur.

SCIPIO ROMAM REDIT.

SCIPIO, L. LENTVLO & L. MANLIO ACIDINO provinciâ traditâ, x. navibus Romam redijt. Et Senatu extrà urbem dato, postquàm res à se in Hispaniâ gestas disseruisset; magis tentavit triumphi spem, quàm petivit pertinaciter. quia nemini ad eam diem triumphasse, qui sine magistratu res gessisset, constabat. Ipse Senatu misso, urbem est ingressus; & argenti infecti signatique vim ingentem in ærarium intulit.

3749. | | 201.
18. Ant. Mag. |
17. Pt. Philopatur. |

Comitia inde creandis Consulibus habuit L. VETVRIVS PHILO: centuriæque omnes ingenti favore P. Scipionem Consulem dixere.

Collega additur ei P. LICINIVS CRASSVS, Pont. Max. cui divitiæ, facundia nobilitas, iuris Pontificij peritia, ad summum Pontificatum, præturam, censuram & consulatum, (qui bellicæ quoque gloriæ compotem eum fecit) aditum patefecisse censentur.

Scipioni consulatus, non tàm præmium rerum in Hispania gestarum fuit, quàm gradus ad maiora, quæ illi animis universi iam despondebant: & Africam, perinde ac debellatum in Italiâ foret, provinciam destinabant.

XIV. itaque Punici belli anno Consulatum ineuntibus, nominatæ provinciæ sunt; Sicilia SCIPIONI extrà sortem, concedente collegâ; & Bruttij CRASSO, quem cura sacrorum in Italia retineret.

Ille Ludos, quos nuperâ militari seditione in Hispaniâ voverat, ex eâ pecuniâ, quam ipse in ærarium detulisset; & ex Senatûs-consulto, quod ipso referente factum erat; celebrandos curavit.

SAGVNTINIS HONOR HABITVS.

Legatis Saguntinorum, qui in Senatum venerant, & coronam auream in Capitolium Victoriæ ferebant; responsum est; *Et dirutum & restitutum Saguntum, fidei socialis, utrimq. servatæ, documentum omnibus gentibus fore*. Quæ ijs Imperatores Romani commoda tribuissent; ea rata, atque perpetua auctoritate suâ Senatum facere; & permittere, ut donum in Capitolio ponatur.

SCIPIONIS AMBITIO, ET INDE INVIDIA. In Africam tamen traijcere parat.

Quàm verò Africam, novam provinciam, extrà sortem, P. SCIPIONI destinari homines famâ ferrent; & ipse ambitiosiùs, non ad gerendum modò bellum, sed ad finiendum diceret se Consulem declaratum esse, Neque id aliter fieri posse, quàm si ipse in Africam bellum transportâsset: & acturum id se per populum aperiè ferret, si Senatus adversaretur.

Idque consilium haudquaquam prioribus Patrum placeret; cæterique per metum aut ambitionem mussarent: Q. FABIVS, Princeps Senatûs, maximè reclamavit; sive stimulante invidiâ, quòd adolescens, FABII senis, qui ex rebus maturè prudenterque gestis, MAXIMI nomen obtinuisset, luminibus officere videretur. sive quòd illi tutiora semper, quàm audaciora consilia placuissent; non tàm periculi metu, quàm popularis auræ contemtu.

Provinciæ nihilominus ex S. Consf. ità decretæ; Alteri Sicilia, & xxx. rostratæ naveis, quas C. SERVILIVS superiore anno habuisset: permissumque ut in Africam, si id è rep. esse censeret, traijceret. (VALER. lib. 3. c. 7. Vetante Senatu traductum in Africam exercitum tradit.)

Alteri, Bruttij, & bellum cum Annibale, cum eo exercitu, quem L. VETVRIVS, aut Q. CÆCILIVS habuerat.

SCIPIO, quùm ut delectum haberet, neque impetrâsset, neque magnoperè tetendisset; ut voluntarios

tarios sibi ducere milites liceret, renuit. Et quia impensæ negaverat resp. futuram classem; ut quæ à socijs darentur ad fabricandas novas naveis, accipere.

Etruriæ primùm populi, pro suis quisque facultatibus, Consulem adjuturos polliciti: frumentum, vela, arma, & navium armamenta contulérunt.

Alij abiegnam materiem in fabricandas naveis; alij milites, voluntariosque dedérunt. ut Consule operi instante, die XLV. quàm ex silvis detracta materia erat, naves instructæ, & in aquam deductæ sint. Profectus itaque in Siciliam est XXX. navibus longis, voluntariorum VII. fermè Millibus in naveis impositis.

P. LICINIVS, in Bruttios ad duos exercitus consulares venit: & ex eis eum sibi sumsit, quem L. VETVRIVS Cos. habuisset.

METELLO, cui prorogatum in annum imperium, quibus præfuisset legionibus, ijs præesset; facilius *cum adsuetis imperio rem gesturum* ratus, permisit. Et prætores diversi in provincias profecti.

AGER CAMPANIÆ VENALIS.

Et quoniam pecunia ad bellum deerat, agri Campani regionem, à Fossâ Græcâ ad mare versam, vendere Quæstores iussi.

MAGO IN ITALIAM VENIT.

Eâdem æstate MAGO, AMILCARIS F. ex minore Baleanum Insulâ, ubi hibernârat, iuventute lectâ in classem impositâ, in Italiam XXX. fermè rostratis navibus, multisque onerarijs, XII. pedit. Millia, & II. fermè equit. traiecit. Genuamque, quòd maritima ora præsidijs nudata esset, repentino adventu cepit.

Ingauni, Ligurum Alpinorum gens, cum Epanterijs montanis bellum eâ tempestate gerebant. Pœnus itaque Savone, oppido Alpino, prædâ depositâ, & X longis navibus in statione ad præsidium relictis: cæteris ad tuendam maritimam oram, quò fama erat SCIPIONEM traiecturum esse; Carthaginem missis: ipse societate cum Ingaunis, quorum gratiam malebat, compositâ, montanos instituit oppugnare: crescente in dies exercitu, & Gallis ad famam nominis eius undique confluentibus.

Ea res nuntiata curam ingentem patribus accendit. M. itaque LIVIVS proconſ. ex Hetruriâ Volonum exercitum Ariminum admovere iussus; & M. VALERIVS LÆVINVS duas urbanas legiones Atretium deduxit.

Eisdem autem diebus naves onerariæ Pœnorum, ad LXXX. circà Sardiniam ab Cn. OCTAVIO, qui provinciæ præerat, captæ. sive misso ad ANNIBALEM frumento commeatuque onustæ: sive, ut alij tradidérunt, prædam Etruscam, Ligurumque montanorum captivos, Carthaginem portantes.

In Bruttijs nihil fermè anno eo memorabile gestum est. Pestilentia incesserat pari clade in Romanos, Pœnosque. Sed hi, super morbum, fame etiam laborabant.

TITVLVS AB ANNIBALE ERECTVS.

Annibal, propter Iunonis Laciniæ Templum, æstatem egit: ibique Aram condidit, dedicavitque, cum ingenti rerum ab se gestarum Titulo, Punicis Græcisque litteris insculpto.

SCIPIO RES IN SICILIA COMPONIT.

SCIPIO ubi in Siciliam venit, CCC. ex voluntarijs, ætate florenteis & virium robore insigneis, delegit; quos Siculorum totidem, longinquam militiam detrectantium, armis equisque, ceu vicarios, instruxit; & exercendos docendosque, domi cuique suæ. tradidit. Quæ equitum ala multis prœlijs spectatam operam reip. navavit.

Et ex legionibus, plurimorum stipendiorum milites, maximè qui sub duce MARCELLO, militaverant; uti & optimâ disciplinâ institutos, & urbium oppugnandarum peritos, delegit.

Indè Syracusas, nondum ex magnis belli motibus satis tranquillas, venit. Et suas res, quas Italici generis quidam eâdem vi, quâ per bellum ceperât, retinere nitebantur; partim edicto, partim iudicijs etiam, in pertinaceis ad obtinendam iniuriam redditis, Syracusanis restituit.

REBELLIO HISPANIÆ DVCE INdibile: & mòx quies reddita.

Eâdem æstate in Hispaniâ ingens bellum, conciente Ilergetes Indibile; coortum. Pulsis ex Hispaniâ Pœnis; & SCIPIONE, cum magna veterani exercitûs parte, in Italiam reverso; pulcerrimam Hispaniæ tandem liberandæ, aut sibi subijciendæ, occasionem offerri.

Iamque multos, & in his Ausetanos, aliosque sibi aut illis finitimos, ad arma concitârant; & in paucis diebus ad XXX. pedit. & IV. fermè equir. Millia in Sedetanum agrum coëgerant; quùm L. LENTVLVS, & L. MANLIVS Imperatores à SCIPIONE relicti, nascenti malo, prius quàm gliseeret, obviàm eundum rati; iunctis & ipsi exercitibus, per Ausetanum agrum, hostico, tamquam pacato, clementer ductis militibus, ad sedem hostium pervenére.

Primò per legatos nequidquam est tentatum, ut ab armis discederetur. Deinde, quùm in pabulatores Romm. impetus repentè ab equitibus Hispanis factus esset; summisso ab statione Romanâ equitatu, prœlium equestre fuit.

Postero die armati instructique omnes, M. fermè passus à castris Rom. aciem ostendére. Pugnâ flagrante, Romani equites, duce Ser. CORNELIO Trib. milit. in mediam hostium aciem invecti, simul pedestreis acies turbârunt; simul equitibus Hispanis viam, immittendi in adversam aciem equos, clausérunt. ut omissâ pugnâ equestri, ad pedestrem descendere Hispani cogerentur.

Vbi turbati ordines, & præ trepidatione fluctuare signa cæpérunt; Romani, aciem restitui non passi, in perculsos infesto impetu invadunt.

Hic Indibilis, cum equitibus ad pedes digressis, ante

antè prima signa peditum se obiecit; & atrocem pugnam edidit.

Tandem postquam ij, qui circà regem seminecem & restantem, deinde pilò terræ adfixum, pugnabant, obruti telis occubuérunt; tum fugâ passim cæptâ, plures cæsi: quia equos conscendendi equitibus spatium non fuerat; Romanis acriter instantibus.

Nec antè abscessum, quàm castris quoque exuérunt hostem. XIII. Mill. Hispanorum eo die cæsa; DCCC. fermè capti. Ex Romanis socijsque, paullò ampliùs CC. cecidérunt.

Reliqui missis legatis & traditis armis, ita in deditionem accepti; si MANDONIVM, cæterosq; belli concitatores tradidissent vivos.

Quibus comprehensis, & ad supplicium traditis; reddita pax Hispaniæ populis. sed stipendium eius anni duplex, frumentum sex mensium, vestes militares, aliaque onera imposita. Atque ità ab Hispaniâ omnis belli terror in Africam versus.

LÆLIVS AFRICAM INCVRSAT. Magna Carthagini trepidatio.

C. LÆLIVS in Africam præmissus, & ad Hipponem regium adpulsus; ad populandum agrum sub signis milites sociosque navaleis duxit; & magnam cladem terroremq; intulit, ut ipse SCIPIO cum classe Romanâ advenisse existimaretur.

Carthaginienses itaque delectus raptim in urbe agrisque habere: ad conducenda Afrorum auxilia mittere; urbem munire; arma cum navibus parare.

Et ubi à solo LÆLIO in agros incurri, & summam belli molem adhuc in Siciliâ esse cognovére; ad SYPHACEM, aliosque regulos, firmandæ societatis causâ, legationes mittunt.

Ad PHILIPPVM quoque Macedonem missi, qui CC. auri talenta pollicerentur, ut in Siciliam, aut in Italiam traijceret.

Et ad suos imperatores in Italiâ; ut omni terrore Scipionem retinerent.

Ad Magonem, XXV. naves longæ. VI. pedit. M. & equites DCCC. cum VII. elephantis. Ad hæc magna pecunia, ad conducenda auxilia; quibus fretus propiùs urbem Romam exercitum admoveret, fratrique se Annibali coniungeret.

MASANISSÆ PRVDENS CONSILIVM.

Ad Lælium intereà, prædas agentem, MASANISSA, famâ Romanæ classis excitus, cum equitibus paucis venit. Is segniùs rem à SCIPIONE agi questus, quod non iam exercitum in Africam traiecisset, perculsis Carthaginiensibus, & SYPHACE finitimis bellis impedito. Quem certum habcret, si spatium ad sua, ut velit, componenda detur, nihil sincerâ fide cum Romanis acturum; aut etiam ad Pœnos transiturum.

Se, quamquam regno paterno pulsus esset, cum haud contemnendis copijs adfuturum. Lælio in Africâ non esse morandum, quòd classem validam ab Carthagine iamnunc profectam crederet.

Lælius igitur postero die naveis prædâ onustas ab Hippone solvit: revectusque in Siciliam mandata MASANISSÆ SCIPIONI exposuit.

Et eisdem pænè diebus, naves ab Carthagine ad MAGONEM missæ, ad Genuam accesserunt. Ille auditis Senatûs mandatis, Gallos & Ligures, ad quos in libertatem vindicandos, scilicet, se missum iactaret, hortatur; ut in partem Pœnos, contrà duos Romanorum exercitus, quos in conspectu haberent, iuvare porrò pergant.

Quod quum Ligures non abnuerent, duorum modò mensium tempus delectibus habendis petierunt.

Quòd autem Galli, præ metu vicinorum exercituum occultè tantùm adiuvare vellent; militem clàm per agros eorum mercede conducit: Et ab eisdem populis commeatus omnis generis occultè in eius classem castraque mittebantur. Romanis interim Imperatoribus M. LIVIO, & LVCRETIO, in Galliâ Etruriaque, in omnem occasionem belli propulsandi intentis.

LOCRI A ROMANIS RECEPTI.

Post reditum, C. Lælij; & Scipione adhortationibus Masanissæ exstimulato; & militibus, qui prædam ex hostico inspectarent totâ classe exportari, ad traijciendum quàm primùm accensis; intervénit maiori minor cogitatio; Locros urbem, quæ sub defectionem Italiæ desciverat & ipsa ad Pœnos; recipiendi.

Fabri quidam Pœnorum, in arce Locrensi mercenarij, capti ab excursoribus Romanis, Rhegiumque abducti; spem fecerant quibusdam Locrensium Principibus, qui Rhegij exsulabant, pulsi ab adversâ factione, quæ patriam Annibali tradiderat. *Si redemti ac remissi forent; arcem, ubi habitabant, se ijs tradituros.*

Ijs extemplò redemtis remissisque, cum ordinem agendæ rei composuissent, Principes ipsi, ad SCIPIONEM Syracusas profecti, promissa captivorum referunt; & spem ab effectu haud ità abhorrentem Consuli faciunt.

Ille tribunos militum duos cū exsulibus mittit; & iubet ab Rhegio III. Millia militū Locros ducere.

Et Q. PLEMINIO Propræt. scriptum, ut rei agendæ adesset. Itum; scalæ admotæ, & ad scandendum à proditoribus demissæ.

In vigiles Pœnorum impetus factus; clamor ab ijs, qui extrà arcem erant, sublatus. Ira velut plenâ iam hostium arce, territi Pœni, licet numero superiores, omisso certamine, in alteram arcem confugiunt. Opidani urbem habebant, victoribus præmium in medio positam.

Ex arcibus duabus, hinc PLEMINIO Romanorum; indè AMILCARE Pœnorum, præfectis, levibus quotidie prœlijs inter præsidia certabatur: & subsidijs ex propinquo arcessitis, copiæ utrimque augebantur.

Ipse postremò veniebat ANNIBAL. Nec sustinuissent

nuissent Romani; nisi Locrensium multitudo, exacerbata superbiâ atque avaritiâ Pœnorum, ad Romanos inclinâsset.

Scipio quoque, in tanto præsidij discrimine, neque facilè indè receptu, à Messanâ naveis mari secundo transmisit.

Annibal, iussis suis summâ vi prælium cum Romanis, Locrisque, in urbe conserere; dum aversis omnibus in eum tumultum, ab tergo urbem incautam adgredi parat: & haud procul muris, ad terrorem hostium, aciem ostendit; scorpione, qui proximus eum fortè steterat, ictus; taque periculoso casu territus, receptui cecinit, & castra procul ab ictu teli communijt.

Classe Romanâ Locros adpulsâ, milites expositi omnes navibus, & antè occasum solis urbem ingressi sunt.

Postero die cæpta ex arce à Pœnis pugna; & ANNIBAL iam scalis, alijsque omnibus ad oppugnationem paratis, subibat muros; quùm repente in eum, nihil minus quàm tale quidquam timentem, patefactâ Portâ erumpunt Romani, & ad CC. occidunt. Cæteros ANNIBAL, ut Consulem adesse sensit, in castra recipit, nuntioque misso ad eos, qui in arce erant ut sibimetipsi consulerent, nocte motis castris, abijt.

Qui verò in arce erant, igni iniecto tectis, quæ tenebant, ut is tumultus hostem moraretur) agmen suorum, fugæ simili cursu, antè noctem adsecuti sunt.

Scipio Locrensibus ob defectionem graviter increpatis, & sumto de auctoribus supplicio; bona eorum, alterius factionis principibus, ob egregiam adversus Romanos fidem, concessit. Cæteros, quam missis legatis Senatus æquum censuisset, fortunam habituros.

Ipse Q. PLEMINIO legato, præsidioque, quod arcem ceperat, ad tuendam urbem relictu; cum quibus venerat copijs, Messanam traiecit.

PLEMINIJ PRÆFECTI SCELERA, & in Locros crudelitas.

PLEMINIVS, eiusque præsidiarij milites, Pœnos, qui superbè crudeliterque Locrenseis ad se deficienteis habuerant, tantùm scelere atque avaritiâ superârunt; ut non armis, sed vitijs videretur certari.

In corpora ipsorum, in coniuges, in liberos, infandæ contumeliæ editæ. Inter alia templa violata, intacti etiam omni ætate Proserpinæ thesauri, sacrilegis cessêre, quos unus PYRRHVS, non sine magno piaculo, olim spoliâsse ferebatur. Et par eventus secutus.

Sicut enim antè regiæ naves laceratæ naufragijs nihil in terram integri, præter sacram pecuniam Deæ, quam asportabant, extulêrunt; ità tum alio genere cladis, eadem illa pecunia, omnibus, contactis eâ violatione, furorem obiecit; atque inter se ducem in ducem, militem in militem, rabie hostili vertit.

Tribuni militum SERGIVS & MATIENVS, cum PLEMINII militibus, raptotibus, tumultuosè concurrunt. Tribuni ab irato PLEMINIO verberantur. & vicissim PLEMINIVS ab irato Tribunorum milite, lictoribus priùs indignum in modum multatis, laceratur: & propè exsanguis, naso auribusque mutilatur.

Scipio Locros hexéri advectus, causâ utrimque auditâ, PLEMINIVM noxâ liberat; Tribunos sonteis iudicat & in vincula conijcit.

PLEMINIVS in eiusdem loci præsidio relictus, impotens iræ, Tribunos attrahi ad se iussit, & immanibus supplicijs interfecit, insepultosque proiecit.

Simili crudelitate in Locrensium Principes, quos conquestum de iniurijs ad SCIPIONEM profectos audierat; usus, fœda in socios exempla edebat. ut infamiæ atque invidiæ non sibi modò, sed etiam Imperatori esset.

GRAVIS IN CASTRIS LICINII COSS. PESTILENTIA.

Quùm comitiorum iam appeteret tempus; & à P. LICINIO Cos. litteræ Romam adlatæ essent; *Se exercitumq; suum gravi morbo conflictari*: nec subsisti potuisse, nisi eadem vis mali, aut gravior etiam, in hostem ingruisset. Et quoniam ipse ad comitia venire non posset; si ità Patribus videretur, se Q. CÆCILIVM METELLVM Dictatorem, comitiorum causâ, dicturum. Exercitum Q. Cæcilij dimitti, è rep. esse, cuius neque ullus in præsentiâ usus esset; cum ANNIBAL suos in hiberna iam recepert. & tanta morbi vis in ea castra incessent, ut nisi maturè dimittantur, nemo omnium superfuturus videatur. Ea omnia Consuli à Patribus facienda, utè rep. fideque suâ duceret, permissa.

ORACVLVM EX LIB. SIBYLLINIS, de matre Idæâ Romam arcessendâ.

Civitatem eo tempore repens religio invaserat, invento carmine in libris Sibyllinis, propter crebriùs, eo anno, de cœlo lapidatum, inspectis:

„*Quandocumq; hostis alienigena terræ Italiæ bellum intulisset; eum pelli Italiâ vinciq; posse, si mater Idæa Pessinunte Romam advecta esset.*

Id carmen ab x. Viris inventum, eò magis Patres movit, quòd & Legati, qui donum Delphos portaverant, retulissent; & sacrificantibus ipsis Pythio Apollini, omnia læta exsta fuisse; & responsum oraculo editum:

„*Maiorem multò victoriam, quàm cuius ex spolijs dona portarent, adesse populo Romano.*

Huc etiam Scipionis de fine belli præsagium, qui provinciam Africâ depoposcisset, facere celebatur.

Legati ad ATTALVM regem, qui cum, propter commune adversùs PHILIPPVM bellum cæpta erat amicitia, decernuntur. iisque quinque naves quinqueremes, ut ex dignitate pop. Romani adirent eas terras, ad quas conciliandа maiestas nomini Romano esset; attribuuntur.

Legati Asiam petentes, Delphos cum exscendissent, oraculum adiêrunt. Responsum esse ferunt; *Per Attalum regem compotes eius fore, ad quod negotium domo missi essent. Quum Romam Deam devexissent; tum curarent, ut eam, qui vir optimus Romæ esset, hospitio acciperet.*

Legatos Pergamum venientes, comiterque acceptos ex Pessiuuntem in Phrygiam, deduxit: sacrumque iis lapidem, quem Matrem Deûm stolidi incolæ dicebant, tradidit; & deportare Romam iussit.

Remissus ab legatis M. VALERIVS Falto nuntiavit, Deam adportari. quærendum virum optimû in civitate esse, qui eam ritè hospitio acciperet.

Q. CÆCILIVS METELLVS Dictator ab Consule in Bruttijs comitiorum caussâ, dictus, exercitu eius dimisso, Mag. equitum L. VETVRIVM PHILONEM dixit. Comitijs per Dictatorem habitis, Consules facti M. CORNELIVS CETHEGVS, P. SEMPRONIVS TVDITANVS, absens, quùm provinciam Græciam haberet.

(Ædem VIRTVTIS eo anno ad Portam Capenam M. MARCELLVS dedicavit, XVII. anno postquam à Patre, eius primo Consulatu, vota in Galliâ, ad Clastidium, fuerat.)

ÆTOLI CVM PHILIPPO PACEM FACIVNT.

Neglectæ eo biennio res in Græciâ fuerant. Itaque PHILIPPVS Ætolos ab Romanis desertos, cui maximè fidebant auxilio, quibus voluit conditionibus ad petendam & paciscendam subegit pacem.

Quod nisi omni vi perficere maturâsset; bellantem eum cum Ætolis P. SEMPRONIVS Procos. successor imperij missus SVLPITIO, cum X. pedit. Millib. & equitibus Mille, & XXXV. rostratis navibus, haud parvuum momentum ad opem ferendam socijs, oppressisset.

Vixdum pace factâ nuntius regi venit, Romanos Dyrrachium venisse, Parthinosque, & propinquas alias genteis motas esse ad spem novandi res; Dimallumque oppugnari.

Eò se averterant Romani ab Ætolorum, quò missi erant, auxilio; irati quòd sine auctoritate suâ, adversùs fedus, cum rege pacem fecissent.

Ea quùm audîsset Philippus, magnis itineribus Apolloniam contendit; quò SEMPRONIVS se receperat, misso LÆTORIO legato cum parte copiarum, & XV. navibus in Ætoliam; ad visendas res, pacemque, si posset, turbandam.

Philippus agros Apolloniatum vastavit; & ad urbem admotis copijs, potestatem pugnæ Romano fecit.

Quem posteaquam quietum muros tantummodò tueri vidit; nec satis fidens viribus ut urbem oppugnaret: & cum Romanis quoque, sicut cum Ætolis, cupiens pacem, si posset: sin minus, inducias facere; nihil ultrà iritatis novo certamine odijs, in regnum se recepit.

PAX EPIROTARVM, ET ROMM. CVM EODEM PHILIPPO.

Per idem tempus tædio diutini belli Epirotæ, tentatâ priùs Romanorum voluntate, legatos de pace communi ad Philippum misêre.

Venit Phœnicen rex, Epiri urbem: ibique priùs collocutus cum ÆROPO, DARDA & PHILIPPO, Epirotarum prætoribus; posteà cum SEMPRONIO congreditur.

Adfuit colloquio & AMINANDER Athamanum rex; & alij ex Epiro Acarnaniâque magistratus.

P. SEMPRONIVS conditiones pacis dixit.

„ *Vt Parthini, & Dimallum, & Bargulum, & Eugenium, Romanorum essent.* add ito, quod missis Romam legatis ab Senatu impetrâssent, ut Macedoni accederent.

In eas conditiones quùm pax convenisset; ab rege federi adscripti, PRVSIAS Bithyniæ rex, Achæi, Bœoti, Thessali, Acarnanes, Epirotæ. Ab Romanis, Ilienses, ATTALVS rex, PLEVRATVS, NABIS Lacedæmoniorum tyrannus; Elei, Messenij, Athenienses.

Hæc conscripta consignataque sunt, & induciæ mensis induciæ factæ; donec Romam mitterentur legati, ut populus in has conditiones pacem iuberet. Iusseruntque omnes Tribus: quia verso in Africam bello, omnibus alijs in præsentiâ levari bellis volebant.

3750. | 200.
19. Ant. M.
18. Pt. Philop.

Quinctus-decimus erat annus belli Punici, quùm M. CORNELIO CETHEGO, & P. SEMPRONIO TVDITANO, (Is pace factâ è Græciâ Romam redierat) Consulibus; provinciæ decretæ sunt. Illi quidem Etruria, cum vetere exercitu; huic verò Bruttij, ut novas scriberet legiones.

P. SCIPIONI cum eo exercitu, cumque eâ classe quam habebat, prorogatum in annum imperium est.

L. CORNELIVS LENTVLVS, & L. MANLIVS ACIDINVS Proconsules, sicuti priore anno tenuissent, obtinere Hispaniæ imperium iussi.

IDOLVM PESSINVNTIVM ROMÆ ACCEPTVM.

Quùm verò Matris Idææ, sive Cybeles, simulactû Tarracinæ iam esse nuntiatum esset; Senatus P. SCIPIONEM, Cnei eius, qui in Hispaniâ ceciderat, filium, adolescentem nondum quæstoriû, ad Nasica, & Corculum (alij id cognomen filio tribuunt) dictus, in totâ civitate virum optimum iudicavit.

Is cû matronis omnibus Ostiam obviàm ire Deæ iussus, eam ut de nave acciperet; & in terram elatam, traderet matronis ferendam.

Ad ostium amnis Tiberini traditam, matronæ, primóres civitatis, accepére. Inter eas unius CLAVDIÆ QVINCTÆ insigne fuit nomen. cui dubia, ut traditur, antè fama, clariorem scilicet ad posteros

ad posteros tàm religioso ministerio pudicitiam fecerit.

Hæserat navis, idolum istud Pessinuntium ferens, in vado fluminis: & populus adductis funibus frustrà movere tentabat. CLAVDIA, ter capite aquâ flumineâ adspersо, exclamans; *Si casta sum, ô Dea, sequere: sin minus, mane.* Cum dicto funem trahit; & navis è luto expedita sequitur.

Ità & CLAVDIA pudicitia; & Lapis divinitatis famam, consequuntur.

Matronæ per manus succedentes, aliæ alijs, omnibus thure etiam, quâ præferebatur, accenso, precantibus; *ut volens lubensq; urbem Romam iniret*; in Ædem Victoriæ, pertulére Deam. pridie Id. April. Isque dies festus fuit, & Ludi Megalenses instituti. (Vid. eâ de re B. Augustin. iudicium Lib. de Civit. Dei. II. & X.)

SVPPLEMENTA EXERCITVS, EX COLONIIS REFRACTARIIS.

Quùm de supplemento legionum, quæ in provincijs erant, ageretur; Duodecim illæ Latinæ coloniæ, quæ Q. FABIO & Q. FVLVIO Coss. milites dare abnuerant; & iam annum fermè sextum vacationem militiæ, quasi honoris & beneficij caussâ, habuerant; quùm interim boni obedientesque socij, continuis omnium annorum delectibus exhausti essent; duplicatum peditum numerum, & equites centenos vicenos; aut pro uno equite tres pedites, dare coactæ sunt. ut equites peditesque ex locupletissimis legerentur; mitterenturque ubicumque extra Italiam supplemento opus esset.

PECVNIA DEBITA PVBLICE, EXSOLVTA.

M. VALERIVS LÆVINVS, quo Consule & auctore pecuniæ à privatis collatæ fuerant, inopi tum ærario, nec plebe ad tributum sufficiente; rettulit: & eas pecunias singulis reddi æquum esse dixit.

Decretum itaque est, ut tribus pensionibus ea pecunia solveretur. Primam præsentem, ij qui tum essent; duas, tertij & quinti Consules, numerandas curarent: & publicam fidem liberarent.

LEGATIO LOCRENSIVM AD SENATVM.

Decem legati Locrensium, obsiti squalore & sordibus, sedentibus in Comitio Consulibus, velamenta supplicum, ramos oleæ, ut Græcis mos est, porrigentes; antè tribunal cum flebili vociferatione humi procubuérunt. Ea se passos à Q. PLEMINIO legato. Romanisque militibus, quæ pati ne Carthaginienseis quidem velit pop. Romanus. *Fanum Proserpinæ ab ijs exspoliatum*: aliaque infan-

da commemorant. Mittere legatos ad SCIPIONEM, & querelas deferre. sed eum belli adparatu occupatum esse: & in Africam aut iam traiecisse, aut intrà paucos dies traiecturum.

INQVISITIO IN PLEMINIVM, ET CONSCIOS: EORVMQVE condemnatio.

M. POMPONIVS prætor, cui Sicilia provincia sorte evenerat; cum X. legatis è Senatu lectis, & duobus Tribb. plebis, ex decreto Messanam & Locros ire iussi; tum in PLEMINIVM, tum in SCIPIONEM, eiusne iussu ac voluntate ea PLEMINIVS, quorum incusabatur, fecisset; inquisituri.

PLEMINIVS cum seditionis Principibus, seu antè, Scipionis, ut quidam tradidére; seu tum prætoris iussu, traditi sunt Rheginis in custodiam.

Ipse prætor legatique Locros profecti, primùm religionis curam habuére. omnem enim sacram pecuniam, quæque apud PLEMINIVM, quæque apud milites erat, conquisitam; cum eâ, quam ipsi secum attulerant, in thesauris Templi reposuérunt, ac piaculare sacrum fecerunt.

Tum vocatos in concionem milites, prætor signa extrà urbem efferre iubet, castraque in campo locat; cum gravi edicto: *si quis miles aut in urbe restitisset, aut secum extulisset, quod suum non esset.* Locrensibusque permittit, ut quod suum quisque cognosceret, prehenderet: siquid non compareret, repeteret. corpora libera sine morâ ijsdem restituerentur.

Habitâ Locrensium concione; *ijs libertatem legesq; suas populum Rom. Senatumq; restituere,* dixit.

Locrenses prætori legatisque, S.p.q; Romano gratias egére. Se ad PLEMINIVM accusandum, Rhegium unà ituros. SCIPIONEM verò, quamquam parum iniurijs civitatis suæ doluerit; amicum sibi, quàm inimicum malle. & pro certo se habere neque iussu, neque voluntate eius tot tamque nefanda commissa.

Prætor itaque & consilium, PLEMINIVM, & XXXII. homines cum eo damnavérunt; atque in catenis Romam misérunt.

INQVISITIO IN SCIPIONEM. Magnificus eiusdem adparatus.

Ipsi ad SCIPIONEM profecti sunt, ut ea quoque, quæ vulgata sermonibus erant, de cultu ac desidiâ Imperatoris, solutâque militiæ disciplinâ; comperta oculis perferrent Romam.

Venientibus ijs Syracusas SCIPIO res, non verba, ad purgandum se, paravit. Terrestrem, navalemque exercitus, non instructos modò, sed illos decurrenteis; & classem in portu navalis pugnæ simulacrum edentem, ostendit.

Adeoque lætis indè animis profecti sunt; tamquam victoriam, non magnificum belli adparatum, nuntiaturi Romam essent.

Pleminius, quique eâdem in caussâ erant, postquàm Romam est ventum; extemplò in carcerem conditi. Mortuus est tamen priùs in vin-

culis, quàm Iudicium de eo perferretur.

Tradidérunt quidam, ludis votivis, quos Romæ AFRICANVS iterùm Consul, fecit, conatum per quosdam, quos pretio corruperat; aliquot locis urbem incendere. ut frangendi carceris, fugiendique haberet occasionem. Patefacto dein scelere, delegatum in Tullianum ex S. C. fuisse.

Legati, cum Tribunis in Senatu, classem, exercitum, bellique in Siciliâ adparatum, & ipsum ducem, ità verbis extulére; ut Senatus censeret primo quoque tempore in Africam traijciendum. Et Scipioni permitteret, ut ex ijs exercitibus, qui in Siciliâ essent, ipse eligeret, quos in Africam secum duceret; quos Siciliæ relinqueret præsidio.

SYPHACIS CVM CARTHAGINIENSIBVS SOCIETAS.

Carthaginienses haud parvum tuendæ Africæ momentum adiecisse rati, Societate SYPHACIS regis; cuius maximè fiduciâ, uti federati, traiecturum in Africam Romanum crediderant:

Illum ASDRVBAL, spe nuptiarum filiæ suæ, Sophonisbæ, à Romanis averterat; & publico federe Pœnis iunxerat.

Monet itaque rex Scipionem, ne prioribus suis promissis fretus in Africam traijciat. alioqui, si bellum Carthaginiensibus inferat; necessarium sibi fore, pro patriâ & suâ, & coniugis suæ, dimicare.

Fingit Scipio ad milites, Regem SYPHACEM legatos misisse, postulantem; ut aut traijciatur tandem in Africam exercitus; aut, si mutata consilia sint, certior fiat; & ipse sibi regnoque consulat.

Scipio, quidquid militum naviumque in Siciliâ; Lilybæum convenire iubet. Legiones autem ità supplevit, ut singulæ Sena Millia & ducenos pedites; trecenos haberent equites.

Quidam X V. pedit. Millia, & bis Mille ducentos equites. Alij parte plus dimidiâ, V. & XXX. M. peditum equitumq; in naveis imposita tradidérunt.

ROMANI IN AFRICAM TRAIICIVNT.

Præter L. longas naveis, quadringentis fermè onerarijs exercitus est transvectus; SCIPIONE prospera faustaque Deos adprecante; & crudis exstis, cæsâ victimâ, in mare porrectis, litante.

Ad Pulcri-promontorium prosperâ navigatione directæ naves, & copiæ omnes in terram expositæ, Et Romani castra in proximis tumulis metati.

Vrbibus omnibus magnus terror illatus; & præcipuè Carthagini, propè ut captæ, tumultus fuit. Nam post M. ATTILIVM REGVLVM, & L. MANLIVM Coss. annis propè L. nullum Rom. exercitum viderant.

Quingenti ex urbe equites speculatum ad mare, turbandosque egredienteis ex navibus, missi, in stationes Romanorum incidérunt. Qui cum Punico equitatu prœlium quùm commisissent, paucos in ipso certamine; plerosque fugienteis persecuti, & in ijs præfectum quoque HANNONEM, nobilem iuvenem, occidérunt.

SCIPIO non agros modò circà vastavit; sed urbem etiam Afrorum proximam, satis opulentam, (Locham) cepit. ubi præter cætera, in naveis onerarias imposita, missaque in Siciliam, IIX. Mill. liberorum capitum, servorumque, capta.

Lætissimus Romanis, in principio rerum gerendarum, fuit Masanissæ adventus. quem alij cum CC. haud amplius equitibus; plerique cum duûm Millium equitatu tradunt venisse. Huius regis, omnium suæ ætatis regum maximi, varia fuit fortuna, in amittendo, reciperando, paterno regno.

VARII MASANISSÆ CASVS.

Quùm is pro Carthaginiensibus in Hispaniâ militaret; Pater eius GALA mortuus est. Regnum, ad fratrem regis, DESALCEM, iam natu grandem (more Numidarum patrio) pervénit. Sed eo quoque haud multo-post mortuo, maior ex duobus filijs eius CAPVSA, puero admodùm altero, Paternum imperium accepit.

Sed MEZETVLVS quidam, familiæ regibus semper inimicæ, concitatis popularibus, apud quos, invidiâ regum, magnæ auctoritatis erat; regem in aciem descendere, & dimicare de regno coëgit.

Eo in prœlio CAPVSA cum multis Principum cecidit; & gens Massylorum omnis in ditionem imperiumque MEZETVLI concessit.

Sed is contentus modico nomine tutoris, puerum LATVMACEN, qui stirpis regiæ supererat, regem appellat,

MASANISSA vix tandem, MAGONE Gadibus relicto, patriam repetebat, quùm his auditis à BOCCHARE, Mauritaniæ rege, IV. Maurorum Millia, auxilium itineri, quoniam bello non poterat, impetravit.

MEZETVLVS pupillum suum LATVMACEM ad SYPHACEM mittit, auxilia petiturum.

Illi MASINISSA cum quingentis fermè Numidis ad Thapsum occurrit. Trepidum agmen cum in urbem refugisset; & urbem MASANISSA primo impetu capit; & ex regijs alios cepit, alios occidit. Puer cum maiori parte ad SYPHACEM pervénit. Numidæ ad MASANISSAM victorem undique ex agris vicisque adfluebant.

His copijs ille fretus, cum MEZETVLO, cui X. Millia equitum erant; & cum LATVMACE, qui ab SYPHACE XV. peditum Mill. adduxerat, acie conflixit. Vicit & veterum Galæ militum virtus, & prudentia ducis inter Romana & Punica arma exercitati.

Quin & LATVMACES & MEZETVLVS, qui victi in Carthaginiensium agrum perfugerant, spe impu-

spe impunitatis & otij non inhonesti, cum MASANISSA transigunt, quantumvis reclamantibus Carthaginiensibus, eosque adversus regem suum incitantibus.

Et instigante ASDRVBALE, SYPHAX regem suum bellum infert, & primo certamine Massylos fundit fugatque.

MASANISSA ex monte Balbo, in quem cum paucis equitibus ex acie perfugerat, infesta omnia, maximè circà Carthaginem, latrocinio aperto faciebat.

BOCCHAR, unus ex regis SYPHACIS præfectis, præmiorum ingentium spe oneratus, si caput MASANISSÆ rettulisset, aut vivum cepisset; degressum iugis MASANISSAM persequens, in valle artâ, faucibus utrimque obsessis, inclusit: & ingentem Massylorum cædem fecit.

Fugientis MASANISSÆ, per montis anfractus, vestigia tenuit BOCCHAR: adeptusque eum patentibus, propè Clupeam urbem, campis, ità circumdedit; ut præter IV. equites, omneis ad unum interfecerit. Ipsúmque MASANISSAM saucium, propè è manibus, inter tumultum, amisit.

Sed ille tranato flumine elapsus, & pro mortuo creditus, curato volnere pergit ire ad regnum repetendum.

Quùmque in Massylos venisset, tantum motum, cum favore pristino, tum insperato salvi regis gaudio, fecit; ut intrà paucos dies VI. peditum armatorum, & IV. equitum Mill. ad eum convenirent. tamque non in possessione modò paterni regni esset; sed etiam socios Carthaginiensium populos, Masæ Sylorumque fineis vastaret. Et itinato ad bellum SYPHACE, inter Cirtham Hipponemque in iugis opportuniorum ad omnia montium consedit.

Eius loci fiduciâ, SYPHACEM, qui per adversum montem erectam aciem ducebat, adoriri ausus; dum rex Pater à fronte, & filius VERMINA, qui agmen circumduxerat, à tergo urguerent; cæteris cæsis, aut captis, ipse cum LXX. equitibus ad minorem Syrtim pervenit. Ibique usque ad C. Lælij classisque Romanæ adventum in Africam, delituit.

Eius ad Romanos accessus haud vilis fuit momenti, propter locorum & rei militaris peritiam.

Scipio ad Vticam, Mill. fermè passus ab urbe, castra habebat; quùm HANNO, AMILCARIS F. comparato per novum delectum ad IV. M. equitatu, Saleram urbem occupavit, XV. fermè Millia ab Romanis castris.

Eò præmissus ab Imperatore, Masanissâ cum equitatu, & hostem ad certamen elicere, & inter pugnandum cedere semper paullatim iussus est; dum ipse cum Romanis equitibus consecutus sese ostentaret.

Quùm omnis itaque hostium equitatus prœlio iam adesset; & à cedente sensim Masanissâ ad tumulos, qui Romanum equitatum tegebant, esset pertractus; exorti repentè equites, & ipsi integris viribus, & recentibus equis, Hannoni Afrisque pugnando ac sequendo fessis, se circũfudere: & Masanissâ, flexis subitò equis, in pugnam redijt.

Mille fermè ex primo agmine, cum ipso duce Hannone, interclusi atque interfecti sunt. Cæteros, ducis præcipue territos cæde, effusè fugienteis, victores secuti, ad II. prætereà Mill. equitum aut cepérunt, aut occidérunt. Ex quibus non minus CC. Carthaginienses, divitijs & genere illustres.

Scipio firmo præsidio Saleræ imposito, cum cætero exercitu profectus; latè fuso terrore belli, septimo die, magnam vim hominum & pecoris, omnisque generis prædæ, ex agris, vicis urbibusque contractæ, trahens, in castra redijt.

Eodem fortè, quo hæc gesta sunt, tempore, naves, quæ priorem prædam in Siciliam vexerant; cum commeatu rediére. Velut ominatæ ad prædam alteram repetendam sese venisse. eæ namque graveis hostium spolijs iterum dimissæ sunt.

Et Scipio ad oppugnãdam Vticam omneis belli vireis convertit. eam si cepisset, sedem deinde ad cætera exsequenda habiturus.

VTICA A SCIPIONE OPPVGNATVR.

Iam iam XL. ferè dies terrâ marique, tormentis machinisque proximè admotis, nequidquam omnia expertus obsederat; quùm ASDRVBAL, postquam intentissimâ conquisitione ad XXX. pedit. & III. equitum Mill. effecisset; & deinde SYPHAX, cum L. pedit. & X. equitum Millibus, motis ab Carthagine castris, haud procul Vticâ, munitionibusque Romanis, consederunt.

Quorum adventus hoc tandem momenti fecit, ut Scipio irrito incepto indè abscederet, hieme iam instante. Ità tamen castra & terrâ & littore disposuit; ut & adversùs ASDRVBALEM ac SYPHACEM tutus esset, & Vticam circumsederet.

VICTVS A COSS. ANNIBAL AD CROTONEM.

Paullo antè P. SEMPRONIVS Cos. in agro Crotoniensi cum ANNIBALE tumultuario prœlio, & in ipso itinere, confligens; ad M. CC. de exercitu suo desideravit, & trepidus in castra se recepit. Sed postquam P. LICINIO Procons. qui ut legiones suas admoveret, præmisso nuntio, monitus erat, copias coniunxit; cum Consuli duplicatæ vires, & Pœno recens victoria animos faceret; nulla dimicandi mora facta est. Fusi ac fugati Pœni; suprà IV. armatorum M. cæsa; paullo minus CCC. vivi, cum aliquot equis & signis militaribus, capti. Perculsus adverso prœlio ANNIBAL Crotonem exercitum abduxit.

ETRVRIA NVTANS IN FIDE CONTINETVR.

Eodem tempore M. CORNELIVS Cos. alterâ parte Italiæ, totam pænè Etruriam, ad MAGONEM, & per eum ad spem novandi res versam, non tàm armis, quàm iudiciorum terrore continuit. & eorum, qui aut ipsi ierant, aut miserant ad MAGONEM de civitatum

civitatum suarum defectione, postquam primò, præsentes damnati, sibimetipsi postea conscientiâ exsilium consciuissent; corporibus subtractis, bona pœnæ pignorata sunt.

SIMVLTAS INTER CENSORES.

M. LIVIVS, & C. CLAVDIVS NERO, qui triennio antè consulatum; hoc anno Censuram simul gesserunt. Sed quæ tum sepultæ videbantur inimicitiæ, fœdum in modum recruduerunt.

Vectigal novum ex salariâ annonâ statutum.

Primus NERO M. LIVIO equum ademit, aut vendere iussit; quòd olim populi iudicio condemnatus fuisset.

Vicissim LIVIVS, C. CLAVDIVM vendere equum iussit; tum quòd falsum adversùs se testimonium dixisset; tum quod non sincerâ fide secum in gratiam rediisset.

Victor CLAVDIVS, XLV. lustrum condidit. Et censa sunt, cum ijs qui per provincias in exercitibus essent, CCLXV. civium Roman. Millia.

P. SEMPRONIVS Cos. Annibale campis cedente, Petiliam vi cepit. Consentia, Pandosia, & aliquot alia ignobilia opida ultrò in deditionem venerunt.

PTOLEMÆVS EPIPHANES V. ÆGYPTI REX, ANNOS 24.

PTOL. PHILOPATOR, bello Antiochino, de quo supra, solutus, & in veterem luxuriam revolutus; occisâ uxore EVRYDICE, eâdemque sorore suâ; AGATHOCLIÆ Psaltriæ meretricis illecebris, & infamibus AGATHOCLIS, fratris eius, amoribus captus; omnemque nominis ac maiestatis regiæ magnitudinem oblitus; ipse non spectator, sed nequitiæ magister, nocteis in stupris, dies in convivijs consumebat. AGATHOCLES regis lateri iunctus, civitatem regebat.

Tribunatus & præfecturas, mulieres, AGATHOCLIA cum matre OENANTHE, ordinabant. Nec quisquam in regno suo minùs, quam ipse rex, poterat. Interim postquam ità regnâsset annos circiter XIIX. relicto quadrimo, sive quinquenni, ex Eurydice, filio, moritur.

Sed morsicius; dum pecuniam regiam mulieres rapiunt; & imperium, initâ cum perditissimis quibusque societate, occupare conantur; diu occultata fuit. Re tamen cognitâ, concursu multitudinis, & AGATHOCLES occiditur; & mulieres, in ultionem EVRYDICES, patibulis suffiguntur.

Romæ, quùm comitiorum tempus appeteret, CORNELIVS Cos. quem potiùs ex Hetruria, ubi nihil belli erat, acciri placuerat; Consules creavit: Cn. SERVILIVM CÆPIONEM, & Cn. (al. C.) SERVILIVM GEMINVM. (al. Nepotem.) Consul, comitijs perfectis, ad exercitum in Etruriam redijt.

3751. 20. Ant. Mag. 1. Ptol. Epiph. | 199.

Annus belli Punici XVI. erat, quùm Consulibus provincias inter se sortientibus, Cæpioni Bruttij; Servilio Etruria evenit.

P. SCIPIONI non temporis, sed rei gerendæ fine, donec debellatum in Africâ foret, prorogatum imperium. & supplicatio decreta, ut in Africam provinciam traiectio salutaris pop. Romano, ipsique duci & exercitui esset. XX. legionibus & CLX. navibus longis, res Romana eo anno gesta.

Scipio ne hiemis quidem tempore belli opera remiserat. Vticam obsidebat; & castra in conspectu ASDRVBALIS erant.

Hybernacula Carthaginiensium, congestâ temerè ex agris materiâ, ædificata, lignea ferè tota erât. Numidæ præcipuè, arundine textis, storiâque pars maxima tectis, passim nullo ordine habitabant.

Quæ Scipioni per exploratores relata, spem fecerant, utraque castra hostium per occasionem incendendi.

CASTRA POENORVM INCENDVNTVR.

Et commodùm ex mentione & spe pacis, cum SYPHACE, per homines idoneos tentatæ; negligentia, ut fit, apud Pœnos Numidasque orta cavendi, nequid hostile interim patetentur.

Et quod SYPHAX solus, relictis Carthaginiensibus, pacem cum Romanis facere nollet; atque adeò iniquas conditiones expostularet, Scipio ancquisitâ causâ, & abruptis legationibus, inducias tollit. ut liberâ scilicet fide incepta exsequeretur.

Et ut simul ab eo quod parabat, in alterius rei curam converteret hostium animos; simul neque, quùm ipse ad SYPHACEM ASDRVBALEMQVE profectus esset, eruptio ex urbe & impetus in castra, relicta cum levi præsidio, fieret; deductis navibus, machinas tormentaque, velut à mari adgressurus Vticam, imponit: & II. Mill. militum ad capiendum, quem anteâ tenuerat, tumulum, super Vticam, mittit.

Bina Pœnorum castra à Romanis VII. ferè pass. Millib. aberant. Ad ea ut mediâ nocte, & explicato agmine, perventum; SCIPIO partem copiarum LÆLIO, & MASANISSÆ cum Numidis, attribuit: castraque SYPHACIS invadere, igneisque conijcere iubet. Se ASDRVBALEM

BALEM Punicaque castra adgressurum, simulatque ignem in regijs castris conspexisset.

Neque ea res morata diu est. Ingenti flammâ repentè exortà, Afrorum alij semisomnes hausti: Alij, fortuitum, non hostilem ignem rati, sine armis ad restinguendum effusi, in armatos incidérunt: vel in angustijs portarum, mutuâ ruinâ obtriti sunt.

Eôdem & Pœni ex Asdrubalis castris, ab eodem errore credentes & ipsi suâ sponte ortum incendium; & ea modò quæ restinguendo igni forent portantes; in agmen Romanum ruebant.

Vbi omnia turbata; & neglectas, ut in tali tumultu, portas vidêre; C. LÆLIUS SYPHACIS; SCIPIO ASDRUBALIS castra, ignibus iterùm in proxima tecta coniectis, adorti, dirripiunt: stragem horrendam edunt.

Bina itaque castra unâ die deleta. Duces tamen ambo,& ex tot Millibus armatorum bis Mille pedites, & D. equites, semiermes, magna pars saucij, adflatique incendio, effugérunt.

Cæsa, aut flammis hausta, ad XL. hominum Mill. capti suprà VI. Mill. multi ex Carthaginiensibus nobiles, XI. Senatores: signa militaria CLXXIIX. Equi Numidici suprà bis Mille, septingentos: cum magnâ armorum vi, & sex elephantis. Octoque ex ijs alij, ferro aut flammâ absumti.

Ea omnia Imp. Volcano sacrata incendit.

ASDRUBAL ex fugâ cum paucis proximam urbem (Andan nominat Appian.) petierat; eoque ducis vestigia secuti multi se receperant. sed ille metu, ne dederetur Scipioni, inde excessit. Vrbs mox patentibus portis Scipioni in deditionem concessit. Duæ prætereà urbes captæ direptæque. Ea præda, & quæ castris incensis ex igne rapta erant, militi permissa.

ASDRUBAL Carthaginem contendit. quò tantus primò terror erat adlatus, ut omissâ Vticâ, ad se obsidendos crederent extemplò venturum Scipionem.

Senatu à Suffetibus vocato, dum alij de pace legatos ad Scipionem decernerent; alij ANNIBALEM ad tuendam ab exitiabili bello patriam revocarent: alij denique, Romanæ in adversis rebus constantiæ exemplo, reparandum exercitum; Syphacem que, ne bello absistat, rogandum, censerent; hæc sententia, quia ASDRUBAL præsens, Barchinæque omnes factionis, bellum malebant; Vicit.

SYPHAX BELLUM REPARAT.

Syphax, & legatorum Carthaginiensium, & uxoris SOPHONISBÆ precibus expugnatus; atque adeò ultionis cupidus, qui incendio, non prœlio cladem acceptam doleret; acriùs quàm pridem, excitâ ex omni regno iuventute, bellum parat.

Et spem opportunè oblatam adferebant legati, IV. Millia Celtiberorum, ab conquisitoribus suis in Hispaniâ conducta, egregiæ iuventutis, circà Vrbem, nomine Abam (quò se post nocturnam cladem Syphax receperat) sibi occurrisse.

NOVA PUGNA, VINCENTIBUS ROMM.

Post dies itaque paucos, rursus ASDRUBAL & SYPHAX copias, ad XXX. ferè armatorum Millia, iunxérunt.

SCIPIONEM, velut impunè Vticæ oppugnandæ intentum, iamque machinas urbi admoventem, avertit fama redintegrati belli. Modicisque præsidijs, ad speciem modò obsidionis, terrâ marique relictis; ipse cum robore exercitûs ire ad hostes pergit.

Et quùm quatto demùm die in aciem utrimque descensum esset; neque Numidæ equites, maximam partem agrestes, Italicum equitatum; neque Carthaginienses, & ipse novus miles, MASANISSAM, multis hominibus & victorijs terribilem, sustinuére.

Et iam nudata utrimque cornibus Celtiberorum acies stabat: quibus neque in fugâ salus ulla, ignotis locis, ostendebatur; neque spes veniæ ab Scipione; quem & de se & suâ gente benè meritum, mercenarijs armis oppugnatum in Africâ venissent.

Igitur circumfusis undique hostibus, alij super alios cadentes, obstinati moriebantur.

Intereà omnibus in eorum pugnam cædemque versis, aliquantum ad fugam temporis SYPHAX & ASDRUBAL præceperunt.

Scipio LÆLIUM & MASANISSAM, cum omni Romano & Numidico equitatu, ad persequendos duces mittit: Ipse cum robore exercitûs urbeis circà omnes, quæ Punicæ ditionis erant, partim vi, partim metu subegit.

Carthagini nihilo minus in summâ trepidatione, rara mentio pacis: frequentior legatorum, ad ANNIBALEM ex Italiâ arcessendum.

Plerique classem, quæ ad commeatus excipiendos parata erat, mittendam censent ad opprimendam navium stationem, quæ incautiùs ad Vticam ageret; & navalia castra, quæ cum levi præsidio relicta essent. Deductæ itaque postero die naves: simul & Legati in Italiam ad ANNIBALEM profecti.

SCIPIO, captivis, aliâque prædâ, in vetera castra ad Vticam missis; cum expedito exercitu occupat, relictum, fugâ custodum, Tuneta. (Abest is locus à Carthagine XV. pass. Millia. Polyb. CXX. stadia) locum cum operibus, tum suâpte naturâ tutum. Et qui ab Carthagine conspici, & præbere ipse prospectum cum ad urbem, tum ad circumfusum urbi mare, posit.

PUGNA CLASSICA.

Indè, quùm maximè vallum Romani iácerent, conspecta classis hostium est, quæ Vticam Carthagine petebat. Omisso itaque opere, & itinere pronuntiato, signa raptim ferri sunt cœpta: ne naves in terram & obsidionem versæ, minimèque navali prœlio aptæ, opprimerentur.

Carthaginienses classe in portum, Ruscinonem, adpulsâ, instruxére ab alto naveis velut ad iustum prœlium navale. Quumque diu stetissent, neque

exire contrà hostem, neque ab eo moveri quidquam vidérent; tum demum onerarias, quæ quadruplici ordine pro muro adversùs hosteis oppositæ, & malis antemnísque de nave in navem traiectis, funibusque validis, velut uno inter se vinculo, illigatis, comprehensæ erant; magno impetu adgrediuntur.

Post longum certamen, & densum telorum missilium utrimque iactum; postquam harpagones ex Punicis navibus injici in Romanas cœpti; & à rostratis retrò inhibitis onerariæ hærentes unco trahi; scissa sunt vincula, quibus aliæ alijs erant innexæ.

Hoc maximè modo lacerati sunt pontes, ut vix transiliendi in secundum ordinem navium propugnatoribus spatium daretur.

Sex ferme Romanorum onerariæ puppibus abstractæ Carthaginem sunt; maiore, quàm pro re, lætitiâ.

Certum est tamen, haud procul exitio fuisse Romanam classem; ni cessatum, die uno segni navigatione absumto, à Punicarum navium præfectis foret; & Scipio in tempore subvenisset.

Tum quoque Masanissa à C. Lælio in Numidiam deductus, Massylijs ad regem diu desideratum lætis; paternum regnum reciperat.

SYPHAX ITERVM PROCINCTVS, ET VICTVS, ET CAPTVS.

Et Syphax, pulsis inde præfectis, præsidijsque suis, vetere se continebat regno, neutiquam quieturus.

Stimulabant ægrum amore uxor socerque; & integræ adhuc regni, per multos florentis annos, vires, Barbaro atque impotenti animo spiritus faciebant.

Exercitu haud minore, quàm quem priùs habuerat; cæterùm omni propè novo atque incondito, ire ad hosteis pergit.

Vbi ad manus ventum; quò concitatiores ad velitarem equestremque concursationem, eò ad statariam cum Romano pedite pugnam ineptiores Nomidæ, & Masæsyli; legionum impetum sustinere non potuérunt.

Ibi Syphax, dum obequitat hostium turmis, si pudore, si periculo fugam suorum sistere posset; equo graviter icto effusus opprimitur capiturque; & vivus ad Lælium attrahitur.

Cædes in eo prœlio minor, quàm victoria fuit: quòd equestri tantum pugnâ certatum fuerat. Non plus v. Millia occisa: minus dimidium eius hominum captum, impetu in castra facto; quò perculsa, rege amisso, multitudo se cótulerat. Præter eos, qui Cirtham, regni caput, ex fugâ se receperant.

CIRTHA SYPHACIS REGIA CAPTA.

Masanissa cum equitatu, victoque Syphace, Cirtham, adsentiente Lælio, prægressus, evocaris ad colloquium urbis Principibus; apud ignaros regis casûs, neque quæ acta essent promendo; neque minis, aut suadendo, antè valuit, quàm rex vinctus in conspectum datus est.

Tum comploratio ad spectaculum tàm fœdum comploratione, partim mœnia pavore sunt deserta; partim repentino consensu gratiam apud victorem quærentium, patefactæ portæ.

Et Masanissa præsidio circà portas, opportunaque mænium, dimisso, ne cui fugæ pateret exitus; ad regiam occupandam citato vadit equo.

Intranti vestibulum, in ipso limine Sophonisba, uxor Syphacis, occurrit: & genibus advoluta suppliciter obtestatur; *Hanc sibi veniam daret, ut ipse de captivâ statuat; neq; tu cuiusquam Romani arbitrium venire si uat. Et si nullâ aliâ re posset, morte se vindicaret ab istiusmodi arbitrij atrocitate.*

Forma reginæ erat insignis, & florens ætas; & propiùs iam blanditias oratio, quàm preces erant. Itaque non in misericordiam modò prolapsus est animus victoris; sed amore captivæ victor captus, datâ dextrâ, in id quod petebatur, obligandæ fidei, in regiam concedit.

SOPHONISBA CAPTIVI REGIS VXOR, MASANISSÆ NVBIT.

Hic secum reputans quemadmodum promissi fidem præstaret; ab amore temerarium atque impudens mutuatur consilium.

Nuptias in eum ipsum diem parari iubet; ne quid relinqueret integri aut Lælio, aut ipsi Scipioni, consulendi, velut in captivam, quæ Masanissæ nupta iam foret.

Factis nuptijs, supervénit Lælius: & adeò non dissimulavit improbare factum, ut primò etiam, cum Syphace & cæteris captivis, detractam eam toro geniali, mittere ad Scipionem conatus sit. Victus deinde precibus Masanissæ, arbitriú, utrius regum duorum fortunæ accessio Sophonisba esset; ad Scipionem reiecerit.

Ipse, misso Syphace & cæteris captivis, reliquas Numidiæ urbeis, quæ præsidijs regijs adhuc tenebantur, adiuvante Masanissâ, recepit.

Scipio Masanissæ temeritatem atque intemperantiam modestè quidem, sed severè castigat. quòd eam sibi nuptijs iunxisset, de quâ, uti captivâ, Senatûs populique Romani iudicium atque arbitriú esset. Quæ Patrem, hostium imperatorem, haberet: quæque regem maritum, Romanis anteá socium, alienâsse; atque in arma coegisse præcipitem diceretur.

Masanissa rubore & lacrymis suffusus; se quidem in potestate Imperatoris futurum respódit: sed orare, ut quantum res fineret, fidei suæ temerè obstrictæ (quâ promiserat, sese in nullius potestatem eam traditurum) consuleret.

Et ex prætorio in tabernaculum suum concedens, anceps animi, &, remotis arbitris, dolori gemitibusque indulgens, fido ex servis uni venenum in poculo mistum tradit; & ferre ad Sophonisbam iubet, simulque nuntiare;

SOPHO-

SOPHONISBA VENENO SIBI PROPINATO PERIT.

Libenter Masanissam primam ei fidem præstiturum fuisse, quam vir uxori debuerit. sed quoniam arbitrium eius, qui possint, adimant; secundam fidem præstare, ne viva in potestatem Romanorum veniat. Memor Patris imperatoris, patriæq; & duorum regum, quibus nupta fuisset, sibi ipsa consuleret. Illa ministro, qui nuntium & venenum adtulerat, respondit; *Accipere se nuptiale munus; nec ingratum, si nihil maius vir uxori præstare potuerit. Melius se tamen morituram fuisse, si non in funere suo nupsisset.* Nec locuta est ferocius, quàm acceptum poculum, nullo trepidationis signo dato, impavidè hausit.

MASANISSA REX SALUTATUR, ET MUNERIBUS DONATUR.

Scipio postero die ægrum animi Iuvenem nunc solatus; nunc quòd temeritatem aliâ temeritate luisset, leniter castigans; & advocatâ concione in tribunal adscendens, Masanissam, primùm regem appellatum, eximijsque ornatum laudibus, aureâ coronâ & paterâ, sellâ curuli, & Scipione eburneo, togâ pictâ, tunicaque palmatâ (quæ triumphantium apud Romanos ornamenta) donavit.

Lælium deinde, & ipsum collaudatum, pari coronâ impertit. Alijque militares viri, operæ navatæ præmijs exornantur.

Imperator, sublato Syphace, in spem propinquam omnis Numidiæ potiundæ; C. Lælio, cum rege, alijsque captivis, Romam misso, cum quibus & Masanissæ legati profecti sunt; ipse ad Tuneta rursùm castra refert; & quæ muuimenta inchoaverat, permunijt.

LEGATIO CARTHAG. AD SCIPIONEM. PACIS CONDITIONES.

Carthaginienses eâ clade perculsi, Oratores ad pacem petendam mittunt XXX. seniorum Principes.

Qui quum non culpam purgarent; sed initium culpæ in HANNIBALEM transferrent: & paratis obedienter servire, quæ vellet, Scipionem imperare iuberent.

Populum Rom. ex victis hostibus imperium, non perniciem petere solere.

Ipse, quantumvis victoriam propè in manibus haberet, pacem non abnuere respondit. *Populum Rom. & suscipere iustè bella, & finire. Leges se pacis has dicere.*

„ Captivos, & perfugas & fugitivos, restituant. „ Exercitus ex Italiâ & Galliâ deducant: „ Hispaniâ abstineant: „ Insulis omnibus, quæ inter Italiam & Africam sunt, decedant; „ Naveis longas, præter XXX. omneis tradant. „ Tritici præterea D. hordei CCC. Millia modiûm.

(Pecuniam; alij ad V. Millia talentûm; alij V. Millia pondo argenti; alij duplex militibus stipendium imperatum tradidêrunt.) Addidit Scipio.

Si his conditionibus pax placeret, triduum ad consultandum datum iri. Si placuisset; secum inducias facerent: sed Romam ad Senatum legatos mitterent.

Ità dimissi Carthaginienses, qui nullas pacis conditiones recusandas sibi censerent: & moras temporis quærerent, dum ANNIBAL in Africam traijceret; legatos alios ad SCIPIONEM, ut inducias facerent: alios Romam ad pacem petendam mittunt, ducentes paucos in speciem captivos & perfugas, quò impetrabilior pax esset.

Posteaquam Lælius cum captivis Romam venit: ingenti omnium & in præsens lætitiâ, & in futurum spe auditus.

Patres consulti regem SYPHACEM in custodiam mittendum Albam censuérunt: & pro rebus prosperè gestis in quatriduum supplicationem decrevérunt.

Legatis MASANISSÆ responsum est: *Scipionem rectè atque ordine videri fecisse, quòd eum regem appellâsset: & quidquid aliud fecisset, quod honori aut emolumento foret MASANISSÆ, ea Patres comprobare atque laudare.* Regi prætereà munera, & legatis lautia præbita.

PUGNA CUM MAGONE IN INSUBRIBUS.

In Italiâ iam tertium propè annum MAGO, ANNIBALIS frater, relictâ Hispaniâ, Ligurian insidebat. Galli, odio pariter & metu, cum Romanis palàm favebant; tum Pœnis per occulta & magis fida auxiliabantur. Ligurum pars maxima aperto Marteijs militabant: & tandem Insubres quoque Magoni nomen dederant.

In horum regione M. CORNELIUS Proconf. & P. QUINCTILIUS VARUS prætor, cum MAGONE signis collatis pugnavérunt.

Atrox & cruentum fuit prœlium. Equi Romanorum stridore atque odore elephantorum Punicorum territi, vanû auxiliû equestre fecére; & equites suos Numidarum iaculis ex intervallo obiecére.

Deinde hastati legionis XI. conglobati, eosdem elephantos, qui iam peditum aciem turbabant, densis pilis confixos, omneis retrò in aciem suorum avertérunt. Tum prima commota hostium acies; & pedites ad augendum pavorem effusi.

Sed donec stetit antè signa MAGO, gradum sensim referentes tenorem pugnæ servabant. Posteaquàm illum femore transfixo cadentem, auferrique ex prœlio propè ex sanguem vidére; extemplò in fugam omnes converfi.

Ad V. M. hostium eo die cæsa; & signa militaria XIIX. capta. Nec Romanis incruenta victoria fuit. II. M. & CCC. de exercitu prætoris, & pars multo maxima ex Legione XII. amissa. III. Tribb. militum cecidére. Multi equites illustres, cum aliquot centurionibus, obtriti ab elephantis periérunt.

Et longius certamen fuisset; ni vulnere ducis concessa victoria esset. Ipse ad Mare in Ligures Ingaunos ubi pervénit; ibi in legatos ab Carthagine paucis antè diebus in sinum Galli-

cum

cum navibus adpulsos, incidit; qui iuberent primo quoque tempore in Africam traijcere. quod idem frater Annibal facere iussus esset.

Ille impositis in naveis copijs profectus, vixdum superatâ Sardiniâ, ex vulnere mortuus est. Naves quoque aliquot Pœnorum disiectæ in alto, à classe Rom. quæ circa Sardiniam erat, captæ sunt.

Côsul C. SERVILIVS, qui nihil memorabile in provinciâ Etruriâ, & Galliâ gesserat; Patre C. SERVILIO, & C. LVTATIO patruo, ex servitute, post XVI. annum, receptis, qui ad vicum Cannetum (al. Tanetum) à Boijs capti fuerant; hinc Patre, inde patruo latera cingentibus, privato magis, quàm publico, décore insignis, Romam redijt.

Ad alterum Conf. Cn. SERVILIVM CÆPIONEM, qui in Bruttijs erat, Consentia, cum alijs urbibus, multique ignobiles populi, quòd senescere Punicum bellum viderent; defecére.

ANNIBAL ITALIA EXCEDIT.

Idem Consul in agro Crotoniensi cum Annibale acie conflixit; & ad V. hostium Millia (ut auctor est, Valerius Antias) cecidit.

Nihil certè ultrà rei in Italiâ ab Annibale gestum. Legati namque ab Carthagine, *Italiam omittere, & periclitanti patriæ opem ferre iusérunt.*

Iussis ille obsequitur, frendens ac gemens; ac dira tam HANNONI, qui Barchinam familiam, obtrectatione atque invidiâ, & subsidijs parciùs malignius que submissis, patriæ etiam ruinâ opprimere usq; esset conatus: quàm sibi imprecans quòd nô cruentû ab Cannensi victoriâ militem, rectâ ad Romam trepidantem duxisset. Iam hoc ipsum præsagiens animo, præparaverat antè naveis.

Itaque inutili militum turbâ, præsidij specie, in opida agri Bruttij, quæ pauca magis metu, quàm fide continebantur; dimissâ; quod roboris in exercitu erat, in Africam transvexit.

SAGVNTINORVM IN ROMM. FIDES.

Tum quoque Legati Saguntini Romam venérunt; & comprehensos cum pecuniâ adduxérunt Carthaginienseis, qui ad conducenda auxilia in Hispaniam traiecerant. CCL. auri. DCCC. pondo argenti, in vestibulu Curiæ posuérunt.

Hominibus acceptis, & in carcerem conditis, auro argentoque reddito; gratiæ legatis, non sine munerum magnificentiâ, actæ.

LEGATI POENORVM ROMÆ.

Iam dimissus erat Lælius cum legatis MASANISSÆ; quùm Q. Fulvius Gillo, legatus SCIPIONIS, legatos Carthaginienseis de pace ad Senatum venienteis, Puteolis Romam adduxit.

Illis urbem ingredi vetitis, hospirium in villâ publicâ; Senatus, ad Ædem Bellonæ, datus est.

Oratione eâdem ferè, quâ apud SCIPIONEM, usi, culpam omnem belli â publico consilio in ANNIBALEM vertérunt.

„ *Illum, iniussu Senatus, privato consilio, bellum Saguntinis & Romanis intulisse.*

„ *Senatui populoq; Carthaginiensi, si quis vera afflimet, fedus ad eam diem inviolatum esse cum Romanis.*

„ *Nihil itaq; aliud sibi mandatum esse, uti peterent, quàm ut in eâ pace, quæ postremò cum Consule LVCTATIO facta esset, manére liceret.*

Verùm quùm de federibus interrogati, ne meminisse quidem se per ætatem (omnes enim fermé iuvenes erant) respondissent; conclamatum ex omni parte curiæ est; *Punicâ fraude electos, qui veterem pacem repeterent, cuius ipsi non meminissent.*

Quùm emotis Curiâ legatis, variarum inter Patres sententijs esset; & alij ad Consules, alij ad SCIPIONEM, totum pacis accipiendæ abnuendæve negotium reijcerent: Legati, qui speculatores verius venisse, & pacis studium simulare, arguebantur: re infectâ, ac propè sine responso, dimissi sunt.

SERVILII COS. TEMERARIA AMBITIO.

Cn. SERVILIVS Cos. haud dubius, quin pacatæ Italiæ penes se gloria esset; veluti pulsum ab se ANNIBALEM persequens, in Siciliam, inde in Africam transiturus, traiecit. Et quùm Senatus æquum censeret eum in Italiam reverti; & ipse prætoris, cui scribendi negotium datum erat, literas spreturus videretur; Dictator ad idipsum creatus P. SVLPITIVS GALBA, pro iure maioris imperij, Consulem in Italiam revocavit.

Reliquum anni cum M. SERVILIO Mag. equitum, circumeundis in Italiâ urbibus, quæ bello alienatæ fuerant, noscendisque singularum caussis; consumsit.

Per induciarum tempus, ex Sardiniâ, ab LENTVLO prætore, C. onerariæ naves cum commeatu, & XX. rostratarum præsidio, mari, & ab hostibus, & à tempestatibus tuto, in Africam transmisérunt.

NAVFRAGIVM ROMANÆ CLASSIS ad Ægimurum. Pœnorum perfidia.

Cn. OCTAVIO, qui CC. onerarijs, & XXX. longis navibus ex Siciliâ traijcere tentabat, non eadem fortuna fuit. In conspectu ferè Africæ, vi ventorum naves disiectæ. Et quùm ipse, ingenti remigum labore, Apollinis promontorium tenuisset; onerariæ pleræque in Ægimurum insulam, Carthagini proximam; aliæ ad Aquas calidas, adversùs urbem ipsam, delatæ.

Poterant Pœni, modico in naufragos beneficio, pacem honestis conditionibus redimere. Vicit perfidia. Omnia in conspectu Carthaginis erant. *Tantamne ex oculis manibusq; amitti prædam?* Permisso pæné Senatûs populique consilio consensum est, ut classe L. navium ASDRVBAL Ægimurum traijceret: indè per littora portusque dispersas, Romanas naveis colligeret. Desertæ

festæ fugâ nautarum, primùm ab Ægimuro; dein ab Aquis Calidis, onerariæ Carthaginem puppibus tractæ sunt.

Scipio eò indigniorem iniuriam ratus, ab ijs qui petiissent pacem & inducias, *spem pacis, & fidem induciarum violatam esse*; legatos Carthaginem misit.

Qui quùm multitudinis concursu propè violati essent, nec reditum tutiorem futurum cernerent; petiérunt à magistratibus, qui vim prohibuerant, ut naves mitterent, quæ se in tutum prosequerentur.

Datæ triremes. ex ijs duæ, quùm ad flumen Bagrada pervenissent, undè castra Romana conspiciebantur, Carthaginem rediére. Et tres, ex classe Punicâ, quæ ad Vticam stabat, quadriremes, quinqueremem Romanam, quæ iam-tum Promontorium superabat, ex alto repentè adgressę sunt. Sed legati, cum vectoribus, post aliquantum certamen & cædem, navi in littus impactâ & desertâ, incolumes evaſérunt.

Ità alio super aliud scelere, quùm haud dubiè induciæ ruptæ essent; Lælius Fulviusque, ab Româ, cum Legatis Carthaginiensibus supervenérunt.

Scipio, etsi non induciarum modò fides, sed etiam ius gentium in Legatis suis violatum esset; tamen se nihil, nec institutis pop. Romani, nec suis moribus, indignum in ijs facturum esse quùm dixisset; *Vobis*, inquiens, *insontibus, civium vestrorum scelera fraudi non erunt*. Inducias ipsas ad ultimum usque diem inviolatas servabo. In tempore, *Dijs adiutoribus*, faciam, *ut Pœnis sua perfidia exitio* sit.

Ità dimissis legatis, bellum parabat. Et Annibal, classe ad Leptim minorem adpulsâ, copias ibidem exposuit.

BELLVM PRVSIÆ CVM CIANIS.

Sub idem fermè tempus, Prvsias Bithyniæ rex, Philippi Macedonis gener, Cianis, in ipsâ Bithyniâ sitis, infensus, bellum infert, fœ- cero adiuvante.

Cianus, urbs luxu diffluens, & ex aliorum damnis sua commoda comparare solita; ultimo quidem exitio erat dignissima. sed nec Philippvs, nec Prvsias digni erant, qui Græcam urbem bello iniusto perditum irent.

Ad Philippvm accedunt multarum Græciæ civitatum legati, supplicantes; *Ne, qui Græcorum Patronus audiat; Græcam urbem exscindat*.

Sed potior fuit apud Prvsiam ultionis; apud Philippum prædæ, cupiditas. Et hic iniuriæ contumeliam addidit. Legatos inanibus promissis lactans, ac diem ex die ducens, tamdiu apud se detinuit; quoad urbem expugnaret: Et ipsi rei tristissimæ spectatores essent. Quâ re Græcos dum territare cogitat; plurimum irritavit, maximè Rhodios & Ætolos.

Tum quasi vulnere vulnus curaturus, in reditu, Lysimachiam, in Thraciâ Chersoneso sitam urbem, Ætolorum societate subnixam, eiecto ipsorum prætore, occupavit: præsidioque tenuit, specie subsidij ipsis, adversùs Thracum incursiones, præstandi. quam tamen aliquanto post, alijs curis implicitus, passus est à Thracibus capi, diripi, subverti.

QVERELÆ GRÆCORVM DE PHILIPPO.

Cæterum, quùm legati sociarum urbium ex Greciâ questum venissent Romam; vastatos agros ab regijs præsidijs; missosque in Macedoniam legatos ad res repetendas, nequaquam admissos ad Philippum regem. simul nuntiassent, iv. Millia mili. cum Sopatro duce, in Africam transduci, ut essent Carthaginiensibus præsidio; & pecuniæ aliquantum unà missum.

LEGATIO ROMM. AD PHILIPPVM.

Legatos ad regem, qui hæc ad versùs fœdus facta videri Patribus, nuntiarent; mittendos censuit Senatus. ijsque tres quinqueremes datæ.

3752. 21. Ani. Mag. 2. Ptol. Epiph. — *Indictis, (à Cn. SERVILIO ne Cos. an à P. SVLPITIO, quem ille absens in Etruriâ, & quæstiones de coniurationis Principibus habens, Dictatorem dixerit; incertum) Comitijs, M. SERVILIVS PVLEX, (al. Geminus) qui tum Mag. equitum erat: & Tiber. CLAVDIVS NERO, Consules facti, Italiam atque Africam, provincias, in sortem coniecere; sed Africam ambo cupientes, volebant.* — 198.

Cæterùm populo à Tribb. plebis rogato, quem vellet in Africâ bellum gerere; omnes Tribus P. Scipionem iussérunt.

Consules nihilominus, Senatu ità decernente, Africam sunt sortiti: eaque Tib. Clavdio evenit: ut l. navium classem, omnes quinqueremes, in Africam traijceret; parique imperio cum Scipione imperator esset.

At M. Servilivs Etruriam sortitus est. quem si remorari ad urbem Senatui placuisset, Cn. Servilio prorogatum in eâdem provinciâ imperium est.

XVI. nō amplius legionibus eo anno rem Rom. imperij defendi placuit, quū rebus in Italiâ atq; Hispaniâ pacatis, totius belli moles in Africâ verteret.

Iam Adrymetum pervenerat Annibal, undè post aliquantam militi, ex maritimâ iactatione reficiendo, datam quietem, excitus pavidis nuntijs, omnia circâ Carthaginem obtineri armis, adferentium; magnis itineribus Zamam contendit; quæ quinque dierum iter ab Carthagine abest.

Speculatores indè præmissi, & ab Romanis custodibus excepti, deductiq́; ad Scipionem; & omissi metu circumire per castra, & visere omnia permissi; datis

datis qui prosequerentur, retrò ad ANNIBALEM redierunt.

Et simul MASANISSA, eo ipso fortè die, cum VI. pedit. & IV. equit. Millib. in castra venerat.

His auditis, & maximè Imperatoris Rom. fiduciâ, perculsus ANNIBAL (quamquam & ipse eius belli caussa erat; & adventu suo turbaverat pactas inducias,& spem federum) tamen si integer,quàm si victus peteret, pacem æquiorem imperari posse ratus; nuntium (suáne sponte, an publico consilio, incertum!) ad SCIPIONEM misit, ut colloquendi secum potestatem faceret.

(Sunt qui tradant, primo prœlio victum eum à SCIPIONE, quo XII. armatorum Millia in acie cæsa, & M.DCC. capti sint; legatum suum, cum alijs X. in castra Scipionis misisse.)

COLLOQVIVM SCIPIONIS ET ANNIBALIS.

Quùm SCIPIO colloquium non abnueret; medio quodam inter utraque castra loco,& summotis pari spario armatis, cum singulis interpretibus congressi sunt, maximi omni memoriâ Imperatores: & diu mutuâ admiratione defixi stetère.

Quùm verò ANNIBAL pauciora, quàm Pœni priore anno fecissent, ad pacem stabiliendam offerret; & SCIPIO ad ea, in quæ tum pax conventura videbatur; multam etiam, & navium cum commeatu per inducias expugnatarum, & legatorum violatorum, adijci vellet; neque convenirent; ad arma ventum.

PVGNA FATALIS INTER VTRVMQVE.

Et utrimque in castris pronuntiatum; *Milites arma animosq; expedirent ad supremum certamen: non in unum diem, sed in perpetuum, si felicitas adesset;* victores. *Par periculum præmio, quibus adversæ pugnæ fortuna fuisset.*

ANNIBAL neque in ordinandâ acie, neque in prœlio quidquam omisisse iudicatus est, quod ad summi ducis officium pertineret.

Sed elephantorum LXXX. quibus vel maximè cōfidebat, præter omnium opinionem, is fuit pavor; ut vix conspectum ac clamorem Romanorum sustinere ausi, suis, quàm hosti, fugâ incompositâ & præcipiti, plus damni intulerint.

Auxiliares Carthaginiensium, cum & ipsi Romani peditis impressionem non ferrent; cedere aut fugere coacti.

Qui à tergo stabant, Carthaginiensium alij per ignaviam, ne adiuvérunt quidem: alij ferociùs fugam ferro inhibentes, priùs in suos, quàm in hostes, sævièrunt.

Ipse dux nihilominus, confessione etiam SCIPIONIS, aliorumque militiæ peritorum,illam laudem adeptus; singulari arte aciem eo die instruxisse.

Elephantos in prima fronte. quorum fortuitus impetus, atque intolerabilis vis, signa sequi & servare ordines, (in quo plurimum spei ponebant) Romanos prohiberet.

Deinde auxiliareis, antè Carthaginiensium aciem; simul ne homines misti ex colluvione omniū gentium, quos non fides teneret, sed merces; liberum receptum fugæ haberent. simul primum ardorem atque impetum hostium excipientes fatigarent; ac si nihil aliud, armis & vulneribus suis ferrum hostile hebetarent:

Tum, ubi omnis spes esset, milites Carthaginienseis Afrosque; ut omnibus rebus alijs pares,eo quod integri cum fessis ac saucijs pugnaturi essent; superiores evaderent.

Italicos intervallo quoque diremtos, incertos,socij an hostes essent,in postremam aciē summoverat.

VINCIT SCIPIO.

Carthaginiensium sociorumque, eo die, cæsa supra XX. Millia. Par ferme numerus captivorum, cū signis militarib. CXXXIII. & XI. elephantis. Victores ad II. Millia ex suis desiderárunt.

ANNIBAL cum paucis equitibus, inter tumultum, elapsus, Adrumetum perfugit. Indè quùm accitus Carthaginem, VI. & XXX. pòst anno, quàm puer indè profectus erat, rediisset; fassus in Curia est: *Non prœlio modo se, sed bello victum.* hoc tantùm fortiter pugnando fecisse; *ut quam cruentissima Romanis victoria foret. Nullam salutis spem alibi, quam in pace impetranda esse.*

SCIPIO confestim à prœlio expugnatis hostium castris direptisque, cum ingenti prædâ ad mare ac naveis redijt. nuntio ad ... P. LENTVLVM cum L. rostratis, C. onerarijs, omni genere commeatûs,ad Vticam accessisse.

Admovendum igitur undique terrorem perculsę Carthagini ratus; misso LÆLIO Romam cum victoriæ nuntio, Cn OCTAVIVM terrestri itinere ducere legiones Carthaginem iubet. Ipse ad suam veterem, novâ LENTVLI classe adiunctâ, profectus ab Vticâ, Portum Carthaginis petit.

LEGATIO SVPPLICVM CARTHAGINIENSIVM.

Haud procul aberat; quùm velata infulis, ramisque oleæ,Carthaginiensium occurrit navis. Decem Legati erant, Principes civitatis, auctore ANNIBALE missi ad petendam pacem.

Qui quùm ad puppim prætoriæ navis accessissent, & porrectis supplicum velamentis fidem misericordiamque SCIPIONIS implorarent; nullum ijs aliud responsum datum; quàm ut Tunetem venirent. eò se moturum castra.

Ipse, ab contemplato situ Carthaginis, non tàm noscendi in præsentiâ, quàm terrendi hostis caussâ; Vticam, revocato eódem OCTAVIO, redijt.

VERMINA SYPHACIS F. AVXILIO venit Pœnis, & profligatur.

Hinc ad Tunetem procedenti, nuntiatur; VERMINAM, Syphacis Filium, cum equitibus pluribus, quam peditibus, venire Carthaginiensibus auxilio.

Pars

Pars exercitûs cum omni equitatu missa; & turmatim primum agmen adgressa, Numidas levi certamine fudit. Exitu quoque fugæ intercluso, à parte omni circumdatis equitibus, xv. hominum millia cæsa. MCC. vivi capti, cum equis Numidicis mille quingentis; & signis militaribus LXXII. VERMINA, cum paucis, fugâ evasit.

NOVA A POENIS LEGATIO.

Tum SCIPIO ad Tunetem eodem, quo anteà loco, castra posuit; legatique xxx. ab Carthagine ad eum venére. In concilio, quamquam iusta ira omneis ad delendam stimulabat Carthaginem; tamen quùm & quanta res esset, & quàm longi temporis, obsidio munitæ adeò & validæ urbis,(qui ne Vticam quidem adhuc capere potuissent) secum reputarent. & ipsum SCIPIONEM, exspectatio successoris (TIB. CLAVDII.) venturi ad paratam alterius labore ac periculo,finiri belli famam, sollicitum haberet; ad pacem omnium animi versi sunt.

Postero die revocatis legatis, & cum multâ castigatione perfidiæ monitis, ut tot cladibus edocti, tandem Deos & iusiurandum esse crederent; conditiones pacis dictæ.

PAX CVM IISDEM.

„ *Vt liberi suis legibus viverent.*

„ *Quas urbeis, quosq̃, agros, quibusq̃, finibus ante bellum tenuissent, tenerent: populandiq̃, eo die finem Romanus faceret.*

„ *Perfugas fugitivosq̃, & captivos omneis, & naveis rostratas, præter decem triremeis, traderent; cum elephantis, quos domitos haberent: neque domarent alios.*

„ *Bellum néve in Africâ, néve extra Africam, iniussu populi Rom. gererent.*

MASANISSÆ res redderent, fedusq̃, cum eo facerent.

Frumentum stipendiumq̃, auxiliis, donec ab Româ legati rediissent, præstarent.

„ *Decem M. talentûm argenti, descripta pensionibus aquis, in annos L. solverent.*

„ *Obsides C. arbitratu SCIPIONIS darent; ne minores XIV. nec XXX. annis maiores.*

Inducias ita se daturum, si naves onerariæ, per priores inducias captæ; quæque fuissent in navibus, restituerentur. Alter neque induciarum, nec spem pacis ullam esse.

ANNIBAL, iis conditionibus per legatos in concione editis, GISGONEM, qui ad dissuadendam pacem processerat, arreptum manu suâ, ex superiore loco detraxit. & excusatâ ad populum frementem militaris facti imprudentiâ, de pace multis verbis disseruit, quàm nec iniqua, & necessaria esset.

(Auctores tamen sunt, qui ANNIBALEM ex acie ad mare pervenisse; inde præparatâ nave ad regem Syriæ ANTIOCHVM extemplò profectum tradant. postulantique ante omnia SCIPIONI, ut ANNIBAL sibi traderetur; responsum esse, ANNIBALEM in Africâ non esse.)

Quoniam verò ex navibus per inducias captis, quæ cum bonis mercibusque repetebantur, nihil præter ipsas comparebat naveis; neque facilis erat inquisitio; Placuerat, *naveis reddi, & homines usque inquiri: cætera, quæ abessent, æstimanda SCIPIONI permitti; atque ita pecuniâ luere Carthaginienses.*

Posteaquã igitur rediérunt ad SCIPIONEM legati, quæ publica in navibus fuerant,& publicis descripta rationibus, Quæstores; quæ privata, profiteri domini iussi; pro eâ summâ pecuniæ, xxv. millia pondo argenti in præsentiâ exacta. Induciæque Carthaginiensibus datæ in treis menseis.

Additum; *ne per induciarum tempus aliò usquam legatos, quàm Romam, mitterent.*

Et quicumque legati Carthaginem venissent, ne antè dimitterent eos, quàm Romanum Imperatorem, qui, & quæ petentes, venissent, certiorem facerent.

Cum legatis Carthaginensium Romam missi L. VETVRIVS PHILO, & M. MARTIVS RALLA, & L. SCIPIO, Imperatoris frater.

IRRITVS CLAVDII CONSVLIS CONATVS.

Romę, ad primum nuntium rebellionis Carthaginiensium, iussus erat T. CLAVDIVS Cos. maturè in Siciliam classem ducere, atque inde in Africam traiicere. Is segniùs id negotii gesserat; quod patres, de pace, SCIPIONIS potiùs arbitrium esse, quibus legibus daretur, quàm Consulis censuerant.

Consulem ab urbe profectum atrox vis tempestatis in portubus Italiæ proximis, & in Sardöo mari adflixit: & classem eius disiecit, ut vix Caraleis tenuerit. Ibi eum, dum subductæ reficiuntur naves, hyems oppressit: & circumacto anni tempore, neque prorogato imperio, privatus classem Romam reduxit.

Alter Cos. M. SERVILIVS, ne comitiorum caussâ ad urbem revocaretur; Dictatore dicto CN. SERVILIO, in provinciam profectus est. Et Dictator, Magistrum equitum P. ÆLIVM PÆTVM dixit.

Sæpè comitia indicta perfici tempestates prohibuérunt. Itaque quùm præter Id. Martias veteres magistratus abiissent, novi suffecti non essent; Resp. sine curulibus magistratibus erat.

Postquàm legati ex Africâ, Romani simul Carthaginiensesque, Romã venissent, & VETVRIVS PHILO, rerum in Africâ gestarum commemoratione, tum patres, tum populum ingenti lętitiâ perfudisset; & patefactis gratulationi Templis in urbe omnibus supplicationes in triduum decretæ essent; legatis Carthaginiensium, & PHILIPPI Macedonis, qui eôdem venerant, petentibus, ut Senatus sibi daretur responsum iussu patrum, à Dictatore est; *Consules novos eis Senatum daturos esse.*

3753. 22. Ant. M. 3. Pt. Epip. | | 197.

Comitijs itaque à Dictatore habitis, creati sunt Coss. CN. CORNELIUS LENTULUS, & P. ÆLIUS PÆTUS, tum Mag. equit.

De provincijs Consulum nihil antè placebat agi, quàm legati Macedones & Carthaginienses auditi essent. *Belli finem alterius, principium alterius, iam-tum animus prospiciebant.*

DECRETUM SENATUS DE COMPARANDIS PROVINCIIS.

Et quùm CN. LENTULUS Cos. flagrans cupiditate Provinciæ Africæ, negaret priùs quidquam agi passurum, quàm sibi ea provincia decreta esset: Et concedente Collegâ, viro moderato & prudenti, ea res Senatui permissa esset; patres iurati censuérunt; *Vti consules provincias inter se compararent, sortirenturve; uter Italiam, uter classem navium L. haberet.*

Cui classis obvenisset; in Siciliam navigaret. Et si pax cum Carthaginiensibus componi nequisset, in Africam traijceret. Consul mari; SCIPIO eodem, quo adhuc, iure imperij terrâ rem gereret.

Si pacis conditiones convenirent; & Tribb. plebis, rogato populo, pacem per SCIPIONEM dari, atque ab eodem exercitum deportari, iussissent; ne Cos. ex Siciliâ in Africam traijceret.

Et simul P. SCIPIONI, cum exercitibus, quos haberet, in Provincia Africâ prorogatum imperium. XIV legionibus, eo anno; C. navibus longis, remp. administrari placuit.

LEGATI PHILIPPI MACEDONIS.

Legati Macedonum in Senatum introducti, partim purgabant, quæ missi ad regem ab Româ legati questi erant de populatione sociorum: partim ultrò accusabant quidem, & socios populi Romani, sed multò infestiùs M. AURELIUM; qui unus ex tribus legatis, delectu habito, substitisset; seque bello contra fedus lacessisset; & cum præfectis suis apertè pugnâsset.

Partim postulabant, ut Macedones, duxque eorum SOPATER, qui apud ANNIBALEM mercede militâssent, captique in vinculis essent; sibi restituerentur.

Adversus ea responsum: AURELIUM, ex legatis unum, relictum, ne socij populi Romani fessi populationibus atque iniuriâ, ad regem deficerent. finibus sociorum non excessisse; sed dedisse operam, ne impunè in agros eorum transcendere populatores.

SOPATRUM ex purpuratis & propinquis regis esse. eum cum IV. millib. Macedonum, & pecuniâ, missum nuper in Africam esse, ANNIBALI Carthaginiensibusque auxilio. in hostium itaque castris, aut acie captum, cum suis, meritò in vinculis haberi.

Ad hæc Macedonibus perplexè respondentibus, additum; Regem, qui dupliciter fedus violârit, bellum ultrò & insuper quærere; & si pergat, propediem inventurum.

LEGATI CARTHAGINIENSIUM.

Carthaginiensium legatorum princeps erat ASDRUBAL, cognomine Hoedus, pacis semper auctor, & factioni Barchinæ adversus: qui belli culpam in paucorum cupiditatem à rep. transferebat.

Variè tamen oratione usus, nunc purgando crimina, nunc quædam fatendo: nunc monendo etiam patres; *ut rebus secundis moderatè uterentur,*

Rarò simul hominibus bonam fortunam, bonamq́, mentem dari: quod in suis Pœnis expertus esset. *Populum Romanum eò invictum esse, quòd in secundis rebus sapere & consulere usque meminerit. Plus penè parcendo victis, quàm vincendo imperium auxisse.* Cęterorum miserabilior fuit oratio; commemorantium; *ex quantis opibus quò recidissent Carthaginiensium res.*

Hic quodam ex Senatoribus, qui perfidiæ Punicæ infestior esset, succlamante: *Per quos Deos fœdus icturi essent, quùm eos, per quos antè ictum esset, fefellissent*

Per eosdem, inquit, ASDRUBAL, *qui tam infesti sunt federa violantibus.*

Et quùm inclinatis omnium ad pacem animis, CN. LENTULUS Consul, cui classis provincia erat, Senatûs consulto intercederet; Rogatæ per Tribb. plebis Tribus, iussérunt pacem dare P. SCIPIONEM, & eumdem exercitus deportare.

Eâque ex rogatione Senatus decrevit; ut P. SCIPIO, ex X. legatorum sententiâ, pacem cum populo Carthaginiensi, quibus ei videretur legibus, & præsentibus fecialibus, ritè faceret.

Quumque legati gratias patribus egissent: & potestate sibi introeundi in urbem factâ, peterent insuper, ut ex ijs civibus, qui capti in publicâ custodiâ essent, sibi quos vellent redimendi copia fieret; & ducentorum fermè nomina ederent: S. C. factum est, ut *legati Romani* CC. *ex captivis*, quos Carthaginienses vellent, *ad P. CORN. SCIPIONEM* in Africam *deportarent:* nuntiarentque ei, ut *si pax convenisset, sine pretio eos Carthaginiensibus redderet.*

PAX DATA CARTHAGINIENSIBUS.

Ita dimissi ab Româ Carthaginienses, quùm in Africam ad SCIPIONEM venissent; quibus antè dictum est, legibus, pacem fecérunt.

Naves longas, elephantos, perfugas & fugitivos, IV. captivorum mill. tradidérunt.

Naves provectas in altum, (ex D. omnis generis, quæ remis agerentur, fuisse feruntur) incendi iussit.

Quarum conspectum repentè incendium, tam lugubre

lugubre fuerit Pœnis, quàm si ipsa Carthago arderet.

De perfugis graviùs, quàm de fugitivis consultum. Nominis Latini qui erant, securi percussi: Romani, in crucem sublati.

Annis antè XL. pax cum Carthaginiensibus, postremò facta erat, Q. LVTATIO & A. MANLIO Coss. bellum hoc initum annis pòst tribus & viginti, P. CORNELIO, & T. SEMPRONIO Coss. Finitum octavo-decimo (sive septimo decimo, veriùs) CN. CORNELIO, P. ÆLIO PÆTO Coss.

GLORIOSVS SCIPIONIS REDITVS, ET TRIVMPHVS.

SCIPIO, concione in castra advocatâ, MASANISSAM, ad regnum paternum, Cirthâ opido, & cæteris urbibus agrisque, quæ ex regno SYPHACIS in pop. Rom. potestatem venissent, adiectis; donavit.

Ipse, pace, terrâ, marique partâ, exercitu in naveis imposito, Lilybæum, in Siciliâ, traiecit.

Inde per lætam pace victoriâque Italiam, non sine effusis passim honoribus, Romam pervenit; triumphoque omnium clarissimo urbem est invectus.

Intulit in ærarium argenti pondo c. mill. XXXII. militibus, ex prædâ, quadringenos, æris 4. cor.) divisit.

MORS SYPHACIS.

SYPHAX, morte subtractus est spectaculo magis hominum, quàm triumphantis gloriæ; Tibure haud ita multo-antè mortuus, quo ab Albâ traductus fuerat. publico nihilo minus funere elatus est. (Polyb. auctor est, regem eum in triumpho ductum) Q. TERENTIVS CVLLEO, Senator, qui inter captivos erat, quos Pœni reddiderunt; triumphantem SCIPIONEM, pileo capiti imposito, secutus est: omnique deinde vitâ libertatis auctorem coluit.

Primus hic Imperator nomine victæ ab se gentis (an militari favore, aut populi aurâ; an ab adsentatione familiari! incertum) nobilitatus est. (Zonaras auctor est, Libyæ partem illam, in qua Carthago, iam-tum Africam præcipuè, aut propriè, dici cœptam; unde Africani cognomen.)

Addunt alij; VERMINAM SYPHACIS F. quùm pacem peteret, magnâ sui regni parte multatum; eamque MASANISSÆ datam. *Fuerunt autem III. & XL. anni à primo Punico, ad secundum usque bellum finitum.*

BELLVM MACEDONICVM I.

Pacem Punicam, bellum Macedonicum excepit: periculo haudquaquam comparandum, aut virtute ducis, aut militum robore; sed claritate regum antiquorum, vetustaque famâ gentis, & magnitudine imperij, propè nobilius. Itaque nomine ampliùs, quàm exspectatione gentis fuit.

Cœptum quidem adversus PHILIPPVM X. fermè antè annis, triennio prius depositum erat, quùm Ætoli & belli & pacis fuissent caussæ.

Vacuos deinde pace Punicâ Romanos, & infensos PHILIPPO; cùm ob infidam adversus Ætolos, aliosque regionis eiusdem socios pacem; tum ob auxilia, cum pecuniâ, nuper in Africam ANNIBALI Pœnisque missa; preces Atheniensium, quos agro pervastato in urbem ille compulerat, excitaverunt ad renovandum bellum.

Et sub idem ferè tempus ab ATTALO & Rhodijs legati venérunt, qui nuntiarent Asiæ quoque civitates solicitari à rege.

LEGATIO AD PTOLEMÆVM.

Missi interim ad PTOLEMÆVM, Ægypti regem, legati tres; qui & victum ANNIBALEM nuntiarent; & gratias regi agerent, quòd dubijs rebus in fide mansisset. & peterent; ut si coacti iniurijs bellum adversus PHILIPPVM suscepissent, pristinum animum erga pop. Romanum conservaret.

BELLVM CVM BOIJS, ET CLADES ACCEPTA.

P. ÆLIVS Consul, adversus Boios, in agros sociorum incursanteis, C. OPPIVM, sociûm præfectûm, cum tumultuariâ duarum legionum, & aliquot cohortium manu, per Vmbriam, in ipsorum Boiorum agrum invadere iusserat; dum ipse aperto itinere, per medios monteis, duceret.

OPPIVS ad demetenda frumenta, haud satis circà explorato profectus; improviso impetu Gallorum, cum frumentatoribus, est circumventus. Ad VII. M. hominum, per segetes palantia; sunt cæsa: inter quos & ipse Oppius præfectus. cæteri in castra metu compulsi; & inde, relictâ magnâ rerum suarum parte, ad Consulem ægrè pervenére.

Ipse agris Boiorum populatis; & fœdere cum Ingaunis Liguribus icto; Romam redijt.

M. VALERIVS LÆVINVS, Pro prætore, cum imperio à Consule missus, circa Vibonem XXXIX. navibus, ab CN. OCTAVIO ex Siciliâ acceptis, in Macedoniam transmitit.

Sed M. AVRELIVS legatus, maiore conatu id bellum Romanis capessendum esse, ad Consules Senatumque perscripsit. ne cunctantibus ijs, PHILIPPVS auderet, quod PYRRHVS priùs ausus, ex aliquantò minore regno, esset.

AGRI MILITIBVS ADSIGNATI.

Exitus huius anni, quùm de agris veterum militum relatum esset, qui ductu atque auspicio P. Scipionis in Africâ bellum perfecissent; decretum est; ut M. Ivnivs Prætor urbis, x. viros, agro Samniti Apuloque, quod eius publicum pop. Romani esset, metiendo dividendoque crearet.

QVERELÆ DE PHILIPPO.

Attalvs, cum Rhodijs, Athenas venerat; & multa in Philippvm, Prvsiæ Bithyni, quem pessimè oderat, socerum, debacchatus; ad bellum concitârat: & eumdem communem Græciæ hostem pronuntiârant.

Philippvs Heraclidem mittit, qui fineis Atheniensium agat, ferat: & ipse Maroneam primo impetu capit. hinc in proximam Chersonesum delatus, Eleuntem, Callipolim, & Madytos occupat. totam denique Chersonnesum subigit. Ita Græci bella temerè suscepta segniter gerentes, dum Macedonum iugum, non iam æneum, sed laneum acri quidem animo, sed molli brachio excussum eunt; novum & quidem ferreum, Romanorum iugum, arcessivêrunt, & cervicibus suis imposuêrunt.

3754. 23. Ant. M. 4. Pt. Epip. | 196.

Per eos dies P. Ælio Consule comitia habente, creati Coss. P. Svlpitivs Galba II. & C. Avrelivs Cotta.

Tum quoque opportunè irritandis ad bellum Macedonicum animis, & litterę à M. Avrelio legato adlatæ, & nova Atheniensium legatio venit; quæ regem appropinquare finibus suis nuntiaret; & mox etiam urbem in ditione eius futuram, nisi quid in Romanis auxilij foret.

Socijs gratiæ à Senatu actæ, quòd diu solicitati, ne obsidionis quidem metu, fide defecissent.

Consules provincias inter se sortiti sunt; & cum Avrelio Italia, tum P. Svlpitio Macedonia, obtigit. Atque is ex Sen. Consulto rogationem promulgavit: *Vellent iuberent, PHILIPPO regi, Macedonibusq́, qui sub regno eius essent, ob iniurias, armaq́ illata socijs pop. Romani, bellum indici.*

BELLVM PHILIPPO INDICITVR.

Hęc rogatio primis comitijs ab omnibus fermè centurijs antiquata est; cum præ tædio longinqui belli, laborum & periculorum; tum Q. Bæbii Trib. pleb. criminatione, qui patres incusabat bella ex bellis serere, ne pace umquam plebs frui posset.

Consul, iussu Senatûs, comitijs in Campo Martio habitis, priusquam centurias in suffragium denuò mitteret; gravi oratione belli Macedonici necessitatem exposuit. Et populus, metu impendentis Italiæ belli, uti rogârat Consul, & patres censuerant; bellum iussêrunt cum legionibus, in Macedoniam transportari.

Sex legionibus eo anno rem Rom. administrari placuit.

Et in ipso belli adparatu, legati ab rege Ptolemæo nuntiârunt, Athenienses adversus Philippvm petiîsse ab rege suo auxilium. Cæterùm, etsi communes socij sint; tamen nisi ex auctoritate pop. Rom. neque classem, neque exercitum, defendendi aut oppugnandi cuiusquam caussâ, regem in Græciam missurum. Vel quieturum eum in regno, si populo Rom. socios defendere liceat: vel Romanos, si malint, quiescere passurum; atque ipsum auxilia, quæ facilè adversus Philippvm tueri Athenas possint, missurum.

Gratiæ regi actæ; responsúmque: *Tutari socios populo Rom. in animo esse. siquâ re ad id bellum opus sit, indicaturos regi; regniq́, eius opes scire, subsidia firma ac fidelia suæ reip. esse.*

TVMVLTVS BELLI GALLICI.

Omnium animis in bellum Macedonicum versis, repentè Gallici tumultûs fama exorta est. Insubres, Cœnomani, & Boij, excitis Salyis, Ilvatibúsque, & cæteris Ligustinis populis, Amilcare Pœno duce (qui in ijs locis de Asdrvbalis exercitu substiterat; sive à Magone nuper in Liguriâ erat relictus ad sollicitandos Gallorum animos) Placentiam invaserant. & direptâ urbe atque incensâ, vix duobus millibus hominum inter incendia ruinasque relictis, traiecto Pado, ad Cremonam oppugnandum pergebant.

L. Fvrivs Purpureo, Prætor, tum provinciæ præerat, & cæteris ex S.C. dimissis, præter v. millia sociûm ac Latini nominis, cum ijs copijs in proximâ regione provinciæ, circa Ariminum, substiterat. Erant verò XL. hostium millia in armis.

P. Svlpitivs Cos. profectus ab urbe Brundisium venit; & veteribus militibus, voluntarijsque ex Africano exercitu in legiones descriptis; navibusque ex classe Consulis Cornelii lectis; alterâ die, quàm à Brundisio solvit, in Macedoniam traiecit.

Ibi ei prestò fuêre ab Athenis legati, orantes, ut se obsidione eximeret.

Non tamen ipse rex Athenas obsidebat; sed eo maximè tempore Abydum oppugnabat; iam cum Rhodijs & Attalo navalibus certaminibus, neutro feliciter prœlio, vireis expertus.

ANTIOCHVS M. PHILIPPO FEDERATVS, ÆGYPTVM INVADIT.

Sed animos ei faciebat, præter ferociam insitam, fedus ictum cum ANTIOCHO (Magno) Syriæ rege: diuisæque iam cum eo Ægypti opes; cui, morte audità PTOLEMÆI regis, (Philopatoris) ambo iamtum imminebant. (Vid. supr. an. ab O. C. 3422. inter oracula & Visa Danielis.)

ANTIOCHVS namque spretâ PTOLEMÆI EPIPHANIS ætate, quem PHILOPATOR quadrimum in spem quidem regni reliquerat; sed domesticis, inusitatâ potestate armatis, ceu prædam aut ludibrium obiecerat: Ægypto in suam ditionem redigendæ animum adiecit. & rupto fœdere in Phœnicen, & Syriacas Ægyptij iuris ciuitates, inuasit.

Initâque cum PHILIPPO Macedone pactione, urbeis, regno quisque suo opportunas, ex PTOLEMÆI ditione decerpere moliti sunt.

BELLVM PHILIPPI CVM ATHENIENSIBVS.

Bellum autem PHILIPPO, cum Atheniensibus, hinc ortum proditur. Acarnanes duo iuuenes ante biennium, per initiorum dies, non initiati, Templum Cereris, ignari religionis, cum cæterâ turbâ fuerant ingressi. proditi, & ad Templi antistites deducti, cùm palàm esset per errorem id factum; tamquam ob infandum scelus, interfecti sunt.

Gens Acarnanum factum tam sævum ac fœdum ad PHILIPPVM detulit; impetravitque ab eo, ut daris Macedonum auxilijs, bellum se inferre Atheniensibus pateretur.

Hic exercitus primò terram Atticam ferro ignique depopulatus, cum omnis generis prædâ in Acarnaniam, animis sic utrimque irritatis, rediit: postea iustum bellum, decretis ciuitatis ultrò indicendo factum.

ATTALVS enim rex, Rhodijque secuti cedentem in Macedoniam PHILIPPVM, quùm Æginam venissent; Rex Piræum renouandæ firmandæque cum Atheniensibus societatis caussâ, traiecit; diuinis propè honoribus à ciuibus exceptus; & tribu Attalide, ad x. veteres Tribus additâ, auctus.

Rhodijs ciuitas data, quemadmodum Rhodij priùs Atheniensibus dederant. Tum ingenti omnium consensu bellum adversus PHILIPPVM decretum.

ABYDVS A PHILIPPO OBSESSA, ET CAPTA. ABYDENORVM DESPERATIO & clades.

PHILIPPVS nihilo-minus, segniter rem gerentibus Rhodijs & ATTALO, vireis colligit. & iam totius Thraciæ Chersonesi potens, Abydenis, qui ne legatis quidem admissis, regi portas clauserant, acriter oppugnat. Eripi ex obsidione poterant; ni Rhodij Attalusque cessâssent. Hic ccc. tantùm milites in præsidium; illi ex classe, quæ ad Tenedum stabat, quadriremem unam submisere: & spem modò auxilij è propinquo ostendere.

Abydeni interea terrâ marique gnaviter se tutabantur; donec & pars muri strata ruinis; & ad interiorem, raptim oppositum, murum; cuniculis hostis iam peruenisset.

Tum legatis ad regem de conditionibus tradendæ urbis, missis, paciscebantur; ut Rhodiam quadriremem cum socijs nauálibus, Attalique præsidium emitti liceret; atque ipsis, urbe excedere cum singulis vestimentis.

Quibus quùm Philippus nihil pacati, nisi omnia permittentibus, respondisset; tantam ea regis ferocia ab indignatione simul ac desperatione, iram accendit, ut ad Saguntinam rabiem versi; & Altapensium in Hispaniâ, ante sexennium, exemplum imitati; matronas in templa; pueros virginesque & infanteis in Gymnasium includi; aurum & argentum in forum deferri, vestem pretiosam in naveis, Rhodiam Cyzicenamque, quæ in portu erant, conijci; altaria cum victimis sacerdotibusque in medio poni iuberent.

Ibi delecti primùm, qui ubi cæsam aciem suorum, pro diruto muro pugnantem, vidissent; extemplò coniuges liberosque interficerent. Aurum, argentumque & vestem è nauibus in mare deijcerent. rectis publicis privatisque igneis inijcerent.

Et præeuntibus exsecrabile carmen sacerdotibus, se facinus perpetraturos iureiurando adacti; & militaris ætas iurare, neminem viuum, nisi victorem, acie excessurum.

Mox omnes adeò pertinaciter pugnavérunt, ut quùm nox prœlium diremtura esset; rex prior, territus rabie eorum, pugnâ abstiterit.

Atque ita tandem, quùm pauci, & confecti vulneribus ac lassitudine. prœlio superessent; principes, quibus atrocior pars facinoris delegata erat, luce primâ sacerdotes cum insulis ad urbem dedendam Philippo, emittunt.

Ille, M. ÆMYLIO, uno ex tribus legatis, qui Alexandriam missi ab Romà erant, pro Abydenis obsessis frustrà intercedente, & dimisso; licet aurum argentumque, quæ in foro erant coaceruata, acceperit; omnem tamen hominum prædam amisit.

Tanta enim quasi de integro multitudinem rabies, ex devotione & periurij horrore, invasit; ut omnes repentè ad eædem coniugum liberúmque discurrerent: seque ipsi per omnes leti vias interficerent. Et rex eo furore obstupefactus, suppresso militum impetu, triduum se ad moriendum Abydenis dare diceret.

Quo spatio plura facinora in se victi edidérunt, quam infesti edidissent victores; ut vix viuus quisquam in potestatem hostis venerit.

Quumque iam velut Sagunti excidium, Annibali; sic Philippo, Abydenorum clades, ad Romanum bellum animos fecisset; nuntij, in regnum redeunti, occurrérunt: Consulem P. SVLPITIVM in Epiro esse. & Apolloniam terrestreis copias; navaleis, Corcyram, in hiberna deduxisse. Vt *Sagunti, Pœnos; ita Abydi ruinæ, Macedonas oppressuræ erant.*

Legatis verò, qui in Africam missi erant questum de AMILCARE, Gallici exercitûs duce, responsum est à Carthaginiensibus: *Nihil ultra se præstare posse, quàm ut ex illo eum multarent, bonaq; eius publicarent*. perfugas & fugitivos, quos inquirendo vestigare potuerint, reddidisse. CC. M. modiûm tritici Romam; CC. ad exercitum in Macedoniam miserunt.

A MASANISSA, equites M. Numidæ accepti, quos ipse in naveis imponendos curavit; & cum CC. millibus modiûm tritici, totidemque hordei, in Macedoniam misit.

VERMINA, SYPHACIS F. ultrò ijsdem legatis obviam profectus, ut scriberent ipsi, quas vellent, pacis conditiones, permisit: Iussusque, ad eam confirmandam, mittere legatos Romam.

(Per idem tempus L. CORNELIVS LENTVLVS Proconf. ex Hispaniâ rediit; & ex S.C. ovans urbem est ingressus: magnamque pecuniæ vim in ærarium intulit, & militibus ex prædâ divisit.)

BELLVM GALLICVM CONTINVATVR. GALLORVM CÆDES.

Iamque exercitu consulari ab Arretio Ariminum, & V. mill. sociûm Latini nominis, ex Galliâ, in Hetruriam traductis; L. FVRIVS Præt. ab Arimino, adversus Gallos Cremonam tum obsidenteis, profectus, castra proximè hostem posuit. Galli ex agris revocati, & in aciem progressi, eo cursu in prœlium venérunt; ut vix Romano instruendi spatium daretur.

FVRIVS, licet numero impar, ordinibus tamen peritè & opportunè instructis, pugnam non detrectat.

Galli Romanos suâ multitudine circumvenire, & utrimque amplecti dum cogitant; eques Romanus cornua strenuè propulsat; & pedes mediam aciem, diductis cornibus extenuatam, perrumpit.

Atque ita quùm omni parte cæde ingenti sternerentur Galli; terga vertunt; fugâque effusâ repetunt castra. Eosque fugienteis persecutus eques, mox & legiones insecutæ, in castra impetum fecerunt. Minùs VI. mill. hominum inde effugérunt. cæsa & capta supra V. & XXX. mill. cum signis militar. LXX, & carpentis Gallicis. multâ prædâ onustis, plus du entis. AMILCAR dux Pœnus eo prœlio cecidit, & tres Imperatores nobiles Gallorum.

Placentini ad II. M. liberorum capitum, captivi, colonis redditi. Romanorum, sociorumque ad totidem millia, eâ pugnâ ceciderunt.

CHALCIS A ROMANIS INTERCIPITVR.

Ab classe, quæ Corcyræ à P. SVLPITIO subducta erat, C. CLAVDIVS CENTHO, cum triremibus Romanis, Athenas missus, & ad Piræeum adpulsus; despondentibus iam animos socijs, spem ingentem adtulerat.

Et ipse cum III. Rhodijs quadriremibus, & III. Atticis aphractis, ab hostili incursione maritimos agros facile tutabatur; quùm exsules quidam ab Chalcide Eubocæ, regiorum iniurijs pulsi, nuntiárunt opidanos, præsidiarijs militibus confisos, custodiam urbis negligere: & præsidiarios ipsos, quia nullus in propinquo hostium metus esset, passim vagari; & prædis intentos securiùs agere. Vrbem itaque sine ullo certamine occupari posse.

CLAVDIVS igitur primis tenebris, & tranquillo profectus, Chalciden, que delatus; scalis admotis, urbem incustoditam capit. Et quia eam, exiguo militum numero, tenere & custodire non poslet; maribus omnibus, qui militaris ætatis essent, occisis, direptam incendit: & prædâ omni in naveis impositâ, captivisque alijs è carcere regio emissis; in Piræum, unde profectus erat, rediit.

PHILIPPVS, qui tum Demetriade erat, quamquam serum auxilium perditis erat; ultionem acceptæ cladis petens, cum expeditis V. mill. pedit. & CCC. equitibus, cursu propè Chalcidem contendit. & deformi urbis semirutæ, ac fumantis, spectaculo efferatus, transgressusque ponte Euripum, per Boeotiam Athenas ducit. si fortè Atheniensibus incautis, & sibi pridem invisis, talionem possit rependere.

PHILIPPVS ATHENAS FRVSTRA OPPVGNAT.

Sed excitati ab hemerodromo, sive speculatore, Athenienses, unà cum auxiliarijs & mercenarijs militibus, ad portas undique & ad muros discurrunt: & ad Dipylon, acie intra portam instructâ, signa extulerunt.

PHILIPPVS, pugnâ frustrà tentatâ, quamquam hosteis in portam compulsos consecutus, magnam in angustijs trepidantium cædem edidisset; signo receptui dato, castra ad Cynosarges (Herculis Templum) posuit. Quod quidem ille, unà cum Lyceo, & quidquid sancti amœniique circa urbem erat, incendit: & non tecta solùm, sed sepulcra etiam, præ impotenti irâ, diruit.

Postero die, quùm præsidium ATTALI ab Æginâ; Romanique ab Pirœo in urbem intrâssent; Rex Eleusinem profectus, spe Templi castellique, quod Templo imminet, capiendi; omisso ob custodias ibi non neglectas, incepto, Megaram, ac protinus Corinthum ducit.

NABIS LACEDÆMONIORVM TYRANNVS.

Inde Argos venit ad concilium Achæorum, qui tum de bello consultabant, adversus NABIN, Lacedæmoniorum tyrannum. Qui translato à Philopoemene, ad Cycliadem, nequaquam illi parem ducem, præturæ imperio, & dilapsis Achæorum auxilijs, bellum redintegraverat; & non agris modò, sed & urbibus erat terribilis.

PHILIPPVS, omnem belli terrorê, ducto in ipsam Laconicam exercitu, ab Achæis socijsque, translaturum pollicetur. ita tamen, ut ipsi vicissim tantùm parent militum, quantùm ad Oréum, & Chalcidem.

dem, ac Corinthum tuenda, satis sit.

Non fefellit Achæos, id regem tam benignâ pollicitatione quærere, ut oclidem A. hæcorum iuventutē educeret ex Peloponneso, ad illigandam Romano bello gentem.

CYCLIADES itaque Achæorum Prætor, ut regis institutum pro tempore eluderet; subiecit: *Non licere legibus Achæorum alijs de rebus referre, quàm propter quas convocati essent.* ut decreto, de exercitu ex quâque civitatum parando adversus NABIM, facto, concilium fortiter ac liberè habitum dimisit.

PHILIPPVS verò, magnâ spe depulsus, Corinthum, atque in Atticam terram rediit. Et coniunctis cum PHILOCLE præfecto, qui ab Eleusinij castelli oppugnatione multis cum vulneribus recesserat, copijs; dum & idem ipse oppugnare tentat; naves Romanæ à Piræeo, intromissumque præsidium, absistere incepto coëgerunt.

SACRILEGA PHILIPPI CRVDELITAS.

A Piræo, & inde ab Athenis, ijsdem ferè defendentibus, repulsis, diviso cum PHILOCLE rursus exercitu, ad vastandos agros profectus, quùm priorem populationem, sepulcris circa urbem diruendis exercuisset; ne quid inviolatum relinqueret; templa etiam Deûm, quę Gręci pagatim sacrata, & eximiè ornata habebant, dirui atque incendi iussit.

ROMANI MACEDONIAM VASTANT.

Cos. SVPITIVS, qui eo tempore inter Apolloniam & Dyrrachium, ad Apsum flumen, castra habebat; L. APVSTIVM legatum cum parte copiarum ad depopulandos hostium fineis mittit. Ille extrema Macedoniæ populatus, & aliquot castellis primo impetu captis; ad Antipatriam, in faucibus angustis sitam urbem, venit & principibus ad deditionē frustrà sollicitatis, vi atque armis adortus expugnavit: puberibusque interfectis, & prædâ militibus concessâ, muros diruit atque urbem incendit.

Hic metus, ut Codrio, validum satis & munitum opidum se dederet, effecit. præsidio ibi derelicto, Ilion, haud inde procul, vi capitur.

Revertentem cum prædâ legatum, ATHENAGORAS, regius præfectus, in transitu fluminis à novissimo agmine adortus, postremos turbavit. sed signis properè in hosteis conversis, multos Romani ex ijs occidérunt; plureis cepére.

Hâc satis felici expeditione bello commisso, reguli ac principes, accolæ Macedonum, in castra Romana veniunt, PLEVRATVS SCARDILETI F. & AMINANDER Athamanum rex; & ex Dardanis, BATO, LONGARI, qui bellum suo nomine cum DEMETRIO, PHILIPPI patre, antè gesserat, Filius: & auxilia prolixè pollicentur.

Consul Dardanorum & PLEVRATI operâ, simul ac exercitum in Macedoniam induceret, usurum se respondit. AMINANDRO, Ætolos ad bellum concitandos attribuit.

ATTALVS legatis mandat, ut rex Æginæ, ubi hibernabat, classem Romanam opperiretur; & simul bello maritimo PHILIPPVM urguerent.

PHILIPPI BELLICVS ADPARATVS.

Nec PHILIPPVS segniùs in Macedoniâ adparabat bellum. Filium PERSEA, puerum admodum, additis ætatis rectoribus, cum parte copiarum ad obsidendas angustias, quæ ad Pelagoniam sunt, mittit.

Sciathum, ac Peparethum, haud ignobileis, in Insulis cognominibus, urbeis, ne classi hostium prædæ aut præmio essent; diruit.

CONCILIVM ÆTOLORVM, IN QVO VARIE PHILIPPVS, ET ROMANI disceptant.

Concilium Ætolorum statutâ die, quod Panætolium dicunt, erat proximè futurum. Eò præter PHILIPPVM, & Cos. Romanus, & Athenienses legatos misérunt.

Primi Macedones, cum quibus recentissimum fœdus erat, audîti: *Nullâ novâ re, nihil se novi habere, quod adferrent*, dixérunt. *Quibus enim de causis, experiâ inutili societate Romanâ, pacem cum PHILIPPO fecissent; compositam semel servare eos debere.*

Multa ibi in impotentem Romanorum dominationem, & perpetuam cum socijs levitatem, acerbè dicta. Hoc eodem loco, inquiebant, ijdem homines, de eiusdem PHILIPPI pace, triennio ante decrevistis. ijsdem improbantibus eam pacem Romanis, qui nunc pactam & compositam turbare volunt. *In quâ consultatione nihil fortuna mutavit; cur vos Ætoli, mutetis, nihil caussæ videmus.*

Secundum Macedonas, ipsis Romanis ita concedentibus, introducti Athenienses deploravérunt vastitatem populationemque miserabilem agrorum, templorum, & monimentorum.

Obsecrare itaque se Ætolos; ut, *sui miserti, Dijs immortalibus, quos Macedones inaudito scelere petissent, ducibus; deinde Romanis, qui secundùm Deos plurimùm possent, bellum susciperent.*

Tum Romanus legatus, criminibus, quæ Macedones Romano nomini intentárant, refutatis; & querelis Atheniensium in maius exaggeratis; quòd Ætoli, Romanis bello Punico occupatis, coactos metu, leges pacis à PHILIPPO, qui tum plus poterat, accepisse se quiritarent; *Nunc*, inquiebat, *quùm nos Deûm benignitate Punico perfecto bello, totis viribus in Macedoniam incumbamus; vobis, restituendi vos in amicitiam societatemq́, nostram, fortuna offertur; nisi perire cum PHILIPPO, quàm vincere cum Romanis, mavultis.*

His dictis, quùm inclinati omnium animi ad Romanos cæpissent; DAMOCRITVS, Ætolorum prætor, pervicit; ut quoniam *præcipitata rapim consilia neque revocari, neque in integrum, pœnitentiâ serâ atque inutili, restitui possint; deliberationis eius*, cuius ipse maturitatem exspectandam putaret, tempus ita iam nunc statueretur.

Prætor, sine fraude, cum de bello aut de pace agere velit, advocare concilium possit: & quod tum relatum decretumque fiet; ut perinde ius ratumque esset, ac si ex legibus in Panætolico, aut Pylaico concilio, factum esset.

Dimissis itaque suspensâ re legatis, egregiè consultum genti aiebat. *Vtrius namque partis melior fortuna belli esset, ad eius societatem inclinaturos.*

PHILIPPVS nihilo-minus impigrè terrâ marique bellum parabat; & navaleis copias Demetriadem in Thessaliâ contrahebat.

Consul per Dassaretiorum fineis exercitum ducebat; cui opida vicique partim voluntate, partim metu se tradebant.

Quumque ille ad Lycum stativa, propè flumen Bevum, posuisset; & PHILIPPVS consternata circà omnia cerneret; parū gnarus, quam partem petisset Cos. alam equitum ad explorandum misit. Consul, apud quem idem error esset, speculatores quoque emiserat.

Quumque hæ duæ alæ ex diverso in unum tandem iter convenissent; ubi primùm hostem videre, inter se concurrunt: & æquis viribus per aliquot horas depugnant; donec fatigatio ipsorum equorumque, incertâ victoriâ, dirimeret prælium.

PHILIPPVS revocato ex Pelagoniæ faucibus filio, præsidioque; ut ijs copijs suas augeret; PLEVRATO Dardanisque, Romano iam federatis, iter in Macedoniam patefecit. & ipse cum xx. pedit. millibus, & IV. equitum, ad hostem profectus, paullo-plus cc. passib. à castris Rom. tumulum, propinquum Athaco, fossâ ac vallo communivit. Castra Romeorumque universam speciem, & descripta suis quæque partibus, tum tendentium ordine, tum itinerum intervallis, ex edito admiratus.

INTER MACEDONES ET ROMANOS VELITATIONES, ET MOX IVSTA pugna.

Quùm utrique biduum suos intra vallum continuissent; tertio die Romanus omneis copias in aciem eduxit. Rex verò universi certaminis aleam tam celerem reformidans, DCC. expeditos pedites, cum totidem equitibus, ad lacessendum hostem emisit. qui post aliquantam, cum pari numero Romanis, dimicationem, suâ velocitate tuti, in castra refugérunt.

Et vix die uno intermisso, Romanus iterùm prœlio aperto victor; & tutus à fraude insidiarum, quas Rex occultans loco opportuno inter bina castra celtratis, locârat, in sua se recepit.

At posteaquam Consul ne aliquot quidem pòst diebus potestatem pugnandi dari, & ex tam propinquis stativis parum tutam esse frumentationem vidit; castra ad Octolophum movit.

Hic PHILIPPVS Romanos in vicino agro frumentanteis, signis, inter eos ita palanteis, & castra ipsorum, constitutis, intercipere molitus; ex copijs partem ad eos consectandos emisit, dato signo ne quem vivum relinquerent: cum alterâ parte ipse substitit, itineraque recursuris obnoxia insedit.

Iam passim cædes ac fuga erat; quùm Consul equites ferre opem laborantibus iussit; & ipse quadrato legionum agmine ad hostem ducit. Et sic quoque pluribus simul locis pugna cæpit, haud secunda Romanis. quòd equites per agros aberrantes, & diversis decepti clamoribus, in obvios hosteis inciderent: & plurimi in regiam stationem, quæ medium obsederat iter, confestim infertentur.

Quòd si hostes modum in insequendo habuissent; non in præsentis modò certaminis gloriam, sed in summam etiam belli haud parùm profectum foret.

Nunc aviditate cædis intemperantiùs insecuti, in prægressas cum Tribunis milit. cohorteis incidere. & eques Romanus, ut primò suorum signa vidit, convertit in effusum hostem equos.

Versaque momento temporis fortuna pugnæ est; terga dantibus, qui modò secuti erant. qui non ferro tantùm perière, sed in paludes quidam coniecti, profundo limo cum ipsis equis hausti sunt.

Nec rex à periculo abfuit, ex equo saucio præceps ad terram datus; nisi in alium subiectus equum, & circumvectus paludes, trepidè in castra evasisset.

cc. Macedonum equites eo prœlio cecidére; c. ferme capti. equi LXXX. spolijs simul armorum relatis, abducti.

PHILIPPVS minùs tutam moram in ijsdem stativis fore ratus, quùm abire inde & fallere abiens hostem vellet; caduceatore sub occasum solis ad Consulem misso, qui inducias ad sepeliendos equites peteret; frustratus hostem, secundâ vigiliâ, multis ignibus per tota castra relictis, silenti agmine decessit.

Cos. primâ luce, caduceatore datis inducijs dimisso, quùm haud ita multo-pòst abijsse hostem sensisset; Stuberam petit: atque ex Pelagoniâ frumentum, quod in agris erat, convexit. Inde ad Pellinam est profectus; quùm PHILIPPVS ad Bruanam stativa haberet.

Quumque Romani ad Osphagum flumen castra posuissent; rex haud procul inde & ipse, vallo super ripam amnis (Erigonum incolæ vocant) ducto, consedit.

Inde satis comperto Heordæam petituros Romanos, ad occupandas angustias præcessit: & viam suâpte naturâ difficilem, obiectis per omneis transitus operibus, inexpugnabilem fecit.

Romani, partim testudine factâ, per adversos vadunt hosteis; partim brevi circuitu quùm in iugum collis evasissent, trepidos ex præsidijs stationibusque Macedonas deturbant, & plerosque obtruncant.

Ita in Heordæam perventum. Vbi pervastatis passim agris, Cos. in Elimæam se recepit. Inde impetum in Orestidem fecit: & opidum Celetrum, in peninsulâ situm, & lacu cinctum, metu in deditionem redegit.

Inde in Dassaretios processit, urbemque Pelium vi cepit: urbem opportunè sitam ad impetus in Macedoniam faciendos. Servitia inde cum cæterâ prædâ abduxit; & libera capita sine pretio dimisit, opidumque ijs, sed imposito præsidio, reddidit.

Ita peragratis hostium agris, in loca pacata ad Apolloniam, unde orsus bellum erat, copias reduxit.

PHILIP-

PHILIPPVM averterant Ætoli, & Athamanes & Dardani; & tot bella repentè alia ex alijs locis exorta.

ÆTOLI ROMANIS CONIVNCTI PHILIPPVM INFESTANT, ET CÆDVNTVR.

Ætolos DAMOCRITVS Prætor, post famam equestris ad Octolophum pugnæ, & Dardanorum PLEVRATIQVE cum Illyrijs in Macedoniam transitum, classisque Romanæ ad Oreum adventum; ad arma conciverat, & Romanis denuò restituerat.

Et AMINANDRO, rege Athamanum, adiuncto, profecti, Cercinium obsedére; pancosque intra dies cepére atque incendére. Hinc liberi servique, qui è magnâ clade superfuerant, cum prædâ abducti. Quo metu omnes, qui Boeben circumcolunt paludem, relictis urbibus, monteis petiérunt. Inde Ætoli in Perrhæbiam pergunt: Cyretias ibi vi capiunt, fœdéque diripiunt. Qui Mallæam incolebant, voluntate in deditionem societatemque accepti.

Quùmque ex Perrhæbiâ Gomphos petendi AMINANDER auctor esset, quod ei urbi Athamania immineret; Ætoli campos Thessaliæ opimos ad prædam maluére.

Hic dum incompositè palantur, & castra sine discrimine, aut curâ muniendi ponerent; PHILIPPVS inopinantibus advénit: quùm sub meridianum tempus plerique graves cibo, potuque sopiti iacerent. Excitati & raptim educti, vix pe. equites peditesque, incidunt in regium equitatum, numero animisque præstantem, primo impetu fusi, turpi fugâ repetunt castra.

Rex ubi agmen peditum tardiùs, propter gravitatem armorum, ductum advénit, & cibum raptim cepit; ad castra Ætolorum, quò sparsa antè per agros multitudo confluxerat, propiùs signa admoveri iussit; & ad vallum paratos instructosque succedere.

Tum Ætoli, relictis repentè stationibus, per aversam castrorum partem, ad tumulum, quem præsagus mali AMINANDER cum suis Athamanibus ceperat, & castra leviter munierat, persugérunt, multis in fugâ captis aut cæsis.

Rex die illo per prœlium, deinde per direptionem castrorum absumto; sub tumulo, in proximâ planitie consedit; primâ luce insequentis diei hostem adgressurus.

Sed Ætoli eodem pavore, quo sua castra reliquerant, nocte proximâ dispersi fugérunt. maximè usui fuit AMINANDER, quo duce Athamanes, itinerum periti, summis montibus, per calleis ignotos, sequentibus eos hostibus, in Ætoliam perduxérunt.

DARDANI QVOQVE VICTI.

Per eos dies & ATHENEGORAS, regius præfectus, cum expeditis peditibus, & magnâ equitatûs parte, à rege adversus Dardanos missus, & se in fineis suos ex Macedoniâ recipienteis adeptus; postremum agmen carpendo turbavit.

Dein postquam Dardani conversis signis direxére aciem; æqua pugna iusto prœlio erat. Vbi rursus procedere Dardani cœpissent; equite & levi armaturâ regij, Dardanos, immobilibus armis oneratos, vexabant. occisi perpauci, plures vulnerati. captus nemo, quia non excedunt temerè ordinibus suis, sed confertim & pugnant & cedunt. Ita damna Romano accepta bello, duabus per opportunas expeditiones coercitis gentibus, fortiter & prosperè restituisse PHILIPPVS videbatur.

ATHENIENSIVM IN PHILIPPVM ODIVM ET DIRÆ.

Classis è Corcyrâ, ineunte æstate cum L. APVSTEIO legato profecta, Maleâ superatâ, circa Scyllæū agri Hermionici, ATTALO regi se coniunxerat. Eâ tam præsentis auxilij spe elati Athenienses, odium metu diu dissimulatum, verbis & acerbissimis plebiscitis in PHILIPPVM effudére. eum, & liberos, regnumque & omne Macedonum genus nomenque, exsecrati. Quæque adversus Pisistratidas olim decreta; eadem omnia in PHILIPPO servarentur.

ANDROS EXPVGNATVR.

ATTALVS, Romanique, quùm Piræeum primò ab Hermione petiissent; paucos ibi dies morati onerati que æquè immodicis, ad honores sociorum, ac quæ in iram adversus hostem fuerant, Atheniensium decretis; navigant à Piræeo Andrum.

Et missis è portu, qui tentarent oppidanorum animos, postquam præsidio regio arcem teneri, nec se potestatis suæ esse, respondérunt; expositis copijs, omnique expugnandarum urbium adparatu, diversis partibus, rex & legatus Romanus, ad urbem subeunt. Opidani territi extemplò fugam in arcem faciunt; urbemque hosti relinquunt.

Qui in arce erant, tertio die pacti ipsi, præsidiumque, ut cum singulis vestimentis Delium, Boeotiæ, transveherentur. Eâ ab Romanis regi ATTALO concessâ; prædam ornamentaque urbis ipsi avexérunt.

ATTALVS, ne desertam haberet Insulam, Macedonum plerisque, & Andriorum quibusdam, ut manerent, persuasit. & ab Delio, qui ex pacto eò transvecti fuerant, tum promissis regis, tum patriæ desiderio, revocati.

INSVLÆ AB ROMANIS TENTATÆ.

Inde ab Andro Cythnum traiecérunt. & quia vix operæpretium erat oppugnari, abscessére.

Ad Prasias (Atticæ continentis locum. alijs, Phalasiam) Issæorum xx. lembi classi Romanorum adiuncti; & missi ad populandos Carystiorum agros, dum cetera classis Geræstum, nobilem Euboeæ portum, teneret. Inde omnes velis in altum datis, maris medio, præter Scyrum Insulam, Icum, Cycladum

cladum unam, pervenére.

Inde, sedatâ tempestate, Sciathum traiecére, urbem à PHILIPPO nuper vastatam & direptam.

Inde Cassandréam petentes, primò Mendim, maritimum vicum, tenuére. Et cum inde superato promontorio, ad ipsa urbis mœnia circumagere classem vellent; coörtâ tempestate propè obruti fluctibus & dispersi, magnâ ex parte amissis armentatis, in terram effugérunt.

Et quasi omen quoque ex maritimâ tempestate ad rem terrâ gerendam esset; ab urbe, quam adgressi erant, multis vulneribus repulsi, & irrito incepto regressi, ad Canastrum, Pallenes, traiecére.

Et superato inde Toronæ promontorio, Acanthum petiére. Vrbs ea vi capta & direpta est. Nec ultrà progressi; navibus iam prædâ gravibus, Sciathum, & inde Euboeam, repetiérunt.

Ibi relictâ classe, x. navibus expeditis Sinum Maliacum intravére, ad colloquendum cum Ætolis de ratione gerendi belli. Et SIPYRRHICAS, legationis Ætolicæ princeps, Heracléam ad communicanda cum ijs consilia venerat.

Sed Ætoli cum spe magis, (ATTALO quidem, mille milites adversus PHILIPPVM præstare, ob negatum ab Ætolis, paricirca Pergamum casu, auxilium; renuente: Romanis verò omnia benignè pollicentibus) quàm cum auxilio in præsens dimissi.

OREVM OPPVGNATVR ET CAPITVR.

Posteaquam autem L. APVSTIVS cum ATTALO ad classem redijt; de Oréo oppugnando consulari cæptum: urbe, & à mœnibus & à præsidio validâ. Iussis intereà, dum opera ad oppugnandam urbem necessaria, adparantur, Rhodijs, qui xx. naveis, duce AGESIMBROTO, Romanæ regiæque classi adiunxerant; ad Zelasium, adversus hostilem classem, in præsidio esse; legatus quidem Romanus in proxima continentis traijcit; & Larissam (quæ Cremaste dicitur) subito adventu, præter arcem, cepit. ATTALVS verò Ægeleon, de-inexspectato oppressit.

Operibus deinde circa Oréum perfectis, & præsidio, quod intus erat, assiduis laboribus confecto; & muri parte arietibus subrutâ; hinc Romani per apertum ruinâ iter, quodque super portum est, in arcem nocte perrupérunt. Inde ATTALVS, luce primâ, signo ex arce dato ab Romanis, & ipse urbem invasit, stratis magnâ ex parte muris.

Quùm præsidium opidanique in alteram arcem perfugissent; biduo pòst, deditionem fecére. Vrbs regi; captiva corpora Romanis cessére.

FVRIVS PRÆTOR SVBDOLE DE GALLIS TRIVMPHAT.

Consul alter, C. AVRELIVS ad confectum bellum cùm in Galliam provinciam venisset; iratus Prætori L. FVRIO, quod se absente rem in Galliâ Cisalpinâ gessisset, eum in Etruriam misit: & ipse in agrum hostium legiones induxit: populandoque cum prędâ maiore, quàm gloriâ bellum gessit.

L. verò FVRIVS Gallico triumpho imminens, quem absente Consule, irato atque invidente, faciliùs impetrari posse rebatur; Romam inopinatò quùm venisset; & ut triumphanti sibi urbem invehi liceret, petisset; post acreis eâ de re sententiarum concertationes, triumphus de Gallis in magistratu debellatis FVRIO Prætori, absente Consule, est decretus. Et in ærarium quidem ille magnam æris argentique vim intulit; non captivi tamen ulli ante currum ducti; neque spolia prælata; neque milites secuti.

Vt præter victoriam, penes Consulem, cuius auspicijs legionibusque debellatum esset, omnia esse appareret.

Et certè Consul, quùm ex provinciâ Romam, comitiorum caussâ, venisset; nullâ aliâ de re questus est, quàm quòd ita Senatus triumphum decrevisset; ut nullius, nisi eius, qui triumphum peteret; neque eorum, qui Tribb. Centuriones, milites, bello interfuissent, verba audiret. Neque quid veri Prætor, vanique referret, percunctatione didicissent.

RES IN HISPANIIS GESTÆ.

Eodem anno C. CORNELIVS CETHEGVS, qui Proconsule Hispaniam obtinebat, magnum hostium exercitum in agro Sedetano fudit. xv. Hispanorum mill. eo prœlio dicuntur cæsa. XIX. & LXX. militaria signa capta.

(Multa tamen ex ijs, quæ hisce Consulibus gesta commemoravimus; in annum consequentem alij rettulérunt.)

3755. | 195
24. Ant. Mag.
4. Pt. Epiph.

Consul AVRELIVS, die comitijs indicto, Consules creavit L. CORNELIVM LENTVLVM, & P. VILLIVM TAPPVLVM. Ii inito sub Id. Martias magistratu, & sorte factâ, LENTVLVS quidem Italiam, VILLIVS vero Macedoniam provinciam obtinuérunt.

CARTHAGINIENSES TRIBVTVM SOLVVNT, ET OBSIDES RECIPIVNT.

Carthaginienses eo anno argentum in stipendium impositum, primùm Romam advexerunt. Sed quod eius argenti pars quarta decocta erat; pecuniâ mutuâ Romæ sumtâ, intertrimentum eius supplevérunt.

Peten-

Petentibus obsides sibi redderentur, c. sunt redditi. de cæteris, ut in fide permanerent, spes facta. & ex ijs, qui non redditi, ab Norbâ, quia ibi parum commodè essent; Setiam & Ferentinum translati.

THAVMACI OBSESSI.

PHILIPPVS eo tempore Thaumaeos, (al. Thaumastos) urbem non modo situ admirandam, & altitudine suâ tutam; sed saxo undique abscisso rupibus impositam; summâ vi oppugnabat. Sed Ætoli, duce ARCHIDAMO, inter custodias Macedonum mœnia ingressi, assiduis eruptionibus ita Macedonum stationes infestabant, ut absistere incepto PHILIPPVS cogeretur.

SOCIETAS PHILIPPI CVM ACHÆIS.

Ipse de fide suorum, & belli eventu solicitus, in Achaiam legatos misit. simul qui iusiurandum, ex pacto, exigerent: simul qui redderent Achæis Orchomenon, Heræam & Triphyliam. atque ita cum ijs societatem firmavit.

CASTRA PHILIPPI INTER DVOS MONTEIS.

Principio Veris, cum duce ATHENAGORA, omnia externa auxilia, quodque levis armaturæ erat, in Chaoniam, per Epirum, ad occupandas, quæ ad Antigoniam fauces sunt, misit.

Ipse paucis pòst diebus, graviore secutus agmine, & situm omnem regionis contemplatus, maximè idoneum ad muniendum locum credidit, præter amnem Aöum. qui inter monteis, Æropum & Alsnaum, angustâ valle fluens, iter exiguum super ripam præbebat.

ATHENAGORÆ Alsnaum cum levi armaturâ tenendum ac communiendum tradidit; ipse in Æropo castra posuit.

Consul VILLIVS, per CHAROPEM Epirotam certior factus, quos saltus cum exercitu insedisset rex: & ipse, quùm Corcyræ hibernâsset, iu continentem tralatus, dum consultat; Vtrum per insessum ab hoste saltum, non sine labore & periculo, transitum tentaret: an eodem itinere, quo SVLPITIVS, priore anno, Macedoniam intraverat, circumduceret copias; nuntius venit, T. QVINCTIVM FLAMININVM Consulem factum, sortitumque provinciam Macedoniam, maturato itinere iam Corcyram traiecisse.

(Valerius Antias auctor est; VILLIVM, intrâsse saltum: & quia recto itinere nequient, omnibus à rege insessis, secutum vallem, per quam mediam fertur Aous amnis. & ponte raptim facto in ripam, in quâ erant castra regia, transgressum, acie conflixisse. Fusum fugatumque regem, castris exutum: & XII. hostium M. eo prœlio cæsa, capta II. M. & CC. præter signa militaria & equos.

Alij, nihil à VILLIO memorabile actum; integrumque bellum T. QVINCTIVM accepisse, tradidere.)

CENSORES ROMÆ CONCORDES.

Ab altero Cos. LENTVLO, qui Romæ substiterat, creati Censores P. CORNELIVS SCIPIO AFRICANVS, & P. ÆLIVS PÆTVS; magnâ inter se concordiâ; & Senatum sine ullâ notâ legérunt; & portoria venalium Capuæ Puteolisque; item castrorum portorium, quo in loco nunc oppidum, fruendum locârunt. & colonos eò ccc. ex præscripto, adscripsérunt: & sub Tifatis agrum Capuæ vendidérunt.

OVATIO DE HISPANIS.

Sub idem tempus C. MANLIVS ACIDINVS ex Hispaniâ decedens, prohibitus à Trib. pl. M. PORCIO LÆCA, ne ovans rediret; cùm à Senatu impetrâsset, privatus urbem ingrediens, magnam vim auri argentique in ærarium intulit.

RES IMPROSPERE IN INSVBRIBVS GESTÆ.

Eodem anno C. BÆBIVS PAMPHILVS Prætor, cui Ariminum provincia obtigerat; quique ab C. AVRELIO Cos. anni prioris, eam acceperat; temerè ingressus Gallorum Insubrium fineis, propè cum toto exercitu circumventus, supra VI. M. & DC. milites amisit. *Tanta ex eo bello, quod iam timeri desierat, clades accepta.*

Ea res L. LENTVLVM Cos. ab urbe excivit. Qui ut in provinciam venit, plenam tumultûs, trepido exercitu accepto, Prætorem, multis probris increpitum, decedere atque abire Romam iussit. Neque ipse tamen Cos. memorabile quidquam gessit: comitiorum causâ Romam revocatus.

FLAMININVS EX PRÆTORE CONSVL.

Hic quùm T. QVINCTIVS FLAMININVS consulatum ex Præturâ peteret; intercessére Tribuni pleb. Qui Ædilitatem Præturamque fastidiri dicerent; & homines nobiles, nullum per honorum gradus sui documentum danteis, tendere ad consulatum; & transcendendo media, summa imis continuare.

Sed Tribuni, re in Senatu & apud populum agitatâ, in auctoritate patrum fuére.

Creati

Creati itaque Consules, SEX. ÆLIVS PÆTVS, & T. QVINCTIVS FLAMININVS. & fortitis inter se provincias, Ælio Italia; QVINCTIO Macedonia evénit.

ANTIOCHVS ATTALVM BELLO LACESSIT.

ATTALI regis legati à Consulibus in Senatum introducti, exposuerunt; In vacuum præsidijs navalibus terrestribusque ATTALI regnum, ANTIOCHVM regem invasisse.

Itáque ATTALVM orare, *si suâ classe & copijs, uti ad eam diem impigrè atque obedienter fecisset; si suâ operâ uti ad Macedonicum bellum vellent; mitterent ipsi præsidium ad regnum suum tutandum. Si id nollent; ipsum ad sua defendenda, cum classe ac reliquis copijs, redire paterentur.*

Quibus à patribus responsum: *Quòd rex ATTALVS duces Romanos iuverit; id gratum Senatui esse. Auxilia neque ipsos missuros ATTALO adversus ANTIOCHVM, socium & amicum populi Romani, neque ATTALI auxilia retenturos, ultrà quàm regi cōmodum esset.*

Legatos tamen ad ANTIOCHVM missuros, qui nuntient; ATTALI naviumque eius, ac militum operâ, adversus PHILIPPVM, communem hostem, uti populum Romanum. Gratum eum facturum Senatui; *si regno ATTALI abstineat, belloq; absistat. Æquum esse, socios & amicos populi Rom. reges, inter se quoque ipsos pacem servare.*

EIVSDEM ANTIOCHI CVM PTOLEMÆO BELLVM.

ANTIOCHVS itaque metu Romanorum, ab ATTALO bellum in Syriam convertit. PTOLEMÆVS namque EPIPHANES magnum exercitum, duce SCOPA, in Cœlen-Syriam miserat; qui & multas eius urbeis; & in cæteris Iudæam gentem, Syro faventiorem, vi in potestatem regis sui retraxit.

ANTIOCHVS verò ad Paneadem, haud procul Iordanis fontibus, SCOPAM iusto prœlio adortus profligavit. eumque cum X. armatorum millib. Sidone conclusum & obsessum, ad famem & deditionem adegit.

ANTIOCHI IN IVDÆOS BENIGNITAS ET PIETAS

Reciperatis igitur, Cœles-Syriæ, Samariæque urbibus; Iudęi quoque ultrò in fidem eius concesserunt. receptumque intra mœnia eius exercitum, & elephantos, liberaliter aluerunt: & regi præsidium, quod in Arce Hierosolymitanâ SCOPAS reliquerat, oppugnanti, impigrè auxilium tulerunt.

Quamobrem ANTIOCHVS; ut Iudæis gratiam referret ac reponeret, præfectis suis eos enixè per litteras commendavit.

Et ut primaria eorum civitas, varijs bellorum calamitatibus adflicta, foveretur; & pristinæ frequentiæ, revocatis, quos belli fortuna dispersetat, colonis, restitueretur, præcepit.

Præberi præterea (pietatis ergô) magnam argenti vim iussit, ad victimas, oleum, thus, & vinum, triticum & salem, materiem & ligna, quæ Templo ædificando ornandóve usui essent. cum omni vectigalium immunitate, & liberâ patriarum legum exercitatione, & capitum omnium libertate.

Alienigenis & profanis aditu in septa eiusdem Templi interdixit. iu quo solitæ tantùm more maiorum victimæ mactarentur, quibus litari sibi Deus vellet.

Atque adeò, quùm quidam per Phrygiam ac Lydiam rebus novis studere comperti essent; ZEVXIDEM, suum in supernatibus Asiæ Satrapijs præfectum, iussit, ex ijs Iudæis, qui Babyloniam ac Mesopotamiam tunc incolebant, ad II. M. familiarum, cum tota supellectili eò traducere; & opportunis locis per præsidia collocare.

Qui benevoli caussæ regiæ defensores futuri essent; tum quia cœleste numen piè colerent; tum quia fides eorum, fidumque erga reges obsequium, vel maiorum suorum testimonijs essent cōprobata.

Quibus ita traductis, suis legibus vivendi esset porestas; & areæ ad ædificandum, & agri ad colendum, adsignarentur: & decennalis à tributis immunitas daretur.

QVINCTIVS IN MACEDONIAM DVCIT.

T. QVINCTIVS Cos. ita habito delectu, ut eos ferè legeret, qui in Hispaniâ aut Africâ meruissent, spectatę virtutis milites; à Brundisio quùm transmisisset, Corcyram tenuit, cum IIX. pedit. millibus, & equitibus DCCC. inde ipse, in proxima Epiri, quinqueremi traiecit; & in castra Romana magnis itineribus contendit.

Ibi VILLIO dimisso, paucos moratus dies, dum se copiæ à Corcyrâ adsequerentur, inter consultandum, quo itinere vel in castra hostium, vel in Macedoniam tutissimè penetraret; dies complusculos sine ullo conatu, in conspectu hostium, absumsit.

PAX TENTATA.

Inde spes data PHILIPPO, pacis per Epirotarum gentem tentandæ. Et ad eam rem agendam delecti, Consulem & regem; ubi in artissimas ripas Aöus amnis cogitur, in colloquium adduxerunt.

Summa postulatorum Consulis erat: *Præsidia ex civitatibus rex deduceret. Iis, quorum agros urbesq; populatus esset; redderet res, quæ comparerent. cæterorum*

rerum æquo arbitrio æstimatio fieret. PHILIPPVS, *quas ipse cepisset civitates, eas liberaturum: Quæ sibi tradita à maioribus; earum hereditariâ ac iustâ possessione non excessurum*, respondit.

Si quas belli clades quererentur ea civitates, cum quibus bellum foret; arbitrio quos vellent populorum, cum quibus pax utrisq; fuisset, se usurum.

Consul ad id quidem arbitrio aut iudice minimè opus esse dicere: PHILIPPVM haudquaquàm ab ullis bello lacessitum; priorem, vim omnibus fecisse.

Indè cum ageretur, quæ civitates liberandæ; & Thessalos omnium primos, (al. Thessalonicam omnium primam) nomináßet Cõsul; ad id accensus indignatione rex exclamavit; *Quid victo gravius imperaretur!* atque ità se ex colloquio proripuit.

AD BELLVM VTRIMQVE PROCINCTVS. MACEDONVM FVGA.

Aliquot deinceps diebus factâ utrimque ab stationibus excursione, multa levia prælia, nõ fine mutuâ cæde & vulneribus, commissa sunt.

Hic in faucium angustijs, quas hostis insidebat; & in omnibus propè rupibus, quasi in muris, catapultas balistasque adversùs subeunteis, disposuerat; hesitanti consuli; pastor quidam, qui eo in saltu, qui regijs tunc oneratus castris erat, armentum pascere solitus, omneis montium illorum anfractus, colleisque nôßet; à CHAROPE, Epirotarum Principe, missus, coràm adducitur: Et pollicetur, viam se commonstraturum, quà possit à tergo Macedonas adoriri, aut suprà caput eorum perduci.

Tertio itaque die quùm verticem, quem duce pastore petierant, Romani cepisse ac tenere se fumo significáßent; Consul, valle mediâ, cum militum robore succedit. Cornua lævа dextraque admovet castris: & post iniquam in locis confragosis angustijsq; dimicationem, clamor primùm à tergo auditus, dein pugna etiam cœpta, amenteis Macedonas repentino terrore fecisset; pars in fugam effusi; pars à Romanis, & à fronte & à tergo urguentibus, circumventi sunt.

Sed fugienteis persequi haud facilè fuit. quod equitem angustiæ locorumque asperitas; peditem, armorum gravitas impediret.

Non plus duobus hominum Millibus amissis, cætera omnis multitudo, regem primò sine respectu fugientem; deinde quinque Millium spatium progressum, & tuto tumulo subsistentem, velut signum aliquod secuta, in unum quùm convenissent, frequenti agmine petunt Thessaliam.

Romani castra regia, etiam sine defensoribus difficili aditu, diripiunt: & Consul postero die per ipsas angustias, quà se inter valleis flumen insinuat, hostem sequitur.

Rex qui primo die ad castra Pyrrhi (locum in Epiro) pervenerat, & inde in montem Lyncon perrexerat; animi dubius, in regnumne se reciperet, an reverti in Thessaliam posset; tandem in Thessaliam agmen suum dimittere constituit.

Vrbeis illic, quas tueri posse desperabat, ipse pervastat, aut incendit. rerum suarum, quas possent, secum auferendarum dominis ius fiebat: cætera, militis præda erant. Et è terrà, mòx futurà hostium, corpora saltem sociorum eripere volebat. Pheris exclusus, omisso oppugnationis incepto, in Macedoniam transcendit.

ÆTOLI ET ATHAMANES MACEDONIAM INFESTANT.

Ætolos namque iam adpropinquare fama erat; qui ad famam prœlij circà Aoum amnem commissi, proxima priùs circà Spetchías, & Macrancomen, pervastant; atque indè in Thessaliam transgressi, Cymines & Augéas primo impetu potiti sunt.

Sed à Metropoli, dum vastant agros, concursu opidanorum ad tuenda mœnia facto, repulsi. Et à Callitheris, licet eos qui eruperant inttà mœnia compulissent; quia spes nulla expugnandi erat, abscesserunt. Theuma & Calathana vicos expugnant; & Xynia à cultoribus deserta diripiunt.

Neque hic AMINANDER, atque Athamanes, prosperæ pugnæ famâ excitati, quieverunt. Ille, suo militi parum fidens, petito ab Consule modico præsidio, cum Gomphos peteret, opidum protenus nomine Phecam, vi cepit. Inde Gomphos adortus, erectis ad mœnia scalis, quantumvis per aliquot dies cives summâ vi urbem tutati essent; eodem metu perpulit ad deditionem. aliaque opida & castella, iuxtà ignobilia, sese deinceps dedidére.

EPIROTIS VENIA DATA.

Consul FLAMININVS intereà faucibus ijs, quas fuga hostium aperuerat, in regionem Epiri transgressus; & non ignarus cui parti, excepto Charope, Epirotæ favißent; tamen quia ab satisfaciendi quoque curà imperata enixè facere videret; ex præsenti eos potiùs, quàm ex præterito æstimat habitu: & ipsâ facilitate veniæ animos eorum in posterum conciliat.

Simulac naves onerariæ è Corcyrâ, uti iusserat, in sinum Ambracium venére; ipse progressus quarto die in monte Cercetio posuit castra, quò & ipse AMINANDER cum suis auxilijs accitus, & plerique ex Epirotis voluntarij venére; quibus in Thessaliam ducibus ille uteretur.

THESSALIA PHILIPPI SOCIA VASTATVR.

Primam urbium Thessaliæ Phaleriam, quæ bis Mille Macedonum præsidio tenebatur, adgressus; continuâ, nec die nec nocte remisâ, oppugnatione, victâque præsidiariorum pertinaciâ, cepit.

Mòx legati à Metropoli, & à Pialia, dedentes urbem, venérunt, veniamq; impetrant; quùm Phaleria direpta incensaque esset.

Et quùm iam omnia exercitui, in eâ agrorum vastitate, deessent: transvectis à mari commeatibus, & cohortibus invicem Ambraciam frumentatum missis, omni rerum copiâ castra mòx sunt repleta.

Inde Rhagen est profectus: quæ super Penéum amnem sita. x. fermè. Millib. à Larissâ abest. Hi ex Perrhœbiâ oriundi, nihil ad primum Romanorum adventum trepidavére; quòd PHILIPPVS, sicut in Thessaliam ipse progredi non ausus; ita positis intrà Tempe stativis, præsidia laborantibus per occasiones summittebat.

MARITIMA ROMANOR. IN PHILIPPVM EXPEDITIO.

Sub idem ferè tempus, L. QVINCTIVS, frater Consulis, cui classis cura, maritimaque oræ imperium mādatum ab Senatu erat; Corcyram transvectus; & ad Samen insulam, classem, quæ indè moverat, assecutus; L. APVSTIO, cui successerat, dimisso, tardiùs ad Maleam, trahendis plerumque remulco navibus, pervénit.

A Mileâ, iussis cæteris maturè sequi, ipse expeditis III. quinqueremibus Piræeum præcepit: accepitque naveis ibi relictas ab APVSTIO ad præsidium Athenarum.

Solverant eodem tempore duæ ex Asia classes; una cum ATTALO rege, XXIV. quinqueremium. Altera Rhodia, XX. navium tectarum, duce ACESIMBROTO.

EVBOEA VASTATVR.

Hæ classes circà Andrum Insulam coniunctæ, in Eubœam traiecérunt. Carystiorum agris vastatis, quòd urbs præsidio raptim à Chalcide misso iam firma videretur; ad Eretriam accessérunt.

Quinctius eódem cum ijs navibus, quæ Pyræei fuerant, venit; iussitque, ut quæ ex suâ classe venissent naves, Eubœam peterent.

Eretriâ summâ vi oppugnabatur; & opidani haud impigrè mœnia tuebantur. Quumque iam fessi, & muri parte eversâ, trepidi, ad deditionem inclinarent; à PHILOCLE, regio præfecto, qui se in tempore auxilio adfuturum receperat, ad sustinendam obsidionem animati sunt.

Deinde posteaquàm illum repulsum trepidantemque refugisse Chalcidem accepérunt; oratores extemplò ad Attalum veniam fidemque eius petentes, misérunt.

Cæterùm dum in spem pacis intenti segniùs munera belli obeunt; QVINCTIVS noctu, ab eâ mœnium parte, quæ ut minimè suspecta, ità à statione armatâ nuda erat; impetu facto, & scalis admotis, urbem cepit. Opidani cum coniugibus ac liberis in arcem confugérunt; deinde in deditionem venérunt.

Hic præter argenti aurique exiguam copiam, signa, tabulæ priscæ artis, & ornamenta eius generis plura, quàm pro urbis magnitudine, reperta.

Carystus inde repetita, sed prius quàm è navibus copiæ exponerentur, omnis multitudo, urbe desertâ, in arcem confúgit. indè ad fidem ab Romano petendam oratores mittunt.

Opidanis e-vestigio vita ac libertas concessa est: Macedonibus, CCC. nummi in capita, statutum pretium est; & ut armis traditis abirent. Eâque summâ redemti, in Bœotiam inermes traiecti sunt.

Classes victrices circumvectæ Sunium, Atticæ terræ promontorium, Cenchréas, Corinthiorum emporium, petiérunt, Corinthum oppugnaturæ.

RHAGE FRVSTRA A ROMAN. OBSIDETVR.

Consul verò T. QVINCTIVS ad Rhagen, omnium spe longiorem atrocioremque oppugnationem habuit; nihil non ex arte militari molitus.

Sed Macedones, qui in præsidio erant, armis potiùs & virtute, quàm mœnibus urbem tueri gloriosum rati, conferti pluribus introrsùm ordinibus acie firmatâ, quùm transcendere parietinas sensissent Romanos; per impeditum ac difficilem ad receptum locum expellebant.

Neque plus turri ingentis altitudinis exstructâ, quæ magnam vim armatorum multiplici tabulato portaret, & propiùs in urbem effunderet; profectum.

Neque cohortes invicem sub signis emissæ cuneum Macedonum, hastis obiectis horrentem, vi perrumpere potuérunt.

Consul itaque, quod nec maturam satis expugnandæ urbis spem, nec ullam procul à mari, & in evastatis bellicâ clade locis, commodam hibernandi rationem cerneret; relictâ obsidione, in Phocidem contendit:

PHOCIS VASTATVR.

Vbi Anticyram, & ad navium onerariarum receptacula, & ad legionum hiberna opportunissimè sitam esse iudicaret. Et ea certè urbs, secundùm Phanotéam, quæ primo impetu & sine certamine capta fuerat; haud multum in oppugnando præbuit moræ. Ambrysus inde, Hyampolisque receptæ.

Daulis in tumulo excelso sita, nec scalis, nec operibus capi posse videbatur. sed præsidiarijs ad excursiones elicitis, & in portam ex levi certamine refugientibus, permisti Romani, urbe sunt potiti.

Elatia clausit portas; nec nisi vi cogerentur, recepturi mœnibus videbantur, aut ducem, aut exercitum Romanum.

Consuli verò Elatiam obsidenti rei magnæ spes adfulsit, Achæorum gentem ab societate regiâ, ad Romanam amicitiam avertendi.

IN SI-

INSIGNES IN CONCILIO ACHAICO ALTERCATIONES, DE FEDERE cum Romm. iungendo.

Achæi CYCLIADEM, qui superiore anno prætor, PHILIPPO prudenter obstiterat; & tunc (auro fortè corruptus) cum suâ, factione res ad eumdem retrahere velle credebatur, in exsilium expulerant. eratque pro tempore Prætor ARISTÆNVS, qui Romanis gentem iungi cupiebat.

Classis autem Romana, cum ATTALO & Rhodijs, Cenchréis stabat; parabantque communi omnes consilio Corinthum oppugnare.

Consul itaque optimum ratus, prius quàm eam rem adgrederentur, legatos ad gentem Achæorum mitti, pollicenteis; *si ab rege ad Romanos defecissent, Corinthum ijs contributuros in antiquū gentis concilium;* Auctor fuit, ut legati à fratre eius L. QVINCTIO, & ATTALO, Rhodijs & Atheniensibus, mitterentur. quibus Sicyone datum concilium.

Quùm cuiusque civitatis, & regum, PHILIPPI ATTALIQVE, legati, perorâssent; & perpetuis orationibus diem absumsissent; Achæi, quid potissimum probarent, aut non viderent; aut animis ad rerum inter se pugnantium cogitationem torpentibus, exprimere non audebant.

Terrebat eos Lacedæmonius, gravis & adsiduus hostis, horrebant Romana arma; & duas utrimque classeis. Et licet Macedonum beneficijs veteribus recentibusque obligati, regem tamen ipsum, ut crudelem & impotentem dominum, suspectum habebant.

Hic in aliorum, alios intuentium, silentio, ARISTÆNVS liberâ oratione contendit; *præsenti necessitati cedendum. nihil esse caussæ, cur prudentes scientes, in PHILIPPI gratiam, funditùs perirent;* qui ne sua quidem tueri posset; & priore anno volentes eos deseruerat, & NABIDI vastandos obiecerat. eaque in Græcos, & præsertim Athenienseis, designaverat; quæ vel Barbarum perpetrare puderet.

Achæos se à PHILIPPO liberare iamdiu magis votis, quàm armis ausos. Sine labore aut periculo ipsorum, qui in libertatem cupidos vindicent; cum magnis classibus exercitibusque mare traiecisse. *quos qui socios adspernentur, vix sanæ mentis esse.* Eos aut socios, aut hosteis haberi oportere.

Quùm secundum prætoris orationem murmur ortum esset, aliorum cum adsensu; aliorum inclementer adsentienteis increpantium; atque adeò iam non singuli tantùm, sed populi universi inter se altercatêntur.

Et inter ipsos gentis magistratus, (qui Demiurgi vocantur, & decem numero creantur) certamen nihilò segnius, quàm inter multitudinem esset. ex quibus v. relaturos se de societate Romanâ aiebant, suffragiumque daturos; v. lege cautum testabantur; Ne quid, quod adversùs PHILIPPI societatem esset, aut referre magistratibus, aut decernere concilio, ius esset. Ille quoque dies iurgijs est consumtus.

Iamque supererat tertius, & unus iusti concilij dies, quo decretum fieri lege iubebatur. In quem adeò exarsere studia, ut vix parentes à liberis temperaverint.

Sed postquàm RHISIASVS quidam Pellenensis, filium MEMNONEM, adversæ partis Demiurgū, minis & intentatâ morte, ad alteram factionem, quæ pro Romanis eorumque socijs, referri ac prorogari volebat; traduxisset: Omnibus ferè populis haud dubiè adprobantibus relationem, ac præ se ferentibus quid decreturi essent; Dymæi ac Megalopolitani, & ex Argivis quidam, priusquam decretum fieret, consurrexérunt, ac reliquérunt concilium: Macedonibus se plura debere côtestati, quàm ut eos possent de subitò & temerè deserere. & huiusce secessionis ijs venia fuit.

Cæteri Achæorum populi, quùm sententiæ perrogarentur, societatem quidem cum Attalo, & Rhodijs, præsenti decreto confirmárunt: cum Romanis verò, quia iniussu populi non poterat rata esse, societas; in id tempus, quo Romam legati mitti possent, dilata est.

CORINTHVS OPPVGNATVR.

In præsentiâ, legatos ad L. QVINCTIVM mitti placuit; & exercitum omnem Achæorum ad Corinthum admoveri. quam, captis Cenchréis, ex a parte QVINCTIVS; & ATTALVS, traducto per Isthmū exercitu, ab Lechæo, alterius maris portu, oppugnabant. Ipsi è regione Portæ, quæ fert Sicyonem, castra posuérunt.

In urbe, magna transfugarum Italicorum multitudo erat; pars ex ANNIBALIS exercitu, metu pœnæ à Romanis, PHILIPPVM secuti: pars navales socij, relictis nuper classibus, ad spem honoratioris militiæ transgresi. Hos desperata salus, si Romani vicissent, ad rabiem magis quàm audaciam accendebat.

Huc accessit præsidium M D. Militum à rege, duce PHILOCLE, submissum, & lembis Corinthijs ad Lechæum traiectum. Quod conspicatus QVINCTIVS, irrito incepto, & dimissis Achæis, ad naveis redijt. & Attalus quidem Piræeum, Romani Corcyram petiérunt.

ELATIA ROMANIS DEDITVR.

Intereà Consul, castris in Phocide ad Elatiam positis, & re frustra colloquijs tentatâ; simul ab omni parte operibus armisque urbem est adgressus. eamque vi potitus & deprædatus, missis in arcem, qui vitam regijs, si abire vellent inermes; & libertatem Elatiensibus pollicerentur: fideque in hæc datâ, post paucos dies arcem recepit.

ARGIVI AD PHILIPPVM A ROMM. DEFICIVNT.

PHILOCLES, qui adventu suo Corinthum liberârat, arcessitus à quibusdam Argivis, quibus pacta cum Romanis societas displicebat, collem urbi

urbi imminentem, (Lariſſam eam arcem vocabant) noctu occupârat.

Poſitoque ibi præſidio, quùm lucis principio ſignis infeſtis ad ſubiectum arci forum vaderet, inſtructa acies ex adverſo occurrit. Id erat præſidium Achæorum nuper impoſitum; D. ferè iuvenes ex omnibus civitatibus delecti; iiſque ÆNESIDEMVS Dymæus præerat.

Miſſus à PHILOCLE, qui, uti longè impareis, urbe excedere iuberet; primò nec ducem, nec ipſos movit. Vt verò Argivos quoque ex alterâ parte armatos in ſe magno agmine venienteis vidêrunt, quantumvis certam perniciem cernerent: omnem tamen caſum, ſi pertinacior dux fuiſſet, videbantur ſubituri.

ÆNESIDEMVS verò, ne flos inventutis Achaicæ ſimul cum urbe amitteretur: pactus cum PHILOCLE, ut abire illis liceret: ipſe quo loco ſteterat, armatus, cum paucis clientibus non exceſſit.

Cauſſam rogatus; cum nihil fatus, præiecto præ ſe Clypeo ſtaret: *In præſidio credita ſibi urbis moriturum ſe armatum, reſpondit.* Tum iuſſu præfecti coniecta à Thracibus tela, interfectique omnes.

CONIVRATIO SERVORVM APVD SETIAM DETECTA.

Galliâ præter ſpem quietâ, ſervilis circà urbem propè tumultus excitatus eſt. Magna vis ſervorum, tàm eorum, qui obſidibus Carthaginienſium, uti Principum liberis, apud Setiam famulabantur; quàm mancipiorum, quæ ab recente Africo bello, & ab ipſis Setinis captiva eiuſdem nationis, ex prædâ coëmta fuerant: coniurationem fecêrunt. Miſſis ex eo numero, qui in Setino agro, deinde circà Norbam & Circeios, ſervitia ſolicitarent.

Et ſatis iam omnibus præparatis, Ludis, qui Setiæ propediem futuri erant, ſpectaculo intentum populum adgredi ſtatuerant; eâdemque urbe captâ, Norbam & Circeios occupare.

Servi duo, rei tàm fœdæ indicium Romam ad C. CORNELIVM LENTVLVM, urbis prætorem, detulêrunt: atque ordine omnia, quæ acta futuraque erant, expoſuêrunt.

Ipſe LENTVLVS, iuſſu Senatûs, ad coniurationem quærendam atque opprimendam cum quinque Legatis profectus, tumultuario ex agris delectu, duobus fermè Millib. hominum armatis, Setiam clàm venit. Ibique raptim Principibus coniurationis comprehenſis, fuga ſervorum ex opido facta. Dimiſſi deinde per agros, qui veſtigarent. Indicibus præmia perſoluta, & liberras dara; pretiumque eorum ex ærario dominis numeratum.

Quumque paullo-poſt, ex eiuſdem coniurationis reliquiis nuntiatum eſſet, ſervitia Præneſte occupatura; Prætor eò profectus, & D. ferè hominibus, qui in eâ noxâ erant, ſupplicium ſumſit. Obſides intentiore cuſtodiâ in privato ſervari; & in publicum prodeundi facultate privari. & captivi compedibus vincti, in nullâ aliâ, quàm in carceris publici cuſtodiâ eſſe, iuſſi.

Eodem anno Legati ab rege ATTALO coronam auream CCXLVI. pondo in Capitolio poſuêrunt: gratiaſque Senatui egêrunt, quòd ANTIOCHVS, legatorum Romm. auctoritate motus, finibus ATTALI exercitum deduxiſſet.

Eâdemque æſtate equites CC. & elephanti X. & tritici modiûm CC. Mill. ab rege Maſaniſsâ ad exercitum, qui in Græciâ erat, pervenêrunt.

Item ex Siciliâ Sardiniâque, magni commeatus, & veſtimenta exercitui miſſa. Illam M. MARCELLVS; hanc M. PORCIVS CATO obtinebat. ſanctus & innocens; aſperior tamen in fenore coercendo habitus; fugatique ex Inſula feneratores; & ſumtus, quos in cultum Prætorum ſocij facere ſoliti erant, circumciſi aut ablati.

Hieme iam ineunte, Opuntiorum (in Peloponneſo) alij Romanos, alij Ætolos arceſſebant Priores quidem Ætoli venêrunt; ſed opulentior factio, excluſis Ætolis, Romanos admiſit, arce à Macedonibus retentâ.

COLLOQVIVM DE PACE AD MALEAM.

Quàm diu obſidere cogitaret, ad T. QVINCTIVM, caduceatorem mittit PHILIPPVS.

In Maliaco ſinu ad Nicæam per aliquot dies collocuti, hinc PHILIPPVS cum CYCLIADE, Achæorum exſule; illinc T. QVINCTIVS, cum AMINANDRO Athamanum rege; DIONYSIODORO Attali, & AGESIMBROTO Rhodiorum delegatis; PHANEA Ætolorum, & ARISTÆNO Achæorum prætoribus.

Poſt multa ultrò citroque dicta, induciæ in duos menſeis datæ. Legatique Romam miſſi, infectâ pace rediêrunt: *quòd nec Senatum belli tæderet; & T. QVINCTIVS victoria, quàm pacis avidior eſſet.*

3757. | 193.
26. Ant. Mag.
7. Ptol. Epiph.

Sex. ÆLIVS PÆTVS Coſſ. ex Galliâ, comitiorum cauſâ, Romam cum rediiſſet; creavit Coſſ. Cn. CORNELIVM CETHEGVM, & Q. MINVTIVM RVFVM.

Sex prætores illo anno primùm creati, creſcentibus iam provincijs, & latiùs pateſcente imperio.

Conſulibus Italiam Macedoniamque ſortiri parantibus. Tribb. plebis interceſſêre. Quod longinqua provincia Macedonia eſſet: neque ulla alia res maius bello impedimentum ad eam diem fuiſſet; quam quod *vixdum inchoatis rebus, & in ipſo conatu gerendi belli, prior Coſ. revocaretur.*

Sic Patres, quibus Conſules & Tribuni liberam conſulta-

consultationem permiserant; utrique Consulum Italiam provinciam decreverunt: & T. QVINCTIO imperium in Macedonia prorogatum; donec successor ei venisset.

Eique supplementum decretum, v. pedit. Mill. & equites ccc. sociorumque navalium III. Mill. Et classi, eiusdem frater, L. QVINCTIVS FLAMINIVS, praeesse iussus.

Consulibus binae legiones decretae; & ut bellum cum Gallis Cisalpinis, qui defecissent à pop. Romano, gererent. Praetoribus in Hispanias octona pedit. M. sociûm ac Latini nominis data, & CD. equites; ut dimitterent veterem ex Hispaniâ militem. Et terminare iussi, quà ulterior citeriorve provincia servaretur.

Quinque tùm coloniae in oram maritimam deductae. duae ad ostia Vulturni Liternique. Vna puteolos; una ad castrum Salerni. his Buxentum adiectum. Et treceneę familię in singulas colonias iussae mitti.

BELLVM CVM INSVBRIBVS ET LIGVRIBVS.

Consules rebus ritè in urbe perfectis, ambo in Galliam profecti. CORNELIVS quidem rectâ ad Insubreis viâ; qui tum, Coenomanis adsumtis, in armis erant. Q. verò MINVTIVS in laeva Italiae ad inferum mare flexit iter: exercituque Genuam abducto, ab Liguribus bellum orsus est. Opida Clastidium (f. Caristum) & Litubium; & duae gentis eiusdē Civitates, Celelates, Cerdiciatesque, sese dediderunt. Et iam omnia Cispadum, praeter Gallorum Boios, Ilvates Ligurum; sub ditione erant. XV. opida; hominum XX. Mill. esse dicebantur, quae se dediderant.

Indè in agrum Boiorum legiones ductae. Boiorum exercitus haud ità multò antè traiecerat Padum, iunxeratque se Insubribus & Coenomanis. Quòd ità acceperant, Consules coniunctis legionibus rem gesturos; ut & ipsi collatas in unum vireis firmarent.

Posteaquàm fama accidit, alterum Cos. MINVTIVM, Boiorum urere agros; seditio extemplò orta est. Postulare Boij, ut laborantibus opem universi ferrent: Et Insubres negare, se sua deserturos. Ità copiae divisae: Boijsque in agrum suum tutandum profectis, Insubres cum Coenomanis, super amnis Mincij ripas, consederunt.

Infrà eum locum, & Cos. CORNELIVS eidem flumini castra adplicuit. Et tentatis ad defectionem Cenomannis, Brixiaque, quae caput gentis erat, (quorum iuventutem sine auctoritate seniorum in armis esse compererat) cum excitus id se Principibus, impetrare nequijsset, ut ipsi, desertis Insubribus, aut domos redirent, aut ad Romanos transirent; in id data fides Consuli est; ut in acie aut quiescerent, aut pro re natà adiuvarent Romanos.

Posteaquàm igitur acies utrimque in apertum educta esset; & Romanus à fronte impetum in hosteis fecisset; Coenomani, quos suborta animis fidei in socijs labantis suspicione post signa in subsidijs Insubres locaverant; terga sociorum in ipso certamine repente adgressi, tumultum ancipitem intecerunt.

Caesa in medio feruntur v. & xxx. hostium Mill. quinquies Mille & septingenti capti: cum signis militar. cxxx. & carpentis suprà cc.

Et AMILCAR, Poenorum dux, & belli caussa, tunc demùm cum caeteris captus esse dicitur. Opida, quae defectionem secuta erant, dediderunt se Consuli Cornelio.

Alter verò Cos. MINVTIVS, primò effusè populatus agros Boiorum; ubi illi, relictis Insubribus, ad sua tuenda se recepisse comperti sunt; castris se tenuit, acie dimicandum cum hoste ratus.

Boij autem famâ sinistrae in Insubribus pugnae fracti, relicto duce, castrisque, dissipati per vicos, sua ut quisque defenderent, rationem gerendi belli hosti mutârunt.

Omissa enim spe per unam dimicationem rei decernendae, rursus populari agros, & urere tecta, vicosque expugnare caepit.

Clastidio incenso, in Ligustinos Ilvates, qui soli non parebant, legiones ductae. Ea gens, Insubrium Boiorumque casu exterrita, in deditionem venit.

COLLOQVIVM MALIACVM CONTINVATVR.

In eo colloquio, quod suprà, in Maliaco sinu, propè Nicaeam, inter regem Philippum, & T. Quinctium cum socijs, institutum fuisse diximus; Quùm Romanus aequum esse censeret, ut prior diceret, qui petisset colloquium: rex contrà, eius esse priorem orationem, qui daret pacis leges, non qui acciperet; *Tum QVINCTIVS; simplicem suam orationem esse; eaq; se dicturum, quae ni fiant, nulla sit pacis conditio.*

„ *Deducenda ex omnibus Graeciae civitatibus regi praesidia esse.*

„ *Captivos & transfugas socijs pop. Romani reddendos.*

„ *Restituenda Romanis ea Illyrici loca, quae post pacem in Epiro factam, occupasset.*

„ *Ptolemaeo regi Aegypti reddendas urbeis, quas post PHILOPATORIS PTOLEMAEI mortem intercepisset.*

Haec pro Romanis.

Attali regis legatus; *Naveis captivosque, quae ad Chium navali praelio capta essent; & Nicephorium, Venerisq; Templum, quae spoliasset evastassetq;, pro incorruptis restitui.*

Rhodij, PERAEAM (vetustae eorum ditionis regionem continentis, adversùs insulam) *repetebant.* Postulabantque *praesidia deduci ab Iaso, & Bargylijs, & Euromensium urbe. Et in Hellespōto; Sesto atq; Abydo. & Panopolim Byzantijs in antiqui formulam iuris restitui; & liberari omnia Asiae emporia, portusque.*

Achaei, *Corinthum atque Argos repetebant.*

Praetor Aetolorum PHANEAS eadem ferè quae Romani, *ut Graeciā decederetur, postulavit; redderenturq; Aetolis urbeis, quae quondam iuris aut ditionis eorum fuissent.*

Die ille altercando & mutuis criminationibus, ac PHILIPPI ad singulos purgationibus, consumto; & dilatione in posterum diem colloquio; Macedo in stationem, ex quà erat profectus; Romani socijque

ſocijſque in caſtra redierunt.

Poſtridie rex iterum ad Nicæam, ſed feriùs, quàm conſtitutum erat, venit; qui noctem quoque illam, quaſi inops conſilij, quùm tàm grauia & indigna imperarentur, deliberando conſumſiſſet.

Et ut fine altercatione aliquis finis rei imponi poſſet; cum ipſo Imperatore Rom. ſummotis alijs, ut colloqui ſibi liceret, grauatè impetrauit.

Poſt ſecretum colloquium T. QVINCTIVS hæc acta ad ſocios rettulit.

„Regem Romanis cedere totâ Illyrici orâ; perfugas remittere, & ſi qui eſſent captivi.

„ATTALO, naveis, & cum ijs captos navaleis ſocios: Rhodijs, regionem, quam Peræam (continentem, & quaſi ſibi adverſam) vocant, reddere; Iaſſo & Bargylijs non ceſſurum. Ætolis, Pharſalum Lariſſamq́, reddere; Thebas non reddere. Achæis, non Argis modo, ſed etiam Corintho ceſſurum.

Quùm hic toto ex Concilio certatim omnes vociferarentur; *Niſi rex totâ deduxiſſet Græcâ præſidia*, numquam cauſſas certaminum deponi. Et rex à QVINCTIO peteret, ut rem totam in poſterum diem differret: intereà aut perſuaſurum ſe, aut perſuaderi ſibi paſſurum; locus colloquio in littore ad Thronium deſtinatur.

Ibi PHILIPPVS primò & QVINCTIVM, & omneis qui aderant, rogare; *Ne ſpem pacis turbare vellent.*

Poſtremò petere tempus, quo legatos Romam ad Senatum mittere poſſet. *Aut his conditionibus ſe pacem impetraturum; aut quaſcumq́, Senatus dediſſet, leges pacis, accepturum.*

QVINCTIVS, qui inſtante hieme nihil amitti, dato ſpatio ad legatos mittendos, iudicaret; & intereà explorari Senatûs ſententiam auctoritatemque poſſe, ſine qua nihil eorum ratum foret, quæ cum rege ſinguli pepigiſſent; datis in duos menſeis inducijs, ipſe cum ſociorum legatis, AMINANDRVM Athamanem; & treis ex ſuis, & in ijs Q. FABIVM, ſororæ uxoris ſuæ progenitum, Romam miſit.

LEGATIO SOCIORVM, ET PHILIPPI ROMAM, IRRITA.

Vt ventum Romam eſt; ſociorum legati priùs audit, quùm cæteram orationem convicijs regijs conſumſiſſent, eò maximè Senatum, movérunt, demonſtrato maris, terrarumque eius regionis ſitu. ut cuivis appareret; ſi Demetriadem in Theſſaliâ, Chalcidem in Eubœâ, Corinthum in Achaiâ rex teneret; non poſſe liberam Græciam eſſe. quas urbeis ut contumelioſè. ità non inſulſè rex ipſe compedes Græciæ appellaret.

Legatis deinde regis intromiſſis, & longiorem exorſis orationem, brevis interrogatio; *Ceſſurúſne ijs tribus urbibus rex eſſet?* ſermonem incidit; cum mandatum ſibi de his nominatim negarent quidquam.

Sic, infectâ pace, regij dimiſſi: & QVINCTIO liberum arbitrium pacis, an belli, permiſſum.

PHILIPPVS AD BELLVM REDIT, ET NABIDEM SOCIVM ADSCISCIT.

PHILIPPVS, cui Romanus neque colloquiū poſteà daret; neque legationem aliam, quàm quæ omni Græciâ decedendum eſſe, nuntiaret, admiſſurum diceret; quùm acie decernendum videret, & vireis undique ad ſe contrahendas: maximè de Achaiæ urbibus, regionis ab ſe diverſæ; & magis tamen de Argis, quàm de Corintho ſollicitus; optimum ratus NABIDI eam, Lacedæmoniorum tyranno, velut fiduciariam dare, ut victori ſibi reſtitueret. ſiquid adverſi accidiſſet; ipſe haberet; PHILOCLI, qui Corintho Argiſque præerat, ſcribit; ut tyrannum ipſe conveniret. PHILOCLES, præterquam quod iam veniebat cum munere, adijcit ad pignus futuræ NABIDI cum rege amicitiæ; *filias ſuas, regem, NABIDIS filijs matrimonio coniungere velle.*

Quùm ille primò negaret aliter eam urbem ſe accepturum, niſi Argivorum ipſorum decreto ad auxilium urbis arceſſitus eſſet. Deinde, ut frequenti concione non adſpernatos modò, ſed abominatos etiam nomen tyranni audivit; cauſſam ſe ſpoliandi eos nactum ratus, tradere, ubi vellet, urbem PHILOCLEM iuſſit.

NABIS ARGIS GRASSATVR, EIVS PERFIDIA.

Et is nocte, ignaris omnibus, in urbem acceptus, primâ luce ſuperiora omnia loca occupat. & paucis Principum inter primum tumultum elapſis, portas claudit. Abſentium fortunas diripit, præſentibuſque aurum atque argentum extorquet: & pecunias ingenteis imperat.

Concione deinde advocatâ, rogationem promulgavit; unam, *de tabulis novis*: alteram, *de agro viritim dividundo. Duas faceis, novantibus res, ad plebem in optimateis accendendam.*

Nabis, Argivæ civitatis iam potens, nihil eius memor, à quo eam & quâ conditione accepiſſet; legatos Elatiam ad QVINCTIVM, & ad ATTALVM Æginæ hibernantem mittit, qui nuntiarent; Argos in poteſtate ſuâ eſſe. Eò ſi veniret QVINCTIVS ad colloquium, non diffidere ſibi omnia cum eo conventura.

QVINCTIVS itaque ab Anticyra; ATTALVS ab Æginâ, Sicyonem tranſmiſére; & haud procul urbe Mycenicâ ferè inermes, cum armato tyranno, in colloquium venére.

Vbi de conditionibus amicitiæ agi cæptum eſt; Romanus duas poſtulare res; *Vt bellum cum Achæis finiret; atque adverſum PHILIPPVM mitteret ſecum auxilia.*

ATTALVS urbis Argivæ, quàm fraude PHILOCLIS proditam ipſe vi teneret, libertatem urguebat. Ea diſceptatio ſine exitu fuit, & de colloquio diſceſſum. Sexcentis modò Cretenſibus ab tyranno in præſens datis Romano: inducijſque inter NICOSTRATVM Achæorum præt. & Lacedæmoniorum

moniorum tyrannum, in IV. mensis factis.

T. QVINCTIVS Corinthum profectus, ostentatâ ad portam Cretensium cohorte, simul PHILOCLI præfecto, Tyrannum à Philippo descivisse, ostendit.

Et quùm ille ex urbe ad Rom. Imperatorem in colloquium venisset; hortanti ut extemplò ad se transiret, ità respondit; ut distulisse rem magis, quàm negâsse videretur.

Indè QVINCTIVS ad Anticyram traiecit; & fratrem ad tentandam Acarnanum gentem misit.

ATTALVS, ab Argis Sicyonem erat profectus. Ibi civitas novis honoribus veteres regis honores auxit: & rex ad id, quod sacrum Apollinis agrum grandi quondam pecuniâ eis redemerat; civitati sociæ atque amicæ X. talenta argenti dono dedit; & X. Mill. medimnûm tritici. atque ità Cenchréas ad naveis rediit.

NABIDIS, EIVSQVE VXORIS RAPACITAS.

NABIS verò firmato Argis præsidio, Lacedæmonem regressus, quùm ipse viros spoliâsset, ad feminas spoliandas uxorem Argos misit. Ea nunc singulas illustreis, nunc simul plureis genere inter se iunctas, domum arcessendo, blandiendoque ac minando, non aurum modo ijs, sed postremò vestem quoque, mundumque omnem muliebrem ademit.

BOEOTI ASTV CONSOCIATI ROMM.

T. QVINCTIO Bœotiâ pacatè ingredienti Principes Thebani occurrerunt. Et quantumvis PHILIPPI rebus pro tempore, ob Brachyllelem (al. Brachyllam) studerent; QVINCTIVM tamen, quasi utrique parti amici, salutârunt, & honoribus sunt prosecuti.

Quos ille benignè complexus, sensim processit: & tempus, quasi de industriâ, sermonibus extrahens, dum milites ex itinere fessos recrearet; unà cum Principibus in urbem ingressus est: Non quod illi probarent; sed in tanto militû comitatu & propinquitate, prohibere non auderent.

QVINCTIVS, quasi urbis nondum compos, eos hortatus est; *Vt deserto PHILIPPO, in Romanorum parteis discederent.*

ATTALI MORS.

Quâ in re quùm ATTALVS maiore, quàm ętas ferret, cõtentione, Oratorem QVINCTIO præstare niteretur; vertigine quâdam, vel pituitâ, in medio sermone, correptus, & collapsus est. Nec multis post diebus Pergamum in Asiam devectus exspiravit. Bœoti itaque cum in modum Romanis se coniunxérunt.

QVINCTIVS verò Senatusconsulto, de prorogato sibi imperio, amicis id Romæ procurantibus, accepto; magnâ victoriæ, gloriæque bello parandæ spe, in Thessaliam, adversùs regem movit.

Habebat sub signis suprà XXVI. Mill. militum. Ex quibus Ætoli VI. pedit. Mill. & CCC. equites contribuerant.

Nec minores Philippo erant copiæ. Qui quùm Romanos circà Thebas versari & castra metatos esse audîsset; ipse quoque castris à Larissâ motis, universum exercitum Pheras versùs educit.

CASTRA ROMM. ET MACEDON. AD SCOTVSAM.

Iamque ab utrisque ad Scotusam perventum erat, ubi acie inter se decernere constituerant: & non modò nulla ex mutuo hostium adventu perturbatio fuit; sed maiore & ardore, & alacritate, ad prœliandum sunt incitati.

Romani quidem, si Macedonas, quorum erat ex ALEXANDRO, totius olim Orientis domitore, alijsque regibus, nobile apud omneis virtutis & potentiæ nomen, iusto prœlio superâssent.

Macedones verò; si Romanos, quos Persis longè præstantiores ducebant, bello fregissent; PHILIPPO clariorem, quàm ALEXANDER ex Persis tulisset, gloriam parituri.

PVGNA FATALIS AD CYNOSCEPHALAS.

Post levia subinde inter utrorumque exploratores & præcursores, certamina; & subitum ad sua cuiusque castra receptum; tandem iustioribus copijs ad Cynoscephalas (fastigia collium in Thessalia contiguorum, turbinata, ex figuræ similitudine sic dictæ sunt) manus conseruerunt. Quùm itaque, qui utrinque, & ad res explorandas, & ad insidias alteris struendas emissi erant; locis illis saltuosis, & densâ tum aëris caligine obtectis, vario eventu pugnarent; & nunc hi, nunc illi fugerent aut instarent; primùm Romani in fastigia collium progressi, & tumò perturbati, (licet X. cohortes, & Mille ex robustioribus selecti essent) pòst aliquantum conflictum, mittunt ad Imperatorem; ut sibi periclitantibus succurreretur.

TITVS itaque Ætolos, qui cum ARCHEDAMO & EVPOLEMO erant, uti locorum peritiores; & duos ex suis Tribb. militum, unà cum D. equitibus, & II. pedit. Millib. submittit.

Horum adventu, velitaris pugna in iustum conflictum mutata est, additâ Romanis animorum alacritate.

Macedones deinde, quantumvis locorum opportunitate fortiter se tuerentur; pressi tamen, & armis gravati, & ad ulteriora collium fastigia refugientes, auxilia à rege petitum miserunt.

Philippus, qui eo die iustum universè conflictum fieri haud speráret, quamplurimos è castris pabulatum dimiserat. Audito nihilominus suorum discrimine; & apertis, nebulâ iam evanescente, insidijs; HERACLIDEM Gyrtonium, Thessalici; & Leonem, Macedonici equitatûs, magistros; unà cum ATHENAGORA, omnibusque, præter

 Thracas,

Thraeas, ſtipendiarijs, ſubſidio mittit.

Illi, cum ijs qui in ſtatione erant coniuncti, Romanos viciſſim à collibus abarcent. Et ne hi extemplò in fugam, & in camporum planitiem conijcerentur; Ætolicorum equitum, qui ſeparatim, quàm confertim plùs valent, dexteritas effecit; hoſtiumque impetum remorata eſt.

Titus, animadversâ auxiliarium inclinatione, & conſternatione ad alios ſerpente; univerſum exercitum educit, & aciem ad colles inſtruit.

Hîc ex Macedonum ſtatione, alij poſt alios, ad PHILIPPVM properè adcurrunt, qui hoſtem fugere clamitent: occaſionem haud negligendam. hunc unum hoſtis Barbari opprimendi diem eſſe.

Rex, quantumvis locorum ſitus ad confligendum minus opportunus, ob aſperos præruptoſque colleis, haud ſatis ipſi probaretur; militari importunitate ad prœlium provocatur; & exercitum è vallo educere iubet.

Titus viciſſim copias ſuas ad pugnam explicat; neque minùs in eos hoſtium, qui pugnæ præludia inchoárant, incumbit. & elephantis in fronte oppoſitis, dextrum cornu eo in loco manére iubet. ſiniſtrum verò cornu ſibi cum robuſtiſſimis adſumens, hoſteis ex-adverſum magno animo adortus eſt.

Philippus, qui eo temporis articulo maiorem exercitûs ſui partem pro vallo in acie conſtitutam cerneret; ſcutatis ſecum acceptis & dexterâ Phalange, progreſſus, properè in tumulos cunſcendit. & NICANOREM, cui Elephanti cognomen, cum reliquis copijs eodem, & e-veſtigio ſequi iubet.

Ipſe, acie primorum, qui in ſuperiora loca nitebantur, obiectis ſcutis egregiè defensâ, faſtigia collium occupavit. Indè dextro cornu Romanos, immiſsâ in eos ex locis declivibus Phalange, premebat.

Neque ſiniſtrum Romanorum cornu, licet ex fortiſſimis conſtaret; gravem, & intentis horrentem haſtis frontem, acremque eius impreſſionem, ferebat.

Titus itaque omiſſo cornu, quod ceſſim ſe recipiebat; ad alterum, quod ob tumulorum anfractus iam divulſum erat; & quo loco Macedones denſare aciem (quòd apud illos firmamentum eſt exercitûs) confragoſis ſaltibus impediebantur; properè decurrens, ſigna intulit.

Hic vir cum viro congreſſus, mutuo ſe impulſu, gravi atque inhabili, premebant.

Romanis denique à tergo irruentibus, quùm Phalangitæ nulli iam uſui eſſent; & viritim prœliari cogerentur; vel facilè occidebantur, vel proiectis armis fugiebant.

Quod ubi vidit PHILIPPVS, ſtatim è pugnâ ſe cum paucis equitibus ſubduxit. Et ex edito, prœlij eventum, & victoriam ad Romanos inclinatam, contemplatus; in Tempe ingreſſus, eos qui ex prœlio ſalvi effugerant, recollegit.

Ceciderunt eo prœlio non minus IIX. hoſtium M. & capti ad v. Millia. Ex Romanis, circiter DCC.

Vt verò PHILIPPVS fugâ è manibus elaberetur, Ætoli in cauſsâ fuiſſe videntur. Qui dum Romani hoſteis conſectantur fugienteis, caſtra diripuére, & exhauſére: neque ſocijs è pugnâ reverſis reliqui quidquam fecére.

Vt nec miuriâ apud Duces eorum, Romani, nec ſine convicijs, quererentur: *Sibi quidem labores & prœliandi diſcrimina impoſita; Ætolis verò fructus victoriæ & emolumenta ceſſiſſe.*

Neque minus impudenter, nec ſine gravi QVINCTII imperatoris offenſione, victoriæ ex eo bello gloriam ſibi vindicare, & paſſim iactare auſi ſunt: quæ ſimultatum fuit origo.

ACARNANIA SVBACTA.

Eodem pænè tempore L. QVINCTIVS FLAMINIVS, frater Proconſulis, Leucade urbe, quæ caput Acarnaniæ eſt, expugnatâ; & auditâ prœlij famâ, quod ad Cynos-cephalas pugnatum erat; omneis Acarnaniæ populos in deditionem accepit.

PERÆA A RHODIJS RECEPTA.

Et Rhodij continentem regionem, Peræam, à maioribus ſuis poſſeſſam, à PHILIPPO vindicare adnixi, iuſto prœlio duces regios profligárunt. Fruſtrà tamen obſeſsâ oppugnataque urbe Stratonicéa. quam ſi victores confeſtim petiſſent, recipere ſine certamine potuiſſent. quæ recipi, niſi aliquanto poſt per Antiochum, non potuit.

PHILIPPVS DARDANOS VINCIT.

PHILIPPVS nihilo minus, quùm audiſſet Dardanos, fineis regni tranſgreſſos ſuperiora Macedoniæ evaſtare; quamvis fortunâ undique iniquiore urgueretur; morte tamen triſtius ratus Macedoniæ etiam poſſeſſione pelli; delectu raptim per urbeis Macedonum habito, cum VI. pedit. Millib. & equitibus D. circà Stobos, Pelagoniæ, improvisò hoſteis oppreſſit. Multi ex hoſtibus in prœlio; plures prædandi cupiditate palantes, per agros, cæſi. Et quibus fuga expeditior fuit, ne tentato quidem caſu pugnæ, in fineis ſuos rediérunt.

ANTIOCHVS NOVVS ROMANORVM HOSTIS, PHILIPPO FEDERATVS.

Non tàm in tempore Punicum bellum terminatum erat, ne ſimul & cum PHILIPPO foret bellandum; quam opportunè, iam ANTIOCHO in Syriâ moliente bellum, PHILIPPVS eſt ſuperatus: quùm & Hiſpania ſub idem tempus magno tumultu ad bellum conſurrexit.

ANTIOCHVS, qui bactenus Romanorum societatem coluerat, partim augendi imperij studio; partim Romanorum incrementa suspectans, in offensionem eorum incurrit.

Et PHILIPPVS traditis ei aliquot in Asia urbibus. & in cæteris, Abydo, quas tueri posse desperabat; societatem eius emercatus esse; & ad bellum Romanis inferendum incitâsse censebatur.

Quùm ille itaque priore æstate omnibus, quæ in Cœle-Syriâ sunt, civitatibus PTOLEMÆI, in suam potestatem redactis, in hiberna, ANTIOCHIAM, concessisset; nihilo quietiores posteà res habuit.

Omnibus enim regni viribus connixus, cum ingenteis copias terrestreis, maritimasque, comparâsset; principio veris, præmissis cum exercitu filijs duobus, ARDYE & MITHRIDATE, iussisque, Sardibus se opperiri; ipse cum classe c. tectarum navium; ad hoc levioribus navigijs, cercuris ac lembis, cc. proficiscitur. Simul per omnem oram Ciliciæ Cariæque tentaturus urbeis, quæ in ditione PTOLEMÆI essent: simul PHILIPPVM (nec dum enim debellatum erat) exercitu navibusque adiuturus.

RHODII ANTIOCHO SE OPPONVNT.

Rhodij nihil territi tantâ mole imminentis belli, quùm rex Zephyrio, Solis, Aphrodisiade & Coryco ac Selinunte, eius oræ castellis, aut metu, aut voluntate, sine certamine, in deditionem acceptis; Coracesium, quod præter spem portas clauserat, operibus tum oppugnaret. legatos miserunt, qui denunciarent:

Ni Nephelide (promontorio Ciliciæ) copias suas contineret; se obviàm ituros. Non ab ullo odio; sed ne coniungi cum Philippo paterentur, & impedimento esse Romanis, liberantibus Græciam.

Rex iræ temperans, tantùm legatos se Rhodum missurum respondit; qui vetusta iura, cum eâ civitate, sua maiorumque suorum, renovarent: & vetarent eos adventum pertimescere amici regis. *Nihil ipsi, aut socijs eorum, noxæ futurum, fraudive.*

Et tum fortè legati eius ab Româ redierant, comiter à Senatu auditi dimissique. quod incertus adhuc belli, adversùs Philippum, eventus esset.

Quùm hæc legati regis in concione Rhodiorum agerent; nuntius venit; *Debellatum ad Cynos-cephalas esse*. Quo nuntio accepto, Rhodijs omni à PHILIPPO, metu liberis, consilium erat obviàm eundi cum classe, ANTIOCHO.

Neque alteram curam omiserunt, tuendæ libertatis civitatum sociarum PTOLEMÆI, quibus bellum ab Antiocho imminebat. Nam alias auxilijs iuvérunt; alias providendo, & conatus hostis præmonendo. Caussaque libertatis fuérunt Caunijs, Myndijs, Halicarnasseis, Samijsque.

MORS ATTALI.

Eodem tempore Attalus rex, qui æger Thebis Pergamum fuerat advectus, moritur, altero & septuagesimo ætatis anno; quùm IV. & XL. annos regnâsset, singulari iustitiæ, fidei, mansuetudinis ac liberalitatis famâ. Vxorem, ac liberos IV. (EVMENEM, ATTALVM, PHILETÆRVM & ATHENÆVM) superstites habuit. Regnum adeò stabile ac firmum reliquit, ut ad tertiam stirpem possessio eius descenderit. Ex ijs EVMENES, annos unde-quadraginta posteà regnavit. Vid. sup.

CONSVLVM DE GALLIS TRIVMPHVS.

Sub idem tempus Consules, C. CORNELIVS CETHEGVS, & Q. MINVTIVS RVFVS, Romam venérunt; & triumphum ob res prosperè in Italiâ adversùs Gallos gestas, postulárunt.

Intercessére Tribb. plebis; *Communem se relationem de eâ re fieri non passuros, ne par honos in dispari merito esset.*

Victi perseverantiâ Tribunorum Consules, separatim retulérunt. Et Cn. CORNELIO omnium consensu decretus triumphus: cui Placentini Cremonensesque favorem addidérunt, obsidione ab eo liberati; & plerique ex hostium servitute recepti.

Q. MINVTIVS, quùm tentatâ tantùm relatione, adversum omnem Senatum videret; in monte Albano se triumphaturum, & iure imperij consularis, & aliorum exemplo, dixit. Intulit uterq; in ærarium ingentem, & parem pænè, argenti summam, & militibus suis pardonativum distribuit.

3758.
27. Ant. M.
8. Ptol. Epiph.

192.

Secundùm triumphum, Consularia comitia habita; & creati Coss. L. FVRIVS PVRPVREO, & M. CLAVDIVS MARCELLVS.

Ob res prosperè in Macedoniâ à T. QVINCTIO gestas, in dies quinque, supplicationes sunt decretæ.

LEGATIO ROMAM, PHILIPPI SE SVBMITTENTIS.

Nec multo post Legati, & à Quinctio, & ab rege PHILIPPO venérunt. In Senatu haud multa verba facta, quùm Macedones, quæcumque Senatus censuisset, id regem facturum esse dicerent. Decem Legati, more maiorum, quorum ex consilio T. Quinctius Imperator leges pacis PHILIPPO daret, decreti. adiectumque, ut in eo numero Legatorum P. Sulpitius & P. Villius, essent, qui Coss.

qui Coss. Macedoniam obtinuissent.

Consules novi, magistratu inito, quum de provinciis ageretur; & Italiam utrique provinciam Senatus decerneret; & MARCELLVS provinciæ cupidior, pacem dissuaderet; Tribb. plebis intercedentibus, rogatio ad plebem lata est; *Vellent iuberénne cum rege PHILIPPO pacem esse?* Et omnes v. & xxx. Tribus, uti rogatæ, iusserunt.

Atque ita Coss. ambobus Italia provincia, cum iis legionibus, quas superiores Coss. habuissent, decreta; & ut IV. novas legiones scriberent.

T. QVINCTIVS FLAMININVS cum II. legionibus, provinciam eodem exercitu obtinere iussus; imperiumque ei prorogatum.

Q. FABIO BVTEONI, & Q. MINVTIO THERMO, quibus prætoribus Hispaniæ provinciæ evenerant; Coss. legiones singulas, ex Quattuor ab se scriptis, quas videretur, uti darent, decretum. sociûm ac Latini nominis quaterna Millia pedit. & equites trecenos. Hique primo quoque tempore in provincias ire iussi.

NOVVM IN HISPANIIS BELLVM, ET CLADES IBI ACCEPTA.

Bellum namque in Hispaniâ quinctò pòst anno exortum est, quàm secundum bellum Punicum fuerat finitum. Et hoc bellum propè novum; quia tum primùm suo nomine, (Hispanorum) nullo Punico exercitu aut duce, ad arma ierant.

M. HELVIVS (al. Ælius) qui eam provinciam anno superiore obtinebat, litteris Senatum certiorem fecerat; COLCHAM & LVSCINVM regulos in armis esse. Cum Colchâ, XXVII. oppida; cum Luscino, validas urbeis, Bardonem & Cardonem, (al. Castulonem & Betulam) & maritimam oram omnem, quæ nondum animos nudaverit, ad finitimorum motus consurrecturam.

Et paullo-ante tristis ex Hispaniâ adlatus erat nuntius; C. SEMPRONIVM TVDITANVM Procons. in citeriore Hispaniâ prœlio victum; exercitum eius fusum fugatumque; & illustreis viros in acie cecidisse. TVDITANVM cum gravi vulnere latum ex prœlio, haud ità multo post exspirâsse.

Et iisdem nihilominus diebus, Cn. CORNELIVS LENTVLVS, qui antè SEMPRONIVM TVDITANVM citeriorem Hispaniam obtinuerat, quùm ex Sen. Consulto urbem (ovans, an triumphans?) ingressus esset, magnam auri argentique vim in ærarium intulit.

Et L. STERTINIVS, collega eius, ex ulteriore Hispaniâ, ne tentatâ quidem triumphi spe; & ærarium immenso argento auxit; & duobus fornicibus, quorum unum in foro Boario, alterum in maximo Circo fecerat; aurata signa imposuit.

BOEOTORVM INGRATITVDO, ET CRVDELITAS.

Hibernabat eo tempore Athenis QVINCTIVS Proconf. qui Bœotis petentibus, ut qui suæ gentis apud PHILIPPVM militâssent, sibi restituerentur, facilè indulsit. quod ANTIOCHO rege iam suspecto, favor Græcorum conciliandus nomini Romano apud Civitates videretur.

Sed ingrati, PHILIPPO, non Romanis, istud beneficij imputârunt. & BRACHYLLAM quemdam, quòd Bœotis apud regem militantibus antè præfectus fuisset; Bœotarchen fecérunt, prætentis ZEVXIPPO & PISISTRATO; alijsque, qui Romanæ societatis auctores fuerant.

Et cædes eiusdem BRACHYLLÆ, occultâ illorum adversariorum coniuratione patrata, efferavit Thebanos, Bœotosque omneis ad exsecrabile odium Romanorum. quòd ZEVXIPPVS Princeps gentis id facinus conscivisset; & is, re per servum conscium detectâ, Athenas, tutum exsilio locum, concessisset.

Sed quùm ad rebellandum neque vireis, neque ducem haberent; proximum bello quod erat, in latrocinium versi, alios hospites, alios vagos per hiberna milites, insidijs aut fraude excipiebant. adeò ut timidiùs, quàm in hostico, egredi castris miles auderet.

Multa eius generis facinora Acræphiæ & Coronææ facta. & peditum Italicorum cadavera, inveniebantur.

QVINCTIVS primò noxios sibi tradi iussit; & pro quingentis militibus (tot enim intercepti erant) quingenta talenta conferre. Quorum neutrum quùm fieret; verbis tantùm civitates excusârent, nihil publico consilio factum esse; missis Athenas, & in Achaiam legatis, qui testarentur socijs, iusto pioque bello se persecuturum Bœotos; & eum parte copiarum P. CLAVDIO Acræphiam ire iusso; ipse cum parte Coronéam circumsedit.

Quâ perculsi clade Bœoti, quùm legati eorum in castra non admitterentur; Achæorum Atheniensiumque intercessione, pacem impetrârunt. iussi, *noxios tradere, & multa nomine XXX. talenta conferre.* Atque ita ab oppugnatione recessum.

PAX CVM PHILIPPO.

Post paucos dies x. legati ab Roma venérunt: quorum consilio pax data PHILIPPO, in has leges.

„ *Omnes Græcorum civitates, quæ in Europâ, quæque in Asiâ essent, libertatem ac suas leges haberent.*

„ *Quæ earum sub ditione PHILIPPI fuissent; præsidia ex his PHILIPPVS deduceret.*

„ *In Asiâ; Euromum, Pedasus, Bargylia, Iassus, Myrina, Abydus, Thassus & Perinthus, deductis præsidijs, liberæ essent.*

„ *De Cianorum libertate, PRVSIÆ Bithynorum regi QVINCTIVS scriberet, quid Senatui & X. legatis placuisset.*

„ *Captivos*

„ *Captivos transfugasq́; redderet PHILIPPVS Romanis, & naves omneis tectas traderet.*

„ *Ne plus quingentis armatorum haberet, nec elephantum ullum.*

„ *Bellum extrà Macedonia fineis ne iniussu Senatûs gereret.*

„ *Mille talentûm daret populo Romano, dimidium præsens, dimidium pensionibus X. annorum.*

Adiectum aiunt; Ne cum EVMENE, Attal. Filio, novo tum rege, bellum gereret.

(In hæc obsides accepti, inter quos DEMETRIVS, PHILIPPI F.) Item, Attalo absenti Æginam Insulam, elephantosque dono datos: Et Rhodijs Stratoniceam Cariæ, atque alias urbeis, quas PHILIPPVS tenuisset: Atheniensibus Insulas datas, Paron, Imbrum, Delum, Scyrum.

ÆTOLORVM CONTVMACIA.

Omnibus Græcis hanc pacem approbantibus, soli Ætoli id decretum x. Legatorum, clàm mussantes, carpebant.

Et certè Romani haud ignari Græcos inani specie libertatis deleniros, sibi in posterum obsequentiores fore, quàm si præsidiorum compedibus adstringerentur; ut ANTIOCHVM Europæ imminentem anteverterent; & Græcis faventibus in Asiam traijcerent; ea Legatis suis mandata dederant, quæ nomini Romano gloriosa, & novo bello ferendo commoda videbantur.

Alias enim Romanis tradi urbeis, neque eas nominari; alias nominari, & sine traditione liberas esse iubere; nec vanè, iactabant.

Vt scilicet, quæ in Asiâ sint, liberentur, longinquitate ipsâ tutiores: quæ in Græcia sint; ne nominatę intercipiantur; Corinthus & Chalcis & Oreû, cum Eretriâ & Demetriade.

Et reverà Romani, ANTIOCHO, quem in Europam transgressurum, rebus domi pacatis, non dubitabant; tàm opportunas ad occupandum patére urbeis (Corinthum & Chalcidem, cum Demetriade) nolebant.

QVINCTIVS ab Elatiâ Anticyram, cum x. legatis; inde Corinthum traiecit. Ibi in Concilio decretum; *Vt Corinthus redderetur Achæis; in Acrocorintho tamen præsidium esset. Chalcidem & Demetriadem sub tutela præsidij Romani retineri, tutius*; donec cura de ANTIOCHO, ne pro PHILIPPO dominus acciperetur; decessisset.

GRÆCIÆ LIBERTAS DATA.

Isthmiorum statum ludicrum aderat: & Græci exspectatione erecti, qui deinde status futurus; quæ sua fortuna esset; frequentiores convenerant.

Postquàm Romani ad spectaculum cõsedissent; Præco cum tubicine, ut mos est, in mediâ arenam, undè solenni carmine ludicrum indici solet, processit; & tubâ silentio facto, ità pronuntiat.

„ *Senatus Romanus, & T. QVINCTIVS Imperator, PHILIPPO rege Macedonibusq́; devictis, liberos immuneis, suis legibus esse iubet*; Corinthios, Phocenseis Locrenseisque omneis, & Insulam Eubœam. & Magnetas, Thessalos, Perrhœbios, Achæos, Phthiotas.

Deinde, pôst Græcos, percensuit omneis genteis quæ sub ditione PHILIPPI regis fuerant; Orestas, Dolopas, Lycum & Parthinos.

Eius beneficij magnitudo Græcos in tantam admirationem rapuit; ut sui compotes non essent, mirificos plausus ederent; & in Consulem coronas, flores, lemniscosque iacerent: Et præconem iterùm, iterumque repetere illam vocem, Græcæ libertatis indicem, iuberent.

Ludicrum deinde raptim peractum est, *omnium animis uno libertatis gaudio præoccupatis.*

Secundùm hæc, legationes regum, gentium, civitatumque auditæ. Legatis regis ANTIOCHI, nihil iam perplexè, ut antè, quùm dubiæ res, PHILIPPO incolumi, erant; sed apertiùs, quàm Romæ fuerat, pronuntiatum;

CONDITIONES ANTIOCHO PROPOSITÆ.

Vt excederet Asiæ urbibus, quæ aut PHILIPPI aut Ptolemæi regum fuissent. „ *Abstineret liberas, omnesq́; Græcas.* Antè omnia denuntiatum, ne in Europam aut ipse transiret, aut copias traijceret.

Tum conventus gentium civitatumque est haberi cæptus; & pro meritorum discrimine multa singulis attributa.

Quùm dimisso conventu, x. legati, partiti inter se munia, ad liberandas suæ quisque regionis civitates discessissent; Cn. CORNELIVS ad PHILIPPVM missus, magnoperè ei suasit, ut quoniam pacem impetrâsset, ad societatem amicitiamque petendam mitteret Romam legatos. ne siquid ANTIOCHVS moveret, exspectâsse, & temporum opportunitatem captâsse ad bellandum videri posset.

Is ad Tempe Thessalica interpellatus, quùm se missurum extemplò legatos respondisset; CORNELIVS Thermopylas, & ad solennem ibi conventum, Pylaicum, profectus, Ætolos præcipuè monuit, ut constanter & fideliter in amicitiâ pop. Romani permanerent.

Et quùm illi ferociùs, ob auxilia Romanis adversùs Philippum data, responderent; offensi, quòd non ex arbitrio eorum Macedonia quoque adempta regi, & data sibi in præmium belli esset; ne in altercationem excederet res; omnia eos æqua impetraturos, dixit, si Legatos Romam misissent. Qui mox ab ijs decreti.

CONIVRATIO SERVORVM IN ETRVSCIS OPPRESSA.

Sub id tempus Hetruriam servorum coniuratio propè infestam fecit. Ad eam quærendam opprimendamque, M. ACILIVS præt. cum unâ ex duabus legionibus urbanâ missus, aliosiam congregatos pugnando vicit, ex quibus multi occisi aut capti: alios verberatos crucibus adfixit; qui principes coniurationis fuerant: alios dominis restituit.

ALTER.

ALTERNANS PROELIJ FORTVNA IN BOIIS.

Ex consulibus Romà in provincias profectis; MARCELLVM in Boiorum ingressum fineis, & de viâ fessum, Coloramus Boiorum regulus, cum magnâ manu adortus, ad III. hominum M. occidit; & in ijs illustreis aliquot, Præfectos & Tribunos. castra tamen ab Romanis impigrè permunita & retenta, quæ hostes à prosperâ pugnâ nequidquam oppugnabant.

Boijs, dum stativis eisdem Romani per aliquot dies sese tenent; in castella sua vicosque dilapsis; MARCELLVS Pado confestim traiecto, in agrum Comensem, ubi Insubres castra habebant, legiones inducit.

Galli in ipso itinere prœlium committunt,& acriter antesignanos impellunt. Sed Consul socijs Latini nominis in hostem immissis, & acie Romanâ confirmata, tam strenuè signa intulit, ut Galli ultrà certamen non sustinerent, & effusâ fugâ terga verterent.

Eo in prœlio supra XL. hominum M. cæsa: & signa cum carpentis, aureisque torquibus, magno numero capta. Castra quoque Gallorum eo die expugnata direptaque; & Comum opidum intra paucos dies captum. castella duode-triginta ad Consulem defecérunt.

BOII LIGVRESQVE VICTI.

L. PVRPVREO alter Consul, ne intercluderetur simul à Boijs Liguribusque, magno circuitu per loca tutiora ad Collegam pervénit. Iunctis dein exercitibus, primùm Boiorum agrum ad Felsinam usque opidum populando peragravérunt.

Ea urbs, cæteraque castella, & Boij ferè omnes, præter Iuventutem, quę in silvas devias recesserat; in deditionem venérunt.

In Ligures deinde traductus exercitus. ubi quùm Boij. per occultos saltus, Romanos secuti, neq; adepti, Pado repentè navibus traiecto, Levos, Lebeciosq; pervastâssent; redeúntes inde extremo Ligurû fine,cû agresti prædâ, in agmen incidére Romanû.

Et ibi cædis magis, quâ victoriæ avidi pugnárût Romani, ut vix nuntium cladis hosti relinquerent.

Et quùm triumphus MARCELLO,magno patrum consensu, decretus; tùm collegę spes triumphi relicta. ob adversam ipsi pugnam;alteri secundam.

ANTIOCHVS CVM PTOLEMÆO BELLIGERATVR, ET ASIÆ Europæque imminet.

Eodem anno Antiochus rex, quùm hibernâsset Ephesi, indè profectus Hellespontum petit: iussis Smyrnâ & Lampsaco, quæ libertatem usurpabant, per præfectos suos circumsideri & oppugnari.

Ipse copijs ab Abydo in Chersonesum traiectis, Madytum urbem,quia clauserat portas,armatis circûdedit. Et iam opera admoventi, deditio facta est. Idem metus alias Chersonesi urbeis in deditionem dedit.

Lysimachiam indè omnibus simul navalibus terrestribusque copijs venit. quam cum desertam ac stratam propè ruinis invenisset; (ceperant autem, direptamque, paucis antè annis, incenderant Thraces) cupido eum restituendi nobilem urbem, & loco sitam opportuno, cepit.

LEGATIO AD EVMDEM, ET SENATVS MANDATA.

Ibi Legati Romani, & inter cæteros, L. CORNELIVS missus ab Senatu, ad dirimenda inter Antiochum Ptolemæumque reges certamina, cum convenérunt.

Docent Senatui quidem gratum fuisse, quod Attali regno abstinuerit: displicere quod Cœlen-Syriam Ptol. Philopatori eripuerit; quùm & ipse Romanorum sit socius.

Multò magis, quòd in Asiam reversus res novas molitus sit, & in Europam traiecerit; quasi PHILIPPO debellato ipse belli præmia habere velit.

Iubere itaque Senatum; *Vt PTOLEMÆO erepta restituat: Europâ abscedat, & ijs omnibus locis, quæ PHILIPPVS tenuerit: Græcorum in Asiâ urbeis liberas esse patiatur.*

Ad ea respondet Antiochus; Mirari se, *Cur inquirant Romani quid in Asiâ fiat*; quùm ipse non inquirar, *quid in Italiâ pop. Romanus faciat.*

Quod ad Ptolemæum attineat, cui ademtas civitates querantur; sibi cum illo & amicitiam esse; & id agere se, ut brevi etiam adfinitate iungatur.

Nec ex PHILIPPI quidem âdversâ fortunâ spolia ulla se petisse, aut adversùs Romanos in Europam traiecisse.

Indignum esse Chersonesi & Thraciæ urbibus se arceri, quas SELEVCVS proavus, Lysimacho rege bello victo, & in acie cæso, per summum decus parta liquerit; quæque ipse ab iniustis possessoribus vindicatum & reciperatum veniat.

Lysimachiam à Thracibus deletam de integro se condere, ut SELEVCVS filius eam sedem aviti regni habeat.

Intereà rumor incerto auctore adlatus, de morte Ptolemæi regis, effecit, ut nullus exitus disceptationi imponeretur.

Et licet utraque pars audisse se dissimularet; dimisso nihilo minus Concilio, cum CORNELIVS ad reges duos legatus spatium modici temporis ad cóveniendû Ptolemæum petebat; ut priusquam moveretur aliquid in novâ possessione regni, perveniret in Ægyptum; tum Antiochus suam fore Ægyptum, si occasio esset, censebat.

Et hic quidem filio SELEVCO cum terrestribus copijs ad restituendam Lysimachiam relicto;& legatis ad T. Quinctium missis, qui de societate agerent; omni classe navigans Ephesum, & oram Asiæ legens, pervénit in Lyciam.

Patarisque cognito, Ptolemæum vivere; navigandi quidem in Ægyptum omisit cõsilium; in Cyprum nihilo minus tendens, paullsper remigum seditione retentus est in Pamphyliâ.

Atq; inde profectû ad capita Sari fluminis, fœda tempestas oborta propè cum omni classe demersit.

collectis naufragij reliquijs, quùm res non in eo esset ut Cyprum tentaret; Seleuciam venit. ibique subduci navibus iussis ipse in hibetna Antiochiam processit.

3759. xxi ix. Ant. M. ix. Pt. Epiph. | 191.

Comitijs habitis à M. MARCELLO Cos. creati sunt Coss. L. VALERIVS FLACCVS, & M. PORCIVS CATO. Hic Hispaniam, ille Italiam sortitus.

T. QVINCTIO, suspectis non solùm ANTIOCHO & Ætolis, sed etiam NABIDE Lacedæmoniorum tyranno, prorogatum in annuum imperium est.

Consules priùs quàm, ab urbe proficiscerentur, Ver sacrum ex pontificum iussu fecêre. quod annis pòst xxi. factum est, quàm votum.

(Solicitis de bello Hispaniensi hominum animis, litteræ à Q. MINVTIO adlatæ; Se, ad Turbam opidum, cum BVDARE, & BESASIDE, ducibus Hispanis, signis collatis prosperè pugnâsse. xii. hominum m. cæsa. BVDAREM imperatorem captum.)

X. legati Romam ex Græciâ reversi, pace cum PHILIPPO factâ, non minorem belli molem ab ANTIOCHO, Ætolis & NABIDE, restare docuérunt. Et T. QVINCTIO, quod ad NABIN Lacedæmonium attineret, faceret, quæ è rep. censeret esse, permissum est.

Maioris autem esse momenti ad summam rem pop. Rom. censuérunt; magisque animadvertendum, quid ANNIBAL & Carthaginienses, si cum ANTIOCHO ortum foret bellum, acturi essent.

INTESTINA CARTHAGINIENSIVM MALA.

Carthaginienses, pace quàm bello feliciores censeri poterant, nisi intestinis morbis laborâssent.

Opprimebant civitatem duæ pestes; *Iudicum perpetuorum impotentia, & Quæstorum rapacitas*, quorum continui peculatus eò rempub. adduxerant, ut pensiones Romanis debitæ, ex tributo privatis indicto, exsolverentur, quasi non sufficerent opes ærarij.

ANNIBAL, ut quando bello non licebat, saltim pacis artibus gloriam gratiamque sibi pararet; præturam nactus, tetulit ad populum; quàm reipub. damnosa esset & Iudicum & Quæstorum effrenis potentia.

Itáque Iudices annui pro perpetuis lege latâ sunt instituti. Quæstorum avaritiâ castigata, tributum privatis remissum; æràriumque publicum plus satis idoneum ad ea soluenda compertum est, quæ Romanis ex pacto debebantur. Vna Leptis singula in dies talenta, vectigal Carthaginiensibus præbebat.

CALVMNIÆ IN ANNIBALEM, ET SVSPICIONES.

Sed quantùm eo facto de rep. meritus est ANNIBAL; tantùm nocentum, quos paverat per aliquot annos publicus peculatus, odium sibi conciliavit. qui velut bonis ereptis, non furto eorum manibus extorto, infensi & irati, Romanos in ANNIBALEM; & ipsos caussam odij quærenteis, instigabant. criminando, vtrum inquietum, & implacabiliter Romanis infensum, *moliri belli reparandi consilia; Nuntios litterasq́, ab eo ad ANTIOCHVM mitti, & ab rege ad eum clam legatos venisse.*

Quæ quamvis probabilia memoria prioris belli, per unum illum non magis gesti quàm moti, facerent: diu tamen repugnavit P. SCIPIO: qui parum ex P. R. dignitate esse duceret, Carthaginiensium factionibus intestinis publicam auctoritatem inserere; & bello glorioso victum ANNIBALEM turpi calumniâ circumscribere.

Missi tamen legati Carthaginem, qui apud Senatum eorum arguerent ANNIBALEM cum ANTIOCHO rege consilia belli faciendi inire.

ANNIBAL non exspectato iudicio ad ANTIOCHVM enavigat. Neque parvum momentum animo regis, adhuc fluctuantis & incerti ad moliendum, eius adventus fecisse creditur.

Ætolorum quoque animi ab societate Romanâ alienati tunc fuit; quòd legatos eorum, PHARSALVM & LEVCADEM, aliaque ex primo fœdere repetenteis, Senatus ad T. QVINCTIVM reiecisset.

OPPIA LEX ABROGATA.

Tulerat legem C. OPPIVS Trib. plebis, Q. FABIO, T. SEMPRONIO Coss. in medio ardore Punici belli: *Ne qua mulier plus semunciâ auri haberet, neu vestimento versicolore uteretur; neu vehiculo iuncto veheretur, &c.*

M. FVNDANIVS & L. VALERIVS Tribb. plebis, ad plebem hoc anno tulérunt de Oppiâ lege abrogandâ. M. & P. IVNII BRVTI, Tribb. plebis legem Oppiam tuebantur, nec eam se abrogari passuros aiebant.

Capitolium turbâ hominum, faventium adversantiumque legi complebatur.

Matronæ nullâ nec auctoritate, nec verecundiâ, nec imperio virorum, contineri limine poterant. omnes vias vrbis aditusque in forum obsidebant, viros obvios orantes: ut florente rep. & crescente in dies privatâ omnium fortunâ, matronis quoque pristinum ornatum reddi paterentur. Iam & Consules Prætoresque, & alios magistratus adire & rogare audebant.

M. PORCIVS CATO minimè exorabilis, pro lege, ne abrogaretur, sapientissimè disseruit. L. VALERIVS contra populari oratione rogationem abse promulgatam defendit.

Et BRVTI tandem, qui collegarum rogationi intercedebant; improbitate mulierum, quæ se in publicum postero die maiore frequentiâ effuderant, & uno agmine ianuas eorum obsidebant; evicti, intercessionem remisérunt. Sic lex au-

lex annis XX. (al. XXIX.) pòst abrogata est, quàm lata.

ACRIVS IN HISPANOS DEFECTORES BELLVM.

Hispania citerior, quinctò post Punici belli finem anno, à Romanis defecerat. Et id bellum segniùs administrárant Prætores. In eam igitur mittuntur & CATO Cos. & P. MANLIVS Prætor. In ulteriorem Hispaniam, quietiorem, AP. CLAVDIVS NERO, al. er P ętor.

Vtramque Hispaniæ partem singulæ legiones regebant. Additæ, peditum bina millia, & equites duceni, præter Consularem exercitum.

M. itáque PORCIVS Cos. XXV. navibus longis ad Lunæ portum profectus, inde cęteris edixit; ut ad portum Pirenęi sequerentur, unde frequenti classe ad hosteis esset iturus.

Vt Rhodam ventum; præsidium Hispanorum, quod in castello erat, vi deiectum: & ab Rhodâ, secundo vento, Emporias perventum. Ibi copiæ omnes, præter navaleis, in terram expositæ.

Emporię, duo opida erant, muro divisa; unum Græci habebant à Phocæâ oriundi, & Massiliensium cognati; alterum Hispani. Græci inter Hispanos eò tutiores, quòd præter disciplinam custodem infinitans, sub umbra amicitiæ Romanæ latérent. E tunc quoque Consulem exercitumque comiter ac benignè accepérunt.

Consul profectus ab Emporijs, agros hostium urit, vastatque; omnia fugâ ac terrore complet. Redemtoribus Romam dimissis, bellum frumento, quòd tum in areis Hispani habebat, alere instituit.

Militem suum non tam imperio, quàm exemplo parcimonię, fortitudinis & patientię præceptis, ita imbuit; ut brevi Hispanos tam incóstanter bellá.eis, quàm temerè rebellanteis, ad officium revocánt.

Eodem tempore M. HELVIO (al. Ælio) decedenti ex ulteriore Hispaniâ, cum præsidio VI. millium, dato ab AP. CLAVDIO Prætore, Celtiberi agmine ingenti, ad opidum Illiturgi, occurrunt; ad XX. armatorum millia. Ex ijs XII. millia cæsa, opidum receptum: puberes omnes interfecti.

ÆLIVS, eiusque ante biennium, successor Q. MINVTIVS, Romam ex Hispaniâ reversi; ille ovans urbem ingressus est: hic biméstri pòst triumphavit.)

STRATEGEMA CATONIS.

Dum Cos. CATO haud procul Emporijs castra haberet; legati ab Ilergetum regulo BILISTAGE venére, auxilia sibi, socijs, adversus communem hostem petentes. V. millia, satis ad repellendum esse.

Ad ea Consul, primò; sibi nequaquam tantum copiarum esse, ut in tantâ hostium & prælij propinquitate, dividendo exercitum, minuere tutò vireis posset; ne quid interim hostes inferant ignominiæ:

Deinde, socijs ad genua provolutis, spem, pro re, ostentat. Naveis, aliquantâ militum parte completas in diem tertium expediri iubet. Filium Reguli comiter habendo apud se retinet; & duos ex legatis, qui impositos navibus milites viderant, dimittit.

Qui id pro haud dubio iam nuntiantes, non suos modò, sed etiam hosteis, ad famam Romanorum auxilij adventantis, spe, & metu, impleverunt.

Tum Cos. ubi satis, quod in speciem fuit, ostentatum est; milite è navibus revocato, castra hiberna M. pass. ab Emporijs posuit; & prædatum milites in hostium agros eduxit. Inde suos, istiusmodi velitari militiâ satis exercitatos, proximè hostium castra de improviso perducit.

HISPANI VINCVNTVR.

Post acrem pugnam Hispani dissipati, & in fugam aversi, castra repetunt. quæ aliquousque strenuè tutati, posteaquam intra vallum Romanos vident; ipsis etiam castris exuti, signa armaque abijciunt. Ad XL. gentis eius millia cæsa eo die scribuntur.

CATO tria eo die laudabilia fecisse putatur. Vnum, quòd circumducto exercitu, procul navibus suis castrisque, ubi spem nisi in virtute haberent; inter medios hosteis prœlium commisit.

Alterum, quòd cohorteis ab tergo hostibus obiecit. Postremum, quòd secundam legionem, cæteris omnibus effusis ad sequendos hosteis, pleno gradu sub signis compositam, instructamque, subire ad portam castrorum iussit.

Nihil deinde à victoriâ cessatum. Militum in agros ad prædandum effusorum industria, non minùs, quàm pugna pridie adversa, Emporitanos, Hispanos, accolasque eorum in deditionem compulit. Et ut castra inde movit Cos. quàcumque incedebat agmen, legati dedentium civitateis suas occurrebant.

Et quùm Tarraconem venit; iam omnis cis Iberum Hispania perdomita erat; & captivi, vanjs antè casibus oppressi, domum Cos. à barbaris reducebantur.

Ad vanum Turdetanicæ expeditionis rumorem; VII. in Bergistanis castella defecérunt: eaque sine memorando prœlio in potestatem reducta. Sed ijdem iterùm deficientes, iterumque subacti, sub coronâ veniére omnes; ne sæpiùs pacem sollicitarent.

Interim P. MANLIVS Prætor in Turdetaniam cum veteranis proficiscitur. Hostes, licet imbelles, freti multitudine suâ, obviam iérunt agmini Romano. sed milites veteres, periti hostium bellique, haud dubiam pugnam fecérunt.

Consul CATO rebellione Bergistanorum ictus, ne exemplum ad alios serperet; arma omnibus cis Iberum Hispanis ademit. Quam rem adeò ægrè passi sunt; ut multi mortem sibimetipsi consciscerent.

ALTERVM CATONIS STRATEGEMA.

Quod ubi Cos. renuntiatum est; senatores omnium civitatum ad se vocari iussit; & de tollêdâ in poste-

posterum omni rebellionis materiâ consultavit.

Alij, scripsisse singulis unu eodemque die tradunt, ut urbis quisque suæ minumenta diruerent; bellum minitantem, nisi confestim obtemperarent. Et sic singulas urbeis, quùm id sibi solis imperarum crederent; mœnia sua uno die, solo æquâsse. & Consulem haud difficilè, ut in quamque regionem venerat, omneis qui circa incolebant, populos in deditionem accepisse.

Sola Segestica, gravis atque opulenta civitas, vineis pluteisque capta est.

VARIÆ DE HISPANIS VICTORIÆ.

Quùm verò Prætori MANLIO difficilius bellum in Turdetaniâ Celtiberi, mercede exciti ab hostibus, facerent; Consul eò arcessitus litteris Prætoris, legiones duxit. Facilia Romanis cum Turdetanis, imbeili gente, ubique certamina.

Quùm Celtiberi, indicto colloquio, induci non possent, vel ut ad Romanos transirent, duplexque stipendium acciperent; vel publicâ fide acceptâ domos abirent; vel diem locumque, ubi armis decernatur, constituerent; audito, Saguntiæ Celtiberûm omneis sarcinas impedimentaque relicta; eò Cos. pergit ducere ad oppugnandum.

Posteaquam nec eâ re moveri illos sensit; persoluto omnibus, & suis, & Prætoris militibus stipendio, relictoque in castris prætorianis exercitu; ipse cum VII. cohortibus ad Iberum est regressus. Eâ tam exiguâ manu opida aliquot cepit: Et ad eum defecere, Sedetani, Ausetani, Suessetani.

Lacetani, devia gens & silvestris, dum Cos. Turdulo bello occupatur; subitis incursionibus socios fuerant depopulati. Igitur ad opidum eorum oppugnandum ducit: non Romanas modò cohorteis sed iuventutem etiam meritò iufensorum ijs sociorum.

Ex ijs Suessetanos ad murum oppugnandum subire iubet. In quos Lacetani, dum patefactâ repentè portâ, universi erumpunt; Consul cohorteis suas, quas in propinquâ statione constituerat; in urbem vacuam inducit. Priusque omnia cepit. quam se reciperent Lacetani. Mox ipsos, nihil præter arma habenteis, in deditionem accepit.

Inde ad Vergium castrum ducit, receptaculum prædonum. Transfugit indè ad Cos. princeps Vergitanus, & purgare se ac populareis cæpit. *non esse in manu ipsis remp.* prædones receptos, totum suæ potestatis id castrum fecisse.

Consul eum domum redire, confictâ aliquâ probabili, cur abfuisset, caussâ, iussit. Quùm Romanum muros subisse cerneret, intentosque prædones ad tuenda mœnia esse; tum uti, cum suæ factionis hominibus, meminisset arcem occupare.

Id uti præceperat, factum. & repentè anceps terror, hinc muros adscendentibus Romanis; illinc arce captâ, barbaros circumvasit.

Eius potitus loci Cos. illos qui arcem tenuerant, cum cognatis, liberos esse, suaque habere iussit: Vergitanos cæteros Quæstori, ut venderet, imperavit. de prædonibus supplicium sumtum. pacatâ provinciâ, vectigalia magna instituit ex ferrarijs argentarijsque.

BOII ITERVM VICTI.

Eâdem æstate alter Cos. L. VALERIVS, in Galliâ, cum Boiorum manu, propter Litanam silvam, signis collatis & secundo prœlio conflixit. IIX. Gallorum millia cæsa traduntur: cæteri dilapsi.

Cos. reliquum æstatis circa Padum, Placentiæ & Cremonæ, exercitum habuit; restituitque quæ ijs in opidis bello diruta fuerant.

BELLVM IN NABIDEM DECRETVM.

Alterâ parte, T. QVINCTIO, ita hiberna agenti, & victoriam temperanti, ut universâ Græcia, præter Ætolos, egregiè statu suo gauderet; Senatûs Consultum, quo bellum adversus NABIDEM Lacedæmonium decernebatur, adlatum est.

Conventu itaque Corinthum, omnium sociarum civitatum legationibus, in diem certam, edicto, retulit: *An æquum censerent Argos, nobilissimam vetustissimamque civitatem, in mediâ Græciâ sitam, repeti in libertatem; & pulso NABIDE, eodem statu, quo cæteras urbeis Peloponnesi & Græciæ, esse!*

Hic quùm Athenienses Romanorum in Græciam merita extulissent, qui vel non rogati adversum tyrannum NABIN auxilia offerrent. & Ætoli in Athenienses & Achæos, ceu communis caussæ prævaricatores; atque adeò in Romanos, quasi in Græciâ manendi cupidiores, procaciùs inveherentur: & se suis præmijs fraudari quererentur.

Et deportatis in Italiam Romanorum legionibus, se, aut conditionibus, & voluntate suâ, NABIN præsidia Argis deducturum; aut vi atque armis coacturos, in potestate consentientis Græciæ esse, pollicerentur.

Tum ARISTÆNVS Achæorum Prætor, Ætolos suis coloribus graphicè depingens, Romanos rogavit; ut ab NABIDE Argos recipiant; & res Græciæ ita constituânt, ut à latrocinio quoque Ætolorum satis pacata omnia relinquant.

Quùm verò T. QVINCTIVS in hâc sententiarum varietate, & communi in Ætolos odio iterùm referret; *Quid de NABIDIS bello placeret, nisi redderet Achæis Argos!* & omnes bellum decrevissent: Tum ipse, ut pro viribus suis quæque civitates auxilia mitterent, est cohortatus.

Et copias ab Elatiâ arcessitas ducere Argos pergebat; quùm ei circa Cleonas ARISTÆNVS Prætor cum X. millibus Achæorum, & mille equitibus occurrit. Et paullò post coniuncti in agrum Argivorum descendunt; & haud procul Argis locum castris capiunt.

Præfectus præsidio Laconum, erat PYTHAGORAS; gener idem tyranni, & uxoris eius frater.

Illi, ad externum à Romanis socijsque terrorem, inte-

intestina etiam seditio accessit. Sed DAMOCLES, initæ adversus tyrannum coniurationis auctor, in ipso conatu, cum suis, in foro civitatis interfectus est. & alij ex coniuratis comprehensi, ex ijsque plures occisi: pauci in custodiam coniecti. multi funibus per murum demissi ad Romanos transfugerunt.

T. QVINCTIVS posteaquam nihil moveri, & oppressam metu civitatem vidit; quantumvis, alij Græciæ principes, præter ARISTÆNVM, censerent; *Quoniam caussa belli non alia esset, inde potissimum, hoc est, ab Argorum oppugnatione, ordiendum bellum.* ipse Aristænum, contra omnium consensum disserentem, haud dubiâ adprobatione audivit; & adiecit.

Quùm pro Argivis, adversus tyrannum, bellum susceptum esset; quid minus conveniens esse, quàm omisso hoste, Argos oppugnare! Se verò caput belli, Lacedæmonem, & Tyrannum petiturum.

Et mox cohortibus frumentatum missis, quod maturi erat circa, demessum & convectum: viride, ne hostes mox haberent, protritum & corruptum. Inde positis ad Caryas castris, sociorum auxilia exspectavit.

Venerunt Macedones à PHILIPPO MD. & Thessalorum equites CD. Et iam ab Leucade L. QVINCTIVS cum XL. navibus venerat. Iam Rhodiæ X. & IIX. tectæ naves: iam EVMENES rex, circa Cycladas Insulas erat cum X. tectis, & XXX. aliis formę navigijs.

Multi preterea Lacedæmoniorum exsules, variè expulsi confluxerant: quorum princeps AGESIPOLIS, cuius iure gentis, regnum Lacedæmone erat. Pulsus infans ab LYCVRGO tyranno, post mortem CLEOMENIS, qui primus tyrannus, ut volunt, Lacedæmone regnavit.

Hoc tanto belli adversum se adparatu nihil territus NABIS, præter X. M. popularium, cum castellanis agrestibus, quos in armis habebat, Cretenseis, aliosque mercenarios, undique contraxit: & nequid intestini motûs oriretur, Lacedæmoniorum reliquorum, tam liberorum, quàm Hilotarum, animos, metu & acerbitate pœnarum tenebat.

QVINCTIVM nihilo minus ad Eurotam sub ipsis propè fluentem mœnibus, castra metatum, & cum expeditis prægressum; tyranni auxiliares adorti in magnum terrorem ac tumultum coniecêrunt; donec legionum signa supervenirent, & in urbem hostes compellerent.

Deinde, quùm subinde in prætereuntes Romanos erumperent, & clade acceptâ, agrisque & ad Amyclas, & ad Taygetum evastatis, portâ non excederent; artiùs obsideri cæpta Lacedæmon.

GYTHIVM OPPVGNATVR.

Et eodem ferè tempore L. QVINCTIVS, Proconsulis frater, maritimæ oræ oppida partim voluntate, partim metu aut vi recepit.

Et certior factus Cytthéum (al. Gythium) omnium maritimarum rerum Lacedæmonijs receptaculum esse; in tantâ castrorum Rom. propinquitate, omnibus id copijs adgredi constituit.

Et rem, ob naturalem urbis situm, bellicumque in eâ adparatum, haud facilem adgredienti, rex EVMENES, & classis Rhodiorum, supervenérunt.

Multis operibus urbs undique oppugnabatur: & iam propè per ruinas miles, è tribus contractus classibus, irrumpebat; quùm impetum priùs spes obiectâ dedendæ urbis; deinde eadem turbata, retardavit. DEXAGORIDAS & GORGOPAS, pari imperio præerant urbi. Ille muros prostratos videns miserat nuntium ad legatum Romanum, traditurum se urbem. & quùm ad eam rem tempus & ratio convenisset; à collegâ, ceu proditor, interfectus est. eoque difficilior facta oppugnatio. ni T. QVINCTIVS, cum IV. delectorum millib. advenisset.

Is cum è supercilio tumuli, haud longè ab urbe distantis, instructam aciem ostendisset: & ex alterâ parte frater, ab operibus suis, terrâ marique instaret; GORGOPAS, pactus, ut abducere inde milites præsidiarios liceret, tradidit urbem QVINCTIO.

Paullo-antè PYTHAGORAS, præfectus Argis relictus, traditâ urbis custodiâ TIMOCRATI Pellenensi; cum mille mercenarijs militibus, & IIM. Argivorum millibus Lacedæmonem ad NABIN venerat.

Is, quùm nihil ab terrâ, omnibus circà hostibus, spei esse; & toto se mari interclusum cerneret; cedendum fortunę ratus, misso caduceatore, colloquium cum Romano Imperatore, expetivit. & inter cætera: *Nihil se postea quam, cum Romanis amicitiam instituerit, cur eius illos pœniteret, commisisse*, dixit.

Romanus contrà: *Nullam sibi amicitiam & societatem cum NABIDE fuisse; sed cum PELOPE, rege Lacedæmoniorum, iusto ac legitimo, factam esse.* cuius ius, Tyranni quoque, qui postea per vim tenuêrunt Lacedæmone imperium (quia Romanos alia bella occupabant) usurpáriut; sicut ipse quoque Macedonico bello fecisset.

NABIS tandem *Argis se cedere, ac deducere præsidium*, (quando ita Romanis placeret) *& captivos perfugasque reddi turum dixit*. Si quid aliud postularetur, tempus ad consultandum dari petijt.

Ipsius quidem Imperatoris animus ad pacem erat inclinatior, qui compulso intra mœnia hoste, nihil præter obsidionem restare videret; eamque, urbis, ab armis visque validæ, diuturnam.

Huc accedebat infida cum ANTIOCHO pax; qui maioribus terrâ marique copijs in Europam transiturus nuntiabatur.

Et præter hæc, tacita suberat cura, ne novus Consul provinciam sortiretur; & inchoati belli victoria successori tradenda esset.

At socij perseverandum in bello esse, & tollendum tyrannum; *ne exemplum latiùs per Græciam serperet*, magno consensu iudicabant.

QVINCTIVS verò, qui adversus tendendo nihil illos moverat; simulando se in eorum transire sententiam, omneis in adsensum consilij sui traduxit. Placere sibi, ut ipsis, obsideri Lacedæmonem: Sed lentam tantæ urbis oppugnationem, maiori obsidentibus priùs quàm obsessis, tædio, præter labores & pericula, futuram.

Impensâ rem magnâ egêre, in opera & machinas

chinas bellicas: in commeatus in hyemem expediendos. Nihil iam præter nudum solum, agros hostium habere.

Eâ Proconsulis oratione, versis subitò voluntatibus, socij omnes, facere quod è rep. populi Rom. sociorumque esse crederet, imperatori permisêrunt.

PAX CVM NABIDE.

Inde QVINCTIVS, adhibitis legatis tantùm, Tribunisque milit. conditiones, in quas cum tyranno pax fieret, has conscripsit.

,, *Sex mensium induciæ ut essent NABIDI, Romanisque, & EVMENI regi ac Rhodijs.*

,, *Legati Romam mitterentur, ut pax ex auctoritate Senatûs confirmaretur.*

,, *Vt intra decimum diem, ab induciarum principio, ab Argis, cæterisque Argivi agri opidis, præsidia omnia deducerentur. vacua & libera, Romanis traderentur; & mancipia reperta, dominis restituerentur.*

,, *Obsides, Tyrannus, & in ijs filium daret.*

,, *Exsulibus Lacedæmonijs liberos & coniuges redderet, quæ earum viros sequi voluissent. invita ne qua exsulis comes esset.*

EA MOX VIOLATA, ET SPARTA OBSESSA.

Cùm hæ pacis conditiones permolestæ essent tyranno; tum Spartanos universè, exsules, servos, mercenarios, parùm iuvare visæ.

Concitante multitudinem NABIDE, & ANTIOCHI Ætolorumque auxilia sibi pollicente; ad arma discursum est.

QVINCTIVS itáque nihil præter urbis Spartæ oppugnationem superesse ratus; omnibus copijs (erant autem Romanorum sociorumque simul peditum equitumque, simul terrestrium ac navalium copiarum ad L. hominum millia) urbem circumsedit.

Impressione in muros ternis aciebus factâ, quùm terga vertissent Lacedæmonij, & effusa fugâ superiora peterent loca; NABIS quidem, ut captâ urbe trepidans, quánam ipse evaderet, circumspectabat.

PYTHAGORAS verò succendi ædificia, proxima muro, iussit. Vbi flamma latè se effudit, & fumus terrorem etiam maiorem, quàm periculum, facere cæpit. & qui extra urbem erant Romanorum, tum maximè impetus facientes, à muro recessêre; & qui iam intraverant, ne incendio à tergo oriente intercluderentur à suis, recepérunt sese. & QVINCTIO receptui cani iubente, à captâ iam propè urbe revocati, rediérunt in castra.

QVINCTIVS nihilo minus nunc prælijs lacessendo, nunc operibus intersepiendo quædam, ne exitus ad fugam esset; territare obsessos pergit. & ihusmodi comminationibus tyrannum compulit, ut PYTHAGORAM rursùm oratorem mitteret.

INDVCIÆ CVM TYRANNO.

Eóque res deducta est, ut ijs conditionibus, quę ex scripto paucis antè diebus edita erant, induciæ fierent: pecuniæque & obsides accepti.

ARGOS RECEPTVM.

Dum oppugnatur tyrannus, Argivi ad nuntium tantum-non captæ Lacedæmonis, contemtâ paucitate eorum, qui in arce erant, duce ARCHIPPO quodam, præsidium expulérunt. TIMOCRATEM, quia clementer præfuerat, vivum fide datâ emisérunt.

Huic lætitiæ T. QVINCTIVS supervénit, pace datâ tyranno; dimissísque ab Lacedęmone EVMENE & RHODIIS, & L. QVINCTIO fratre, ad classem.

Læta civitas celeberrimum festorum dierum, ac nobile ludicrum Nemeorum, die statâ, propter belli mala, prætermissum, in adventum Romani exercitûs ducisque indixérunt: præfecerúntque ludis ipsum imperatorem. Ipso Nemeorum die, voce præconis, testata est libertas Argivorum, & reliquæ Græciæ immunitas iterum confirmata. Achæis, quantum restitui Argi in commune Achaiæ concilium lætitię adferebant; tantùm Lacedæmon serva relicta, & lateri adhęrens tyrannus, non sincerum gaudium præbebant.

ÆTOLORVM SVPER EA PACE QVERELÆ.

Ætoli verò eam rem omnibus concilijs lacerare. cum PHILIPPO nobilissimo rege, non antè desitum bellari, quàm omnibus excederet Græciæ urbibus. Tyranno immanissimo relictam Lacedęmonem, totius Græciæ principem civitatem.

Regem autem legitimum AGESIPOLIDEM, qui in castris fuerat Romanis, cæterósque Spartanos civeis in exsilio victuros. ut NABIDIS dominantis satelles factus esse videatur populus Romanus. QVINCTIVS verò ab Argis Elatiam, unde erat profectus, copias reduxit.

3760. 29. Ant. M. 10. Pt. Epip.		190.

L. VALERIVS Cos. quùm post fusos circa Litanam silvam Boios, quietam provinciam habuisset; comitiorum caussâ Romam redijt; & creavit Coss. P. CORNELIVM SCIPIONEM AFRICANVM

NVM II. & T. SEMPRONIVM LONGVM. Quorum patres I. anno secundi Punici belli Consules fuerant.

Principio anni, legati NABIDIS tyranni Romam venerunt. pax, quæ cum T. QVINCTIO convenisset, ut rata esset, petierunt impetraveruntque.

De provincijs quùm relatum esset, Senatus frequens in eam sententiam ibat; ut quoniam in Hispaniâ & Macedoniâ debellatum foret, Consulibus ambobus Italia provincia esset.

SCIPIO satis esse Italiæ unum Consulem censebat; alteri decernendam Macedoniam esse: cui ab ANTIOCHO, ab Ætolis, ab ANNIBALE, belli periculum immineret.

In Macedoniam tamen novum exercitum transportari non placuit. eum, qui esset ibi, reduci in Italiam à QVINCTIO & dimitti. Ei quoque exercitui missionem dari, qui cum M. PORCIO CATONE in Hispaniâ esset.

Consules duas urbanas legiones scriberent; ut dimissis, quos Senatus censuisset, exercitibus, IIX. omninò Romanæ legiones essent.

Censores, SEX. ÆLIVS PÆTVS, & C. CORNELIVS CETHEGVS, gratiam ingentem apud patres peperérunt; quòd ludis Romanis, Ædilibus curulibus imperárunt, ut loca senatoria secernerent à populo. nam anteà in promiscuo spectabant.

PLEMINIVS INCENDIARIVS PRISTINORVM SCELERVM POENAS LVIT.

Quùm spectaculo Ludorum votivorum, qui tunc unà cum Vere sacro, facti sunt, omnium animi occupati essent; Q. PLEMINIVS, quem propter multa in Deos, hominesque scelera, Locris admissa, in carcerem fuisse coniectum diximus; comparárat homines, qui pluribus simul locis urbis, noctè, incendia facerent; ut in consternatâ nocturno tumultu civitate refringi carcer posset. Ea res indicio consciorum palam facta, delataque ad Senatum est: & PLEMINIVS in inferiorem demissus carcerem, necatusque.

NOVÆ IN ITALIA COLONIÆ.

Coloniæ civium Romanorum eo anno deductæ sunt, Puteolos, Vulturnum & Liternum. Item Salernum Buxentumque: & ager divisus, qui Campanorum fuerat. Et Sipontum item, in agrum qui Arpinorum fuerat. Templum item & Crotonem.

In Galliâ L. VALERIVS FLACCVS Procos. circa Mediolanum cum Gallis Insubribus, & Boijs, qui CORALACO duce ad concitandos Insubres Padum transgressi erant; signis collatis depugnavit. X. hostium mill. cæsa. Et collega eius PORCIVS CATO ex Hispaniâ, per eos dies triumphavit.

ANCEPS IN BOIIS PVGNA.

T. SEMPRONIVS Consul in Boiorum agrum legiones induxit. BOIORIX tum regulus eorum, cum duobus fratribus, totâ gente concitatâ ad rebellandum, castra locis idoneis posuerat.

Consul nuntio ad collegam misso, ut venire maturaret, tergiversando in adventum eius rem extrahebat.

Galli contrà, priùs quàm coniungerentur Consulum copiæ, rem transigere cupiebant. ac postremò ad vallum castraque Rom. omni simul parte adgressi, viam propè efferendis signis clauserant.

Hic ingenti prœlio commisso, varia hinc atque illinc nunc victoria, nunc fuga fuit. Gallorum tamen ad XI. M. Romanorum V. M. occisa traduntur.

Eodem hoc anno T. QVINCTIVS Corinthum, conventu edicto, venit. Hic omnium civitatum legationes in concionis modum circumfusas est adlocutus: orsus ab initiâ primùm Romanis amicitiâ cum Græcorum gente, & suis aliorumque Imperr. rebus gestis.

Quumque omnia ingenti cum adprobatione audirentur, præterquam quod *minimè conveniens liberanti Græciam videretur, Tyrannum Nabidem, & patriæ gravem, & vicinis metuendum, reliquisse*.

Subiecit Quinctius: *Sine excidio Lacedæmonis aliter fieri non potuisse. satius itaque visum esse, tyrannum debilitatum, ac totis propè viribus, ad nocendum cuiquam, ademptis, relinqui; quàm intermori vehementioribus, quàm quæ pati posset, remedijs civitatem sinere; in ipsâ vindiciâ libertatis perituram.*

In Italiam proficisci, atque omnem exercitum deportare sibi in animo esse. Demetriadis Chalcidisque, præsidia prius deducturum, & Acrocorinthum vacuam Achæis traditurum pollicetur. Vt omnes scirent; *utrum Romanis, an Ætolis mentiri mos esset: qui mutatos, pro Macedonibus, Romanos dominos sermonibus differrent.* Alienis ipsi armis partam, externâ fide redditam; *libertatem*, civitates singulæ *suâ curâ, summâque, inter se concordiâ custodirent; Vt populus Romanus dignis datam libertatem, ac munus suum benè positum sciret.*

Multi eas voces, *velut benigni parentis, & oraculo quasi missas*, in pectora animosque demiserunt.

CAPTIVI CONQVISITI ET RESTITVTI. ET COS. PROMISSA præstat.

Ingens erat civium Rom. numerus Punico bello captorum, quos ANNIBAL, quùm à suis non redimerentur, venumdederat. mille & ducentos sola Achaia habuit: pro quibus redimendis centum talenta ipsi contulerint.

Reliqua Græcia, ut QVINCTIO gratificaretur, multos pretio dominis reddito, servitute liberavit, & in Italiam remisit.

Inde Procos. Chalcidem profectus, ex eâ urbe, ex Oréo, Eretriâ, & Demetriade, præsidia deducit.

In Thessaliâ, gente inquietâ, *à censu* maximè Senatum & iudices *legit*: potentioremque eam partem in civitatibus fecit, cui *salva tranquillaque omnia magis esse expediebat*.

Ab Orico copiæ omnes Brundisium transportatæ; & inde per totam Italiam ad urbem propè triumphantes venerunt.

QVIN-

QVINCTIO triumphus meritus ab lubentibus decretus. ipse triduum, magnâ pompâ, & numeroso captivorum obsidumque (inter quos DEMETRIVS regis PHILIPPI, & ARMENES NABIDIS Tyranni, Filij) agmine, triumphavit.

PTOLEMÆVS EPIPHANES REX ÆGYPTI. AGATHOCLIS TVTORIS IMPOTENTIA.

Hoc demum anno putant quidam PT. PHILOPATOREM, libidine atque inertiâ effœtum, mortem obijsse. ut EPIPHANES F. decem penè annis, patre adhuc superstite, regnâsse: Et pater interea iniquas regum PHILIPPI & ANTIOCHI spes atque in se molitiones, unâ constantiâ societatis, cum Romanis semel initæ, frustratus esse censeatur.

Pater AGATHOCLIS, Macedonum præfecti, fidei ac prudentiæ, filij vix quattuor-decennis pueritiam commiserat. Is nomine tutoris munia regia obibat; multùm indignante EVRYDICE, EPIPHANIS matre; quæ potentiam peregrini sibi contumeliosam putabat.

Agathocles ut periculum anteverteret, non dubitavit ipsi reginæ manus inferre. Eâdem vesaniâ multos quoque magnates è medio sustulit; alios sibi invisos tormentis excarnificari iussit.

Hinc coniurant in tyrannum ipsi Macedones, MOERAGENE, qui carnificum manus evaserat; & & SOSIBIO, SOSIBII, aulicorum antè principis, F. ducibus. Hi impetu in aulam facto, regem sibi dati expostulant, & in stadium ducunt; populo inconditis clamoribus obstrepente.

Tum SOSIBIVS regem rogat: *An non velit plebi castigandos, tradere, maternæ necis auctores*! Eo inter tumultum annuente, statim Agathocles, ac præcipui tyrannidis eius ministri, meritas scelerum suorum pœnas dederunt. (Hæc Polybiana lib. 15.) contestantur cum ijs, quæ Iustinus l. 30. de Agathocle altero, an eodem? narrat.)

P. SCIPIO Cos. adversus Gallos Insubreis missus, quod inferius suâ virtute negotium sibi mandatum videret, quasi languescens, nullâ re memorabili in provinciâ gestâ, Romam ad Consules subrogandos redijt.

3761. 30. Ant. Mag. 12. Pt. Epiph. | 189.

Consules creati L. CORNELIVS MERVLA, & Q. MINVTIVS THERMVS. hic Ligures, ille Galliam provincias sortiti.

NOVVS A LIGVRIBVS MOTVS.

Et quùm nihil belli eo anno Coss. exspectarent, litteræ M. CINCII (præfectus is Pisis erat) adlatæ; Ligurum xx. millia armatorum, coniuratione per omnia concilabula universæ gentis factâ, Lunensem primùm agrum populatos; Pisanum deinde finem transgressos, omnem oram maris peragrâsse.

Itaque MINVTIVS Cos. edixit; ut legiones duæ urbanæ, quæ superiore anno conscriptæ essent, Arretij post x. diem adessent. Ex socijs Latini nominis, xv. pedit. mill. & D. equites descripti.

FVLVIO FLAMINIOQVE, Prætoribus, quibus Hispaniæ sorte evenerant; terna millia Romanorum pedit. & centeni equites in supplementum; & quina m. sociûm Latini nominis, & duceni equites decreti.

Quùmque alteræ litteræ T. SEMPRONII adlatæ essent; Ligurum xv. millia in agrum Placentinum venisse; eumque usque ad ipsa coloniæ mœnia, & Padi ripas, cum cædibus & incendijs perpopulatos esse: Boiorum quoque gentem ad rebellionem spectare. Ob eas res Tumultum esse decrevit Senatus. nec placere ut Tribuni plebis caussas militareis cognoscerent, quò minus ad edictum convenirent ij, quibus aut emerita stipendia, aut morbus caussæ non essent, quò minus militarent.

Consulibus, delectu habito, in provincias profectis; T. QVINCTIVS postulavit, ut ea, quæ ipse cum x. Legatis statuisset, Senatus auctoritate suâ confir-

Legatis, qui ex universâ Græciâ, & magnâ parte Asiæ; quique ab regibus venissent; benignè responsum.

LEGATIO ANTIOCHI ROMAM. QVINCTIVS CONTROVERSIARUM sequester.

QVINCTIO mandatum; ut adhibitis ijs, qui in Asiâ aut Lysimachiæ apud ANTIOCHVM fuerant, eius regis legatis responderet, quæ ex *dignitate atque utilitate pop. Romani viderentur.*

Quùm itaque MENIPPVS & HEGESIANAX, principes regiæ legationis, dicerent se simpliciter venisse ad amicitiam petendam, iungendamque societatem. Et cum tria sint federum genera: *Vnum*, cum bello victis dicuntur leges: *Alterum*, cum bello pares æquo federe in pacem amicitiamque veniunt: *Tertium*, cùm qui hostes numquam fuerint, ad amicitiam sociali federe inter se iungendam coëunt: qui neque dicunt, neque accipiunt leges.

Et ANTIOCHVM ex hoc posttremo genere esse constet; iure se mirari, quòd Romani *æquum censeant ei leges dicere; quas Asiæ urbium liberas & immuneis, quas stipendiarias esse velint.*

Ad ea QVINCTIVS: *Duas se quoque optiones ponere regi*; Vel, ut si Romanos nihil quod ad urbeis Asiæ attinet, curare velit; ut & ipse omni Europâ abstineat. Vel si se ille Asiæ finibus non contineat, & in Europam transcendat; ut & Romanis ius sit; Asiæ civitatum amicitias, & tueri quas habeant, & novas complecti.

Si sibi ANTIOCHVS pulcrum esse censet, quas urbeis in Thraciâ & Chersoneso proavus eius SELEVCVS, bel-

CVS, belli iure, victo cæsoque in acie LYSIMACHO rege, ante XC. ann. habuerit, & quas avus paterque numquam usurpaverint; pro suis eas repetere in servitutem.

Et populus Romanus susceptum *patrocinium libertatis Græcorum non deserere; fidei constantiæq; ducit esse;* sicut à PHILIPPO, Græciam liberavit; ita & ab ANTIOCHO, Asiæ urbeis, quæ Graij nominis sint, liberare in animo habet.

Neque enim in Ioniam Æolidemque *coloniæ è Græciâ in servitutem regiam missæ, sed stirpis augendæ caussâ, & gentis propagandæ.*

QVINCTIVS deinde legatis civitatum Græciæ, Asiæque, in Senatum introductis, postulata sua & regis exposuit.

Renuntiarent civitatibus suis, *populum Romanum, quâ virtute, quâq; fide libertatem eorum à PHILIPPO vindicaverit; eâdem ab ANTIOCHO, nisi decedat Europâ, vindicaturum.*

MENIPPO tamen deprecante, ne Decretum festinaretur, quo terrarum orbis turbādus esset: utque regi tempus ad cogitandum daretur; integra res dilata est. & legatos treis mitti ad regem, eosdem, qui Lysimachię apud eum fuerant, placuit.

NOVÆ APVD CARTHAG. TVRBÆ OB ANNIBALEM.

Vix dum ij profecti erant; quùm à Carthagine legati bellum haud dubiè parare ANTIOCHVM, ANNIBALE ministro, adtulérunt.

ANNIBAL patriâ profugus iam ad Antiochum pervenerat; eratque apud eum magno in honore. Rege iam diu volutante consilia de Romano bello, sententia Annibalis una atque eadem semper erat; *Vt in Italiâ* (quę & commeatus & milites externo hosti esset præbitura) *bellum gereretur.*

Sibi C. tectas naveis, XVI. pedit. mill. & equites mille deposcebat. Eâ classe primùm se Africam petiturum, ubi confideret Carthaginienseis ad rebellandum ab se compelli posse. si illi cunctentur, se aliquâ parte Italiæ bellum excitaturum Romanis.

Rex cum cæteris omnibus in Europam transiret; & in aliquâ parte Græciæ copias contineat; traijcere pro re natâ, vel in speciem tamamque belli, paratus.

ANNIBAL ARISTONEM Tyrium, cum mandatis, Carthaginem mittit; quæ secretis notis ij, quibus conveniendis opus esset, agnoscerent. Ille agnitus, & cum Barchinæ solùm factionis hominibus colloquia misisse convictus; dum in eo est, ut pro speculatore comprehensus, cum legatis Romam mitteretur: tabellis mandatorum, ad subsellia magistratuum, primâ vesperâ, suspensis, ipsé nocte navem conscendit & profugit.

Conspectis postridie & lectis tabellis', ut resp. etiam extra famam notæ conservaretur; legatos Romam, qui rem ad Consules & Senatum deferrent; & simul de MASANISSÆ iniurijs quererentur, mitti placuit.

MASANISSA namque, eâ Carthaginiensium inter se discordiâ fretus, & locum iniuriæ esse ratus; agrum maritimum eorum depopulatus est; & quasdam urbeis vectigaleis Carthaginiensium, ad minorem Syrtim, sibi coëgit stipendium pendere; uti quarum *dubia esset possessio.*

Et simul legatos ab ijs Romam questum de se missos comperit; & ipse eódem suos destinavit.

Responsum est à Senatu, utriusque partis legatis; *Missuros se in Africam, qui inter pop. Carthaginiensem & regem in re præsenti disceptarent.*

P. SCIPIO Africanus, cum duobus alijs missus, auditâ inspectâque re, suspensa omnia, neutro inclinatis sententijs, reliquit. qui vel unus tamen, tum notitiâ rei, tum auctoritate, finire nutu disceptationem potuisset.

Neque enim latebat Romanos anceps Pœnorum animus, quos in officio contineret metus potiùs, quàm fides.

Et ea suspicio crimen belli arcani & novæ animorum alienationis urguebat; quòd quem comprehensum Romam mitti placuisset; nec ipsum (ARISTONEM Tyrium) nec navem eius custodîssent.

NOVA IN HISPANIIS REBELLIO REPRESSA.

Hispani, gens inquieta, nec pacem nec bellum ferre poterant. CATONE, qui pacata omnia reliquisse putabatur, digresso; statim multæ urbes, tam ultra, quàm citra Iberum, rebellárunt.

Eò missi Prætores, SEXT. DIGITIVS, in citeriore Hispaniâ, crebra, sed pleraque adversa prœlia fecit. P. CORNELIVS CN. F. SCIPIO, feliciùs pugnavit: eoque terrore non minùs L. opida ad eum desecérunt.

[illegible]em Pro-prætore, Lusitanos, pervastatâ ulteri[illegible] provinciâ, cum ingenti prædâ domum redeunteis, in ipso itinere adgressus, post acre & anceps certamen, in fugam vertit. Ad XII. hostium M. cæsa: capti DXL. omnes ferè equites, cum signis militaribus.

BELLVM CVM LIGVRIBVS ET BOIIS.

Iam quoque Ligures, Pisas, XL. hominum millibus circumsedebant. MINVTIVS Cos. dicto die militibus Aretium venit; atque inde quadrato agmine ad Pisas duxit.

Et quùm hosteis mille passuum ab opido trans flumen movissent castra; ipse urbem, haud dubiè servatam adventu suo est ingressus. Et positis inde proximè hostem castris, levibusque prœlijs à populationibus tantùm agrum sociorum tutabatur: in aciem exire non ausus, milite novo & collectitio.

Ligures multitudine freti, & in aciem exibant, parati de rerum summâ decernere; & prædas per manus emissarias agebant.

Consul alter L. CORNELIVS per extremos Ligurum fineis exercitum in agrum Boiorum induxit, ubi longé alia belli ratio, quàm cum Liguribus.

Consul in aciem exibat; hostes pugnam detrectabant. Romani prædatum discurrebant: Boij diripi sua impunè; quàm tuendo ea, ad manus venire malebant.

Ad Mu-

Ad Mutinam tandem recto ac iusto prœlio dimicatum est; variâ subinde fortunâ, donec omnes Romanorum ordines, equites alarij; & legionarij, vexillarijs signa raptim inferentibus, connixi, avertérunt hostem.

In fugienteis, legionarij equites immissi. XIV. Boiorum M. eo die cæsa: vivi capti mille nonaginta duo. equites CCXXI. tres duces eorum, cum signis & carpentis.

Nec incruenta Romanis fuit victoria. Supra V. mill. militum ipsorum aut sociorum amissa sunt: centuriones III. & XX. Præfecti sociûm IV. cum II. Tribunis militum.

Victoriæ huius laus militum virtuti, aut pop. Romani felicitati, quàm L. CORNELII prudentiæ à multis tribuebatur. Vnde negatus triumphus postea. Ei namque pro rebus gestis supplicationem & triumphum petenti Tribuni pleb. intercessérunt.

RES VARIE IN HISPANIIS GESTÆ.

In Hispaniâ citeriore C. FLAMINIVS, præter oppidum Iluciam in Oretanis captum, prœlia adversus latronum magis, quàm hostium excursiones, vario eventu, nec sine militum iacturâ, fecit.

Res maiores gessit M. FVLVIVS. Is apud Toletum oppidum, cum Vaccæis Vectonibusque, & Celtiberis, signis collatis dimicavit: exercitum earum gentium fudit fugavitque: regem HILERMVM vivum cepit.

3762. xxxi. Ant. M. xii: Pt. Epiph. | 188.

Censores priore anno creati erant, SEX. ÆLIVS PÆTVS & C. CORNELIVS CETHEGVS. ex ijs hic lustrum condidit. Censa sunt civium capita CXLIII. M. & DCCIV.

In exitu iam annus erat; & ambitio magis, quàm unquam aliàs, exarserat, consularibus comitijs.

Multi & potentes petebant; patricij, plebeijque. Sed omniû oculi in L. QVINCTIVM FLAMININVM, qui classi in Græciâ præfuerat; & in P. CORNELIVM SCIPIONEM, CN. F. eius qui vir optimus iudicatus matrem Idæam acceperat: quique ex Hispaniâ provinciâ nuper decesserat, magnis rebus gestis; erant conîecti.

Etante omnia accendebant fratres candidatorum, duo clarissimi ætatis suæ Imperatores; P. CORNELIVS AFRICANVS patruelis; & T. QVINCTIVS germanus, qui eo anno triumphárat.

Facti sunt autem Consul. s L. QVINCTIVS FLAMININVS, & CN. DOMITIVS AENOBARBVS. Adeò nec in plebeio quidem Consule, cum pro C. LÆLIO niteretur; AFRICANVS valuit.

ÆTOLICVM BELLVM.

Ætoli, qui antea Romanos in Græciam acciverant; tum quasi inferiora suis meritis præmia consecuti; concilio ad Naupactum indicto; & THOANTE, qui superiore anno Prætor eorum fuerat, faces admovente; omneis in Romanos, & bellum incitabant. Legationibus igitur fatigant reges, PHILIPPVM & ANTIOCHVM, & NABIN Lacedæmonium.

Quùm reges vix aut tardiùs moverentur; NABIS verò seditionibus omnia circa miscere cæpisset; & alios principum donis ad suam caussam perduceret; alios pertinaciter in societate Romanâ manenteis, occideret; Achæi, quibus maritimæ Laconicę tuendæ curam mandárat QVINCTIVS; & ad tyrannum legatos mittunt, qui admonerent federis cum Romani; & auxilia ad Gythéum, quod iam oppugnabatur à tyranno; & Romam, qui ea nuntiarent, misérunt.

ANTIOCHVS rex, eâ hyeme, Raphiæ in Phœnice, (al. Syria) PTOLEMAO, regi Ægypti, filiâ, CLEOPATRA, (quam ante sexennium desponderat) in matrimonium datâ, quùm Antiochiam se recepisset; per Ciciliam, Tauro monte superato, Ephesum pervénit.

Inde ANTIOCHO F. misso in Syriam, ad custodiam extremi regni, ipse cum terrestribus copijs ad Pisidas oppugnandos est profectus.

LEGATI ROM. AD ANTIOCHVM.

Eo tempore legati Romani, qui ad ANTIOCHVM missi erant, iussi priùs EVMENEM adire, Elæam venére; & inde Pergamum, EVMENIS regiam, adscendérunt.

EVMENES, cupidus belli adversus ANTIOCHVM erat; & satiùs rebatur, Romanis socijs quamcumque subire fortunam; quàm solum aut imperium pati ANTIOCHI, aut abnuentem vi atque armis cogi. Ob hæc quà auctoritate, quà consilio, Romanos ad bellum hoc incitabat.

Dum P. SVLPITIVS, princeps legationis, æger Pergami subsisteret; & ANTIOCHVS Pisidiæ bello occuparetur; P. VILLIVS, alter legatus, Ephesi cum ANNIBALE sæpè congressus est: ut & animum eius tentaret, si quà posset; & metum demeret, periculi ei quidquam ab Romanis esse.

Ex his colloquijs secutum est, ut vilior ob ea regi ANTIOCHO ANNIBAL, & suspectior ad omnia fieret.

COLLOQVIVM SCIPIONIS CVM ANNIBALE PROFVGO.

Tradunt Græci quidam P. AFRICANVM in eâ fuisse legatione; & cum ANNIBALE Ephesi collocutum, & eiusmodi sermonem inter se seruisse.

Quærenti AFRICANO; *Quem fuisse maximum Imperatorem ANNIBAL crederet?* respondisse; *ALEXANDRVM*

XANDRVM *Macedonum regem.*

Quærenti deinde, *quem secundum poneret?* PYRRHVM dixisse. ob castra metandi peritiam, & comitatem, quâ rex externus Italos, à Romanis, tamdiu in eâ terrâ principibus, alienârit & sibi conciliârit.

Ex sequenti, quem tertium duceret; haud dubiè semetipsum dixisse.

Risu oborto, SCIPIONEM subiecisse; Quid dicturus esset, si ipsum SCIPIONEM vicisset? *Tum me verò*, inquit, *& ante ALEXANDRVM, & ante PYRRHVM, & ante omnes alios imperatores esse.*

Agnovit, & lætatus dicitur SCIPIO, quod è grege se imperatorum, velut inæstimabilem, Pœnus secrevisset.

P. VILLIVS iam ab Epheso Apaméam processerat; eique ANTIOCHVS occurrit. Congressis inter se eadem disceptatio fermè fuit; quę Romæ, inter QVINCTIVM & legatos regis, fuerat.

Mors nuntiata ANTIOCHI, F. regis, quem pater paullo antè in Syriam miserat; colloquium diremit. Legatus Romanus Pergamum concessit: & ANTIOCHVS, omisso quod inchoaverat bello, Ephesum rediit. eòdem & SVLPITIVS, iam confirmatior, eum collegâ venit.

MINIONIS NON INSVLSVM RESPONSVM.

Ibi MINIO quidam, regis amicorum princeps, absente ob luctum domesticum rege, sive disceptationem eum legatis fugiente; & colloquio inter ipsos condicto; Romanos aiebat specioso titulo uti: *Græcarum civitatum liberandi: neque facta eorum orationi convenire. qui aliud ANTIOCHO iuris statuerent; alio ipsi uterentur.*

Illos à Neapolitanis, Rheginis, & Tarentinis, cetèt Græcis. à Syracusanis, aliisque Siculis, stipendium aut naves ex federe exigere; quòd bello superatis iis hasce leges imposuerint.

Eamdem de Smyrnâ & Lampsaco, civitatibusque Ionię aut Æolidis, caussam ab ANTIOCHO accipe rent: qui armis superatas à maioribus, & vectigaleis factas, in antiquum ius repeteret. *Romanos itáque ex æquo non disceptare; sed belli caussam quærere, videri.*

Ad ea SVLPITIVS; Imparem longè utrimque civitatum possessionis & iuris esse rationem. Romanos à suis, ex quo in ipsorum venerint potestatem, uno & perpetuo tenore iuris semper usurpato, nec umquam intermisso, quæ ex federe debentur, exigere. Civitatum Asiæ alias in PHILIPPI, alias in PTOLEMÆI fuisse potestate; neque in perpetuâ regni Asiatici, sive Seleucidarum, possessione, permansisse.

Vocatæ sub hæc ipsarum civitatum legationes, ab EVMENE antè instructæ. Admissi plures, dum suas quisque nunc querelas, nunc postulationes inferunt, & æqua iniquis miscent; è disceptatione altercationem fecérunt. Itáque neque remissâ ullâ re, neque impetratâ, æquè ac venerant omnium incerti legati Romam rediérunt.

Rex iis dimissis, consilium de bello Romano habuit, in quod ANNIBAL uti suspectior, non est admissus. Sed ille odio inexpiabili in Romanos, ad quod & patris, & suo sacramento erat à pueris adactus, coram exposito, regi mox reconciliatur.

Ex eo consilio ita discessum est; ut proposità ab Ætolis, à PHILIPPO, à NABIDE, ab ANNIBALE & auxiliorum spe, bellum Romanis inferretur.

CONSVLES PROVINCIAS SORTIVNTVR.

Romæ Consulibus ambobus Italia provincia fuerat decreta: ita ut inter se sortirentur, uter comitiis eius anni præesset. Ad utrum ea non pertineret cura; ut paratus esset, si quò eum extra Italiam opus esset ducere legiones. Atque ita CN. DOMITIO extra Italiam, quò Senatus censuisset, provincia evenit: L. QVINCTIO Gallia.

FLAMINIO, FVLVIOQVE in Hispaniis iterùm prorogatum imperium. Ex Prætoribus, A. ATTILIO SERRANO, classis & Macedonia: M. BÆBIO PAMPHILO, Bruttii decreti.

Et hi duo Prætores cum duobus exercitibus, terrestri navalique, adversus NABIN, apertè iam oppugnantem socios pop. Romani, dicebantur parari. Vetitus ab urbe discedere DOMITIVS, ante quam legati ad ANTIOCHVM missi rediissent.

LIGVRES ITERVM DOMITI.

Priusquàm L. QVINCTIVS Cos. in provinciam perveniret, Q. MINVTIVS in agro Pisano cum Liguribus signis collatis pugnavit. IX. hostium millia occidit: cæteros fusos in castra compulit. Inde Ligures nocte elàm profecti; & primâ luce Romanus vacua castra invasit.

Ex agro Pisano in Liguriam profectus, castella vicosque eorum igni ferroque pervastavit; & prædam Etruscam ex hostibus intercepit.

Reversis Romam, ab regibus, legatis; ATTILIVS Prætor, cum classe missus est in Græciam ad socios tuendos, quos contra fœdus NABIS oppugnabat.

Et Coss. quando nihil ab ANTIOCHO instaret, neque satis matura belli causa esset; proficisci ambos in priores provincias placuit. Et DOMITIVS quidem, ab Arimino, quà proximum fuit; QVINTIVS, per Ligures, in Boios venit. Duo Consulum agmina, diversa, latè hostium agrum pervastârunt. Primò equites eorum pauci cum Præfectis; deinde universus Senatus; postremò, in quibus aut fortuna aliqua, aut dignitas erat, ad MD. ad Consules transfugérunt.

RES PROSPERE IN HISPANIIS.

Eo quoque anno in utrâque Hispaniâ res prosperè gestæ. Nam & C. FLAMININVS opidum Liabrum munitum opulentumque, vineis expugnavit; & nobilem regulum CORRIBILONEM vivum cepit. Et M. FVLVIVS Proconf. cum duobus exercitibus hostium, duo secunda prœlia fecit; opida duo & castella ali-

stella aliquot expugnavit: & ad Tagum amnem pergens, Toletum, urbem parvam, sed loco munitam, fusis Vectonibus, qui subsidio venerant, operibus cepit.

Quùm incerto rumore adlatum esset, ANTIOCHVM ex Ætoliâ classem extempiò in Siciliam missurum; Senatus, quantumvis Pr. ATTILIVM cum classe in Græciam misisse; tamen quia non copiis modò, sed etiam auctoritate opus erat ad confirmandos sociorum animos, T. QVINCTIVM cum tribus collegis legatum in eamdem Græciam misit.

Etut M. BÆBIVS ex Bruttijs ad Tarentum, & Brundisium, promoveret legiones, decrevit; ut inde, si res posceret, in Macedoniam trajceret.

Addidit alimenta rumoribus ATTALI, EVMENIS fratris, adventus, qui nunciavit; ANTIOCHVM Hellespontum cum exercitu transisse: Ætolos ita se parare, ut sub adventum eius in armis essent.

Ad rem itaque pertinere visum est, Consules primo quoque tempore creari. Consul litteris Senatûs evocatus, præmisso ex itinere Edicto, quo Comitia Consularia edicerentur, Romam venit.

3763. | | 187.
32. Ant. M.
13. Pt. Epip.

In magnâ petitorum ambitione, P. CORNELIO SCIPIONI Nasicæ, qui priore anno repulsam tulerat; ut dilatum viro tali, non negatum, honorem appareret; consulatus datus est. Additus ei de plebe collega, M. ACILIVS GLABRIO. Illi Italia; huic Græcia forte obvênit.

Interim dum novi magistratus sortirentur provincias; M. BÆBIVS à Brundisio cu n omnibus copijs transire in Epirum iussus est, & circa Apolloniam copias continere.

BELLVM ANTIOCHINVM.

Dum populus Romanus ad omneis conatus ANTIOCHI se præpararet; NABIS iam non differebat bellum, sed summâ vi Gythéum oppugnabat: & infestus Achæis, quòd misérant obsessis præsidium, agros eorum vastabat.

Achæi non antea ausi capessere bellum, quàm legati ab Româ revertissent; Iis reversis, concilium Sicyonem edixérunt.

Quùm omnium ad bellum extemplò capessendum inclinaret sententiæ essent; T. QVINCTIVS cunctationem iniecit; auctorque fuit, Prætorem classemque Romanam exspectandi.

PHILOPOEMEN ACHÆORVM PRÆTOR VARIE CVM NABIDE CERTAT.

PHILOPOEMEN tamè Megalopolitanus, qui Prætor Achæorum omneis eo tempore & prudentiâ & auctoritate anteibat; & cui à concilio tempus & ratio administrandi belli libera erant permissa; metuens ne dilationem res non pateretur; & non Gythéum modò, sed præsidium quoque submissum, amitteretur; naveis Achæorum deduxit.

Dux quidem terrâ militaris disciplinæ peritissimus; cæterùm rei nauticæ, uti Arcas, & homo mediterraneus, imprudens & rudis. In cæteris, veterem quandam navem quadriremem, ante annos LXXX. (dum CRATERI uxor Nicæa à Naupacto Corinthum deveheretur) interceptam, iam putrem & vetustate fatiscentem, ab eo gio deduci iussit. eaque eu nobili olim, in classe regiâ, navigio, pro prætoriâ usus est.

Illi, classem cæteram Præfecto TISONE Patrensi, antegressos à Gythéo occurrére Laconû naves. Et primo statim incursu, ad novam & firmam navem, vetus, omnibusque compagum rimis aquam accipiens, divulsa est. captique omnes, qui in nave erant. cætera clasis remorum agilitate evasit.

PHILOPOEMEN nave speculatoriâ Patras fugam instituit. & animo infractus, breve id tyranno gaudium se effecturum adfirmavit.

NABIS nihil tam periculi à mari fore ratus; & terrestreis aditus, positis opportunè præsidijs, claudere molitus; tertiâ parte copiarum ab obsidione Gythéi abductâ, ad Pleias castra posuit. Is locus Leucis & Acris imminet, quà videbantur hostes exercitum admoturi.

PHILOPOEMEN, cetratis in parva navigia, quæ in stationem occultam agri Argivi contraxerat, impositis; litora legens, quùm ad propinquum castris hostium promontorium venisset; egressus callibus notis nocte Pleias pervénit. sopitis vigilibus, ut in nullo propinquo metu; ignem casis sive tabernaculis, ex arundine tectis, ab omni castrorum parte, iniecit.

Ferro, flammâque protinùs omnia absumta. Perpauci ex tam ancipiti peste ad Gythéum in maiora castra perfugérunt.

PHILOPOEMEN protinus ad depopulandam Tripolim Laconici agri, qui proximus finem Megapolitarum est, duxit; & magnam vim pecorum hominumque inde abripuit.

Exercitu deinde Tegeam contracto; concilioque eódem & Achæis & socijs indicto, in quo Epirotarum etiam & Acarnanum fuére principes; statuit ad Lacedæmonem ducere, eo modo unoratus hostem ab obsidione Gythéi abduci posse.

Eo autem ipso die Gythéum expugnatum erat. Cuius rei ignarus PHILOPOEMEN, castra ad Barbo-

Barbosthenem montem promovit.

Et NABIS, recepto Gythéo, cum expeditum exercitum, inde profectus, præter Lacedæmonem, raptim duxisset; PYRRHI, quæ vocant, Castra occupavit: quem locum peti ab Achæis non dubitabat. Inde hostibus occurrit.

Orto deinde circa torrentem, ex quo utrimque aquari necesse erat, certamine; NABIDIS miles, multis inter fugiendum cæsis, aut captis, in castra concitato cursu est compulsus.

NABIS falsò edoctus à perfugâ, Achæos postero die ad Eurotam amnem processuros, ut viam sibi intercludant; & simul tentaturos, si quorum in urbe animi solicitari ad defectionem possint; ipse tamquam in aciem cum robore exercitûs egressus, signa ocyùs ad urbem ferri iussit.

Et PYTHAGORAS cum auxiliaribus, & equitatu, stationem agere pro vallo iussi; ubi hosteis adesse, & se à NABIDE desertos vidérunt; primò in castra se recipere conati sunt; deinde posteaquam instructa Achæorum acies admovebatur, metu 'ne cum ipsis castris caperentur; sequi suorum agmen, aliquantùm prægressum, insistunt.

Extemplò ceterati Achæorum in castra vacua impetum faciunt, & diripiunt: ad persequendos hosteis ire pergunt.

Tyrannus cum paucis ad urbem penetrârat: cætera multitudo, inermis, toto sparsa vagabatur saltu. & armis pro se quisque abiectis in circumiectas itineri silvas diffugerant.

Inde dum ex fugâ se recipiunt, & reditum ad suos moliuntur, ex devijs callibus & latebris, in patentiores vias delapsi; ibi excepti ab insidente hoste passim ita multi cæsi captique sunt; ut vix quarta pars de toto exercitu evaserit.

PHILOPOEMEN incluso in urbem tyranno, dies inde propè xxx. vastandis agris Laconum absumsit.

Bello ita, inter Achæos & NABIDEM tyrannum, flagrante; legati Romanorum circumire sociorum urbeis soliciti, ne Ætoli partis alicuius animos ad ANTIOCHVM avertissent; minimum operæ in Achæis adiuvandis adeundisque consumsére: quos ut NABIDI infestos, ita ad cetera fidos quoque fore censebant.

Athenas primùm, inde Chalcidem, & in Thessaliam iére; & Demetriadem iter flexére. Quam urbem ubi reddendam esse à Romanis PHILIPPO, Magnetes ex vano rumore intellexissent; omnia novari Ætolorum, ANTIOCHIQVE adventu malebant, quàm id fieret.

Addidit inconsultè EVRYLOCHVS, tum Magnetarches: *Specie liberam Demetriadem esse; re verâ omnia ad nutum Romanorum fieri.*

Quam vocem quùm ægerrimè ferret T. QVINCTIVS, & Deos testeis ingrati ac perfidi in Magnetibus animi invocaret: Alij ex eâdem gente, incusato EVRYLOCHI furore, flentes, subiecerunt: *In corpora sua ultrò se per furorem sævituros; quàm ut Romanorum, quibus libertatem, omniaq́; sancta & cara deberent, amicitiam violarent.* EVRYLOCHVS protinus in Ætoliam profugit.

Iam enim, & id magis in dies Ætoli defectionem nudabant.

THOAS BELLI ÆTOLICI INCENTOR, PANÆTOLIVM.

Eoque ipso fortè tempore THOAS princeps gentis, quem ad ANTIOCHVM miserant, redierat: indeque MENIPPVM secum adduxerat, regis legatum. Qui priùs quàm concilium ijs daretur, exaggerandis apud multitudinem regis ANTIOCHI copijs & pecunijs, quibus vel ipsos Romanos emere possit; multorum animus suæ factioni implicârat.

Quùm non ab re esse QVINCTIO visum esset, sociorum aliquos legatos ei concilio, quod Panætolicum dicunt, interesse, qui admonerent Romanæ societatis Ætolos; quique vocem liberam mittere adversus regis legatum auderent; Athenienses, quibus primis, post regiam legationem, dicendi, quæ vellent, potestas facta est; Ætolos & societatis Rom. & meritorum in universam Græciam admonuérunt; ne *temerè eam celeritate nimiâ consiliorum everterent.*

Legatos Romanorum, & in ijs T. QVINCTIVM, haud procul inde abesse, cum quibus potiùs de rebus controversis disceptarent, quàm Asiam Europamque ad funestum armarent bellum. (Hi principum maximè seniores obtinuére, ut Romanis concilium daretur.)

Itáque QVINCTIO eundum in Ætoliam esse visum est. Aut enim motûrum aliquid, aut omneis homines testeis fore, penes *Ætolos belli culpam esse: Romanos iusta ac propè necessaria sumturos arma.*

Posteaquam QVINCTIVS, in concilio, paucis Romanæ societatis caussam egisset; & satius esse dixisset: Romam legatos mittere, seu disceptare, seu rogare Senatum mallent; quàm P. R. cum ANTIOCHO, admistis Ætolis, *non sine motu magno generis humani, & pernicie Græciæ, dimicaro. Neque illos priùs cladem eius belli sensuros, quàm qui movissent.*

DECRETVM DE ARCESSENDO ANTIOCHO.

THOAS deinde, cæterique factionis eiusdem, cum adsensu omnium auditi, pervicérunt, ut ne dilato quidem concilio, & absentibus Romanis, decretum fieret; Quo arcesseretur ANTIOCHVS ad liberandam Græciam; disceptandumque inter Ætolos & Romanos.

Quùm idem Decretum QVINCTIVS posceret DAMOCRITVM, Aetolorum Prætorem, Romam perferendum; Ille Decretum, responsumque in Italiâ, castris super ripam Tiberis positis, daturum; contumeliosè, an furiosè! subiecit.

QVINCTIO Corinthum reverso, dum quasi sedentes exspectare adventum regis videntur, Ætoli per Apocletos, sive delectos ex sanctiore concilio viros, id agitabant; Quonam modò res in Græciâ novarentur, licet inter omneis ferè constaret, in

ret, in civitatibus principes, optimum, quemque, & Romanâ societate, & præsenti statu gaudere; multitudinem novarum rerum esse cupidam.

TEMERARIA ÆTOLORVM MOLITIO.

Ipsi uno die consilium, spei non audacis modò, sed etiam impudentis cepêrunt; Demetriadem, Chalcidem, & Lacedæmonem occupandi. Et singuli in singulas missi sunt principes; THOAS Chalcidem, ALEXAMENVS Lacedæmonem, DIOCLES Demetriadem.

Hunc postremum EVRYLOCHVS exsul, de quo paullo-ante; & à Magnetibus, liberorum coniugisque eius misericordiâ inductis, revocari iussus, mirum in modum adiuvit.

DIOCLES namque, equitum præfectus, cum omni equitatu, specie reducentis exsulem hospitem, in urbem admissus, loca opportuna occupavit; & militibus in domos missis, principes adversæ factionis interfecit. Itâ Demetrias Ætolorum facta, & sedes belli constituta.

Nabis precibus fatigârat Ætolos; quibus auctoribus rebellâsset, ut sibi auxilia mitterent. Mille itaque pedites, & xxx. equites, ALEXAMENO dari, cum arcanis obedientiæ mandatis.

Ille tyrannum vanæ, & de propinquis ANTIOCHI copijs, & de Ætolorum subsidijs, spei implevit; & ad militarem suorum quotidie etiam in campis exercitationem induxit, ut adsiduâ scilicet consuetudine milites in belli propinqui eventa acuerentur.

NABIDIS EXITVS.

Tàm opportunâ tyranni familiaritate utendum sibi ratus ALEXAMENVS; & suos cohortatus, ut mandatorum & obedientiæ meminissent; quùm tyrannus forte ab lævo cornu adequitâret; equitibus hastas ponere, & se intueri iussis, in adpropinquantem NABIDEM impetum facit: & transfixo equo eum deturbat. iacentem equites confodiunt. & is prius quàm à media acie succurreretur, exspiravit.

Tum ALEXAMENVS cum omnibus Ætolis citato gradu ad regiam occupandam pergit. Ipse regiâ inclusus diem ac noctem in scrutandis tyranni thesauris consumsit.

Ætoli, velut captâ urbe, quam liberâsse videri volebant, in prædam versi.

Indè, simul indignitas rei; simul contemtus, animos Lacedæmonijs ad coëundum fecit.

Hic alij dicere, exturbandos Ætolos, & libertatem pro re nata repetendam. Alij, ut caput rei agendæ esset, regij generis aliquem in speciem adsumendum.

Laconicum itaq; eius stirpis puerum admodùm, qui educatus fuerat cum liberis tyranni, in equum imponunt; & armis arreptis, Ætolos vagos perturbem cædunt. Tum regiam invadunt; ibiq; ALEXAMENVM cum paucis resistentem obtruncant.

Alij ex Ætolis, circà Chalciœcum Minervæ templum, congregati, cæsi sunt: pauci abiectis armis, pars Tegeam, pars Megalopolim perfugére: ibique comprehensi à magistratibus sub coronâ venierunt.

PHILOPOEMEN, auditâ cæde tyranni, profectus Lacedæmonem, evocatis principibus, & oratione tempori convenienter habitâ, Lacedæmonios metu turbatos societati Achæorum adiunxit. quùm tyrannis servijssent ann. XXVII. NABIDI circiter XV.

Idque eò facilius factum, quòd ad idem fortè tempus A. ATTILIVS, cum IV. & XX. quinqueremibus, ad Gythéum accesserat.

THOAS verò, circà Chalcidem, per EVTHYMIDAM principem, pulsum opibus eorum, qui Romanæ societatis erant; & per HERODORVM, Cianum quidem mercatorem, sed ob divitias Chalcide potentem; præparatis ad proditionem ijs, qui Euthymidæ factionis erant; nequaquam eamdem fortunam, quâ Demetrias per EVRYLOCHVM occupata erat, habuit. Licet ipse cc. equites, illi II. peditum Millia adduxissent; & naves onerarias, leveisque xxx. haberent, quibus copias in Chalcidem trajicerent.

MICTION namque, & XENOCLIDES, penes quos tum summa rerum, pulso EVTHYMIDA, Chalcide erat; recollectis ex pavore animis, ab Eretriensibus & Caristijs, qui tum fortè communi cœtu festum anniversarium Amarynthidis Dianæ celebrabant, armatam iuventutem accepérunt: & opidi murorumque custodiâ ijs creditâ, ipsi omnibus copijs transgressi Euripum, ad Salganéa posuérunt castra.

Et quùm misso caduceatore rogatus THOAS, se non ad oppugnandos, sed ad liberandos ab Romanis Chalcidensis venisse dixisset: & Chalcidenses negarent, aut servire ulli, aut præsidio cuiusquam egere; Ætoli cum THOANTE domum: EVTHYMIDAS verò & HERODORVS, ille Atheuas, hic Thronium, undè venerant, re omissâ, rediérût.

QVINCTIVS quoque his auditis, à Corintho veniens navibus, in Chalcidis Euripo, EVMENI regi occurrit. Placuit D. milites præsidij caussâ relinqui Chalcide, ab EVMENE; ipsumque Athenas ire. QVINCTIVS, Magnetum animis per VILLIVM frustrà iterùm apud Demetriadem tentatis, navibus Corinthum redijt.

ANTIOCHVS IN EVROPAM TRAIICIT IRRITO CONATV.

Intentis in adparatum novi belli Romanis, ne ab ANTIOCHO quidem cessabatur. Tres eum civitates tenebant, Smyrna, & Alexandria Troas, & Lampsacus. quas neque vi expugnare ad eam diem poterat; neque conditionibus in amicitiam perlicere. neque à tergo relinquere, trajiciens ipse in Europam, volebat.

Annibalis in Africam primùm; deinde in Italiam cum navibus mittendi, consilium, quod unû in principio belli utiliter cogitatum erat; abiecit: Eoque comite tantùm, & consiliario, non duce, ad bellum uti decrevit.

Et Demetriadis maximè defectione, ab Romanis ad Ætolos, elatus; & THOANTIS prætoris vanæ spei auxiliorum promissis inflatus; non ultrà differre profectionem in Græciam constituit.

Prius quàm solveret, Ilium à mari adscendit, ut Minervæ sacrificaret. Indè ad classem regressus, XL. tectis navibus, apertis LX. proficiscitur. & CC. onerariæ cum omnis generis commeatu, bellicoque alio adparatu, sequebantur.

Imbrum primò insulam tenuit: inde Sciathum traiecit. Ibi collectis, quæ in alto dissipatæ erant, navibus, ad Pteleum primum continentis venit.

Ibi EVRYLOCHVS Magnetarches, principesque alij ei ab Demetriade occurrêrunt; & ipse postero die in urbis portum navibus est invectus, copiasque haud procul indè exposuit. X. pedit. Millia fuere, & equites D. elephanti VI. vix ad Græciam nudam occupandam, nedum ad sustinendum Romanum bellum, pares.

Profectus ab Demetriade rex, Phaleram in sinum Maliacum processerat: inde decreto, quo ab Ætolis arcessebatur, accepto, Lamiam venit, ingenti multitudinis favore acceptus.

Ibi rex, excusatâ in præsens copiarum paucitate, proximo verè omnem se Græciam armis, viris, equis; omnem oram maritimam, classibus completurum: & depulso cervicibus eorum, Romano imperio, liberam verè Græciam, atque in eâ principes Ætolos facturum, iactabat, copiam ipsi frumenti suis, & annonam tolerabilem suppeditent.

Ætoli, quantumvis prætor eorum PHANEAS rege ANTIOCHO, eeu pacis reconciliatore, & disceptatore de ijs, quæ in controversiâ cum pop. Rom. essent, utendum sibi potiùs, quam duce belli, censeret; THOANTIS sententiam, *qui nihil æqui sine armis ab Romanis impetrari* posse diceret, secuti; regem Imperatorem appellandum censuêrunt: & XXX. principes, eum quibus, si qua vellet, consultaret, delegêrunt.

Dimisso concilio, & multitudine in suas civitates dilapsâ; rex cum Apocletis eorum de bello consultans; *Optimum esse iudicavit*, bellum à Chalcide, frustrà nuper tentatâ, ordiri; eamque celeriter adgredi.

Cæterùm quùm rex, castris ad Salganea positis, cum principibus Ætolorum Euripum navibus traiecisset; & magistratus Chalcidensium antè urbis suæ portam regi obviàm processisset; & colloquio utrimque de societate instituto, Ætoli magnoperè suaderent, ut salvâ Romanorum amicitiâ, Chalcidenseis regem quoque, qui non inferendi belli, sed liberandæ Græciæ causâ, in Europam traiecerat, socium adsumerent & amicum.

Et ad hæc MICTION, unus ex principibus, subijceret; *Chalcidenses neque vindice libertatis ullo indigere, cum liberi sint; neque præsidio, quùm pacem eiusdem pop. Romani beneficio, & libertatem habeant.* Ætolos cum rege, pro amicis, id primum facturos; *si insulâ excedant atque abeant.*

Nam ipsis certum esse; *non modo non recipere mœnibus; sed ne societatem quidem ullam pacisci, nisi ex auctoritate Romanorum.*

His renuntiatis, in præsentiâ (quoniam eæ ad manum copiæ non erant, ut vi agere quidquam possent) rex cum Ætolis, Demetriadem sunt reversi.

AMINANDRI VANITAS.

AMINANDER Athamanum rex, uxorem Apameam, filiam Alexandri cuiusdam Megalopolitani, habebat, qui se oriundum à Magno Alexandro ferens, filijs duobus, PHILIPPVM & ALEXANDRVM, nomina imposuerat. Ex ijs PHILIPPVS sororem, regijs inclytam nuptijs, in Athamaniam secutus fuerat. Illum forte ingenio vanum Ætoli & ANTIOCHVS impulerant, uti regiâ stirpe ortum, in spem regni Macedoniæ, si AMINANDRVM Athamanesque ANTIOCHO coniunxisset. & ea promissi vanitas non apud PHILIPPVM modò, sed etiam apud Aminandrum valuit.

ACHAICVM CONCILIVM: ET VARIÆ IBIDEM SENTENTIÆ.

In Achaiâ autem, in dicto Ægij concilio, legatis ANTIOCHI Ætolorumque locus dicendi coram T. QVINCTIO datus est. Ibi regis legatus vaniloquus, maria terrasque, inani sonitu verborum complevit. Navaleis terrestreisque regis copias, pecuniam & belli adparatus, nominibus gentium bellicosarum vix fando auditis, immensùm exaggerando.

Regem, quamquam ab ultimis Orientis terminis ad liberandam Græciam veniat; hoc tantum ab Achæis postulare; pacem utrique parti, quod medios deceat amicos, optent: bello se non interponant.

Idem fermè Ætolorum legatus ARCHIDAMVS petit; ut quæ facillima & tutissima esset, quietem præstarent: spectatoresque belli, fortunarum alienarum eventum, sine ullo discrimine rerum suarum, opperirentur.

Quumque ille intemperantiâ linguæ provectus, maledictis, tum communiter in Romanos, tùm propriè in QVINCTIVM ferri cœpisset; & victoriam de PHILIPPO, suâ & Ætolorum virtute, partam exprobrare;

SANA CONSVLIS AD ACHÆOS CONSILIA.

Quinctius moderatè acri oratione ferociam & fastum hominis retudit; & vanas utrorumque, regis & Ætolorum, iactationes elevavit. *Malè credidisse & Antiochum Ætolis, & Ætolos regiæ vanitati.*

Quò minus Achæi decipi debeant; sed expertæ toties, spectatæque Romanorum fidei credere. *Nihil tam vanum, immò tam alienũ rebus eorum esse, quàm si bello non interponi, conducibile sibi putent.* sine gratiâ quippe, sine dignitate, præmium victorum fore.

Romani legati oratio apud faventeis æquis auribus accepta. Et Achæi auxilia confestim, quò censebat Quinctius, D. militum Chalcidem; D. Piræeum miserunt.

Res enim Athenis haud procul seditione aberat; & quidam

& quidam ibi, ſpe largitionum, venalem pretio multitudinem ad Antiochum trahebant. Donec ab ijs, qui Romanæ partis erant, QVINCTIVS accitus eſt; & accuſante LEONTE quodam, APOLLODORVS auctor defectionis, damnatus atque in exſilium eſt eiectus.

ANTIOCHVS, quùm ad Chalcidis præſidium, & Achæos, & EVMENEM regem, miſiſſe audiſſet; maturandum ratus, ut & prævenirent ſui, & venienteis, ſi poſſent, exciperent; MENIPPVM cum III. fermè militum Millib. & cum omni claſſe POLYXENIDAM mittit. Ipſe paucos poſt dies VI. Millia ſuorum militum, cum paucis Ætolis, ducit.

Sed iam D. Achæi, & ab EVMENE rege modicum auxilium miſſum, duce XENOCLIDE Chalcidenſi, nondum obſeſsis itineribus, tutò Euripum tranſgreſsi, Chalcidem pervenerant.

Et Romani milites, D. fermè & ipſi, eódem, cum iam MENIPPVS caſtra antè Salganea, ad Herméum, quà tranſitus ex Bœotiâ in Eubœam inſulam eſt, haberet; venérunt.

MICTION erat cum ijs legatus à Chalcide ad Quinctium, ad id ipſum præſidium petendum, miſſus. qui poſteaquàm obſeſſas ab hoſtibus fauceis vidit; omiſſo ad Aulidem itinere, Delium, Fanum religione Apollinis ſacroſanctum, convertit, ut indè in Eubœam tranſmiſſurus.

Ibi quùm per magnum otium milites, alij ad ſpectaculum Templi Lucique verſi; alij in litore vagarentur; magna pars per agros lignatum pabulatúmque dilapſi eſſent: repentè MENIPPVS palatos paſsim adgreſſus, eos cecidit; ad L. vivos cepit. Perpauci effugérunt; in quibus MICTION, parvâ onerariâ nave exceptus.

Ea res Quinctio Romaniſque, ſicut iacturâ militum moleſta; ità ad ius inferendi Antiocho belli aliquantum adiecíſſe videbatur.

ANTIOCHVS AD AVLIDEM, ET TOTA FERE EVBOEA POTITVR.

ANTIOCHVS admoto ad Aulidem exercitu, quùm rursùs oratores Chalcidem miſiſſet, qui eadem illa quæ nuper, cum minis gravioribus, proponerent; nequidquam, contrà MICTIONE & XENOCLIDE tendentibus, facilè tenuit, ut portæ ſibi aperirentur. Qui Romanæ partis erant; ſub adventum regis urbe excesſérunt. Achæorum & Eumenis milites, Salganea tenebant: Et in Euripo caſtellum Romani milites pauci, cuſtodiæ loci cauſsâ, communiebant. Hoc rex ipſe; illum MENIPPVS, ſimul oppugnare ſunt adorti.

Priores Achæi, & Eumenis milites, pacti, ut ſine fraude abire liceret, præſidio excesſérunt. Romani, licet pertinaciùs locum tutati, quùm terrâ marique obſiderentur, & iam machinas tormentaque comportari viderent; non tulére obſidionem. Quùm id, quod caput erat Eubœæ teneret Rex, ne cæteræ quidem eius inſulæ urbes imperium abnuérunt. Magnóque principio ſibi orſus bellum videbatur, quod tanta inſula, & tot opportunæ urbes in ſuam ditionem veniſſent.

GLABRIO COS. SERIO BELLVM HOSTIBVS FACESSIT.

Omnibus iam Romæ, & in Italiâ, ad bellum Antiocho regi, & perduellibus Ætolis faciendum ſatis comparatis: M. ACILIVS GLABRIO Coſ. poſtquàm hoſtijs ritè perlitaſſet, & diem conventumque militibus, & Tribunis, quos ſecû in provinciam ire oporteret, Brundiſij, & Idibus Maijs, edixiſſet: ipſe ad V. Non. Maias Paludatus urbe egreſſus eſt.

VARIÆ REGVM ET RERVMP. LEGATIONES ROMAM.

Sub idem tempus Legati, ab duobus regibus, PHILIPPO Macedone & PTOLEMÆO Ægyptio, Romam venérunt, pollicentes ad bellum auxilia, pecuniam & frumentum.

Nihil auri, ſive argenti ab ijs acceptum: ſed gratiæ actæ.

Et quùm uterque ſe cum omnibus copijs in Ætoliam venturum, belloque interfuturum pollicerentur; PTOLEMÆO id remiſſum: PHILIPPI legatis reſponſum; gratum eum Sen. pop. q; Romano facturum, ſi M. ACILIO Coſ. non defuiſſet.

Item ab Carthaginienſibus, & Maſaniſsâ rege, legati venérunt. Illi, frumenti & hordei, quod tum ad exercitum, tum Romam adportaretur, vim ingentem: Claſſem ſuo ſumtu comparatam; & ſtipendiariæ pecuniæ, quæ in multos annos debebatur, repræſentationem. Hi, præter frumentum, equites D. & elephantos XX. qui ad Acilium Coſ. mitterentur, polliciti.

De frumento utriſq; reſponſum; Ità uſurum eo pop. Romanum, ſi pretium ipſi acciperent. De claſſe Carthaginienſibus remiſſum; præterquàm ſiquid navium ex fœdere deberent.

De pecuniâ ità reſponſum; nullam ſe ante diem accepturos.

Intereà Chalcide Antiochus, ne ceſſaret per hibernum tempus, partim ipſe miſſis legatis civitatum animos ſolicitabat; partim ultrò ad eum veniebant.

Eléi, adversùs Achæos, quos primum civitati ſuæ arma illaturos credebant, auxilium petebant: Et Mille ijs pedites cum duce Cretenſi EVPHANE ſunt miſſi.

Epirotas ſuâ apud eumdem legatione id agere apparebat: ut ſive rex, (quod magis credebant) abſtinuiſſet Epiro; integra ſibi omnia apud exercitus Rom. eſſent; conciliatâ ſatis apud regem gratiâ, quod cupidè accepturi fuiſſent cum idoneis copijs venientem. Sive veniſſet; ſic quoque ſpes veniæ ab Romanis foret: quod non exſpectato longinquo auxilio ab ſe, præſentis viribus ſuccubuiſſent. Itaq; perplexo cum reſponſo remiſſi.

BOEOTI FLVCTVANT, ET THESSALI TENTANTVR.

Rex in Bœotiam, (quam, cauſſas, in ſpeciem iratũ, adverſis Romanos habere cenſebat; BRACHYLLÆ necem; & bellum Coronéæ, ob cæſos Rom. milites, à

QVINCTIO illatum) profectus; effusis undique civitatum principibus, Thebas venit.

Ibi, in concilio gentis, quùm amicitiam secum institui, non bellum indici Romanis, iam quasi de more, postularet, & neminem, quid ageretur, falleret; decretum tamen sub levi verborum prætextu pro rege adversùs Romanos factum est.

Hàc quoque gente adiunctâ, Demetriadem, quò principes Ætolorum, de summâ rerum deliberaturos, convenire iusserat, venit.

Eódem & AMINANDER, ex Athamaniâ, ad consultandum accitus; & ANNIBAL Pœnus, iamdiu non adhibitus, eidem concilio interfuit.

Actum de Thessalorum gente, deque eorum voluntate tentandâ. & dum de modo disceptatur; ANNIBAL nominatim interrogatus sententiam, in universi belli cogitationem, regem, atque eos qui aderant, accuratâ & salutari, si auditus fuisset, oratione avertit.

ANNIBALIS CONSILIVM DE BELLO.

„ *Ad summam præsentis belli, parum esse momenti, in Eubœensium, Achæorum, Thessalorum Bœotorumve coniunctione. Dubium non esse, quin illi, ut quibus nullæ sua vires sint, præsentibus adulando semper, quem metum in consilio habeant, eodem, simulac Rom. exercitum in Græciâ viderint, ad impetrandam veniam usuri sint; & ad consuetum imperium se aversuri.*

„ *Antè omnia PHILIPPVM & Macedonas, in societatem belli, quâcumq; ratione deducendos esse. Cui, si semel in caussam descenderit, nihil integri futurum sit: quiq; eas vireis adferat, quæ non accessio tantùm ad Romanum esse bellum, sed per se ipsa nuper sustinere potuerint Romanos.*

„ *Si nihil eum legatio regis, & sociorum moverit, neq; eum adiungere nobis possimus; ne hostibus ille nostris adiungi possit, cavendum.*

„ *Quem, SELEVCVS modò, regis F. qui Lysimachiæ est, simul cum exercitu, per Thraciam, proxima Macedoniæ caperit depopulari; facilè ab auxilio Romanis ferendo, ad sua potissimùm tuenda, aversurus sit.*

„ *De ratione universi belli, inquit ANNIBAL, si ab initio auditus forem; iam Hetruriam, Ligurumq; & Gallorum oram, bello ardere; & ANNIBALEM in Italiâ versari audiretis.*

„ *Sed nunc quoq; suadeam, ut navalibus terrestribusq; copiis ex Asiâ arcessitis, sic ut classem onerariæ cum commeatibus sequantur; partem navium Corcyræ in statione habeatis, ne transitus Romanis tutus ac liber pateat: partim ad litus Italiæ, quod Africam Sardiniamq; spectat, traijciatis.*

„ *Tu verò, rex, cum omnibus terrestribus copijs in Bilyonum Talantiorumq; agrum procedas; ubi Græciæ præsideas, & speciem Romanis, traiecturum te præbeas.*

Rex verò nihil horum, quæ suaserat ANNIBAL, re ipsâ exsecutus est; nisi quòd ad classem copiasque arcessendas ex Asiâ, POLYXENIDAM misit.

Ita & Ætolorum, suis viribus victum PHILIPPVM glorianrium, vanitas: & Syrorum ANNIBALI invidentium, aut suspectantium, malignitas, omnibus eius consilijs aureis occlusit. Et amborum stolida de viribus, quas non haberent, inter se iactatio; & ipsos, & unà Græciam Asiamque pessumdedit.

PHILIPPVS IN ANTIOCHVM EXACERBATVS.

PHILIPPVS irritatus factò ANTIOCHI, qui ad legenda ossa Macedonum, quos insepultos ipse nuper reliquisset, circà Cynoscephalas, ubi debellatum erat à Romanis; PHILIPPVM Megalopolitanum, cum duobus hominum Millib. miserat; & tumulum, ossibus in unum, quæ passim strata erant, coacervatis, fecerat; (quod factum, exiguam gratiam ad Macedonas; odium ingens ad PHILIPPVM moverat.) Ipse, qui ad id tempus fortunam in consilio habiturus esse videretur; extemplò ad BÆBIVM propræt. misit; ANTIOCHVM in Thessaliam impetum fecisse. si videretur ei moveret ex hibernis: se obviàm processurum, ut quid agendum esset invicem consultarent.

ANTIOCHI IN THESSALIA PROGRESSVS.

ANTIOCHO ad Pheras iam castra habenti, ubi coniunxerant se Ætoli & AMINANDER; legati ab Larisâ venérunt, bellum deprecantes. & eodem tempore D. armatos Pheras in præsidium miserunt: qui exclusi aditu, Scotussam se recepérunt.

Pheræi duriùs à rege increpiti; & proinde pro suâ ergà Romanos fide, quidquid sors belli tulisset, pari obstinati; summâ ope parabant se ad urbem defendendam: & rex ab omni parte simul oppugnare mœnia est adgressus. eâque post acrem propugnãtium dimicationem, deditione est potitus.

Missis deinde ad Scotussam IV. armatorum Millib. cum ipsâ urbe, HIPPOLOCHVS dux, & Larissæorum præsidium se dedidit. sed omnes inviolati ab rege dimisi.

Cranonem deinde, & mox Cyperam & Metropolim; & ijs circumiecta castella, recepit. Tum denique Larissam adgredi constituit.

Per eosdem dies Aminander, cum Athamanum iuventute, Pellenæum; & MENIPPVS cum III. pedit. Ætolorum Millib. & CC. equitibus in Perrhæbiam profectus, Mallæam & Cyretias vi cepit.

Quibus illi raptim peractis, Larissam ad regem rediérunt. Et eidem, quidnam de Larisâ agendum esset, consultanti, & inter spem metumque incerto, legati à Pharsalo, qui ad dedendam urbem suam fortè venerant, animos auxérunt.

M. BÆBIVS interim cum PHILIPPO in Dassaretijs congressus, Ap. CLAVDIVM, ex communi consilio, ad præsidium Larissæ misit. Qui in iugo montium (quod super Gonnos opidum est, XX. M. à Larisâ distans, & in ipsis faucibus saltûs, quæ Tempe appellantur, situm) castra metatus, latiùs quàm pro copijs;

copijs; ignibusq; hic, ibi, accensis, speciem, quam quæsierat, hosti fecit, omnem ibi Rom. exercitum cum PHILIPPO rege esse.

Rex itaque ANTIOCHVS hiemem instare apud suos caussatus relictâ Larisâ, Demetriadem redijt: Et Appius Larissam, ad confirmandos in reliquum sociorum animos, descendit.

ANTIOCHI IGNAVIA.

Rex Chalcide à Demetriade profectus, amore captus virginis Chalcidensis; & indignas suo nomine nuptias, alieno tempore, tamquam in mediâ pace, celebrans, reliquum hiemis in convivijs, & voluptatibus, & somno traduxit: & suum, suorumque procerum atque adeò militum animos, luxu ignaviáque perdidit.

MVLTÆ VRBES A ROMANIS RECEPTÆ.

Initio veris, dum ANTIOCHVS in Ætoliam delatus, Acarnanum civitates sollicitat; & Medeone per fraudem occupatâ, Tyrrheum frustrà obsidet; & ad famam M. Acilij Cos. iam cum legionibus mare transgressi; & Romanorum in Thessaliâ castra metantium, Chalcidem reversus heret; M. BÆBIVS, & PHILIPPVS rex, coniunctis copijs in Thessaliam descenderunt: Et PHILIPPVS quidem Mallæam Perrhœbiæ; BÆBIVS Phacium est adgressus. Quo capto, mox & eâdem celeritate, Phæsto, Cyretijs & Fricio potitus; rursus PHILIPPO, Mallæam adhuc obsidenti, coniungitur.

Quâ deditâ, ad ea recipienda opida, quæ Athamanes occupaverant, uno agmine ierunt. Erant autem hæc; Æginium, Ericinium, Gomphi, Silana, Tricca, Melibœa, Phaleria. Indè rex ad Limnæam oppugnandam missus; dum BÆBIVS ad Pellenæum, quod PHILIPPVS Megalopolites D. pedit. & XL. equitum præsidio tuendum susceperat, resistit.

LARISSA DEDITA CVM PRÆSIDIO ANTIOCHI.

Per eos fortè dies, M. ACILIVS Cos. à Brundisio ad Apolloniam adpulsus, cū X. pedit. & II. equit. Millib. & XV. elephantis, pedestreis copias Larissam ducere, delectos militum Tribb. iussit: ipse cū equitatu Limpæam ad PHILIPPVM venit.

Eius adventu deduio sine cunctatione factâ est: traditumque præsidium ANTIOCHI regium, & cum ijs Athamanes.

Ab Limnæâ Pellinæum profecto Consuli, primi sese Athamanes tradiderunt; deinde & PHILIPPVS præsidij præfectus.

Cui ex urbe decedenti, quum obvius fortè fuisset PHILIPPVS rex, ad ludibrium, regem cū consalutari iussit; Ipse vicissim congressus, fratrē haud sanè decoro maiestati suæ ioco, appellavit. Deductus indè ad Cos. custodiri iussus, & pòst in vinculis Romam missus est. Cetera multitudo Athamanum, aut præsidiariorum ANTIOCHI regis militum, ad III. hominum Millia, Philippo regi tradita.

Cos. Larissam est profectus, ibi de summâ belli consultaturus. In itinere ab Pialiâ & Metropoli legati, tradentes urbeis suas, occurrerunt.

ATHAMANIA PHILIPPO TRADITA.

AMINANDER veritus ne traderetur PHILIPPO, iampridem hosti; aut Romanis, meritò tum propter nuperam defectionem infensis: cum coniuge ac liberis regno excessit: Ambraciamque se contulit. Ità Athamania omnis, gente per captivos indulgenter habitos & dimissos, conciliatâ, in ius ditionemque PHILIPPI, qui eò exercitum adduxerat, concessit.

Cos. reparato modicâ quiete exercitu Cranonem profectus est. Venienti, Pharsalus, Scotussa, & Pheræ; quæque in eis præsidia ANTIOCHI erant, deduntur. Ex ijs Mille manere secum volenteis Philippo tradit: ceteros inermeis Demetriadem remittit.

Proarnam indè recepit, & quę circà eam castella. Tum porrò in sinum Maliacum ducere cæpit.

THAVMACI OPPRESSI.

Appropinquante faucibus, super quas siti Thaumaci; desertâ urbe, iuventus omnis armata silvas & itinera insedit; & in agmen Rom. ex superioribus locis incursavit. Quos postea quàm Consul, frustrà deterritos perseverare in incepto vidit; Tribuno, cum duorum signorum militibus, circummisso, interclusit ad urbem iter armatis, vacuamque eam cepit. Tum clamore ab tergo captæ urbis audito, refugientium undique ex silvis insidiatorum cædes facta est.

Hinc ad Sperchium amnem ventum; & Hypatæorum agri vastati.

ANTIOCHVS SERO SAPIT.

ANTIOCHVS, qui tum Chalcide erat, cernens nihil se ex Græciâ, præter amœna Chalcide hiberna, & infameis nuptias, petisse; Ætolorum vana promissa, & Thoantem incusare cæpit; & ANNIBALEM, non ut prudentem modò virum, sed propè vatem omnium, quæ tum evenissent, admirari.

Nuntios nihilo minus in Ætoliam mittit, ut omni contractâ inventute convenirent. Ipse X. ferè pedit. Millia, & equites D. eò duxit. Sed destitutus undique, & ab suis qui morabantur in Asiâ; & ab socijs; qui nomina gravatim dabant; & eâ, in quorum spem vocaverant, non præstabant; intrà saltum Thermopylarum sese recepit.

DESCRIPTIO THERMOPYLARVM.

Id iugum mediam Græciam dirimit: & ab Leucate, & mari ad Occidentem verso, per Ætoliam, ad alterum mare, Orienti obiectum, tendens pea aspreta rupesq, interiectas habet, ut non modò exercitus, sed ne expediti quidem facilè ullas ad transitum calles inveniant.

Extremos ad Orientem monteis, Oetam vocant: quorum quod altissimum, Callidromon appellatur, In cuius valle,

valle, ad Maliacum sinum vergente, iter est non latius, quàm LX. pass.

Hæc una militaris via est, quà traduci exercitus, si non prohibeantur, possint. Ideò Pylæ & ab alijs, quia calida aqua in ipsis faucibus sunt, Thermopylæ, locus appellatus est.

ANTIOCHVS castris intrà eius loci portas positis, munitionibus insuper saltum impediebat; & muro, ex obviâ lapidum copiâ, omnia, quà res postulabat, permunijt. Et iam satis fidens, numquam eâ vim Rom. exercitum facturum: Ætolos, ex IV. Millibus, quot convenerant, partim ad Heracléam præsidio obtinendam; partim Hypatam mittit.

COS. AD THERMOPYLAS CASTRA METATVR: IBIDEM PVgna fatalis.

Consul depopulatus Hypatensem primò; deinde Heracleensem agrum, inutili utrobique Ætolorum auxilio, in ipsis faucibus, propè fonteis Calidarum aquarum, adversùs regem castra posuit.

Tum Ætolorum utræque manus Heracleam se incluserunt: & ANTIOCHVM timor incessit, ne quos per imminentia iuga calleis inveniret ad transitum Romanus.

Ætolos itaque rogat, ut vertices circà montium occuparent & insiderent; ne quà transire Romani possent. Et duo quidem ex ijs Millia Heracléæ substitérunt; duo verò trifariam divisa, Callidromum, & Rhoduntiam, & Tichiunta (hæc cacuminibus nomina) occupavére.

Consul ubi infessa superiora loca ab Ætolis vidit; legatos Consulares, cum binis delectorum pedit. Millib. ad castella Ætolorum; FLACCVM in Rhoduntiam & Tichiunta; CATONEM in Callidromum mittit.

Ipse priusquam ad hostem copias admoveret, milites cohortatus, armis telisque paratis, corpora curare iubet. Luce primâ, signo pugnæ proposito, instruit aciem artâ fronte, ad naturam & angustias loci: Rex, signis hostium conspectis, & ipse copias eduxit.

Macedones Sarissophori, pro vallo locati primò facilè sustinebant Romanos, ab omni parte aditum tentanteis. multum adiuvantibus, qui ex loco superiore, fundis, velut nimbum, glandeis & iacula ingerebant.

Tandem vi maiore pulsi loco, intrà munimenta subductis ordinibus concesserunt. Inde ex vallo, pænè alterum vallum, hastis longis præ se obiectis, fecérunt.

Multi ex Romanis temerè subeuntes vallum, transfixi sunt. & aut incepto irrito recessissent, aut plures cecidissent; ni M. CATO ab iugo Callidromi, deiectis indè Ætolis, & magnâ ex parte cæsis, super imminentem castris collem apparuisset.

Macedones, quique alij in castris regijs erant, primùm Ætolos credere, qui visâ procul pugnâ subsidio sibi venirent. Deinde, ut signa armaque ex propinquo cognita errorem aperuérunt; tantus repentè pavor omneis cepit, ut abiectis armis fugerent.

Romani, quà per munimenta, vallisque angustias, & per elephantos, in novissimo agmine locatos, licuit; Scarphiam usque eo die fugientem hostem sunt persecuti. Multis in ipso itinere cæsis captisque, non equis virisque tantùm; sed etiam elephantis, quos capere non potuerant, interfectis; in castra revertérunt.

Quæ & ipsa eo die, inter ipsum pugnæ tempus, ab Ætolis, Heracléæ præsidiarijs, sine ullo haud parum audacis incepti effectu, tentata fuerant.

Consul, præmisso equitatu, ad persequendum hostem signa legionum primâ luce movit. Aliquantum viæ præceperat rex, ut qui non antè, quàm Elatiæ, ab effuso constiterit cursu. ubi primùm reliquijs pugnæque & fugæ collectis, cum perexiguâ manu semiermium militum, Chalcidem se recepit.

Romanus equitatus, rege elapso, magnam partem agminis, aut lassitudine subsistenteis, aut errore dissipatos, oppressérunt. nec præter D. qui circà regem fuérunt, ex toto exercitu quisquam effugit; etiam ex X. Millib. militum, quos, Polybius auctor est, in Græciam cum rege traiecisse. (Antias Valer. scripsit LX. Millia fuisse in regio exercitu. XL. indè Mill. cecidisse. suprà V. Mill. capta, cum signis militaribus CCXXX.) Romanorum circiter CC. interfecti.

Consule per Phocidem & Bœotiam exercitum ducente, consciæ defectionis civitates, cum velamentis antè portas stabant, metu ne hostiliter diriperentur.

Quumque longiùs haud secus, quàm in pacato agro, agmen processisset, ubi in Coronensem agrum ventum est; statua ibi regis ANTIOCHI, posita in Templo Minervæ Itonéæ, iram Consuli militiq; accendit; & ut ager Templo circumiectus popularetur, effecit. Castigati verbis Bœoti, ob ingratum, in tantis tamque recentibus beneficijs, in Romanos animum.

CLASSIS REGIA DISSIPATA.

Inter ipsum pugnæ tempus, X. naves regiæ, cum præfecto Isidoro, ad Thronium in sinu Maliaco stabant. Quò gravis vulneribus ALEXANDER Acarnan, nuntius adversæ pugnæ, quùm perfugisset; trepidæ indè recenti terrore naves Cenæum Eubœæ petiérunt. Indè, mortuo sepultoque Alexandro, Isidorus Demetriadem, si fortè eò deferret fuga regem, traiecit. Tres aliæ, quæ ex Asiâ profectæ eumdem portum, Thronij, tenuerant, naves, auditâ exercitûs clade, Ephesum rediérunt.

Sub idem tempus M. Attilius præf. Romanæ classis, magnos regios commeatus, iam fretum, quod ad Andrum Insulam est, prætervectos, excepit. alias mersit, alias cepit naveis. quæ novissimi agminis erant, cursum in Asiam vertérunt.

Attilius Piræeum, undè profectus erat, cum agmine captivarum navium revectus, magnam vim frumenti, & Atheniensibus, & alijs eiusdem regionis socijs, divisit.

ANTIOCHVS, sub adventum Consulis, à Chalcide profectus, Tenum primò tenuit; indè Ephesum transmisit. Et Consuli Chalcidem venienti portæ patuérunt; quùm appropinquante, eo, Aristoteles,

stoteles, præfectus regis, urbe excessisset. Cæteræ quoque urbes in Eubœa sine certamine traditæ.

Paucosque per dies omnibus perpacatis, sine ullius noxâ urbis, exercitus Thermopylas reductus; multò modestiâ pòst victoriam, quàm ipsâ victoriâ laudabilior.

M. PORCIVS CATO à Consule Romam missus est, qui S. p. q; Romanum quæ gesta essent, edoceret. L. quoque CORNELIVS SCIPIO, aliquot antè diebus à Consule dimissus, quùm advenienss prægressum CATONEM in Senatu esse audisset, supervénit exponenti, quæ Consul gessisset. Duo indè legati iussu Senatûs in concionem producti, eadem, quæ in Senatu, de rebus in Ætoliâ gestis, exposuérunt.

(Per eosdem dies & M. FVLVIVS Nobilior, qui biennio antè prætor in ulteriorem Hispaniam erat profectus, ovans urbem est ingressus.)

BELLVM ÆTOLICVM. ET SALVTARIA AD EOSDEM CONSVLIS MONITA.

ACILIVS Consul ab Thermopylis, Heracléam, ad Ætolos præmisit; *Vt tunc saltim experti regiam vanitatem resipiscerent: traditáq; Heracleâ cogitarent de petendâ ab senatu, seu furoris sui, seu erroris veniâ.*

Cæteras quidem Græciæ civitates defecisse eo bello ab optimè de se meritis Romanis: sed quia post fugam regis, cuius fiduciâ ab officio defecissent, non addidissent pertinaciam culpæ; in fidem receptas esse.

Ætolos, & regem arcessisse, quem non sint secuti; & duces belli, non socios, fuisse. Si pœnitere possint, posse & incolumes esse.

Ad ea quùm pacati nihil responderetur; castra ab Thermopylis ad Heracléam movit.

HERACLEA OPPVGNATA, DEDITVR.

Et Romani quidem operibus magis, quàm armis urbem oppugnabant. Ætoli contrà se armis constantissimè tuebantur, & frequenti eruptione hostem lacessebant. Sed nulla eos res æquè, ac vigiliæ, conficiebant. Per IV. & XX. dies, ità ut nullum tempus vacuum dimicatione esset, adversùs, IV. è partibus simul, oppugnantem hostem, nocturnus diurno continuatus labor est.

Tandem Romani partim per ruinas iacentis muri transcendere conati, partim scalis adscensus tentárunt. adversùs quos undique ad opem ferendam concurrérunt Ætoli.

Pars una, in quâ ædificia extrà urbem erant, neque defendebatur, neque oppugnabatur. sed qui oppugnarent, intenti signum exspectabant: & defensor nemo aderat.

Iam dilucescebat, quùm signum Consul dedit. & sine ullo certamine partim per semiruta, partim scalis integros muros transcendére.

Simul clamor, index opidi capti, est exauditus; undique Ætoli desertis stationibus in arcem confugiunt.

Opidum victores permissu Consulis diripiunt: Arx verò, circummisso per rupes milite, & prærerum ad obsidionem diutius tolerandam necessariarum inopiâ, ad primum impetum, abiectis armis, sese dedidit.

Inter cæteros Principes traditus & Damocritus, qui principio belli, Decretum gentis T. Quinctio poscenti, responderat; *In Italiâ daturum, castris Ætolorum super Tiberis ripâ positis.*

Eo tempore, quo Romani Heracléam; PHILIPPVS Lamiam ex composito, & cuniculis maximè oppugnabat. Et quùm parum procederet inceptum, per colloquia principum opidanos tentabat, ut urbem sibi dederent. haud dubius Consulem suam in obsidione liberandâ gratiam facturum. Et certè nuntius confestim ab Heracleâ captâ venit, ut oppugnatione abstineret. *Æquius esse Rom. milites, qui acie cum Ætolis dimicâssent, præmia victoriæ habere*. Ità recessum ab Lamiâ est: & propinquæ clade urbis, ipsi, nequid simile paterentur, effugérunt.

Ætoli, paucis priusquam Heracléa caperetur, diebus, concilio ad Hypatam coacto, legatos, & in cæteris THOANTEM; ad ANTIOCHVM miserant. qui peterent; *primùm, ut ipse rex coactis rursùs terrestribus navalibusq; copijs, in Græciam trajiceret:* deinde siqua ipsum taneret res, *ut pecuniam & auxilia mitteret*. ne Romani omni curâ vacui, sublatâ Ætolorum gente, omnibus copijs in Asiam transmittant.

Rex in præsentiâ pecuniam, quæ ad usus belli necessaria erat, legatis dedit: auxilia terrestria navaliaque adfirmavit missurum.

ÆTOLI PACEM PETVNT: SED CONDITIONES RESPVVNT.

Cæterum Heracléa capta fregit tandem animos Ætolorum. & paucis pòst missos ad regem acciendum legatos diebus. abiectis belli consilijs, pacis petendæ oratores ad Cos. misérunt. Re Hypatæ, coram L. VALERIO delegato, variè agitatâ; Hæc una via omnibus ad salutem visa est; *ut in fidem sese permitterent Romanorum*. Ità enim, & illis violandi supplices verecundiam se impositurGos; & ipsos nihilo minus suæ potestatis fore, siquid melius fortuna ostendisset.

Tum ad Consulem ventum; & quùm PHANEAS, legationis Princeps, diceret; Ætolos se suaq; omnia fidei pop. Romani permittere, & decretum eâ de re ostenderet; postulavit Consul, ut DICÆARCHVM, civem suum; & MENETAM Epirotam, (is Naupactum cum præsidio ingressus ad defectionem compulerat) & AMINANDRVM cum Principibus Athamanum, quorum consilio ab Romanis ipsi defecissent; sine morâ dederent.

Hìc interfatus PHANEAS; *Non in servitutem, sed in fidem Consulis se suaq; tradidisse: Imperari sibi,*

qua moris Graecorum non essent.

ACILIVS verò, *Se more Romano imperium habere in deditos, modò suo ipsorum decreto, antè armis victos;* subiecit. & simul vinciri, adferrique catenas, & circumsistere lictores iussit.

Tum fracta Phaneæ ferocia: *Scire facienda esse quæ imperentur; sed ad ea decernenda publico Ætolorum concilio opus esse.* Ad id petere, ut x. dierum inducias daret.

Quod ut, petente FLACCO, impetravit, & Hypatam reditum est; Apocleti quidem & Principes suæ conditioni ingemuerunt; & parendum tamen victori censebant.

Sed posteaquàm multitudo, ex omnibus oppidis coacta, eadem illa audivit; adeò sævitiâ imperij atque indignitate exasperati animi sunt; ut si in pace fuissent, illo impetu iræ concitari ad bellum potuerint.

Et spes fortè oblata; quòd NICANDER eo ipso tempore ab rege ANTIOCHO veniens; & à PHILIPPO (in cuius stationem, pecuniâ Lamiâ devectâ, inciderat) velut hospes, non hostis; & quidem datis, qui in tutum prosequerentur, comitibus, dimissus vanâ; exspectatione multitudinem, cui de pace Romana consultanti supervenerat implevit: *Terrâ mariq́ ingens parari bellum.*

NOVVM CVM IISDEM BELLVM.
NAVPACTI OBSIDIO.

M. verò Acilius, venditâ aut concessâ militi circà Heracleam prædâ, posteaquàm nec Hypatæ pacata esse consilia; & Naupactum concurrisse Ætolos, ut indè totum belli impetum sustinerent, audivit; præmisso Ap. CLAVDIO cum IV. militum Mill. ad occupanda iuga quà difficilis transitus montium erat; ipse Oetam adscendit, & reliquum iter satis expedito agmine fecit.

Et per Coracem, qui mons inter Callipolim & Naupactum altissimus; non sine magnâ iumentorum & exercitûs vexatione, ad Naupactū descendit: & divisis copijs, pro situ mœnium, circumsedit. nec minus operis laborisque ea oppugnatio, quàm Heracleæ, habuit.

Duæ civitates in Peloponneso, Messene & Elis, extrà concilium Achaicum erant, in Ætolos inclinatæ. Elei tamen, post fugatum ex Græciâ ANTIOCHVM legatis Achæorum leniùs responderant: *Dimisso regio præsidio, cogitaturos se quid sibi faciendum esset.*

Messenij, sine responso dimissis legatis, moverant bellum. trepidique deinde rerum suarum, quùm iam ager effuso Achæorum exercitu passim ureretur; castraque proximè urbem poni viderent; legatos Chalcidem ad T. QVINCTIVM, libertatis auctorem, misérunt; qui nuntiarent; *Messenios Romanis, non Achæis, & aperire portas, & urbem dedere paratos esse.*

QVINCTIVS DIOPHANEM, Achæorum præt. reducere à Messene exercitum, & ad se venire iubet.

Ille, caussis oppugnationis expositis, leniter castigatus, quòd tantam rem sine auctoritate Romanorum conatus esset; & pacem omnium bono partam turbaret; exercitum etiam dimittere iubetur.

QVINCTIVS Messenijs imperat; *ut exsules reducant. & Achæorum concilio participent. Si terum contrever fatam arbitrum fore.*

ZACYNTHVS REDDITA ROMANIS.

Et præbito per DIOPHANEM Achæorum concilio. de Zacyntho Insulâ, per fraudem interceptâ, questus, postulavit, ut Romanis restitueretur.

Zacynthus PHILIPPI Macedonum regis fuerat. Eam mercedem AMINANDRO dederat, ut per Athamaniam ducere exercitum in superiorem partem Ætoliæ liceret. Eâ expeditione fractis animis Ætolos compulit ad petendam pacem.

Aminander, PHILIPPVM Megalopolitanum Insulæ præfecit. Posteà per bellum, quo se ANTIOCHO adversùs Romanos coniunxit, PHILIPPO ad munia belli revocato, HIEROCLEM Agrigentinum successorem misit.

Is post fugam, ab Thermopylis, ANTIOCHI; AMINANDRVMQVE à PHILIPPO Athamaniâ pulsum; missis ultrò ad DIOPHANEN nuntijs pecuniam pactus, Insulam Achæis tradidit.

Id tum præmium belli suum esse, æquum censebat Romanus. neque enim M. ACILIVM, legionesque Romanas, DIOPHANI & Achæis ad Thermopylas pugnâsse.

DIOPHANES, & adversùs ea interdum se purgante, & interdum de iure facti disserente; tandem decretum est; *ut T. QVINCTIO ea res permitteretur.*

Et is quùm se non invidere Achæis, quæ intrà Peloponnesum essent, dixisset; Quæ verò mari disiuncta essent; Achæis inutilia esse; quibus tutius fi; *ut testudini intrà tegimen suum, ità intrà Insulam (Peloponnesum) mari undique clausos sese continere. Quæ extrà, nuda omnia Achæis, & ad omnes ictus exposita esse:* Sic adsentiente concilio Zacynthus Romanis tradita. Per idem tempus PHILIPPVS, permittente Consule, ad Demetriadem copias movit; haud ignarus, quanta ibi tum perturbatio esset.

DEMETRIAS PHILIPPO DEDITA.

Itaque præmissis à PHILIPPO, qui spem impetrabilis veniæ ostenderent, responderunt; *patere portas regi.* Ad primum eius ingressum, principum quidam urbe excesserunt. EVRYLOCHVS mortem sibi conscivit.

ANTIOCHI milites, ità pacti, per Macedoniam Thraciamque tutò Lysimachiam deducti: & naves cum præfecto ISIDORO, dimissæ. Indè Dolopiam & Aperantiam, & Perrhæbiæ quasdam civitates recepit.

COS. NAVPACTVM, ANTE OBSESSVM, RECIPIT.

Intereà T. QVINCTIVS, receptâ Zacyntho, Naupactum traiecit, quæ iam per duos menseis, (& propè

propè excidium erat) oppugnabatur. & si capta vi foret, omne ibi Ætolorum nomen ad internecionem videbatur esse venturum.

Nemo Ætolis iustius succensere poterat, quàm QVINCTIVS; quos solos gloriæ suæ obtrectâsse meminerat; & à furioso rebellionis incepto frustrà deterruerat.

Tamen is sui maximè operis esse credens, nullam gentem liberatæ à se Græciæ funditùs everti, obambulare muris, ut facilè nosceretur ab obsessis, cæpit.

Et simulac cognitus est; concursu undique in muros facto, manus pro se quisque tendentes certatim ac nominatim QVINCTIVM orare, ut opem ferret & servaret.

QVINCTIVS, propositâ PHILIPPI, non modo in urbibus, sed gentibus etiam, sibi adiungendis, felicitate, quem suprà modum crescere è re imperij Romani non esset; induxit Consulem, ut legatos ex urbe supplices audiret, & inducias in diem certam daret, quâ legatio renuntiari ab Româ posset. Et solutâ obsidione, exercitus in Phocidem missus.

CONCILIVM ACHAICVM. INDE LEGATI ROMAM.

Consul, cum T. QVINCTIO, ad Achaicum concilium Ægium traiecit. Ibi dum de Eleis, & exsulibus Lacedæmoniorum restituendis, ageretur; id suæ gratiæ reservari Achæi; & Elei per se ipsi, quàm per Romanos, Achaico contribui concilio, maluerunt.

Epirotæ, qui non milite quidem, sed pecuniâ iuvisse ANTIOCHVM insimulabantur; datis ad id. xc. dierum inducijs, Romam ad se purgandum missi, Senatum adiêrunt. Ijsque responsum datum, quo veniam impetrâsse, non caussam probâsse videri possent.

Et PHILIPPI regis legati sub idem tempus in Senatum introducti, qui de victoriâ gratularentur; sacrificare in Capitolio, & donum ex auro in Æde Iovis ponere permissi, c. pondo coronam auream posuêrunt.

Nec benignè solùm ijs responsum; sed regis quoque F. DEMETRIVS, qui obses Romæ erat, ad Patrem reducendus legatis datus est. *Hic, belli, cum ANTIOCHO rege in Græciâ gesti, finis.*

BELLVM ITERVM CVM BOIIS, ET LIGVRIBVS.

Alter Cos. P. CORNELIVS SCIPIO Galliam provinciam sortitus, eoque serius profectus est. atque indè Cn. DOMITIVM procos. dimisso exercitu, Romam decedere iussit: ipse in agrum Boiorum legiones induxit.

Et sub idem ferè tempus Ligures, lege sacratâ, coacto exercitu, nocte improvisò castra Q. MINVTII procos. adgressi sunt.

MINVTIVS, milite ad lucem intrà vallum cohibito, ubi diluxit, duabus simul portis eruptionem fecit. Et hostes duas amplius horas dubium certamen sustinuêre. Donec, inter cætera, vigilijs etiam confecti terga darent. Cæsa supra xv. Ligurum Millia. Ex Romanis socijsque minus ccc. periêrunt.

Duobus ferè post mensibus, P. CORNELIVS Cos. cum Boiorum exercitu signis collatis egregiè pugnavit. Duodetriginta ex hostibus M. cæsa; capti ter Mille & quadringenti traduntur; cum signis militaribus, equis & carpentis. ex victoribus. Mill. CDLXXXIV. cecidisse. Boij castris exuti, post eam pugnam extemplò, (al. biduo pòst) se dedidêre.

CORNELII COS. TRIVMPHVS DE IISDEM.

P. CORNELIVS Cos. primò obsidibus à Boiorum gente acceptis, agri parte ferè dimidiâ eos multavit; quò, si vellet, P. R. colonias mittere posset. Indè Romam, ut ad triumphum haud dubium decedens, exercitum dimitti, & adesse Romæ ad diem triumphi iussit.

Post aliquantam cum SEMPRONIO Trib. plebis altercationē; quòd diceret, debuisse potius Q. MINVTIO, proconsuli, qui in Liguriâ, Boijs proximâ, iam tertium annum vario eventu pugnabat, opem ferre, quàm ad triumphum properè, antè quàm de Liguribus debellatum foret, festinare: non modò Senatus universus ad decernendum triumphum consensit; sed etiam Tribunum pl. auctoritate suâ compulit ad remittendam intercessionem.

ANNIBAL ANTIOCHI ET BELLI INCENTOR.

ANTIOCHVS quasi bello Romano defunctus, Ephesi otiabatur. ANNIBAL unus, inter cæteros, qui aut per errorem, aut adsentando, istam regi securitatem faciebant; ceu sagax malorum ipsi impendentium vates; veternum excutere conatus, prædixit; *In Asiâ, & de ipsâ Asiâ, brevi, terrâ mariq; dimicandum regi cum Romanis esse; & aut imperium adimendum, orbem terrarum adfectantibus; aut ipsi regnum amittendum.*

Rex itaque navibus, quæ paratæ instructæque erant, Chersonesum petit; ut ea loca, si fortè Romani terrâ venirent, præsidijs firmaret. Cæteram classem POLYXENIDAM parare & deducere iussit; speculatorijs navibus circà insulas quàquaversum dimissis.

MARITIMVS VTRIMQVE ADPARATVS.

C. LIVIVS, præfectus Romanæ classis, cum L. navibus tectis profectus ab Româ Neapolim, quò apertæ ab socijs naves, ex fœdere, convenire iussæ erant; indè Siciliam petens, fretoque Messanam prætervectus; quùm vi. Punicas naves ad auxilium missas accepisset; & ab Rheginis Locrisque, & finitimis, debitas exegisset; Corcyræ,

cyræ, quam primam Græciæ civitatem adierat, audivit; eiteà Thermopylarum ſaltum in ſtatione Cōſulem, ac regem eſſe; claſſem, Pyræci ſtare. Et maturandum ratus, pergit protinùs navigare in Peloponneſum. Samum (ſive Cephalleniam) Zacynthumq́ue, quos partis Ætolorum eſſe putaret, depopulatus, Maleam petit; & paucis diebus Piræeum ad veterem claſſem pervenit.

Ad Scyllæum, haud procul Hermione, EVMENES rex cum tribus navibus occurrit. diu Æginæ incertus, utrum ad tuendum ab Antiocho rediret regnum; an nuſquam abſcederet ab Romanis.

A. ATTILIVS, traditis ſucceſſori v. & xx. navibus tectis, ab Piræeo Romam eſt profectus. & LIVIVS I. & LXXX. roſtratis navibus, alijſq́ue minoribus, apertis aut ſpeculatorijs, Delum traiecit.

Eâ de re Polyxenidas certior factus, nuntios ad regem miſit. Qui omiſsis, quæ in Helleſponto agebat, cum roſtratis navibus, celeriter Epheſum redijt. habitoq́ue protinus conſilio, quùm Polyxenidas priùs confligendum eſſe diceret, quàm claſſis Eumenis, & Rhodiæ naves, coniungerentur Romanis. Et numero quidem non fermè impareis futuros, cæteris omnibus ſuperiores, & celeritate navium, & varietate auxiliorum: præter notitiam maris terrarumq́ue & ventorum, quæ omnia ignaros turbatura hoſteis eſſent. Movit omneis auctor conſilij, qui & re conſilium exſecuturus eſſet.

Biduum in adparatu morati, tertio die c. navibus. (App. c c.) quarum LXX. tectæ, cæteræ apertæ; profecti, Phocæam petiérunt.

Et rege, qui navali certamini interfuturus non eſſet, Magneſiam, quæ ad Sipylum eſt, ad terreſtreis copias comparandas, concedente, claſsis ad Ciſſuntem, Erythræorum portum, contendit.

Romani, cadentibus Aquilonibus, ab Delo Phanas, Chiorum portum, petunt. indè navibus ad urbem circumactis, commeatuq́ue ſumto, Phocæam traijciunt.

PVGNA NAVALIS.

EVMENES Elæam ad ſuam claſſem profectus, paucis pòſt indè diebus, cum IV. & XX. navibus tectis, apertis pluribus à Phocæâ, ad Romanos, ſe ad navale certamen inſtruenteis, redijt.

Atque ità C L. tectis navibus, apertis fermè L. profecti, lenitâ paullùm vi venti, ad Corycum portum, qui ſuper Ciſſuntem eſt, conati ſunt traijcere.

POLYXENIDAS occaſione pugnandi lætus, ſiniſtrum ipſe cornu in altum extendit; dextrum à præfectis navium ad terram explicari iubet, ut æquâ iam fronte ad pugnam procederet.

Nec minore curâ atque induſtriâ Romanus cum EVMENE cornua inſtruit. Duæ Punicæ naves claſſem Romanam antecedebant; quibus obviæ tres fuére regiæ. Duæ ex ijs unam ex Punicis circumſiſtunt, & primum ab utroq́ue latere remos detergunt: deinde tranſcendunt armati, & deiectis cæſiſq́ue propugnatoribus, navem capiunt. Altera, ne à tribus circumveniretur, retrò ad claſſem refugit.

Acceñſus indignatione LIVIVS, prætoriâ nave in hoſteis tendit. adversùs quàm quum eâdem ſpe duæ, quæ Punicam unam navem circumvenerant, inferrentur; ipſe, demitti iuſsis in aquam remis, & ferreis manibus in regias naveis iniectis, pugnam pedeſtri ſimilem fecit.

Haud paullò facilius, quàm antè duæ unam, tunc una duas naveis expugnavit & cepit.

Et iam paſsim permiſtis navibus pugnabatur; quùm EVMENES, qui extremus commiſſo certamine advenerat, ut animadvertit lævum cornu hoſtium à LIVIO turbatum; dextrum ipſe, ubi æqua pugna erat, invadit.

Nec ita multo-pòſt, primùm ab lævo cornu fuga cæpit. POLYXENIDAS enim, ut virtute militum haud dubiè ſuperari ſe vidit; ſublatis dolonibus effusè fugere intendit. mòx idem, & qui propè terram cum EVMENE contraxerant certamen, fecére.

Romani cum eodem EVMENE, pertinaciter quidem fugienteis ſunt inſecuti. ſed hi celeritate ſuarum navium, ut pote levium, Romanas, commeatu onuſtas, facilè eluſérunt. XIII. naves captę cum milite & remige; X. demerſæ. Ex Romanâ claſſe, una Punica navis, quam primo certamine à duabus circumventam diximus, perijt. POLYXENIDAS, non prius quàm in portu Epheſi, fugæ finem fecit.

Dum Romani poſtero die hoſtem perſequi intendunt; mediò ferè in curſu obviæ ijs fuére V. & XX. tectæ Rhodiæ naves, cum PAVSISTRATO præfecto claſsis.

Ijs adiunctis Epheſum hoſtem perſecuti, antè oſtium portûs acie inſtructâ ſtetérunt. poſteaquàm confeſsionem victis ſatis expreſſérunt, Rhodij & Eumenes domos dimiſsi: Romani Chium petentes, in inſulam, ad ipſam urbem traiecérunt, & indè in Phocæam tranſmiſérunt.

Ibi relictis ad præſidium urbis IV. quinqueremibus; ad Cauas, Æolidis vicum, claſsis venit: & quod iam hiems appeteret, foſsâ valloq́ue circumdatis, naves ſubductæ.

3764. 33. Ant. M. 14. Pt. Epiph.	*Exitu anni Comitia Romæ habita; quibus creati ſunt Coſ. L. CORNELIVS SCIPIO, & C. LÆLIVS NEPOS. intuentibus cunctis ad finiendum cum ANTIOCHO bellum.*	186.

ÆTOLORVM LEGATI DVRIVS ACCEPTI.

Ijs magiſtratum ingreſſis, nulla priùs, ſecundùm religiones, acta in Senatu res eſt, quàm de Ætolis. Et, quod brevem induciarum diem haberent, eorum legati inſtabant, ab T. QVINCTIO, qui tum Romam ex Græciâ redierat, adiuti.

Plus ira, quàm miſericordia in cauſſa eorum valebat; quia non ut hoſtibus modò, ſed plerique, tamquā indomitæ & inſociabili genti, ſuccenſerent.

Poſtremò

Postremò neque dari, neque negari pacem placuit: sed duæ conditiones eis latæ sunt; *Vel Senatui liberum de se arbitrium permitterent; vel Mille talentûm darent, eosdemq; amicos atque inimicos haberent*. Postremò infecta pace dimissi, Vrbe, eodem die; Italiâ, intrà XV. dies, excedere iussi.

Vbi de Consulum provincijs agi cæptum, ambo Græciam cupere comperti. LÆLIVS elegantiùs facturos Patres dicebat, si ipsorum iudicio potiùs, quàm forti ea res, sive provinciarum inter Consules comparatio, permitteretur. Et SCIPIO, re cum fratre Publ. communicatâ, renuntiat collegæ, facturum se quod is censeret.

Quumque res nova exspectatione certaminis Senatum erexisset, P. Scipio Africanus, Consulis frater, palàm dixit; *Si L. SCIPIONI fratri suo provinciam Græciam decrevissent, se legatum iturum*. Hæc vox magno adsensu audita sustulit certamen: àc propè omnes SCIPIONI Græciam; LÆLIO Italiam decrevêrunt. ANNIBAL, quem vicerat nuper AFRICANVS, & in partibus ANTIOCHI erat; metuebatur.

LEGATI AB ÆGYPTO.

Per eosdem dies III. & XL. Ætolorum principes, inter quos DAMOCRITVS & frater eius erant, Romam ex Græciâ perducti, & in Latomias coniecti sunt.

Et Legati à PTOLEMÆO & CLEOPATRA, regibus Ægypti, gratulantes, quòd M. ACILIVS Cos. ANTIOCHVM regem Græciâ expulisset; venérunt, adhortatique sunt; *ut in Asiam, metu perculsam, exercitum traijcerent. Reges Ægypti, ad ea quæ censuisset Senatus, paratos fore.*

SCIPIO COS. AD BELLVM PROCINGITVR.

L. SCIPIO Cos. conscriptis à se militibus, & ijs qui in Bruttijs cum A. CORNELIO proprætore essent; pro concione edixit; ut Idib. Quinctilibus Brundisium convenirent. Et per legatos, ex orâ maritimâ undique naves eòdem contraxit: omnibusque iam paratis, paludatus ab urbe est profectus.

Ad V. voluntariorum Millia ex Romanis socijsque, qui emerita stipendia sub Imperatore AFRICANO habebant, præstò fuére exeunti Cos. & nomina dedérunt.

Per eos dies, quibus est profectus ad bellum Cos. Ludis Apollinaribus, ad V. Id. Quinctileis, cœlo sereno, interdiu, obscurata lux est, quùm Luna sub orbem Solis subisset.

L. Aimylius Regillus præt. cui navalis provincia evenerat, eodem tempore profectus est. quùm L. Aurunculeio, præt. urbano, datum ab Senatu negotium esset, ut XXX. quinquèremes, & XX. triremeis faceret. quia fama erat ANTIOCHVM, maiorem aliquantò classem reparare.

Ætoli pacis desperatione per legatos intellectâ, quamquam omnis ora maritima eorum, quæ in Peloponnesum versa est, depopulata ab Achæis erat; periculi magis, quàm damni memores, ut Romanis intercluderent iter; Coracem montem occupavérunt. haud dubij quin ad Naupacti obsidionem rediretur.

LAMIA EXPVGNATA.

ACILIO, qui id exspectari sciebat, fatius visum est inopinatam adgredi rem, & Lamiam oppugnare. quos antè à PHILIPPO propè ad excidium adductos; & tunc eo ipso, quod nihil tale timerent, opprimi incautos posse, sperabat.

Profectus ab Elatiâ, motis nocte à Sperchio amne castris, primâ luce, coronâ mœnia est adgressus. Sed quùm deposito pavore viri propugnarent; feminæ tela saxaque in muros gererent; urbs eo die defensa est.

ACILIVS verò, postridie pluribus locis adgressus, quùm opidanos vires, tela, & antè omnia animi deficerent; intrà paucas horas urbem cepit. Præda partim vendita, partim divisa est.

Tum Naupacto iterùm omisso, ad Amphissam iri placuit, & exercitus ab Heracleâ, per Oetam, eò ductus; & operibus urbs oppugnari cæpta. Iam multis locis murus decussus erat; quùm adlatum est, successorem, SCIPIONEM Cos. exposito Apolloniæ exercitu, per Epirum ac Thessaliam venire. Veniebat autem cum XIII. pedit. Millib. & equitibus D.

Iamque in finem Maliacum venerat; & præmissis Hypatam, qui tradere urbem iuberent; posteaquàm responsum est; *nihil nisi ex communi Ætolorum decreto facturos*. ne teneret se oppugnatio Hypatæ, nondum Amphissâ receptâ; præmisso fratre AFRICANO, Amphissam ducit.

Sub eorum adventum opidani, relictâ urbe, (iam enim magnâ ex parte nudata mœnibus erat) in arcem, quam inexpugnabilem habebant, armati omnes, atque inermes concessére. Cos. sex ferè Mill. pass. indè castra posuit.

ATHENIENSES PRO ÆTOLIS INTERCEDVNT.

Eò legati Athenienses primùm ad P. SCIPIONEM, qui agmen prægressus erat; deinde ad Cos. venérunt, deprecantes pro Ætolis.

AFRICANVS, qui caussam relinquendi honestè Ætolici belli quæreret, & Asiam regemque ANTIOCHVM spectaret; iussit Athenienseis non Romanis solùm, *ut pacem bello præferrent*; sed etiam Ætolis persuadere.

Quùm itaque auctoribus Atheniensibus frequens ab Hypatâ legatio Ætolorum venisset; & post varia cum AFRICANO, & fratre Cos. colloquia, ab illo clementius, & eum spe pacis coniunctum; ab hoc idem illud responsum rettulissent, quo ab Senatu fugati & urbe excedere iussi

dere iussi fuerant; neque impetrare à Cos. potuissent, ut vel ex summâ pecuniæ (Mille talentûm) demeret; vel liberi de se arbitrij permissionem, extrà civium corpora, fieri iuberet. Tandem per P. SCIPIONEM, sex mensium inducias, ut legati Romam mitti possent, à Cos. impetraverunt.

Atque ita solutâ Amphissæ obsidione, M. ACILIVS, tradito Consuli exercitu, provinciâ decessit. Et Cos. ab Amphissâ Thessaliam repetit, ut per Macedoniam Thraciamque duceret in Asiam.

EXPROMTVS PHILIPPI IN ROMANOS ANIMVS.

T. SEMPRONIVS GRACCHVS, ad explorandum regis PHILIPPI animum, Pellam præmissus, commeatus exercitui venturo benignè paratos; ponteis in fluminibus factos; vias munitas, rege monstrante, vidit; & Thaumacis, occurrens, Consuli eadem renuntiavit.

Vnde certiore & maiore spe lætus exercitus, ad præparata omnia in Macedoniam pervénit.

Venienteis regio adparatu accepit & prosecutus est PHILIPPVS. Indè non per Macedoniam modò, sed etiam per Thraciam, prosequente & præparante omnia rege, ad Hellespontum perventum est.

ANTIOCHI ADPARATVS.

ANTIOCHVS totâ hieme classi maximè reparandæ, ne totâ maris possessione pelleretur, intentus fuerat: & id unum studebat; ut viribus & magnitudine navium hostilem classem æquaret.

Itaque & ANNIBALEM in Syriam miserat ad Phœnicum arcessendas naveis; & POLYXENIDAM, tum eas quæ erant, reficere; tum alias parare iusserat. Ipse in Phrygiâ bibernavit: undique auxilia arcessens, etiam in Gallogræciam miserat.

Filium SELEVCVM in Æolide reliquerat cum exercitu, ad maritimas urbeis in fide continendas; quas illinc à Pergamo, EVMENES; hinc à Phocæâ Erythrisque, Romani solicitabant. quorum classis ad Cauas hibernabat.

Eò mediâ fermè hieme rex EVMENES, cum II. pedit. Milib. & equitibus c. venit. & ex agro Thyatirensi ingentem prædam avertit.

Phocæa, præsidio Romano, quòd ob gravem frumenti inopiam excesserat, liberata; ad ANTIOCHVM, Senatu & optimatibus reclamantibus, defecit.

NAVALIS ROMANOR. ADPARATVS, ET EXPEDITIONES.

Postquàm Rhodij, quò magis cessatum priore æstate erat, eò maturiùs æquinoctio verno PAVSISTRATVM, eumdem classis suæ præfectum cum VI. & XXX. navibus misissent; LIVIVS à Cauis, cum XXX. navibus, & VII. quadriremibus, quas EVMENES adduxerat, Hellespontum petebat; ut ad transitum exercitûs, quem terrâ venturum opinabatur, præpararet quæ opus essent.

In portum, qui Achæorum dicitur, classem primùm advertit; indè Ilium adscendit. Factoque MINERVÆ sacrificio, legationes finitimas, ab Elæunte, Dardano & Rhœteo, tradenteis in fidem civitates suas, benignè audivit.

Indè ad Hellesponti fauceis navigat: & X. navibus in statione contrà Abydum relictis, ceterâ classe in Europam, ad Seston oppugnandam, traiecit.

Iam subeuntibus armatis muros, fanatici Galli, Cybeles sacerdotes, cum solenni habitu antè portam occurrunt; *Parcerent mœnibus urbique, quæ in tutela Matris Deûm esset.* Nemine eorum violato, mox universus Senatus, cum magistratibus, ad dedendam urbem processit.

Indè Abydum traiecta classis. Vbi quùm tentatis per colloquia animis nihil pacati responderetur; ad oppugnationem sese expediebant.

POLYXENIDÆ FRAVS ET PERFIDIA, ET PVGNA NAVALIS.

Intereà POLYXENIDAS, regius quidem præfectus, sed exsul Rhodius, PAVSISTRATO, Rhodiæ classis præfecto, ob maledicta, infensus; mittit ad eum hominem utrique notum, qui diceret; *& se PAVSISTRATO patriæq, sua magno usui, si liceat, fore: & à PAVSISTRATO se in patriam restitui posse.*

Regiam classem, aut totam, aut maiorem eius partem se traditurum ei, aut aperto certamini obiectturum. Et pretium tanti meriti nullum aliud pacisci, quàm reditum in patriam. Scribit & POLYXENIDAS suâ manu; se ea, quæ pollicitus esset, facturum: signoque suo impressas tabellas misit.

Quo pignore velut auctoratum sibi proditorem ratus PAVSISTRATVS; & nimiâ credulitate, simulato proditori, fidem adhibens, in insidias præcipitavit.

Iam ille Panhormum, Samiæ terræ, petierat; ibique ad explorandam rem, quæ oblata erat, subsistebat. Et partem navium suarum ad commeatus arcessendos Halicarnassum; partem Samum ad urbem miserat, ut paratus esset, ubi signum adgrediendi à proditore accepisset.

POLYXENIDAS verò remige, quem in speciem dimiserat, à Magnesiâ ad Sipylum, nocte, arcessito; deductisque raptim, quæ subductæ erant, navibus, eâdem nocte in proxima Samiæ terræ traiecit.

Et NICANDRO quodam archipiratâ, cum V. navibus tectis, Palinurum iusso petere; atque indè armatos, quà proximum per agros iter esset, Panormum, ad tergû hostium, ducere; ipse interim classe divisâ, ut ex utrâque parte fauceis portûs teneret, Panormum petit.

PAVSISTRA-

PAVSISTRATVS, ut in re nec-opinatâ turbatus, vetus tamen miles, terrâ meliùs arceri, quàm mari hosteis posse ratus; armatos duobus agminibus ad promontoria, quæ cornibus obiectis ab alto portum faciunt, ducit; inde facilè telis ancipitibus hostem summoturus.

Id inceptum eius NICANDER à terrâ missus cum turbâsset; mutato repentè consilio, naves conscendere omneis iubet.

Tum verò, ubi se mari terrâque simul circumventos cernerent, summâ cum trepidatione, militum nautarumque veluti fuga in naveis fieri cœpit.

PAVSISTRATVS viam unam salutis ratus, si viam facere per fauceis portûs, atque erumpere in mare apertum posset; ipse princeps, sequi cæteris iussis, concitatâ nave remis ad ostium portûs tendit.

Superantem iam fauceis navem eius, POLYXENIDAS tribus quinqueremibus circumsistit. Navis rostris ictâ deprimitur: telis obruuntur propugnatores, inter quos & PAVSISTRATVS, impigrè pugnans, interficitur.

Navium reliquarum ante portum aliæ, aliæ in portu deprehensæ; quædam à NICANDRO, dum moliuntur à terrâ capiæ.

Quinque tantùm Rhodiæ naves, cum duabus Cois, effugerunt; terrore flammæ micantis, viâ sibi inter confertas hostium naveis, factâ. Contis enim binis à prorâ prominentibus, trullis ferreis multum conceptum ignem præ se portabant.

Erythrææ triremes, quùm haud procul à Samo Rhodijs navibus, quibus ut essent præsidio, venebant; obviæ fugientibus fuissent, in Hellespontum ad Romanos cursum averterunt.

Sub id tempus SELEVCVS ANTIOCHI F. proditam Phochæam, portâ unâ per custodes apertâ, recepit: & Cymæ, aliæque eiusdem oræ urbes, ad eum metu defecerunt.

Et quùm Abydus, per aliquot dies obsidionem tolerâsset, iam omnibus fessis, PHILOTA quoque præsidij præfecto permittente, magistratus eorum cum LIVIO de conditionibus tradendæ urbis agebant. Vnum in morâ erat; *armatine, an inermes Regij emitterentur*. Atque hæc agentibus, nuntius Rhodiæ cladis intervenit; & emissa de manibus res est.

Et LIVIVS, metuens ne classis, quæ ad Cavas erat, à POLYXENIDA victore opprimeretur; non modò Abydi obsidione, sed Hellesponti etiam custodiâ extemplò relictâ, naveis, quæ subductæ Cavis erant, deduxit: & EVMENES Elæam venit.

Tum LIVIVS omni classe, cui adiunxerat triremeis duas Mitylenæas, Phocæam petit. Quam quùm teneri valido regis præsidio audisset, nec procul SELEVCI castra esse; prædâ, ex maritimâ orâ, maximè hominum, raptim in navem impositâ, tantùm moratus; dum EVMENES cum classe adsequeretur, Samum petere intendit.

Rhodijs, tum ob navium, militumque iacturam; tum ob civis exsulis fraudem; in iram luctus vertebat. XX. itaque mox naves duce EVDAMO, cautiore, miserunt.

Romani & EVMENES in Erythræam primùm classem adplicuerunt; postero die Corycum, Teiorum promontorium, tenuerunt.

POLYXENIDAS Samum petituros hosteis haud vanè ratus, ut se Rhodiæ classi coniungerent; ab Ephesô profectus, primò ad Myonnesum stetit: deinde ad Macrin Insulam traiecit, hostilem classem pro re natâ adoriturus.

Sed obortâ tempestate, utrimque incommodâ, quùm Romani ex medio cursu Corycum, unde in altum digressi erant, repetierunt; tum POLYXENIDAS ex Æthaliâ Insulâ, quò speculatum processerat, Ephesum redijt.

Atque ita Romanæ naves, vacuo ab hostibus mari, Samum, quò intenderant antè, traiecerunt; eódemque Rhodia classis post dies paucos venit.

Quam ut exspectatam esse adpareret, profecti è-vestigio sunt Ephesum, ut aut decernerent navali certamine; aut detrectante pugnam hoste, timoris confessionem exprimerent.

Posteaquam nemo adversus ibat, classe divisâ, pars in Salo, ad ostium portûs, in ancoris stetit; pars in terrâ milites exposuit.

In prædatores, mœnibus urbis adpropinquanteis, ANDRONICVS regij præsidij Præfectus, factâ eruptione, exutos magnâ prædæ parte, ad mare & naveis redegit. Et quùm postridie, positis in medio fermè viæ insidijs, elicere extra mœnia, ad certamen Macedonem, suspicione deterritum, non possent; Romani ad naveis redierunt: & classis Samum, unde venerat, repetijt.

Prætor inde duas sociorum ex Italiâ, duas Rhodias triremeis, cum Præfecto Rhodiorum EPICRATE, ad fretum Cephalleniæ tuendum misit. Infestum id latrocinio Lacedæmonius HYBRISTAS, cum iuventute Cephallenum, faciebat; clausumque id mare commeatibus Italicis erat.

ÆMILIVS REGILLVS LIVIO SVCCEDIT, ET PARVM PROSPERE REM mari gerit.

Aliquanto-pòst L. ÆMILIVS REGILLVS, navalis imperij successor LIVIO datus, Piræum venit: & EPICRATEM Rhodium sibi obuiam cum IV. navibus in Asiam secum reduxit.

Traijcienti à Chio Samum, II. Rhodiæ quadriremes missæ obviam à LIVIO; & rex EVMENES cum II. quinqueremibus occurrit.

Samum posteaquam ventum est, acceptâ à LIVIO classe, post varias in concilio sententias, quùm hinc LIVIVS, petendam totâ classe Ephesum, & onerarias multâ saburrâ gravatas in faucibus portûs supprimendas suaderet, ut inutilem, ademto maris usu, classem hostium facerent. inde EVMENES rex, eo facto plus incommodi Romanis, quàm detrimenti hostibus accessurum, commonstraret.

EPIGRATES, omissâ in præsens Ephesô, mittendam navium partem in Lyciam censuit; & Patara, caput gentis in societatem adiungendam. ut & Rhodij pacatis vicinis, in unum ANTIOCHI bellum incumbere possint; & classis, quæ in Lyciâ regi ANTIOCHO compararetur, ne POLYXENIDÆ coniungi possit, impediatur.

His ita constitutis, & REGILLO totâ cum classe, inferendo hostibus terrori, ad Ephesi portum evecto; C. LIVIVS cum suis, & sociorum Asiaticorum navibus in Lyciam est missus; & cum Rhodijs obiter inceptum communicare iussus.

Civitates, quas prætervectus est, Miletus, Myndus, Halicarnassus, Cnidus, Cous, imperata enixè fecérunt. Ipse adsumtis tribus Rhodo quadriremibus Patara navigat. Ibi urbem vario Marte adgressus, frustrà fuit. Nam post acre & anceps certamen, licet postremò Lycij fugati atque in urbem compulsi fuissent; Romani cum haud incruentâ victoriâ ad naveis rediérunt.

LIVIVS prætervectus Asiam, in Græciam transmisit; ut conventis SCIPIONIBVS, qui tum circa Thessaliam erant, in Italiam trajiceret.

L. ÆMYLIVS ab Epheso tempestate Samum repulsus, ne Patara frustrà tentata dicerentur; proficisci eò totâ classe, & summâ vi adgredi urbem statuit. Miletum, & cæteram oram sociorum prætervecti, in Bargylletyco sinu exscensionem ad Iassum fecérunt, urbemque tandem oppugnárunt.

Sed Rhodijs intercedentibus, quòd communis caussa exulibus, cum ijs, qui in urbe metu regis, manserant, unáque mens esset; & si quà possent, utrique regiam servitutem effugere vellent, & Romanis adiungi; loci oppugnatione abstentum est. & à Patarensi expeditione, anquisito prætextu, etiam recessum, quòd universa ibi classis in portu stare non posset. & hostis abductâ ab Epheso classe, iam ab tergo liber, in propinquas sociorum urbeis omnia impunè conatutus metueretur. Samum itaque reductæ ab ÆMYLIO naves.

EVMENIS DITIO VEXATVR.

Per idem tempus SELEVCVS, ANTIOCHI F. ex Æolide, ubi hibernárat, transire in fineis regis EVMENIS, absentis, statuit: & agrum vicinum depopulatus, ad caput arcemque regni, Pergamum, ducit oppugnandam. & ATTALVM ex certaminibus suburbanis intra mœnia confestim se recipientem, obsidere cæpit.

Et simul ANTIOCHVS ab Apaméâ profectus cum exercitu, ex varijs gentibus misto, & cum IV. Gallorum millibus, eundem agrum pervastabat.

EVMENES bello domestico avocatus, cum expedito equitum peditumque agmine, hoste vixdum moto, aut sentiente, Pergamum contendit. Ibi rursus levia per excursiones prœlia. & paullo-pòst, Romana Rhodiaque classis, ut fido regi opem ferrent, Elæam ab Samo venérunt.

Cognito, ANTIOCHVS, tot classeis in unum convenisse portum, & Consulem cum exercitu iam in Macedoniâ esse; & quæ ad transitum Hellesponti opus essent parari; tempus venisse ratus de pace agendi, misso caduceatore ad ÆMYLIVM, & relicto in castris peditatu, cum VI. equit. mill. in campos, sub ipsa Elææ mœnia descendit. Cui quùm responsum esset: *Ante Consulis adventum agi de pace non posse*; ipse vastatis primùm Elæensium, deinde Pergamenorum agris, relicto ibi SELEVCO F. Adramyttenum facto hostiliter itinere petit.

Eódem, ut urbi præsidio essent, navibus circumvecti ÆMYLIVS & EVMENES venérunt; & ex Achaiâ M. pedites cum C. equitibus, duce DIOPHANE, Elæam arcessierunt. eosque navibus egressos, missi obviam ab ATTALO, Pergamum deduxérunt. Horum in erumpendo, castrisque oppugnandis audacia, SELEVCVM ex agro Pergameno movere castra coégit.

ANTIOCHVS quoque Adramyttéo quidem abstinuit; sed depopulatus agrum, Peræam, Mitylenæorum coloniam, expugnavit. Cotton & Corylenus, Aphrodisias & Pnene, primo impetu captæ sunt: atque inde per Thyatyra Sardeis redijt. Classis Romana, cum EVMENE Rhodijsque, Phocæam irrito conatu oppugnat.

Aliquanto-pòst, mediâ iam æstate, advenientem ex Syriâ regiam classem (quæ VII. & XXX. navium maioris formæ erat, & triremium X.) Rhodij (quorum II. & XXX. quadriremes, & IV. triremes fuére) circa Sida, Pamphyliæ urbem, adorti, egregiè pugnavére.

Ibi ANNIBAL, quantumvis maritimæ ipse pugnæ, quàm terrestris minùs experiens; omnibus, quæ in dextro cornu vicerant, navibus ad opem ferendam EVDAMO, propè à se circumvento, concurrentibus, ultimus fugit. Et si Rhodij fugientibus impigrè institissent, totam classem capere aut submergere poterant.

Obstitit morbus, loco gravi, & tempore anni; ad hoc, insolito odore, maximè in remiges, ingruens, quò minus laboris essent tolerantes. (Addit Iustin. l. 31. Minorem cladem ducis ANNIBALIS solertiâ fuisse.)

Rhodij EVDAMVM cum VII. navibus maximis, ex eâ classe, cui præfuerat, Samum redire ad Romanos iussérunt; ut quà consilio, quâ auctoritate, impelleret Romanos, ad Patara denuò oppugnanda. Et apparebat satis, si ea cura Rhodijs dempta esset, vacuos eos tuta eius regionis maria præstaturos.

Sed ANTIOCHO ab Sardibus profecto, ne opprimerentur urbes maritimæ, abscedere custodia Ioniæ Æolidisque prohibuerunt. PAMPHILIDAM modò cum IV. tectis navibus ad eam classem, quæ circa Patara erat, misérunt.

PRVSIAS TENTATVR AB ANTIOCHO.

ANTIOCHVS ad PRVSIAM, Bithyniæ regem, legatos miserat literasque; quibus transitum in Asiam Romanorum increpabat: *Venire eos ad omnia regna tollenda, ut nullum usquam orbis terrarum, nisi imperium Romanum esset. Se a PHILIPPO & NABIDE tertium peti. Ut quisque proximus ab oppresso sit, per omnes, velut continens incendium pervasuros. Ab se gradum in Bithyniam fore, quando EVMENES in voluntariam servitutem concessisset.*

PRVSIAM verò, nonnihil motum, litteræ SCIPIONIS Cos. sed magis eius fratris AFRICANI, à suspicione tali averterunt; quibus Romanorum in fidos sibi reges, sociosque, beneficia

& li-

& liberalitatem commemorabat.

Verùm maximè regis animus est confirmatus, posteaquam C. LIVIVS, legatus ad eum ab Roma venit, & edocuit: *tum spem victoriæ Romanis, quàm ANTIOCHO certiorem; tum amicitiam sanctiorem, firmioremq́, apud Romanos futuram.*

ANTIOCHVS eâ spe deiectus; & Ephesum ad classem, quæ per aliquot menses instructa parataque fuerat, visendam profectus. & quod pro tempore maritimæ hostium vires variè distractæ essent; POLYXENIDA cum classe, ad tentandam omni modo certaminis fortunam misso; ipse copias ad Notium ducit, (oppidum à vetere Colophone II. fermè pass. millia distans, & Epheso propinquum) ut si Romani, ad opem ferendam sociæ urbi, classem ab Samo moverent; ea POLIXENIDÆ ad rem facilius mari gerendam occasio foret.

Postquam igitur urbs operibus oppugnari cœpta est, & arietes admoveri; Colophonij tam propinquo malo territi, Samum ad L. ÆMYLIVM oratores opem imploratum misêrunt.

Prætorem cupientem proficisci in Hellespontum, ut Consul suas copias in Asiam traijceret, præsidio esset; Rhodij tenuêre; & instiêre, *satiùs esse, vel socios obsidione eximere; vel victam iam semel classem iterùm vincere, totamq́, maris possessionem hosti eripere; quàm desertis socijs, traditâ ANTIOCHO Asiâ terrâ mariq́; in Hellespontum*, ubi satis esset EVMENIS classis, *ab suâ parte belli discedere.*

Dum itáque ad petendos commeatus ab Samo, Chium, (quod erat horreum Romanis, & onerariarum ex Italiâ receptaculum) traijcere parant, & Erythras deferuntur; & in medio cursu adlatum esset; Teios regiæ classi benignè commeatus præbuisse, & vim magnam vini pollicitos; Teum Prætor classem avertit; aut volentibus ijs, usurus commeatu hostibus parato; aut ipsos pro hostibus habiturus.

TEII MVLTANTVR A PRÆTORE.

Iis iam proras ad terram dirigentibus, xv. fermè naves piratarum, ut pòst constitit, apparuêrunt. qui Chiorum maritimam oram depopulati, & cum omnis generis prædâ revertentes, conspectâ in alto classe, ante-quàm ea adpropinquaret, Myonnesum perfugêrunt.

Circa quod promontorium non ausæ naves Prætoris propiùs insequi, aut succedere, ne sub ictu circumstantium utrimque in rupibus piratarum essent; diem trivêre.

Tandem sub noctem vano incepto quùm abstitissent, Téon postero die accessêre: & navibus in portu Geræstico, à tergo urbis constitutis, Prætor ad depopulandum circa urbem agrum milites emisit.

Teiorum oratoribus civitatem omnis facti dictique hostilis, adversus Romanos, purgantibus, ÆMYLIVS, & iuvisse eos commeatu classem hostium arguit; & quantum vini POLYXENIDÆ (v. vasorum millia) promisissent. Quæ si eadem classi Romanæ præberent; revocaturum se à populatione militem: sin minùs, pro hostibus eos habiturum.

Dum eâ de re in civium concione consultatur, POLYXENIDAS interim eódem cum regiâ classe à Colophone profectus; & de ijs, quæ illic agerentur, certior factus; ipse adversus Myonnesum, in Insulâ Macri, ancoras porro occulto iecit. neque exploratis hostium molitionibus, in exiguâ spe erat, quemadmodum Rhodiam classem, ad Samum, circumsessis ad exitum faucibus portûs, expugnásset; sic & Romanam, haud dissimili naturâ loci, expugnaturum.

Sed quùm Teij factuos se imperata Prætori promisissent; Iam Romani ad accipiendos aptiùs commeatus, & vitandum ab terrâ periculũ, in eum portum, qui ante urbem est, transierant. traductâque ad urbem classe, ignaris omnibus, egressi milites nautæque erant, ad commeatus, vinumque maximè in naveis dividendum.

Quùm medio fortè diei, ab agresti quodam Prætor edoctus est, alterum iam diem classem stare ad Macrin; & naveis quasdam ad profectionem moveri.

PVGNA NAVALIS AD TEON.

Re subitâ perculsus Prætor tubicines canere iubet, ut si qui per agros palan essent, redirent; & Tribuni milites nautasque ex urbe in naveis cogerent. Et vix summâ cum omnium trepidatione in naves concursum est.

ÆMYLIVS, partibus divisis, cum prætoriâ nave primus è portu in altum evectus, & insequenteis excipiens, suo quamque ordine in frontem instruxit.

Deinde primæ, quæ paratæ exierant, ordinem in conspectu Prætoris explicuere; & EVDAMVS cum Rhodijs agmen coegit. Inter Myonnesum, & Corycum promontorium, erant, quùm hostem Romani conspexêre.

Regia classis, navibus LXC. & Romana LXXX. constabat. Et robore quidem navium, ac virtute militum Romani longè regios præstabant; Rhodiæ verò naves, quæ eâ in classe II. & XX. erant, agilitate, & arte gubernatorum, & scientiâ remigum potiores.

EVDAMVS, qui agmen cogebat cornu Romanorũ, quod iam à dextro circumiri cœperat, æquato, naveis celeriter concitat; & prætoriæ navi, in qua POLYXENIDAS erat, suam obiecit.

Iamque totis classibus simul ab omni parte pugna conserta erat, quùm maximo hostibus terrori fuêre naves eæ, quæ ignem præ se portabant. Et quod unum ijs ad Panormum circumvenris saluti fuerat; id tum maximum momentum ad victoriam fuit. Regij namque magis ad incendium, quàm prœlium trepidabant.

Præterea Romani egregiâ virtute mediam hostium aciem quùm rupissent, circumvecti ab tergo, pugnantibus adversus Rhodios regijs sese obiecêre. momentoque temporis, & media Antiochinorum acies, & circumventæ lævo in cornu naves mergebantur.

Dextra pars, licet integri, & non tam suo quàm sociorum periculo territi. posteaquam alias circumventas, & prætoriam POLYXENIDÆ navem, relictis socijs,

sociis, vela dantem viderunt; sublatis raptim dolonibus, secundo ad Ephesum vento, capessunt fugā.

XLII. naves eā in pugnā amissæ. ex iis XIII. captæ in potestatem hostium venére; cæteræ incensæ aut demersæ. Ex Romanā classe II. naves fractæ; laceratæ aliquot. Rhodia una, memorabili casu capta, alteri hostili, per ancoram violento rostri ictu excussam, illigata.

ANTIOCHI IMPRVDENTIA.

Huius prœlij casu territus ANTIOCHVS, quia possessione maris pulsus, longinqua tueri diffidebat se posse; præsidium ab Lysimachiā, nc opprimeretur ibi à Romanis, (pravo, uti res ipsa postea docuit, consilio: potiùs quādam θεοβλαβείᾳ, seu spiritu vertiginis) deduci iussit.

Neque enim tueri solùm Lysimachiam à primo Romanorum impetu facile erat; sed obsidionem etiam per totam hyemem tolerare; & obsidēteis quoque ad extremam inopiam adducere, tempus extrahendo; & interim spem pacis per occasiones tētare.

Neque Lysimachiam tantùm hostibus tradidit; sed à Colophonis etiam obsidione abscessit, & Sardeis se recepit. atque inde in Cappadociam, ad ARIARATHEM regem, qui auxilia arcesserent; & quocumque aliò poterat, ad copias contrahendas; in unum iam consilium, ut acie dimicaret, intentus, misit.

REGILLVS AIMILIVS post pugnam navalem profectus Ephesum, directis ante portum navibus, quùm confessionem concessi maris ultimam hosti expressisset; Chium, quò antè intenderat, navigat. Quùmque ibi naveis prœlio quassatas refecisset. L. AIMILIVM SCAVRVM, cum XXX. navibus Hellespontum ad exercitum Cos. traijciendum, mittit.

Rhodios parte prædæ, & spolijs navalibus onustos, domum quidem redire iussit, sed ijdem impigrè prævertere. ad traijciendasque Consulis copias iere: atque eo functi officio tum demum Rhodum rediere.

PHOCÆA EXPVGNATVR ET DIRIPITVR.

Classis Romana ab Chio Phocæam traiecit. Duobus ibi portubus occupatis, priusquam aut scalis, aut operibus, mœnia adgrederetur; mittendos censuit Prætor, qui principum magistratuumque animos tentarent. Postea quam obstinatos vidit; duobus simul locis oppugnare est adortus. Et quamquam admoto iam ariete muri utrimque strati essent; ad eorumque casum Romani milites impetum per ipsam stragem ruinarum facerent; & alij scalis etiam adscensum in muros tentarent; adeò tamen obstinatè restitérunt opidani, ut coactus militum periculo Prętor receptui cani iusserit; ne obijceret incautos furentibus desperatione ac rabie.

Dum illi diremto prœlio non ad quietem versi, sed in munienda & obmolienda, quæ ruinis strata erant, intenti essent; missus à Prætore Q. ANTONIVS, ostendit: *Si absistere pertinaciā & furore vellent, potestatem ijs dare; eādem conditione, quā prius in C. LIVII fidem venissent*; se tradendi.

Illi quinque dierum spatio ad deliberandum sumto, tentatā interim spe auxilij ab ANTIOCHO; postquam nihil præsidij in rege esse relatum est; tum portas aperuérunt, pacti ne quid hostile paterentur.

Quùm signa in urbem inferrentur, & pronuntiásset Prętor parci se deditis velle; clamor à militibus sublatus est; *Non passuros se, ut à Phocensibus, numquam fidis socijs, & infestis semper hostibus, impunè eludantur.* Et cum dicto, ad diripiendam urbem passim discurrerunt.

Quùmque hic ira & avaritia imperio potentiora essent; Prętor præconibus per urbem missis, liberos omneis in forum ad se convenire iubet, ne violentur. urbem denique agrosque, & suas leges, ijs restituit. Et apperente iam hyeme, Phocææ portus, ad hibernandum, classi delegit.

CONSVL CVM EXERCITV HELLESPONTVM TRAICIT.

Consuli per idem ferè tempus Æniorum Maronitarumque fineis transgresso, nuntiatur; & victam ad Myonnesum regis classem, & relictam à præsidio Lysimachiam esse.

Et hoc quidem vel ipsā navali victoriā lætius fuit, postquam urbs omnium rerum commeatibus referta, velut in adventum exercitus pręparatis, eos excepit: ubi inopiam ultimam, laboremque in obsidendo sibi propofuissent. Inde receptis ex Threiciā ægris & impedimentis, iter rursus ingressi, per Cherronesum, Hellespontum perveniunt.

Ibi omnibus, curā regis EVMENIS, ad traijciendum præparatis, velut in pacata littora, sine tumultu, traiecére.

Ea res Romanis mirè auxit animos; *Concessum sibi in Asiam transitum sine certamine*, cernentibus.

ANTIOCHVS PACEM ITERVM TENTAT.

Stativa deinde ad Hellespontum aliquamdiu habuerunt. & legatus ab ANTIOCHO in castra venit, HERACLIDES Byzantius, de pace adferens mandata. Illique ab rege mandatum erat, ut priùs P. SCIPIONEM, quam Consulem adiret; quod in illo maiorem spem haberet. præterquam quòd & magnitudo animi, & satietas gloriæ, placabilem eum moderatumque in victorijs faciebat; etiam quod filius eius (quo casu, incertum, nisi quod rex parvo navigio traijcientem in Asiam, ecpisse tradatur) in potestate regis erat. habitus interim captivus benignè & liberaliter.

Legatus tandem advocato concilio admissus, mandata exposuit: *Nihil prioribus de pace legationibus impetratum, quòd Smyrna & Lampsacus, & Alexandria Troas, & Lysimachia in Europā, in disceptationibus illis iactata fuissent. Ex ijs Lysimachiā iam regem cessisse eas, quæ in Asiā sint civitates, tradere paratum esse;*

esse, & si quas alias Romani, quod suarum partium fuerint, vindicare ab imperio regio velint.

,, *Impensa quoque in bellum facta partem dimidiam regem populo Rom. praestiturum.*

Ipsi Europa imperium finirent. ,, *Quod si Asia quoque partem aliquam abstrahere velint, dummodò non dubijs regionibus finiant, vinci suam temperantiam Romana cupiditate, pacis & concordia caussa, regem passurum.*

Romani, *sumtum omnem belli praestari à rege*, cuius culpâ bellum excitatum esset, æquum censebant.

Et non Ioniâ modò atque Æolide deduci regia praesidia; sed sicut Graecia omnis liberata esset; ita qua in Asiâ sint, omnes liberari urbeis oportere. Id aliter fieri non posse, quàm *ut cis Taurum montem, possessione Asia* ANTIOCHVS *cedat.*

(Iustin. contentus Syriæ regno esset. Naveis universas, captivos & transfugas traderet.)

Legatus regis deinde privatim P. SCIPIONIS tentare animum conatus, *filium eius sine pretio restituturum, & auri praeterea ingens pondus pollicitus est*; & societatem omnis regni, si per eum pacem impetrâsset.

AFRICANVS *verò, privata beneficia à publicis rebus secreta esse; aliaque esse patris officia, alia patria iura: qua non liberis tantùm, verùm vita etiam ipsi praeponantur.*

Proinde gratum se munus in filio accipere, privatoque impendio munificentiæ regis responsurum. Quod ad bellum pacemque pertineat. *nihil neque gratia dari, neque de iure patria decidi posse.*

Nuntiaret tantùm regi, quod fidele consilium daret; *Bello absistat: pacis conditionem nullam recuset.*

NOVVS BELLI ADPARATVS.

ANTIOCHVS ijs sibi nuntiatis; *Belli ea iritamenta, non pacis blandimenta* esse, dixit. Et tutam sibi belli aleam fore ratus, quando perinde ac victo leges sibi iam dicerentur, totam curam in belli adparatum intendit.

Cos. quùm ex stativis movisset, Dardanum primùm, inde Rhoeteum, utràque civitate obviam effusâ, venit. Inde Ilium progressus, castris in campo, qui est subiectus mœnibus, positis, in urbem atque adscendit; & sacrum MINERVÆ fecit: *Iliensibus in omni rerum verborumq; honore ab se oriundos Romanos praeferentibus; & Romanis origine suâ latis.*

(Iustin. Ilienseis iuvabat, *nepotes suos, occidente & Africâ domitâ, Asiam, ut avitum regnum, vindicare.* Contrà, Romanos, *avitos lareis, incunabula maiorum, templaq; ac Deorum simulacra, intueri.*)

Sextis deinde castris, ad caput Caïci amnis perventum est. quo & EVMENES è classe, ob adversos ventos, in terram egressus, in castra, parvâ cum manu contendit. Consilium erat ire ad hostem priùs, quàm hyems opprimeret. regia autem castra circa Thyatira erant.

Rex ibi cognito SCIPIONEM ægrum Elæam delatum, legatos, qui filium eius reducerent, misit. Quod certè munus non solùm *animo patrio gratum, sed corpori quoque salubre gaudium fuit.*

Ille gratias se regi agere dixit: sed aliam pro tempore gratiam referre non posse, quàm ut suadeat; *Ne rex antè in aciem descendat, quàm ubi in castra ipsum redisse audierit.*

CASTRORVM VTRIMQVE METATIO.

ANTIOCHVS motus tanti viri auctoritate, in quo ad incertos belli eventus omneis fortunæ posuerat præsidia, se recepit: & transgressus Phrygium amnem, circa Magnesiam, quæ ad Sipylum est, castra posuit. Hîc, ne, si tempus extrahere vellet, Romani munimenta tentarent; fossâ, vallo, muris, turribusque castra circumdedit.

Et Consul, quùm ex Thyatirensi agro regem profectum audîsset, secutus vestigia, circa amnẽ Phrygium, IV. ab hoste M. castra metatus est.

Eò mille fermè equites (maximam partem Gallo græci, & Dahæ quidem, aliarumque gentium sagittarij) tumultuosè amne traiecto, in stationes Romanorum impetum fecêrunt. donec, faeili ex propinquis Roma. castris subsidio, regij fessi & recipere se conati, circa ripam amnis, priùs quàm flumen ingrederentur, ab instantibus tergo, aliquot interfecti sunt.

Tertio pòst die Romani simul omnes amnem transgressi, ad bis mille ferè & quingentos passus ab hoste castra posuêrunt.

Metantibus & muniendo occupatis, III. delecta equit. peditumque regiorum millia magno terrore ac tumultu advenére. Romani, & si aliquantò pauciores in statione erant; & primò æquum prælium sustinuêre, & crescente certamine pepulêrunt hosteis; C. ex ijs oceisis, C. fermè captis.

Per quatriduum insequens instructæ utrimque acies pro vallo stetêre: & quinto die Romani processêre in medium campi. ANTIOCHVS nihil promovit signa, ita ut extremi minus mille passus à vallo abessent.

Consul, detrectante certamen ANTIOCHO, consilium advocavit, quid sibi faciendum esset, si rex pugnandi copiam non faceret! *Instare hiemem, aut sub pellibus habendos milites fore; aut si concedere in hiberna vellent, differendum esse in æstatem bellum.*

Hic, magno cum hostium, tamquam pecorum, contemtu, conclamatum undique est: *Duceret extemplò, & uteretur ardore militum. per fossas, per vallum in castra invadere paratos esse, si in prælium hostis non exeat.*

Consul explorato, quâ parte adiri vallum hostium tutissimè posset; postero die propiùs castra admovit. tertio signa in medium campi prolata, & instrui acies cœpta est.

Nec ANTIOCHVS ultrà tergiversandum ratus, & ipse copias eduxit; tantum à castris progressus, ut dimicaturum appareret.

ANNIBALIS CAVILLVM.

Aberat, quo casu non constat, ANNIBAL, qui licet infeliciter mari pugnâsset, unus dignus erat, qui cum hoste Romano rectâ confligeret. Fortè ob cavillationem regi tum minùs acceptus, quæ huiuscemodi fuisse fertur.

Ostendebat ei rex ANTIOCHVS in campo copias

ingenteis, quas bellum pop. Romano facturus comparaverat. Convertebatque exercitum insignibus argenteis & aureis florentem. Inducebat currus cum falcibus, & elephantos cum turribus; equitatumque frenis, ephippijs, monilibus, phaleris præfulgentem.

Atque ibi rex contemplatione tanti ac tam ornati exercitus gloriabundus ANNIBALEM adspicit; &, *Putásne*, inquit, *conferri posse, ac satis esse credis Romanis hæc omnia?*

Tum Pœnus eludens ignaviam imbelliamque militum eius, pretiosè armatorum; *Satis planè*, inquit, *Satis esse credo Rom. hæc omnia; etiamsi avarissimi sunt.*

Rex de numero exercitûs sui, ac de æquiparatione æstimanda quæsierat; respondit ut lepidè, ita acerbè, ANNIBAL de prædâ. Erat fortè bellum olim sualeat; ita ubi mores Asiæ Syriæque penitùs introspexit, dissuadere cœpit. (Quod & Ennius innuit apud Agell. l. 7. c. 2.)

ACIES VTRIMQVE ORDINATÆ: ET PVGNA MEMORABILIS AD CAICVM.

Romana acies unius propè formæ fuit, & hominum & armorū genere. II. legiones Romanæ; II. sociûm ac Latini nominis erant, quarū singulę quina millia & quadringenos habebant. Romani mediam aciem; cornua, Latini tenuêrunt. Hastatorum prima signa, deinde Principum erant: Triarij postremos claudebant.

Extra hanc veluti iustam aciem, à parte dexterâ Consul, Achæorum cetratis immistos, auxiliareis EVMENIS, III. fermè pedit. millia, æquatâ fronte instruxit.

Vltra eos, equit. minus III. millia, (ex quibus EVMENIS DCCC.) opposuit. Extremos, Trallos (Illyricam gentem) & Cretenseis, ad D. constituit.

Lævum cornu flumen ab eâ parte, ripęque diruptæ claudebant. IV. tamen inde equit. turmæ oppositæ. Præterea II. M. mistorum Macedonum Thracumque, qui voluntate secuti erant, præsidio relicti sunt castris.

XVI. elephantos, post Triarios, in subsidio locavêrunt: quòd neque numero, neque ipsi Libyci, regios Indicos, qui LV. & L. erant; magnitudine, aut animorum robore, æquarent.

Regia verò acies varia magis multis gentibus dissimilitudine armorum auxiliorumque, erat. (Florus CCC. ped. M. Equit. falcatorumque curruum non minorem numerum tradit.) Aciem rex eleganter & peritè ordinâsse visus est. ut robur phalangis, (XVI. peditum, more Macedonico armatorum, millia) in medio locaretur: & extrema cornua clauderent funditores Cyrtæi, & Elymæi sagittarij.

Propter phalangem auxilia ex utroque latere duplicia, non multò dissimili modo ordinata; & elephanti seni-deni in subsidijs.

Et præter alios elephantos phalangitis intermistos, camelorum dromadum, & falcatarum quadrigarum terriculamentum ante aciem ingens positum.

Rex ipse in dextro erat cornu: SELEVCVM suum, & ANTIPATRVM fratris, filios, in lævo præposuit. Media acies tribus permissa, MINIONI, ZEVXIDI, & PHILIPPO elephantorum magistro.

Ante initium certamen, ex nebulâ matutinâ, quæ crescente die in nubes est levata; caligo orta, quæ prospectum pænè eripere. inde humor ab Austro velut perfudit omnia. Quæ nihil admodum Romanis; eadem perincommoda regijs erant. is namque humor arcus, fundasque eorum & iaculorum amenta emollierat.

Falcatæ quoque quadrigæ in primâ acie locatæ, in quibus, ad perturbandam Rom. aciem, multùm fiduciæ rex habebat; in suos terrorem verterunt.

EVMENES namque, haud ignarus istiusmodi pugnę, & quàm anceps esset auxilij genus; si quis pavorem magis equis inijceret, quàm iustâ adoriretur pugnâ; Cretenses sagittarios, funditoresque, & iaculatores equitum, maximè dispersos, excurrere iubet; simul omnibus partibus tela ingerere.

Hæc velut procella, partim vulneribus missilium undique coniectorum; partim clamoribus dissonis, ita consternavit equos, ut repentè, velut effrenati, incerto passim cursu ferrentur; & suis ea incommoda inferrent, quæ hostibus illaturi videbantur.

Ita quadrigis medio inter duas acies campo exactis, amotoque inani ludibrio; tum demum ad iustum prælium, signo utrimque dato, concursum est. Cæterùm vana illa res, veræ mox cladis caussa fuit.

Auxilia enim subsidiaria, quæ proximè locata erant, pavore & consternatione quadrigarum territa, & ipsa in fugam versa, nudârūt omnia ad cataphractos usque equites. Ad quos quùm dissipatis subsidijs pervenisset equitatus Romanus, ne primum quidem impetum pars eorum sustinuêrunt. alij fusi; alij propter armorum gravitatem oppressi.

Totum deinde lævum cornu inclinavit. & turbatis auxiliaribus, qui inter equitem & Phalangitas erant, usque ad mediam aciem terror pervênit.

Ibi simul perturbati ordines; & impeditus, intercursu suorum, sarissarum usus; Signa intulêre Romanæ legiones, & pila in perturbatos coniecêre.

Ne interpositi quidem elephanti Romanos terrebant, iam ab Africis bellis adsueros, & vitare impetum belluæ, & ex transverso aut pilis lacessere, aut gladio nervos incidere.

Iamque media hostium acies ferè omnis à fronte prostrata erat; & subsidia circumita à tergo cædebantur; quùm in parte aliâ fugam suorum, & propè iam ad ipsa castra clamorem paventium Romani accepêre. Namque ANTIOCHVS à dextro cornu, primùm equites, qui pro castris oppositi stabant, impetu in eam partem facto fugârat; & proximos peditum ad castra compulerat.

Præerat castris M. ÆMILIVS Trib. milit. M. LEPIDI F. Is fugientibus cum præsidio omni occurrit; & stare primùm, deinde in pugnam redire iubet. minæ exinde & pernicies intentata, ni dicto parerent. Ancipiti coacti metu consistunt, & dein in prœlium cum commilitonibus revertuntur. & ope ATTALI, aliorumque, qui tandem accurrebant, ANTIOCHVM ipsum fugere compulêrunt; & sua ipsius castra deserere.

Ita utroque cornu victores Romani, per acervos corporum, quos in mediâ maximè acie cumulaverant, pergunt ad castra diripienda.

Equitatus interea toto passim campo insecutus hostem, postremos, ut quemque adeptus cecidit mul-

multi solutis ordinibus, velut cæci, super alios alij ruentes, ipso belluarum incursu obtriti sunt.

Dum in castris pertinaciùs pro vallo pugnatur; Romani viâ vi in portas factâ, graviorem ab irâ cædem edidérunt.

Ad L. pedit. M. eo die cæsa dicuntur, & equitum quater mille: & quadringenti capti. & xv. cum rectoribus, elephanti. Ex Romanis aliquot vulnerati: ceciderunt non plus ccc. pedites, IV. & xx, equit. & de EVMENIS exercitu, uno amplius.

Legati mox ab Thyatiris, & à Magnesiâ ad Sipylum venérunt, urbes idque suas dediderunt.

ANTIOCHVS cum paucis fugiens, modicâ, quæ sese adgregârat, manu, mediâ fermè nocte, Sardeis concessit. Inde quartâ vigiliâ cum coniuge ac filiâ; ZENONI traditâ custodiâ urbis, & TIMONE Lydiæ Præposito, Apaméam petit: quò SELEVCVM F. & amicorum quosdam prægressos esse audierat.

A Sardibus nihilo minus, consensu opidanorum, & militum, qui in arce erant, legati ad Consulem missi: quo tempore & ab Trallibus, & à Magnesiâ super Mæandrum; & ab Ephesô, venérunt, qui urbeis. in fidem Consulis, ditionemque pop. Rom. traderent.

Iam enim POLYXENIDAS auditâ pugnâ, & classe usque ad Patara Lyciæ pervectus, metu stationis Rhodiarum navium, quæ ad Megisten erat; in terram egressus, cum paucis, itinere pedestri, Syriam petierat.

Sardibus iam Consul erat; quùm P. SCIPIO ab Elæâ, ut primum pati viæ laborem potuit, eódem venit. (Non illubente fratre, ob morbum absuisse à pugnâ volunt; ut tota victoriæ gloria sibi uni cederet.)

ANTIOCHVS PER LEGATOS PACEM PETIT, ET TANDEM IMPETRAT.

ANTIOCHVS impetrato, ut oratores mittere ad Consulem liceret, ZEVXIDEM & ANTIPATRVM misit. qui EVMENE prius convento; & placatiore, quàm speràrant, invento; tum P. SCIPIONEM, & per eum Consulem adiérunt: & non tam pacem victor regi, quam erranti veniam, poposcérunt.

„ *Romanos maximo semper animo victis regibus populisq; ignovisse. Idem in hâc victoriâ magis faciendum, quæ dominos orbis terrarum eos fecisset. positis iam adversus omneis mortaleis certaminum studijs, haud secus, quàm Deos consulere & parcere generi humano oportere.*

AFRICANVS ex præscripto respondisse fertur: *Romanos, ex ijs, quæ in Deûm immortalium potestate erant, habere ea, quæ Dij dederint. Animos, qui suæ sint mentis, eosdem in omni fortunâ gerere; neque secundis rebus efferri, nec adversis minui.*

Dum res, inquit, *adhuc integra essent; & incertus Martis, qui communis habetur, eventus; Vobis de pace agentibus, quas pares paribus ferebamus conditiones, easdem nunc victores victis ferimus.*

„ *Europâ abstinete: Asiâq; omni, quæ cis Taurum montem est, decedite.* „ *Pro impensis in bellum factis, XV. mill. talentûm Euboicorum dabitis: D. præsentia: SS. millia & D. quùm Senatus populusque Romanus pacem comprobaverint.* „ *Mille deinde talentûm, per XII. ann.*

EVMENI quoque reddi CD. talenta; & quod frumenti reliquum ex eo, quod patri debitum est, placet.

„ *Pignus certæ à vobis fidei, obsides XX. nostro arbitratu dabitis.*

ANNIBALEM Pœnum, THOANTEM Ætolum, & cum eo MNASIMACHVM Acarnanem, PHILONEM & EVBVLIDAM Chalcidenses, belli concitatores, nobis dedetis.

„ *Si rex moratus fuerit; sciat, regum maiestatem difficilius ab summo fastigio ad medium detrahi; quàm à medijs ad ima præcipitari. morâ ille hactenus suam fortunam deteriorem fecit.*

Neque longior mora aut recusatio fuit; quod legati ab rege cum his mandatis missi essent; *ut omnem pacis conditionem acciperent.*

Romam itaque legatos mitti placuit. & Cos. in hiberna exercitum, Magnesiam ad Mæandrum, & Tralleis Ephesúmque, divisit.

Paullo-post obsides ab rege Ephesum ad Cos adducti. & legati Romam missi, quos & EVMENES, & omnium Asiæ populorum legationes sunt cōsecutæ.

TRIVMPHVS ACILII DE ANTIOCHO ET ÆTOLIS.

Dum hæc in Asiâ geruntur, duo ferè sub idem tempus, cum triumphi spe, Proconsules de provincijs Romam redierant; Q. MINVTIVS ex Liguribus; M. ACILIVS ex Ætoliâ. Illi negatus triumphus; huic magno consensu decretus; & ipse triumphans de rege ANTIOCHO & Ætolis, urbem est invectus.

DAMOCRITVS, Ætolorum dux, paucos ante dies quùm è carcere effugisset; in ripâ Tiberis, consecutis custodibus, priusquam comprehenderetur, gladio se transfixit.

Triumphus, sine militibus, qui currum sequerentur, magnificus & spectaculo, & famâ rerum fuit.

RES IMPROSPERÆ IN HISPANIIS.

Eius triumphi minuit lætitiam nuntius ex Hispaniâ tristis: Adversâ pugnâ in Vascetanis, ductu L. ÆMYLII PAVLLI Propr. apud opidum Lyconem, cum Lusitanis. VI. M. de exercitu Rom. cecidisse: cæteros paventeis, intra vallum compulsos, ægrè castra defendisse; & ad modum fugientium in agrum pacatum reductos.

COLONIÆ NOVÆ IN ITALIA.

Haud ita multo-pòst, quùm iam consularium comitiorum appeteret tempus, C. LÆLIVS Cos. ex Galliâ Romam rediit. Is ex Senatûs Consulto, se absente facto in supplementum Cræmonæ & Placentiæ colonos (ad VI. millia familiarum) conscripsit. Et ut novæ coloniæ duæ in agrum, qui Boiorum fuisset, deducerentur, & ipse retulit, & eo auctore patres censuérunt.

Quùmque eodem tempore L. ÆMYLII Prætoris litteræ adlatæ essent, tum de navali ad Myonnesum pugnâ, tum L. SCIPIONEM Cos. exercitum in Asiam traiecisse; & supplicationes & sacrificia Romæ decreta, ut ea omnia prospera & læta evenirent.

Comitijs magnâ candidatorum contentione habitis, M. FVLVIVS NOBILIOR Cos. unus creatur, quùm cæteri competitores centurias non explésſent; five centuriarum legitima suffragia non confecissent. isque postero die CN. MANLIVM VOLSONEM collegam dixit.

ÆTOLORVM LEGATORVM PRÆFIDENTIA.

Ætoli legati in Senatum introducti, dum sua in pop. Rom. beneficia, & suam Philippico bello virtutem, non tam commemorant, quàm exprobrant; aureis patrum insolentiâ sermonis ita offendérunt; ut quibus misericordiâ opus erat, iram & odium, ex maleficiorum haud paullò plurium memoriâ, iritarent.

Rogati; *permitterentne arbitrium de se pop. Romano! &, Habiturine eosdem, quos populus Romanus, socios & hosteis essent!* Quùm ad ea nihil responderent; egredi Templo iussi sunt. Conclamatum deinde ab universo Senatu est; *To os adhuc ANTIOCHI Ætolos esse.*; & ex eâ unicâ spe pendére animos eorum. bellumque itáque cum haud dubijs & pertinacibus hostibus gerendum.

Huc accedebat, quod eo ipsi tempore, quo pacem ab Romanis petebant; Dolopiæ atque Athamaniæ bellum inferrent.

Factum itáque Senatûs Consultum, ex sententiâ M. ACILII: *Vt Ætoli eo ipso die iuberentur proficisci ab vrbe; & intra xv. diem Italiâ excedere.* Denuntiatumque; *Vt ne qua posthàc legatio Romam, ex Ætolis, sine permissu Imperatoris, aut sine legato Romano, veniret.*

De provincijs deinde relatum; & Consules Ætoliam, & Asiam, sortiri placuit. Illa M. FVLVIO; hæc CN. MANLIO sorte evénit.

LEGATI ANTIOCHI ROMAM: ET ALIORVM.

Haud multo pòst, M. AVRELIVS COTTA, L. SCIPIONIS legatus, cum ANTIOCHI regis legatis; & EVMENES rex, Rhodijque Romam venére.

COTTA in Senatu primùm; deinde in concione, quæ in Asiâ acta essent, exposuit. Supplicatio in triduum decreta, & maioribus hostijs immolatum.

Auditis deinde, EVMENE, Rhodiorum, & ANTIOCHI regis, aliorumque Asiaticorum legatis, Senatus ante omnia eam *pacem*, quam & quibus legibus L. SCIPIO Imperator ANTIOCHO dedisset, *servandam, suáq. auctoritate confirmandam* censuit; & populus deinde iussit: Et fedus in Capitolio cum ANTIPATRO, regis agnato, & legationis principe, ictum.

Asiaticis datum responsum; x. legatos, more maiorum, Senatum missurum ad res Asiæ disceptandas & componendas.

Rhodij libertatem omnibus Græcis; ut Europæ, sic & Asiæ urbibus, dandam censebant. Hunc titulum Romanos prætendisse bello adversus PHILIPPVM & ANTIOCHVM. *Hunc victoriæ usum magnificentiorem ipsâ victoriâ futurum.*

EVMENES suis, fratrumque suorum, & patris ATTALI meritis deberi putabat Asiam, ANTIOCHO ereptam.

Senatus hanc compositionis in Asiâ summam fore respondit; *Vt quæ cis Taurum montem, intra regni ANTIOCHI fineis, fuissent; EVMENI attribuerentur:* præter Lyciam, Cariamque, usque ad Meandrum amnem. *Vt ea, civitatis Rhodiorum essent.*

Cæteræ civitates Asiæ, quæ ATTALI stipendiariæ antè fuissent, *eadem EVMENI vectigal penderent.* Quæ vectigales ANTIOCHI fuissent; *ea libera atque immunes essent.*

HISPANIA TVRBAT, ET PACATVR.

Per eos dies legati Massiliensium nuntiavérunt, L. BÆBIVM Prætorem in provinciam Hispaniam proficiscentem, ab Liguribus circumventum, magnâ parte comitum cæsâ: vulneratum ipsum cum paucis, sine lictoribus, Massiliam perfugisse; & intra triduum exspirâsse.

Ei successor à Senatu datus P. IVNIVS BRVTVS, qui Proprætor in Hetruriâ erat; & in ulteriorem Hispaniam proficisci iussus.

In quâ provinciâ, priùs aliquantò quàm successor veniret; L. ÆMYLIVS PAVLLVS, quùm priore anno haud prosperè rem gessisset; tumultuario exercitu collecto, signis collatis cum Lusitanis conflixit. cæsa tum x. & IIX. M. armatorum; III. mill. capti, & castra expugnata. Eius victoriæ famâ tranquilliores in Hispaniâ res fecit.

Eodem anno Bononiam, colonia Latina, III. hominum M. deducta: ager datus, qui de Gallis Boijs captus fuerat, ex quo Galli Tuscos expulerant.

VARIJ TRIVMPHI.

L. ÆMYLIO REGILLO, qui classe Præfectum regis ANTIOCHI devicerat, magno consensu patrum triumphus navalis est decretus.

Haud ita multo pòst L. SCIPIO ad urbem venit, & ASIATICVM appellari se voluit, ne cognomine fratri cederet. & imperatori triumphus est decretus. Triumphavit autem anno ferè postea-quàm Consulatu abijt.

Eodem ferè tempore, & CN. MANLIVS Cos. in Asiam, & Q. FABIVS Labeo Pr. ad classem venit.

Cæterùm Cos. non deerat cum Gallis belli materia. Mare pacatum erat, devicto ANTIOCHO. FABIO, ne otiosam provinciam habuisse videretur, visum est in Cretam Insulam traijcere.

BEL-

BELLVM CRETICVM.

Ibi Cydoniatæ adversus Gortynios,Cnosiosque bellum gerebant: & captivorum Romanorum,atque Italici generis magnus numerus in servitute esse per totam Insulam dicebatur.

Classe ab Epheso profectus,ut primùm Cretæ littus attigit, nuntios circa civitates misit, ut armis abstinerent; captivosque,in suis quæque urbibus agrisque conquisitos,reducerent; & legatos ad se mitterent, eum quibus de rebus, ad Creteuseis pariter Romanosque pertinentibus,ageret.

Nihil magnoperè ea Cretenseis moverunt. captivos,præter Gortynios, nulli reddidérunt. Tradunt quidam ad IV. mill. captivorum, quia belli minas timuérunt,ex totâ Insulâ redditâ: quæ navalis triumphi materia fuerit.

FABIVS à Cretâ Ephesum redijt: Inde III. navibus in Thraciæ oram missis, ab Æno & Maroniâ præsidia ANTIOCHI deduci iussit; ut in libertate eæ civitates essent.

BELLVM IN ATHAMANIA.

Athamania eâ tempestate, pulso AMINANDRO, sub præfectis PHILIPPI regis tenebatur præsidio; qui superbo atque immodico imperio desiderium AMINANDRI fecerant.Et exsulanti tum apud Ætolos AMINANDRO, litteris suorum spes reciperandi regni facta est.

Pauci adversus Macedonum præsidia coniurati, quadrifariam se diviserant. pars una Heracléam, altera Tetraphyliam petijt.(ubi regiæ pecuniæ custodia.) Tertia Theudoriam; Quarta Argitheam, quæ caput gentis.

Hi die certâ multitudinem omnem convocárunt ad præsidia Macedonum arcibus expellenda; quùm & AMINANDER cum M. Ætolis in finibus erat.

Ita ex composito quattuor simul locis Macedones pulsi. litteræque in alias urbeis passim dimissæ, ut vindicarent sese ab impotenti dominatione PHILIPPI, & restituerent in patrium ac legitimum regnum.

Omnis iam Athamania in potestate erat, præter Athenæum, castellû finibus Macedoniæ subiectum.

PHILIPPVS cum VI. M. armatorum profectus, ingenti celeritate, Gomphos pervénit. ZENO cum mille peditibus præmissus,& Ethopiam, opportunè Argitheæ imminentem, occupare iussus. & ipse ad Argitheam ducere intendit.

Sed Athamanibus in tumulos, viæ imminenteis, discurrentibus, rex angustijs ægrè evadens, eâdem quâ venerat viâ referre signa coactus est.

Athamanes verò,postquam se Ætoli ipsis coniunxére, & ab tergo agmini instare cœpérunt; ipsi à lateribus se circumfudére; alij trasitus insedére. Tantumque tumultûs Macedonibus est iniectum, ut fugæ magis effusæ, quàm itineris ordinati modo,multis armis virisque relictis, flumen traiecerint; & à Gomphis in Macedoniam redierint.

Inde Athamanes Ætolique Ethopiam, ad ZENONEM ac mille Macedonas opprimendos, undique concurrérunt. Illi loco parum freti, & è tumulis altioribus,quò concesserant, expulsi, dispersique, partim capti sunt,partim interfecti; pauci cum ZENONE ad regem evasérunt.

AMINANDER, receperato regno, legatos Romam ad Senatum; & ad SCIPIONES in Asiam (qui post magnum cum ANTIOCHO prœlium Ephesi tum morabantur,)misit; pacem petens,sesque excusans quod Ætolorum ope paternû regnum reciperâsset.

Ætoli inde in Amphilochos profecti, maioris partis voluntate in ius ditionemque totam redegérunt gentem.

Amphilochiâ receptâ (nam fuerat ea quondam Ætolorum) eâdem spe in Aperannam transcendérunt. quæ magna quoque ex parte in deditionem venit.

Dolopes,qui PHILIPPI erant,ad arma quidem primùm concurrebant; deinde cognitis ijs, quæ PHILIPPO acciderant,ab eo ad Ætolos defecerunt.

BELLVM ROMANORVM CVM ÆTOLIS.
AMBRACIÆ OBSIDIO.

Hâc victoriâ elatis Ætolis, fama adlata est, ANTIOCHVM in Asiâ victum à Romanis. & legati ab Româ,sine spe pacis,rediére, nuntiantes FVLVIVM Cos. iam cum exercitu traiecisse. Quibus territi, priùs ab Rhodo & Athenis legationibus exciris, principes gentis ad tentandam ultimam spem misérunt;nihil,ne bellum haberent,priûs,quàm pænè in conspectu hostis erat, premeditati.

Iam M. FVLVIVS Apolloniam traiecto exercitu, cum Epirotarum principibus consultabat,unde bellum inciperet. Epirotis Ambraciâ placebat adgredi, quæ tum se Ætolis contribuerat. Consul ita persuasus,per Epirum ducit,& Ambraciam circumvallat.

Ad famam oppugnationis Ambraciæ, statim iam edicto NICANDRI Præt. convenerant Ætoli. Divisis hic copijs, cum mille expeditis dux EVPOLEMVS Ambraciam, per nondum commissa inter se munimenta, intravit: NICANDER ad depopulandam Acarnaniam iter convertit.

Cos. iam munitionibus, quibus urbs sepienda erat; iam operibus, quæ admoveret muris parabat, perfectis; quinque simul locis mœnia est adgressus.

Iamque Ætoli à populatione Acarnaniæ Stratum redierant; quùm NICANDER spem nactus,solvendæ incepto forti & audaci, obsidionis, NICOMACHVM quemdam, cum D. Ætolis Ambraciam intromittit; qui nocte certâ opera hostium ab urbe adgrediatur; dum ipse ad castra Romana foris terrorem faceret.

Id inceptum conatu, quàm effectu gravius fuit; seu metu deterrito Prætore Ætolorum;seu quia potius visum erat;Amphilochis opem ferre, nuper receptis: quos PERSEVS, PHILIPPI F. missus ad Dolopiam Amphilochosque recipiendos,summâ vi oppugnabat.

EVPOLEMVS interim & NICANDER, eruptione ex urbe factâ,ferro & igni in Romanorum opera sunt grassati. & parte operum incensâ, & pluribus, quàm ipsi ceciderant, interfectis, quòd à suis foris destituti essent;in urbem compulsi sunt.

PERSEVS quoque,ubi adesse Ætolos audivit,omissâ urbis,quam oppugnabat, obsidione,depopulatus tantùm agros,Ætoliâ relictâ, in Macedoniam redijt. Sed Ætolos quoque inde tevocavit populatio maritimæ oræ.

PLEV-

Plevratvs, Illyriorum rex, cum lx. lembis Corinthium sinum invectus, adiunctis Achæorum, quæ Patris erant, navibus, maritima Ætoliæ vastabat. Adversus quos mille Ætoli missi, quacumque se classis circumegerat, per littorum anfractus, brevioribus semitis, occurrebant.

LEGATIO ÆTOLORVM AD CONSVLEM.

Quùm ad Ambraciam, muris etiam ariete quassatis, parùm apertâ vi Consuli procederet res, & occultis cuniculis extrema frustrà tentarentur; legati ab Ætolis, Phaneas & Damoteles, cum liberis mandatis, decreto gentis, ad Cos. venerunt.

Illi Consulem orant, ut parceret urbi; misereretur gentis quondam sociæ; *si non iniurijs, miseriis certè coacta insanire.*

Ad quæ Cos. *magis sæpè, quàm verè umquam Ætolos pacem petijsse.* Antiochvm, quem in bellum traxissent, in pace petendâ imitarentur; *& de iure suo decedere discerent.*

Ætolos, nisi inermeis, de pace agenteis, non auditurum se. Arma prius, equosque omneis tradendos esse: *deinde mille talentûm argenti pop. Romano dandum.* cuius summæ dimidium præsens numeretur, si pacem habere velint. Ad ea adiecturum etiam in fœdus esse; ut *eosdem, quos populus Romanus, amicos atque hosteis habeant.*

Illi nullo responso reddito domum regressi, & clamore ac iurgio excepti, quòd rem traherent: qualemcumque pacem referre iussi, quùm redirent Ambraciam, Acarnanum, quibuscum bellum erat, insidijs, propè viam positis, circumventi, Tyrrhéum custodiendi deducuntur. Hæc mora paci.

Et quùm Atheniensium Rhodiorumque legati, qui ad deprecandum pro ijs venerant, apud Cos. essent: Amynander quoque, Athamanum rex, fide acceptâ, venerat in castra Romana. magis pro Ambraciâ, ubi maiorem partem temporis exsulaverat, quàm pro Ætolis solicitus. Per hos Cos. certior factus de casu legatorum, adduci eos à Tyrrhéo iussit.

Aminander Consulis permissu, in urbem ingressus, partim consilio, partim precibus evicit, ut permitterent se Romanis.

Ætolos C. Valerivs, Lævini F. qui cum eâ gente primùm amicitiam pepigerat, Consulis frater uterinus, egregiè adiuvit.

AMBRACIA DEDITA.

Ambracienses priùs pacti; „ *Ut Ætolorum auxiliareis sine fraude emitterent, aperuérunt portas.*

„ *Deinde, ut D. Euboicâ darent talenta: captivos perfugasque redderent Romanis.* „ *Urbem ne-quam formula sui iuris facerent;* quę post id tempus, quo T. Qvinctivs traiecisset in Græciam, aut vi capta ab Romanis esset, aut voluntate in amicitiam venisset.

„ *Cephallenia Insula ut extra ius federis esset.* Ab Ætolis pax accipi iussa.

Ambracienses coronam auream Cos. cl. pondo dedérunt. Signa ænea marmoreaque, quibus Ambracia præ cæteris, quia ibi Pyrrhi regia fuerat, ornatior erat, sublata omnia, avectaque.

ALTERA ÆTOLORVM LEGATIO ROMAM.

Profectus ab Ambraciâ Cos. in mediterranea Ætoliæ, ad Argos Amphilochum, (xxii. mill. ab Ambraciâ) castra posuit. Eò tandem legati Ætolorum venérunt.

Quibus, postquam à concilio gentis pacem adprobatam accepisset, Romam ad Senatum proficisci iussis: & permisso, ut & Athenienses & Rhodij deprecatores irent; ipse in Cephaleniam traiecit.

Philippvs per legatos & litteras, Dolopas, Amphilochosque, & Athamaniam, sibi erepta, querens; prædidaque sua; postremò etiam filium Persea ex Amphilochis pulsum; averterat Senatum ab audiendis Ætolorum precibus.

Diu itaque iactati Ætoli, tandem ut conditiones pacis convenirent, effecérunt.

PACIS LEGES IISDEM IMPOSITÆ.

„ *Ut imperium maiestatemque populi Romani gens Ætola, sine dolo malo, conservaret.*

„ *Ne quem exercitum, qui adversùs socios amicosque eorum duceretur, per fineis suos transire sinerent: neque ullâ ope iuvarent. Hostesque eosdem haberent, quos pop. Rom. & bellum pariter gererent. Captivos, fugitivos, perfugasque, Romanis, socijsque, redderent,*

„ *Obsides XL. arbitratu Cos. Rom. darent.*

„ *Cephalenia extra pacis leges esset.*

„ *Pecunia summam, uti cum Consule convenerat, penderent.* „ *Quę urbes, qui agri, qui homines Ætolorum iuris aliquando fuerunt:*

„ *Qui L. QVINCTIO, CN. DOMITIO, alijsque post eos Coss. aut armis subacti, aut voluntate in ditionem pop. Rom. venissent; ne quem eorum Ætoli recepisse velint.*

„ *Oeniada, cum urbe agrisque, Acarnanum essent.*

(In eo tum exercitu, sub Fvlvio, merebat Q. Ennivs Poëta, ex Rudiâ Calabriæ opido ortus. ex Sardiniâ Romam à M. Catone Quæstore pridem advectus.)

BELLVM GALATICVM, SIVE CVM GALLO-GRÆCIS.

Consul alter, Cn. Manlivs acceptis Ephesi à L. Scipione copijs, milites cohortatus ad novum cum Gallis seu Gallo-græcis, suscipiendum bellum, qui & auxilijs Antiochvm iuvissent, & adeò indomita haberent ingenia, ut nequidquam Antiochvs emotus ultra Tauri iuga esset, nisi eorum frangerentur opes. Evmene Romæ absente, cuius interesset eamdem gentem domari; Attalvm eius fratrem Pergamo arcessit; & operam pollicentem, domum ad comparandum copias dimittit.

Is Con-

Is Consuli ad Magnesiam, cum M. peditibus, cc. equitibus, occurrit: ATHENÆO fratre iusso cum cæteris copijs subsequi.

Hinc transgressi simul Mæandrum, ad Hierancomen (fano Apollinis augusto, & oraculo nobilem) pervenérunt.

Ad Harpasum flumen legati ab Alabandis venérunt, ut castellum, quod ab ipsis nuper descisset, vel auctoritate, vel armis cogeret iura antiqua pati. Consul Tribuno militum misso cum modicâ manu, castellum vi receptum Alabandensibus reddidit.

Iam ATHENÆVS, EVMENIS ATTALIQVE frater cum Cretensi LEVSO, & CORRAGO Macedone, mill. pedites, & ccc. equites secum ad Cos. adduxerant.

Ille nihil viâ digressus, ad Antiochiam, super Mæandrum fluv. castra posuit. Eò, in castra Consulis, SELEVCVS, ANTIOCHI F. ex fœdere icto cum SCIPIONE, ad frumentum exercitui dandum, venit.

Inde ad Gordiû-Tichos; & ex eo loco ad Tabas tertijs castris perventum, urbem in finibus Pisidarum positam.

Feroces eâ in regione ad bellandum viri. & tum quoque equites, in agmen Romanum eruptione factâ, haud modicè primo impetu turbaverant. Deinde in urbem compulsi, veniam erroris petebant, dedere urbem parati. pecuniâ & frumento imperatis, in deditionem accepti.

Inde Chaum amnem prætervecti, Erizam urbem primo impetu cepérunt. Ad Thabusion, castellum, imminens flumini Indo, iam venerant, nec procul à Cibyrâ aberant sunt.

Quumque nulla legatio à MOAGETE, extremo eius civitatis tyranno, homine ad omnia infido atque importuno, veniret; ad tentandum eius animum, Cos. C. HELVIVM, cum IV. pedit. M. & D. equitibus, præmittit.

Huic agmini, iam fineis ingredienti, legati occurrerunt, nuntiantes: *Paratum esse tyrannum imperata facere.* Iussi illi ad Consulem ire. ijsque respondum; *De pœnâ tyranni, magis quàm de amicitiâ, sibi cogitandum.*

Permissu nihilo minus Consulis in castra tyrannus venit, vestitu tenui & exiguo comitatu. Oratio eius submissa & infracta, extenuantis opes suas; urbiumque suæ ditionis egestatem querentis. Ex tribus urbibus, Cibyrâ, Syléo, & Alimne, ut se etiam suosque spoliet, V. & XX. talenta confecturum, propè ut diffidens, pollicetur.

Consul, ludificationis & impudentiæ impatiens, *Nisi D. talenta triduo numeraret*, populationem in agris, obsidionem in urbe exspectare iubet.

Tandem ille ad C. talenta perductus, X. mill. medimnû in frumenti, summæ adijcere coactus est.

A Cibyrâ, per agros Sindensium exercitus ductus: transgressusque Calaurem montem; & præter Caralitin paludem, ad Mandrû-pyrum castris positis mansérunt.

Inde ad Lagon, proximam urbem, progredientibus, metu incolæ fugérunt. Opidum hominibus vacuum, & rerum omnium copiâ refertum, Romani diripuérunt.

Inde ad Lyci fluminis fontem; & postero die ad Cobulatum amnem progressi.

Thermenses eo tempore Hyriensium arcem, urbe captâ, oppugnabant. Consuli ad ferendam opem per legatos evocato, & volenti, caussa in Pamphyliam divertendi oblata est. & adveniens Hyrienseis obsidione liberavit: Thermeso pacem dedit, L. argenti talentis acceptis. Item Aspendijs, cæterisque Pamphyliæ populis.

Ex Pamphyliâ rediens ad flumen Taurum, postero die ad Xylinen-cómen castra posuit.

Inde ad Cormasam urbem pervenit, cui Derba urbs proxima erat. Eam metu incolarum desertam, plenam omnium rerum copiâ invenit. Progredienti præter paludes, legati ab Lysiniâ, dedentes civitatem, venerunt. Inde in agrum Sagalassenum, urbem & copiosum, ventum est.

Consul, quia nulla legatio ad fineis præsto fuerat, prædatum in agros misit.

Tum demum bellicosæ gentis, & munitâ urbe fidentis fracta est pertinacia: & legatis missis, pacti L. talentis, & XX. M. medimnûm tritici hordeique, pacem impetravérunt.

Quùm inde ad Obrimę fonteis progressus, ad Vicum, quem Aporidos-comen vocant, castra posuisset; eò SELEVCVS ab Apameâ venit. In quam urbem quùm ęgros & impedimenta dimisisset, ducibus itinerum a SELEVCO acceptis, in Metropolitanum campum, in Dinias Phrygię, & inde Synnada venit, omnibus circa opidis metu desertis.

Denique ad Beudos, quod Vetus vocant, ad Anabuiam, ad Alandri fonteis, & postremò ad Abassum castra posuérunt. Et quod ad Tolistobogiorû fineis iam perventum esset, stativa plureis ibi dies habita.

GALLORVM IN EVROPAM ASIAMQVE OLIM EXPEDITIO, ET PROPAGATIO.

Galli, multis antè annis in Dardanos BRENNO duce, pervenére. Quâ de re supr. ubi seditione ortâ, & ad XX. hominum M. LEONORIO & LVTARIO regulis, à BRENNO secedentes, in Thraciam iter avertérunt: & Byzantium quùm pervenissent, aliquamdiu oram Proponridis vectigalem habendo, regionis eius urbeis obtinuerunt.

Inde Lysimachiâ fraude captâ, omnique Chersoneso armis possessâ, ad Hellespontû descenderunt.

Ibi verò exiguo divisi freto, Asiam cernentes, terram uberem; cupiditate transeundi accensi, ad ANTIPATRVM, eius oræ præfectû, de transitu mittebant.

Quę res quùm lentiùs spe ipsorum traheretur, alia rursus nova inter regulos seditio orta est. LEONORIO retrò, unde venerat, cum maiore parte hominû, Byzantium repetente; LVTARIVS Macedonibus, per speciem legationis ab ANTIPATRO ad speculandum missis, duas tectas naveis, & tres lembos ademit. His intra paucos dies, paullatim subvehendo omneis copias traiecit.

Neque ita multo pòst LEONORIVS, adiuvante NICOMEDE, Bithynię rege, à Byzantio transmisit.

Coëunt deinde in unum rursus Galli; & NICOMEDI, bellum adversus Zybœam, qui partem Bithyniæ tenebat, gerenti, auxilia præbent.

Ex Bithyniâ in Asiam progressi, licet non plus, quàm X. armatorum millia iam essent; tantum tamen terroris omnibus, quę cis Taurum incolunt, gentibus

gentibus iniecérunt sut tam propinquos, quam remotos imperio suo parere cogerent.

Et quùm tres essent gentes, Tolisthobogi, Trocmi, & Tectosagæ; in totidem parteis, quà cuique populorum suorum vectigalis Asia esset; divisérunt.

Trocmis Hellespontiora data est: Tolisthobogij Æolida atque Ioniam; Tectosagæ mediterranea Asiæ sortiti sunt; & stipendium totâ cis Taurum Asiâ exigebant.

Sedem autem ipsi sibi circa Halyn fl. anno circiter XXIIX. antè, ceperant. Auctâ deinde cum terrore nominis, subole, ita invaluérunt; ut Syriæ quoque, ad postremum, reges stipendium dare non abnuerent.

Primus omnium ex ijs, qui Asiam incolunt, ATTALVS, regis EVMENIS pater, abnuit; & collatis signis superior fuit. Sed opeseisdem & imperium, ad bellum usque ANTIOCHI cum Romanis, mansérunt. Et pulso tum quoque ANTIOCHO, quia proeul mari incolerent, in spe erant, Romanos eum exercitu ad se non perventuros.

VLTERIOR MANLII CONSVLIS EXPEDITIO.

Consul MANLIVS, missis ad EPOSSOGNATVM, qui unus ex regulis, & in EVMENIS amicitiâ manserat, & negaverat ANTIOCHO adversus Romanos auxilia; legatis, castra movit. & primùm ad Alandrum fluv. inde ad Vicum, quem Tyscon vocant, ventum.

Eò Oeandensium legati quùm venissent amicitiam petentes; ee. ijs talenta imperata; potestate, ut domum renuntiarent, factâ.

Ducit inde exercitum ad Plitendum; deinde ad Alyatta posuit castra.

Legati EPOSSOGNATI, cum ijs qui missi fuerant, eò venére, orantes; *ne Tectosagis bellum inferrent.* Ipsum EPOSSOGNATVM in eam gentem iturum, persuasurumque, *ut imperata faciant.*

Datâ veniâ regulo; ducit inde exercitus per Axylon terram (quam ab inopiâ ligni sic nominant) ceptus.

Ad Cuballum, Gallogræciæ castellum, castra habentibus Romanis, apparuére eum magno tumultu hostium equites. nec turbârunt modò stationes Rom. repentè invecti, sed quosdam etiam occidérunt. Verùm effuso repentè omnibus portis Rom. equitatu, fusi fugatique Galli, & aliquot inter fugiendum occisi.

Consul coactò iam agmine procedens quùm ad Sangarium fluv. pervenisset; pontem, quia vado nusquam transitus erat, facere instituit. Transgressis ponte perfecto flumen, & præter ripam euntibus, Galli, *Matris Magnæ* (Sacerdotes) à Pessinunte occurrére, cum insignibus suis, vaticinantes fanatico carmine: *Deam Romanis viam belli & victoriam dare, imperiumq́, eius regionis.*

Accipere se *omen* quùm dixisset Cos. castra eo ipso loco posuit. & inde ad Gordium pervenit; emporium, pari intervallo, Pontico & Cilicio mari, distans. Id opidum tum desertum fugâ incolarum, idem referrum omni copiâ, invenérunt.

Ibi stativa habentibus, legati ab EPOSSOGNATO nuntiant; profectum eum ad regulos Gallorum, nihil æqui impetrâsse. Illos ex vicis agrisque, cum coniugibus ac liberis, Olympum montem petere.

Certiora postea Oeandensium legati attulére. Tolisthobogios quidem Olympum montem cepisse; & Tectosagas alium, non procul ab Ancyrâ & Haly fluv. qui Magana dicatur, petisse. Et Trocmos, coniugibus ac liberis apud Tectosagas depositis, coactò armatorum agmine Tolisthobogijs statuisse auxilium ferre.

Trium autem tunc populorum reges erant, ORTIAGON, COMBOLOMARVS & GAVLOTVS.

Iis hæc belli maximè ratio sumendi fuerat; quòd quùm monteis editissimos eius regionis tenerent, convectis omnibus, quæ ad usum quamvis longi temporis sufficerent; tædio se fatigaturos hostem censebant.

Consul ad Olympum montem ducit, & à v. fermè millib. castra locat. Eum, cum CD. equitibus, & ATTALO, progressum, ad naturam montis, situmque Gallicorum castrorum visendum, equites hostium, duplex numerus, effusi castris, in fugam vertérunt. occisi pauci fugientium; plures vulnerati.

Postea idem Cos. omnia accuratiùs contemplatus, sub ipsis radicibus montis posuit castra: tertiàm exercitum divisum ducere ad hostem pergit.

Galli duobus lateribus satis fidentes, invia esse ab eâ parte, quæ in meridiem vergeret; ut armis claudèrent viam; IV. fermè armaturum mill. ad tumulum imminentem viæ, minus M. passuum à castris, occupandum mittunt, eo se rati, velut castello, iter impedituros.

Quod ubi Romani vidèrunt; expediunt sese ad pugnam. Missilibus ex intervallo loci prœlium commissum est: primò par, loco Gallos adiuvantes Romanos, varietate & copiâ telorum. Procedente certamine, nihil iam æqui erat. quòd scuta longa & plana malè tegerent Gallos; & gladiorum, hoste manum non conferente, nullus esset usus. Ipsi sagittis, glande & iaculis, incauti & nudi, ab omni parte configebantur. deprehensi eo pugnæ genere, in quod minimè apti essent.

Pauci supererant iam Gallorum; qui ab leviarmaturâ superati, ubi instare legionum signa vidérunt, effusâ fugâ castra repetunt, pavoris ac tumultûs iam plena.

Romanos victores, deserti fugâ hostium tumuli, accepérunt. Ibi milite respirare & conquiescere paullisper iusso, ad castra, in quæ compulsus ab levi armaturâ hostis trepidabat, oppugnanda ductum est.

Galli armati pro vallo constiterant. obruti deinde omni genere telorum, nullo in tam densos irrito ictu, intra vallum momento temporis compelluntur. stationibus tantùm firmis ad ipsos aditus portarum relictis.

In multitudinem, ad castra compulsam, vis ingens telorum missilium coniecta; unde crebra vulnera. In eos, qui portas stationibus suis clauserant; legionum antesignani pila conijciebant. Qui licet non vulnerati, transverberatis tamen scutis, plerique

inter

inter se conserti herebant. nec diutiùs impetum Romanor. sustinuérunt.

Patentibus iam portis, priusquam irrumperent victores, fuga è castris Gallorum in omneis parteis facta est. plerique præcipites per vastam altitudinem saxorum rupiumque prolapsi, aut debilitati exanimantur.

Consul castris captis, direptione prædâque abstinet. militem sequi pro se quemque, & instare, & perculsis pavorem addere iubet. Et alterum cum L. MANLIO agmen, quod supervenerat, in castra intrare non finit; sed protinùs ad persequendos hosteis mittit.

Et ipse; traditâ Tribb. milit. captivorum custodiâ, consequitur; debellatum ratus, si in illo pavore quamplurimi aut cæsi aut capti forent.

Egresso Consule, C. HELVIVS cum tertio agmine advénit: nec continere suos à direptione castrorum valuit. Prædaque eorum, qui pugnæ non interfuerant, *iniquissima forte* facta est.

Equites diu, ignari & pugnæ, & victoriæ suorum, stetérunt. Deinde & ipsi, quantum equi in colleis subire poterant, sparsos fugâ Gallos circà radices montis consectati, cecidére, aut cepére.

(Ex scriptoribus, CLAVDIVS, bis in môte Olympo pugnatum tradit; & ad x L. hominum M. cæsa. ANTIAS, non plus x. Mill.) Numerus captivorum, haud dubiè x L. Mill. explevit.

Consul armis hostium in uno concrematis cumulo, cæteram prædam conferre omneis iussit, & aut vendidit, quod eius in publicum redigendum erat; aut cum curâ, ut quàm æquissima esset, per milites divisit.

Superérat bellum integrum cum Tectosagis. Ad eos profectus Cos. Ancyram, nobilem ijs in locis urbem, pervénit: undè hostes paullo plus x. Millia aberant.

MEMORABILE CAPTIVÆ FACINVS.

Vbi quùm stativa essent, facinus memorabile à captivâ factum est.

ORTIAGONTIS, reguli Gallogræci, uxor, formâ eximiâ, à Cēturione, Romano, cui custodienda tradita erat, stuprum pati coacta; postquàm ventū est in eum locum, in quem Centurio, misso nūtio, necessarios mulieris pretium, quo eam redimerent, adferre iusserat; aurum expendente Centurione, & animo oculisque in pondus intento; ipsa Gallogræcis ministris, linguâ gentis suæ imperavit, stringerent ferrum, eumque occiderent. Interfecti deinde caput abscisum, & involutum veste ferens ad maritum, qui ab Olympo domum refugerat, venit: abiectoque antè pedes eius, & iniuriæ & ultionis suæ ordinem exposuit.

BELLVM CVM TECTOSAGIS.

Ad Ancyram, in stativa, oratores Tectosagûm ad Cos. venérunt; *nullas conditiones pacis ijs non bello potiores fore*. Quùm illi neque tempore, neque loco constituto comparuissent; tandem ATTALO à Consule misso, ad colloquium principum gentis, regibus excusatis, ventum est.

Vbi licet pacis conditiones dictæ essent; & ATTALO adfirmante reges postridie venturos esse, & transigi rem posse, Consul è castris profectus haud multum à constituto loco abesset; Mille Galli concitatis equis, cum impetu hostili, in Romanos, præsidium trecentorum equitum, invecti sunt, & in fugam vertérunt. Et maior clades accepta esset; ni pabulatores, D C. equites, exaudito suorum clamore, occurrissent, & integri profligatam pugnam excepissent; & à victis in victores terrorem convertissent.

Romani ardentibus irâ animis, omnibus cum copijs in hostem perfidum pergunt. Cos. in quattuor parteis divisas copias educit: duas ut medio monte duceret; duas ab lateribus, ut adversùs cornua Gallorum erigeret.

Hostium quod roboris erat, Tectosagæ & Trocmi, mediam tenebant aciem, L. hominum Mill. Equitatum, nullo equorum, inter inæqualeis rupeis, usu, ad pedes deductum, X. Millia, ab dextero locavérunt cornu.

ARIARATHIS Cappadocis, & MOTZI auxiliareis, in lævo, IV. fermè Millium numerum explebant.

Vbi acies inter se adpropinquârūt; omnia eadem utrimque, quæ fuerant in priore ad Olympū prœlio, erant. Itaque à paribus initijs, cæpta res, eúmdem exitum habuit. Velut nubes levium telorum coniecta obruit aciem Gallorum.

Et Cos. iam per se turbatis, legionum signa ostendebat: receptisque inter ordines velitibus, aliaque auxiliorum turbâ, aciem promovebat. quùm Galli, fessi stando & vulneribus, ne primum quidem impetum & clamorem Romanorum tulérunt.

Fuga ad castra inclinavit: sed plures, quà quemque impetus tulit, fugérunt. Romanis per aliquantum spatium secutis, non plus I I X. hominum Millia in fugâ (nam pugna vix ulla fuit) cecidérunt: reliqui flumen Halyn traiecérunt.

Consul captis hostium castris, captivos, prædamque recensuit: ex Asiaticis populis, à gente rapiendi avidissimâ, per multos annos coacervatam.

Galli ex dissipatâ passim fugâ in unum locum congregati, & variè adflicti, oratores de pace ad Cos. misérunt. Quos ille Ephesum venire iussit; & victorem exercitum, ex gelidis Tauri montis regionibus, in biberna maritimæ oræ reduxit.

CEPHALLENIA TENTATVR.

Dum hæc in Asiâ geruntur, in cæteris provincijs tranquillæ res fuérunt. nisi quòd bello in Asiâ cum Gallis à MANLIO perfecto, alter Cos. FVLVIVS, perdomitis Ætolis, quùm traiecisset in Cephalleniam; circà civitates insulæ misit percunctatum; *Vtrùm se dedere Romanis, an belli fortunam experiri mallent*? Metus ad omneis valuit, ne deditionem recusarent.

Obsides indè imperatos, pro viribus inopis populi; vicenos Neliotæ, Cranij, Palenses & Samæi dedérunt.

SAMÆORVM TEMERITAS, ET CLADES.

Sed hi postremi, nescio quo vano demigrationis, ex urbe opportunè sitâ, metu, datis iam obsidibus, repentè portas clausérunt: & ne suorum quidem, quos Cos. sub muros miserat; precibus & misericordiâ, desistere ab incepto voluérunt. donec omni tormentorum machinarumque genere oppugnati, post IV. mensium obsidionem fortiter toleratam; & consecutam in propugnantibus corporum animorumque fatigationem; Romanis nocte, per arcem, Cyatidem, muro superato, in forum progressis; & urbe captâ, cum coniugibus ac liberis in maiorem arcem refugérunt: & postero die deditt, direptâ urbe, sub coronâ omnes veniérunt.

PELOPONNESVS TVMVLTVATVR, OB COMITIORVM prærogativam.

Cousul præsidio Samæ imposito, in Peloponnesum, nonnihil tumultuantem, traiecit.

Ægium, à principio Achaici concilij, ob loci sive dignitatem, sive opportunitatem, semper cōventus genus indici soliti fuerant. Sub adventum Consulis, Damiurgis civitatum (qui summus ibidem est magistratus) Ægium evocantibus; PHILOPOEMEN, tum prætor, Argos cōventum edixit. Quò quùm appareret omneis fere conventuros; Consul quoque, quamquam Ægiensium favebat caussæ; Argos venit. Vbi quùm disceptatio fuisset, & rem inclinatam cerneret; incepto destitit.

ITIDEM ET LACEDÆMON, OB DECRETVM PHILOPOEMENIS.

Lacedæmonij deinde eum in sua certamina avertérunt. Solicitam eam civitatem exsules maximè habebant: quorum magna pars in maritimis Laconicæ oræ castellis habitabant.

Lacedæmonij, ut aliquem liberum ad mare haberent aditum; simulque emporium & receptaculum peregrinis mercibus, ad necessarios usus esset; nocte adorti vicum maritimum, nomine Laan, improvisò occupavére. Exsules & vicani, expulsis levi certamine Lacedæmonijs, legatos communiter ad Achæos misérunt.

PHILOPOEMEN præt. ex concilij sententiâ decretum fecit: *Quùm in fidem Achæorum tutelamq., Romani, Laconicæ oræ castella & vicos tradidissent; & abstinere his ex fœdere Lacedæmonij deberent; Laan nihilominus vicum oppugnárint; cædemq. ibi fecerint; Qui eius rei auctores adfinesq. essent, nisi dederentur Achæis; violatum videri fœdus.* Et Lacedæmonem legati missi, qui eos exposcerent.

Id imperium adeò superbum & indignum Lacedæmonijs visum est, metuentibus ne PHILOPOEMEN tandem exsulibus Lacedæmonem traderet; ut furentes irâ, XXX. ex factione PHILOPOEMENIS, & exsulum, interfectis, decernerent renuntiandam Achæis societatem. Legatosque extemplò Cephalleniam mittendos, qui Consuli M. FVLVIO (Capell. M. ACILIO; & refert ad annum superiorem) & Romanis, Lacedæmonem dederent: orarentque eum, ut veniret in Peloponnesum, ad urbem in fidem ditionemque pop. Rom. accipiendam.

Id ubi Legati ad Achæos rettulérunt; totius concilij consensu, bellum Lacedæmonijs indictum est. Qui tumultus Consulem in Peloponnesum adduxit: & concilio Elim indicto, Lacedæmonij ad disceptandum acciti.

Altercatione ibi inter parteis subortâ, Consul quùm alia satis ambitiosè, partem utramque fovendo, incerta respondisset; unâ denuntiatione; *Vt bello abstinerent*, donec Romam legatos ad Senatum misissent; finem imposuit.

LEGATIO ACHÆORVM ROMAM.

DIOPHANES & LYCORTAS, ambo Megalopolitani, Principes, legationis Achæorum; ut dissidentes in rep. ità tum quoque minimè inter se convenienteis orationes habuere.

DIOPHANES Senatui disceptationem omnium rerum permittebat: LYCORTAS (is pater est Polybij historici) ex præceptis PHILOPOEMENIS postulabat; *Vt Achæis ex fœdere ac legibus suis, quæ decrêssent, agere liceret: libertatemq. sibi illibatam, cuius ipsi auctores essent, præstarent.*

Quamquam magnæ auctoritatis apud Romanos gens Achæorum erat; nihil tamen novari de Lacedæmonijs placebat. Cæterum responsum ità perplexum fuit; ut & Achæi sibi de Lacedæmone permissum acciperent; & Lacedæmonij non omnia ijs concessa interpretarentur.

IMMODERATIO ACHÆORVM.

Hâc potestate immodicè ac superbè Achæi usi; & PHILOPOEMENI continuatus magistratus. Is veris initio, exercitu indicto, in Lacedæmoniorum finibus castra posuit. Legatos deinde misit ad deposcendos auctores defectionis. *Si id fecissent, civitatem in pace futuram; & illos nihil indictâ caussâ passuros.*

Ij qui nominatim deposcebantur, fide acceptâ ab legatis, cum alijs illustribus viris, iérunt.

Quibus venientibus, exsules Lacedæmonij, qui tunc totius Achæorum exercitûs ante-signani erant, ad portam castrorum agmine facto occurrérunt: & primò lacessere iurgijs; deinde, altercatione ortâ, ferocissimi ex ijs in Lacedæmonios impetum fecérunt. & quantumvis obnitente cum legatis prætore; & illis Deos fidemque testantibus; multitudo accensa ad vocem unius, qui, *ut ferirent*, inclamabat; saxa conijcere cæpit.

Atque ità XVII. quibus vincula per tumultum iniecta erant, interfecti sunt. LXIII. postero die comprehensi, à quibus prætor

vim

rim arcuerat, (non quia salvos vellet; sed quia perire indictâ causâ nolebat) obiecti multitudini iratæ, quùm aversis auribus pauca locuti essent; damnati omnes, & ad supplicium traditi sunt.

Hoc metu iniecto, Lacedæmonijs imperatum; primùm; *Vt muros diruerent.* „ Deinde *ut omnes externi auxiliares*, qui mercede sub tyrannis militassent, cum servitijs libertate obiter donatis, *terrâ Laconicâ excederent.* „ *Lycurgi leges moresq; abrogarent; & legibus institutisq; Achaorum adsuescerent.*

Lacedæmonij nihil ægriùs passi sunt, quam exsules reduci. Decretum de ijs restituendis Tegeæ factum.

Prætor cum expeditis, in extremos auxiliareis iam dimissos, & in Lacedæmoniorum ius adscriptos, sive à tyrannis liberatos, qui urbe excesserant in agros dilapsi; immissus, multos ex eo hominum genere comprehendit, & iure prædæ vendidit.

Et eâ pecuniâ Porticus, quam Lacedæmonij antè diruerant, Megalopoli refecta est. & ager Belbinates, quem iniuriâ Lacedæmoniorum tyranni possederant; eidem civitati restitutus: Ex vetere Achæorum decreto, quod factum erat PHILIPPO, AMYNTÆ F. regnante.

Per hæc velut enervata civitas Lacedæmoniorum diu Achæis obnoxia fuit.

Nulla tamen res tanto erat damno, quàm disciplina Lycurgi, cui per annos DCCC. (veriùs DCCV.) adsueverant, sublata. Verùm aliquanto-post à Romanis obtinuérunt Lacedæmonij, ut reiectis Achæorum institutis, ad patrias Lycurgi leges redirent.

A concilio, ubi apud Consulem inter Achæos Lacedæmoniosque disceptatum diximus,

3766.	*M. FVLVIVS, quia iam in exitu annus erat, comitiorum causâ*	184.
35. Ant. Mag.	*profectus Romam, creavit Consules M. VALERIVM MESSAL-*	
16. Prol. Epiph.	*LAM, & C. LIVIVM SALINATOREM.*	

Comitijs perfectis, M. FVLVIVM in provinciam ad exercitum redire placuit: eique, & collegæ Gn. MANLIO, imperium in annum prorogatum est.

Novi Consules, quùm Idib. Martijs magistratum inissent, de rep. deque provincijs, & exercitibus, Senatum consuluerunt. De Ætoliâ & Asiâ nihil mutatum est. Consulibus, alteri Messallæ; Pisæ cum Liguribus; alteri, SALINATORI, Gallia provincia, obtigit.

(Tum M. CLAVDIVS MARCELLVS censor, sorte superato T. QVINCTIO, lustrum condidit. Censa civium capita CCLVIII. Mill. CCCVIII.)

VARIÆ AD COS. LEGATIONES.

Hieme eâ, quâ hæc Romæ gesta, ad Cn. MANLIVM Consulem, & mòx proconsulem, in Asiâ hibernantem, legationes undique ex civitatibus gentibusque convenére. ut quibus libertas, ANTIOCHO pulso; pax, Gallis domitis, data esset, coronis etiam aureis adlatis, gratularentur.

Ab ANTIOCHO vero, & ab ipsis Gallis, ut pacis sibi leges dicerentur: & ab ARIARATHE, rege Cappadocum, ad veniam petendam, luendamque pecuniâ noxam; quòd auxilijs scilicet, ipse vetus socius & vectigalis, ANTIOCHVM iuvisset;

MANLIVS ab Apaméâ in Pamphyliam, quò pecuniam frumentumque regios, ex pacto cum L. SCIPIONE fœdere, convehere iusserat; pervénit. Mill. & D. talenta argenti accepta Apaméam deportantur; frumentum exercitui dividitur.

Perga, quæ una in ijs locis, regio adhuc tenebatur præsidio, ei deditur. Indè L. MANLIO fratre, cum IV. milit. Millibus, Oenoanda, ad reliquum pecuniæ exigendum, misso; & audito, EVMENEM regem, & X. legatos ab Româ Ephesum venisse; iussis sequi ANTIOCHI legatis, Apaméam exercitum reduxit.

FEDVS CVM ANTIOCHO.

Ibi fedus cum ANTIOCHO his verbis & legibus conscriptum.

„ *Ne quem exercitum, qui cum pop. Romano socijsve bellum gesturus sit, rex per fineis regni sui, eorumve, qui sub ditione eius erunt, transire sinito. neu commeatu, neu quâ aliâ ope iuvato.*

„ *Idem Romani socijq; ANTIOCHO; & ijs qui sub imperio eius erunt, præstanto.*

„ *Belli gerendi ius ANTIOCHO ne esto, cum ijs, qui insulas colunt; néve in Europam transeundi.*

„ *Excedito urbibus, agris, vicis, castellisq;, cis Taurum montem, usq; ad Halyn fl. & à valle Tauri, usq; ad iuga, quà in Lycaoniam vergit.*

„ *Arma nulla ex locis efferto: elata restituito.*

„ *Ne militem, neu quem alium ex regno EVMENIS recipito.*

„ *Servos, seu fugitivos, seu bello captos; seu qui liber captus aut transfuga erit; reddito Romanis socijsq;.*

„ *Elephantos tradito omneis; neve alios parato.*

„ *Tradito & naveis longas, armamentaq; earum.*

„ *Argenti probi XII. Mill. Attica talenta dato, intrà XII. annos, pensionibus æquis. & tritici DXL. Mill. modiûm.*

„ *EVMENI regi talenta CCCL. intrà quinquennium dato; & pro frumento CXXVII. talenta.*

„ *Obsides Romanis XX. dato, & pro triennio mutato.*

De ANNIBALE, THOANTE, &c. dedendis, in hoc quoque federe adscriptum est. Consul in hoc fedus iuravit: & missi, qui idem ab rege iusiurandum exigerent.

VRBES IN LYCIA RECEPTÆ.

Q. FABIO LABEONI, qui classi præerat, mandatum, ut Patara confestim proficisceretur. Ibi ille L. tectas naveis aut concîdit, aut cremavit.

Telmessum eâdem expeditione, territis subito adventu classis opidanis, recepit.

Ex Lyciâ protinùs, iussis ab Ephesso sequi, qui ibi relicti erant, per insulas in Græciam traiecit. & Athenis moratus, dum Piræeum ab Epheso naves venirent, classem in Italiam reduxit.

Cn. MANLIVS, quùm, inter cætera, elephantos quoque ab Antiocho accepisset, donoque EVMENI omneis dedisset; caussas exinde civitatum, multis inter novas res turbatis, cognovit.

Et ARIARATES rex, parte dimidiâ pecuniæ imperatæ, EVMENIS beneficio, cui desponderat per eos dies filiam, remissâ; in amicitiam est acceptus.

CIVITATES IN ASIA VARIE CONSTITVTÆ.

Civitatum autem cognitis caussis, x. Legati aliam aliarum fecérunt conditionem. Quæ stipendiariæ regi ANTIOCHO fuerant, & cum pop. Rom. senserant; ijs immunitatem dedérunt.

Quæ partium ANTIOCHI fuerant, aut stipendiariæ ATTALI regis; eas omneis vectigal péndere EVMENI iussérunt.

Chios & Smyrnæos & Erythræos, pro singulari fide, & agro donárunt, & in omni præcipuo honore habuerunt.

Rhodijs adfirmata, quæ data priore decreto erât, Lycia & Caria, usque Mæandrum amnem.

Regi EVMENI Chersonnesum in Europâ, & Lysimachiam, quibus tenuerat finibus ANTIOCHVS; adiecérunt. In Asiâ, Phrygiam utramque. & Mysiam, quam PRVSIAS rex ademerat, restituérunt: & Lycaoniam cum Myliade & Lydiâ; & nominatim urbeis, Tralleis, Ephesum & Telmessum.

De Pamphyliâ, quòd eius pars citrà, pars ultrà Taurum esset; quùm inter EVMENEM & ANTIOCHI legatos disceptaretur; integra res ad Senatum reiecta est.

His ità constitutis, MANLIVS cum x. Legatis, omnique exercitu, ad Hellespontum profectus, evocatis eò regulis Gallorum, leges, quibus pacem cum EVMENE servarent, dixit: denuntiavitque; *Vt morem vagandi cum armis finirent; agrorumque suorum terminis se continerent.*

COS. IN REDITV A THRACIBVS SPOLIATVR.

Contractis deinde ex omni orâ navibus, copias omneis in Europam traiecit; & Chersonneso peragratâ Lysimachiæ stativa habuit. ut quam maximè recentibus & integris iumentis Thraciam, cum agmine, prædarum omni genere gravi, ingrederetur.

Ab amni Melane, Cypsela perventum. Indè via x. ferè Milium, silvestris & confragosa excepit. Ibi, ob itineris difficultatem, in duas parteis divisus exercitus; & præcedere unâ iussâ, alterâ magno intervallo cogere agmen: media impedimenta interposuit. plaustra cum pecuniâ publicâ erant, pretiosaque alia præda.

Thracum x. haud amplius Millia, ex quattuor populis, ad ipsas saltûs angustias viam circumsedére. (Opinio erat non sine PHILIPPI, regis Macedonum, fraude an conscientiâ id factum.)

Thraces, primis per angustias prægressis, & postremis nondum adpropinquantibus; impedimenta & sarcinas invasére. Cæsisque custodibus, partim ea, quæ in plaustris erant, diripere; partim sub oneribus iumenta abstrahere.

Clamore ad primum agmen perlato, & prœlio à concurrentibus conserto; alibi prædo, alibi prædæ vindex cadit.

Nocte appetente, Thraces, post variam pugnæ fortunam, prœlio excedunt. non fugâ vulnerû aut mortis, sed quia satis prædæ habebant.

Hebro flum. & Æniorum finibus, præter APOLLINIS Zerynthij fanum, superatis, ad angustias, quæ circà Tempyra, eâdem spe prædæ, Thrausi, gens Thracica, convenerant. sed loco non adeo iniquo, & acie apertâ, facilè à Romanis pulsi sunt.

Castris ad Saren, Maronitarum vicum, positis, triduum ibi mansérunt; frumentum partim ex agris Maronitarum, conferentibus ipsis; partim ex navibus suis, quæ cum omnis generis commeatu sequebantur, accipientes.

Ab stativis, diei via Apolloniam fuit: hinc per ABDERITARVM agrum Neapolim perventum.

Ho[illegible] omne per Græcorum colonias pacatum iter fu[illegible] reliquum per medios Thracas suspectius, donec in Macedoniam perveniretur.

Indè in Thessaliam exercitus traductus; & Proconsul quùm per Epirum, Apolloniam venisset; ob hibernum mare, ibidem hibernavit.

3767. Prol. Epiph. 17. Seleuci Philop. 8. | 183.

Exitu propè anni, M. VALERIVS Cos. ex Liguribus, nullâ memorabili in provinciâ re gestâ, ad magistratus subrogandos Romam venit. Comitia Coss. creandis fuérunt ad XII. Kalend. Martias. Creati M. ÆMYLIVS LEPIDVS, & C. FLAMINIVS Nepos.

PROVINCIÆ PRÆTORIÆ.

Quùm Cos. ad Senatum rettulisset, quas provincias prætoribus esse placeret; decreverunt: duas Romæ iuris dicundi caussâ; duas extrà Italiam; Siciliam & Sardiniam. duas in Italiâ, Tarentum & Galliam, esse.

Eo anno L. MINVCIVS MYRTILVS, & L. MANLIVS, quòd legatos Carthagine missos, pulsâsse dicebantur; iussu prætoris (al. M. CLAVDII; al. CVLLEONIS) per feciales traditi sunt legatis, & Carthaginem avecti.

TVMVL-

TVMVLTVS A LIGVRIBVS.

In Liguribus magni belli, magisque in dies glis̄centis, fama erat. Itaque Coss. novis, Senatus, utrique, Ligures provinciam decrevit.

Quùm huic Sen. Consulto LEPIDVS Cos. intercederet, indignum esse prædicans, *Coss. ambos in vallis Ligurum includi*; & interim M. FVLVIVM, & Cn. MANLIVM, biennium iam, alterum in Europâ, alterum in Asiâ, velut pro PHILIPPO atque ANTIOCHO substitutos, regnare. Senatus in sententiâ quidem perseveravit; ut Coss. ambobus Ligures provincia esset; sed eodem MANLIVM FVLVIVMQVE decedere de provincijs, & exercitus indè deducere, ac redire Romam, placuit, ac decretum est.

CALVMNIA IN PROC. FVLVIVM.

M. ÆMYLIVS Cos. M. FVLVIO infestus, ad invidiam ei faciendam legatos Ambracienseis in Senatum, subornatos criminibus, introduxit; qui se indignè bello petitos, obsessos & spoliatos ab eo dicerent.

Moris Patribus, alter Cos. C. FLAMINIVS, M. FVLVII caussam excepit; & Ambracienseis, *veterem atque obsoletam querendi, & Imperatores criminandi viam ingressos*, in eàdem cum Ætolis causâ herere dixit. neque se de Ambraciensibus aut Ætolis, absente M. FVLVIO, decerni quidquam passurum.

ÆMYLIVS, captatâ deinde occasione, quùm æger fortè FLAMINIVS collega abesset, iterùm rettulit; & S. C. factum: *Vt Ambraciensibus omnes sua res redderentur: Ipsi in libertate essent, ac legibus suis uterentur.* Signa aliaque ornamenta, quæ ex ædibus sacris sublata quererentur, de ijs, quùm M. FVLVIVS Romam revertisset, placere ad collegium Pontificum referri: quodque ij censuissent, fieri.

MANLIO TRIVMPHVS GRAVATE PERMISSVS, OB RES iniquiùs gestas.

Consulibus in provinciam profectis, Cn. MANLIVS proconſ. Romam venit. Qui quùm postularet, ut ob res à se gestas Dijs honos haberetur, sibique triumphanti urbem invehi liceret; contradixérunt pars maior X. Legatorum, qui cum eo fuerant; datique ei fuerant legati, pacis cum ANTIOCHO faciendæ causâ; federisque, & legum, quæ cum L. SCIPIONE inchoatæ fuissent, perficiendarum.

Quam pacem ut turbaret; MANLIVM summâ ope tetendisse: & ANTIOCHVM, si sui potestatem fecisset, insidijs excipere.

Admovisse exercitum, & ad ipsa Tauri montis iuga castra posuisse. Nullâ ibi belli causâ, quod regij quiescerent, inventâ, circumegisse exercitum ad Gallogracos. cui nationi non ex Senatûs auctoritate, non populi iussu, bellum illatum.

Purgante se acriter MANLIO, altercatio in se-

rum perducta est. Et Senatus triumphum negaturus videbatur; nisi postridie cognati amicique Cn. Manlij, summis opibus adnixi essent: & auctoritas seniorum valuisset; *& pudore malignitatem vincente*, triumphum frequentes decrevissent.

CALVMNIA IN P. SCIPIONEM, QVA SPECIOSE SE EXSOLVIT.

At mox maius aliud, & cum maiore ac clariore vero certamen Romæ ortum. P. SCIPIONI AFRICANO, duo Q. Petillij diem dixêrunt. (Alij, est, M. NÆVIVS Trib. plebis.)

Nec alius anteà quisquam, nec ille ipse SCIPIO, Consul censorve, maiore omnis generis hominum frequentiâ, quàm reus illo die in forum est deductus.

Iussus dicere caussam, sine ullâ criminùm mentione, orationem adeò magnificam de rebus ab se gestis est exorsus; ut satis constaret; neminem umquàm neque meliùs, neque veriùs fuisse laudatum.

Tribb. plebis, hominem infamiâ intactum, invidiâ, quâ poterant, urguebant.

Orationibus in noctem perductis, producta dies est.

Vbi ea venit; Tribuni in rostris primâ luce consêdérunt. Citatus reus, magno agmine amicorum clientiumque, per mediam concionem, ad Rostra subijt: silentioque facto; *Hoc*, inquit, *die*, Tribb. plebis, vosque Quirites, *cum ANNIBALE & Carthaginiensibus signis collatis in Africâ benè ac feliciter pugnavi. Itaq; quùm hodie litibus & iurgijs supersedere æquum sit; ego hinc extemplò in Capitolium, ad Iovem O. M. cæterosq; Deos salutandos, ibo. Ite mecum Quirites: & Orate Deos, ut mei simileis principes habeatis.*

Ab Rostris in Capitolium adscendit. simul se universa concio avertit, & non in Capitolium modò, sed ad omnia urbis Templa secuta Scipionem est.

Hic speciosus, & triumpho celebratior, dies ultimus P. SCIPIONI illuxit. post quem, quùm invidiam, & certamina cum Tribunis prospiceret; die longiore productâ, in Liternum concessit, Certo consilio, ne ad caussam dicendam adesset.

Vbi dies venit, citarique absens est iussus; L. SCIPIO morbum fratris excusabat. Itaque Tribb. plebis appellati à fratre absentis, ità decrevérunt; *Si morbi causâ excusaretur, sibi placere accipi eam caussam, diemq; à collegis prodici.*

TIB. SEMPRONII DE SCIPIONE SENTENTIA.

Tribunus pleb. eo tempore Tib. SEMPRONIVS GRACCHVS erat, cui privatæ inimicitiæ cum P. SCIPIONE intercedebant. Is. quùm vetuisset nomeo suû decreto collegarum adscribi; tristiorémque omnes sententiam exspectarent; ità decrevit; *Quùm L. SCIPIO excusset, morbum esse causa fratri, satis id sibi videri. Se P. SCIPIONEM, priusquam Romam redisset, accusari non passurum. Tum quoq;, si se appellet; auxilio ei futurum, ne quam caussam dicat.*

Adiecit decreto indignationem; *Scipionem tot rebus gestis nobilem, & bene de re Rom. meritum, duorum Petilliorum convicijs succumbere non debere.*

Gratiæ actæ à Senatu Tib. GRACCHO, quòd remp. privatis simultatibus potiorem habuisset. Petillij vexati sunt probris; *quòd splendére alienâ invidiâ voluissent; & spolia ex Africani triumphis peterent.*

Silentium deinde de Africano fuit. vitam Literni egit, sine desiderio urbis. Morientem rure eo ipso loco sepeliri se iussisse ferunt, monimentumque ibi ædificari. *Ne funus sibi in ingratâ patriâ fieret.*

CATONIS INVIDIA.

Morte Africani crevére inimicorum animi, quorum princeps fuit M. PORCIVS CATO, qui vivi etiam magnitudinem adlatrare solitus erat. Eoque auctore Petillij, mortuo etiam Africano, rogationem de interceptâ Antiochi pecuniâ, promulgásse existimantur, quam ille suaserat: & Q. & L. MVMMIOS, ne rogationi adversarentur, auctoritate deterruerat.

L. SCIPIO dissuasor, eam rogationem, post mortem Afri. ani fratris, excertam côquestus est. *Parum enim fuisse, non laudari pro rostris P. SCIPIONEM post mortem, nisi etiam accusaretur. Ipsius sepulti famam lacerari, & fratrem etiam accessione invidiæ mactari.*

ACCVSATVR ET L. SCIPIO FRATER.

L. nihilo minus ad Q. Terentium Culleonem, quæsitorem, & prætorem, æquum nimis an iniquum! cum legatis & scribis duobus, reus factus est; quòd quò commodior pax ANTIOCHO daretur, maiorem auri argentique summam accepisset, quàm in ærarium rettulisset.

Iudicijs à Q. Terentio perfectis, A. Hostilius legatus, & C. Furius Quæstor Scipionis, damnati, prædes eodem die Quæstoribus urbanis dederunt; alijque absoluti sunt.

SCIPIO quùm contenderet, omnem quam accepisset pecuniam in ærario esse; nec se quidquam publici habere; in vincula duci est cæptus.

P. SCIPIO Nasica Tribunos appellavit: orationemque habuit plenam veris decoribus gentis Corneliæ & Scipionum.

Tribunis alijs pronuntiantibus, prætori se non intercedere quo minus suâ potestate utatur, hoc est, *ni referatur pecunia in publicum, quæ indicata esset*; damnatum reprehendi, & in vincula duci iubeat.

EIVSDEM SEMPRONIJ DE L. SCIPIONE DECRETVM.

Tib. GRACCHVS ità decrevit; *Quo minus ex bonis L. SCIPIONIS, quod indicatum sit, redigatur, se non intercedere pretori. L. SCIPIONEM, qui tot res pro rep. feliciter fideliterq́; gesserit, & imperium pop. Rom. propagaverit in ultimos terrarum fineis; tot hostium duces in triumpho ductos carcere incluserit; non passurum in carcere & vinculis esse; mittiq́; eum se iubere.*

Tanto adsensu auditum est decretum, ut vix in eâdem civitate factum iudicium.

TEMPERANTIA L. SCIPIONIS.

In bona deinde L. Scipionis possessum publicè Quæstores prætor misit. neque in ijs non modò vestigium ullum comparuit pecuniæ regiæ; sed nec tantum redactum est, quantæ summæ damnatus fuerat.

Collata pecunia à cognatis, amicisque & clientibus est; ut si eam ille acciperet, locupletior aliquantò esset, quàm ante calamitatem fuerat. Nihil accepit; sed quæ ad cultum necessaria, proximi cognati redemérunt.

Etiam Scipionum invidia in prætorem, eiusque consilium, & accusatores, verterat.

BELLVM ASPERVM CVM LIGVRIBVS.

Sub id tempus Coss. ambo in Liguribus bellum gerebant. In eâ provinciâ omnia erant, quæ militem excitarent; & ad virtutem acuerent. Contrà quàm in Asiâ, quæ amœnitate urbium, & copiâ rerum, & mollitiâ hostium, ditiores quàm fortiores exercitus faciebat.

Inops regio erat, quę parcimoniâ milites adstringeret. Nec deerat cum eâ gente belli materia aut caussa: quia propter domesticam inopiam vicinos agros incursabant. nec tamen in discrimen summæ rerum pugnabatur. Tirocinia militum imbuebant, & quasi cote quâdam durabant.

C. FLAMINIVS Cos. cum Friniatibus Liguribus, in agro eorum, pluribus secundis prœlijs factis, in deditionem gentem accepit, & arma ademit. Et castigati, quòd non sincerâ fide traderent; relictis vicis, in montem Auginum confugérunt. Insecuto confestim Consule rursus effusi, fugâ per invias rupeis præcipiti trans Apenninum abiérunt. Qui castris se tenuerant; circumsessi & expugnati sunt.

Ductæ indè trans Apenninum legiones, & hostes ad deditionem compulsi. arma intentiore cum curâ conquisita & adempta.

Translatum deinde ad Apuanos Ligures bellum, Pisano Bononiensique agro infestissimos. Quibus quoque domitis Cos. finitimis pacem dedit.

Et ne quietâ iam provinciâ militem in otio haberet; viam à Bononiâ perduxit Arretium. (Strab. l. 5. prodidit; FLAMINIVM à Româ, per Etruriam, Ariminum: & Lepidum, ab Ariminio Bononiam, atque indè in Aquileiam perduxisse.)

M. ÆMILIVS, alter Cos. agros Ligurum, vicosque, qui in campis aut vallibus erant; ipsis monteis duos, Ballistam Suismontiumque, tenentibus; depopulatus est & deussit. Deinde eos, qui in montibus erant, adortus, coactos in aciem descendere, iusto prœlio vicit.

Subactis cis Apennium omnibus; tum trâsmontanos adgressus; & in his Friniates, adhuc intactos, omneis ÆMYLIVS subegit; armaque ademit, & de montibus in campos multitudinem deduxit.

Pacatis

Pacatis Liguribus, in agrum Gallicum exercitum duxit: viamque ab Placentiâ, ut Flaminiæ committeret, Ariminum perduxit.

CÆNOMANI RESTITVTI.

In Galliâ, M. FVRIVS præt. insontibus Cænomanis, in pace speciem belli quærens, ademerat arma. Id Cænomani conquesti Romæ apud Senatum, reiectique ad Consulem ÆMYLIVM, magno certamine cum prætore habito, tenuêrunt caussam. Arma ijs reddita; & decedere è provincia prætor iussus.

INQVILINI ROMA DOMOS REMISSI.

Legatis deinde sociorum Latini nominis Senatus datus est. His querentibus magnam multitudinem civium suorum Romam commigrâsse, & ibi censos esse; CVLLEONI prætori negotium datũ est, ut eos conquireret, & redire eò cogeret, ubi censi essent.

Hâc conquisitione, XII. M. Latinorum domos redierunt: iam tum multitudine alienigenarum urbem onerante.

FVLVIVS PERVICIT, VT DE ÆTOLIS TRIVMPHARET.

Priusquàm Coss. redirent Romam, M. FVLVIVS proconſ. ex Ætoliâ rediit, & triumphum postulavit. Hic M. AMBVRIVS Trib. plebis, si quid eâ de re, antè M. ÆMYLII Cos. adventum, decerneretur, quùm intercessurum se ostenderet; & FVLVIVS contrà, Patres oraret, & à Tribunis peteret; *ne se superbissimo inimico ludibrio esse finant*; Trib. GRACCHI collegæ plurimùm oratio movit. *Turpe esse ad omnem posteritatem, eiusdem collegij alterum è duobus Tribunis pleb. suas inimicitias reip. remisisse; alterum alienas & mandatas exercuisse.*

Tribunus Amburius his castigationibus victus, quùm Templo excessisset, Ser. SVLPITIO præt. referente, triumphus M. FVLVIO est decretus.

Is ne plus in triumpho certaminum cum Consule, iam ad impediendum triumphum adventante, quàm in bello haberet; prætulit diem triumphi. & ad x. Kal. Ianuarias, de Ætolis & de Cephaleniâ triumphavit.

ANTIOCHI MAG. MORS INGLORIA.

ANTIOCHVS iam victus, & intrà Taurum regnare permissus, quùm Apaméam primùm, & indè Susam, remotissimas regni sui urbeis, penetrâsset; sive inopiâ pecuniæ compulsus; sive, sub specie tributariæ necessitatis, excusatùs sacrilegia commissurus; admotis de nocte copijs, Templum Beli, sive Iovis Didymæi, apud Elymæos, spoliare adgressus; & concursu incolarum, cum omni militiâ interfectus est. (Idem factum, an infortunium! in Antiochum Epiphanem, F. expetet.)

SELEVCVS PHILOPATOR VII. SYRIÆ REX.

Antiocho Mag. Philopator succedit, regnatque annos propè XII. Infracto, plané que degeneri, ob paternarum cladium, & impositi sibi tributi memoriam, animo.

Hic DANIELI, c. 11. prævaricator dici videtur, vilissimus, & decore regio indignus: qui turpi mangonio regnum infamârit, & tributis lacerârit.

(Hunc IOSEPH. (lib. 12. c. 4.) SOTEREM vocat, cognomine ab adsentatoribus adfcito. Nisi fortè eâ ex caussâ, quòd l. 2. Machab. c. 3. Idem prædicetur ex proventibus suis, (Iudææ fort. vectigalibus) omneis sumtus suppeditâsse, qui ad Sacrorum in Templo Hierosolymitano ministeria pertinerent.)

3768. Seleuci Philop. 2. Ptol. Epiph. 18.	*Iam Consularium comitiorum adpetebat tempus, quibus quia M. ÆMYLIVS, cuius sortis ea cura erat, occurrere non potuit; C. FLAMINIVS Romam venit. Ab eo creati Coss. SP. (al. Sex.) POSTHVMIVS ALBINVS, Q. MARTIVS PHILIPPVS.*	182.

Extremo anni, Cn. MANLIVS Volso de Gallis, qui Asiam incolunt, triumphavit; seriùs quidem, ne Q. TERENTIO CVLLEONE præt. caussam lege Petiliâ de peculatu diceret: & incendio alieni iudicij, quo L. SCIPIO damnatus erat, conflagraret. eò infensioribus in se, quàm in illum, iudicibus; quòd disciplinam militarem, severè ab eo conservatam, successor ipse omni genere licentiæ corruperat.

Luxuriæ enim peregrinæ origo ab exercitu Asiatico invecta in urbem est, & in veste, & in supellectili; in convivijs, eorumque oblectamentis.

Per idem tempus nuntiatum, & ex litteris cognitum est; Celtiberos Lusitanosque in armis esse; & sociorum agros populari. quâ de re consultatio integra ad novos magistratus reiecta est.

BACCHANALIVM ROMÆ, ET in Italiâ fœditas, detecta & punita.

Insequens annus utrumque Consulem ab exercitu, bellorumque ac provinciarum curâ, ab intestinæ corruptelæ, an coniurationis! vindictam avertit. & ambobus eâ de re quæstio decreta est.

Quùm totâ Etruriâ, ac magnâ parte Italiæ, ac Romæ, in luco SIMILÆ, Bacchanalibus, in sacro no-

cturno, specie religionis, infandæ libidines, cædes ac veoeticia perpetrarentur: iamque suprà VII. virorum ac feminarum Millia coniurassent; res tamen clàm erat quòd qui sacris initiabantur, diris horrendis sese devovebant, siquid eliminâssent.

Taodem HISPALA FECENNIA libertina, EBVTII adolescentis amore percita, quùm videret & doleret eum à matre DVRONIA, & T. SEMPRONIO RVTILO, vitrico, compelli, ut ijs sacris initiaretur; perniciem impendentem ex eorum sacrorum contagione patefecit.

EBVTIVS ità edoctus, & renuens Bacchis initiari, à matre & vitrico domo exactus, ad EBVTIAM amitã se recipit; caussamque, cur eiectus esset, exposuit. Deinde ex auctoritate eius ad Cos. POSTHVMIVM, remotis arbitris, rem detulit.

Is magnâ prudentiâ ac vigilantiâ rem eò adducit, ut totam impurissimæ ac maleficæ superstitionis scenam detegeret, & everteret. Multi ultimo supplicio adfecti: mulieres à cognatis intrà domos punitæ. Conquisita, & exterminata totâ Italiâ ea sacra.

IMPROSPFRA COS. IN LIGVRIBVS PVGNA.

Perfectis quæstionibus, prior Q. MARCIVS in Ligures Apuanos profectus est. & dum penitùs in abditos saltus persequitur, in præoccupatis angustijs, loco iniquo, est circumventus. IV. militum Mill. amissa, cum signis aliquot & vexillis, quæ in potestatem hostium venéruot. arma multa à fugientibus passim iactata. Nec priùs sequendi finem Ligures, quàm fugæ Romani fecérunt.

Consul ubi primùm ex hostium agro evasit; ne quantùm copiæ diminutæ forent, apparéret; in locis pacatis exercitum dimisit.

Non tamen oblitterare famam rei malè gestæ potuit, quin SALTVS, undè Ligures eum fugaverant, MARCIVS in posterum fit appellatus.

RES VARIO MARTE IN HISPANIIS GESTÆ.

Sub hunc nuntium ex Ligustinis vulgatum, literæ ex Hispaniâ mistam gaudio tristitiam adtulérunt. C. CATINIVS, qui biennio antè prætor in eam provinciam profectus erat, cum Lusitanis, in agro Astensi, pugnâ congressos, ad VI. hostium Millia cecidit, cæteri fusi castrisque exuti.

Ad opidum deinde Astam oppugnandum legiones ducit; neque multò maiore certamine cepit.

Sed dum incautiùs subit muros, ictus ex vulnere pòst dies paucos moritur. Maturè in provinciam eamdem proficisci iussus est C. CALPVRNIVS præt.

Et in citeriore Hispaniâ, L. MANLIVS ACIDINVS, qui eodem tempore, quo CATINIVS, in provinciam ierat; cum Celtiberis acie conflixit, incertâ victoriâ; nisi quod Celtiberi castra iodè nocte movérunt: Romanis & sepeliendi suos, & spolia legendi ex hostibus, potestas facta est.

Paullo-pòst, coacto maiore exercitu, Celtiberi, ad Calagurrim opidum, ultrò lacessivérunt prœlio Romanos. Superati iterum sunt; ad XII. hominum Millia cæsa, plus duo capta. Et castris Romanus potitus. & nisi successor adventu suo victoris impetum inhibuisset, subacti Celtiberi forent.

Novi prætores, L. QVINCTIVS CRISPINVS, & C. CALPVRNIVS PISO, ambos exercitus in hiberna deduxéruot.

Eodem anno Galli Transalpini transgressi in Venetiam, sine populatione aut bello, non procul indè, ubi nunc Aquileia est, locum opido condendo cepérunt. Legatis ab Româ eâ de re trans Alpeis missis, responsum; *Neque profectos ex auctoritate gentis; nec quid in Italiâ facerent, se scire.*

3769. 3. Seleuci Philop. 19. Ptol. Epiph.		181.

Quùm iam in exitu aonus esset, Q. MARCIVS absens magistratu abiturus erat. Sp. POSTHVMIVS quæstionibus, de quibus dixi, summâ cum fide curâque perfectis, comitia habuit. Creati sunt Consules, Ap. CLAVDIVS PVLCER, & M. SEMPRONIVS TVDITANVS.

NOVA BELLI CVM PHILIPPO origo, ex querelis Græcorum.

PHILIPPVS Macedo, quamdiu Romani cum Ætolis & ANTIOCHO pugnabant, utrisque infensus, & spe participandæ prædæ, fidum in Romaoos animum, an vultum! ope sedulò ferendâ, induerat.

Inter ipsum, & M. ACILIVM Cos. antè sexennium ex fœdere sociali convenerat; *Vt ipsi cederet, quidquid suis copijs, Ætolis eripuisset*. Ità Thessalorum & Perrhæborum urbeis ab Ætolis occupatas PHILIPPVS iure belli sibi vindicavit. Athamaniam totam AMINANDRO, Ætolorumque Antiochique socio, eripuerat; & biennio post amiserat. Quando autem reciperârit, non liquet.

Vt ut sit; non Athamanes tantum, sed & Thessali & Perrhæbi; tum Æni & Maronææ incolæ; item alij, *libertate Graciæ à Romanis datâ frui*, ius fasque arbitrabantur.

Et ij omnes, unà cum EVMENE rege, (qui finitimæ Thraciæ opida à Macedone capta; & magnam Thracum multitudinem, gentis propagandæ caussâ in Macedoniam introductam doleret) querelas Romam de iniurijs detulerant; neque eas negligi satis apparebat.

Venerant & ab ipso PHILIPPO legati ad ea purganda: *qui nihil nisi permissu Impp. Romanorum à rege factum* adfirmareot.

Civitates, quæ de eo expostularent, in *eâdem cum Ætolis caussâ fuisse*. ANTIOCHO rege pulso, & occupato oppugnandis Ætolorum urbibus Consule, PHILIPPVM, ad recipiendas eas civitates, quæ

cum Ætolis sentirent, missum ab eo fuisse: & iustis armis subactos sibi parére.

Senatus, ne quid absente rege statueret, legatos ad eas controversias disceptandas in Græciam misit. Quorum sub adventum, ad Thessalica Tempe, omnibus ijs civitatibus, quibus cum rege disceptatio erat, concilium indictum est.

Græci insolenter atque immodicè indulgentiâ pop. Romani abutebantur. & in primis Thessali, velut ex diutinâ siti, nimis avidè meram haurientes libertatem; ità servorum modo, præter spem repentè manumissorum, licentiam vocis & linguæ experiri, seseque iactare videbantur, insectatione & convicijs dominorum. Atque ità procaciùs regem præsentem, tamquam ad audienda crimina reum, ipsi, haud dubij accusatores, incessebant.

PHILIPPI PVRGATIO.

Philippvs tamen, ut accusatoris potiùs, quàm rei speciem haberet, & ipse à querelis orsus: *Multa sibi à Thessalis, Perrhabisq́, per vim adempta. Civitates*, quarum possessio in præsenti controvertitur, *sibi ab Acilio Cos. & Romanis datas esse*, quùm hostium tunc essent.

Si suum munus, qui dedissent, adimere velint; scire se cedendum esse. Sed meliori & fideliori amico, in gratiam levium & inutilium sociorum, qui malè utendo libertatem corrupturi sint, iniuriam eos esse facturos.

Et quòd idem rex impatientiùs ferret, se in ordinem cogi; elatus tàdem ità adiecit, *Nondum omnium dierum Solem occidisse*. Quod minaciter dictum, non modò Thessali in sese, sed etiam Romani acceperunt.

Causâ cognitâ, pronuntiavérunt legati; *Placere deduci præsidia Macedonum ex ijs urbibus, de quibus erat disceptatum: & antiquis Macedoniæ terminis regnum finiri*. De iniurijs, quas ultrò citròque illatas querantur, quo modo inter eas genteis & Macedonas disceptetur, formulam iuris exsequendi constituendam esse.

Indè graviter offenso rege, Thessalonicen, ad cognoscendum de Thraciæ urbibus proficiscuntur.

Acriter ibi, pro Æni & Maroneæ seu possessione, seu libertate, Legatis Evmenis cum Philippo altercantibus, & merita utriusque regis, in Romanos, exaggerantibus; quùm hinc Evmenes habere se, pro suâ causâ, x. Legatorum, qui antè biennium ab Româ missi in Græciam fuerant, præiudicium diceret; illos, quùm Chersonesum Lysimachiamque ipsi dederint, Maronéam quoque & Ænum dedisse, quæ ipsa propinquitate regionis, velut appendices maioris muneris, essent.

Indè Philippvs, decretum illud x. legatorum, calumniæ impudentissimæ ab Evmene prætendi, quo maximè & refelli & coargui posset. In eo planissimè scriptum; *Chersonesum & Lysimachiam Eumeni dari: neq́, Ænus & Maronéa, aut Thraciæ civitates adscripta.*

His auditis, Romanorum legati, quos regis oratio aliquantùm moverat, medio responso rem suspendérunt.

Si priore X. Legatorum decreto Evmeni *data ea civitates essent; nihil se mutare. Si* Philippvs *bello cepisset; eas præmium victoriæ iure belli habiturum. Si neutrum eorum foret; placere cognitionem Senatui reservari. Et ut omnia in integro manerent; præsidia, quæ in ijs urbibus sint, deduci.*

Hæ caussæ maximè animum Philippi ab Romanis alienârunt; ut non à Perseo, filio eius, novis caussis posteà motû; sed ob easdem, à Patre, bellum relictum filio videri possit.

L. Manlivs proconsul ex Hispaniâ reversus, triumphum postulabat. Sed quòd neque exercitum eò deportâsset; neque perdomitam pacatamq; provinciam successori tràdidisset; medius illi honos habitus est, ut ovans urbem iniret.

Quùm magnus motus servilis in Apuliâ exstitisset; L. Posthvmivs, qui Tarentum provinciam prætor habebat, de pastorum coniuratione, qui vias latrocinijs, pascuaq; publica infesta habebant, quæstionem severè exercuit. ad vii. hominum Mill. condemnavit.

Et Consules diu retenti ad urbem delectibus, tandem in provincias profecti sunt.

PRÆTORES IN HISPANIIS VICTI, VICISSIM VINCVNT.

Eodem anno in Hispaniâ prætores, C. Calpvrnivs & L. Qvinctivs, ex hibernis in Carpetaniam, ubi hostium castra erant, progressi sunt, communi animo consilioque rem gerere parati.

Haud procul Hippone & Toleto urbibus, dum utrimque è castris subvenitur pabulatoribus, inter quos pugna erat orta; omnes paullatim copiæ in aciem eductæ sunt.

In eo tumultuario certamine, ubi & loca sua, & genus pugnæ, pro hoste fuére; duo exercitus Romani fusi, atque in castra compulsi sunt. Prætores, ne postero die castra sua oppugnarentur, noctè silenti, & tacito signo exercitum abduxérunt.

Luce primâ Hispani acie instructâ ad vallum accessérunt; vacuaque præter spem castra ingressi, paucos dies quietis stativis mansérunt. Romanorum sociorumque, in prœlio fugâque, ad v. Millia occisa, quorum se spolijs hostes armârunt. Indè ad Tagum amnem profecti.

Prætt. Romani, ubi satis ex socijs Hispanorum civitatibus auxilij contraxére; & iam miles quoque, ad delendam priorem ignominiam, hostem ultrò poscebat; Tagum traijciunt, cunctantibus & quietis Hispanis; qui ad xxxv. M. hominum coacti, facilè vadi traiectionem impedire potuissent.

Pugnatum summâ animorum contentione; prætoribus hinc atque indè, cum equitatu, in latera peditum incurrentibus; & torrentis modo percullos sternentibus.

Fugienteis eos in castra equites persecuti sunt; & permisti turmæ hostium intrà vallum penetravérunt. Adsuentibus legionum copijs, cæduntur passim, & per tota castra, Hispani. nec plus quàm iix. hominum Mill. effugérunt. Ex Romanis & socijs, vix dccc. desiderati.

LIGV-

LIGVRES VINCVNTVR A COSS.

Ipsi quoque Coss. in Ligures exercitum eduxérunt. Et SEMPRONIVS quidem à Pisis profectus, in Apuanos Ligures, evastatis agris & adustis vicis, saltum aperuit ad fluv. usque Macram, & Lunæ portum. & superatâ locorum iniquitate, ex monte, quem ceperant, prœlio hosteis deiecit.

Ap. verò CLAVDIVS, in Liguribus Ingaunis secunda etiam prælia fecit. VI eorum.opida expugnavit: multa Millia hominum ex ijs cepit; belli auctoribus securi percussis.

3770. Seleuci Philop. 4. Ptol. Epiph. 20. | 180.

Iam comitiorum adpetebat tempus. Prior ex Consulibus CLAVDIVS Romam venit, (licet SEMPRONIO fors comitia habendi obtigisset.) Vt P. CLAVDIO fratri consulatum ambiret. quem effuso præter decorum studio, & toto foro circumcursando, extorsit potius, quàm impetravit.

Creati itaque Consules P. CLAVDIVS PVLCER, præter spem suam & cæterorum; & L. PORCIVS LICINIVS.

ALTERA





ALTERA PARS TOMI II.

HISTORIÆ VNIVERSÆ, SACRÆ ET PROFANÆ.

AVCTORE ANDREA HOIO BRVGENSE,

RES IVDÆORVM, HELIODORI IBIDEM MOLITIONES.

EA quâ dictum est, tempestate, sancta Hierosolymorum ciuitas, altâ pace vigebat; & fartus tectus Legibus auitis honor habebatur. ONIAS III. SIMONIS II. Filius, summâ cum pietate, & iustissimo scelerum rerumque malarum odio, Ecclesiam, & remp. Hebræam moderabatur.

Quarum rerum secundâ famâ exciti reges, & Principes pler.que, locum eum eximio honore dignabantur; & Templum maximis muneribus illustrabant. Adeò ut SELEVCVS ipse, Asiæ rex, ANTIOCHI M. Filius, (qui anno regni Græcorum, siue Seleucidarum, CXXVI. Patri in regnum Syriæ suffectus erat) ex prouentibus suis sumtus omneis, qui ad quotidiana sacrorum, in Templo Hierosolymitano, ministeria pertinerent, liberaliter suppeditaret.

SIMON autem Beniamita, Templi præpositus, res nouare, & quidem singulari cum iniquitate, in ciuitate contendebat; quantumuis summâ illi ope princeps sacerdotum, ONIAS, obsisteret.

Cuius quùm animum ille nullis artibus euincere, aut inflectere posset; ad APOLLONIVM, THRASEÆ F. eo tempore Cœles-syriæ & Phœniciæ militarem præfectum, se contulit. Et docuit; Ærarium Hierosolymis innumerabili pecuniarum aliarumq; rerum copiâ esse refertum. Quæ quùm Templi Liturgiæ, & quotidianæ sacrificiorum rationi, necessaria non sint; posse omnia in regis Gazophylacium verti, & inferri.

APOLLONIVS id regi SELEVCO renuntiat. Rex HELIODORVM, negotiorum suorum actorem, cum mandatis mittit, ut pecuniam eam ad se transportandam curet.

HELIODORVS, simulato per ciuitates suarum prouinciarum itinere, Hierosolymam venit, benignè à Pontifice acceptus.

At Pontifex, postquàm regia mandata audiuit, HELIODORVM monet; pecunias, quæ in Templo adseruentur, non esse ex vectigalibus collectas, quemadmodum SIMON erat ementitus; sed esse deposita, viduarum pupillorumque alimentis destinata. Eaque non ingentia; puta CD. admodùm argenti talenta, & auri CC.

Eam esse, & Templi, & Depositorum religionem; ut etiam apud Barbaros, inuiolata sit, & in veneratione passim habeatur.

HELIODORVS, & metu regis, & auri potiundi cupidine, occæcatus, pia ONIÆ monita respuebat.

Quùm iam omnes Templo metuentes, sollicitèq; anxij essent; & summa cuiusuis generis hominum per urbem trepidatio; & publica ad Aram Templi supplicatio; HELIODORVS nihil iam miserabili ciuitatis facie commotus, quod animo informatum erat facinus, unà cum satellitibus, perficere adgreditur.

Sed repentina diuini numinis vis ità perculit omneis eos, qui manus admouere ausi fuerant; ut unà cû duce HELIODORO, subito pauore cõsternati, humi adfligerentur: & equi adparentis conspectum, sessorisque, aureis armis præfulgentis, non ferrent.

Neque tantum equi inuehentis impetu, HELIODORO priores calces elidarentur; sed à duobus adolescentulis, virtute eximiâ gloriâque decoris, qui illum circumstare & utrimque flagellare visi; multis plagis cõtinenter verberaretur; & pro mortuo domum exportaretur.

Mox tamen pijs ONIÆ ad Deum altissimum precibus, sanitati restitutus; & Deum Iudæorum impietatis & scelerum vindicem, vitæque restitutorem, agnoscere ac prædicare ab ijsdem iuuenibus, eâdem veste amictis, iussus; gratijs ONIÆ actis, hostijsque litatis, ad SELEVCVM redijt; *Templi sanctimoniam, & Dei præsidis potentiam palàm contestatus.*

Quùm vero à malitiâ & furore non desisteret SIMON; & HELIODORVM ab ipso Oniâ, ad ea perpetranda, quæ designârat, instigatum fuisse impiè blateraret: & virum, patriæ defendendæ deuotum, ceu regni insidiatorem, traduceret:

Et iam prouectis in immensum inimicitijs, homicidia per sicarios, Simonis necessarios, palàm ederentur.

rentur. quòd Apollonij auctoritate confirmatam proditoris insaniam invalescere; & pacem rebus dari, sine regalis curæ providentiâ, non posse, perspiceret; ipse ad SELEVCVM accessit. & ab eo, (teste Euseb.) impetravit, ut SIMON in exsilium eijceretur.

Hæc prorasis belli, & imperij Machabaïci. (Ioseph. verò l. de Machab. APOLLONIO ipsi tribuit, quæ IASON, auctor libri II. de HELIODORO narrat.)

Principio anni, quùm Q. CÆCILIVS, M. BÆBIVS, & T. SEMPRONIVS, qui ad disceptandum inter PHILIPPVM & EVMENEM reges, Thessalorúmque civitates, missi erant; legationem renuntiâssent; regum quoque eorum, civitatumque legatos in Senatum introduxérunt. Eadem utrimque iterata, quæ dicta apud legatos in Græciâ erant.

LEGATI ROMANI GRÆCIÆ CIVITATES IVGO MACEDONICO liberant.

Aliam deinde legationem novam Patres, cuius Princeps Ap. CLAVDIVS fuit, in Macedoniam & in Græciam decrevérunt; ad visendum, Redditæne civitates Rhodijs, & Thessalis & Perrhæbis essent!

Iisdem mandatum, ut ab Æno & Maronéa præsidia deducerentur; maritimaque omnis Thraciæ ora à PHILIPPO & Macedonibus liberaretur.

Peloponnesum quoque adire iussi, ubi legatis prioribus, petentibus, negatum fuerat Achæorum concilium. Quâ de re querente graviter Q. CÆCILIO: simul deplorantibus Lacedæmonijs, *Diruta urbis sua mœnia: plebem in Achaiam abductam & venumdatam; ademtas*, quibus ad eam diem civitas stetisset, *Lycurgi leges*.

Achæi maximè, negati concilij crimen excusabant; recitatâ lege; *Que, nisi belli pacisve caussâ; & quùm legati ab Senatu, cũ litteris. aut scriptis mandatis, venirent; vetaret indici concilium*.

Ea ne posteà excusatio esset; ostendit Senatus curæ ijs esse debere, ut Romanis legatis semper adeundi concilium gentis, potestas fieret; quemadmodum & illis, quoties vellent, Romæ Senatus daretur.

PHILIPPI OFFENSA, ET VLTIO IN MARONITAS.

PHILIPPVS à suis certior factus, cedendum civitatibus, deducendaque præsidia esse; infensus omnibus, in Maronitas iram effundit. ONOMASTO, qui præerat maritimæ oræ, mandat; ut partis adversæ Principes interficeret.

Ille per CASSANDRVM quendam; unum ex regijs, iamdin habitantem Maronéæ, Thracibus de nocte intromissis, velut in bello captâ urbe, cædem fecit.

Ægerrimè id ferentibus Romanis, & de tam crudeli facto querentibus Maronitis; PHILIPPVS abnuebat quidquam eorum ad se, aut quemquam suorum pertinere. seditione inter ipsos dimicatum, quùm alij ad se; alij ad EVMENEM, civitatem traherent.

APPIVS, si rex culpam à se removere vellet, ONOMASTVM & CASSANDRVM, per quos res acta diceretur, mittere Romam iubebat; ut eos Senatus percunctari posset.

Rex ONOMASTO quidem, ut honoratiori amico, parcitum volebat; sed & indicem eum haud paullo plus timebat; multorum talium ministrum & conscium.

CASSANDER quoque, missis qui per Epirum ad mare eum prosequerentur; nequâ indicium emanaret, veneno creditur sublatus.

Quùm Legati à PHILIPPI colloquio ità digressi essent, ut præ se ferrent nihil eorum sibi placere; tum PHILIPPVS, minimè quin rebellandum esset, dubius, quia tamen immaturæ ad id vires erant, ad moram interponendam DEMETRIVM, minorem filium, mittere Romam, simul ad purganda crimina; simul ad deprecandam iram Senatûs, statuit. satis credens ipsum etiam iuvenem, quòd Romæ antè obses specimen regiæ indolis dedisset, aliquid momenti facturum.

Interim, per speciem auxilij Byzantijs ferendi; re ipsâ ad terrorem regulis Thraecum inijciendum, profectus; perculsis ijs uno prælio, & AMADOCO duce capto, in Macedoniam redijt: missis ad accolas Istri fl. barbaros, ut in Italiam irrumperent, solicitandos.

LYCORTÆ FACINORA.

Antequàm Romm. legati ex Macedoniâ in Achaiam & Peloponnesum venirent; LYCORTAS: tum Achæorum prætor, indicto gentis concilio, AREVM & ALCIBIADEM, Lacedæmonios, olim à NABIDE in exsilium pulsos; & dein ab Achæis patriæ restitutos; ob legationem susceptam, & querelas de se Romam perlatas, prævaricationis ac perduellionis insimulatos, etiam capite damnat.

Legatis, qui paucos pòst dies venerant, Clitore, in Arcadiâ, concilium datum est. Venerant cum legatis AREVS & ALCIBIADES; terroremque Achæis iniecerant.

APPIVS ea quæ apud Senatum questi erant Lacedæmonij, displicere Senatui ostendit. *Cædem earum, qui à PHILOPOEMONE ad caussam dicendam evocati venissent; muros urbis nobilissimæ dirutos; leges vetustissimas, cum inclytâ per gentes Lycurgi disciplinâ, abrogatas.*

LYCORTAS, magnificâ quidem oratione usus est; sed viribus impar, CLAVDIO & Senatûs mandatis cedere; & damnationem, quæ nuper in AREVM & ALCIBIADEM facta erat, tollere cogitur.

(Principio eius anni. Consulibus, Ligures, (quia bellum nusquam alibi erat) decreti. Et iisdem binæ legiones, quas Ap. CLAVDIVS & M. SEMPRONIVS habuerant, attributæ.)

CATONIS

CATONIS CENSORII LAVS.

L. Valerius Flaccus, & M. Porcius Cato, qui ante decennium simul Consulatum gesserant; hoc quoque anno simul censurâ funguntur. Cato omneis patricios, plebeiusque nobilissimarum familiarum, qui tum competitores erant, ipse homo novus, nec claris parentibus ortus, vi animi ingeniique dexteritate, anteire, iudicatus est.

Nulla ars neque privatę, neque publicæ rei gerendæ ei defuit. Versatile ingenium sic pariter ad omnia fuit, ut natum ad id unum diceres, quodcumque ageret. *Summus bello imperator, iure-peritissimus, orator eloquentissimus.*

Hunc, sicut omni vitâ, ita tum petentem premebat nobilitas, & novum hominem censorem videre indignabantur. à quo ab plerisque læso, & lædendi cupido, tristem censuram, multorumque famæ periculosam, exspectarent.

RES IN HISPANIIS.

In Hispaniâ ulteriore, fractis proximo bello Lusitanis, quietæ res fuerunt. In citeriore, A. Terentius Varro, in Suessetanis, opidum Corbionem vineis & operibus expugnavit; & captivos vendidit. Veteres Prætores C. Calpurnius Piso, & L. Quinctius, ex eâ provinciâ Romam rediérunt. Vtrique magno patrum consensu triumphus est decretus.

CENSORIÆ SEVERITATIS EXEMPLVM.

Censores, quos dixi, inter cæteros, quos è Senatu eiecérunt, hâc de caussâ L. Quinctium Flamininum, Titi fratrem, & septem antè annis Consulem, Senatorio loco movérunt.

Ille ut Philippo Pœno, caro ac nobili scorto, rem gratâ faceret; & gladiatorij spectaculi specimē, quod ab amatore postulabatur, oculis obijceret; nobilem Boium, cum liberis ad se acceptâ fide transfugam, ad nutum scorti, stricto gladio percussisse; deinde fugienti, fidemque populi Romani, atque eorum qui aderant, implotanti, latus transfodisse ferebatur. (Valer. Antias, aliter tradidit: Placentiæ famosam mulierem, cuius amore deperiret, quùm esset Consul in Galliâ, in convivium arcessitam.

Illeâ scorto exoratus est; (sic Cicero, Catone) ut securi feriret aliquem eorum, qui in vinculis essent, damnati rei capitalis.)

Hic Tito, fratre suo, Censore, qui proximus ànte Catonem fuerat, elapsus erat. Catoni verò & Flacco neutiquam probari potuit tam flagitiosa, tamque perdita libido, quæ cum probro privato coniungeret imperij dedecus.

Facinus sævum atque atrox, inter pocula & epulas, ubi libare Dijs dapes; ubi bene precari mos esset; *ad spectaculum scorti procacis*, in sinu Cos. recubantis, *mactatam humanam victimam esse: & cruore mensam respersam; & Consulem, vino & Venere amentem, sanguine hominis in convivio lusisse.*

3771. 5. Sel. Philop. 21. Pt. Epip. — 179.

Consules eius anni, qui nec domi, nec militiæ memorabile quidquam egerant, in insequentem annum creárunt Coss. M. Claudium Marcellum, & Q. Fabium Labeonem.

Qui Idibus Martijs consulatum iniérunt. Iisque Ligures, cum ijsdem exercitibus, quos priores Coss. habuerant, provincia decreta.

PLAVTVS COMICVS.

(M. Accius Plautus, à planitie pedum dictus, patria Sarsinâs, quod Vmbriæ opidum est; xv. post inchoatum bellum Punicum secundum, anno, Romam advectus, M. Cethego & P. Tuditano Coss. comicarum facetiarum urbanitate plurimum famæ sibi comparavit. ac xx. pòst annis mortuus, P. Claudio & L. Porcio Coss. Catone Censore; annis xv. ante Ennium.)

Hispaniæ, extra sortem, prioris anni Prætoribus cum suis exercitibus servatæ.

GALLI OPIDVM CONDVNT IN VENETIS.

L. Iulio Prætori Gallia evenerat; & is proficisci maturè est iussus. Galli namque Transalpini (ut suprà attigimus) per saltus ignotę anteà vię, in Italiam transgressi, opidum in agro, qui nunc Aquileiensis est, ædificabant. Id eos ut prohiberet, quoad eius sine bello posset, ei mandatum. Si armis prohibendi essent, Coss. certiores faceret. ex his placere alterum adversus Gallos ducere legiones.

NOVÆ DE PHILIPPO QVERELÆ.

Multorum tum Græcorum, tum Macedoniæ accolarum, & in primis Eumenes, cum fratre eius Attalo, legationes, in Senatu de Philippi iniurijs conquestum venerant.

Attalus quidem, simul *quod non deducerentur ex Thraciâ præsidia; simul, quòd in Bithyniam,* Prusiæ, *bellum adversus* EVMENEM *gerenti, auxilia missa forent.*

Alij verò; *De controversiâ finium, de hominibus raptis, pecoribusque abactis; de rebus per vim aut per gratiam iudicatis.*

DISCEPTATIO INTER DEMETRIVM PHILIPPI F. ET LEGATOS.

Quùm itaque disceptatio inter DEMETRIVM, PHILIPPI F. quem pater ad satisfaciendum senatui miserat, & legatos civitatum esset; turbâ querelarum confusus adolescens repentè obticuit. & commentarium tantùm, quem his de rebus à patre accepisset; & quo de singulis responsa in breve coacta, comprehensa essent; recitare iussus est.

Cæterùm alia excusanti iuveni; alia recipienti futura ita, ut maximè vellet Senatus; caussa quasi donata est. Ita ut *modestiâ suâ DEMETRIVS patri veniam, non iure defensionis, sed patrocinio pudoris, obtinuisse iudicaretur.*

Senatus respondit: *Obsidem se DEMETRII animum habere, & si patri corpus reddiderit.* Et scire, quantum *salvâ in patrem pietate posset*, amicum eum populo Romano esse.

Velle etiam sentire PHILIPPVM, (quod etiam decreto publico significaretur) *integra omnia sibi cum Romanis, DEMETRII F. beneficio, esse.*

Hæc quæ augendæ in DEMETRIO amplitudinis caussâ facta erant; extemplò in odium obtrectationis; mòx etiam in perniciem adolescenti verterunt.

Lacedæmonijs in Senatu auditis; placuit; *restitui eos quos Achæi damnaverant; iudiciaq; facta tolli. Et Lacedæmonios manere in concilio Achaico*: non secretum, ut antè fuerat, eius unius in Peloponneso civitatis ius esse. Quod decretum ita scriptum à Lacedæmonijs, & Achæis consignaretur.

Legatus in Macedoniam Q. MARTIVS missus est; iussus idem in Peloponneso res sociorum adspicere. ubi & ex veteribus discordijs residui motus erant; & Messenij à Concilio Achaico desciverant.

PHILOPOEMONIS EXITVS.

Atque hinc exorto inter eos bello, PHILOPOEMEN Achæorum dux ad Coronen, quam hostes petebant, præoccupandam profectus, & bello superior, in valle iniquâ, cum equitibus paucis oppressus prolapso equo capitur. Iacentem hostes supersusi opprimunt: & captum Messenen perducunt. seu metu virtutis, seu verecundiâ dignitatis, & meritorum memoriâ interficere non ausi.

Ad spectaculum tanti viri tota civitas effunditur. At magistratus principesque, veriti ne quem motum misericordia septuagenarij, & morbo attenuati ducis faceret; quùm alios verecundia pristinæ maiestatis, collata præsenti fortunæ; alios recordatio ingentium meritorum & liberatæ Græciæ, motura esset; raptim ex theatro & oculis hominum abstraxerunt; & in thesaurum publicum, sub terrâ saxo quadrato septum, demiserunt: & saxum ingens quo operitur, machinâ superimposuérunt.

Quùm postero die multitudo integra, ob pristina eius in civitatem merita, parcendum; ac per eum remedia quærenda esse præsentium malorum, (pacem redimendam, & placandos Achæorum animos) censerent; defectionis auctores, quorum in manu respub. erat, ad necem eius consentientes, venenum in carcere propinárunt.

Accepto poculo, nihil aliud locutum ferunt; quàm quæsisse; si incolumis LYCORTAS, equitésque ex angustijs evasissent. Posteaquam dictum est, salvos esse; *Bene habet*, inquit, & poculo impavidè exhausto, haud ita multo-pòst exspiravit.

Nec diuturnum mortis eius gaudium, auctoribus crudelitatis, fuit. Victâ namque Messene bello, exposcentibus Achæis noxios dedit. ossaque reddita PHILOPOEMENIS sunt: & sepultus ab universo Achaico est concilio, adeò omnibus humanis congestis honoribus, ut ne divinis quidem abstineretur. cum quo pristina Græciæ libertas & gloria perijsse censeretur.

ANNIBALIS EXTREMA, ET EXITVS.

Ad PRVSIAM regem legatus T. QVINCTIVS FLAMININVS venit; quem suspectum Romanis, & receptus, post fugam ANTIOCHI, ANNIBAL, & bellum adversus EVMENAM motum faciebat.

ANNIBAL namque, quùm ab ANTIOCHO Romani, inter cęteras pacis conditiones, deditionem eius depoposcissent; admonente rege, in fugam versus, & Cretam delatus est.

Ibi quùm diu quietam vitam egisset; invidiosumque se propter nimias opes videret; amphoras plumbo repletas in Templo DIANÆ, quasi fortunæ suæ præsidia, deponit. Atque ideo nihil de illo sollicitâ civitate, quoniam, velut pignus, opes eius tenebat; ad PRVSIAM contendit, auro suo in statuis, quas secum portabat, infuso.

Deìn quùm PRVSIAS terrestri bello ab EVMENE victus esset, & prœlium in mare transtulisset; ANNIBAL novo commento auctor victoriæ fuit. quippe omne serpentium genus in fictileis lagenas conijci iussit; medioque prœlio in hostium naves immittit.

Vbi serpentibus repleri naves cœpére; ancipiti periculo circumventi Pontici; victoriam hosti cessére.

Missus itaque QVINCTIVS, qui utrumque regem in pacem cogeret, ANNIBALEMQVE deposceret. Ibi, seu quia à FLAMININO in cęteris obiectû erat PRVSIÆ; hominem omnium, qui viverent, infensissimum pop. Rom. apud eum esse; seu quia ipse PRVSIAS, ut gratificaretur legato præsenti, Romanisque, per se necandi, aut tradendi eius in potestatem, cōsilium cepit. à primo colloquio FLAMININI milites confestim ad domum ANNIBALIS custodiendam missi sunt: & totius circuitum domûs ita custodijs complexi, ut nemo inde elabi posset.

ANNIBAL posteaquam omnia circa clausa, custodijs regiorum militum dispositis, sensit; venenum, quod multo-antè præparatum ad taleis habebat casus, poposcit.

Liberemus, inquit, *diuturnâ curâ pop. Rem. quando mortem senis, septuagenarij, exspectare longum censent.* Nec magnam, aut memorabilem ex inermi proditoque FLAMININVS victoriam feret.

Neque

Neque iniuriâ certè in populum Romanum, qui mores immanè mutâsset, invectus addidit: *Quorum patres PYRRHO regi, hosti armato & exercitum in Italiâ habenti, ut à veneno caveret, praedixerint; hos nunc legatum Consularem, qui auctor esset PRVSIAE per scelus occidendi hospitis, submisisse.*

Exsecratus deinde ille in caput, regnûque PRVSIAE; & hospitales Deos, violatae ab eo fidei testeis, invocans; poculum exhausit.

P. SCIPIONIS EXITVS.

P. SCIPIONEM AFRICANVM hoc anno mortuum tradidit Polybius. Alij ad superiorem annum referunt. quùm M. NAEVIVS Trib. plebis ab AFRICANO priùs accusatus, ipse vicissim eidem diem dixit, & peculatûs crimen adfinxit. Is verò indignans, quòd quùm bis millies in aeratium intulisset, quadragies ratio à se posceretur; urbe secessit. Neque multo-post obijt. Vide sup.

Ita idem annus, (vel spatium certè biennio brevius) insignis fuit trium, toto orbe maximorum, Imperatorum mortibus. Ex quibus nemo satis dignum splendore vitae exitum habuit: Omnes non in patrio solo mortui, nec sepulti.

Veneno absumti ANNIBAL & PHILOPOEMEN. ANNIBAL exsul proditus ab hospite: PHILOPOEMEN captus, in carcere, & in vinculis exspiravit. SCIPIO, etsi non exsul, neque damnatus; die tamen dictâ, ad quam non adfuerat, reus absens citatus, voluntarium, non sibi-ipsi solùm, sed etiam funeri suo, exilium indixit.

DEMETRII REDITVS PATRI INGRATVS.

Reditus in Macedoniam DEMETRII, legatorumque, aliter aliorum adfecerat animos. Vulgus Macedonum, quos belli ab Romanis imminentis metus terruerat; DEMETRIVM, ut pacis auctorem cum ingenti favore suspiciebant. simul & spe haud dubiâ regnum ei post mortem patris destinabant. Nam etsi minor aetate, quàm PERSEVS esset; hunc tamen iustâ matre-familias; illum pellice ortum. Ad hoc, Romanos DEMETRIVM in paterno solio locaturos; PERSEI nullam apud eos gratiam esse.

Et PERSEVM ea cura angebat; ne parum pro se una aetas valeret, quùm omnibus alijs rebus frater superior esset.

Et PHILIPPVS ipse, vix sui arbitrij fore, quem heredem regni relinqueret; credens, sibi quoque graviorem fore, quàm vellet, minorem filium censebat. Offendebatur interdum concursu Macedonum ad eum; & alteram iam se vivo regiam esse indignabatur. Et certè Iuvenis inflatior redierat, subnixus erga se iudicijs Senatûs; concessisque sibi, quae patri negata essent.

Atque adeò omnis Romanorum mentio, quantam dignitatem ei apud caeteros Macedonas; tantam invidiam, non apud fratrem modò, sed etiam apud patrem, conciliabat. utique posteaquam alij legati ab Româ cum novis mandatis venêrunt, cum quibus frequentiorem filium, quam secum cerneret. Obedienter tamen adversus Romanos sex faciebat; ne quam movendi exemplò belli caussam praeberet.

Atque ut à talium consiliorum suspicione animos averteret; mediam in Thraciam, in Odrysas, Dentheletas & Bessos, exercitum dux t.

Philippopolim urbem ab oppidanis desertam cepit, & praesidium imposuit; quod paullo pòst ab Odrysis expulsum est. & campestreis barbaros, vastatis eorum agris, in deditionem accepit. In Deuriopo, Paeonum regione iuxta Erigonum fluv. novam urbem condere instituit; & Perseida, ut is filio maiori haberetur honos, appellari iussit.

GALLI EX AGRO VENETO, ITALIAQVE DECEDVNT.

MARCELLVS Cos. in provinciam profecturus, nuntium praemiserat ad L. PORCIVM Proconsulem, ut ad novum Gallorum in Venetis oppidum legiones admoveret. Advenienti Consuli Galli se dedunt. erant XII. armatorum millia. plerique arma ex agris rapta habebant. ea aegrè patientibus ademta: quaeque alia aut populantes agros rapuerant, aut secum attulerant. His de rebus qui quererentur, legatos Romam misêrunt, oratum: *Ne in se innoxios deditos, acerbius quàm in hosteis, saeviretur.*

Responsum; *Neque illos recte fecisse, quùm in Italiam venerint; oppidumq. in alieno agro, sine Romani magistratûs permissu, aedificare conati sint. Neque Senatui placere, deditos spoliari.*

Missis itaque ad Cos. legatis, Galli redditis omnibus, quae sine cuiusquam iniuriâ habebant, Italiâ excessêrunt.

Transalpini Galli moniti ab iisdem legatis; ut multitudinem suam domi deinceps continerent: neque Alpeis exsuperare permitterent; benignè responderunt. & nimiam etiam populi Romani lenitatem & indulgentiam, qui tam temerarios excursores impunitos dimisisset; castigârunt; atque adeò legatos eum donis sunt prosecuti.

BELLVM ISTRICVM: ET NOVAE COLONIAE.

M. CLAVDIVS Cos. Gallis ex provinciâ exactis, Istricum bellum moliri coepit: litteris ad Senatum missis, ut sibi in Istriam traducere legiones liceret. Placuit id Senatui, qui iam-tum de deducendâ Aquileiam colonia agitaret.

Quattuor quippe sub idem paenè tempus coloniae deductae. Vna Latina Aquileiam, in Istriâ; (quae uti maioris molis tertio demum pòst anno perfecta est) & tres civium Romanorum: Saturnia in agrum Caletranum; Mutina & Parma, in Boiorum agrum, qui antè Tuscorum fuerat.

RES IN HISPANIJS.

Eodem anno A. TERENTIVS Propr. haud procul flumine Ibero, in agro Ausetano, & prœlia secunda cum Celtiberis fecit; & opida, quæ ibi communierant, aliquot expugnavit. Vlterior Hispania eo anno in pace fuit. quia & Propr. P. SEMPRONIVS diutino morbo fuit implicitus; & nullo lacessente peropportunè quievérunt Lusitani. Nec in Liguribus memorabile quidquam à Q. FABIO Cos. gestum.

3772. 178.
6. Sel. Philop.
22. Pt. Epiph.

M. MARCELLVS ex Istriâ revocatus, exercitu dimisso, Romam comitiorum caussâ redijt. creavit Coss. CN. BÆBIVM PAMPHILVM, & L. AEMILIVM PAVLLVM. Iis Ligures decreti; & ipsi delectus habere iussi.

Q. FABIVS ex Liguriâ scripserat; *Apuanos ad rebellionem spectare*; periculumque esse, ne impetum in agrum Pisanum facerent. Et ex Hispanijs, Citeriorem in armis esse, & cum Celtiberis bellari sciebant. In Vlteriore, quia diu æger Præt. SEMPRONIVS esset, luxuriâ & otio solutam disciplinam militarem esse. & ille paullò pòst decessisse renuntiatus est.

LEGATIONES TRANSMARINÆ.

Q. MARTIO, qui ad res Græciæ Macedoniæque visendas missus erat, Romam reverso; auditæ sunt Trāsmarinorum legationes. Primùm EVMENIS & PHARNACIS regum; & Rhodiorum, de Sinopensium clade querentium. Deinde PHILIPPI, Achæorum & Lacedæmoniorum: & singulis responsa data. Asiæ regibus, & Rhodijs; legatos ad eas res visendas Senatum missurum.

PHILIPPVM fecisse, quæ Senatui placuissent, MARTIVS fatebatur; sic tamen, ut obscurum non esset, rebellaturum; eòque, facta eius & dicta omnia spectare. Thracas. Macedonibus, ex orâ maritimâ in Emathiam traductis; uti fidiores bello Romano, succenturiâsse. Negare sibi satis quidquam tutum, nisi liberos eorum, quos interfecisset, comprehensos in custodiâ haberet; & tempore alium alio tolleret.

MEMORABILE THEOXENÆ FACINVS, REGI INVIDIOSVM.

THEOXENA, HERODICI, Thessali principis, (quem rex, cum generis eius, multis antè annis occiderat) filia, pro liberis suis & sororis suæ, ARCHVS, admodum pueris, solicita; & verita regiorum, in quorum manus, navi fugiens, cum marito PORIDE Æniane, inciderat, libidinem; prolatis in medium gladijs, & poculo, in quo erat venenum; suasit ijs, ut imminens ludibrium morte effugerent. Et alijs alio leto absumtis, & semianimis è nave præcipitatis; ipsa deinde virum, comitem mortis, complexa in mare sese deiecit. Nave dominis vacuâ, regij potiti sunt. *Hæc velut novam, invidiæ regis, flammam adiecérunt*; ut vulgò ipsum, liberosque eius, exsecrarentur.

Neque irritæ diræ fuerunt: Aulâ mòx, & totâ penè Macedoniâ, in contraria fratrum studia, discissâ.

FRATRVM, PHILIPPI FILIORVM, DISCORDIA EXITIALIS.

PERSEVS, crescente in dies fratris DEMETRII apud Macedonas, pacis rectique cupienteis, favore, nullam sibi regni spem superesse, nisi in scelere, ratus; ad id unum omnes cogitationes intendit.

Patrem omni ope in Romanos accendit, & ad belli consilia impellit. & fratrem absentem quotidie criminando; & nunc amicitiam Romanorum, nunc proditionem ei patris obiectando; primò invisum, pòst etiam suspectum, reddidit.

Pater itaque illum omnium de rebus Romanis consiliorum expertem habere: & totus in PERSEA versus, cum eo cogitationes eius rei dies ac noctes agitare.

SOLENNIS LVSTRATIO EXERCITVS MACEDONICI.

Fortè lustrandi exercitûs tempus venerat, cuius solenne tale est.

Caput mediæ canis præcisæ, & prior pars ad dexteram cum extis; posterior ad lęvam viæ ponitur. (*In hoc solenni*, inquit Capell. *Satanam Dei mimum & æmulum agnoscas.*

Genes. 15. ABRAHAMVS inter victimas à se dissectas medias parteis ambulâsse traditur. Et Esa. 66. DEVS canis sacrificium in primis vetuerat.)

Inter hanc caninam, ita divisam, copiæ armatæ traducebantur. Primo agmini, arma insignia omnium, ab ultimâ origine, Macedoniæ regum præferuntur. Deinde rex ipse cum liberis sequitur. proxima est regia cohors, custodesque corporis. postremum agmen, Macedonum cætera multitudo claudit.

Latera regis duo filij cingebant; PERSEVS, tricesimum iam annum agens; DEMETRIVS, quinquennio minor. (Hoc sacro lustrari & expiari credebatur, si quis piaculare quidpiam admisisset.)

Lustrationem exercitûs sequebatur ludicrum certamen, duabus aciebus ad simulacrum pugnæ concurrentibus.

Regij Iuvenes, duces ei ludicro dati. Cæterùm non imago fuit pugnæ; sed ita concursum, tanquam de vitâ, & regno dimicaretur. Vulnera fudibus facta: nec præter ferrum, quidquam defuit ad iustam belli speciem.

Pars

Pars ea quæ sub DEMETRIO pugnárat, longè superior fuit; ægrè id patiente PERSEO.

Convivium eo die sodalium suorum uterque habuit. DEMETRIVS PERSEVM ad cœnam invitat.

Ille irâ & invidiâ fremens recusat: sed speculatorem ex convivis suis mittit, qui voces liberas & iocosas DEMETRII, sodaliumque, exciperet.

Et is à iuvenibus, triclinio forte egressis, deprehensus, & malè mulcatus, discessit.

Cuius facti ignarus DEMETRIVS, ad fratrem pacandum, comissaturus eum suis, properabat. Et quattuor ministri, pulsati à se speculatoris conscij, & cum alijs eôdem pertracti, ferrum veste abdiderant, quo se tutari, si qua vis adversa fieret, possint.

Hoc ipsum novus speculator deprehendit, & ad PERSEA index præcucurrit; *Ferro succinctos cum DEMETRIO adolescentes venire.*

PERSEVS, infamandæ rei caussâ, ianuam obserari iubet: & fratrem, quasi hostili animo ad cædem faciendam venientem, aditu arcet.

DEMETRIVS per viam, quòd indignè excluderetur, paullisper vociferatus, ad convivium redit.

Postero die PERSEVS, regiam ingressus, perturbato vultu, & de lucro vivere se clamitans; se non occultis iam à fratre insidijs peti, qui nocte cum armatis, ad se interficiendum, domum venisset; & ipse clausis foribus, parietumque præsidio, à furore eius tutari se esset coactus:

DEMETRIVS vixdum à somno & crapulâ excitatus, ad caussam parricidij coram patre & paucis amicis audiendam & dicendam vocatus; post miserabilem patris de istâ fratrum discordiâ comploratione m; & acerem fratris, immissis ad rei probationem indicibus, & testibus subornatis: nec sine simulatis in alterius perniciem lacrymis, criminationem, ipse contrà flebili adeò oratione, ut lacrymæ spiritum simul, vocemque pænè intercluderent; in præsens quidem faciłè calumniam refellit, & avertit.

Cæterùm DEMETRII virtus, & nimia eum Romanis gratia, non PERSEVM tantùm urebat; sed & suspiceacem patris animum perstringebat.

(Hæc vivo PHILIPPO velut semina iacta sunt belli, quod maximè cum PERSEO, regni potito, gerendum erat.)

LIGVRES SE DEDVNT.

Consulibus in Liguriam, quæ tum una consularis provincia erat, profectis; Ligurum XII. millia, ad extremum finem provinciæ Galliæ, ubi castra MARCELLVS Procons. habebat, venérunt; uti in fidem reciperentur, orantes.

MARCELLVS, consulto per litteras Senatu, & Liguribus eodem loco opperiri iussis; rem integram Consulibus, quorum provincia esset, & ad quos illi deditij, mitterentur, neque armis spoliarentur; reservare iubetur.

BELLVM CVM CELTIBERIS.

Q. FVLVIVM FLACCVM, qui Prætor in citeriorem Hispaniam pervenerat, exercitumque à TERENTIO acceperat; dum opidum, Vrbicuam nomine, oppugnaret; Celtiberi sunt adorti. Dura ibi prœlia aliquot facta. multi Rom. milites & vulnerati & interfecti sunt.

Neque ullâ tamen vi Prætor ab obsidione abstrahi potuit: sed Celtiberi ipsi varijs prœlijs fessi abscessérunt: & urbs paucos intra dies capta ac direpta est.

FVLVIVS eo opido capto; & P. MANLIVS, alter Prætor, qui & priore præturâ ulteriorem Hispaniam obtinuerat; coacto tantùm ibi in unum exercitu, qui morte P. SEMPRONII Proprætoris dissipatus fuerat; nullâ aliâ memorabili gestâ re, exercitus in hiberna deduxérunt. TERENTIVS, qui ex eâ provinciâ decesserat, ovans urbem inijt.

DISCEPTATIO AGRARIA INTER POENOS ET MASANISSAM.

Inter Carthaginienseis & MASANISSAM, in re præsenti disceptatores Romani de agro fuérunt.

Ceperat eum ab Carthaginiensibus MASANISSÆ pater, GALA: GALAM SIPHAX inde expulerat; & postea in gratiam soceri ASDRVBALIS Carthaginiensibus dono dederat.

Carthaginienseis rursus eo anno MASANISSA expulerat: & reciperatum agrum, quasi postliminij ac belli iure, sibi vindicabat.

Legati possessionis ius non mutárunt. sed caussam integram Romam ad Senatum reiecérunt.

BELLVM CVM LIGVRIBVS.

Ligures ad famam adventûs Consulum, primùm in devios saltus recesserant: deinde dimisso exercitu, passim in vicos castellaque sua dilapsi sunt. Consules itaque, quùm suum quoque exercitum dimittere vellent; patres eâ de re consulti, alterum ex ijs dimisso exercitu, ad magistratus in annum creandos, venire Romam iusserunt. alterum cum legionibus Pisis hibernare. quòd fama esset, Gallos Transalpinos iuventutem armare; nec quam in partem multitudo sese esset, effusura, sciebatur.

3772. | 177.
7. Sel. Philop.
23. Pt. Epip.

CN. itaque BÆBIVS, quia frater eius M. BÆBIVS consulatum petebat, ad comitia venit. Creati Coss. M. BÆBIVS PAMPHILVS, (al. Tamphilus) & P. CORNELIVS LENTVLVS (al. Cethegus). Iis Ligures, provincia, sorte evenérunt.

L. DVRONIO Prætori, cum Apuliâ, Istri adiecti: quòd Tarentini Brundisinique nuntiássent, maritimos agros, infestos trãsmarinarum navium lattocinijs es-

nijs esse. Eadem Massilienses de Ligurum navibus querebantur.

NAVALIS REI CVRA.

Quoniam itaque rei navalis cura omitti non deberet; II. Viri à Consulibus creari iussi; per quos naves xx. deductæ, navalibus socijs; civibus Romanis, qui servitutem servissent, complerentur: & ingenui tantùm in ijs præessent.

Inter eos ita divisa, tuenda denis navibus maritima utrimque ora: ut promontorium ijs MINERVÆ (quod Ptol. in Picentinis, inter Surrentum ac Salernum, è regione Prochytæ Insulę, ponit) velut cardo in medio esset. Alter in dexteram partem, usque ad Massiliam; Lævam alter, usque ad Barium, tuerentur.

L. DVRONIO Prætori Apulię adiecta de Bacchanalibus quæstio est. cuius residua quædam quasi semina, ex prioribus malis, iam priore anno apparuerant.

Inter multa prodigia, quæ pro more pleraque deridicula nuntiabantur Romæ, id minimè fictum erat; eam in agris & urbe pestilentiam grassari, ut Libitina vix sufficeret.

PHILIPPI, VANI CONATVS.

PHILIPPVS, simul ne otio miles deterior fieret; simul avertendæ suspicionis, ex ijs quæ DEMETRIO acciderant, caussâ, quidquam à se agitari de Romano bello; Stobos, Pæoniæ urbem, exercitu indicto, in Mædicam ducere pergit.

Cupido eum ceperat, in verticem Hæmi montis adscendendi; unde Ponticum simul, & Hadriaticum mare, Istrum amnem & Alpeis, conspici posse rebatur: Quæ oculis subiecta, haud parvi sibi momenti futura, ad cogitationem belli Romani, essent.

Interim pater DEMETRIVM, quasi ad subsidium & custodiam regni in Macedoniam remittit; & maiorem filium secum in quasvis futuri belli consultationes ducit.

Ea itineris, ut incertissimi, ita difficilimi, vanitas regi ludibrio vertit. & ipse multis difficultatibus per solitudines conflictatus, in Dentheletas transcurrit. Vnde frumento sublato, in Mædicam regressus, urbem, quam Pettam appellant, oppugnare adortus est.

Opidani territi, obsidibus datis, in pręsentiâ sese dedidérunt. sed ijdem postea quàm exercitus recessit, obliti obsidum, relictâ urbe, in loca munita. & monteis refugérunt.

Rex fatigans irrito labore militibus; & fraude Prætoris DIDÆ (quem datum DEMETRIO in Macedoniam ducem, PERSEVS, inter coniuratos, in fratris perniciem habebat; & abditos eius sensus familiariter speculari iusserat.) auctis in filium suspicionibus; in Macedoniam revertit.

Fugam ad Romanos meditabâtur DEMETRIVS; spe captâ, per Pæoniam, cuius Prætor amicus erat, elabi tutò posse. Hoc consilium extemplò per DIDAM illum, comitem & arcanorum conscium, & fratri proditur, & eo auctore patri indicatur.

Pater, ad quem, Petræ adhuc obsidioni intentum, litteræ erant adlatę, HERODOTVM, DEMETRII amicorum principem, in custodiam conijci; & ipsum DEMETRIVM dissimulanter adservari iussit; eos, quos ad omnia exploranda Romam miserat, exspectans. Qui quùm pòst aliquot menseis, iam antè pręmeditatis in Macedoniâ, quæ ab Româ renuntiarent, venissent; super cætera scelera, falsas etiam litteras, signo adulterino T. QVINCTII signatas, regi reddidérunt, in quibus erat deprecatio; *Si quid adolescens, cupiditate regni prolapsus, secum egisset, nihil eum adversus suorum quemquam facturum: neque eum sese esse, qui ullius impij consilij auctor videri possit.*

Hæ litteræ fidem PERSEI criminibus fecérunt. quantumvis HERODOTVS, diu excruciatus, sine indicio rei ullius, in tormentis mortuus fuisset.

Nihil tamen palam gravius de DEMETRIO pronuntiatum est; *ut dolo potiùs interficeretur.* Neque id curâ ipsius, sed *ne pœna eius; consilia adversus Romanos nudaret.*

DEMETRINS VENENO EXSTINCTVS.

Ab Thessalonicâ, Demetriadem PHILIPPO quùm iter esset, PERSEVM Amphipolim, ad obsides Thracum accipiendos; DEMETRIVM, Æstręum Pæoniæ mittit, eum eodem comite DIDA. cui ab se digredienti pater mandata dedisse dicitur, de filio occidendo.

Hic sacrificium quoddam sive instituerat, sive simulárat; & ad idem celebrandum, ab Æstræo Heracléam DEMETRIVN invitárat. In eâ cœnâ dicitur venenum datum.

Poculo epoto, extemplò sensit: & mox coortis doloribus, relictoque convivio, quùm in cubiculum recepisset sese, crudelitatem patris conquerens, parricidium fratris, ac DIDÆ scelus incusans, torquebatur. Intromissi deinde THYRSIS quidam STVBERÆVS, & ALEXANDER Berœæus, tapetibus in caput fauceisque iniectis, spiritum interclusérunt.

BELLVM CVM LIGVRIBVS INGAVNIS.

Interea L. ÆMILIVS PAVLLVS, prorogato ex consulatu imperio, in Ligures Ingaunos exercitum introduxit. Vix in hostium finibus castra posuerat, quùm legati ad eum, *per speciem pacis petendæ*, speculatum venérunt. Neganti PAVLLO nisi cum deditis pacisci se pacem: non tam id recusabant, quàm ut id agresti hominum generi persuaderetur; x. dierum inducias dari, postulabant.

Petiérunt deinde, ne trans monteis, proximos castris, (culta scilicet suorum finium loca) pabulatum aut lignatum milites irent. Id ubi impetravére, post eos ipsos monteis, unde averterant hostem, exercitu omni coacto, repentè multitudine ingenti castra Romanorum oppugnare simul omnibus portis adgressi sunt.

Diet

Dies aliquot arte obsessus ÆMYLIVS ultima metuebat; & sera auxilia tum a BÆBIO Cos. tum à CLAVDIO MARCELLO futura videbantur. Ipse itaque non ultrà differendum ratus, quin per se fortunam tentaret; quibuscumque irritamentis poteft, militum iras acuit.

Quùmque Ligures, quasi impetu iam remisso, segnius socordiúsque oppugnarent; ad IV. portas exercitum instruit: & signo dato ex omnibus simul partibus eruptionem facit; hoste ne suspicante quidem Romanos extra vallum signa elaturos. Adeoque improvisa res fuit, ut perinde, ac si insidijs circumventi forent, trepidarent.

Fuga post aliquam pugnæ formam effusa; & fugientium passim cædes fuit. Equites, conscensis equis, neminem effugere passi. In castra omnes ex trepidà fugà compulsi; & ipsis deinde castris exuti. Supra XV. Ligurum M. eo die occisa; capti bis mille & D. Triduo pòst, Ligurum Ingaunorum omne nomen obsidibus datis in deditionem venit. Gubernatores nautæque conquisiti, qui navibus prædatores fuissent, omnesque in custodiam coniecti.

A CAIO MATIENO Duumviro, cuius ad Gallicum Sinum provincia erat; quique classem in Ligurum oram ducere, ad opem ÆMYLIO ferendam, iussus erat, eius generis naves; in Ligustinà orà, XXXII. captæ sunt. (Is annus siccitate & inopià frugum insignis fuit: quo sex penè mensibus non pluisse, memoriæ proditum est.)

ARCÆ IN AGRO L. PETILII REPERTÆ; ET LIBRI EXVSTI.

In agro L. PETILII scribæ, sub Ianiculo dum cultores agri altiùs moliuntur terram, duæ lapideæ Arcæ, operculis plumbo devinctis, repertæ sunt; litteris Latinis Græcisque inscriptæ. In alterà NVMAM POMPILIVM, POMPONII F. Regem Romanorum sepultum esse; in alterà libros eiusdem NVMÆ inesse.

Arcis apertis; quæ titulum sepulti regis habebat, inanis inventa, omnibus per tot annorum tabem absumtis. In alterà, septem libri recentissimà specie: ex quibus VII. Latini, *de iure Pontificio* erant: VII. Græci, *de disciplinà Sapientiæ*; vulgò Pythagorici.

Q. PETILIVS Pręt. urbanus, lectis inde rerum summis, quùm animadvertisset pleràque dissolvendarum religionum esse; annuente Senatu, igne à victimarijs facto, eos in conspectu populi cremandos curavit.

BELLVM CVM CELTIBERIS.

In Hispanià citeriore, Celtiberi, ad V. & XXX. hominum M. comparaverant. Q. FVLVIVS FLACCVS, provinciæ præses, magna, sed nequaquam paria, à socijs auxilia contrahit; & ducto in Carpetaniam exercitu castra ad oppidum Æburam locat.

Postremò & Celtiberi, omnibus simul peditum equitumque copijs è castris egressi, acie directà, medio fermè spatio inter bina castra constiterunt, hostem exspectantes.

Prætor Romanus suos intra vallum aliquot dies continuit, & ubi satis tot dierum quiete credidit spem factam hosti, nihil se priorem moturum; ipse quosdam ex suis nocte proficisci & circumire montem iubet, qui ab tergo hostibus erat; & inde ubi clamorem audissent, decurrere ad deserta eorum castra. Alios ex suis, primà luce ad vallum hostium cum equitatu mittit.

Quos ubi & propiùs accedere, & pluteis quàm soliti erant, Celtiberi conspexere; omnis equitatus effunditur campis: simul & peditibus signum ad exeundum datur.

Romani, duce SCRIBONIO, uti preceptum erat, avetsis equis, castra repetunt. Eò effusiùs hostes insecuti, haud dubià spe castra eo die se oppugnaturos.

Iamque quingentos passus non plus à vallo aberant, quùm Q. FLACCVS, exercitu intra idem vallum instructo, tribus partibus simul erumpit: clamore non modò ad ardorem pugnæ excitandum sublato; sed etiam, ut qui in montibus latebant, exaudirent.

Nec hi morati sunt; quin decurrerent ad castra, quæ vix D. militum præsidio tenebantur. eaque, territis re improvisà tam paucis, propè sine certamine capta sunt.

ACILIVS alæ sinistræ, & provincialium auxiliorum præfectus, castris, quæ pars maximè à pugnantibus conspici poterat, ignem iniecit. Iam clamor suorum vincentium accidebat; iam ardentia hostium castra apparebant.

Celtiberi parumper incertis animis fluctuati, posteaquam receptus pulsis nullus erat; nec usquam nisi in certamine spes; pertinaciùs de integro capessunt pugnam. donec ab oppido Ebura, qui in præsidio relicti erant, in medio pugnæ ardore advenirent; & ACILIVS ab tergo instaret.

Diu in medio cæsi Celtiberi. qui supererant, in omneis passim parteis capessunt fugam. in eos equites bipertito immissi magnam cædem edidére. Ad XXXII. hostium M. eo die cæsa. capta IV. millia & DCCC. cum equis plùs D. & signis militaribus LXXXII.

Neque Romanis incruenta fuit victoria; qui ad ter mille & quingentos ex suis desideràrunt. Prætor in castra victorem exercitum reduxit: ACILIVS manere in castris ab se captis iussus. & postero die spolia de hostibus lecta.

Saucijs deinde in oppidum Eburam devectis, per Carpetaniam, ad Contrebiam, ductæ legiones.

CONTREBIA CAPTA.

Ea urbs circumsessa quùm à Celtiberis auxilia arcessisset; & hi ab domo profecti, ob inexplicabiles continuis imbribus vias, inflatosque amneis, distinerentur; desperato auxilio suorum, in deditionem venit. in eamque exercitus omnis, ob fœdas tempestates, introductus est.

Celtiberi, deditionis ignari, quùm tandem superatis, ubi primùm remisérunt imbres, amnibus,

Contrebiam venissent; incautiùs & negligentiùs effusi ad oppidum accesserunt. in eosque Romani duabus portis eruptionem fecerunt, & incompositos adorti fuderunt. Ad XIS. M. cæsi; capti plùs V. hominum millia, & CD. equi, cum signis militaribus LXII.

Qui palati è fugâ domum se recipiebant; alterum agmen, subsidio venientium, secum averterunt. extemplò in vicos castellaque sua omnes dilapsi.

FLACCVS à Contrebiâ profectus, per Celtiberiam populabundus ducit legiones; multaque castella oppugnavit, donec pars maxima Celtiberorum in deditionem venit.

In ulteriore quoque Hispaniâ, MANLIVS Præt. secunda aliquot prœlia cum Lusitanis fecit.

PAX CVM LIGVRIBVS.

Pax in Liguribus fuit; postquam L. ÆMYLIVS PAVLLVS de ijs triumphásset: eiusque triumphi famam legati eiusdem gentis auxillent, pacem perpetuam orantes; & ad Coss. ire. & quæ ab ijs imperata essent, facere iussi essent.

BELLVM CVM CORSIS.

In Corsicâ pugnatum est cum incolis. ad II. M. ex ijs cæsi. Sed PINARIVS Prætor in acie occidit. Eâ clade compulsi, obsides dederunt; & ceræ C. millia pondo.

Inde in Sardiniam ductus exercitus: & cum Iölensibus secunda prœlia facta.

PAX CVM POENIS.

Carthaginiensibus eodem anno C. obsides redditi. pacemque cum ijs pop. Rom. non ab se tantùm, sed ab rege etiam MASANSSSA præstitit: qui tum præsidio armato agrum, qui in controversiâ erat obtinebat.

3774.
8. Sel. Philop.
24. Pt. Epiph.

176.

Otiosam provinciam Coss. habuerant. Ex ijs M. BÆBIVS, comitiorum caussâ Romam revocatus, Consules creavit A. POSTHVMIVM Albinum Luscum, & C. CALPVRNIVM Pisonem.

Iis ambobus provinciam, Ligures, esse Senatus iussit. novusque omnis exercitus decretus est. binæ legiones Romanæ, eum suo equitatu; & sociûm Latini nominis, quantus semper numerus, XV. peditum millia & DCCC. equites. Cum hoc exercitu Apuanis Liguribus ut bellum inferrent, mandatum est.

P. CORNELIO & M. BÆBIO, uti Proconsulibus prorogatum imperium; iussique provincias obtinere, donec Coss. venissent.

DE REBUS HISPANICIS DECRETA.

De TIB. SEMPRONII, cui Hispania citerior obvenerat; & Q. FVLVIO erat successurus, exercitu; ita actum. novam ei legionem V. millium, & CC. peditum, cum equitibus CD. scribere Consules iussi. Et mille præterea peditum Romanorum civium, L. equites. & socijs à nomine Latino imperare VII. pedit. M. CCC. equites.

Q. FVLVIO (qui ut sibi de provinciâ decedenti deportare inde exercitum, cuius forti operâ; & ipse & alij ante eum Prætores usi essent, liceret; per legatos suos, & Tribb. militum; à Senatu postulárat) permissû; ut qui milites ante SP. POSTHVMIVM & Q. MARTIVM Coss. cives Romani, socijve in Hispaniam transportati essent: & præterea supplemento adducto, quod ampliùs duabus legionibus, quàm X. M. & CD. pedites, DC. equites essent; & sociûm Latini nominis XII. M. DC. equites: (quorum forti operâ duobus adversus Celtiberos prœlijs Q. FVLVIVS usus esset) eos, si videretur, secum deportaret.

Octo legiones, præter exercitum veterem, qui in Liguribus in spe propinquâ missionis erat; eo anno esse placuit. Et is ipse exercitus ægrè explebatur propter pestilentiam, quæ iam tertium annum urbem Romanam æquè, atque Italiam vastabat. Cos. C. CALPVRNIVS Piso, multique alij omnium ordinum illustres viri, mortui sunt: & prodigij loco ea clades haberi cœpta.

QVÆSTIO DE VENEFICIIS.

Fraudis quoque humanæ insinuaverat animis suspicio: & veneficij quæstio ex S. C. Prætoribus decreta.

Suspecta Consulis erat mors maximè. Necatus à QVARTA HOSTILIA uxore dicebatur. Vt quidem filius eius, ex priore coniugio, Q. FVLVIVS FLACCVS, in locum vitrici Cos. est declaratus; aliquantò magis infamis mors PISONIS cœpit esse.

Et testes existebant, qui post declaratos Consules, ALBINVM & PISONEM, quibus comitijs FLACCVS repulsam tulerat; exprobratum ei à matre, dicerent: *Quod iam ei tertium negatus Consulatus petenti esset*. & adiecisse; *pararet se ad petendum*, Intra duos menses effecturam, ut *Cos. fieret*. Inter alia multa testimonia, caussæ consentanea. hæc quoque vox, nimis vero eventu comprobata, valuit, cur HOSTILIA damnaretur.

BELLVM ITERVM CVM LIGVRIBVS.

Interim dum Coss. novos, delectus Romæ tenet; & mors deinde alterius, comitiaque creandi in locum eius Consulis; tardiora omnia faciunt; P. CORNELIVS, & M. BÆBIVS, qui in consulatu nihil memo-

memorabile gesserant; in Apuanos Ligures exercitum induxérunt.

Ligures improvisò oppressi, ad XII. hominum millia dedidérunt se. Eos, consulto per litteras prius Senatu, deducere ex montibus in agros campestreis, procul ab domo, ne reditûs spes esset, Proconsules statuérunt. nullum alium ante finem rati fore Ligustini belli.

Ager publicus pop. Rom. erat in Samnitibus, qui Taurasinorum fuerat, (fort. Telesinorum) In eum quùm traducere Ligures Apuanos vellent, edixérunt; Ligures è montibus descendere cum liberis coniugibusque; sua omnia secum portarent. Illi deprecati, ne penateis, ne sedem, in quâ geniti essent, & sepulcra maiorum relinquere cogerentur; & arma obsidesque polliciti; posteaquam nihil impetrabant, neque vires ad rebellandum erant; edicto paruérunt.

Traducti sunt publico sumtu ad XL. millia liberorum capitum, cum feminis puerisque. pecunia data, unde in novas ædeis compararent, quæ opus essent. Agro dando dividendoque iydem, qui traduxerant, præpositi.

Translatâ re, quùm veterem exercitum Romam deduxissent, triumphus ab Senatu decretus. Et hi omnium primi nullo bello gesto, sed tamquam confecto, triumphárunt.

BELLVM ITERVM CVM CELTIBERIS.

In Hispaniâ, FVLVIVS FLACCVS Propr. quia successor tardiùs in provinciam veniebat; educto ex hibernis exercitu, ulteriorem Celtiberiæ agrum, unde ad deditionem non venerant, instituit vastare.

Illi irritati, clam comparatis copiis, Saltum Manlianum, quà transituri essent Romani, obsedérunt.

GRACCHVS, L. POSTHVMIO ALBINO, collegæ, in Hispaniam ulteriorem prægredienti, mandárat; ut Q. FVLVIVM de suo adventu certiorem faceret; Tarraconem exercitum adduceret.

Hæc nova adlata res, omissis quæ agere instituérat, FLACCVM raptim deducere exercitum è Celtiberiâ quùm coëgisset; barbari caussæ ignari, discessum eius, ex timore fugam interpretati, eò ferociùs saltum insedérunt. Ubi eum saltum primâ luce agmen Romanum intravit; repentè ex duabus partibus simul exorti hostes Romanos invasérunt.

FLACCVS tantâ industriâ exercitum ordinat; tantâ contentione milites adversus perduelleis, toties victos, toties fedifragos, animat; ut equites legionarij duplicatis turmis & detractis frenis, bis ultrò citroque, cum magnâ strage hostium, & infractis omnibus hastis, transcurrerent; & cuneum, quo maximè illi impressionem in legiones faciebant & urguebant; perrumperent.

Quo dissipato, Celtiberi trepidare. & omissâ propè pugnâ locum fugæ circumspicere, cepérunt. Dumque haud minus alacriter alarij equites, virtute Romanorum accensi, in perturbatos iam hosteis equos immitterent; Celtiberi universè omnes in fugam effunduntur: & per totum saltum dissipati cæduntur. XVII. M. eo die cæsa traduntur. vivi capti, ad ter mille, plus CCLXXVII. cum signis militaribus, & equis propè MC.

Victoria non sine iacturâ militum fuit; CDLXXII. Romanorum; sociûm Latini nominis MXIX. & III. mill. auxiliariorum. Ita victor exercitus, renovatâ priore gloriâ, Tarraconem est perductus. Venienti FVLVIO TIB. SEMPRONIVS Præt. obviam processit. ipsique summâ cum concordiâ, quos dimitterent, quosque retinerent milites, composuérunt.

Inde FVLVIVS, exauctoratis militibus in naveis impositis, Romam profectus, in sequentem annum Consul designatur: & SEMPRONIVS in Celtiberiam legiones duxit.

BELLVM CVM LIGVRIBVS CONTINVATVR.

Coss. ambo in Ligures exercitus indixérunt, diversis partibus. POSTHVMIVS cum duabus legionibus Balistam Suismontiumque, monteis, obsedit: & premendo præsidijs angustias saltuum, commeatus eorum interclusit; inopiaque omnium rerum domuit.

FVLVIVS cum alteris legionibus, adortus à Pisis Apuanos Ligures, qui eorum circa Macram fluv. incolebant, in deditionem acceptos, ad VII. hominum millia in naveis impositos, præter oram Etrusci maris, Neapolim transmisit. Inde in Samnium traductis, ager inter populareis datus est.

Montanorum Ligurum ab A. POSTHVMIO vineę cæsæ, frumenta deusta. donec cladibus omnibus belli coacti in deditionem venérunt, armaque tradidérunt.

QVERELÆ DE GENTIO ILLYRII REGE.

Eodem anno L. DVRONIVS, qui Prætor anno superiore ex Illyrico cum X. navibus Brundisium redierat; & relictis in portu navibus Romam venerat; haud dubiè in regem Illyriorum, GENTIVM, latrocinij omnis maritimi caussam avertit: & missis etiam legatis, eius sibi conveniendi potestatem non esse factam questus est.

Venerant & ab rege legati, qui ab Senatu petęrent; ne confictis in se criminibus, quę inimici detulissent, crederet. Sed quòd DVRONIVS ad ea adiecisset, supra iniurias Romanis & socijs in regno eius factas, cives etiam Romanos Corcyræ retinerij; placuit eos omneis Romam adduci; & C. CLAVDIVM Prætorem cognoscere: neque antè GENTIO regi legatisve eius responsum reddi.

COSS. FVLVIVS FLACCVS, ET L. MANLIVS ACIDINVS.

Q. FVLVIVS FLACCVS, magnâ cum rerum gestarum famâ, ex Hispaniâ Romam reversus, quùm extra urbem triumphi caussâ esset, Consul est creatus cum L. MANLIO ACIDINO: & post paucos dies cum militibus, quos secum deduxerat, triumphans urbem est invectus.

EXITVS PTOL. EPIPHANIS.

Ptolemævs Epiphanes, quùm regnâsset annos xxiv. obijt anno Seleucidarum, secundum Iudæos, cxxxiiii. Ptol. Astronomus, Pt. Philometoris æram inchoat ab antecedente, Thoth, Octobris septimo, feriâ quartâ, ineunte anno Nabonassari 568.

Eusebius contrà, inchoat ab anno sequente; qui est Olympiadis CL. secundus. Eamque ob caussam tribuit Philometori tantùm xxxv. regni annos. ut & Clemens Strom. l. 1.

Hic Epiphanes, xxix. ætatis anno mortuus, duos reliquit filios, Philometorem, & Physconem; filiamque nomine Cleopatram: omnes adprimè impuberes: ex Antiochi Magni filiâ, Cleopatra.

PTOLEMÆVS PHILOMETOR, VI. ÆGYPTI REX ann. xxxv.

LEX ANNARIA.

Eo anno rogatio primùm lata est ab L. Ivlio Trib. pleb. quot annos nati, quemque magistratum peterent, caperentque. Inde cognomen familiæ inditum, ut Annales appellarentur; & lex Annaria.

3777. 9. Sel. Philop. 1. Pt. Philom.		173.

Q. Fulvio Flacco, & L. Manlio Acidino Fulviano, Coss. eadem provincia, quę superioribus; parique numero copiæ peditum, equitum; civium, sociorum decretæ.

In Hispanijs duabus, Tib. Sempronio & L. Posthvmio, cum iisdem exercitibus, quos haberent, prorogatum imperium est.

Q. Fulvius Cos. priùs quàm ullam rem publicam ageret, liberare se & rempub. religione, votis solvendis, velle dixit. Vovisse se, quo die postremùm cum Celtiberis pugnâsset, ludos *IOVI OPT. MAX.* & Ædem *EQVESTRI FORTVNÆ* se facturum. quas in res pecunia sibi ab Hispanis esset collata. Ludi per x. dies facti.

Hiems eo anno, nive sæva, & omni tempestatum genere, arbores, quæ obnoxiæ frigoribus sunt, deussit cunctas. Aliquot in Capitolio signa eâdem tempestate constrata, & complura loca fulminibus deformata.

CENSORES ROMÆ.

Censores creati L. Æmylivs Lepidvs Pont. max. & M. Fvlvivs Nobilior, qui ex Ætolis Consul antè decennium triumphârat. Inter hos viros, nobiles inimicitiæ erant; sæpe multis & in Senatu, & ad populum atrocibus celebratæ certaminibus.

Q. autem Cacilivs Metellvs, dum Censores in campo ad Aram Martis sellis curulibus considérent; eoque repentè principes Senatorum cum agmine civitatis venissent; egregiâ oratione ad concordiam eos tam graviter cohortatus est, adplaudente toto Senatu, & populo idem petente; ut eâ die dexteras fidemque dederint; mittere verè ac finire cum simultatibus odium. Nec promissis defuit eventus.

Lustrum ab his Censoribus conditum quinquagesimum. Censa sunt civium capita ccxxxiii. m. ccxliv. & M. Lepidvs Censor princeps Senatus lectus. Censoribus vectigal annuum in opera publica decretum est.

RES IN HISPANIA GESTÆ. MVNDA ET CERTIMA, CAPTÆ.

In Hispaniâ verò Posthvmivs & Sempronivs Proprr. ita inter se comparavérunt; ut in Vaccæos per Lusitaniam iret Albinvs; inde in Celtiberiam reverteretur.

Gracchvs, quod maius ibi bellum esset; in ultima Celtiberiæ penetravit. Mundam urbem primùm vi cepit, nocte ex improviso, adgressus. Acceptis inde obsidibus, præsidioque imposito, castella oppugnare; agros urere. donec ad prævalidam aliam urbem, Certimam nomine, pervenit.

Vbi quùm iam opera admoveret; veniunt legati ex opido, petentes, ut sibi in castra Celtiberorum ire liceret ad auxilia accipienda. si non impetrâssent; tum separatim eos ab illis se consulturos.

Paucis post diebus cum alijs x. legatis reversi, & copias omneis Romanorum peditum equitumque de-industriâ ornatas, & decurrere in armis iussas, lustrare permisi; ab eo spectaculo per legatos missos deterruerunt suos; ab auxilio circumsessæ urbi ferendo.

Opidani quùm igneis nocte è turribus nequidquam, ex convento, sustulissent; destituti ab unicâ spe auxilij, in deditionem venerunt. Præter pecuniam, quadraginta nobilissimi equites exacti. nec obsidum nomine; quippe militare iussi, & re ipsa ut pignus fidei essent.

PVGNA

PVGNA AD ALCEN.

Inde ductus ad Alcen urbem exercitus, ubi castra Celtiberorum erant, à quibus venerant nuper legati.

In illos, è castris suis & munitionibus electos, dum auxiliorum Præfecti, ita iussi, contracto certamine, tamquam multitudine superarentur, tergis repentè datis, ad castra effusè fugerent; GRACCHVS, instructâ ad hoc ipsum intra vallum acie, & clamore sublato, omnibus simul portis erupit.

Non sustinuére impetum nec-opinatum hostes: qui ad castra oppugnanda venerant, ne sua quidem tueri potuérunt. Nam extemplò fusi, fugati; mox intra vallū paventes conclusi, postremò exuuntur castris. Eo die IX. hostium M. cæsa. capti vivi CCCXX. equi CXII. cum signis XXXVII.

Ab hoc prœlio Gracchus ad depopulandam Celtiberiā legiones duxit. Et quùm ferret cuncta passim atque ageret; populique alij voluntate, alij metu iugum acciperent, CIII. opida intra paucos dies in deditionem accepit; prædā potitus ingenti.

Converso inde retrò agmine, unde venerat, Alcen urbem iterum oppugnare instituit. Opidani non armis modò, sed operibus oppugnati, & urbis præsidio diffisi, in arcem universi concessérunt. atque inde postremò oratoribus præmissis, in ditionem se suaque omnia Romanis permiserunt. Magna inde præda facta est. multi captivi nobiles in potestatem venérunt. inter quos & THVRRI, potentissimi in eâ gente reguli, filij duo, & filia.

Is auditâ suorum clade, fide publicâ in castra ad GRACCHVM venit; & vitam sibi suisque, & militandi cum Romanis potestatem pactus, Romanos secutus est; fortique ac fideli operâ multis locis eorum adiuvie.

Ergavica inde, nobilis & potens civitas, aliorum circa populorum cladibus territa, portas aperuit Romanis.

(Eam autem opidorum deditionem haud cum fide factam quidam auctores sunt. E quâ regione GRACCHVS abduxisset legiones, extemplò inde rebellatum: magnoque eum postea prœlio, ad montem Chaunum, cum Celtiberis à primâ luce ad VI. horam diei collatis signis pugnâsse; multos utrimque cecidisse: postero die spolia per totum diem legisse.

Tertio die prœlio iterum maiore pugnatum; & tum demum haud dubiè victos Celtiberos, castraque eorum capta & direpta esse: XXII. hostium M. eo die cæsa, plus CCC. captos, præter equos & signa. Inde debellatum; veramque pacem, non fluxâ, ut antè fide, Celtiberos fecisse.)

Eâdem æstate & L. POSTHVMIVM in Hispaniâ ulteriore cum Vaccæis (al. Bracharis) bis egregiè pugnâsse scribunt. ad XXXV. hominum M. cecidisse; castraque oppugnâsse.

LIGVRES DOMITI.

Biduo quo Senatum legérunt Censores, Q. FVLVIVS Cos. profectus in Ligures, per invios monteis, vallesque saltus, cum exercitu transgressus, signis collatis cum hoste pugnavit. neque tantùm acie vicit, sed castra quoque eodem die cepit. III. M. CC. hostium, omnisque ea regio Ligurum, in deditionem venit. Cos. deditos in campestreis agros deduxit, præsidiaque montibus imposuit.

GALLI TRANSALPINI REIECTI.

Galli Transalpini, III. hominum M. in Italiam transgressi, neminem bello lacessentes, agrum à Cos. & Senatu petebant, ut pacati sub imperio pop. Rom. essent. Eos Senatus excedere Italiâ iussit; & Consulem FVLVIVM quærere & animadvertere in eos, qui principes & auctores transcendendi Alpeis fuissent.

EXITVS PHILIPPI MACED.

EIVSDEM ANTE MORTEM ANXIETAS.

Eodem anno PHILIPPVS rex Macedon. senio & mœrore consumtus decessit. Is Demetriade hibernabat, cum desiderio anxius filij DEMETRII; tum pœnitentiâ crudelitatis suæ, quæ animum stimulabat. DEMETRIO namone, ceu æmulo, sublato, non negligentior tantùm PERSEVS in patrem, verùm etiam contumacior erat. nec heredem regni, sed regem se gerebat. conversique in eum omnium oculi; & destituta senectus, eius, qui XLIV. annos iam regnâsset.

Ibi ANTIGONVS, ECHECRATIS F. patrui Antigoni, qui tutor PHILIPPI fuerat, & nobili pugnâ CLEOMENEM Lacedæmonium vicerat, nomen virtutemque referens, unus ex honoratis PHILIPPI amicis incorruptus, eoque nomine PERSEO invisus; quùm animo prospiceret, quanto cum periculo suo regni hereditas ventura ad PERSEVM esset; & labare regis animum, & interdum filij desiderio ingemiscere sensisset; sæpe querenti, querens & ipse aderat: & quùm multa adsoleat veritas præbere vestigia sui, omni ope adiuvabat, quò maturiùs omnia emanârent.

Suspecti, & ministri facinoris, APELLES maximè & PHILOCLES erant, qui Romam legati fuerant; litterasque exitiales DEMETRIO, sub nomine & signo adulterino FLAMININI, adtulisse ferebantur.

ANTIGONVS itaque XYCHVM quemdam comprehensum in regiam perduxit: qui ad tortoris verberumque conspectum, ordinem omnem facinoris legatorum, suique ministerij coram rege exposuit; & uter ab utro ex filijs fraude & insidijs petitus esset, detexit.

Extemplò missi qui legatos comprehenderent: & PHILOCLEM quidem, qui præsens erat, oppressérunt (quem alij tamen tormenta, etiam inficiantem, perpessum esse adfirmârunt) APELLES verò, indicio XYCHI audito, in Italiam traiecit.

PHILIPPVS cognitâ fraude, non minùs scelere PERSEI, quàm innoxiâ DEMETRII morte cruciabatur.

PERSEVS certior factus omnia detecta esse, potentior quidem erat, quàm ut fugam necessariam duce-

duceret; tantùm ut procul abesset, curabat. Interim velut ab incendio flagrantissimæ, dum PHILIPPVS viveret, se defensurus.

Pater spe potiundi ad pœnam corporis eius amissâ, quod reliquum erat, id studere; ne super impunitatem etiam præmio sceleris frueretur.

Filium itaque fratricidam detestatus, ANTIGONVM, patruelis sui filium, regni hæredem designat; & omnis honoris genere productum, civitatibus Macedoniæ principibusque commendare non destitit. Et si vita longior suppetiisset; haud dubium fuit, quin eum in possessione regni relicturus fuerit.

Ipse ab Demetriade profectus, & Thessalonicæ multum temporis moratus, quùm inde Amphipolim venisset; gravi morbo est implicitus. & animo magis, quàm corpore æger, curisque & vigiliis, quum identidem species & umbræ insontis filij, interemti, eum diris agitarent; nec sine alterius exsecrationibus, exstinctus est.

Medicus CALLIGENES, qui curationi præerat, non exspectatâ morte regis, à primis desperationis notis, nuntios prædispositos, ita ut convenerat, misit ad PERSEVM, & mortem regis, in adventum eius, omneis, qui extra regiam erant, celavit.

Oppressit itaque nec-opinanteis ignarosque omneis PERSEVS; & regnum scelere partum invasit, annosque XI. obtinuit.

PERSEVS POSTREMVS MACEDONVM REX.

BASTARNÆ MACEDONI AVXILIARES, RE INFECTA REDEVNT.

Paucis pòst regis mortem diebus, gens Bastarnarum diu sollicitata, ab suis sedibus, magnâ peditum equitumque manu, Istrum traiecit. Cum quibus sic fuerat compositum: *Transitum per Thraciam tutum, & commeatus PHILIPPVS ut præstaret. & regionum principes donis cultos, fidem suam vicissim obligârant, pacato agmine transituros Bastarnas.*

Dardanorum gentem, Macedoniæ semper infestissimam, delere propositum erat; inque eorum agris sedes dare Bastarnis. Vnde relictis in Dardaniâ coniugibus liberisque, ad populandam Italiam, Scordiscis facilè iter ad mare Hadriaticum daturis, possent immitti.

Ingressi itaque sunt pacato satis agmine, fide COTTONIS, nobilis inter eos ducis; & ANTIGONI, qui sæpe vel invitus eum ipso COTTONE legatus, ad concitandos Bastarnas, missus fuerat.

Iis haud procul Amphipoli, famæ incerti nuntij occurrunt, *mortuum esse regem*. quæ res omnem ordinem consilij turbavit. Ad eam namque famam, neque Thraces commercio faciles erant; neque Bastarnæ emto contenti esse poterant, aut in agmine contineri, ne decederent viâ. Inde iniuriæ ultro citroque; earumque in dies incremento bellum exarsit.

Thraces tantæ multitudini impares, ex agris in montem Donucam concesserant. Quò ubi Bastarnæ adscendere vellent; non imbre tantùm effuso, & creberrimâ grandine obruti sunt, cum ingenti fragore cœli, tonitribusque & fulguribus oculorum aciem præstringentibus; sed fulmina etiam sic undique emicabant, ut peti corpora viderentur; & eum militibus principes icti caderent.

Dissipati procellâ, & instantibus Thracibus, cum tamquam ex naufragio plerique semiermes in castra, unde profecti erant, redissent; ortâ inter ipsos dissensione, XXX. fermè eorum millia, duce CLONDICO, in Dardaniam penetrârunt. cætera multitudo retrò, quà venerat, in Transdanubianam regionem remeavit.

PERSEVS potitus regno interfici ANTIGONVM iussit: & dum firmaret res, legatos Romam ad amicitiam paternam renovandam, petendumque ut rex ab Senatu appellaretur, misit.

FVLVII COS. GRACCHI, ET POSTHVMII TRIVMPHI.

Alter Consulum, Q. FVLVIVS ex Liguribus triumphavit. quem triumphum magis gratiæ, quàm rerum gestarum magnitudini datum, constabat. Nihilque in eo triumpho magis insigne fuit, quàm quod fortè evenit, ut eodem die triumpharet, quo priore anno ex præturâ triumphaverat.

3778.
11. Sel. Philop.
2. Pt. Philom.

171.

FVLVIVS, secundùm triumphum, comitia edixit; quibus creati Consules sunt M. IVNIVS BRVTVS, & A. MANLIVS VOLSO. Huic Galli; illi Ligures, provincia, dati.

TIB. SEMPRONIVS GRACCHVS Proconsul, qui Celtiberos victos in deditionem acceperat; & quasi quoddam operum suorum monimentum, Gracchurim opidum in Hispaniâ constituerat; de illis eorumque sociis triumphavit.

Et postero die L. POSTHVMIVS, qui Vaccæos & Lusitanos debellârat; de iis, aliisque eiusdem regionis Hispanis, parem triumphum egit.

ANTIO-

ANTIOCHVS EPIPHANES, VIII. SYRIÆ REX, ann. XI. de quo Daniel. c. 11. sub finem.

ANTIOCHVS, per adulationem EPIPHANES dictus: sed à DANIELE non immerito ἐυλιζανὸς, hoc est, nequam & vilis, nuncupatus. (cuius spurcitiem vel id arguat, quòd Timarcho & Heraclidæ, fratribus, & ambobus eius exoletis, illi Babyloniam, huic ærarium commiserit.) SELEVCO PHILOPATORI, fratei scilicet maiori, in regnum patritum successit. Obses anteà Romæ à Patre datus, (quem idem frater, tradito in obsidatum DEMETRIO Filio liberârat,) in regnum Syriæ ab urbe dimissus.

Illum in reditu Athenis Olympicum inchoâsse, VELLEIVS tradit. Et APPIAN. Syriacis; Abijs, qui in Syriâ PTOLEMÆO PHILOMETORI (& fortè DEMETRIO absenti, Seleuci Filio) favebant; primò non admissum: deinde ab ATTALO ET EVMENE, Asiæ regibus, (adversùs HELIODORVM, SELEVCI interfectorem, qui regnum sibi, vel DEMETRIO, ex insidijs vindicare moliretur) adiutum; & illo pulso, in principatu collocatum fuisse.

Vndè mox clandestinis consilijs, & adfectatæ clementiæ simulatione, multorum sese animis amicitijsque insinuans, DEMETRIO nepoti regnum summâ cum fraude intervertit.

Regnare is cæpit anno Seleucidarum, secundùm Iudæos, (1. Machab. 1.) & Græcos, 137. Idque, ut rectè IOSEPHVS, annis XLV. & cn. post eversum à NABVCHODONOSORE Templum. EVSEBIVS verò à sequente anno Æram eius inchoat.

(Q. VOCONIVS Saxa Trib. pl. Romæ legem tulit; *Ne quis heredem mulierem institueret.* Quam legem M. Cato suasit; extatque eius oratio.)

BELLVM CVM ISTRIS.

Intereà dum M. IVNIVS Cos. res in Liguribus gerit; alter Cos. A. MANLIVS, consilio de bello Histris inferendo habito, antè quàm copias contrahere hostes possent, profectus ab Aquileiâ castra ad Lacum Timavi posuit, qui locus mari imminebat.

Adversùs Illyriorum classem creati duumviri navales erant, qui tuendam XX. navibus mari superiore Anconam, velut cardinem, haberent, Indè L. CORNELIVS dextra litora ad Tarentum; C. FVRIVS, læva, ad Aquileiam usque tueretur.

Eæ naves ad proximum portum in Histriæ fineis, cum onerarijs & magno commeatu, missæ, secutusque cum legionibus Cos. quinque fermè Millia à mari posuit castra.

In portu Emporium brevi perfrequens factum, omniaque hinc in castra supportabantur. Et quò id tutiùs fieret, stationes ab omnibus castrorum partibus circumdatæ sunt.

Indè Mille fermè passuum castra erant Gallorum, ubi CARMELVS pro regulo erat, III. aut ampliùs Millibus armatorum.

Histri pòst colleis occulto loco considentes, & in omnem occasionem intenti, duo simul præsidia, haud satis munita; Placentinæ cohortis, quæ inter mare & castra erat opposita; & manipulorum II. Legionis, quæ aquatoribus ad flumen præsidio erat; adgrediuntur.

Territi utriusque stationis milites, quibus incerta crepusculi lux multò maiorem, quàm erat, hostium aciem ostenderat; ingenti tumultu quùm in castra confugissent, magnum terrorem fecêrunt.

Ad vocem unius temerè effusam & exauditam; *Ad mare*, vocantis; tous undique castris ad mare decurritur. Nec Cos. ipse frustrà revocare fugienteis conatus, aut imperio, aut precibus ad extremum valuit.

Histri in vacua castra impetu facto; & quibusdam, qui substiterant, oppressis; prætorio deiecto, ad Quæstorium forum, Quintanamque pectam pervenêrunt. Ibi quùm omnium rerum copiam paratam expositamque, & stratos lectos invenissent; regulus accubans epulari cæpit: mox idem cæteri omnes, armorum hostiumque obliti, fecêre; avideque vino ciboque corpora onerabant.

Romani pòst longam terrâ marique trepidationem, & Militum in scaphas ruentium, nautarumque cohibentium, certamen; postquàm Cos. procul à terrâ classem submoveri iussit, & secernere inermeis ab armatis cæpit; simul ex omnibus locis ad castra recipienda, demendamque ignominiam, redire cæpêrunt.

Histrorum pauci, qui modicè vinosi erant, memores fuerant fugæ; alijs somno mors continuata est. integraque omnia sua Romani recepêrunt. Ad VIII. Histrorum Mill. cæsa, captus nemo; quia ira & indignatio immemores prædæ fecit. Rex hostium temulentus, ex convivio raptim à suis in equum impositus, fugit.

Ex incerto adversæ cladis rumore ingens Romæ tumultus fuit; quo non capta tantum ab hostibus castra, & fugam, quæ vera erant; sed perditas res deletumque exercitum omnem, erat adlatum. Donec M. IVNIVS Cos. ex Liguribus in Galliam transgressus, Aquileiam pervênit, & exercitum incolumem repperit ac renuntiavit.

Histri, qui magnis cum copijs castra, haud procul Consulis castris habebant, postquàm alterum Consulem cum exercitu novo advenisse audivêrunt; passim in civitates dilapsi sunt. Et Consules Aquileiam in hiberna legiones reduxêrunt.

MOTVS IN SARDINIA.

Eodem tempore & in Sardiniâ magnum tumultum esse litteris T. EBVTII prætoris cognitum est. Iolenses, adiûctis Balarorum auxilijs, pacatam provinciam invaserant. nec eis invalido exercitu, & magnam partem pestilentiâ absumto, resisti poterat.

Eadem & Sardorum legati nuntiabant, orantes; ut urbibus saltim, (iam enim agros deploratos esse) opem Senatus ferret. Ea res ad novos magistratus reiecta.

LYCIORVM DE RHODIJS QVERELÆ.

Æquè miserabilis legatio Lyciorum fuit; qui crudelitatem Rhodiorum, quibus illi ab L. CORNELIO SCIPIONE, quasi victoriæ, & belli adversùs ANTIOCHVM gesti præmium, erant attributi; querebantur.

„ *Fuisse sub ditione ANTIOCHI, eam regiam servitutem, collatam cum præsenti statu, præclaram libertatem visam.*

„ *Non publico tantum se premi imperio; sed singulos iustum pati servitium.*

„ *Iuxtà se coniuges liberosq; vexari.*

„ *In corpus, in tergum sæviri. famam dehonestari.*

„ *Nihil inter se, & parata argento mancipia, interesse.*

Motus bis Senatus, litteras Lycijs ad Rhodios dedit.

„ *Nec Lycios Rhodijs, nec ullos alicui, quàm qui nati liberi sint, in servitutem dari placere.*

„ *Lycios ità sub Rhodiorum simul imperio & tutelâ esse; ut in ditione pop. Rom. civitates sociæ sint.*

TRIBVNOR. IN MANLIVM COS. CRIMINATIO.

Per eosdem fortè dies M. IVNIVS Cos. ex Histriâ, comitiorum caussâ, Romam venit. Et quoniam prorogatæ Consulibus in annum provinciæ erant; absentem MANLIVM, Tribb. pleb. PAPIRIVS & LICINVS, in concionibus lacerârunt; & rogationem promulgârunt; *ne Manlius post Id. Martias imperium retineret*. Privatum, rationem redditurum, cur ex Galliâ provinciâ, quam sortitus esset, in Histriam transisset: bellumque ibi, *nec Senatu decernente, nec populo iubente*, suscepisset & gessisset; quoniam Consul ad caussam dicendam venire noluisset.

3779. Prol. Philom. 3. Ant. Epiph. 1.	*Comitijs habitis Consules creati C. CLAVDIVS PVLCER, & Tib. SEMPRONIVS GRACCHVS.*	171.

Sardinia, quæ provincia C. MVMMIO prætori obvenerat, propter belli magnitudinem, consularis facta. eamque GRACCHVS sortitus est; & Histriam, CLAVDIVS.

Cn. CORNELIVS SCIPIO; & C. VALERIVS LÆVINVS, prætores, Galliam, in duas divisam provincias, sortiti sunt.

Legationes sociûm Latini nominis, quæ & Censores, & priores Consules fatigaverant; in Senatum introductæ, & questæ sunt: civeis suos Romæ censos plerosque Romam commigrâsse. quod si permittatur; perpaucis lustris futurum, ut deserta opida cum agris nullum militem dare possint. Redire itaque in civitates socij iuberentur: & lege caveretur; *Ne quis quem, civitatis mutandæ caussâ, suum faceret, néve alienaret. Et si quis ità civis Romanus factus esset, civis non esset.* Vide suprà.

Inter cætera prodigia, quæ antè Consulum profectionem, de more nuntiari solebant; Lupus Romæ interdiu exagitatus, quùm Collinâ portâ intrâsset, per Esquilinam, magno consectantium tumultu, evasit.

ISTRI DOMITI.

Intereà M. IVNIVS & A. MANLIVS, qui priore anno Consules fuerant, quùm Aquileiæ hibernâssent; principio veris, in Histrorum fineis exercitum introduxérunt.

Dolor & indignatio magis Histros, quàm satis certa spes victoriæ, excívit. Repentinus & tumultuarius exercitus acriùs primo impetu, quàm perseverantiùs pugnavit. Ad IV. eorum Millia in acie cæsa; cæteri in suas passim civitates diffugérunt. Inde legatos primùm ad pacem petendam in castra Romana; deinde obsides imperatos misérunt.

CLAVDIJ COS. TEMERITAS.

CLAVDIVS Cos. veritus ne ea res fortè provinciam sibi exercitumque adimeret; non votis nuncupatis, non Paludatis lictoribus (conscio tantùm collegâ) nocte profectus, præceps in provinciam abijt. ibique inconsultiùs quàm venerat se gessit.

Militibus, fugam è castris MANLII; M. IVNIO, dedecoris societatem, exprobrat; & utrumque ad extremum decedere provinciâ iubet, vinctos se illos Romam missurum minitatus.

Quùm verò circumfusus exercitus, favens imperatorum suorum caussæ, & Consuli infestus, animos ad non parendum adderet; fatigatus tandem ille & contumelijs singulorum, & multitudinis ludibrijs, nave eâdem, quâ venerat, Aquileiam redijt.

Indè collegæ scripsit; ut ediceret militibus novis, in Histriam provinciam conscriptis, Aquileiam ut convenirent. Et litteras suas propè consecutus, habitâ obiter de proconsulibus concione; neque triduo plus Romæ moratus, Paludatis lictoribus, votisque in Capitolio ritè nuncupatis, in provinciam æquè ampliùs præcipiti celeritate pervénit.

NESA-

NESATIVM OPPVGNATVR. DIRVM CIVIVM FACINVS, ET CÆDES.

Paucis antè diebus, Iunius Manliusque Nesatium oppidum, quò se Histrorum principes, & regulus ipse Æpulo receperat, summa vi oppugnârant.

Quò Claudius II. legionibus novis adductis, (veterem namque exercitum cum suis ducibus dimiserat) ipse oppidum circumsedit, & vineis oppugnare intendit. amnemque præterfluentem mœnia, qui & impedimento oppugnantibus erat, & aquationem Histris præbebat, multorum dierum opere, exceptum novo alveo, avertit.

Ea res Barbaros miraculo terruit abscisæ aquæ. Et ne tum quidem memores pacis, in cædem coniugum ac liberorum versi; etiam ut spectaculo hostibus tàm fœdum facinus esset; palam in muris trucidatos præcipitabant.

Inter simul complorationem feminarum puerorumque, simul nefandam cædem, milites transgressi murum, oppidum intrârunt. Cuius capti tumultum ut accepit rex; traiecit ferro pectus: cæteri capti aut occisi.

Duo deinde oppida, Mutila & Faveria, vi capta & deleta. v. capitum Millia, & eò amplius, sub coronam venierunt. Auctores belli, virgis cæsi & securi percussi.

Histria tota, III. oppidorum excidio, & morte regis pacata est: omnesque passim populi, obsidibus datis, in ditionem venerunt.

Quùm apud Ligures concilia de bello haberi cœpta esse, ex litteris T. Claudii proconsulis, qui prætor priore anno fuerat, & cum præsidio legionis unius Pisis tum præerat, cognitum esset; Senatus eas ipsas litteras ad C. Claudium (nam Sempronius alter Cos. iam in Sardiniam traiecerat) deferendas censuit, & decretum adiecit; *Quoniam Histria provincia confecta esset; si ei videretur, exercitum traduceret in Ligures.*

SARDI DOMITI.

Ab altero, quem dixi, Consule, in Sardiniâ res prosperè gestæ. Exercitum ille in agrum Sardorum Iolensium induxerat; & magna Balarorum auxilia Iolensibus venerant. Cum utrâque gente signis collatis conflixit. Fusi fugatique hostes & castris exuti. XII. armatorum Mill. cæsa. arma lecta & in acervum coniecta, Consul, tamquam Vulcano Sacrum, cremavit: & victorem exercitum in hiberna sociarum urbium reduxit.

COS. IN LIGVRES DVCIT, ET VINCIT.

C. Claudius verò, accepto cum litteris decreto, ex Histriâ legiones in Ligures transduxit. Hostes ad Scultennam fl. in campos progressi castra habebant. Ibi cum his acie dimicatum. XV. M. cæsa: plus DCC. aut in prœlio, aut in castris capti, cum signis militaribus.

Ligures, reliquiæ cædis, in monteis refugêrunt passim: populantique campestres agros Consuli nulla usquàm apparuêrunt arma.

Claudius duarum gentium uno anno victor, duabus, quod rarò alius, in consulatu pacatis provinciis, Romam revertit: & in magistratu de iis simul triumphavit.

LIGVRES ITERVM REBELLANT.

Dum is triumphus de Liguribus agebatur; Ligures postquàm senserunt non consularem tantùm exercitum Romam adductum, sed legionem ab T. Claudio Pisis dimissam; soluti metu, clàm exercitu indicto, per transversos limites superatis montibus, in campos digressi, agrum Mutinensem populati, repentino impetu coloniam ipsam ceperunt. Eo cognito, Senatus eumdem consulem comitia primo quoque tempore habere iussit; creatisque in annum magistratibus, in provinciam redire.

3780. Ptol. Philom. 4. Ant. Epiph. 2.	*Comitia itaq. habita: & creati Coss. Cn. CORNELIVS SCIPIO HISPALVS, & Q. PETILIVS SPVRINVS.*	170.

Et C. Claudio prorogatum in annum imperium, & Gallia provincia. Et ne Histri quoque idem, quod & Ligures, tentarent; socios nominis Latini in Histriam mitteret, quos triumphi caussâ de provinciâ deduxisset.

Sortitione inter Consules factâ, Pisæ Cn. Cornelio; Ligures Petilio obvenêrunt.

PRÆTORVM DVORVM MODESTIA.

Duo ex prætoribus deprecati sunt, ne in provincias sibi destinatas ire cogerentur: M. Popilius in Sardiniam, quàm Gracchus præsens pacaret; ne imperii interruptione benè gerendæ rei occasiones intercidêrent. Et P. Licinius Crassus, in Hispaniam citeriorem; qui sacrificiis se impediri solennibus excusaret. Ambo coràm Cos. Cornelio accepto iureiurando in eadem verba iurârunt.

INOPINA MORS CONS. CORNELII.

Ad religionem, ob Latinas ferias non ritè factas, populo Romano iniectam, accesserat, quòd Cn. Cornelius Cos. ex monte Albano rediens concidit; & parte membrorum captus, ad aquasque Cumanas

Cumanas profectus, ingravescente morbo, Cumis decessit. Indè mortuus Romam adlatus; & funere magnifico elatus sepultusque. Idem Cos. & Pontifex fuerat.

Q. PETILIVS quùm primum per auspicia posset, collegæ subrogando comitia habere iussus, & Latinas edicere.

MVTINA RECEPTA.

Et dum Coss. primùm religiones; deinde alterum alterius mors, & Comitia, & Latinarum instaurationes, impediunt; interim C. CLAVDIVS exercitum ad Mutinam, quam Ligures nuper ceperant, admovit. Antè triduum, quàm oppugnare cæperat, receptam ex hostibus, colonis restituit. VIII. Ligurum Mill. intrà muros cæsa.

Gloriatus est suis ad Senatum litteris CLAVDIVS; Suâ virtute ac felicitate neminem iam cis Alpeis hostem populi Romani, esse: agrique aliquantum captum, quod multis hominum Millibus dividi viritim possit.

SARDI DOMITI A SEMPRONIO.

Eodem tempore TIB. SEMPRONIVS secundis prœlijs Sardos domuit, & ad XV. Mill. cecidit. Qui defecerant, omnes in deditionem redacti. stipendiarijs veteribus duplex vectigal Imperatum, exactumque: cæteri frumentum contulérunt. obsides ex totâ Insulâ CCXXX. accepti. Proconsul triumphi cupidus, cum exercitu eo anno in provinciâ manere iussus.

Comitia deinde Consulis unius subrogandi, quæ ad diem III. Nonas Sextileis edicta erant; eo ipso die fuut confecta. Q. PETILIVS Cos. collegam, qui extemplò magistratum occiperet, creavit, M. VALERIVM LÆVINVM.

NOVA IN LIGVRES EXPEDITIO.

Is iamdiu cupidus provinciæ, quùm nuntiatum esset Ligures rebellâsse; Non Sextilib. Paludatus, tumultus eius causâ, legionem tertiam ad C. CLAVDIVM procos. in Galliam proficisci iussit: & II. Viros navaleis, cum classe, Pisas ire, qui Ligurum oram, maritimum quoque terrorem admoventes, circumvectarentur. Eódem & Q. PETILIVS Cos. ad conveniendum, exercitui diem edixerat.

C. CLAVDIVS præter eas copias, quas secum Parmæ habebat, collectis subitò militibus exercitum ad fineis Ligurum admovit.

LIGVRVM FERITAS.

Sub eius adventum hostes, cladis nuper acceptæ memores, locorum magis præsidio adversùs infeliciter expertam vim, quàm armis se defensuri, duos monteis, Letum & Balistam, cepérunt, muroque insuper amplexi.

Tardiùs ex agris demigrantes, oppressi ad M. & D. periérunt. Cæteri montibus se tenebant; & ne in metu quidem feritatis ingenitæ obliti, sæviunt in prædam, quæ Mutinæ parta erat. Captivos cum fœda laceratione interficiunt: pecora in fanis trucidant veriùs passim, quàm ritè sacrificant.

Litteris à PETILIO acceptis, CLAVDIVS ex Liguribus castra in Galliam movit; exercitum que ad Campos-Macros Consuli tradidit.

Eodem paucis post diebus C. VALERIVS Cos. alter venit. Ibi divisis copijs, priùs quàm digrederentur, communiter ambo exercitûs lustravérunt; tum sortiti regiones, quas diversi peterent.

VALERIVM ferunt auspicatò, & quidem in Templo, sortitum: in PETILIO, id vitio, & extrà Templum, factum.

OMEN CONSVLIS INFAVSTVM, ET EXITVS.

PETILIVS adversùs Balistæ & Leti iugum, quod eos monteis perpetuo dorso inter se iungit, castra habuit. Ibi inter adhortationem militum, ambiguo verbo ominatus fertur; *Se eo die Letum capturum esse*.

Ipse dum incautiùs, ut aciem inclinatam restitueret; antè signa obversatur, missili traiectus cecidit; *& fortuitum vocis iactum leto suo confirmavit*.

Nec hostes ducem occisum sensérunt; & suorum pauci, qui viderant, haud negligenter corpus Consulis occultavére.

LIGVRES CÆDVNTVR.

Alia interim multitudo peditum equitumque, qui ex diversâ parte impigrè successerant; deturbatis hostibus, monteis sine duce cepére. Ad V. Ligurum Mill. occisa. Ex Romano exercitu II. Mill. & L. cecidérunt. C. VALERIVS, auditâ collegæ morte, exercitum deduxit.

IMPIA IASONIS NVNDINATIO. PVBLICI MALI LABES.

Apud Iudæos, IASON, (Iesus antè dictus) SIMONIS II. Pontificis F. simulac ANTIOCHVM Nobilem regnare audivit; ad eum accessit, CCCLX. talenta offerens; atque insuper alia CCL. pollicitus, ut Pontificatum emercaretur.

Grata ea res avaro regi fuit. IASON igitur ANTIOCHI diplomate instructus, Hierosolyma redit: fratrem ONIAM, eo nomine Tertium, sacerdotio circumscribit; eoque ad triennium fruitur. Néve quid sacrilegio deesset; profanos Græcorum ritus, Panegyreis & Gymnasia introducit; & Antiochenos Sodaleis in urbe instituit.

Quin

3781. Ptol. Philom. 5. Ant. Epiph. 3.

Quùm comitiorum tempus Romæ appeteret; periti religionum, iurisq; publici, quando duo ordinarij Coss. eius anni, alter morbo, alter ferro perijssent; suffectum Consulem (is VALERIVS LÆVINVS erat) negabant comitia habere posse.

Creati nihilo minus Consules sunt, P. MVCIVS SCÆVOLA, & M. AIMYLIVS LEPIDVS. 169.

Mvcivs, inter Andenam amnem, cum ijs Liguribus, qui Lunam Pisasque depopulati erant, bellum gessit: omnibusque in ditionem redactis arma ademit.

Ob res in Galliâ Liguribusque gestas (quæ inciderunt, & famâ obscuræ fuere) duorum Consulum ductu auspicioque; senatus in triduum supplicationes decrevit.

Et tumultus quidem Gallicus & Ligustinus, qui principio eius anni exortus erat; haud magno conatu brevi oppressus est.

METVS BELLI A MACEDONE.

Belli Macedonici subibat iam cura, miscente Perseo, inter Dardanos Bastarnasque, certamina. Et legati, qui missi ad res visendas in Macedoniam erant, iam reverterant Romam; renuntiaverantq; bellum in Dardaniâ esse.

Simul venerant & ab rege Perseo oratores, qui purgarent; nec accitos ab eo Bastarnas, nec auctore eo quidquam facere.

Senatus nec liberavit eius culpæ regem, neque arguit. Moneri eum tantummodò iussit, ut etiam atque etiam curaret, ut sanctum haberet fedus, quod ei cum Romanis esse videri vellet.

DARDANI VARIO MARTE oppugnant Bastarnas.

Dardani quùm Bastarnas non modò non excedere finibus suis, quòd speraverant; sed graviores fieri in dies cernerent, subnixos Thracum accolarum & Scordiscorum auxilijs; audendum aliquid vel temerè rati, omnes undique armati ad oppidum, quod proximum castris Bastarnarum erat, conveniunt. Et ubi Thracas cum Scordiscis, ob hiemem impendentem, in fineis suos abijsse audiérunt; bifariam dividont copias. Pars, ut recto itinere ad lacessendum ex aperto iret; pars devio saltu circumducta, ab tergo adgrederetur.

Cæterùm, prius quàm hi castra hostium circumire possent, pugnatum est: victique Dardani compelluntur in urbem, quæ ferè XII. Millia à Bastarnarum castris aberat. Victores confestim circumsidunt urbem: haud dubiè postero die, aut metu dedituris se hostibus, aut vi expugnaturi.

Interim Dardanorum altera manus, quæ circumducta erat, ignara cladis suorum, castra Bastarnarum sine præsidio relicta invadit, & cepit.

PERSEI MORES, ET INCONSTANTIA.

Persevs rex tantâ erat ingenij mobilitate per omnia vitæ genera errans, uti nec sibi nec alijs, qui nam homo esset, satis constaret. Quidam ludere eum simpliciter; quidam haud dubiè insanire aiebant. beneficia spargebat potiùs, quàm collocabat. in viros illustreis & benè meritos, sordidus sæpè: & si libido fecisset auspicium, etiam in obvios, & nihildum meritos, præter spem cuiusque effusus.

In pomparum inania, alìaque spectacula, & substructionum insana, perditè prodigus.

In urbium Donis, Deorumq; cultu, verè regium animum ostentare adfectabat; eâque magnificentiâ superiores reges vincere contendebat.

Gladiatoria munera Romanę consuetudinis, primò maiore cum terrore hominum, insuetorum ad tale spectaculum, quàm voluptate dedit: deinde sæpius dando, & modò vulneribus tenus; modò sine missione etiam, & familiare oculis, gratumque id spectaculum fecit; & armorum studium plerisque iuvenum accendit. ut magnis præmijs paratos gladiarores deinceps ab Româ arcessere opus non esset.

3782. Ptol. Philom. 6. Ant. Epiph. 4.

Habitis comitijs, Consules creati, Sp. POSTHVMIVS ALBINVS, & Q. MVCIVS SCÆVOLA. 168.

M. Attilivs, cui prætori Sardinia provincia obvenerat, cum legione novâ, quam Coss. conscripserant; v. Millib. pedit. & ccc. equitibus, in Corsicam iussus est transire. Et dum is ibi bellum gereret, Cornelio prorogatum imperium, uti obtineret Sardiniam.

Cn. Servilio Cæpioni in Hispaniam ulteriorem, & P. Fvrio Philo in citeriorem, III. M. pedit. Romanorum, equites CL. Et sociûm Latini nominis v. pedit. Mill. ccc. equites, attributi. Sicilia L. Clavdio sine supplemento decreta.

Consulibus, qui II. præterea legiones scribere iussi erant; cum iusto numero pedit. equitumque; & x. Mill. peditum, cum DC. equitibus, Socijs imperare.

GRAVIS PESTILENTIA.

Delectus eò difficilior erat, quod pestilentia, quæ priore anno in boves, aliasque pecudes ingruerat; eo verterat in hominum morbos. Qui inciderant; haud facilè septimum diem superabant. qui superaverant; longinquo, maximè quartanæ, implicabantur morbo.

Servitia in primis moriebantur: eorum strages per omneis vias insepultorum erat. Et ne liberorum quidem funeribus Libitina sufficiebat. Cadavera, intacta à canibus & vulturibus, tabes absumebat: neque toto hoc biennio, in tam promiscuâ cadaverum strage, vulturius usquàm visus est.

Sacerdotes publici eâ pestilentiâ VI. aut VII. exstincti sunt. Pestis tandem votis publicis ac supplicationibus procurari visa.

NOVÆ BELLI MOLITIONES.

Legati, qui convento prius MASANISSA rege, Carthaginem ierant, ex Africâ nonis Iunij rediérunt. Ibi compertum adfirmárunt, legatos ab rege PERSEO venisse; iisque noctu Senatum datum esse.

Ab Carthagine legatos in Macedoniam missos, & rex MASANISSA adfirmaverat; & ipsi Carthaginienses parum constanter negaverant. Itaque mittendos quoque in Macedoniam legatos Senatus censuit.

PERSEI EXPEDITIO IN DOLOPAS.

PERSEVS per id tempus, quia quidam Dolopum non parebant; & de quibus ambigebatur rebus, disceptationem ab rege ad Romanos revocabant; cum exercitu profectus, sub ius iudiciumque suum totam coëgit gentem.

Indè per Oetéos monteis transgressus, religionibus quibusdam animo obiectis, oraculum consulturus Delphos adscendit. Quùm in mediâ repentè Græciâ apparuisset, magnum non finitimis modò urbibus terrorem præbuit; sed in Asiam quoque ad regem EVMENEM nuntius tumultûs eius venit.

Triduum non plus Delphis moratus, per Phthiotidem, Achaiam, Thessaliamque, sine damno iniuriâque agrorum, per quos iter faciebat, in regnum rediit.

PERSEVS CIVITATVM ANIMOS conciliare sibi tentat.

Nec earum tantum civitatum, per quas iturus erat, fatis habuit animos sibi conciliare; sed aut legatos, aut litteras dimisit, petens ne diutiùs simultatum, quæ cum Patre suo fuissent, meminissent. nec enim tàm atroceis eas fuisse, ut non cum eo deberent ac poterint finiri. secum quidem omnia illis integra esse, ad instituendam fideliter amicitiam.

Cum Achæorum maximè gente reconciliandæ gratiæ viam quærebat. Illa una ex omni Græciâ gens, & Atheniensium civitas, vivente adhuc PHILIPPO, eò processerat irarum, ut publico decreto finibus suis, & totâ Peloponneso interdiceret Macedonibus.

Itaque servitijs ex Achaiâ fugientibus receptaculum Macedonia erat; quia nec ipsi Achæi intrare regni terminos audebant.

Id quùm Perseus animadvertisset; comprehensis omnibus, litteras ad Achæos misit, se servosrum & transfugas benignè remittere: cæterùm ne similis fuga posteà fieret, cogitandum & illis esse.

XENARCHVS præt. eiusque frater Arcon, censebant posse munus admitti, & aliquid de simultate in Macedonas remitti, illibato societatis cum Romanis initæ fœdere.

Sed vicit CALLICRATES, qui in eo gentis salutem verti crederet; *si cum Romanis inviolatum fœdus servaretur.*

Et indignantibus principibus, quòd quam rem ne legatione quidem dignam ipse PERSEVS iudicâsset; litteris paucorum versuum imperaret, ut decretum differretur; obtinuit. Et quùm deinde rex ad Concilium, quod Megalopoli erat, legatos misisset, ij qui offensionem apud Romanos timebant, operam dedérunt, ne admitterentur.

ÆTOLORVM INTESTINVS FVROR.

Per idem tempus Ætolorum in semetipsos versus furor, mutuis cædibus ad internecionem adducturus videbatur gentem. Fessi deinde, & Romam utraque pars misérunt legatos; & inter se ipsi de reconciliandâ concordiâ agebant. Quæ novo facinore discussa res, veteres etiam iras excitavit.

Exsulibus Hypatæis, qui factionis PROXENI erant, quùm reditus in patriam promissus esset, fidesque data per principem civitatis EVPOLEMVM; LXXX. illustres homines, quibus redeuntibus, inter cæteram multitudinem, EVPOLEMVS etiam obvius exierat; cum salutatione benignè excepti essent, dextræque datæ; ingredientes portam, fidem datam deosque testeis nequidquam invocantes, interfecti sunt. Inde gravius de-integro bellum exarsit.

Iamque legati ab Senatu missi ad res visendas in Græciam venerant: & apud eos Delphis utriusque partis legati magno certamine agebant.

PROXENVS maximè cum caussâ, tum eloquentiâ præstare visus est. qui paucos post dies ab Orthobulâ uxore veneno est sublatus: damnataque eo crimine, in exsilium abijt.

CRETENSES A PARI FVRORE LABORANT.

Idem furor & Cretenseis lacerabat. Adventu deinde Q. Minutij legati, qui cum X. navibus missus ad sedanda eorum certamina erat; in spem pacis venerant. Cæterùm induciæ & anteà VI. mensium fuérunt: indè multò gravius bellum exarsit.

Lycij quoque per idem tempus ab Rhodijs bello vexabantur.

CELTIBERI ITERVM DOMITI.

Celtiberi in Hispaniâ, qui bello domiti se Tib. GRACCHO dediderant; pacatique manserant, M. TITINIO præt. obtinente provinciam; rebellârunt

runt sub adventum Ap. Claudij. Orsique bellum sunt ab repentinâ oppugnatione castrorum Romanorum.

Vigilibus pro vallo, quique in portarum stationibus erant, ad arma conclamantibus; Ap. CLAVDIVS signo pugnæ proposito, tribus simul portis militem eduxit. Expansâ paullatim acie, & cornibus exæquatis, Romanorum impetum hostes sustinere nequiérunt. ad xv. Mill. cæsi aut capti: & castris expugnatis, eo die debellatum.

Qui superfuére prœlio, in opida sua dilapsi; quieti deinde paruérunt imperio.

PATAVINI PACATI.

M. ÆMYLIO proconsuli (qui Consul anno priore fuerat) Senatus negotium dedit, ut Patavinorum in Venetiâ seditionem comprimeret; quos certamine factionum ad intestinum bellum exarsisse legati etiam ipsorum adtulerant. Illis Consulis adventus saluti fuit. Qui verò in Ætoliam legati ad similes motus comprimendos ierant; renuntiárunt, rabiem gentis coerceri non potuisse.

3783. Prol. Philom. 7. Ant. Epiph. 5. | *Iam consularia comitia appetebant, quibus magnâ contentione habitis, propter multitudinem petentium; creati L. POSTHVMIVS ALBINVS, & M. POPILIVS LÆNAS.* | 167.

TRIVMPHATVM DE SARDIS.

Eo anno Tabula, in Æde Matris Matutæ, cum indice hoc posita. *Tib. Sempronij Gracchi Consulis imperio auspicioq̃, legio exercituq̃, pop. Rom. Sardiniam subegit.* In eâ provinciâ hostium cæsa aut capta supra LXXX. Mill. (Tantum ille captivorum adduxisse traditur, ut longâ venditione res in proverbium veniret; *Sardi venales.*) & de ijs triumphatum.

Vtrique Consulum Ligures decreti sunt. Sed priusquàm proficiscerentur, Senatui placuit; L. POSTHVMIVM Cos. ad agrum publicum, à privato terminandum, in Campaniam ire: cuius ingentem modum possidére privatos, paullatim proferendo fineis, constabat.

INIQVÆ POSTHVMIJ EXACTIONES A PRÆNESTINIS. Res mali exempli in posterum.

Hic iratus Prænestinis, quòd quùm eò privatus, sacrificij, in Templo Fortunæ faciundi, causâ, profectus esset; nihil in se honorificè, neque publicè, neque privatim, ab incolis factû esset; priusquàm ab Româ proficisceretur, litteras Præneste misit; *ut sibi magistratus obviam exiret. locum publicè pararet, ubi diverteretur: iumentaq̃ cum exiret inde, præstò essent.* (Antè hûc Cos. nemo umquam socijs ullâ in re oneri aut sumtui fuit.) Iniuria Cos. etiamsi iusta, non tamen in magistratu exercenda fuit. Et silentium, nimis aut modestum, aut timidum, Prænestinorum, ius, veluti probato exemplo, magistratibus fecit, graviorum in dies talis generis imperiorum & onerum.

Legati verò, qui in Ætoliam & Macedoniam missi erant, renuntiárunt: sibi conveniendi regis PERSEI, quùm alij abesse eum; alij ægrum esse, falsò utrumque, fingerent; potestatem minimè factam. facilè tamen apparuisse sibi, bellum parari; nec ultrà ad arma ire dilaturum.

ÆDES FORTVNÆ EQVESTRIS.

Q. FVLVIVS FLACCVS, A. POSTHVMII ALBINI in censurâ collega, Ædem Fortunæ Equestris, quam in Hispaniâ prætor bello Celtiberico voverat, enixo studio faciebat; ne ullum Romæ amplius aut magnificentius Templum esset.

Profectus in Bruttios, Ædem Iunonis Laciniæ (quam neque Pyrrhus, neque Annibal violássent) ad partem dimidiam detegit, ut tegulis marmoreis ipsius Templum exornaretur. Tegulæ, fremitu populi patrumque in Curiâ exorto, ex Senatûs-consulto, in templum suum reportatæ: & quòd nemo artifex reponendarum rationem inire posset, in areâ Templi relictæ.

Eodem anno, quùm agri Ligustini & Gallici, quod bello captum erat, aliquantum vacaret; S. natûs-consulto factum, ut is ager viritim divideretur.

PERSEI MOLITIONES.

Venérunt & Romam ex Ætolia legati de discordijs seditionibusque suis. & ex Thessaliâ; nuntiantes, quæ in Macedoniâ gererentur.

PERSEVS iam bellum vivo Patre cogitatum in animo volvens, omneis non modò genteis Græciæ, sed civitates etiam, mittendis legationibus; pollicendo plura, quàm præstando, sibi conciliabat.

PERSEI ET EVMENIS COMPARATIO.

Erant tamen magnâ ex parte hominum ad favorem eius inclinati animi; & aliquantò quam in EVMENEM propensiores. Licet EVMENIS beneficijs muneribusque omnes Græciæ civitates, & plerique principum obligati essent. & ità se in regno suo gereret, ut quæ sub ditione eius urbes essent, nullius liberæ civitatis fortunam secum mutatam vellent.

Contrà, PERSEA fama erat, post Patris mortem, uxorem manu suâ occidisse: APELLEM, ministrum quondam fraudis in fratre DEMETRIO tollendo, quantumvis exsulantem, post Patris, qui illum ad supplicium requisierat, mortem; ad præmia tantæ rei perpetratæ, ingentibus promissis arcessitum, clàm interfecisse.

Multis prætereà cædibus infamem; nec ullo cõmendabilem merito, pleræque civitates EVMENI præferebant; seu famâ & maiestate Macedonum regum præoccupati, ad spernendum originem novi regis: seu mutationis rerum cupidi; seu quia eum obiectum esse Romanis, imparì luctâ, lutum ferro cõmissuri; & ignari se quoque PERSEI ruinâ obterendos, enixè volebant.

AP. CLAVDII, ET MARCELLI prudentia in rebus componendis.

Erant autem non Ætoli modò in seditionibus, propter ingentem vim æris alieni; sed Thessali etiã. eàdemque contagione, velut tabes, in Perrhæbiam quoque id pervaserat malum.

Ap. CLAVDIVS ad res Thessalorum inspiciendas componendasque à Senatu missus, utriusque partis principibus castigatis, quùm iniusto fenore gravatum æs alienum, ipsis magnâ ex parte concedentibus, qui onerârant, levâsset; iusti crediti solutionem in annorum pensiones distribuit. Eodem auctore & modo res in Perrhæbiâ compositæ.

Ætolorum caussas, hostilibus actas animis, quas intestino gesserant bello, MARCELLVS Delphis cognovit. Qui quùm certatum utrimque temeritate atque audaciâ cerneret; decreto quidem suo neutram partem aut onerare, aut levare voluit; sed cõmuniter ab utrisque petijt: *Ab stinerent bello; & oblivione præteritorum discordias finirent*. Cuius reconciliationis inter ipsos fides, obsidibus ultro citroque datis, firmata est. Et Corinthum, ubi deponerentur obsides, convenitur.

A Delphis itaque, & Ætolico consilio, MARCELLVS in Peloponnesum traiecit, quò Achæis conventum edixerat.

Vbi collaudatâ gente, quòd constanter vetus decretum, de arcendis, aditu finium, regibus Macedonum, tenuissent; insigne adversùs PERSEA odium Romanorum fecit. Quod ut maturiùs erumperet; EVMENES rex commentarium ferens secum, quod de apparatibus belli omnia inquirens, fecerat, Romam venit.

Quinque per idem tempus legati ad regem missi, qui res in Macedoniâ specularentur. & ijdem Alexandriam ad PTOLEMÆVM, renovandæ amicitiæ caussâ, proficisci iussi.

LEGATIO ANTIOCHI EPIPH. Romam, cum muneribus.

Et ab rege ANTIOCHO EPIPHANE legati, principe APOLLONIO, venérunt; & in Senatum introducti, regem excusârunt; quòd stipendium seriùs, quoad diem, præstaret. Donum se præthereà adferte, vasa aurea quingentûm pondo.

Petere regem; *ut quæ cum Patre suo societas atque amicitia fuisset; ea secum renovaretur: imperaretque sibi pop. Romanus, quæ bono fideliq; socio regi imperare fas esset: se nullo usquàm cessaturum officio. Plurimum se Romanis debere; quòd quùm obses Romæ esset, tamen pro rege, non pro obside, omnibus ordinibus fuerit.*

Quæstores urbani, stipendium; vasa aurea Censores accepérunt, ut quibus videretur in templis deponerent. Legato regis, qui maximo in honore apud ipsum, & amicissimus populi Rom. esse renuntiabatur; Centum Millium æris munus missum: & præter liberas ædeis hospitio datas, sumtus etiam decretus, donec in Italia esset.

CORSI PACATI.

C. CICEREIVS præt. in Corsicâ signis collatis pugnavit. VII. Corsorum Mill. cæsa; capti amplius M. & DCC. Pax deinde datâ petentibus Corsis; & exacta ceræ ducena Millia pondo. Indè CICEREIVS in Sardiniam transmisit.

LIGVRES CÆSI. DVRIVS ACCEPTI, & mòx clementiùs habiti.

In Liguribus quoque, in agro Stellate, pugnatum ad opidum Carystum. Illi primò sub adventum M. Popilij Cos. mœnibus sese continebant. deinde postquàm opidum à Romano oppugnãdum cernebant, progressi antè Portas aciem struxérunt. Nec Cos. certamini moram fecit.

Ibi post trium ampliùs horarum pugnam, quùm neutrò inclinaret spes; neque ullâ parte Ligurum signa moverentur; Consule imperante, pars magna equitum mediam hostium traiecit aciem; & ad terga pugnantium pervasit. Terrore indè iniecto Ligures in omneis partes fugérunt; perpauci retrò in opidum. x. hominum Mill. cæsa traduntur; ampliùs DCC. passim capti. Romani ex suis ad III. plus Mill. amisére.

Post hanc pugnam, ex diversâ fuga in unum collecti Ligures, quùm maiorem multò partem civium amissam, quàm superesse cernerent; (nec enim plus x. hominum Millia erant) dedidérunt sese. nihil quidem illi pacti, quòd sperarent non atrociùs, quàm superiores Imperatores, Cos. in se sæviturum.

DVRITIES COS. IN DEDITOS.

At ille arma omnibus ademit: opidum diruit; ipsos bonaque ipsorum vendidit.

Atrox ea res visa Senatui. Placuit itaque M. POPILIVM Cos. Ligures, pretio emtoribus reddito, ipsos restituere in libertatem: bonaque ut ijs, quà fieri posset, reddantur, curare. Arma primo quoque tempore fieri in eâ gente. Consulem de provinciâ decedere, quùm deditos in fidem suam Ligures restituisset.

Cõsul eo facto irritatus, quùm, legionibus extemplò Pisas in hibernacula missis, Romam redijsset; & à Patribus postulâsset; *ut Senatus-consultum in se factum tolli iuberent; & ob benè gestam rem, publicam supplicationem decernerent*; neutrâ re impetratâ, in provinciam redit.

Alter

3784. | *Alter Cos. POSTHVMIVS, consumtâ in agris recognoscendis æstate, ne vitâ quidem provinciâ suâ; comitiorum causâ Romam rediit.* | 166.
Ptol. Philom. 8.
Ant. Epiph. 6.

Coss. C. Popilium Lænatem, P. Ælium Ligurem, ereavit.

L. POSTHVMIVS ALBINVS, Q. Fulvij Flacci in censurâ collegâ, lustrum condidit. Censa sunt civium Roman. capita CCLXIX. M. & XV.

MIRA LOCVSTARVM LVES.

Locustarum tantæ nubes à mari vento repentè in Apuliam illatæ sunt; ut examinibus suis agros latè operirent. Ad eam pestem frugum tollendam, Cn. SICINIVS præt. designatus, & cum imperio in Apuliam missus, ingenti hominum agmine ad colligendas eas coacto, aliquantùm temporis absumsit.

DISSIDIA IN IVDÆIS, ET SCELERATÆ PONTIFICVM NVNDINATIONES.

Apud Iudæos, IASON, Iudæorum Pontifex, ANTIOCHO mittit pecuniam antè triennium promissam, per MENELAVM fratrem.

Is eam suo, non fratris nomine, dedit: stipulatus insuper CCC. talenta, si sacerdotij dignitas ipsi deferretur. Quod non illubens annuit ANTIOCHVS.

Ita IASON eâdem arte Pontificatum amittit; quâ fratrem ONIAM eòdem circumscripserat; & pulsus in Ammanitidem profugit regionem.

MENELAVS verò eo honore auctus, non Sacerdotis, sed crudelis tyranni animum, & feræ belluæ iram induit.

Et ut sibi ANDRONICI, quem rex ANTIOCHVS in Cilicia, apud Tharsenses & Mallotas, rerum suarum procuratorem reliquerat; gratiam emercaretur; aurea quædam vasa è Templo furatus, eidem donavit. alia Tyri, & vicinis opidis, vendiderat.

Quam ob rem à fratre Oniâ III. increpitus, eumdem ANDRONICVM, sicarium, immittit, qui fratrem, Antiocheni publicâ tum Asyli, secùs Daphnen, religione se tutantem, per fraudem indè abducat, & abductum confodiat.

Sed ANDRONICVS non multo-post sacrilegij perpetrati pœnas, Iudæis simul & Græcis apud ANTIOCHVM conquerentibus, expendit: purpurâque exutus, & totâ Antiochiæ civitate circumductus, eodem in loco, quo ONIAM scelerate interfecerat, vitâ privatus est.

CRIMINA IN PERSEVM.

EVMENES rex, (alijs, ATTALVS, EVMENIS frater est) Romam venit, magno honore exceptus, ut coràm moneret Senatum; PERSEI conatis obviàm iret.

Illum, præter paratum sibi Græciæ atque Asiæ civitatum favorem; inter ipsos quoque reges ingentem auctoritate. SELEVCI, qui frater ANTIOCHI fuit, filiam duxisse, ultrò petitum. Sororem suam verò, PRVSIÆ expetenti atque oranti nuptum elocâsse.

Bœotorum gentis tribus nunc locis cum PERSEO fœdus incisum litteris esse; uno Thebis; altero ad Sidenum celeberrimo templo; tertio ad Delum.

Achæos & Ætolos ad societatem ab eo solicitari.

Eos illum domesticos belli ad paratus habere, ut externis non egeat. XXX. Mill. peditum, & V. equitum. In X. annos frumentum præparare; ut abstinere & suo & hostium agro, frumentandi caussâ, possit.

Iàm pecuniam tantam habere, ut X. Millia mercenariorum militum, præter Macedonum copias; stipendium, in totidem annos præparatum habeat, præter annuum, quod ex metallis regijs capiat, vectigal.

Arma vel tribus tantis exercitibus in armamentaria congessisse.

Iuventutem, ut iam Macedonia deficiat; velut ex perenni fonte undè hauriat; Thraciam subiectam esse.

LEGATIO EIVS ROMAM, REIECTA.

PERSEI deinde regis legatis Senatus datus. Cæterum præoccupatis non auribus magis, quàm animis ab EVMENE rege, omnis & defensio, & deprecatio legatorum respuebatur.

Et exasperavit animos ferocia animi, in HARPALO, qui princeps legationis.

Velle quidem & laborare, dicebat, *regem, ut purganti se nihil hostile dixisse aut fecisse, fides habeatur. Cæterùm, si pervicacius caussam belli quæri videat; forti animo defensurum se. Martem communem esse, & eventum incertum belli.*

RHODII LEGATI INTEMPERANTIA.

SATYRVS quoque, Rhodiorum legatus, haud dubius, quin EVMENES civitatem quoque suâ PERSEI criminibus iunxisset; loco disceptandi cum eodem rege in Senatu quæsito; libertate intemperantiùs in illum invectus, quòd Lyciorum gentem adversùs Rhodios concitâsset; graviorque Asiæ esset, quàm Antiochus fuisset; orationem populis quidem Asiæ (quò & favor PERSEI iam venerat) gratam; sed Senatui invisam, inutilemque sibi & civitati suæ, habuisse visus est.

Et legationibus dimissis, quùm HARPALVS celeriter in Macedoniam regressus nuntiâsset regi; Romanos nondum quidem bellum parare; sed ità infestos reliquisse, ut satis appareret non dilaturos. & ipse, præterquàm quod & ità credebat futurum, iam etiam volebat: in flore virium iam credens esse.

PERSEVS

PERSEVS SICARIOS EVMENI IMMITTIT.

Et Eumeni antè omneis infestus, ab eius sanguine quasi ordiri bellum volens, sicarios ad regis cædem subornat.

Illi redeuntem, per Græciam, ac Delphos, (ubi Apollini sacrificare instituerat) in regnum, iuxtà Cirham, & montis Parnassi radices, ex insidijs adorti, saxa duo ingentia è macerià quàdam, velut è muro, devolvunt; quorum altero caput ictum est regi, altero humerus sopitus.

Latrones, quùm brevi circumitu maceriæ decurrere ad conficiendum saucium, à suis desertum, possent; tamquam perfectâ re, in iugum Parnassi refugérunt.

Compotem iam sui regem, amici postero die deferunt ad navem; indè Corinthum, & à Corintho, per Isthmi iugum navibus traductis, Æginam traiecere. Ibi adeò secreta eius curatio fuit, ut fama mortuum in Asiam perferret.

ATTALI CREDVLITAS INCREPITA.

Attalvs quoque celeriùs, quàm dignum fraternâ concordiâ erat, credidit; & mòx cum Vxore fratris, & arcis præfecto, tamquàm iàm haud dubius regni heres, collocutus. Quæ posteà non fefellére Evmenem, & fratri, uxoris petendæ præmaturam festinationem versu Græco (μὴ σπεῦδε, γῆμαι, πρὶν πλευτήσαντ᾽ ἴδῃς.) obiecit.

Sub idem tempus C. Valerivs ex Græciâ, qui legatus ad visendum statum regionis eius, speculandaq; consilia Persei, missus erat, redijt: cõgruentiaq; omnia criminibus, ab Evmene adlatis, referebat.

INDICES CÆDIS EVMENI INTENTATÆ.

Simul & adduxerat secum Praxo hospitam à Delphis, cuius domus receptaculum latronum fuerat; & ad quam rex litteras dederat.

Atque etiam L. Rammivm Brundisinum; quem rex ad se accessitum ingentibus promissis inducere conatus erat, quoniam duces omnes, legatique Romani, hospitio eius uti adsuéssent; quibus eorũ ipse scripsisset, ut venenum dandum curaret.

Ille à rege digressus, nõ antè Brundisium redire, quàm cõvento C. Valerio legato, qui circà Chalcidem versabatur, voluit: & ad eum indicio delato, iussu eius simul Romam venit; & in curiam introductus, quæ acta erant exposuit.

Hæc effecere, ut maturiùs hostis Perseus iudicaretur. quippe quem non iustum modò adparare bellum regio animo; sed per omnia clandestina grassari scelera latrociniorum ac veneficiorum cernebant.

TACITVS BELLI IN PERSEVM ADPARATVS. ET AMBITÆ REGVM SOCIETATES.

Belli administratio ad novos Consules reiecta est. In præsentiâ tamen Cn. Sicinivm prætorem scribere milites placuit, qui Brundisium perducti primo quoque tempore Apolloniam in Epirum traijcerentur; ad occupandas maritimas urbeis, ubi Consul, cui provincia Macedonia obvenisset, classem adpellere tutò, & copias per-commodùm exponere posset.

Eumenès aliquamdiu Æginæ retentus, periculosâ ac difficili curatione, quùm primùm tutò potuit, profectus Pergamum, præter pristinum odium, recente etiam scelere Persei stimulante, summâ vi parabat bellum.

Quùm in exspectatione Senatus esset, bello si non indicto, tamen iàm decreto; qui Regũ, suam, Persei, qui secuturi amicitiam essent; legati Ariarathis, puerum filium regis secum adducentes, Romam venérunt: quem Pater educandum Romam misisset, ut iam indè à puero moribus Romanis hominibusque adsuesceret, obses voluntarius, & veluti sub publicâ tutelâ.

Et Thracum legatis, apud se disceptantibus, & societatem petentibus; & quod petebant datũ est, & munera binûm Millium æris summæ in singulos missa.

Alios adire Cretam & Rhodum iussérunt, simul renovare amicitiam, simul speculari quid illic Perseus moliretur.

C. Cicereivs, anni prioris præt. quùm ob res in Corsicâ gestas triumphum frustrà postulasset; in monte Albano, quod iam in morem venerat, ut sine publicâ auctoritate fieret; triumphavit.

ROGATIO MARTIA DE LIGVRIBVS RESTITVENDIS.

Et rogationem Martiam (quam duo Tribb. plebis, M. Martivs Sermo, & Q. Martivs Scylla, promulgandam de Liguribus deditis, in Senatu recitárant) magno consensu plebes scivit, iussitque.

Quùm Patres C. Licinivm prat. ex rogatione quærere iussissent; tum demùm Coss. in provinciam profecti exercitum à M. Popilio accepérunt. Neque tamen M. Popilivs reverti Romam audebat, ne caussam diceret adverso Senatu, infestiore populo; apud prætorem, qui de quæstione in se positâ Senatum consuluisset.

Sed huic eius detrectationi Tribb. plebis, alterius rogationis denuntiatione, occurrérunt, & redire coëgerunt. Ille multorum in Senatu iurgijs laceratus est; & S. C. factum; *Vt qui Ligurum, post Q. FVLVIVM, & L. MANLIVM Coss. hostes non fuissent,* ut eos C. Licinivs & Cn. Sicinivs prætt. in libertatem restituendos curarent. agrumque ijs trans Padum C. Popilivs Cos. daret.

Multa Millia hominum hoc Senatûs-consulto restituta in libertatem; transductisque Padum, ager est adsignatus.

M. Popilivs, postquàm rogatione Martiâ bis apud C. Licinivm caussam dixisset; tertiò prætor, gratiâ Consulis absentis & Popiliæ familiæ precibus victus, quùm Idib. Martijs adesse reum iussisset, quo die privatus ius dicere non posset; rogationem de Liguribus arte fallaci elusit.

DISCEPTA-

DISCEPTATIO DE AGRO INTER Carthaginienseis, & Masanissam.

Eo tempore legati Carthaginienses Romæ erant, & GVLVSSA Masanissæ F.

Illi querebantur, præter agrum, de quo antè agitatum erat; LXX. opida castellaque agri sui, biennio proximo, MASANISSAM vi atque armis possedisse.

Se missos esse, qui orarent Senatum, ut trium harum rerum unam ab se impetrari sinerent: *Vt vel ex æquo apud socium populum, quid cuiusque esset, disceptarent: vel permitterent Carthaginiensibus, ut adversùs iniusta arma, pio iustoq; se tutarentur bello: Vel ad extremum, si gratia plus quàm veritas apud eos valeret; semel statuerent, quid donatum ex alieno Masanissa vellent.*

Quùm GVLVSSA interrogatus, neque sibi facilè esse dixisset de ijs rebus agere, de quibus nihil mandati à Patre haberet: neque Patri facilè fuisse mandare, quòd Carthaginienses, nec de quâ re acturi essent, nec omninò ituros se Romam, indicâssent. Hoc solum; Se à Patre missum, qui deprecaretur Senatum: *ne quid communibus inimicis, criminantibus se, crederent*; quem ob nullam aliam caussam, *nisi propter constantem fidem ergà pop. Rom.* odissent.

His utrimque auditis, Senatus de postulatis Carthaginiensium consultus, respondere iussit;

GVLVSSAM, placere, extemplò in Numidiam proficisci, & nuntiare Patri; *Vt de ijs, de quibus Carthaginienses querantur, legatos quamprimùm mittat; denuntietq; Carthaginiensibus, ut ad disceptandum veniant.* Si aliquid possent, Masanissæ honoris caussâ, & fecisse & facturos esse. *Ius gratia non dare. Agrum, quâ cuiusq; sit, possideri velle.* Ità regulus Carthaginiensesque dimissi.

LEGATI ROMANI OMNIA DE Perseo hostilia renuntiant.

Sub idem tempus Cn. SERVILIVS CÆPIO, & collegæ, legati ad res repetendas in Macedoniam, renuntiandamque amicitiam regis, missi, redierunt; & ordine quæ vidissent, quæque audijssent, retulérunt. *Vidisse se per omneis urbeis Macedonum bellum parari.* Desperato primùm cū rege colloquio profectos; & tum demum ex itinere revocatos, & ad eum introductos esse.

Suæ orationis summam fuisse; *Fedus cum Philippo ictum, & cum ipso eo, post mortem Patris renovatum; in quo disertè prohiberi eum extrà fineis arma efferre; & socios P. R. bello lacessere.* Pro his iniurijs satisfieri Senatum æquum censere; reddique sibi res socijsq; suis, quas contrà ius federis habeat.

Regem post alia inclementiùs in Romanos dicta, scriptum responsum dedisse;

„ *Fedus cum Patre ictum, ad se nihil pertinere. Id se renovari passum; non quia probaret, sed quia in novâ regni possessione patienda omnia essent.*

„ *Si novum fedus secum facere vellent; convenire priùs de condicionibus debere.*

„ *Si ex æquo id facere vellent; & se visurum quid sibi faciundum esset; & illos credere reip. consulturos.* Atque ità se propripuisse; & summoveri è curiâ omneis cæptos. Tum se amicitiam & societatem renuntiâsse.

Quâ voce eum accensum restitisse; atque voce clarâ denuntiâsse sibi; ut triduo regni sui decederent finibus. Ità se profectos; nec sibi aut venientibus, aut manentibus, quidquam hospitaliter aut benignè factum.

Nihil magnoperè quod memorari attineat, eo anno Consules gesserant. Magis è rep. visum, comprimi ac sedari exasperatos Ligures, quàm Macedonicum bellum exspectaretur. Et Senatui, ut scirent quamprimum quibus ducibus eo bello resp. usura esset, litteras mitti Consulibus placuit; ut uter eorum esset, Româ ad magistratus creandos veniret.

QVERELÆ DE GENTIO ILLYRICO, ET SVSPICIONES.

Gentium quoque, Illyriorum regem, suspectum Issenses legati fecerunt. simul questi fineis suos secundò populatum; simul nuntiantes, uno animo vivere Macedonum, atque Illyriorum reges; communi consilio parare Romanis bellum. Et specie legatorum Illyrios speculatores Romæ esse, PERSEO auctore missos, ut, quid ageretur, scirent.

Illyrij vocati, dum in responso, super quâ re venissent, hesitarent; curiâ excedere iussi sunt. Mitti placuit ad regē legatos, qui nuntiarent; *Non æquum eum facere, qui ab socijs suis non abstineret iniuriam.*

REGES IN ASIA FIDI. RHODIJ SVSPECTI.

Tum quoque ex Asiâ, qui circà socios reges missi erant, rediérunt, & renuntiárunt. EVMENEM in eâ; ANTIOCHVM in Syriâ; PTOLEMÆVM in Alexandriâ se convenisse. Omneis solicitatos legationibus PERSEI; sed egregiè in fide permanere: pollicitosque omnia, quæ pop. Rom. imperâsset, præstaturos.

Et civitates socias adisse: & cæteras quidem satis fidas; solos Rhodios fluctuanteis, & imbutos PERSEI consilijs, invenisse.

Venerant Rhodij legati ad purganda ea, quæ vulgò iactari de civitate sua sciebant: cæterùm Senatum ijs dari, antequàm novi Coss. magistratum inissent, non placuit.

BELLI TERRA MARIQVE ADPARATVS.

Belli intereà adparatum non differendum censuérunt. Ex veteribus quinqueremibus, in navalia Romæ subductis, naveis L. parari, eas quæ in Sicilia essent, naveis refici atque expediri, ut Brundisium primo quoque tempore mitti possent.

Socios navaleis libertini generis, ex civibus Romanis, in XX. & V. naveis conscribi; & parem numerum in totidem naveis socijs imperari. Peditum IIX. Mill. & CD. equites à Latini nominis socijs exigi iussi.

A. ATTILIVS SERRANVS, qui priore anno prætor fuerat,

fuerat, delectus, qui hunc militem Brundisij acciperet, atque in Macedoniam mitteret.

Cn. SICINIVS praet. qui exercitum paratum ad traijciendum haberet.

Perscriptum quoque C. POPILIO Cos. ut & legionem secundam, quae maximè veterana in Liguribus erat; & socios Latini nominis, IV. pedit. Mill. c c. equites Idibus Febr. Brundisij adesse iubeat.

Hâc classe, atque hoc exercitu Cn. SICINIVS provinciam Macedoniam obtinere, donec successor veniret, iussus; prorogato in annum imperio.

3785. Ptol. Philom. 9. Ant. Epiph. 7. | *Exitu propè anni, C. POPILIVS Cos. Romam venit; aliquante serius quàm Senatus; bello imminente, censuerat. Illi de rebus à se gestis differenti, frequenter succlamatum; Cur scelere fratris op pressos Ligures in libertatem non restituisset!* | 165.

Comitia Consularia, in quam edicta erant diem, ad XII. Kal. Martias, sunt habita. Creati Coss. P. LICINIVS CRASSVS, & C. CASSIVS LONGINVS.

Hi maioribus hostijs ritè mactatis, quâ die magistratum inissent, precari iussi; *ut quod bellum Pop. Romanus in animo haberet gerere, id prosperum eveniret.* Aliaque vota suscepta, si resp. x. annos in eodem statu fuisset. & Ludi facti.

FOEDA FVLVII PONTIFICIS MORS.

Q. FVLVIVS FLACCVS, Pontifex, qui priore anno Censor fuerat, foedâ morte Romae perijt. Ex duobus filijs eius, qui tum in Illyrico militabant, alterum decessisse, nunciatum; alterum gravi & periculoso morbo aegrum esse. Obruit animum simul luctus metusque. Mane ingressi cubiculum servi, laqueo dependentem invenêre.

Erat opinio, post censuram minus compotem fuisse sui. Vulgò, IVNONIS LACINIAE iram, ob spoliatum Templum, alienasse mentem.

BELLVM MACEDONICVM II.

Iam non urbs tantùm Roma, nec terra Italia; sed omnes reges, civitatesque, quae in Europâ, quaeque in Asiâ erant, converterant animos in curam Macedonici ac Romani belli.

REGVM ERGA ROMANOS STVDIA.

EVMENEM cum vetus odium, tum recens ira stimulabat.

PRVSIAS, Bithyniae rex, statuerat abstinere armis, eventumque exspectare. Nam neque pro Romanis se aequum censere adversùs fratrem uxoris arma ferre; & apud PERSEA victorem veniam per sororem impetrabilem fore.

ARIARATHES Cappadocum rex, praeterquam quòd Romanis suo nomine auxilia pollicitus erat; ex quo est iunctus EVMENI affinitate; in omnia belli pacisque se consociaverat consilia.

ANTIOCHVS imminebat quidem Aegypti regno, & pueritiam regis inertiamque tutorum spernens; & ambigendo de Coele-Syriâ, caussam belli se habiturum existimabat; gesturumque sine ullo impedimento id bellum, Romanis Macedonico occupatis. Tamen omnia & per legatos suos Senatui, & ipse legatis eorum eximiè pollicitus erat.

PTOLEMAEVS, propter aetatem, alieni etiamtum arbitrij erat. Et tutores bellū adversùs ANTIOCHVM parabant; & haud secus omnia Romanis ad bellum Macedonicum pollicebantur.

MASANISSAE CAVTIO.

MASANISSA & frumento Romanos iuvabat; & auxilia cum elephantis, Misagenemque Fil. mittere ad bellum parabat. Consilia autem in omnem fortunam disposita habebat.

Si penes Romanos victoria esset; suas quoque in eodem statu res mansuras. Neque ultrà quidquam in praesenti movendum; quod Romani passuri non essent vim Carthaginiensibus adferri.

Si fractae essent opes Romanorum, quae tū protegerent Carthaginienseis; suam omnem Africā fore.

GENTIVS, rex Illyriorum, haud satis statuerat utram foveret partem: impetuque magis, quàm consilio, ijs aut illis se adiuncturus videbatur.

COTYS Thrax, Odrysarum rex, evidenter Macedonum partis erat.

Haec regum de bello sententia.

In liberis verò gentibus populisque, plebs ubique omnis fermè, ut solet, deterioribus erat ob regem Macedonasque inclinata. Principum diversa cernere studia.

Illi in Romanos effusi; at pauci ex ijs iustitiā pop. Romani capti. plures, si praecipuam operam navassent, potenteis se in civitatibus suis fore rati.

Alteri, regiae adulationis erant; ob aes alienum & rerum suarum desperationem, novarū rerum cupidi.

Tertij, optimi & prudentissimi, si uti q; optio potioris domini daretur; sub Romanis, quàm sub rege esse malebāt. Si liberum inde arbitriū fortunę esset; illibatis potiùs utriusque partis viribus, pacem eo manere optabant. Itā namque inter utrosque optimam civitatium conditionem fore; protegente semper altero inopem ab alterius iniuriâ.

ARVSPICVM RESPONSA.

Ad Consulū sacrificia ritè perfecta, precationemque de bello factā, Aruspices itā responderāt; *Siquid rei nova inciperetur, id maturandum esse. Victoriam, triumphum, prorogationem imperij portendi.*

Rogatio

Rogatio itaq; ad populum, de bello regi PERSEO Macedonibusque inferendo, per Consules lata est, & Senatûs-Consultum indè factum; ut Consules inter se provincias, Italiam & Macedoniam, compararent sortirenturque.

Cui Macedonia obvenisset; ut is regem PERSEA, quique eius parteis secuti essent, bello persequeretur.

In Macedoniam, novo instituto, sena Mill. peditum scribi iussa, equites treceni; æqualiter in singulas legiones. Et in sociali exercitu, Consuli alteri auctus numerus. x VI. pedit. Mill. DCCC. equites (præter DC. Cn. Sicinij equites) in Macedoniam traijcerent. Italiæ satis visa, x II. M. sociorum peditum; DC. equites.

AMPLA COS. PRÆTORVMQVE IN DELECTV POTESTAS.

Id quoque sorti Macedoniæ datum, ut Consul centuriones militesque veteres, quos vellet, usque ad L. annos, scriberet; & ne eo anno Tribuni militum suffragijs crearentur, sed Coss. prætorumq; in ijs faciendis iudicium arbitriumque esset. Consules, pòst aliquantam inter se cavillationem, sortiti provincias à Patribus iussi: & P. LICINIO quidem Macedonia; C. CASSIO Italia obvénit.

Obortam quoque inter Tribunos militum, & Centuriones contentionem, Sp. LIGVSTINVS quidam, vetus miles, multis stipendijs & palmis nobilis, egregiâ oratione & suo demissionis exemplo compescuit: & ut Centuriones, omisâ ad Tribunos plebis appellatione, ad delectum obedientet citati responderent; effecit.

Perfecto Latinarum, quæ in Calendas Iunias inciderant, solenni; C. LVCRETIVS GALLVS, cui inter prætores, quò Senatus ire censuisset, fors evenerat; omnibus, quæ ad classem opus erant, præmissis, Brundisium est profectus, ubi socios navaleis recognosceret: & dimissis, siqui parum idonei essent, supplementum legeret ex libertinis. ità tamen ut sua civibus prærogativa esset.

Præter eos exercitus, quos Coss. comparabant; C. SVLPITIO GALBÆ, prætori urbano, negotium datum, ut IV. legiones scriberet urbanas, iusto numero pedit. equitumque: ijsque totidem Tribunos ex Senatu legeret, qui præessent.

Socijs Latini nominis imperaret xv. pedit. Millia, & M. CC. equites. Vti is exercitus paratus esset, quò Senatus censuisset.

P. LICINIO Cos. ad exercitum civilem socialemque petenti, addita auxilia, Ligurum MM. & Cretenses sagittarij; quantùm Cretenses rogati misissent.

LEGATI PERSEI, ROMA, RE INFECTA, DIMISSI.

PERSEVS, quiescentibus Romanis, inquies; ubi fremere eos vidit, pavidus; quùm & iure posset ijs bellum inferre, qui amicitiam ei renuntiarant; & ipse paratissimus tutò imparatos adoriri; spe pacis excæcatus, intempestivis colloquijs & inducijs tempus terebat.

Eius legatos, qui per idem tempus venerant, in urbem intromitti non placuit; quùm iam bellum regi eorum, & Macedonibus; & Senatus decreto, & populi iussu, indictum esset.

Ipsi ad Ædem BELLONÆ in Senatum introducti; Quùm si exercitus in Macedoniam transportati revocentur, regem de iniurijs, si quas foeijs factas quererentur, satisfacturum esse, dixissent; & respondere ad ea, quorum rex argueretur, de Perrhæbiâ armis expugnatâ; de aliquot Thessaliæ opidis vi captis, alijsque, iussi, hesitarent; regi renuntiare iussi sunt; *Cos. P. LICINIVM brevi cum exercitu adfuturum in Macedoniâ esse: Ad eum, si satisfacere in animo esset, legatos mitteret.* Romam quod præterea mitteret, non esse. Ità dimissi, & intrà x r. diem Italiâ excedere iussi.

Cn. SICINIVS, qui priusquàm magistratu abiret, Brundisium ad classem & exercitum præmissus erat; traiectis in Epirum v. pedit. Millib. & equitib. ccc. ad Nymphæum, in agro Apolloniate, castra habebat.

DASSARETIJ, ET ILLYRICI, VLTRO PRÆSIDIA A ROMM. deposcunt.

Inde Tribunos, cum II. Millibus militum, ad occupanda Dassaretiorum & Illyriorum castella, ipsis ultrò arcessentibus præsidia, ut tutiores à finitimorum impetu Macedonum essent; misit.

LEGATI ROMM. PROVINCIAS OBNOXIAS PARTIVNTVR.

Paucis pòst diebus, v. legati in Græciam missi, Corcyram peditum Mille secum adduxérunt: ibique & regiones inter se, quas obirent, & milites divisérunt.

L. DECIMIVS missus est ad GENTIVM Illyriorum regem.

P. & Ser. CORNELII LENTVLI, in Cephaleniam missi, ut in Peloponnesum traijcerent; oramque maris, in Occidentem versi, antè hiemem circumirent.

Q. MARTIO & A. ATTILIO. Epirus, Ætolia, & Thessalia circumeundæ adsignantur. Inde Bœotiam atque Eubœam adspicere iussi; tum in Peloponnesum traijcere. Ibique congressuros se cum Lentulis constituunt.

Priusquam digrederentur à Corcyrâ, litteræ à PERSEO adlatæ sunt, quibus quærebat; *Quæ caussa Romanis, aut in Græciam traijciendi copias, aut urbeis occupandi esset!* Rescribi nihil placuit, sed nuntio regis dici; *præsidij caussâ ipsarum urbium Romanos id facere.*

LENTVLI circumeuntes Peloponnesi opida, quùm sine discrimine omneis civitates adhortarentur, ut quo animo, quâ fide adiuvissent Romanos, PHILIPPI primùm, deinde ANTIOCHI bello; eodem adversùs PERSEA iuvarent.

ACHÆI MVRMVRANT.

Achæi fremere & indignari visi; *Eodem se loco esse, quo Messenij atque Elei, qui pro ANTIOCHO hoste adversùs populum Rom. arma palàm tulissent: ac nuper in Achaicum contributi Concilium, velut præmium belli se victoribus Achæis tradi, quererentur.*

EPIROTÆ PARENT. ET ALII OPERAM FIDEMQVE POLLICENTVR.

MARTIVS & ATTILIVS ad Gittanas, Epiri opidum, Concilio Epirotarum habito, cum magno omnium adsensu auditi sunt: & CD. ex iuventute eorum in Orestas, ut præsidio essent liberatis ab se Macedonibus, misérunt.

Indè in Ætoliam progressi, LYCISCO, quem Romanorum rebus favere satis compertum erat, in demortui prætoris locum suffecto, transiérunt in Thessaliam.

Eódem legati Acarnanum, & Bœotorum exsules venére. Illi nuntiare iussi; *quæ superioribus bellis, pollicitationibus regum decepti, adversùs pop. Rom. commisissent, ea corrigendi occasionem ipsis nunc oblatam. Si malè meriti clementiam pop. Rom. experti essent; benè merendo libertatem benivolentiamq́, experirentur.*

His exprobratum; *societatem cum PERSEO iunxisse*. Et quùm culpam in ISMENIAM, alterius partis principem, conferrent; & quasdam civitates dissentienteis in caussam deductas; Appariturum id esse, MARTIVS respondit; singulis enim civitatibus de se ipsis consulendi potestatem facturos.

THESSALI IN ROMM. EXPROMTI.

Thessalorum, Larissæ, fuit concilium. Ibi & Thessalis benigna materia gratias agendi Romanis, pro libertatis munere, fuit: & legatis vicissim, quod superioribus regum bellis enixè adiuti à gente Thessalorum fuissent. Et hæc mutuâ meritorum commemoratione accensi multitudinis animi, ad omnia decernenda quæ Romani vellent.

REX IN COLLOQVIVM CVM MARTIO VENIT.

Secundum hæc, legati à PERSEO rege venérunt; & privati maximè hospitij fiduciâ; quod ei paternum cum MARTIO erat, ut in colloquium veniendi regi potestatem faceret, petiérunt. Locus ad Peneum flumen, quà transitus ab Omolio Dium esset, colloquio est constitutus. Et quòd rex cum omni comitatu amnem transire æquùm censeret; obsides dare, nihil in colloquio fraudis fore, coactus est.

Hic priùs MARTIVS, quæ post renovatum cum Romanis fœdus rex hostiliter designâsset, quibusq́; factis fidem violâsset; commemorat.

Rex eorum quæ obiecta sibi essent, partim ea esse, quibus nesciret an gloriari deberet: partim quæ fateri non erubesceret: partim quæ verbo obiecta, verbo negare esset.

Conscium sibi se esse, nihil scientem deliquisse.

„ *Siquid fecisset imprudentiâ lapsus, corrigi se ac emendari præsenti castigatione posse. Nihil se insanabile*, nec quòd bello aut armis persequendum sit, *commisisse.*

„ *Frustrà clementiæ gravitatisq́; Romanæ famam per genteis vulgatam esse; si talibus de caussis*, quæ vix querelâ & expostulatione dignæ sunt, *arma capiant, & regibus socijs bella inferant.*

INDVCIÆ REGI CONCESSÆ.

Hæc dicenti PERSEO tum adsensus MARTIVS, auctor fuit mittendi Romam legati; quùm experienda ad ultimum, omnia, nec prætermittendum spem ullam censuisset.

Quumque ad id, ut tutum legatis iter esset, necessaria induciarum petitio videretur; cuperetque MARTIVS; gravatè, & in magnam gratiam petentis concessit.

Idque callidè ab eo factum, quòd nihil satis paratum ad bellum Romani in præsentiâ haberent: non exercitum, non ducem. quùm PERSEVS, ni spes vana pacis occæcâsset consilia, omnia præparata atque instructa haberet; & suo maximè tempore, atque alieno hostibus, incipere bellum posset.

BOEOTI TANDEM, DESERTO Perseo, Romanis se permittunt.

Legatis, post colloquium, in Bœotiam, ubi motus iam esse ceperat, comparatis, primi à Chæroneâ, deinde à Thebis, in ipso itinere, legati occurrérunt: eosque Chalcidem se sequi Romani iussérunt.

Quò ut ventum est; aliarum civitatum principes, id quod maximè gratum erat Romanis, suo quique proprio decreto PERSEI societatem aspernati, Romanis sese adiungebant.

ISMENIAS, novus prætor, gentem Bœotorum in fidem Romanorum permitti æquum censebat.

Indè certamine orto, nisi in tribunal legatorum perfugisset, haud multum aberat, quin ab exsulibus, eorumque fautoribus, interficeretur.

Thebæ quoque ipsæ in magno tumultu erant, alijs ad regem trahentibus civitatem, alijs ad Romanos.

Coronéi, Haliartijque, qui ad defendendum regiæ societatis decretum convenerant, victi constantiâ principum suorum; & quanta vis, & fortuna imperij Romani esset, ex PHILIPPI ANTIOCHIQVE regum cladibus, edocti; & ut tolleretur regia societas decrevérunt; & eos, qui auctores pacis cendæ amicitiæ fuerant, ad satisfaciendum legatis, Chalcidem misérunt: fideique Romanorum commendari civitatem iussérunt.

MARTIVS & ATTILIVS Thebanos læti audiérunt; auctores & his, & separatim singulis, ad renovandam amicitiam, mittendi Romam legatos. Antè omnia exsules restitui iussérunt; &

auctores regiæ societatis decreto suo damnârunt.

Ità, quòd maximè volebant, discusso Bœotico Concilio, Peloponnesum proficiscuntur, SER. CORNELIO Chalcidem arcessito.

CHALCIS PRÆSIDIO ACHAICO DEFENSA.

Præbitum ijs Argis concilium, ubi nihil aliud à gente Achæorum petitum, quàm ut M. milites darent. Idque præsidium ad Chalcidem tuendam, dum Rom. exercitus in Græciam traijceretur, missum est.

MARTIVS & ATTILIVS, peractis quæ in Græciâ agenda erant, principio hiemis, Romam redierunt, DECIMIVS unus, sine ullo effectu, captarum etiam pecuniarû, ab regibus Illyriorum, suspicione infamis, Romam revertitur.

LEGATI AD INSVLAS, RHODII OPEM OPERAMQVE POLLICENTVR.

Indè legatio in Asiam circùm Insulas missa. Tres erant legati, T. CLAVDIVS, P. POSTVMIVS, M. IVNIVS. Ij hortabantur socios ad suscipiendum adversùs PERSEA pro Romanis bellum.

Inter cæteros Rhodij maximi ad omnia momenti habebantur, qui XL. iam naves, auctore HEGESILO, comparâ[illegible]ant. Is quùm in summo magistratu esset (Prytanim ipsi vocant) multis rationibus pervicerat Rhodios; *ut omissâ regum fovendorum spe, Romanam societatem*, unam tum in terris, vel viribus, vel fide stabilem, *retinerent.*

Bellum imminere cum PARSEO: Enixè faciendum, *ut crimina delata ab EVMENE, fide rerum & navali adparatu*, quem Romani, ut anteà, desideraturi essent, *refellant.*

His incitati XL. navium classem instructam ornatamque legatis Rom. advenientibus ostenderunt.

(Et hæc certè legatio magnum ad conciliandos animos civitatum Asiæ, momentum fuit.)

PERSEVS PER LITTERAS RHODIOS ET BOEOTOS SOLICITAT.

PERSEVS legatos Romam, de inchoatis cum MARTIO conditionibus pacis, misit. Et Byzantium ac Rhodum litteras legatis ferendas dedit.

„ *Confidere pacem futuram.*

Si pergerent Romani contrà fœdus movere bellum, tum omni gratiâ atque ope enitendum fore, Rhodijs, ut reconcilient pacem.

Si nihil deprecando proficiant; id agendum, ne omnium rerum ius ac potestas ad unum populum perveniat.

Sed iam potentior esse apud illos partis melioris auctoritas cœperat. Responsum itaque ex decreto; *Optare pacem Rhodios, si bellum esset; nequid ab Rhodijs speraret aut peteret rex; quod veterem amicitiam diiungeret sibi ab Romanis.*

Ab Rhodo redeuntes, Legati in Bœotiam concesserunt. Thebani nihil moti sunt; quamquam nonnihil & damnatis principibus, & restitutis exsulibus; succensebant Romanis.

Coronæi & Haliartij, favore quodam insito in reges, legatos in Macedoniam miserunt; præsidium petentes, quo se adversùs impotentem superbiam Thebanorum tueri possint.

MARTIVS & ATTILIVS legationem in Capitolio ità renuntiârunt; ut nullâ re magis gloriarentur, quàm decepto per inducias, & spem pacis, rege.

Bœotorum quoque se concilium arte distraxisse, ne coniungi ampliùs ullo consensu Macedonibus possent. Hæc quidem, ut summâ ratione acta, plerique è Senatu adprobabant.

MARTII ARTES, IN HOSTE decipiendo, à cordatis reprehensæ.

Veteres verò, & moris antiqui memores, negabant se eâ in legatione Romanas agnoscere arteis. *Insidias, simulationes, astus, Romana non esse. Versutias Pœnorum; calliditatem Græcorum esse*; apud quos fallere hostem, quàm vi superare gloriosius fuerit. *Non placere novam hanc in rep. gerendâ sapientiam.* Vicit nihilo minus ea pars Senatûs; cui *potior Vtilis, quàm Honesti cura* erat; ut MARTIVS, in Græciam cum quinqueremibus remitteretur: subereturque cætera, uti è rep. maximè visum esset, agere.

Missus quoque ATTILIVS ad Larissam in Thessaliâ occupandam; ne, si induciarum dies exsisset, PERSEVS, misso eò præsidio, caput regionis in potestate haberet.

Et P. LENTVLO ccc. milites dati, ut Thebis operam daret; & Bœotia in potestate esset.

LEGATI PERSEI IN SENATV AVDITI, ET MOX DECEDERE iussi.

His præparatis, quamquam ad bellum consilia erant destinata; senatus tamen regijs legatis datus est. Ilii, quùm multa ex ijs, quæ regi erant obiecta, excusarent aut defenderent, & cætera deprecarentur; non eis animis audiebantur, qui aut doceri aut flecti possent. Denuntiatum; extemplò *mœnibus urbis Romæ; & Italiâ intra XXX. dum excederent.*

ROMM. EXERCITVS IN GRÆCIAM TRAIICITVR.

Præmisso cum classe C. LVCRETIO prætore, & ad Cephaleniam, simul opperiente, ut terrestres copiæ traijcerentur; simul ut onerariæ per altum dissipatæ consequerentur; P. LICINIVS Cos. votis in Capitolio nuncupatis, paludatus ab urbe profectus, Brundisium ad exercitum venit; atque indè cum omnibus copijs transvectus ad Nymphæum, in Apolloniati agro castra posuit.

PERSEVS AD BELLVM ACCINGITVR.

PERSEVS, postquàm legati ab Româ regressi præciderant spem pacis; Pellæ, vetere Macedonum regiâ, consilium de regni rerumque suarum summâ habuit. Vbi multò maior pars ferocioris sententiæ erat; *Nihil turpius esse, quàm sine certamine, cessisse regno: nec præclarius quidquam, quàm pro dignitate ac maiestate omnem fortunam experiri.* Quidquid Romanis rex cessisset, cum eo simul regno protinùs cedendum esse.

Rex itaque bellum suscipiendum gerendumque decrevit; litterisque circà præfectos dimissis, Citium copias omneis contrahit.

Summa omnium, XL. Mill. armata fuére; quorum pars ferè dimidia, Phalangitæ.

Ex gentium vicinarum, Pæonum, Agrianum, Thracum, Gallorum, Cretensium, auxilijs; ex Lacedæmonijs, Ætolis, Bœons, ijsque perpaucis, XII. fermè armatorum Mill. efficiebantur. Equitum ex totâ Macedoniâ ad III. Mill. contracti.

Venerat & COTYS, SEVTHÆ F. rex gentis Odrysarum, cum Mille delectis equitibus, & pari fermè pedit. numero. Vt summa totius exercitus XXXIX. (fort. XLIII.) pedit. essent: & IV. equitum Millia.

Et secundùm eum exercitum, quem ALEXANDER M. in Asiam traiecit, numquam ullius Macedonum regis copias tantas fuisse constabat.

Tertius & vicesimus agebatur annus, (tot numerantur, à P. CORNELIO, & T. SEMPRONIO Coss. ad hosce Consules) ex quo petenti PHILIPPO pax data erat. Et per id omne tempus quieta Macedonia, & progeniem ediderat, cuius pars magna militiæ matura esset; & levibus assiduè cũ vicinâ Thracum accolarumque gente bellis, exercitata.

Et decennis belli sumtus, à Patre paratus in thesauris & horreis, regis animum inflare poterat; ut fortunæ paternæ oblitus, veterem ALEXANDRI gloriam spe animoque præciperet.

IDEM MVLTA OPIDA CAPIT.

Ipse toto exercitu Eordéam petit; & ad Begorriten Lacum positis castris, postero die in Elimeam, ad Haliacmona fluv. processit. Deinde saltu angusto superatis montibus, qui Cambunij vocantur, descendit ad Tripolim, quam appellant; Azorum, Pythium & Dolichen, incolenteis. Quæ tria opida paullisper cunctata, quia obsides Larissæis dederant; victa tamen præsenti metu in deditionem concessérunt.

His benignè appellatis, haud dubius Perrhæbos quoque idem facturos, urbem, nihil cunctatis incolis, primo adventu recepit. Cyretias alterâ impressione militari in deditionem accepit.

Mylenses, opidi munimentis freti, nec minus acriter oppugnati, per triduum sese egregiè defendérunt. Et quarto die, eruptione è portis factâ, pulsi fugientesque, per patentem portam hosteis accepérunt. Ità capta urbs & direpta est. Libera quoque corpora, quæ cædi superfuérunt, venumdata.

Diruto magnâ ex parte & incenso opido, profectus ad Phalannam castra movit; indè postero die Gyrtonem pervénit.

Quò cum T. MINVTIVM RVFVM, & HIPPIAM, Thessalorum prætores, intrâsse accepisset, ne tentatâ quidem oppugnatione prætergressus; Elatiam & Connum, perculsis inopinato adventu opidanis, recepit. Vtraque opida in faucibus sunt, quà Tempê adeuntur. Et ex ijs Connum firmiore præsidio equit. peditumque; ad hoc, fossâ triplici ac vallo munitum, reliquit.

Ipse ad Sycurium progressus, operiri ibi hostium adventum statuit. Id opidum sub radicibus Ossæmontis, quà in meridiem vergit, subiectos habet Thessaliæ campos; ab tergo Macedoniam & Magnesiam. Summa ibidem salubritas, & copia perennium aquarum.

ROMANI IN REGEM DVCVNT.

Consul Rom. per eosdem dies Thessaliam cum exercitu petens, iter expeditum primò per Epirum habuit; deinde postquàm in Athamaniam est transgressus, asperi ac propè invij soli, cum ingenti difficultate & parvis itineribus ægrè Gomphos pervénit. Cui si vexatis hominibus equisque, tironem exercitum ducenti; acie instructâ, & loco suo & tempore rex obstitisset; ne Romani quidem abnuant, magnâ suâ cum clade fuisse pugnaturos.

Consul quùm audiret vagari Macedonas effusos per Thessaliam, vastarique sociorum agros; satis iam refectum militem ad Larissam ducit, & super Penéum amnem castra ponit.

EVMENES SE ROMM. IVNGIT.

Per idem tempus EVMENES ad Chalcidem navibus accessit, unà cum ATTALO atque ATHENÆO fratribus; PHILETÆRO quarto fratre, Pergami, ad regni tutelam, relicto. Indè cum ATTALO, & IV. pedit. Millib. & Milli equitum ad Consulem venit: Chalcide bina pedit. M. Athenæo præfecto, relinquens. Alia etiam, sed exigua, ex omnibus Græciæ populis, auxilia convenérunt.

C. LVCRETIVS præt. qui navibus præerat ad Cephaleniam, M. LVCRETIO fratre, cum classe, super Maléam, Chalcidem petere iusso, ipse triremem conscendit, Sinum Corinthiacum petens, ad præoccupandas in Bœotiâ res. Et quùm is ob corporis infirmitatem tardiùs navigaret; frater Chalcidem adpulsus, quùm à P. LENTVLO Haliartum Iuventutis Bœoticæ operâ oppugnari audîsset, nuntium, prætoris verbis, qui abscedere eum indè iuberet, misit.

Hæc soluta obsidio locum alteri novæ obsidioni dedit. Extemplò namque idem Lucretius cum exercitu navali, X. Millibus armatorum; ad hoc, II. Millib. ex ijs, qui sub ATHENÆO erant, Haliartum circumsedit. Parantibusque iam oppugnare, supervenit à Creusâ Prætor; qui naveis, quæ ab sociis Chalcidem missæ ad idem ferè tempus convenerant, quia nusquam erat maritimum bellum, remisit.

REX

REX AGRVM PHERÆVM VASTAT IMPVNE.

PERSEVS intereà ad Sycurium stativa habebat; & frumento undique circà ex agris convecto, ad vastandum agrum Pheræorum miserat;ratus,ad iuvandas sociorum urbeis, longiùs ab castris abstractos deprehendi posse Romanos.

Quumque eo tumultu nihil illos moveri animadverteret; prædam quidem, prætetquam hominum, pecora autem omnis generis, divisit ad epulandum militibus.

Regi ereverant iam animi, vastatione agri Pheræi sibi ab hoste concessâ. Eundum itaque indè ad hostium castra, nec dandum ultrà spatium cunctandi, censebat.

Quùm verò Romani cunctationem suam apud socios, qui opem Pheræis non adlatam indignè ferebant, infamem esse censerent; & quid agerodum, consultarent; trepidus nuntius adfertur; hostem magno agmine adesse.

VENITVR AD MANVS. PVGNA DVBIA.

Signo dato arma capiunt. Interim placet ex regijs, EVMENIS, auxilijs, C. equites,& parem numerum iaculatorum peditum exire.

PERSEVS quoque, signis peditum consistere iussit, prægressus ipse cum equitibus & levi armaturâ; & COTIS unà cum eo, aliorumque auxiliorum duces, præcessérunt.

Minus D. passus ab castris aberant,quùm in conspectu fuére hostium equites; II. alæ ferè Gallorum, duce CASIGNATO; & CL. velites, Mysi aut Cretes.

Rex subitò constitit, incertus quantùm esset hostium. II. indè ex agmine turmas Thracum, & totidem Macedonum, cum binis Cretensium Thracumque cohortibus,emisit.

Prœlium, quùm pares numero essent, neq; nova alterutrimque auxilia subvenirent; incertâ victoriâ finitum est. Ex Eumenianis XXX. fermè interfecti, & inter eos CASIGNATVS Gallorum dux.

Per aliquot deinde dies rex in aciem processit, sperans fore, ut Romani equites abeuntium novissimum agmen adgrederentur: & orto inde certamine, quùm longiùs à castris eos elicuisset, facilè, ubi ubi essent, se, qui equitatu & levi armaturâ polleret, aciem in eos conversurum. Tandem, quùm inceptum non succederet; castra propiùs hostem movit, & à V. passuum Millib. communijt.

REX PROELIO VICTOR.

Ad extremum acie utrimque ad fatalem pugnam instructâ, par fermè utrimque numerus equitum ac levis armaturæ concurrunt; à funditoribus iaculatoribusque, qui præcesserant, orto prœlio.

Pòst atrocem pugnam,in quâ Thracum,in Italicos equites magnâ vi incurrentium, hastas, pedites Romani gladijs petebant, & equis crura succidebant, aut ilia suffodiebant: & Græcis primo impetu aversis, re iam inclinatâ, Thessalicus equitatus,ex subsidijs, maximo usui erat; rex equestri prœlio haud dubiè victor, (quantumvis prosperè pugnanti pedestris phalanx supervenisset, & audaci cœpto non deesset) signa referri; equitibus passim sequendo sparsis, receptui canere; peditumque agmen in castra redire iussit.

Cecidére eo die ex Romanis CC. equites; capti ferè totidem. Bis Mille haud minùs pedites desiderati. Ex regijs XX. equites, XL. pedites interfecti.

Apud Romanos non mœstitia tantùm ex re malè gestâ, sed pavot etiam erat, ne castra hostis adoriretur. Consul, licet flagitio fatendi timoris moveretur; victus tamen EVMENIS ratione, silentio noctis transductis amnem Penéum copijs, castra in ulteriore ripâ communijt.

Rex levi tantùm armaturâ immissâ, si victis institisset, trepidantium in transitu fluminis hostium copias magna ex parte delere potuisset. frustra itaq; postero die ad lacessendos prœlio hosteis progressus est.

Romani,licet in tuto castra iam haberent;damno inter cætera præcipuè famę movebantur.Caussa in Ætolos,ex quibus V. principes terga vertentes conspecti dicebantur, conlata; quorum pavorem cæteri Græcorum populorum socij secuti essent. Thessali pro concione laudati, eorumque duces virtutis caussâ donati.

Ad regem spolia cæsorum hostium referebantur. Et ex ijs alia alijs pro meritis, & portione donata; & pleraque verbis regis ad concionem immensùm multiplicata. Ipse postero die indè profectus ad Mopselum (al. Mopsium) castra posuit. qui tumulus inter Tempê & Larissam medius est.

Romani ab Penei ripâ non abscedentes, in locum tutiorem castra transtulérunt. Eò MISAGENES Numida, cum M. equitibus, parique peditum numero, & XXII. elephantis, venit.

REX PACEM PETIT, ET DVRIS quidem legibus; neque impetrat.

Postquam regi de summâ rerum consilium habenti, ferocia ab re prosperè gestâ consedisset: & ausi essent amicorum quidam suadére, ut secundâ fortunâ adhonestæ pacis conditionem uteretur, potiùs quàm spe vanâ evectus in casum irrevocabilem se daret; legati ad Cos. missi, & frequenti concilio auditi sunt.

„*Se pacem petere: vectigal, quantum PHILIPPVS pactus esset, daturum regem pollicentur. Vrbibus agris locisq;, quibus PHILIPPVS cessisset, cessurum.*

Ijs deinde summotis, quùm consultaretur; *Romana constantia vicit* in concilio. Responsum; *Ita pacem dari, si de summâ rerum Senatui liberum permittat rex de se, deq; universâ Macedoniâ, statuendi ius.*

Hæc quùm renuntiâssent legati; miraculo quidem, ignaris moris, pertinacia Romanorum esse: & plerique vetare ampliùs mentionem pacis facere. *Vltro, mox quæsituros, quod oblatum fastidissent.*

PERSEVS verò hanc ipsam *superbiam*, quippe quæ *ex fiduciâ virium* esset, timere: & summam pecuniæ augens, si *pretio pacem emere* posset, non destitit animum Cos. tentare.

Postquam ille nihil ex eo, quod primò responderat, mutabat; desperatâ pace rex ad Sicurium, unde profectus erat, rediit, belli casum de-integro tentaturus.

VARIJ ANIMORUM, EX REGIS VICTORIA, ADFECTUS.

Fama equestris pugnæ per Græciam vulgata, nudavit voluntates hominum. Non enim solùm qui partis Macedonum erant, sed plerique magnis Romanorum beneficijs obligati; quidam vim superbiamque experti, læti eam famam accepére.

HALIARTUM CAPTUM ET EVERSUM.

Eodem tempore in Bœotiâ, summâ vi Haliartum LUCRETIUS prætor oppugnabat: & obsessi, licet externis auxilijs, præter Coronæorum iuniores, destituti, animis magis quàm viribus resistebant. Tandem post varia operum tentamenta, mœnia pluribus simul partibus, scalis per manipulos divisis, capta sunt.

In primo tumultu captæ urbis, seniores impubesque, ut casus obvios tulit, passim cæsi. armati, qui in arcem confugerant, postero die, quùm spei nihil superesset, deditione factâ, sub coronâ veniérunt, ad bis Mille fermè & quingentos. Ornamenta urbis, statuæ & tabulæ pictæ, & quidquid pretiosæ prædæ fuit; ad naveis delatum. Urbs diruta à fundamentis.

THEBÆ RECEPTÆ.

Indè Thebas ductus exercitus, quibus sine certamine receptis, urbem tradidit exsulibus, & qui Romanorum partis erant. Adversæ factionis hominum, fautorumque regis ac Macedonum familias, sub coronâ vendidit. Et his in Bœotiâ gestis, ad mare ac naveis rediit.

IRRITUS PERSEI IN CASTRA ROMM. CONATUS.

PERSEVS, qui ad Sicurium stativa habebat, quùm audísset raptim Romanos circà ex agris demessum frumentum convehere; & spicis antè tentoria desectis, ingenteis acervos per tota castra stramentorum fecisse; ratus incendio opportuna esse, faces tædamque, & malleolos stuppæ, illitos pice, parari iubet. atque ità mediâ nocte profectus est, ut primâ luce adgressus falleret.

Sed Romani primarum stationum tumultu exciti, & signo arma capiendi dato, propugnationi castrorum intenti, regem ipsum fefellerunt.

PERSEVS circumactâ acie, prima impedimenta ire, deinde peditum signa ferri iussit. Ipse cum equitatu & levi armaturâ subsistit ad agmen cogendum. ratus id quod accidit, insecuturos ad extrema abtergo carpenda hosteis.

Breve certamen levis armaturæ maximè cum procursatoribus fuit: equites peditesque sine tumultu in castra rediérunt. Diebus consecutis paria prœliorum experimenta utrimque fuérunt.

Quùm rex ad Mopsium castra movisset; & Romani demessis circà Cranonem segetibus, in Phalannæum agrum transissent; rex cognito, sine ullo armatorum præsidio passim vaganteis per agros Romanos metere; cum Mill. equitibus, II. Millib. Thracum & Cretensium profectus, de improviso adortus est Romanos. Iuncta vehicula, pleraque onusta. Mille admodùm capiuntur, & DC. fermè homines.

REX IN PABULATORES ROMANOS INVECTUS.

Indè ad proximum præsidium ducit, ratus haud magno certamine opprimi posse.

L. POMPEIUS Trib. militum præerat, qui perculsos milites repentino hostium adventu in propinquum tumulum receperat; loci se præsidio, quia numero & viribus impar erat, defensurus.

PRÆSIDIUM ROMM. OPPUGNAT.

Romani, prœlio comminùs conserto, dum alij Macedonum adscensum undique tentant; alij in confertos tela eminùs ingerunt; magnam partem vulnerati, haud facilè iam arma fessi sustinebant. & rex ut dederent sese instabat, fidem dando, præmia interdum pollicendo. quùm ex insperato, iam *mori, nedum se dedere obstinatis*, spes adfulsit.

Consul namque certior factus præsidium circumsideri, motus periculo tot civium (nam DCCC. fermè, & omnes Romani erant) cum equitatu & levi armaturâ, & auxilijs Numidarum, castris egreditur. Et Tribb. militum imperat, ut legionum signa sequantur. Ipse velitibus, ad firmanda levium armatorum auxilia adiectis, ad tumulum præcedit.

Quùm in conspectu prima signa suorum circumsessis fuérunt; Romanis quidem ab ultimâ desperatione recreatus animus est; PERSEVS autem, licet ab omnibus imparatus, quamvis sciret nihil roboris secum esse, hostium adventum, priore successu elatus, mansit; & qui Phalangem arcesserent, properè misit.

MULTOS TUMULTUARIA PUGNA, cum præda, amittit.

Consul ante-veniens, extemplò prœlium cum obsidentibus conseruit. Primò resistere Macedones: deinde, ut nullâ re pares erant, amissis CCC. peditibus; & ex alâ, quam Sacram vocant, XXIV. equitum

equitum primoribus; abire conantur.

Cæterùm iter propè ipso prœlio tumultuosius fuit. Phalanx namque abs trepido nuntio accita quùm raptim duceretur, primò in angustijs, captivorum, quos diximus, agmini, vehiculisque frumento onustis, oblata: & ijs cæsis ingens ibi vexatio utriusque partis fuit. dum armati, ut viam sibi aperiant, impedimenta per præceps detruderent;& iumenta, dum stimulantur, in turbâ sævirent.

Vix ab incondito agmine captivorum expedierant sese; quùm regio agmini, perculsisque & fugientibus è prœlio equitibus, occurrunt.

Ibi verò clamor iubentium referre signa, ruinæ quoque propè similem trepidationem fecit. ut si hostes introire angustias ausi lōgiùs insecuti essent, magna clades accipi potuerit. Sed Cos. recepto ex tumulo præsidio, contentus modico successu, in castra copias reduxit.

(Sunt qui eo die magno prœlio pugnatum tradant. IIX. hostium Mill. cæsa. Vivos captos circiter MMCD. Neque incruentâ Romanis victoriam fuisse: supra IV. Mill. & CCC. de exercitu Consulis cecidisse.)

REGIS STVPOR.

Hic dies & Romanis refecit animos; & PERSEA ità perculit; ut dies paucos ad Mopselum moratus, sepulturæ maximè amissorum militum curâ, præsidio satis valido ad Connum relicto, in Macedoniam reciperet copias.

Quùm Pellam venisset, exercitu in hiberna dimisso, ipse cum Cotye Thessalonicam profectus est.

COTYS AD SVA TVENDA DIGREDITVR.

Eò fama adfertur, ATLESBIVM regulum Thracum, & CORRAGVM, EVMENIS præfectum, in COTYOS fineis impetum fecisse; & regionem Marenen, quam vocant, cepisse. COTYN itaq; magnis donis prosecutus ad sua tuenda dimittit.

Cos. PERSEO digresso, ad Connum castra movit. Opidum antè ipsa Tempê in faucibus situm, Macedoniæ claustra tutissima præbet; & in Thessaliam opportunum Macedonibus decursum. Sed ob loci præsidijque firmitatem, absistere incepto coactus est.

ROM. COS. MVLTAS VRBEIS EXPVGNAT.

Flexis indè in Perrhœbiam itineribus, Malloeam primo impetu cepit ac diripuit: & Tripoli, aliâque Perrhæbiâ receptâ, Larissam redijt.

Indè Eumene atque Attalo domum remissis, MISAGENEM Numidasque in hiberna proximis Thessaliæ urbibus distribuit. Et partem exercitûs ità per totam Thessaliam divisit; ut & hiberna omnes commoda haberent, & præsidio urbibus essent.

Q. MVTIVM legatum cum II. Millib. ad obtinendam Ambraciam misit. Græcarum civitatum socios, præter Achæos, omneis dimisit. Ipse cum parte exercitûs profectus in Achaiam Phthiotin, Pteleon desertum ab opidanis, diruit à fundamentis: & Antrôna voluntate incolentium recepit.

Ad Larissam deinde exercitum admovit. Vrbe deserta, in arcem omnis multitudo concesserat: eam itaque oppugnare adgreditur. Primi omnium Macedones, regium præsidium, metu excesserant. à quibus relicti opidani, in deditionem extemplò venére.

Dubitantem Consulem, priùsne Demetrias adgredienda foret; an in Bœotiâ adipiscendæ res; Thebani, vexantibus eos Coronæis, in Bœotiam arcessebant. Itaque ad eorum preces, quòd hibernis aptior regio, quàm Magnesia esset, in Bœotiam duxit.

RES IN ILLYRICO GESTÆ.

Eâdem æstate, legatus (Q. fortè MVCIVS, quem Consul cum duobus Millib. ad Ambraciam obtinendam misisse suprà dictus est) in Illyricum à Consule LICINIO missus, opulenta duo opida vi atque armis coegit in deditionem: omniaque ijs sua concessit, ut opinione clementiæ eos, qui Carnuntem, munitam urbem, incolebant, adliceret.

Postquàm neque ut dederent se compellere, neque capere obsidendo poterat; ne duabus oppugnationibus nequidquam fatigatus miles esset, quas priùs intactas urbeis reliquerat, diripuit.

CASSII COS. OBSCVRI CONATVS.

Alter Cos. C. CASSIVS, nec in Galliâ, quam sortitus erat, memorabile quidquam gessit; & per Illyricum ducere legiones in Macedoniam vano incepto est conatus. quod quidem ex Aquileiensium legatis cognitum est.

Illi namque querentes coloniam suam, novam & infirmam, necdum satis munitam, inter infestas genteis Istrorum & Illyriorum esse; quùm peterent, ut Senatus curæ haberet; interrogati, Vellentne eam rem C. CASSIO Consuli mandari; responderūt: CASSIVM, indicto Aquileiam exercitu, profectum in Macedoniam esse. XXX. dierum frumentum militi datum; & duces, qui ex Italiâ itinera in Macedoniam nôssent, conquisitos.

Ad CASSIVM, ubicumque esset, persequendum, & à bello movendo absterrendū, III. legati missi. Et iussus de Consule & exercitu, qui novo & periculoso itinere inter exteras genteis duceretur, metus, distulit eo tempore Aquileiæ muniendæ curam.

QVERELÆ HISPANORVM, DE MAGISTRATIBVS, ELVSÆ.

Tum quoque Hispaniæ utriusque legati aliquot populorum, de magistratuum Romanorum avaritiâ superbiâque, conquesti, & nixi genibus ab Senatu petiérunt; ne se, *socios, fœdius spoliari vexariq̀, quàm hosteis*, paterentur.

Frigidè ijs satisfactum, licet recuperatores dati essent,

essent, & ab ijs nominati. Multi ex reis absoluti: alij gravibus criminibus accusari; dein ampliati; quùm dicenda de integro caussa esset, excusati; exsilij caussâ solùm vertisse.

CANVLEIVS prætor qui Hispaniam sortitus erat, eâ re omissâ, delectum habere instituit, & repentè in provinciam abijt; ne nobiles & potentes, ab Hispanis compellati, vexarentur. Ità prætcritis, silentio oblitteratis, in futurum consultum ab Senatu Hispanis; de frumenti æstimatione, & vicesimarum venditione, neve præfecti in opida sua, ad pecunias cogendas, imponerentur.

NOVA COLONIA, IN HISPANIA, SPVRIORVM, CARTEIA.

Venit & alia novi generis hominum ex Hispaniâ legatio, Ex militibus Romanis, & Hispanis mulieribus, cum quibus connubium non esset, natos se memorantes, suprà IV. hominum Millia, orabant: ut sibi opidum, in quo habitarent, daretur. Ex ijs nomina apud prætorem professos & manumissos, Carteiam ad Oceanum deduci placuit. Ei eam coloniam Latinam esse, & Libertinorum appellari.

LEGATI EX AFRICA.

Eodem tempore ex Africâ; & GVLVSSA; MASANISSÆ F. legatus Patris; & Carthaginienses venérunt. Ille in Senatu, quæ à Patre ad bellum Macedonicum missa essent, exposuit; & plura, si imperentur, merito pop. Rom. præstaturum pollicitus est. Monuitque Patres, ut à fraude Carthaginiensium caverent. Classis eos magnæ parandæ consilium cepisse; specie pro Romanis, & adversùs Macedonas. Vbi ea parata instructaque esset; ipsorum fore potestatis, quem hostem aut socium habeant.

3786. Ptol. Philom. 10. Ant. Epiph. 8.	*Comitijs Consularibus A. HOSTILIVS MANCINVS, & A. ATTILIVS SERRANVS. Cos. facti. Illi Macedonia, huic Italia evénit.*	164.

LICINIVS CRASSVS proconsul, an Consul! complures in Græciâ urbeis expugnavit, & crudeliter diripuit.

LENITAS PRÆTORIS LAVDATA.

Prætor quidam, ijs, qui rebellârant, sese purgantibus, culpamque in suorum principum amentiam conferentibus, quòd se ultrò ad pœnam ipsi obtulissent, quùm veniam dedisset; omnesque, quò exercitum duxisset, imperata facerent; quieto exercitu pacatum agrum, qui paullo antè ingenti tumultu arserat, peragravit. Quæ lenitas prætoris, quâ sine sanguine ferocissimam gentem (f. Gallorum) domuerat, eò gratior plebi patribusque fuit; quò crudeliùs avariusque in Græciâ bellatum, & ab Consule LICINIO, & ab LVCRETIO prætore erat.

ABDERITARVM DE HORTENsio querelæ; non irritæ.

Invidiam infamiamque ab LVCRETIO, (quem Tribb. plebis absentem concionibus assiduis lacerabant; quique reip. caussa abesse excusabatur; licet in agro suo Antiati tum versaretur; & aquam, ex manubijs, Antium, ex flumine Loracinæ, deducere) avertérunt in HORTENSIVM, eius successorem, Abderitæ legati; querentes opidum suum ab HORTENSIO expugnatum & direptum esse: principes securi percussos; sub coronâ cæteros venijsse.

Senatus decrevit eadem de Abderitis, quæ de Coronæis priore anno decreverat. Legati missi, qui & HOSTILIO Cos. & HORTENSIO præt. nuntiarent; Senatum, Abderitis iniustum bellum illatum; conquirique omneis qui in servitute sint, & restitui in libertatem; æquum censére.

ALIORVM DE COS. CASSIO QVERELÆ, PROLATATÆ.

Eodem tempore de C. CASSIO, (qui Consul priore anno fuerat, & tum Trib. militum in Macedoniâ cum A. HOSTILIO erat) querelæ ad Senatum delatæ. Frater regis Gallorum CINCIBILI, questus, Alpinorum populorum agros, sociorum suorum, depopulatum C. CASSIVM fuisse; & indè multa Millia hominum in servitutem abripuisse.

Simul & Carnorum Istrorumque, & Iapidum legati venérunt; Duces sibi ab Consule CASSIO primùm imperatos, qui in Macedoniam ducenti exercitum iter monstrarent. Indè ex medio regressum itinere, hostiliter peragrâsse fineis suos: passim rapinas & incendia facta.

Vtrisque responsum; *Senatum ea quæ facta querantur, neque scisse futura; neque si sint facta, probare. Sed indictâ caussâ damnari, absentem reip. caussâ, virum consularem, iniurium videri.*

Vbi ex Macedoniâ redisset; tum si coràm eum arguere vellent, cognitâ re, Senatum daturum operam uti satisfiat. Legati ad regulum Gallum trans Alpeis, cum magnis muneribus: alijque circà eos populos missi, qui indicarent, quæ Patrum sententia esset.

LEGATI E GRÆCIA ET ASIA. EORVMQVE OBSEQVIA.

Multarum prætereà Græciæ Asiæque civitatum legati Romam convenérunt. Athenienses, præter quod navium militumque habuissent, Consuli & prætori misisse exposuérunt; quibus eos non usos, frumenti sibi centum Millia imperâsse: quod, quàmquam sterilem terram arent, confecisse; *& alia, si imperentur, præstare paratos esse.*

Milesij, qui nihil præstiterant; *siquid imperare ad bellum Senatus vellet, se quoque parates.*

Ita,

Ita, quò durius erat Romanorum iugum; eò metuculosiores Græci; & ad obsequij pollicitationem paratiores.

Sed fœda fuit in primis Alabandensium adulatio; qui *Templum Vrbi Romæ se fecisse* commemoravérunt; *ludosq́, anniversarios ei, ceu Divæ, instituisse.* & coronam auream L. pondo, quæ in Capitolio poneretur, donum Iovi Opt. Max. attulisse: & scuta equestria ccc. ea, queis iussissent, tradituros.

Lampsaceni coronam LXXX. pondo adferentes, memorabant, se à PERSEO, ubi Rom. exercitus in Macedoniam venisset, decessisse. *Id se tantum petere, ut in amicitiam pop. Rom. reciperentur*: &, si pax cum PERSEO fieret, *ne in regiam potestatem reciderent.*

LEGATI EX AFRICA, ET CRETA.

Ex Africâ legati, simul Carthaginiensium, tritici decies centum Millia, & hordei quingenta, ad mare devecta habere, indicárunt; ut quò Senatus censuisset, deportarent.

Item MASANISSÆ legati eamdem tritici summam polliciti, & M D. equites, XII. elephantos. Vtrisque gratiæ actæ; rogatique, ut ea quæ pollicerentur, in Macedoniam ad HOSTILIVM deportarent.

Cretensium legatis responsum; *si Cretenses benè ac graviter destinarent potiorem pop. Romani, quàm regis PERSEI, amicitiam habere; Senatum quoque Rom. sjs, tamquam certis socijs, responsurum.* Intereà nuntiarent suis; *Placere Senatui, dare operam Cretenses, ut quos milites aut sagittarios intrà præsidia regis haberent, eos primo quoque tempore domum revocarent.*

CHALCIDENSIVM QVERELÆ.

Chalcidenses, Principe MICCIONE, qui pedibus captus, lecticâ in Curiam introlatus erat, præfante: eum vetera recentiaque suæ civitatis benefacta exposuerunt; tum quæ primò C. LVCRETIVS in populareis suos, pr. Rom. superbè, avarè, crudeliterque fecisset; deinde, quæ tum cum maximè L. HORTENSIVS faceret.

„*Vrbium, quæ eos clausis portis excluserint, tutis & incolumibus; apud se Templa omnibus ornamentis compilata, spoliataq́, sacrilegijs, C. LVCRETIVM navibus Antium devexisse. Libera corpora in servitutem abrepta; fortunas direptas*; domos suas inconditâ nautarum turbâ, quæ hieme pariter atque æstate, in tectis habeatur, plenas esse.

Senatus, quæ facta illi querebantur, suâ voluntate facta esse negare. Litteræ ad HORTENSIVM datæ; *Si qui in servitutem liberi venissent, ut eos conquirendos restituendosq́, in libertatem curaret. Sociorum navalium nemo,* præter magistros, *in hospitia deduceretur.*

LVCRETIVS VIOLENTIÆ DAMNATVS.

C. LVCRETIVS, quem in Senatum arcessi placuerat, ut disceptaret coràm; purgaretque sese: multoque plura præsens audierat, quàm in absentem iacta erant; ubi dies, quæ ei dicta erat, venit, à Tribb. plebis ad populum accusatus est: multamque decies centum Millium æris ei dixérunt: & comitijs habitis, v. & xxx. Tribus eum condemnárunt.

In Liguribus eo anno nihil memorabile gestum. Nam nec hostes movérunt arma; neque Consul ATTILIVS in agrum eorum legiones induxit. Militibus itaque duarum legionum Romanar. dimissis; & sociorum Latini nominis exercitu maturè in hiberna, Lunam & Pisas, deducto; ipse cum equitibus, Galliæ provinciæ pleraque opida adijt.

REX GENTIVS SVSPECTVS. Furij legati temeritas & clades.

Quùm nusquam alibi, quàm in Macedoniâ bellum esset, suspectum tamen GENTIVM Illyriorum regem habebant. Octo itaque naves ornatæ à Brundisio ad C. FVRIVM legatum, qui cum præsidio duarum Issensium navium Insulæ præerat, eódem submissæ. in quas II. Millia militum imposita, ex ijs quos in eâ parte Italiæ, quæ obiecta Illyrico est; Q. MÆNIVS præt. conscripserat.

Misit prætereà Cos. HOSTILIVS Ap. CLAVDIVM in Illyricum, cum IV. Millib. militum, ut fidos accolas Illyrici tutarentur.

Is non contentus ijs quas adduxerat copijs, auxilia ab socijs corrogando, ad IIX. hominum Mill. vario genere armavit; peragratâque omni eâ regione ab Lichnidum, Dassaretiorum, consedit.

Haud procul indè Vscana opidum finium plerumque PERSEI erat. X. Millia civium habebat, & modicum custodiæ caussâ Cretensium præsidium.

Vanæ proditionis spe, & prædæ cupiditate, inductus CLAVDIVS, nec fide datâ, neque re exploratâ, castra propiùs urbem admovit, & incomposito agmine ad tentandum accessit. Creverat negligentia, quòd armatum neminem in muris viderent.

Cæterum ubi primùm sub iactu teli fuérunt, duabus simul portis ea urbe erumpitur, & ingens è muris strepitus editur. qui terror undique obiectus effecit, ne sustinere primam procellam eruptionis Romani possent. fugientes itaque plures, quàm pugnantes interemti; ut vix II. Mill. cum ipso Legato in castra perfugérint. Ipse, ne suis quidem è fuga collectis, ad Lychnidum protinus reliquias cladis reduxit.

DISCORDIA INTER PTOLEMÆOS FRATRES.

In Ægypto PT. PHILOMETOR, consortis impatiens, fratrem PHYSCONEM procul ab aulâ abegerat. Hunc profugum lubenter ANTIOCHVS EPIPHANES, avunculus, (erant enim uterque, PTOLEMÆO EPIPHANE, & CLEOPATRA maiore Antiochi sorore progeniti) exceperat; eiusque reducendi in regnum specie, iam bellum parabat. (Appian. tradit; à morte CLEOPATRÆ, tutores regis PHILOMETORIS, LENÆVM & EVLALIVM, regnum Syriæ, iampridem

iampridem Ægypto attributum, ab eodem ANTIOCHO, qui id dolo occupâsset; repoposcisse; bellumque hinc ortum esse. Commisso inter Pelusium & montem Casium prœlio, duces Ægyptiorum ab eo profligatos.)

ANTIOCHI EPIPH. PERFIDIA; & in Hierosolymitanos sævities.

Tum ille quasi infirmiori regis, Nepotis sui, ætati parciturus, eiusque res ex fide procuraturus; per fœderis & mutuæ amicitiæ simulationem, ingressus Memphim regiam, regni Ægyptij insignia & habenas de more suscepit; & uberrimas ibi ditissimasque civitates sibi subiecit. Quumque vix PHILOMETORI Cyprum & Alexandriam reliquisset; rebus ex animi sententiâ confectis, in Syriam revertit.

Atque in transcursu, anno Seleucidar. 143. itinere per Iudæam instituto, Hierosolymam magnis cum copijs ingressus, urbis Templique ornamenta, & res pretiosissimas, non sine miserabili hominum cæde, & arrogantibus in Deum, Deique cultores, convicijs, compilavit. & impietatis iuxtà atque avaritiæ, quâ in Iudæos erat deinceps desæviturus, fundamenta iecit. Permultis tum ex adversâ factione necatis; pecunijsque direptis & Antiochiam asportatis.

3787. Ptol. Philom. 11. Ant. Epiph. 9. | 163.

Res in Iudæâ per Antiochum, & adversarios eius Assamonæos, gestæ, certis Romanorum annis haud facilè attemperari possunt. Suis itaque sparsim locis pertexentur. Nam & IOSEPHVS historicus falli censeatur, qui putet anno priore ANTIOCHVM iussu, an metu! Romanorum, ab Ægypto recessisse. Id enim alterâ eius in Ægyptum expeditione factum est; & quidem post biennium. Quo anno (*Mach. 1. v. 30. post duos annos dierum*) venisse Hierusalem cum turba magnâ traditur. & (*Machab. 2. cap. 5.*) secundam profectionem in Ægyptum parâsse.

RES IN MACEDONIA MINVS PROSPERÆ.

Romani rerum, haud prosperè in Macedoniâ gestarum, rumore exterriti, legatos miserant, qui comperta quæ agerentur referrent. & ut A. HOSTILIVS Consul comitia Consulibus subrogandis itâ ediceret, ut mense Ianuario comitia haberi possent; & ut primo quoque tempore in urbem rediret. Hic eo nomine laudatus est, quod militem modestè, & disciplinâ militari, coercuerit.

Comitia (ait Livius) ad v. Kalend. Septembris (fortè, Decembris aut Ianuarij) fuére. & creati Coss. Q. MARTIVS PHILIPPVS II. & Cn. SERVILIVS CÆPIO.

Legati ex Macedoniâ exacto admodum mense Februario reversi, quas res cà æstate prosperè rex PERSEVS gessisset, retulérunt: quantusque timor foecies pop. Rom. cepisset, tot urbibus in potestatem regis redactis.

Delectu militum per Prætores perfecto, quòd iuniores citati à Coss. gravatè respondérent; Consules provincias inter se sortiti sunt; Cn. SERVILIVS Italiam; Q. MARTIVS Macedoniam.

CENSORVM CONSENSIO.

Censores, C. CLAVDIVS PVLCER, & T. SEMPRONIVS GRACCHVS, ob nimis severè gestam censuram, maiorem partem civitatis, & ordinem præcipuè equestrem, exasperârunt. Et quùm in pari caussâ collegæ essent, non modo invidiâ pari non erant, sed etiam CLAVDII invidiam GRACCHI caritas deprecabatur.

Is namque in maximâ populi & suffragiorum contentione, quùm clamor undique plebis esset, *periculum GRACCHO non esse*; conceptis verbis iuravit; *Si collega damnatus esset, non exspectato de se iudicio, comitem exsilij eius futurum.*

Lustrum conditum ab ijsdem perhibetur; quo censa sunt civium capita CCXII. Mill. & DCCCV.

LEGATORVM ROMM. IN Græcis fides & industria.

C. POPILIVS & Cn. OCTAVIVS, qui in Græciam missi erant, Senat. consultum primùm Thebis recitatum, per omneis Peloponnesi civitates circumtulerunt; *Ne quis ullam rem in bellum magistratibus Romanis conferret, præterquàm quod Senatus censuisset.*

Achaico concilio Argis agitato, benignè locuti auditique, egregiâ spe futuri status fidissimæ genti relictâ, in Ætoliam traiecérunt. Ibi quòd omnia, citrà seditionem, suspecta, criminumque inter ipsos plena essent; obsidibus postulatis, neque fini rei imposito, in Acarnaniam profecti sunt.

Concilium legatis Tyrrei datum. Ibi quoque inter factiones erat certamen, quùm quidam principum postularent; *ut præsidia in urbeis suas inducerentur*, adversùs amentiam eorum, qui ad Macedonas gentem trahebãt. Alij recusarent; *ne quod bello captis & hostibus mos esset, id pacata & sociæ civitates ignominiæ acciperent.* Quæ deprecatio iusta visa est.

Indè Larissam ad HOSTILIVM procos. à quo missi fuerant, legati rediérunt. & retento ex ijs secum OCTAVIO, ipse POPILIVM cum M. fermè militibus in hiberna Ambraciam misit.

PERSEI EXPEDITIO HIBERNA IN ILLYRICVM. MVLTARVM VRBIVM DEDITIO.

PERSEVS, principio hiemis egredi Macedoniæ finibus non ausus nequà in regnum vacuum irrumperent Romani; sub tempus brumæ, quùm inexsuperabiles

superabileis ab Thessaliâ montes nivis altitudo facit; occasionem esse ratus frangendi finitimorum spes, animosque, ne quid, averso se in Romanum bellum, periculi subesset; quùm à Thraciâ pacem COTYS; ab Epiro CEPHALVS, Acarnanum regulus; repentinâ à Romanis defectione, præstarent; Dardanos autem recens domuisset bello. solum infestum Macedoniæ esse latus, quod ab Illyrico patere, cernens. & si proximos Illyriorum domuisset, GENTIVM quoque regem, iamdiu dubium, in societatem perlici posse: cum X. pedit. Millib. quorum pars Phalangitæ erant; & XI. Millib. leviter armatorum, & D. equitibus, profectus, Stuberam venit: & tertio die ad Vscanam, Penestarum urbem, castra posuit. Erat autem ibi cum iuventute Illyriorum, Romanum præsidium.

Postquàm, qui missi ad tentandum fuerant, nihil pacati referebant; oppugnare urbem adortus, & coronâ capere conatus est. Nec minor propugnantium virtus fuit; quibus spes erat, neque hiemis vim diutiùs pati in aperto Macedonas posse; neque ab Romano bello tantum regi laxamenti fore, ut posset morari.

Cæterùm postquàm vineas agi, turreisque excitari vidérunt; victa pertinacia est. quod præterquàm adversùs vim pares nō essent; ne frumenti quidem, aut ullius alterius rei copia intùs erat.

C. CARVILIVS Spoletinus, & C. AFRANIVS à præsidio Rom. missi, qui à PERSEO peterent; primò ut armatos, suaque secum ferenteis, abire fineret: Dein, si id minus impetrarent, vitæ tantum libertatisque fidem acciperent.

Id ab rege benigniùs promissum, quàm præstitum. Exire enim sua secum efferentibus iussis, primùm arma ademit. His urbe egressis, & Illyriorum cohors (D. erant) & Vscanenses se urbemque dedidérunt.

Perseus præsidio Vscanæ imposito, multitudinem omnem deditorum, quæ propè numero exercitum æquabat, Stuberam abducit.

Ibi Romanis (IV. hominum Mill. erant) præter principes, in custodiam civitatum divisis, Vscanensibus Illyrijsque venditis, in Penestiam exercitum reducit, ad Oenéum opidum, opportunè situm; quaque transitus est in Labeates, GENTIO obnoxios; in potestatem redigendum.

Sed quod castellum, Draudacum nomine, opportunius ad omnia positum esse cognovisset; eò exercitum admovit, & haud difficiliter in deditionem redegit.

Vndecim alia castella eodem agminis sui metu, partim vi, partim voluntate, sibi subiunxit: & in his Romanos milites, ad M. D. qui per præsidia dispositi erant, recepit.

Inde ad Oenéum perventum est, opidum mœnibus validum; & hinc amne Artato, inde monte præalto cinctum. Post crebra hinc inde prœlia, magnâ opidanorum & militum multitudine varijs casibus absumtâ, aut vulneribus inutili; scalis, multis simul partibus, impetus in urbem est factus. Puberes omnes interfecti; coniuges liberique in custodiam dati: prædæ alia militum cessére.

GENTIVS A PERSEO SOLICITATVR.

Victor Stuberam tevertens ad GENTIVM legatos mittit, qui expositis rebus, à se adversùs Romanos, Dardanosque, & in Illyrico feliciter gestis, illum ad amicitiam secum iungendam hortarentur.

Lyssi rex Gentius erat. quò acciti legati & mandata exponentes, responsum fine effectu tulérunt: *Voluntatem sibi non deesse ad bellandum cum Romanis; sed ad conandum id quod velit, pecuniam maximè deesse.*

Quùm hæc regi Stuberam relata essent, tum maximè captivos ex Illyrico vendeoti; eosdem legatos remisit, fine mentione pecuniæ; quâ unâ Barbarus inops impelli ad bellum poterat.

Ancyram indè populatus PERSEVS, in Penestas rursùs exercitum reduxit: & firmatis Vscanæ, & circà, prætidijs, in Macedoniam sese recepit.

L. CÆLIVS Legatus Rom. præerat Illyrico. Is post regis profectionem conatus in Penestis Vscanam recipere, & à Macedonico præsidio repulsus; Lychnidum copias reduxit. Indè M. TREBELLIVM Fregellanum, cum satis validâ manu, in Penestas & Parthinos misit, ad obsides à fidis urbibus accipiendos. Illorum obsides, Apolloniam; horum, Dyrrachinm transmisit.

APPII IGNAVIA.

AP. CLAVDIVS, ut acceptam in Illyrico ignominiam corrigeret; Phanoten, Epiri castellum, oppugnare adortus, auxilia Athamanum Thesprotorumque, præter Rom. exercitum, ad VI. Millia hominum, secum adduxerat. neque operæ-pretiū fecit, CLEVA, qui relictus à PERSEO cum valido præsidio erat, gnaviter defendente.

NOVI ET PROSPERI PERSEI, eiusque præfectorum conatus.

PERSEVS verò in Eliméam profectus, & circà eam lustrato exercitu, ad Stratum, validam Ætoliæ urbem, vocantibus Epirotis & præ cæteris Archidamo, duxit.

Rex difficile emensus iter, & castris propè Acheloum amnem positis, clausas urbis portas; atque eâ ipsâ nocte quâ venerat, receptum Romanum præsidium, cum C. POPILIO legato, invénit.

Et in tempore DINARCHVS, præfectus equitum gentis Ætolorum, cum DC. peditibus, & equitibus centum venerat: & mutato cum fortunâ animo, Romanis, adversùs quos pro PERSEO venisse, & Stratum contendisse constabat, sese iunxerat.

Nec POPILIVS securior, quàm debebat esse, inter tàm mobilia ingenia erat. Claveis portarum, custodiamque murorum, suæ extemplò potestatis fecit. & DINARCHVM cum Ætolis, & Stratiorum iuventute, in arcem, per præsidij speciem, amovit.

PERSEVS multis nominibus ab oppugnando, atque adeò obsidendo deterritus, in Aperantiam castra

castra movit. Aperantij regem accepérunt; & ARCHIDAMVM, per quem Stratus regi tradenda erat, cum DCCC. Militum præsidio, rex ijs præposuit: & APPIVM ab obsidione Phanotis, quod dixi, castelli, famâ exercitûs ad Stratum ducendi, summovit.

CLEVAS eum cum præsidio impigrorum iuvenum insecutus, sub radicibus propè invijs môtium, ad Mille hominum ex agmine impedito occidit, ad CC. cepit.

Dum Appius superatis angustijs, in campo, quem Elæona vocant, stativa haberet; idem CLEVAS, adsumto PHILOSTRATO, qui gentem Epirotarum habebat, in agrum Antigonensem transcendit. Et Macedonibus ad depopulationem profectis, PHILOSTRATVS cum cohorte suâ in insidijs loco obscuro consedit.

Quûm in populatores ab Antigonéa armati erupissent, & fugienteis effusiûs persequerentur; in vallem ab hostibus infessam præcipitárunt. Ibi ad M. occisis, C. fermè captis, propè stativa APPII castra movent, ne qua vis socijs suis ab Rom. exercitu inferri posset.

APPIVS, ne frustra tempus ijs in locis tereret; dimissis Chaonum & Epirotarum auxilijs, cum Italicis militibus in Illyricum regressus, per socias Parthinorum urbeis militibus in hiberna dimissis, Romam rediit inglorius.

GENTIVS MERCEDEM A PERSEO CAPTAT.

PERSEVS ex Penestarum gente Mill. pedites, CC. equites revocatos, Cassandriam, præsidio ut essent, misit. Et ad eum ab GENTIO legati, eadem ut priùs adferentes, rediérunt. Quumque appareret quantum in eo præsidij esset, alios atque alios subinde mittendo tentare eum non destitit. nec tamen ab animo suo impetrare potuit, ut impensam in re maximi ad omnia momenti faceret.

Motus qui per idem tempus in Pæoniâ ab ELONICO factus erat, ipso peremto, consédit. Is dux erat Bastarnarum, qui à PHILIPPO rege sollicitati in Dardaniam multò ante venerant, ibique manserant.

PTOLEMÆI FRATRES RECONCILIANTVR.

PTOL. PHILOMETOR, toto propè regno, uti diximus, ab ANTIOCHO avunculo pulsus, ad fratrem minorem PHYSCONEM Alexandriam confugerat. Et quantumvis ille segnis admodum quotidianâ luxuriâ ità marcéret, ut non solùm regiæ maiestatis officiâ intermitteret; verumetiam sensu propè hominis, prænimiâ saginâ, careret; Ægyptij tamen duces, & animos, & amissa receperant.

ANTIOCHI CALLIDITAS: ET nova in Iudæos malignitas.

ANTIOCHVS itaque comparato iterùm adversùs Philometorem, validâ pariter auxiliorum manu subnixum, exercitu, invaluit: neque Ægyptij duces, dolis circumventi, substitérunt. Tanto namque simulationis artificio regem Ægyptium sibi devinxerat, ut familiaria etiam, inter belli strepitum, cum eo iniret convivia: atque hâc viâ ad delendum eius exercitum grassaretur.

Ille prædâ Ægyptiâ onustus, & in regnum se suum recipiens, converso iterùm per Iudæam itinere, cælatam diu animi sui malignitatem prodidit. Et, ut Ioseph. putat, regni Seleucidarum anno 145. Olympiade 153. milite in urbem Hierosolymam immisso, Templum pretiosissimâ vasorum & sacrorum ornamentorum supellectili, & occultissimis thesauris, impius iuxtâ atque avarus; magnâ cum hominum strage, & blasphemis in Deum ipsum convicijs, exspoliavit. Atque ità, acto quasi de geminâ gente triûpho, victor in regnum est reversus.

CONSVLIS CVM COPIIS ADVENTVS.

Veris principio ab Româ profectus Q. MARTIVS Cos. cum V. Millibus, supplemento Macedonicarum legionum, Brundisium pervénit. & simul cum C. MARTIO FIGVLO præt. cui classis provincia evenerat, ex Italia profectus, Corcyram; & inde Actium, Acarnaniæ portum, tenuit.

Et ipse quidem ad Ambraciam egressus, itinere terrestri petit Thessaliam. prætor verò, superato Leucate, Corinthium sinum invectus, & relictis Creüsæ navibus, terrâ & ipse per mediam Bœotiam, Chalcidem ad classem contendit.

HOSTILIJ LAVS.

Castra eo tempore A. HOSTILIVS in Thessaliâ, circa Palæpharsalum, habebat. nullâ quidem re bellicâ memorabili gestâ; sed ad cunctam militarem disciplinam, ab effusâ licentiâ, formato milite; & socijs cum fide cultis, & ab omni genere iniuriæ defensis. Ipse ornato exercitu, obviàm venienti Consuli processit; & eum, ad rem fortiter gerendam hortatus, eidem tradidit.

Cos. acri oratione accensis militum animis, in Macedoniam ipsam ducere exercitum statuit. Et mox in Perrhæbiam profectus, inter Azorum & Dolicheu stativa habuit.

PERSEI TORPOR ET PERPLEXITAS.

Intereà Perseus, quùm appropinquare hostem sciret, omneis saltus insidére præsidijs constituit. Ipse cum reliquis copijs primò circà Dium statiua habuit: deinde, adeò ut obtorpuisse inops consilij videretur, cum equitibus expeditis, littore nunc Heracléam, nunc Philam percurrebat; eodem indè cursu Dium repetens.

Cos. quùm eo saltu ducere decrevisset, ubi, propter Octolophum, regem PHILIPPVM castra habuisse, & cum T. QVINCTIO dimicâsse, suprà commemoravimus; præmittit IV. armatorum Mill. ad loca opportuna præoccupanda. Illi per vias asperas, vix biduo, XV. Mill. passuum itinere ægrè confecto, & postero die VII. Millia progressi; tumulo haud procul hostium castris capto, nuntium ad Cos. remittunt, ut quantum extendere iter posset, consequeretur.

CASTRA

CASTRA CONSVLIS OPPORtunè posita: & pugnæ præludia.

Mox ille properè coniunctis copijs, castra tumulo, qui tenebatur, quà aptissimum ad loci naturam erat, acclinavit. Non hostium modò castra, quæ paullo plus M. passuum aberant; sed omnis regio, ad Dium & Philam, oraque maris, ex tàm alto iugo, oculis subijciebatur.

Die uno, fessis labore viæ militibus, ad quietem dato; Cos. postridie parte copiarum ad præsidium castrorum relictâ, ad hostem ducit.

Hippias nuper ad tuendum saltum, & castellum, quod super Ascuridem Paludem erat, ab rege missus; ex quo castra Romana in tumulo conspexit, præparatis ad certamen animis suorum (erant XII. Macedonum Mill.) venienti agmini Cos. obvius fuit. Et Romani expediti ad pugnam exierant; & hostium levis armatura promtissimè certamen lacessebat. Congressi, extemplò tela coniecérunt. Multa utrimque vulnera, sed pauci cecidérunt.

Irritatis in posterum diem animis, maioribus copijs atque infestiùs concursum. Sed quod non satis loci ad explicandam aciem esset; & iugum montis in angustum dorsum cuneatum, vix ternis armatorum ordinibus in fronte paterei; ijs, qui gravium armorum erant, pugnæ spectatoribus; levis tantùm armatura, per iniqua atque æqua loca, pugnam petebat. ac pluribus eâ die vulneratis, quàm interfectis, prœlium nox diremit.

Consul, cui neque manere in iugo inopi; neque regredi sine flagitio, atque etiam periculo, integrû erat: nihil aliud restare vidit, quàm audacter commissum pertinaci audaciâ corrigere.

ROMANI PERICLITANTES, IGNAviâ, an stupore regis, evadunt.

Ventum quidem erat eò, ut si hostem similem antiquis Macedonum regibus habuisset, magna clades accipi potuerit. Sed rex clamore procul & strepitu pugnantium audito, nec auxit copias, integros fessis submittendo; neque certamini adfuit. quùm Rom. imperator, maior LX. annis, & prægravis corpore, omnia militaria munera ipse impigrè obiret, & ad ultimum perseveraret.

Tandem Popiliò in custodiâ iugi relicto, per invia transgressus, summâ cum difficultate & locorum asperitate conflictatus, in planitiem exercitum, magnâ cum iumentorum & elephantorum vexatione; Popilio etiam cum copijs in tutum recepto; traduxit. Ipsi in campos digressi, inter Haracetum & Libethrum, castra posuerunt.

Lavanti regi dicitur nuntiatum, hosteis adesse. quo nûtio quùm pavidus exsiluisset è solio, victum se sine prœlio clamitans, proripuit. Et consilij imperijque incertus, duobus ex amicis, Pellam, ubi pecunia deposita erat; alterum: Asclepiodotum, quem iugo scilicet Cambunniorum montium, cum X. levis armaturæ iuvenum Millib. imposuerat; ex præsidijs revocat: omneisque aditus aperit bello.

Ipse ab Dio auratis statuis omnibus, raptim, ne præda hosti essent, in classem congestis, ocyus demigrare Pydnam cogit.

Duos tantùm saltus, per quos indè quà processerant, evadere posset, Romani habebant: unum per Tempê in Thessaliam; alterum in Macedoniam, præter Dium: quæ utraque regijs tenebantur præsidijs.

Sed quùm interclusi per Tempê, quattuor distantibus locis insessa, simul aditu commeantibus; simul reditu, ipsi montes, per quos descenderant, repetendi essent; & propalam id, tenentibus superiora cacumina hostibus, fieri non posset; visum est in Macedoniam ad Dium per medios evadere hosteis.

Quod nisi *Dei mentem regi ademissent*; id ipsum ingentis difficultatis erat. Sed rex subito terrore cæcatus, quùm omnia impedimenta præsidijs nudata, & patefacta bello reliquisset, ad Pydnam refugit.

DIVM DESERTVM OCCVPATVR.

Cos. plurimum & præsidij, & spei cernens in stultitia & segnitie hostis, remisso nuntio ad Sp. Lucretium, Larissam, ut castella ab hoste relicta circà Tempê occuparet; secundis castris ad Dium pervénit: metarique sub ipso Templo, nequid sacro in loco violaretur, iussit. Ipse urbem ingressus, exornatam & egregiè munitam; & unum diem ad exploranda circà omnia moratus, castra movet.

Agassam urbem, tradentibus se ipsis recepit. Et ut reliquorum Macedonum animos sibi conciliaret, obsidibus contentus, sine præsidio se eis urbem relinquere, immuneisque ac legibus suis victuros, est pollicitus.

Progressus indè, ad Ascordum flumen posuit castra. & quantum procederet longius à Thessaliâ, eò maiorem rerum omnium inopiam sentiens, regressus ad Dium est. Persevs contractis in unum omnibus copijs ducibusque, increpare præfectos præsidiorum; à quibus diceret claustra Macedoniæ tradita Romanis esse. cuius culpæ reus nemo iustiùs quàm ipse fuisset.

Consuli, cum summâ annonæ inopiâ conflictanti, peropportunæ litteræ à Sp. Lucretio adlatæ. castella se, quæ super Tempê essent, & circà Philam, tenere omnia; frumentique in ijs, & aliarum in usum rerum copiam invenisse.

Cos. itaque ab Dío ad Philam ducit. simul ut præsidium eius firmaret; simul ut militi frumentum divideret.

DIVM A REGE RECEPTVM, ET FIRMATVM.

Cæterùm simul cessit possessione Dij, excitavit hostem, ut tunc tandem sentiret reciperanda esse, quæ priùs culpâ amissa forent. Et is Díum regressus, quæ à Romanis disiecta, reficit; & ab omni parte muros firmat. Deinde haud procul ab urbe, citrà ripam Enipéi fl. castra ponit, amnem ipsum transitu perdifficilem pro munimento habiturus: ibique reliquum æstatis eius tempus extrahere in animo habebat.

HERACLEA A ROMM. EXPVGNATA.

Inter hæc Cos. à Philâ POPILIVM cum II. armatot. Millib. Heracléam mittit, urbem inter Dium Tempéque mediâ regione positam. Ciuibus frustrà ut sese dederent monitis, quòd ignes ad Enipénm ex regis castris apparuissent; terrâ mariq; (classis iam adpulsa ab littore stabat) simul armis, simul operibus machinisque oppugnari cæpti.

Iuvenes etiam quidam Romani, Indicto Circensi ad bell. usum verso, testudine factâ, humilimam muri partem cepérunt: & depulsis quasi ex æquo propugnatoribus, duorum signorum milites in urbem transcendérunt. Cos. capta iam Heracléa, castra eò promovit, tamquam Dium; atque indè summoto rege, in Pieriam etiam progressurus.

ATTONITI REGIS ARGVMENTA.

PERSEVS tandem ex pavore eo, quo attonitus fuerat, recepto animo, malle imperijs suis non obtemperatum esse; quùm trepidans gazam in mare deijci, Pellæ; & Thessalonicæ, navalia [illegible]erat incendi.

ANDRONICVS, Thessalonicam missus, traxerat tempus, in id ipsum, quod accidit, pœnitentiæ relinquens locum.

Incautior NICIAS, Pellæ, proijciendo pecuniæ partem, quod fuerat nactus: sed in rem emendabilem visus lapsus esse, quòd per urinatores omne fermè argentum extractum est. Tantus autem eius pavoris pudor regem incessit, ut urinatores clàm interfici iusserit: Deinde ANDRONICVM quoque, & NICIAM, ne quis tàm dementis imperij conscius superesset.

THESSALONICA FRVSTRA OPPVGNATA.

Inter hæc C. MARTIVS cum classe ab Heracléâ Thessalonicam profectus, & agrum vastavit;& procurrenteis ab urbe, aliquot prœlijs trepidos intrà mœnia compulit.

Sed ob infesta ex urbe tormenta, quibus & ij qui circà muros temerè adpropinquabant; & qui in navibus erant, percutiebantur; revocatis in naveis militibus, omissâque urbis oppugnatione, Æniam inde petivit: & pervastatis finibus eius, legens oram, Antigoniam pervénit.

ALTERNA CLADES AD ANTIGONEAM.

Ibi milites in terram egressi, primò & vastárunt agros passim, & aliquantum prædæ contulérunt ad naveis. dein palatos eos adorti Macedones, misti pedites equitesque, & fugienteis effusè ad mare persecuti, D. fermè occidérunt; & non minus cepérunt. Sed redintegratâ, ex desperatione, in littore pugnâ, adiuvantibus naviculatoribus, ex Macedonibus cc. fermè cecidérunt, & parem numerum cepérunt.

Ab Antigonéa classis profecta ad agrum Pallenensem, exscensionem ad populandum fecit. Ibi EVMENES rex, xx. tectis navibus ab Eléa profectus, obvius fuit: & pares v. naves à PRVSIA rege.

CASSANDREAM FRVSTRA, nec sine clade oppugnant Romani.

Eâ virium accessione animus crevit Consuli, ut Cassandréam oppugnaret.

Divisis itaque inter se partibus oppugnare adorti; Romanus ad Clitas, quas vocant, munimenta, cervis etiam obiectis, ut viam intercluderet, à Macedonico, ad Toronaicum mare, perducit. Ab altera parte, ubi Euripus est, EVMENES oppugnabat.

Quùm Romani per fornices, simplici tantum laterum ordine structos, transfosso pariete, iter in urbem sibi patefecisse visi essent, & irruptionem undique pararent; præfecti præsidij urbani, cum validâ manu Agrianum, & Illyriorum Penestarum, erumpunt: & Romanos, qui alij aliundè, ut signa in urbem inferrent, tum coibant; incompositos fundunt; & fugienteis ad fossam usque persequuntur; in eaque compulsos ruinâ cumulant. D C. fermè ibi interfecti; omnesque propè, qui inter murum fossamque deprehensi erant, vulnerantur.

Dum verò quòd vis aperta non processisset, custodias firmare, ne quòd præsidium ex Macedoniâ intromitti posset; & operibus mœnia oppugnare, cogitant; x. regij lembi ab Thessalonicâ, cum delectis Gallorum auxiliaribus, missi, obscurâ nocte, intrârunt urbem.

Quæ novi præsidij fama absistere oppugnatiône simul Romanos, regemque EVMENEM coegit. Et circumvecti promontorium ad Toronen classem adpulérunt. Eam quoque oppugnare adorti, irrito incepto, Demetriadem petunt. Et prætervecti ad Iolcon classem adpellunt. indè agro vastato, Demetriadem quoque adgressuri.

MELIBOEÆ ET DEMETRIADIS OPPVGNATIO IRRITA.

Inter hæc Cos. M. POPILIVM, cum v. armatorum Millib. ad Meliboœâ, urbem, in radicibus Ossæ montis sitam, & Demetriadi imminentem, oppugnandam mittit.

PERSEVS, quùm audisset simul Meliboeam à Cos. exercitu oppugnari; simul classem Iölci stare, ut inde Demetriadem adgrederetur; EVPHRANOREM, quemdam ex ducibus, cum delectis II. Mill. Meliboeam mittit. qui submotis fortè à Meliboœâ Romanis, Demetriadem priùs occulto itinere intraret, quàm ab Iölco ad urbem castra moverent Romani.

Is simul ab oppugnatoribus in locis superioribus conspectus est; cum trepidatione multa opera relicta sunt, ignisque iniectus. atque ità ab Meliboœâ abscessum est.

Euphranor, eâ urbe liberatâ, Demetriadem extemplò ducit; confisus non mœnia modo, sed agros etiam à populationibus tueri posse. Et crebræ eruptiones in vagos populatores, non sine vulneribus hostium, factæ. Prætor tantùm, & rex EVMENES circumvecti mœnia, & situm urbis contemplati; si quâ parte tentare aut vi, aut opere possent.

EVME-

EVMENES SVSPECTVS.

Fama fuit, per CVDAM Cretensem, & ANTIMACHVM, qui Demetriadi præerat, tractatas inter EVMENEM & PERSEA conditiones amicitiæ. Ab Demetriade certè abscessum est. Ille ad Cos. navigat; & gratulatus quòd prosperè Macedoniam intrâsset, Pergamum in regnum rediit.

ATTALVM fratrem tradunt, & remansisse apud Cos. & sinceram eius fidem æquali tenore, egregiamque operam in eo bello fuisse. quùm à fratre, ut Gallos equites, quos secum adduxerat, relinqueret; impetrari non potuisset.

VARIÆ ROMAM LEGATIONES.

Intereà Legati Transalpini ab regulo Gallorum, BALANO, Romam venérunt, pollicentes ad Macedonicum bellum auxilia.

Secundùm Gallos, Pamphylij legati coronam auream in Curiam intulérunt. Et petentibus ut id donum in cellâ Iovis ponere, & sacrificare liceret, permissum: benigneque amicitiam renovare volentibus responsum.

Tum ab rege PRVSIA; & paullo-post ab Rhodijs, de eâdem re longè aliter differentes auditi sunt. Vtraque legatio de pace reconciliandâ cum rege PERSEO egit.

PRVSIÆ preces magis, quàm postulatio, fuére. qui profiteretur, & ad id tempus se cum Romanis stetisse; &, quoad bellum foret; statutum. Quùm verò ad se à PERSEO legati venissent, de finiendo cũ Romanis bello; uti deprecatorem à Senatu petere; *Si possent inducere in animum, ut finiant iram; se quoque gratiâ reconciliata pacis posse uti.*

RHODIORVM SVPERBA POSTVLATIO.

Rhodij verò superbè commemoratis ergâ pop: Rom. beneficijs, & victoriâ de ANTIOCHO rege pænè sibi vindicatâ; *Quùm pax inter Macedonas Romanosq. esset, sibi amicitiam cum rege PERSEO captam. Eam se invitos, nullo eius in se merito, quoniam ità Romanis visum sit, in societatem belli trahere; interrupisse.*

Se, qui multa & diu eius belli incommoda sentiant, modò ad PERSEA legatos, modò Romam, de pace utrimq. componendâ, misisse. Per quos stetisset, quò minùs belli finis fieret; adversùs eos quid sibi faciundum esset, Rhodios scilicet consideraturos esse.

His non sine indignatione auditis; responsi loco, tradunt recitatum, S.C. *Quo Caras, & Lycios liberos esse iuberet pop. Romanus*; & litteras palàm ad utramque gentem missas.

Quâ auditâ re, principem legationis, cuius magniloquentiam vix Curia paullo-antè ceperat, animo corporeque corruisse.

Alij responsum esse tradunt; *Romanis non latuisse, Rhodios cum PERSEO rege, adversùs remp. haud occulta pridem consilia habuisse. Visuros se vicissim esse, quid sibi quoque faciundum sit. Devicto PERSEO,* quod propediem sperent fore; *visurum pop. Rom. ut pro meritis cuiusq. in eo bello civitatis gratiam dignam referat.* Munera tamen Legati missa non accepérunt.

Litteræ deinde Q. MARTII Cos. recitatæ; *Se saltu superato in Macedoniam transisse.* Ibi commeatus à prætore fratre prospectos in hiemen habere. *Ab Epirotis* XX. M. modiûm tritici, X. hordei *sumsisse: ut pro eo frumento pecunia legatis eorum Romæ curaretur. Vestimenta militibus ab Româ mittenda esse. Equis* CC. *fermè opus esse,* maximè Numidis. Sibi ijs in locis nullam copiam esse.

CENSORVM SEVERITAS.

Censores censû Idib. X.[bris] severiùs, quàm anteà habuérunt. Multis equi adempti; & inter eos P. RVTILIO, qui Trib. plebis, censoribus diem dixerat. Is tribu motus, & ad opera publica faciẽda dãnatus.

Tib. SEMPRONIVS ex pecuniâ sibi attributâ, ædeis P. AFRICANI, cum tabernis coniunctis, in publicum emit; & Basilicam faciendam curavit, quæ posteà Sempronia appellata est.

3788. Ptol. Philom. 12. Ant. Epiph. 10.	*Comitijs à CN. SERVILIO maturiùs indictis, creati Cos. L. AIMYLIVS PAVLLVS, II. (Eius PAVLLI F. qui ad Cannas fortiter obierat. XIV. anno, postquàm primùm Cos. fuerat,) & C. LICINIVS CRASSVS. Illi Macedonia, huic Italia evenit.*	162.

Legati in Macedoniam ad exercitus visendos, & comperta referenda, missi; quid aut terrestribus, aut navalibus copijs deesset. quæ regis vires; quæ sociorum fides, quæ provinciarum opportunitas.

ALEXANDRINORVM DE ANTIOCHO QVERELÆ.

Intereà legationes exterarum nationum audiri placuit. Et primi Alexandrini, ab PTOLEMÆO & CLEOPATRA regibus missi, in Curiam vocati. Illi sordidati, barbâ & capillo promisso, cum ramis oleæ ingressi, procubuérunt. eorumque oratio, quàm habitus, fuit miserabilior.

ANTIOCHVS Syriæ rex, quem Romæ obsidem fuisse diximus, per honestam speciem maioris PTOLEMÆI reducendi in regnum, bellum cum minore fratre eius, qui tùm Alexandriam tenebat, gerens, & ad Pelusium navali prœlio, victor fuerat; & tumultuario opere ponte per Nilum facto transgressus, cum exercitu, obsidione ipsam Alexandriam cinxerat. nec procul abesse, quin potiretur regno opulentissimo, videbatur. Ea legati querentes orabant Senatum, ut opem regno regibusque, amicis imperio, ferrent.

Si Romani pro suis in ANTIOCHVM meritis; & pro eâ, quâ apud omneis reges genteisque, polleant auctoritate, legatos misissent; qui denuntiarent, *non placére senatui bellum socijs regibus fieri*; dubium non esse, quin rex, ille extemplò à mœnibus Alexandriæ abscessurus, abducturusque exercitum in Syriam esset.

Quod si cunctentur facere; breui extorres regno, PTOLEMÆVM & CLEOPATRAM, Romam venturos; cũ pudore quodã pop. Romani, quòd nullã socijs opem, in ultimo fortunarum discrimine, tulissent.

LEGATI AD REGES MISSI, BELLO ABSTINEANT.

Alij sic tradidére. ANTIOCHVM, post alteram expeditionẽ, cognito, suos in Ægypto dolos palàm esse factos; consilio nihil dissimulato, in Ægyptum, cui toti totus inhiabat, regressum esse; & tum Alexandriam (quò rex pulsus ad fratrem minorem, participato cum eo regno, confugerat, & præsidij causâ se incluserat) artâ obsidione, sed irrito conatu, ad deditionem adigere molitum esse. Fratres autem missis Romam legatis, qui auxilia fidemque societatis implorarent, Senatum facilè movisse.

Patres namque Alexandrinorum precibus moti, extemplò C. POPILIVM LÆNATEM, cum duobus alijs legatis, ad finiendum inter reges bellum, misérunt. Prius ANTIOCHVM, dein PTOLEMÆVM adire iussi: & nuntiare; *Ni absistatur bello, per utrum stetisset, eum non pro amico, nec pro socio habituros esse*. Et hisce cum mandatis, simul illi cum Alexandrinis legatis, profecti sunt.

STATVS EXERCITVS ROMANI IN MACEDONIA.

Legati, qui in Macedoniam, ad explorandum, missi fuerant, octiduo postquàm Coss. magistratum inijssent, vltimis Quinquatribus Romam regressi, nuntiárunt; *Maiore periculo, quàm emolumento, exercitum per invios saltus in Macedoniam inductum: PIERIAM quò processisset, à Rege teneri. Castra castris propè ità collata esse, ut fluminis Enipei interiectu arceantur. Neque regem pugnandi potestatem facere; neque nostris vim ad cogendum esse.*

Hiemem etiam asperam rebus gerendis intervenisse. In otio militem ali; nec plus quàm V I. dierum frumentum habere. Macedonum dici X X X. Mill. armatorum esse.

Ap. CLAVDIVM, circà Lychnidum, in summo periculo esse: nisi properè aut iustus exercitus eò mittatur, aut ipse cum præsidio indè deducatur.

Sociorum navalium partem morbo absumtam; partem, maximè qui ex Siciliâ fuerint, domos suas abiisse; & iam homines navibus deesse.

EVMENEM classemq́, eius, tamquam vento adlatas naveis, & venisse & abiisse: nec animum eius regis satis constare visum; quùm ATTALVS frater egregiè in fide constitisse compertus esset.

Latinis ferijs, quæ prid. Kalend. Aprilis fuére, in monte, sacrificio ritè perpetrato, Cos. L. ÆMYLIVS, & Cn. OCTAVIVS, cui classis obtigerat, in Macedoniam, faustis civium votis & ominibus profecti sunt.

PERSEVS ITERVM MERCEDE OBLATA GENTIVM, ALIOSQVE, ad societatem solicitat.

PERSEVS, qui in animum inducere non potuérat, ut impensâ pecuniæ GENTIVM Illyriorum regem sibi adiungeret; postquàm Romanis Saltum ingressis ultimum belli discrimen adesse animadvertit, CCC. argenti talenta per HIPPIAM legatum pactus est, ità ut obsides ultrò citroque darentur.

Legatis, quos Illyrius ad pecuniam accipiendam miserat, mandatum est; *ut iureiurando obsidibusq́, & pecuniâ à Macedone acceptâ, Rhodum cum legatis Macedonibus proficiscerentur*. duorum simul regum nomine incitari Rhodios ad bellum Romanum posse.

Et METRODORVS, qui nuper ab Rhodo venerat; auctoribusque DIONE & POLYARATO, principibus eius civitatis, adfirmabat; *Rhodios paratos ad bellum esse*; is princeps iunctæ cum Illyrijs legationis datus est.

Eodem tempore ad EVMENEM, & ad ANTIOCHVM communia mandata, quæ subijcere conditio rerum poterat: *Naturâ inimica inter se esse, Liberam civitatem, & regem. Singulos populum Rom. adgredi: & quod indignius sit, regum viribus reges oppugnare. Romanos itaq́, aut ad pacem secum faciendam compelli; aut si in bello iniusto perseverent, communem omnium regum hosteis duci oportere.*

EVMENES, modò ne iuvaret bello Romanos terrâ marique; modò pacis patrandæ cum Romanis paciscebatur mercedem. & quidem ne bello interesset, M. & D. talenta. In utrumq; non fidem modò se, sed obsides quoque dare paratum ostendebat.

Sed ità inter se nequidquam captati reges, nihil prætter infamiam movére. Neque ea res tantùm PERSEO per avaritiam est dimissa; sed etiam Gentij regis parata societas; & tum Gallorum, effusorum per Illyricum, ágmen ingens oblatum, pari avaritiâ dimissum est.

Veniebant x. Mill. equitum; par numerus peditum; & ipsorum iungentium cursum equis; & in vicem prolapsorum equitum, vacuos capientium ad pugnam equos. Hi pacti erant; eques, denos præsenteis aureos; pedes, quinos: Mille, dux corũ.

Rex PERSEVS ab Enipeo ex castris profectus obviàm, cum dimidiâ parte copiarum, & munera principibus gentis ferens, in ripâ fluminis Axij posuit castra. Et exercitus Gallorũ circà Desudabam, in Mædicâ, consederat, mercedem pactam oppetiens; L X X V. pænè millibus ab Axio flu. & castris regis.

GALLI AVXILIARES ELVSI ET REIECTI.

Quùm eò missus ANTIGONVS, ex purpuratis unus, iuberet multitudinem Gallorum, ad Bylazora (is Pœoniæ locus est) castra movere, & principes ad se venire frequentes. commeatus in itinere per vicos & opida expeditos; & frumenti, vini, pecorumque copiam multitudini præparatã esse. Regem magnis

magnis muneribus principes, vestis, argenti equorumque, exceptûrum esse.

Illi contrà, quod præsens pepigissent, Interrogârunt; Ecquid aurum, quod in singulos equites peditesque dividendum esset, secum adduxisset?

Quumque ad id nihil responderetur; ELONICVS, eorum regulus; Abire ANTIGONVM, & renuntiare regi iussit; Nisi aurum obsidesque accepissent, nusquàm indè Gallos longiùs vestigium moturos.

Rex pecuniæ, quàm regni, melior custos, advocato concilio, instituit de perfidiâ & feritate Gallorum disserere. *Si in Macedoniam accipiantur, graviores se socios habiturum, quàm hosteis, Romanos. Quinque Mill. equitum sat esse, quibus & uti ad bellum possint; & quorum multitudinem ipsi non timeant.*

Remittitur itaque ANTIGONVS, qui nuntiaret; V. equitum Millium operâ tantùm uti regem velle.

Quòd ubi audivêre Barbari; cæterorum quidem fremitus fuit, indignantium se frustrà excitos sedibus suis: ELONICVS verò rursùs quærit; Ecquid ipsis V. Millibus, quod convenisset, numeraret! Quumque adversùs id quoque misceri ambages cernerent; retrò ad Istrum, depopulati Thraciam, quà vicina erat viæ, rediêrunt.

Quo facto PERSEVS Romanorum animos confirmavit; & Macedonum, qui eâ pependeramt spe, haud mediocriter debilitavit.

GENTIVS ABALIENATVS. OB REGIS SORDEIS.

Eadem avaritia Gentium regem sibi abalienavit. qui acceptâ exiguâ pecuniæ parte, quùm assiduè à PANTAVCO, PERSEI legato, ad lacessendos hostili facto Romanos stimularetur; M. PERPENNAM & L. PETILIVM legatos, qui tum fortè ad eum venerant, in custodiam coniecit. Quo audito, PERSEVS, contraxisse eum necessitates ratus ad bellum utique cum Romanis; ad revocandum eos, qui reliquam pecuniam portabant, misit: velut nihil aliud agens, quàm, *ut quanta maxima posset præda, ex se victo, Romanis reservaretur.*

GALLI CÆSI A CLASSIARIIS PERSEI.

Eius intereà classis, modò navibus EVMENIS in portu deprensis, tamquam amicis, parcere: modò V. & XXX. naveis, hippagogos, quæ ad ATTALVM fratrem ab eodem missæ; & ab Elæâ profectæ, cum equitibus Gallis, & equis, Phanas, promontorium Chiorũ, petebant, ut inde transmittere in Macedoniam possent; variè affligere, quod inhabili istiusmodi naviũ genere, & Gallis vix quietè in mari ferentibus, nulla resistendi spes esset.

Pars itaque eorum, qui propiores continenti littori erant, in Erythræam enabant: pars velis datis ad Chium naveis eiecêre; relictisque equis, effusâ fugâ urbem petebant.

Sed lembi regij propiùs urbem, accessuque commodiore, cum exposuissent armatos; partim in viâ fugienteis adhuc Gallos adepti, Macedones, ceciderunt; partim antè portam exclusos. Clauserant enim Chij portam, ignari qui fugerent, aut sequerentur.

DCCC. fermè Gallorum occisi: CC. vivi capti. Equi, pars in mari fractis navibus absumti; partim nervos in littore succidêrunt Macedones. Inde evecti Ægæo mari Delum traiecêrunt.

DELI INSVLÆ RELIGIO.

Dum hæc geruntur, legati Romani, C. POPILIVS, cũ collegis, à Chalcide profecti, III. quinqueremibus Delum quùm venissent; lembos ibi Macedonum XL. Et V. regis Eumenis quinqueremeis, invenêrunt.

Sanctitas Templi Insulæque, inviolatos præstabat omneis; ut impunè permisti Romani & Macedones, & Eumenis navales socij, induciis religione Templi præbente, versarentur.

LEGATI GENTII ET PERSEI RHODVM VENERE.

Per idem ferè tempus, Legati Macedones Illyrijque simul Rhodum venêrunt: quibus auctoritatem addidit, non modò lemborum adventus, passim per Cycladas & mare Ægæum vagantium; sed etiam coniunctio ipsa regum, Persei Gentijque: & fama adhuc recens, cum magno numero peditum equitumque venientium, Gallorum.

Etiam quùm accessissent animi DIONI & POLYARATO, qui PERSEO favebant; non benignè modò regibus responsum est, sed palàm pronuntiatum; *bello finem se auctoritate suâ impositures esse.* Ipsi itaque reges quoque æquos adhiberent animos ad pacem accipiendam.

Iam veris principium erat; novique duces in provinciam venerant, Cos. ÆMYLIVS in Macedoniam; OCTAVIVS, Orèum ad classem.

BELLVM ILLYRICVM, CVM GENTIO.

ANICIVS in Illyricum, cui bellandum adversùs GENTIVM erat. Is PLEVRATO Illyriorum rege, & matre EVRYDICA genitus, fratres duos, PLATOREM consanguineum, & Caravantium uterinũ, habuit. Ex ijs PLATOREM occidit, quò tutiùs regnaret. Nuptias illi invidisse fertur ETVTÆ, HONVNI Dardanorum principis filiæ. Eo interfecto, gravis popularibus esse cœpit: & violentiam insitam ingenio intemperantiâ vini accendebat.

Ipse Lissum omneis copias, ad XV. armatorum Mill. contraxit: & fratre altero in Caviorum gentem, vi aut terrore subigendam, cum M. peditib. & I. equitibus misso, ad Bassaniam urbem, quinque Millia pass. ab Lisso, ducit. Ij socij erant Romanorum; & per nuntios tentati, obsidionem pati, quàm dedere sese, maluêrunt.

CARAVANTIVS in Cavios adveniens, ab incolis opidi Burnij benignè acceptus est: ab alterâ urbe, quę Caravantis dicta videtur, exclusus; quùm agros eorum effusè vastaret, aliquot palatos milites, concursu agrestium interfectos, desideravit.

Iam & Ap. CLAVDIVS, adsumtis ad eum exercitum, quem habebat, Bulinorum, & Apolloniatium, & Dyrra-

& Dyrrachinorum, auxilijs, profectus ex hibernis, circà Genusiū amnem castra habebat; audito fœdere inter PERSEA & GENTIVM, & legatorum violatorum iniuriâ, accensus, bellum haud dubiè adversùs eum gesturus.

ANICIVS Pr. eo tempore Apolloniæ auditis, quæ in Illyrico gererentur; præmissísq; ad APPIVM litteris, ut se ad Genusium opperiretur, triduo & ipse in castra venit. Et ad ea, quæ habebat, auxilia adsumtis Parthinorum iuventutis II. Millib. & equitibus cc. parabat ducere in Illyricum; maximè ut Bassanitas solveret obsidione.

Sed tenuit impetum eius fama lemborū, vastantium maritimam oram. Erant autem lembi LXXX. ductore PANTAVCO, missi à GENTIO ad Dyrrachinorum & Apolloniatium agros populandos.

ANICII LAVS, ET FELICITAS.

ANICII tanta fuit in eo bello gerendo dexteritas & prudentia; in hosteis fortitudo; in subiectos clementia; iustitia in omneis; ut minus intrà XXX. dies Gentium debellárit, & Illyrium subegerit.

SCODRA OPPVGNATVR. REX PACEM PETIT.

Post classem regis navali prœlio disiectam, & consecutam indè multarum Vrbium deditionem, ad Scodram, belli caput, Gentij regiam, & urbem totius Labeatium gentis munitissimam, exercitum promovet ANICIVS.

In eâ regione mons Scodrus longè altissimus, ab Oriente Dardaniam subiectam habet; à meridie Macedoniam; ab ortu Illyricum. Et oppidum naturali situ munitum erat; gensq; id tota Illyriorum, & rex ipse tuebatur.

Et quùm clausis portis, muros, portarumq; turreis dispositis armatis defendere; & vano eum incepto, Romanos mœnibus pellere facilè possent; nunc portâ egressi, prœlium loco æquo, maiore animo commisérunt, quàm sustinuérunt.

Pulsi enim, & fugâ conglobati, CC. amplius in ipsis portæ faucibus cæsis, tantum intulérunt terrorem; ut Oratores extemplò ad prætorem mitteret GENTIVS: per quos inducias peteret, ut deliberare de statu rerum suarum posset.

Triduo in hoc dato, quùm castra Romm. D. fermè passus ab urbe abessent; navem conscendit, velut secretum locum petens ad consultandum. Sed, ut apparuit, falsâ spe excitus, CARAVANTIVM fratrem, multis millibus armatorum, ex eâ regione, in quam missus erat, coactis, adventare.

Qui postquàm evanuit rumor; tertio pòst die navem eamdem, secundo amni, Barbanâ, Scodram demisit: præmissísque nuntijs, ut sibi appellandi prætoris potestas fieret; copiâ protinùs factâ, in castra venit.

Rex orsus ab accusatione stultitiæ suæ; postremò ad preces lacrymasque effusus, & genibus prætoris accidens, in potestatem sese dedit.

Primò bonum habere animum iussus, ad cœnam etiam invitatus, in urbem ad suos redijt; & cū prætore eodem die honorificè est epulatus. deinde in custodiam C. CASSIO Trib. milit. traditus.

SCODRA RECEPTA, ET REGE VINCTO LEGATI CAPTIVI liberantur.

ANICIVS, Scodrâ receptâ, nihil prius quàm requisitos PERPENNAM PETILIVMQVE legatos ad se duci iussit. quibus splendore suo restituto, PERPENNAM mittit ad comprehendendum amicos cognatosque regis.

Et is Medeonem, in Labeatibus, profectus, ETLEVAM, (f. Etutam, de quâ sup. anteà fratri PLATORI desponsam) uxorem eius, cum filijs duobus, SCERDILETO PLEVRATOQVE; & CARAVANTIVM fratrem, Scodram in castra adduxit.

ANICIVS bello Illyrico intrà dies XXX. perfecto, nuntium victoriæ, PERPENNAM, Romam misit: & post dies paucos GENTIVM regem ipsum, cum parente, coniuge, ac liberis & fratre, alijsque Illyriorum principibus.

Hoc bellum antè finitum est, quàm geri aut cœptum esse, Romæ nuntiaretur.

PERSEVS TVRBATVR.

PERSEVS intereà, ad Cos. AEMYLII, & præt. OCTAVII cum classe adventum, magno in terrore positus, urbeis maximè Romanis eorumq; constitibus obnoxias, idoneis præsidijs ducibusque communijt.

ÆMYLIVS vicissim iussis militibus expedire arma; ipse cum Tribb. primisque ordinibus vadit ad contemplandum transitus, quà armatis facilis esset descensus; & in ulteriorem Enipéi amnis ripam haud iniquus adscensus. Atque ut ea omnia ordine, ac sine tumultu, in agmine, ad nutum imperiumque ducis, fierent, sedulò commonuit & providit. PERSEO mota à Philâ castra in adversâ amnis ripâ metanti, nunciatum est; GENTIVM regem terrâ mariq; superatum; ipsumq; cum regno in potestatem Romanorum recidisse.

Quæ res uti Romanis auxit animos; ità Macedonibus, regique eorum haud mediocrem adtulit terrorem. Et rex frustrà apud suos supprimere in occulto famam eius rei est conatus.

RHODIORVM LEGATI.

Sub idem tempus Rhodiorum legati in castra venérunt, cum ijsdem de pace mandatis, quæ Romæ ingentem iram Patrum excitátant. Quumq; multò iniquioribus animis à castrensi concilio auditi essent; Cos. pronuntiavit; post diem quindecim mum se ijs responsum daturum. Et neglectâ pacificantium Rhodiorum auctoritate, de ratione belli gerendi consultare cœpit.

CASTRA PERSEI, ET COS.

PERSEVS, cui IV. equitum Millia essent, & pedites plerique Phalangitæ paullo minus XL. Millia, ad mare, sub Olympo, sedens, locis aditu difficillimis, quæ undique præsidijs & ligneis propugnaculis erant obsepta, quasi securus agebat. ratus se tempore,

se tempore, & sumtibus Consulem esse atteritum.

Consul verò, cum suorum, moræ impatientium, murmure, & potiùs pænuriâ, (quam lacubus, & fossis ad montis latera apertis; utcumque sedavit) conflictatus, quùm omnia moveret & tentaret; & naturâ operibusque inexsuperabilis ei ripa Enipei amnis videretur; aliò mentem advertit.

Et percunctatus Perrhæbos mercatores, quales ad Perrhæbiam transitus essent; quùm loca non iniqua esse audiret, præsidijs autem regis obsideri; spem cepit, si nocte improvisò validâ manu adgressus esset, deijci præsidia posse.

Et ijsdem ducibus viæ usurus, prætorem OCTAVIVM arcessitum, & quid pararet edoctum, Heracléam cum classe petere iubet; &, quod satis v. M. hominibus, decem dierum cocta cibaria habere.

PERSEVS VNDIQVE CIRCVMVENTVS.

Ipse P. SCIPIONEM NASICAM, SCIPIONIS AFRICANI generum; & Q. FABIVM MAXIMVM, filium suum, cum v. delectis Millib. Heracléam mittit, velut classem conscensuros; ad maritimam oram interioris Macedoniæ (quod in concilio antè agitatum erat) vastandam. Præparata ad classem esse cibaria, nequid eos moraretur. Indè iussi duces itineris ità dividere viam, ut quartâ vigiliâ, tertio die, Pithoum (urbem) adoriri possent.

Ipse, ut detineret regem ab circumspectu aliarum rerum; crebra, medio etiam alveo fluminis, prælia cum stationibus hostium, diebus consecutis, commisit; & multos ex suis impari pugnâ amisit.

Tertio autem die prœlio abstinuit, digressus ad imam partem castrorum; velut, per devexum in mare brachium, transitum tentaturus.

Et NASICA, quùm priùs instituto mare versùs itinere, iuxta Heracléam castra metatus esset; veluti classe castra hostium circumventurus; iam tenebrescente cœlo, & re cum ducibus communicatâ, diversam à mari viam ingressus, consedit sub Pythoo; militibusque, ut quietem caperent, edixit.

PERSEO in Consulem unum intento, quùm transfuga quidam, Cres gente, Romanorum circuitionem indicásset; Ipse pavefactus castra non movit; sed x. mercenariorum militum, & II. Macedonum Millia, duce Milone, mittit; & maturare, saltumque occupare iussit.

Anceps in vertice, & periculosa fuit dimicatio. Sed SCIPIO tandem deiectis hostibus, & MILONE turpiter in tunicâ, abiectis armis, fugiente, agmen tutò deduxit.

Eo casu trepidans PERSEVS properè castra rettò movit: & in magna animi consilijque perplexitate; *An ad Pydnam subsisteret, & Martis aleam experiretur; an dissipato exercitu circumlatum per urbeis exciperet bellum;*

PROCINCTVS AD PVGNAM.

Suggerentibus amicis; *Ipsum copiarum numero longè esse superiorem*; & Macedonas pro coniugibus ac liberis, sub oculis regis, in discrimen sese offerentes, fortissimè esse dimicaturos; ità animatus, castris positis, ad prœlij casum se comparabat. quòd prætereà & locus Phalangi explicandæ opportunus, & colles levi armaturæ ac ferentarijs, ad circumcursandum, & ad receptum, cōmodi essent. & amnes per medium labentes nonnihil Romanis negotij præbituri viderentur.

PAVLLVS verò, ubi se NASICÆ coniunxit, quadrato agmine in hosteis processit: & eorum aciem numerumque contemplatus, substitit; & milites siti ac lassitudine adfectos, quùm hora diei ad meridiem iam vergeret, recenti atque integro hosti obijcere noluit.

Sed postquàm metata castra, impedimentaque collocata animadvertit; primùm pedites, equitibus cum levi armaturâ, antè aciem, hosti oppositis, sine tumultu abduxit; deinde equites; postquàm prima frons valli, ac fossa perducta esset, ex statione revocavit.

Rex quoque, quùm sine detrectatione paratus, eo die pugnare fuisset; Consule moram pugnæ faciente, & ipse in castra copias reduxit.

LVNÆ DEFECTIO HOSTIIS PROCVRATA.

Permunitis iam castris, quùm à cœna Romani corpora somno & quieti dare vellent; Nocte, quam prid. Nonas Septembris insecuta est dies, ab horâ secundâ, usque ad quartam horam noctis, Luna deficere visa est. quòd pridie C. SVLPITIVS GALLVS Trib. milit. ad concionem militibus vocatis futurum pronūtiátat, ne quis id pro portento acciperet. PLVTARC. addit; Romanos de more æris crepitu lumen deficientis Lunæ revocásse; & tædas facesque in cœlum porrexisse. Consulem, uti augurorum peritum, neque Astrologiæ rudem, & religiosum; ubi primùm è tenebris Lunam renitentem conspexit; undecim iuvencas ei immolásse. Exta ijs, qui se defenderent, & hostem non lacesserent, victoriam spondebant.

Macedonas is sideris defectus, ut triste prodigiū, quod occasum regni perniciemq; gētis portēderet, cōmovit. Nec aliter vates, clamor, ululatus, in castris Macedonū fuit, donec Luna in sua lucem emersit.

ARDOR MILITVM AD PVGNAM.

Postero die tantus utrique ardor exercitui ad concurrendum fuit; ut hinc Regem, indè Consulem, suorum quidam, quod sine prœlio discessum esset, incusarent.

Consul, quamvis luce primâ signum propositum pugnæ ad exeundum in aciem fuisset; tunc quoque per speciem immolandi terere tempus videbatur. Sed tertiâ demùm hora, sacrificio ritè perpetrato, dilatæ pugnæ rationem in concione reddidit.

Nihil optatius sibi esse, aut eventurum; quàm ut quorum castra, præaltâ fluminis ripâ, tuta, vallo insuper septa ac crebris turribus, oppugnare difficile fuit; ea relictis munimentis, agmine effuso abeuntes, in patentibus campis, ab tergo adoriantur.

FORTVITA PVGNÆ ORIGO.

Quùm neuter etiamdum Imperatorum ad fatalem pugnam sese accingeret; fortuna, quæ plus humanis consilijs pollet, contraxisse certamen visa. Vbi namque ad flumen, (ex quo medio, Macedones & Romani promiscuè, præsidijs ex utraque parte positis, aquabantur) neutris lacessentibus, otium erat; horâ circiter quartâ, iumentum è manibus curantium elapsum, in ulteriorem ripam effugit.

(PLVT. tradit ab ipso PAVLLO, quòd hostes priores pugnam lacesserent, ità struente, equum freno detracto expulsum; & nonnullos Romanos ad eum retrahendum emissos esse, qui obiectos Thracas ad certamen exciérint.)

Thraces duo, ex præsidio octingentorum, quod in adversâ ripâ erat, egressi, idem iumentum ad se pertrahere conati, cum tribus Romanis militibus manum conseruére. Et iam Romani, altero eorum occiso, receptoque iumento, ad stationem suam se recipiebant; quùm pauci primò ex Thracibus, popularis sui cæde iritati, ad persequendos interfectores, fluvium transgressi sunt; deinde plures; postremò omnes & cum præsidio.

ACIEI ROM. ORDO.

Quùm ergò commissum prœlium cerneret Cos. legionem in prœlium dncit. Illa continuò intervallum, quod inter cetratos, & Phalanges erat, implevit; ut à tergo cetratis esset; & frontem adversùs Clypeatos, sive Aglaspides, haberet.

L. ALBINVS consularis secundam legionem ducere adversùs Leucaspidem Phalangem, quæ media hostium acies fuit, iussus est.

In dextrum cornu, elephantes inducti, & ala sociorum. (Et hine prima Macedonû fuga est orta.)

Elephantorum impetum subsecuti sunt socij nominis Latini; pepuléruntque lævum cornu. In medio, secunda legio immissa dissiparat Phalangem.

Neque ulla evidentior caussa victoriæ fuit, quàm quòd multa passim, Romanis ordines suos per intervalla insinuantibus, prœlia erant, quæ fluctnantem turbârunt primò, deinde disiecere Phalangem. Cuius alioqui confertæ, & intentis horrificæ hastis, intolerabiles vires sunt.

Cæterùm, sicut peditum passim cædes fiebant, nisi qui abiectis armis fugérunt; sic equitatus propè integer pugnâ excessit.

MACEDONIBVS PROFLIGATIS, FVGA REGIS.

Princeps fugæ, rex ipse erat: & iam è Pydnâ, cum sacris equitum alis, Pellam petebat; quem & Odrysæ, & cæteræ Macedonum alæ, integris ordinibus sunt consecutæ.

Nec minor peditum, qui ex hostium manibus elapsi erant, ad littus, ad mare, ad ipsam classem confugientium, erat occisio. Et qui metu hostilis classis, retrò nando repetebant terram; ab elephantis, quos rectores ad littus egerant, obtriti elidebantur.

Cæsa ad XX. hominum Millia: ad VI. Mill. qui Pydnam ex acie perfugerant, vivi in potestatem venére. & vagi è fuga ad V. Millia capti. Ex victoribus ceciderunt non plus C. & eorum, multo maior pars Peligni, temerè in Phalangem adhuc ordinatam invecti. vulnerati aliquantò plures. Si satis diei victoribus ad persequendum superfuisset; deleri omnes copiæ poterant.

PERSEVS ad Pieriam silvam, viâ militari, frequenti agmine equitum, & regio comitatu fugit. Simul in silvam ventum est, ubi plures diversæ semitæ erant; & nox adpropinquabat; metu tumultûs, quem pedites ab equitibus indignè reiecti, iam concitabant, cum perpaucis maximè fidis, viâ divertit. Equites sine duce relicti, alij aliâ in civitates suas dilapsi sunt. Perpauci indè Pellam celeriùs, quàm ipse PERSEVS, viâ rectâ & expeditâ, pervenérunt. Rex ad mediam ferè noctem terrore, & varijs viæ difficultatibus vexatus est.

In regiâ, qui Pellæ præerat, EVCTVS, regijque pueri præstò fuére. Contrà ea, amicorum, qui alij alio casu servati è prœlio Pellam venerant, quùm sæpè arcessiti essent, nemo ad eum venit.

Cum tribus tantùm fugæ comitibus, EVANDRO Crete, NEONE Bœotio, & ARCHIDAMO Ætolo, iam pertimescens, ne qui venire ad se abnuerant, maius aliquid mòx audérent; quartâ vigiliâ profugit. Secuti eum sunt admodum D. Cretes. Amphipolim ipse petebat: & properabat antè lucem Axium amnem traijcere. Eum finem sequendi, propter difficultatem transitûs, fore Romanis ratus.

COS. DE SCIPIONE F. SOLICITVDO.

Consulem in castris victorem, ne sincero gaudio frueretur, cura de minore filio stimulabat. P. SCIPIONIS erat; AFRICANVS posteà & ipse, deletâ Carthagine, appellatus; naturalis ipsius Consulis, adoptione Africani maioris Nepos.

Is XVII. tunc annum agens, dum effusè sequitur hosteis, in partem aliam turbâ ablatus erat. Et seriùs quùm redisset, tunc demum recepto sospite filio, victoriæ gaudium Pater sensit.

CIVITATVM AD ROMM. DEFECTIO.

Tertio die PERSEVS quàm pugnatum erat, Amphipolim, bis Mille Thracum præsidio, (quos DIODORVS opidi præfectus, per speciem Emathiæ, adversùs classem Rom. tuendæ, ablegârat) liberatam, venit. atque indè oratores cum caduceo ad PAVLLVM misit.

Interim HIPPIAS, & MIDON & PANTAVCVS, principes amicorum regis, Berrhœam, quò ex acie

acie fugerant, ipsi ad Consulem profecti, Romanis dedunt. Hoc idem & aliæ deinceps metu perculsæ ciuitates, facere parabant.

Cos. nuntijs victoriæ Romam missis, spolia iacentis hostium exercitûs peditibus concessit. Equitibus, prædam circumiecti agri; dum ne amplius duabus noctibus à castris abessent. Ipse propiùs mare ad Pydnam castra mouit. Berrhoea primùm, deinde Thessalonica & Pella, & deinceps omnis fermè Macedonia intra biduum dedita.

Pydnæi, qui proximi erant; incondità plurium simul gentium multitudine, quæ ex acie fugâ in unum compulsa erat, consilium & consensum ciuitatis impediente; nondum miserant legatos. nec clausæ modò portæ, sed inædificatæ erant.

Missi MIDON & PANTAVCVS sub muros ad colloquium SOLONIS, qui præsidio erat. Militari turbâ per eum impunè emissâ, opidum deditum militibus datur diripiendum.

REGIS PERSEI DESPERATIO, ET SOLITVDO.

PERSEVS, unâ tantum spe Bisaltarum auxilij tentati, ad quos nequidquam miserat legatos; in concionem processit, PHILIPPVM secum filium habens; ut & ipsos Amphipolitanos, & equitum peditúmque, qui aut semper secuti, aut fugâ eodem delati erant, adhortando animos confirmaret.

Sed aliquoties dicere incipientem, cum lacrumæ præpedissent; quæ ipse dicere nequibat, EVANDRO Creti editis, quæ agi cum multitudine vellet; de templo descendit.

Multitudo sicut ad conspectum regis, fletumq; tàm miserabilem, & ipsa ingemuerat lacrumaueratque; itâ EVANDRI orationem aspernabatur. quibusdam etiam ex concione succlamare ausis; *Abite hinc, ne qui pauci superfumus, propter vos pereamus.*

Horum ferocia vocem EVANDRO clausit: & effecit, ut rex in domum se reciperet; pecuniáq; omni in lembos, qui in Strymone stabant, delatâ, & ipse ad flumen descenderet.

Thraces nauibus se committere non ausi, domos dilabuntur; & aliæ militaris generis turbæ.

Cretenses spem pecuniæ secuti: & quoniam in diuidendo plus offensionis, quàm gratiæ erat; L. talenta ijs posita sunt in ripâ diripienda. Ab hâc direptione quùm per tumultum naueis conscendent, lembum unum in ostio amnis multitudine grauatum merserunt.

Galepsum eo die; postero Samothracen, quam petebant, peruentum est. ad II. Mill. talenta peruecta eò dicuntur.

Paullus Cos. per omnes deditas ciuitates dimissis, qui præessent, ne qua iniuria in nouâ pace victis fieret; retentisque apud se caduceatoribus regijs, ignarus fugæ regis, P. NASICAM, cum modicâ manu Amphipolin misit. simul ut Sinticen euastaret. & ad omneis conatus regis impedimento esset.

Inter hæc, Meliboea à Cn. OCTAVIO capitur diripiturque. Cn. ANICIVS legatus ad Æginium oppugnandum missus erat. Eruptione ex opido factâ, CC. amissi sunt, ignaris Æginiensibus debellatum esse.

PYDNA, PELLA, AMPHIPOLIS, COS. DEDITÆ.

Cos. à Pydnâ profectus, cum toto exercitu die altero Pellam peruenit. & per aliquot dies ad urbe statiua habuit. Gaza regia eo in loco erat. sed tũ nihil præter CCC. talenta, quæ missa GENTIO regi, deinde retenta fuerant; inuentum est. Ibi & legationes, quæ ad gratulandum conuenerant, maximè ex Thessaliâ, auditæ sunt.

Nuntio deinde accepto, PERSEA ad Samothracam traiecisse; profectus à Pellâ Cos. quartis castris Amphipolim peruenit. cumque effusa omnis obuiàm turba, quasi regis, neque boni satis, nec iusti oblita, honorificè salutauit & accepit.

ANTICIPATA VICTORIÆ FAMA. ET EX ILLYRICO.

Victoriæ nuntij Romam à Cos. missi, preceptam eius rei lætitiam apud ciueis inuenerunt: partim incertis rumoribus. (CASTOREM & POLLVCEM candidis equis, apud IVTVRNA lacum, pulverem & cruorem abluere conspectos) partim laureatis litteris C. LICINIO Cos. à tabellario quodam, qui se ex Macedoniâ venire diceret; redditis.

L. ÆMYLIVM collegam, scilicet, signis collatis cum rege PERSEO pugnâsse. Macedonum exercitum cæsum fusumq; : Regem cum paucis fugisse; ciuitates Macedoniæ in ditionem pop. Rom. venisse.

Ex Illyrico præterea duo legati nuntiárunt, exercitum Illyriorum cæsum; GENTIVM regem, captum, in ditione pop. Rom. & Illyricum esse.

RHODIORVM LEGATORVM dissimulatio increpita.

Traditum est etiam, legatos Rhodios nondum dimissos, post victoriam nuntiatam, velut ad ludibrium stolidæ superbiæ, in Senatum vocatos esse. & AGEPOLIM principem eorum itâ locutum: *Missos esse legatos ab Rhodijs, ad pacem inter Romanos & PERSEA faciendam. quod id bellum graue atque incommodum Græciæ omni; sumtuosum ac damnosum ipsis Romanis esset. Fortunam perbenè fecisse, quando finito aliter bello, gratulandi sibi de victoriâ egregiâ Romanis opportunitatem dedisset.*

Ijsque ab Senatu responsum; *Rhodios, neque utilitatum Græciæ, neque curâ impensarum pop. Romani; sed pro PERSEO eam legationem misisse.* Neque transgressis iam pòst superatos saltus in Macedoniam Romanis, ad ullam aliam rem misisse; quàm ad PERSEA, qui inclusus tum tenebatur, ex imminenti periculo eripiendum. Et cum hoc responso legati dimissi.

(Per eosdem dies M. MARCELLVS ex Hispaniâ prouinciâ decedens, Marcoliçâ nobili urbe captâ, magnam auri argentique vim in ærarium rettulit.)

PAVLLVS Cos. quùm castra ad Siras, terræ Hodomanticæ, haberet; & litteras ab rege PERSEO, per ignobileis III. legatos, ad se missas cerneret; & ipse

ipse *illacrymásse* dicitur *forti humanæ*. quòd rex paullo-antè tam potens, *amisso tum exercitu, extorris regno, in parvam insulam compulsus, supplex, fani religione, non viribus suis tutus esset.*

Sed postquàm; *Regem* PERSEA, *Consuli Paullo, Salutem*; *legit*; miserationem omnem, stultitia ignorantis fortunam suam exemit.

Itaque quamquam in reliquâ litterarum parte minimè regiæ preces erant; tamen sine responso ac sine litteris ea legatio dimissa est.

Sensit PERSEVS, cuius *nominis victo* oblivis cendum esset. Alteræ itaq; litteræ, cum *privati nominis titulo* missæ, & petiére & impetravére, ut aliqui ad eum mitterentur, cum quibus loqui de statu & conditione suæ fortunæ posset.

Missi tres legati nihil perfecérunt; PERSEO, *regium nomen* omni vi *amplectente*; PAVLLO, ut se suaque omnia in fidem, & clementiam pop. Rom. permitteret, *contendente*.

RFX AD SE DEDENDVM SOLICITATVR. SAMOTHRACÆ RELIgio violata.

Dum hæc aguntur, classis Cn. OCTAVII Samothracam est adpulsa. Is quoque præsenti admoto terrore, modò minis, modò spe perlicere, ut se traderet rex, quùm conaretur; L. ATTILII, illustris adolescentis, operâ factum est; ut Samothraces, in concione, de *Templi, soliq; sanctitate* compellati, misso ad PERSEA Theondâ, qui summus apud eos erat magistratus, in iudicium vocarent EVANDRVM Cretensem; per quem rex EVMENIS regis cædem Delphis propè perpetrásset; & qui *incestas manus intrà sacratos Templi sui terminos* in præsentiâ intulisset.

Illum, iam ceu præiudicio condemnatum, & fugam parantem, PERSEVS (ne tamquam à se subtracto pœnæ reo, iram Samothracum in se converteret;) interfici iussit.

Quâ perpetratâ temerè cæde, subijt extemplò animum; *in se nimirum receptam labem*, quæ EVANDRI fuisset. Ab illo Delphis vulneratum EVMENEM; ab se Samothracæ EVANDRVM occisum. *Ita duo sanctissima in terris Templa, se uno auctore, sanguine humano violata.*

PERSEVS FVGAM CIRCVMSPECTAT: ET MOX SE DEDIT.

Tanto facinore, in unicum relictum amicum, ab ipso per tot casus expertum, proditumque, quia nō prodiderat; omnium ab se abalienavit animos. pro se quisque transire ad Romanos; fugæque consilium capere, solum propè relictum, coegérunt.

Is cum OROANDE, Cretensi mercatore, pactus, ut se sublatum in lembum ad COTYN deveheret; lembo in portu non invento, elusus est. Et vagatus aliquamdiu in litore; neque in hospitium redire ausus, in latere Templi, propè angulū obscurum, cum paucis fidis & pueris suis, principum liberis, delituit.

Sed postquàm iussu Cn. OCTAVII per præconem pronunciatum esset; *regios pueros. Macedonasq; alios, qui Samothracæ essent, si transirent ad Romanos, incolumitatem libertatemq;, & sua omnia servaturos*; omniū facta transitio est.

Liberos quoque parvos regios, ION Thessalonicensis OCTAVIO tradidit: nec quisquam, præter PHILIPPVM; maximum natu è filijs, cum rege relictus. Tum sese filiumque eidem OCTAVIO tradidit: fortunam, Deosque, quorum in Templo erat, nullâ ope supplicem iuvantes, incusans.

In prætoriam navem imponi iussus: eódem & pecunia, quæ superfuit, delata est. Extemploque classis Amphipolim repetit. Inde OCTAVIVS, præmissis litteris, regem in castra ad Cos. misit.

Rex pullo amictus pallio, in prætorium ingressus, & reverenter à Cos. manu porrectâ acceptus; nec eius attingere genua, summisso ad pedes corpore, situs; quùm ad ea, quæ objiciebantur, *de pace violatâ; de infesto in pop. Rom. animo; & bello suscepto*, interrogatus & accusatus, nihil responsi daret; sed terram intuens diu tacitus fleret; bonum habere animum, & certam propè salutis fiduciam in clementiâ pop. Rom. ponere iussus est.

Tū Cos. à rege ad suos cōversus; *Exemplum insigne cernitis*, inquit, *mutationis rerum humanarum. Eum virum esse iudico, cuius animum nec prospera fortuna flatu suo efferat; nec adversa infringat.*

REGNI MACEDONICI PROGRESSVS, ET EXITVS. REGVM SERIES sub unum conspectum data.

Hic *finis belli*, quùm quadriennium continuum bellatum esset; inter Romanos ac PERSEA fuit. Idemque *finis inclyti*, per Europæ plærumque, atque Asiam omnem, *regni*. quod quidem PERSEVS annis XI. tenuerat.

Illum vicesimum (Iust. l. 33. Tricesimum; Euseb. quadragesimum) à CARANO, qui primus regnavit, numerabant. Sub regno totidem regum fuit Macedonia, annis DCCCCXXIII. sed rerum non nisi CXCII. annis potita.

Macedonum obscura admodùm fama usque ad PHILIPPVM, AMYNTÆ F. fuit. Sub eius filio ALEXANDRO MAG. maximum in terris regnum, nomenque. Indè morte ALEXANDRI distractum in multa regna, dum ad se quisque opes rapiunt & lacerant viribus, à summo culmine fortunæ, ad ultimum finem, CL. annos stetit.

Eius Macedoniæ (Plin. lib. 4. c. 10.) uno die PAVLLVS ÆMYLIVS LXXII. urbeis direptas vendidit. (Id veriùs de Epiro dicatur.)

REGVM MACEDONVM, QVI SPARSIM IN hâc historiâ, licet suo quisque loco & tempore, collocati; Series; sub unum adspectum data.

Ex novâ Petavij supputatione; quam cum nostrâ curiosus Lector componere, & expendere possit.

	Ann. quibus regnárunt.	Ann. Periodi Iul.* quibus iniérunt.
1. CARANVS (Phidonis Heraclidæ, Argivor. regis, frater)	28.	3900
(*Qui est Orb. Cond.*		3170
Et ante Nat. CHRISTVM. 814.)		
2. Cœnus	28.	3928
3. Thurimas	45.	3956
4. Perdiccas	48.	4001
5. Argæus	32.	4049
6. Philippus	35.	4081
7. Europus	43.	4116
8. Alcetas	28.	4159
9. Amyntas	49.	4187
10. Alexander	43.	4235
11. Perdiccas	28.	4278
12. Archelaus	14.	4301
13. Orestes	3.	4315
14. Archelaus	4.	4318
15. Amyotas	5.	4322
16. Pausanias	1.	4323
17. Amyntas	5.	4324
18. Argeus	2.	4329
Amyntas iter.	12.	4331
19. Alexander	1.	4343
20. Ptolemæus	4.	4344

	Ann. quibus regnárunt.	Ann. Periodi Iul.* quibus iniérunt.
21. Perdiccas	6.	4348
22. Philippus	24.	4354
23. Alexander M.	12.	4378
24. Aridæus	7.	4390
25. Cassander	19.	4397
26. Philippus Cassandri F.	1.	4416
27. Aotipater & Alexander Cassandri FF.	3.	4417
28. Demetrius Poliorcetes	6.	4420
29. Pyrrhus M.	7.	4426
30. Lysimachus	6.	4426
31. Arsinoe, Lysimachi Vxor M.	7.	4432
32. Ptolemæ. Ceraunus Lagi F.	2.	4433
33. Meleager, M.	11.	4434
34. Antipater d.	45.	4434
35. Sosthenes	2.	4434
36. Antigonus Gonatas	36.	4436
37. Demetrius F.	10.	4472
38. Antigonus Doson	12.	4482
39. Philippus Demetrij F.	42.	4494
40. Perseus	10.	4536

Tenuit Regnum Macedoniæ ann. 737.
Desijt anno Periodi Iul.* 4546. Orb. C. 3816.
(Si numeri hi iusti, Regnum istud tantùm steterit, 646. ann.)

POPILIVS LEGATVS AD ANTIOCHVM EPIPH. RHODIOS OBITER increpat.

C. POPILIVS, qui ad Delum præsidio navibus, Macedoniam petentibus, erat, postquàm debellatum in Macedoniâ; & statione summotos hostium lembos, (ANTENOR quippe ad famam victoriæ Romanæ, cum classe lemborum, quæ ad Phanas steterat, Cassandriam indè traiecerat) audivit; dimissis & ipse Atticis navibus, ad susceptam legationem peragendam navigare in Ægyptum pergit. ut priùs ANTIOCHO occurrere posset, quàm ad Alexandriæ mœnia accederet.

Illi Asiam prætervehenti principes Rhodiorum occurrunt; & legatos orant, ut Rhodum devehi se patiantur. Eorum adventus auxit potiùs timorem civitati, quam minuit. POPILIVS namque, vir asper ingenio, vultu truci, & voce minaci, Rhodiorum perfidiam incusabat. quæque singuli, universique, eo bello hostiliter dixissent aut fecissent, referebat; eorumque, quæ dicerentur, atrocitatem augebat.

Collega eius C. DECIMIVS, moderatiore oratione usus, in plerisque eorum, quæ commemorata à POPILIO essent, culpã nõ penes populum, sed penes paucos vulgi concitatores esse dixit. quæ omnia, si potestas populo foret, in capita noxiorũ versura.

Et quùm plerique DECIMIO, in auctoribus ad piaculum noxæ obijciendis, assentirentur; decretum extemplò; ut, *qui pro* PERSEO *adversùs Romanos dixisse quid aut fecisse convincerentur, capitis condemnarentur*. Ex ijs quidam sub adventum Romanorum urbe excesserant; alij mortem sibi cõscivérunt.

Intereà ANTIOCHVS, frustrà tentatis mœnibus Alexandriæ abscesserat; cæterâq; Ægypto potitus, relicto Memphi maiore PTOLEMÆO, cui regnum quæri suis viribus simulabat, ut victorem impunitùs mòx adgrederetur; in Syriam exercitum abduxit.

FRATRVM

FRATRVM PTOLEMÆORVM Syncretismus, suspecto iam Antiocho.

Nec huius volnntatis eius Ignarus PTOLEMÆVS, dum conterritum obsidionis metu minorem fratrem haberet; posse se recipi Alexandriæ, & sorore adiuvante, & non repugnantibus fratris amicis, ratus; primùm ad sororem, deinde ad fratrem amicosque eius, non prius destitit mittere, quàm pacem cum ijs confirmaret.

Suspectum ANTIOCHVM fecerat; quòd cæterâ Ægypto sibi traditâ, Pelosij validum relictum erat præsidiū. adparebat *claustra Ægypti teneri*, ut quùm vellet, rursùs exercitum induceret. *Bello intestino, cum fratre, eum exitum fore, ut victor fessus certamine nequaquam par ANTIOCHO futurus esset*. Itaq; consentientibus cunctis, pace factâ Alexandriam recipitur.

His quùm lætari ANTIOCHVM conveniens esset, si, quod speciosè & passim iactârat, reducendi eius caussâ, exercitum in Ægyptum induxisset; adeò est offensus, ut multò acrius infestiusq; adversùs duos, quàm antè adversùs unum, pararet bellum. Et classe Cyprum extemplò missâ, ipse primo vere cum exercitu Ægyptum petens, in Cœlen-Syriam processit.

ANTIOCHVS IN ÆGYPTVM VI INVADIT; AD LEGATORVM ADventum obstupet, & desistit.

Circà Rhinocoluram PTOLEMÆI maioris legatis agentibus gratias, quòd per eum regnum patrium recepisset; petentibusque ut suum munus tueretur; & diceret potiùs, quid fieri vellet, quàm hostis, ex socio factus, vi atque armis ageret; respondit: *Se non aliter neque classem revocaturum, neq; exercitum reducturum, nisi sibi & tota Cypro, & Pelusio; agroq;*, qui circà Pelusiacum Nili ostium esset, *cederet*. Diemque præstituit, intrà quam de conditionibus peractis responsum acciperet.

Postquam dies data inducijs præterijt; Naviganti ostio Nili, quod ad Pelusium est, per deserta Arabiæ, populi sese dedidérunt.

Deinde ab ijs, qui ad Memphim incolebant; & ab cæteris Ægyptijs partim voluntate, partim metu receptus, ad Alexandriam modicis itineribus descendit.

Eidem ad Leusinen transgresso flumen, IV. ab Alexandriâ Millibus, Legati Romani occurrérunt.

Quos quùm advenienteis salutâsset, dextramq; POPILIO porrigeret; tabellas ei POPILIVS, scriptum habenteis, tradit, atque omnium primùm id legere iubet.

Quibus perlectis, quùm se consideraturum, adhibitis amicis, quid faciendum sibi esset, dixisset; POPILIVS pro cæterâ asperitate animi, virgâ, quam in manu gerebat, circumscripsit regem: ac, *priusquam hoc circulo excedas*, inquit, *redde responsum Senatui, quod referam. aut pacem, aut bellum cum Romanis habiturum*.

Obstupefactus ille tàm violento imperio, parumper quùm hesitâsset; FACIAM, inquit, *quod censet Senatus*. Et tum demùm POPILIVS dextram regi, tamquam socio & amico, (qui, cum Romæ obses esset, inter cæteros eum coluerat) porrexit.

Die deinde finitâ, quùm excessisset Ægypto ANTIOCHVS; Legati, concordiâ etiam, auctoritate suâ, inter fratres firmatâ, inter quos vixdum cōvenerat; pars Cyprū navigant; & indè, quæ iā vicetat prœlio Ægyptias naveis, classem ANTIOCHI dimittunt.

Clara ea per genteis legatio fuit; quòd haud dubiè adempta Antiocho Ægyptus, habenti iam: redditumque patrium tegnum stirpi PTOLEMÆI fuerat.

Consulum eius anni, sicut alterius clarus consulatus insigni victoriâ; ità alterius obscura fama, quia materiam res gerendi nō habuit. Profectus in Galliam circà Macros campos, ad monteis Siciminam & Papinum, stativa habuit: deinde circà eadem loca cum socijs Latini nominis hibernabat. Legiones Romanæ, quòd vitio dies exercitui ad conveniendum dicta erat, Romæ manserant.

VARIÆ ROMAM LEGATIONES, ET GRATVLATIONES.

Pòst POPILII Legati reditum, ipsorum regum legati Romam venérunt. Et ANTIOCHI quidem legati referebant; *Omni victoriâ potiorem pacem regi, quæ Senatui placuisset, visam: eumq; haud secus, quàm imperio Deorum, Legatorum Romm. iussis paruisse*.

Deinde victoriam (de PERSEO) gratulantes, addebant; *regem siquid imperatum foret, ad eam summâ ope adfuturum fuisse*.

PTOLEMÆI verò legati, communi nomine regis & Cleopatræ, gratias egérunt; qui *plus S. P. Q. Romano quàm parentibus; plus, quàm Dijs immortalibus, deberent*.

Tum quoque disceptatum inter Pisanos Lunenseisque legatos, de agrorum finibus. de quibus qui cognoscerent statuerentque, V. Viri à Senatu missi sunt.

Venit & communis legatio ab EVMENE, ab ATTALO, ab ATHENÆO fratribus, quæ de eâdem victoriâ gratularetur.

Et MASGABA, regis MASANISSÆ F. qui Puteolis navem egressus, Romam publico sumtu fuerat perductus; in Curiâ, Patris sui *subsidia*, quæ eo quadriennio in Macedoniam miserat, commemoravit; quæ *imperata potius, quam rogata* maluerit, Patrem meminisse, *regnum à pop. Rom. partum auctumq; habere. usu regni contentum*, scire *dominium & ius eorum, qui dederint, esse*. Victoriam verò, tantæ lætitiæ Patri suo esse, ut Romam venire velit, & Dijs in Capitolio sacrificare, & gratias agere.

Neque ita multo-post, de altero MASANISSÆ F. MISAGENE, litteræ adlatæ. Missum eum ab L. PAVLLO, pòst devictum PERSEA, in Africam cum equitibus suis, navigantem dispersâ classe in Hadriatico mari Brundisium cum III. navibus ægrum delatum. Ad eum cum ijsdem muneribus, quæ data Romæ fratri eius erant, Quæstor missus, & sedulò curare iussus.

ACRIOR

ACRIOR INTER FRATRES PONTIFICES, HIEROSLYMÆ CONTENTIO. ANTIOCHVS IVdæos infestat & sævit.

Interim Hierosolymis IASON, collectâ perditorum manu Pontificatum reciperaturus, in fratrem MENELAVM impetu facto, cruore omnia complet, irrito conatu. Rursus enim fugatus, & vagus primò in Arabiam, dein in Ægyptum, postremò Lacedæmonem fugit; atque ibi miserè perit.

His motibus auditis ANTIOCHVS, cum acerbo repulsæ dolore æstuans; tum sparso de morte suâ rumore irritatus; & Iudæos intestino bello inter se decertanteis, ceu manifestæ perduellioni adfineis, à se defecturos ratus; efferato penitus animo Hierosolymam contendit, captâque armis civitate, omni crudelitatis genere in Civeis desævijt.

Tantus autem fuit EPIPHANIS in miseros Iudæos furor, ut intra triduum XL. M. trucidárit, totidemque mancipio dederit. Alios deinde duces, suæ crudelitatis & impietatis administros, ex Antiochiâ submisit; qui cæsis aut spoliatis civium reliquijs, & Vrbe incensâ, Temploque exhausto (MDCCC. talentis inde abreptis) atque adeò profanato, imbellem tenuemque turbam in servitutem abstraherent.

Qui arcem Sionis, novis munitionibus, & profanis externorum militum, aut transfugarum præsidijs confirmatam, pro scelerum sentinâ, & omnium propudiorum receptaculo, infidérent.

Qui quotidianum & solemnem sacrorum ritum penitus tollerent & oblitterarent: & in Templo, toties iam expilato & desolato, exsecrabile IOVIS OLYMPII, & alibi XENII, simulacrum, ipsiusque ANTIOCHI statuas, super altari collocarent.

(Hæc acta à Chronographis tribuuntur anno Seleucid. CXLV. *& Olympiad.* CLIII.)

IVDÆORVM IN PIETATE CONSTANTIA.

Et quantumvis eâ sevissimæ persecutionis tempestare perculsi nonnulli ex Iudæis proavitam pietatem desererent; & præsenti necessitati succumberent; non pauci tamen contrà doctrinâ & indole generosâ præstantiores (inter quos ELEAZARVS senex, & VII. fratres SALOMONÆ filij) cæteris exemplo suo præivérunt; *ut quosvis potius cruciatus perpeti, gladijs cædi, flammis amburi, crucibus suffigi, captivitate sive exsilio multari bonis in perpetuum spoliari; quàm à legis divina præscripto, vel latum unguem, decedere maluerint.*

MATATHIAS PII BELLI ANTESIGNANVS.

Et inter cæteros MATATHIAS, ex sacerdotalium præfecturarum principe, quæ IOARIBI dicta est, oriundus, gente Hierosolymitâ, IOANNIS F. SIMEONIS Asamonæi (quasi optimatis, & primarij sacrorum Antistitis) qui fortè SIMON ipse II. fuerit, ONIÆ II. filius; & SIMONIS I. cognomento Iusti, Nepos.

Is in Modinâ, montano Iudææ vico, habitans, sæpenumero apud filios, quos V. habebat, de miserabili Vrbis Templique statu quiritans, longè satiùs esse prædicabat; *Pro patrijs legibus semel & honestè emori, quàm ita ingloriè usque vivere.*

Quùmque fortè regij Satellites in eumdem vicum venissent; & MATTATHIAM, qui cæteris inibi opibus & auctoritate potior esset, ad profana sacra, ostentatis etiam à rege præmijs, impellerent; negavit palam; *Etiamsi universus terrarum orbis ANTIOCHI imperatis obtemperaret; se induci, aut suis etiam liberis persuaderi posse, ut patriam religionem deserant.*

Vbi verò, ipso silente, ex Iudæis quidam in medium progressus, ex pit in conspectu omnium, ex regio præscripto, res immundas super altari immolare; & idolis sacrificare: rei indignitatem ampliùs haud ferens, & iusto furore incensus, impetu cum armis facto, & adscitis in partem filijs, non modò sacrilegum, sed APELLEM etiam regium ducem, cum militibus, profanæ impietatis administris, obtruncat. & subverso altari, exclamat; *Quotus quisque pristina patria & religionis incolumitati studet, me sequatur.* Et cum dicto, filijs comitibus, in loca montana & deserta se recepit. relictis in vico caritatibus & facultatibus.

Quod & reliqui ex plebe imitati, cum familijs, & pecoribus, in eadem solitudinis tesqua profugerunt; ut vel in speleis iustè pièque victitarent.

INDIGNA IVDÆORVM CÆDES.

Quo audito, duces regij adscito secum arcis Hierosolymitanæ præsidio, profugos in deserta usque persecuti, & adsecuti; priùs verbis pellacibus eos inducere sunt conati, ut ab incepto desisterent; neque regi sæviendi in ipsos hostibus necessitatem imponerent. Deinde ubi nihil apud obstinatos oratione profectum vident; die sabbatino violenter adgressi, eos, neque conlectis adversùm lapidibus, neque obturatis speluncarum aditibus, ob diei religionem, repugnanteis, ad mille circiter promiscuæ ætatis sexûsque homines, aut cecidérunt, aut igne iniecto suffocárunt.

Nec pauci ex eo casu elapsi, MATTATHIÆ sese adiunxerunt; eumque sibi principem elegérunt.

Ille, ne pari facilitate, & captatâ dierum opportunitate, gens omnis paullatim exterminetur; diebus etiam sabbatinis, *vim vi repelli, & pugnari pro salute pos-*

lute posse, edocuit; collectâque concordium inter se piorum manu; & profana altaria passim subvertit, & novæ impietatis tum auctores, tum reos trucidavit, aut solo cedere coëgit. Libris sacris, quâ potuit, restitutis; & pueris cæsi præputij notâ insignitis.

Hoc Machabæorum pijque belli initium ab alijs refertur ad ann. ab O. C. 3782. qui est ante Nat. CHR. 168.

3789. 13. Sel. Philop. 21. Pt. Philom. | *Hoc anno Comitijs Consularibus Romæ creati Consules Q. ÆLIVS PAITVS, & M. IVNIVS PENNVS.* | 161.

LIBERTINORVM STATVS MVTATVS.

Censores TI. SEMPRONIVS & C. CLAVDIVS, inter cætera, Libertinorum Romæ statum mutârunt. Quùm enim Libertini in IV. Tribus urbanas, Suburranam, Esquilinam, Collinam, & Palatinam, iam inde usque à SERV. TVLLIO rege fuissent coniecti; & posteà per omneis Tribus dispersi; C. FLAMININVS & L. ÆMILIVS Censores, in easdem IV. redegérunt. Nunc verò à TI. SEMPRONIO GRACCHO in unam Esquilinam urbanam relati sunt; Collegâ non-nihil obsistente.

Consulibus, quos dixi, de provincijs referentibus, censuêre patres duas provincias, Hispaniam, rursus fieri; quæ una per bellum Macedonicum fuerat. & Macedoniam Illyricumque, ab ijsdem L. PAVLLO, & L. ANICIO obtineri; donec de sententiâ legatorum, & res bello turbatas, & statum alium eius regni formando composuissent.

Coss. novis Pisæ & Gallia decretæ, cum binis legionibus peditum, & equitibus quadringenis. Pisæ IVNIO PENNO; & Q. ÆLIO Gallia sortitò obvenit.

LIBERTAS VICTIS DATA.

Legati deinde, quorum de sententiâ Imperr. L. PAVLLVS, & ANICIVS res componerent, decreti; X. in Macedoniam; V. in Illyricum.

Omnium primùm liberos esse placuerat Macedonas atque Illyrios. ut omnibus gentibus appareret, *Arma pop. Rom. non liberis servitutem, sed contrà servientibus libertatem adferre.*

Metalli quoque *Macedonici*, quod ingens vectigal erat; *locationesq; prædiorum rusticorum tolli. Commune Concilium gentis nullum esse*; ne improbum vulgus à Senatu aliquando libertatem salubri moderationi datam, ad licentiam pestilentem traheret.

In IV. regiones describi Macedoniam; ut suum quæque concilium haberent. *Et dimidium tributi*, quàm quod regibus ferre soliti erant, pop. Romano *pendere*. Similia his & in Illyricum mandata. Cætera Legati cum Imperatoribus ipsis pro re natâ & præsenti constituerent.

ATTALI GRATIA.

Inter multas regum, gentiumque & populorum legationes, ATTALVS frater EVMENIS, ab eius belli, quod ipse adiuverat, consortibus, haud paullò benigniùs exceptus est, quàm si frater eius rex venisset. Duæ eum res in speciem honestæ adduxerant; gratulatio eius victoriæ, cuius ipse adiutor & pars; & querimonia Gallici tumultûs, quo ADVEATÆ (is & SALONETTIVS dicitur) regnum in dubium adductum esset.

Introductus in Senatum, post victoriæ gratulationem, sua merita eo bello, fratrisque, si quæ erant; & Gallorum defectionem ac motum exposuit. petijt ut legati ad eos mitterentur, quorum auctoritate ab armis avocarentur. Ænum sibi tantùm & Maroneam petijt.

Ita destitutâ eorum spe, qui inter fratres discordiam volebant; & EVMENE, quod nec Romanis, nec PERSEO fidus eo bello socius fuisset, accusato, partitionem regni petiturum eum crediderant; è curiâ excessit, multis honoribus muneribusque cultus.

RHODIORVM LEGATI SORDIDATI ET SVPPLICES.

Intereà Rhodiorum legati, quùm primò in veste candidâ visi essent, quod gratulanteis decebat: &, si sordidam vestem habuissent, lugentium PERSEI casum præbere speciem poterant; à Consule petebant, ut sibi, qui de victoriâ gratulatum, purgatumque civitatis crimina venissent, Senatus daretur.

M. IVNIVS Consul, ex Senatûs sententiâ, ijs respondit: *Socijs & amicis, & alia comiter atque hospitaliter præstare Romanos, & Senatum dare consuesse. Rhodios non ita meritos eo bello, ut amicorum aut sociorum numero habendi sint.*

His auditis, prostravérunt se omnes humi, Consulem, cunctosque, qui aderant, orantes, ne nova falsaque crimina plus obesse Rhodijs æquum censerent; quàm antiqua merita, quorum ipsi conscij essent & testes.

Extemplò veste sordidâ sumtâ domos principum cum precibus & lacrymis circumibant; orantes, ut priùs cognoscerent caussam, quàm condemnarentur.

M. IVVENTIVS TALNA Præt. cuius inter civeis & peregrinos iurisdictio erat, populum adversus Rhodios incitabat; rogationemque promulgarat; ut Rhodijs bellum indiceretur: & ex magistratibus eius anni deligerent, qui ad id bellum cum classe mitteretur. se eum sperans futurum esse.

Huic actioni Tribb. plebis sunt adversati: & festinationem Prætoris, ante tempus intercedendo, in adventum Imperatoris protraxérunt.

Rhodij

Rhodij Legati ad purgandum tandem in Curiam intromissi, postquam unus ex ijs oratione ut flebili, ita constanti, temeritatem quorumdam popularium suorum deprecatus esset; & fidem consiliumque publicum expurgâsset; universi rursus procidérunt; ramosque oleæ supplices iactantes, tandem excitati Curiâ excessérunt. & tum sententiæ rogari cæptæ.

Infestissimi Rhodijs erant, qui Consules Prætoresve, aut legati, gesserant in Macedoniâ bellum; & eos malè in pop. Rom. eo bello animatos fuisse querebantur.

At M. PORCIVS CATO, qui asper ingenio, tum lenem mitemque Senatorem egit: & eosdem, uti optimos fidissimosque socios, (quorum opibus diripiendis, possidendisque, non pauci ex summatibus viris intenti infensique erant) defensum conservatumque pergit, orationemque inclytam dixit, cuius & Agell. l. 7. meminit.

Rhodijs à Senatu responsum, ita redditum est; ut nec hostes fierent, nec socij permanérent. PHILOCRATES & ASTYMEDES principes eius legationis erant. Partem cum PHILOCRATE renuntiare Rhodum legationem placuit; partem cum ASTYMEDE Romæ subsistere. quæque agerentur, scitet; certioresque suos faceret.

In præsentiâ, deducere ante certam diem ex Lyciâ Cariâque iussérunt præfectos.

Rhodij, quia quùm bellum timuissent, maioris mali levatus erat timor; in gaudium renuntiata, licèt per se tristia, vertérunt. Et quia per tot annos ita in amicitiâ Romanorum fuerant, ut *sociali fœdere sese cum ijsdem non illigarent*: (ob nullam aliam caussam; quàm *ne spem regibus abscinderent auxilij sui*, si cui opus esset: *neu sibi ipsis fructûs* ex benignitate & fortunâ eorum *percipiendi*) tunc utique petenda societas videbatur; Non quæ *tutiores* eos *ab alijs faceret*; (nec enim timebant quemquam præter Romanos) sed quæ *ipsis Romanis minùs suspectos*.

Itaque extemplò coronam xx. millibus aureorum decrevérunt; & THEODOTVM, classis suæ Præfectum, in eam legationem misérunt.

RHODII A SE DEFECTORES CASTIGANT.

Quùm verò sub idem ferè tempus, & Caunij descivissent ab his, & Mylasenses Euromensium opida occupâssent; Non ita fracti ânimi civitatis erant, ut non sentirent; si Lycia & Caria ademtæ ab Romanis forent, cætera aut seipsa per defectionem liberarent, aut à finitimis occuparentur.

Includi se Insulæ parvæ, & sterilis agri littoribus, quæ nequaquam alere tantæ civitatis populum possent.

Missa igitur iuventute properè, & Caunios, quamquam Cybiratarum adsciverant auxilia, coëgérunt imperio parére; & Mylasenseis Alabandéosque, qui, Euromensium provinciâ ademtâ, ad ipsos coniuncto exercitu venerant; circa Otthosiam acie vicérunt.

ANICIVS RES IN ILLYRICO CONSTITVIT. MVLTA IN EPIRO ET Molossis opida capit.

Interea in Illyrico ANICIVS, rege GENTIO sicut antè dictum est, capto & in potestatem redacto; Scodræ, quæ regia fuerat; præsidio imposito, GABINIVM præfecit: Rhizoni & Olcinio, urbibus opportunis, C. LICINIVM.

Ipse cum reliquo exercitu in Epirum est profectus. Vbi prima Phanota ei dedita, totâ multitudine cum insulis obviam effusâ.

Hic præsidio similiter imposito, in Molossidem transgressus. cuius regionis opidis (præter Passaronem & Tecmonem, Phylacen & Horreum) receptis, primùm ad Passaronem ducit.

ANTINOVS & THEODOTVS, principes eius civitatis erant, insignes & favore PERSEI, & odio adversus Romanos; ijdem universæ genti auctores desciscendi ab Romanis.

Hi conscientiâ privatę noxæ, clauserant portas; & multitudinem; ut *mortem servituti præponerent*, hortabantur. Sed eadem, THEODOTI alterius cuiusdam nobilis, & ipsius adolescentis, qui imperium Romanorum accipiendum esse suaderet, quod *orbis terrarum accepisset*; consilium secuta urbem Romanis dedidit; postquam ANTINOVS & THEODOTVS, quos dixi, irruptione in primam hostium stationem factâ, ultrò se ipsi offerentes vulneribus, sunt interfecti.

Simili pertinaciâ CEPHALONIS principis clausum Tecmonem, ipso interfecto, per deditionem Præt. recepit. Nec Phylace, nec Horreum, oppugnationem tulérunt.

Pacatâ Epiro, divisisque in hiberna, per opportunas urbeis, copijs; regressus ipse in Illyricum, Scodræ, quò V. legati ab Româ venerant, evocatis ex totâ provinciâ principibus, conventum habuit.

ILLYRIIS LIBERTAS DATA. ET PROVINCIA IN III. PARTES distributa.

Ibi pro tribunali de sententiâ concilij pronuntiatum; S. P. Q. Romanum, *Illyrios esse liberos, iubere. præsidia ex omnibus opidis, arcibus & castellis, sese deducturum. Neque solùm liberos, sed etiam immuneis fore Issenseis & Taulantios, Dassaretiorum Pirustas, Rhizonitas, Olciniatas*; quòd incolumi GENTIO, ad Romanos defecissent. *Daorseis* quoque *immunitatem dare*, quòd relicto CARAVANTIO, cum armis ad Romanos transissent. & *Dassarensibus, Scodrensibus, & Selepitanis, cæterisq. Illyrijs, vectigal dimidium eius, quod regi pependissent*.

Inde in III. parteis Illyricum divisit. Vnam eam fecit, quæ suprà dicta est: Alteram, Labeatas omnes: Tertiam, Agravonitas & Rhizonitas, & Olciniatas, accolasque eorum.

VRBES REBELLES DIREPTÆ IN MACEDONIA.

PAVLLVS verò ÆMYLIVS, ante aduentum x. legatorum, Q. MAXIMVM F. iam ab Româ regressum, ad Æginium & Ægassas diripiendas miserat. Et has quidem, quòd post petitam ultrò, traditâ MARTIO Consuli urbe, societatem, ad PERSEA rursus defecissent: Æginium verò, quòd famæ de victoriâ fidem non habentes, in quosdam militum Romm. urbem suam ingressos, hostiliter sæuijssent.

Ad Æniorum quoque urbem diripiendam missus est L. POSTHVMIVS; quòd pertinaciùs, quàm finitimæ ciuitates, in armis fuerant.

PROCOS. GRÆCIÆ LOCA CELEBRIORA PERLVSTRAT.

PROCONS. PAVLLVS, quasi otium nactus, initio Autumni circumeundam sibi Græciam; visendaque, quæ nobilitata famâ, magis auribus accepta, quàm oculis noscuntur, constituit.

Tegentibus latera, SCIPIONE F. & ATTALO, EVMENIS regis fratre, per Thessaliam Delphos petit, inclytum oraculum. Lebadiæ quoque Templum IOVIS TROPHONII adijt. Inde Chalcidem, ad spectaculum Euripi; æuoque antè, Insulæ ponte continenti iunctæ, descendit.

A Chalcide ad Aulidem traijcit, portum inclytum statione quondam M. nauium Agamemnoniæ classis. DIANÆQVE Templum; ubi nauibus cursum ad Troiam, filiâ victimâ aris admotâ, rex ille regum petijt & emit.

Inde ad Oropum Atticæ ventum est, AMPHILOCHO vate, AMPHIARAI F. & templo eidem sacrato nobilem.

Inde Athenas, Corinthum, Sicyonem, Argos, Epidaurum Æsculapij templo famosam, Lacedæmonem, Megalopolim; & Olympiam, IOVE quasi præsente horrendam.

CÆDES PRINCIPVM IN ÆTOLIA.

Quùm peragratâ eum in modum Græciâ Demetriadem reuerteret; in itinere sordidata turba Ætolorum occurrit. Et percunctanti quid esset, defertur: *DL. principes, ab Lycisco & Tisippo, circumsesso Senatu per milites Romanos, à BÆBIO Præside missos; esse interfectos*; Alios in exsilium actos; bonaque eorum, qui interfecti essent, & exsulum, possidere, qui arguebant.

Iussis Amphipolim adesse, & convento CN. OCTAVIO Demetriade; postquam fama accidit, traiecisse iam mare x. legatos, omnibus alijs omissis, Apollonium ad eos perrexit.

PERSEVS CVM SVIS IN CVSTODIAM DATVS.

Quò cum PERSEVS, Amphipoli, nimis solutâ custodiâ, processisset, (id dici iter est) ipsum quidem benignè est allocutus; cæterùm postquam in castra ad Amphipolim venit, regem captivum, cum maiore filio PHILIPPO, traditos A. POSTHVMIO, in custodiam misit; & filiam cum minore filio à Samothrace accitos Amphipolim, omni liberali cultu habuit.

LIBERTAS MACEDONIBVS DATA. REGIO IN IV. PARTEIS DISTRIBVTA.

Postquam verò denis ciuitatum principibus Amphipoli adesse iussis, & litteris regiaque pecuniâ in medium collatis, cum x. legatis, circumfusâ omni Macedonum multitudine, in tribunali consedisset; Quæ Senatui, quæ sibi ex concilij sententiâ visa essent, pronuntiauit. *Liberos esse iubere Macedonas; habentes urbes easdem, agrosque; utentes legibus suis; annuos creantes magistratus &c.*

In IV. regiones diuidi Macedoniam.

Vnam fore & primam partem, quod agri inter Strymonem & Nessum amnem sit. Accessurum huic parti trans Nessum ad Orientem versum, quà PERSEVS tenuisset vicos, castella opida; præter Ænum & Maroneam & Abdera. Trans Strymonem autem vergentia ad Occasum, Bisalticam omnem cum Heraclea, quam Sinticen appellant.

II. fore regionem, quam ab Ortu Strymon complecteretur amnis, præter Sinticen, Bisaltas & Heracleam. Ab Occasu, quà Axius terminaret fluvius; additis Pæonibus, qui propè Axium flum. ad regionem Orientis colerent.

III. pars facta, quam Axius ab Oriente, Peneus amnis ab Occasu, cingunt. ad Septemtrionem Bora mons obijcitur. Adiecta huic parti regio Pæoniæ, quà ab Occasu præter Axium amnem porrigitur. Edessa quoque & Beroea eòdem concesserunt.

IV. regio trans Boram montem, unâ parte confinis Illyrico, alterâ Epiro.

Capita regionum, ubi concilia fierent; primæ regionis Amphipolim; secundæ Thessalonicen; tertiæ Pellam; quartæ Pelagoniam, fecit. Eò concilia suæ cuiusque regionis indici, pecuniam conferri, ibi magistratus creari iussit.

LEGES DE CONNVBIIS ET COMMERCIIS.

Pronuntiatum deinde; Neque connubium, neque commercium agrorum ædificiorumque inter se, placere cuiquam extra fineis regionis suæ esse. Metalla quoque auri & argenti non exerceri: ferri & æris permitti. vectigal exercentibus dimidium eius impositum, quod regi pependissent. Et sale invecto uti vetuit.

Dardanis repetentibus Pæoniam, quòd & sua fuisset, & continens esset finibus suis; *Omnibus dare libertatem* pronuntiavit, *qui sub regno PERSEI fuissent*. Sed ijs salis commercium dedit: & tertiæ regioni imperavit, ut Stobos, Pæoniæ deveherent; pretiumque statuit. Navalem materiam & ipsos cædere, & alios pati vetuit. Regionibus, quæ adfineis barbaris essent (exceptâ autem tertiâ, omnes erant) permisit,

permisit, ut præsidia armata in finibus extremis haberent.

ÆTOLI EX PARTE PACATI.

Ætoli deinde citati. in quâ cognitione magis utra pars Romanis, utra regi fauvisset; quæsitum est; quàm utri fecissent iniuriam, aut accepissent.

Noxâ liberati interfectores. Exilium pulsis æquè ratum fuit, ac mors interfectis.

BÆBIUS unus est damnatus, quòd milites Rom. præbuisset ad ministerium cædis.

Hic eventus Ætolorum caussæ, in omnibus Græciæ gentibus populisque eorum, qui Romanorum partis fuerant, inflavit ad intolerabilem superbiam animos: & obnoxios, eorum subiecit pedibus, quos aliqua parte suspicio favoris in regem conrigerat.

TRIA PRINCIPUM IN CIVITATIBUS GENERA. CALUMNIARUM seges.

Tria tum genera Principum in civitatibus erant: *I I.* qui *adulando*, aut Romanorum imperium, aut amicitiam regum, *sibi privatim opes oppressis faciebant civitatibus.*

Medium unum, utrique generi adversum; *libertatem & leges tuebatur.* His ut maior apud suos *caritas*; ita minor apud externos *gratia* erat.

Secundis rebus elati Romanorum, eius partis fautores, soli tum in magistratibus, soli in legationibus erant. Et x. legatorum aureis implebant; *Non aliter mansuras in fide plerasque Græciæ genteis; nisi fractis animis partium, aleretur confirmareturq; eorum auctoritas; qui nihil præter Romanorum imperium spectarent.*

Ab his, editis nominibus, evocati litteris Imperatoris ex Ætoliâ, Acarnaniâque, & Epiro & Boeotiâ; qui Romam ad caussam dicendam sequerentur.

Alij ex Achaiâ edicto præsentium legatorum evocati. Caussa erat; quòd ex alijs gentibus principum litteras deprensas in commentarijs regijs habebant. In Achæis cæcum erat crimen, nullis eorum litteris inventis. In Acarnanibus nihil novatum, nisi quod LEUCAS exemta est Acarnanum concilio.

In Asiam quoque extensa cognitio est. & Antissa, in Lesbo insulâ, dirui iussa, traductis Methymnam Antissæis. quòd ANTENOREM, regium præfectum, circa Lesbum tum cum lembis vagantem, portu receptum commeatibus iuvissent.

Iussi & Macedones, Senatores, quos Synedros vocant, legere, quorum consilio resp. administraretur.

Nomina deinde sunt recitata principum Macedonum, quos cum liberis maioribus, quàm xv. annos natis, præcedere in Italiam placeret. Quod *primâ specie sævum*; mox apparuit multitudini Macedonum *pro libertate suâ esse factum.*

Erant enim regis amici, purpuratique duces exercituum; præfecti navium aut præsidiorum; *servire regi humiliter, alijs superbè imperare adsueti*; *neque legum, neque libertatis æquè patientes.*

LEGUM ACCURATIO.

Idem PAULLUS, leges Macedoniæ dedit, tantâ cum curâ, ut non hostibus victis, sed socijs benè meritis dare videretur: & quas ne usus quidem longo tempore, qui unus est legum corrector; experiendo argueret.

ARMA CONCREMATA

Edito ludicro omnis generis; clypeisque æreis in naveis impositis; cætera omnis generis arma cumulata in ingentem acervum; precatus Deos, quibus spolia hostium dicare ius fasque est; ipse Imperator, face subditâ, succendit. eumque Tribb. militum ignibus coniectis imitati.

PRÆDA ROMAM DEVECTA.

Præda Macedonica, statuarum tabularumque, textilium, & vasorum ex auro & argento, ære & ebore factorum, in classem imposita, devehenda Romam CN. OCTAVIO data est.

DEPOPULATIO ILLYRICI; ET miserabilis Epirotarum direptio; cum fraude, Romanis indigna.

PAULLUS, dimissis benignè civitatum gentiumque legatis; transgressus Strymonem, Amphipoli Pellam quinto die pervenit. prætergressus urbem, & ad Spelæum, quod vocant, biduum moratus; P. NASICAM, & Q. MAXIMUM F. cum parte copiarum, ad depopulandos Illyrios, qui PERSEA iuverant bello, misit, iussos ad Oricum sibi occurrere.

Ipse Epirum petens, quinto-decimis castris Passaronem pervenit.

Et monito ANICIO, cuius castra haud procul aberant; Senatum, prædam Epiri civitatum, quæ ad PERSEA defecissent, exercitui dedisse; summissis Centurionibus in singulas urbeis, qui se dicerent ad præsidia deducenda venisse, ut liberi Epirotæ, sicut Macedones, essent; denos principes ex singulis evocavit civitatibus.

Quibus quùm denuntiasset, ut aurum atque argentum in publicum proferretur; per omneis civitates cohorteis dimisit. Ii ante in ulteriores, quàm propiores profecti, ut uno die in omneis pervenirentur.

Edita Tribunis Centurionibusque erant, quæ agerentur, mâne omne aurum argentumque collatum: horâ quartâ signum ad diripiendas urbeis datum militibus. tantaque præda fuit, ut in equitem CD. denarij; peditibus duceni dividerentur. CL. millia capitum humanorum abducerentur. Muri deinde direptarum urbium diruti sunt. Ea fuêre opida circa LXX. Vendita præda omnium; & de eâ summâ militi numeratum est.

PAVLLI ET ANICII IN ITALIAM REDITVS.

PAVLLVS inde ad mare, Oricum descendit; nequaquam, ut ratus erat, expletis militum animis; qui tamquam nullum in Macedoniâ gessissent bellum, expertes regiæ prædæ esse indignabantur. Orici, quùm missas cum SCIPIONE NASICA, MAXIMOQVE F. copias invenisset, exercitu in naveis imposito, in Italiam traiecit.

Post paucos dies ANICIVS, conventu reliquorum Epirotarum Acarnanumque acto, iussísque in Italiam sequi principibus, quorum cognitionem caussæ reservaret; & ipse navibus exspectatis, quibus Macedonicus usus exercitus erat, in Italiam quoque traiecit.

GALLI AD PACEM PRÆFRACTI.

Intereà legati, qui cum ATTALO ad finiendum bellum inter Gallos, & regem EVMENEM, missi erát, in Asiam pervenérunt. Induciis per hyemem factis, & Galli domos abierant, & rex in hiberna concesserat Pergamum, gravíque morbo æger fuerat. Ver primum illos domo excivit: iamque Synnada pervenerant, quùm EVMENES ad Sardeis undique exercitum contraxerat.

Ibi P. LICINIVS legatus cum regulo Gallorum, SOLONETTIO, collocutus, ferociorem eum deprecando factum rettulit. Vt quorum legatorum, apud opulentos reges, ANTIOCHVM PTOLEMÆVMQVE, verba tantum valuissent, extemplò pacem ut facerent; mirum fuerit apud Gallos nullius fuisse momenti.

REGES CAPTIVI IN CVSTODIAM DATI. VICTORIBVS TRIVMPHVS decretus.

Romam primùm reges captivi, PERSEVS & GENTIVS, in custodiam cum liberis abducti; dein turba alia captivorum. Tum quibus Macedonum denuntiatum erat, ut Romam venirent; principumque Græciæ.

Et paucis pòst diebus PAVLLVS ipse, regiâ nave ingentis magnitudinis, ornatâ Macedonicis spoliis, non insignium tantùm armorum, sed etiam regiorum textilium, adverso Tiberi Romam est subvectus. Et paullo-pòst ANICIVS & OCTAVIVS classe suâ advecti. Tribus iis omnibus decretus est ab Senatu triumphus.

INVIDIA FORTVNÆ COMES. OBTRECTATIO PAVLLI PROCONS. ET mox inclytus triumphus.

Quàm sit assidua eminentis fortunæ comes Invidia, & ad summa fermè tendat; etiam hoc colligi potest; quòd cùm ANICII OCTAVIIQVE triumphum nemo interpellaret; fuére qui PAVLLO (cui illi ipsi quoque sese comparare erubuissent) obtrectarent. qui tantum priores excessit, vel magnitudine regis PERSEI, vel specie simulacrorum, vel modo pecuniæ, ut bis millies ducenties H.S. ærario contulerit; & omnium ante-actorum comparationem amplitudine vicerit.

Tantùm ille antiquâ disciplinâ milites habuerat, de prædâ parciùs quàm speraverant, ex tantis regiis opibus dederat: nihil relicturus, si aviditati indulgeretur; quod in ærarium deferret. Hinc tanta ingratorum militum in suum Imperatorem ira; ut instigante potissimùm SER. GALBA, Trib. militum II. legionis, privatim inimico; & excitatâ in ipso Capitolio eâ de re disceptatione, honori & triumpho iam decreto obniterentur. qui XV. minùs diebus confecerat bellum, quod ab aliis maiore probro, quàm laude, toto quadriennio tractum fuerat.

Vicit tamen *ratio*, & *principum* civitatis *auctoritas*; & amplissimum triumphum egit.

Ductus est antè currum rex PERSEVS, unà cum PHILIPPO & ALEXANDRO FF. triumphavit autem per triduum.

Tânta vis pecuniæ in ærarium illata, ut cives usque ad HIRTIVM & PANSAM Coss. tributum nullum contulerint.

CALAMITAS DOMESTICA PAVLLI TRIVMPHANTIS.

Sed non PERSEVS tantùm documentum casuum humanorum fuit, in catenis ante currum victoris, per urbem hostium ductus; sed etiam victor PAVLLVS, auro purpuráque fulgens.

Illi IV. filii fuére. Ex iis duos natu maiores, unum P. SCIPIONI, P. AFRICANI F. (nihil ex paternâ maiestate, preter speciem nominis, vigoremque eloquentiæ retinenti) Avo materno, in adoptionem dederat; Alterum, FABIO MAXIMO, FABII quinquies Consulis F.

Duos alteros prætextatos (unum XII. alterum XIV. annorum) solos nominis, sacrorum familiæque heredes, retinuerat domi.

Is quùm in concione, extra urbem, more maiorum, ante triumphi diem, ordinem actorum suorum commemoraret; Deos precatus est; ut, *si quis eorum invideret operibus ac fortunæ suæ; in ipsum potiùs sævirent, quàm in remp.* Quæ vox, veluti *oraculo* emissa, magnâ parte eum spoliavit sanguinis sui. Nam minor ex reliquis filiis, quinque diebus ante triumphum; maior, triduo pòst decessit. atque ita *triumphus* eius, ad *fortunæ ludibrium*, *duobus liberûm* eius *funeribus* interpositus est.

TRIVMPHVS NAVALIS OCTAVII.

Deinde CN. OCTAVIVS Kal. Decemb. de eodem rege PERSEO navalem triumphum egit, sine captivis sine spoliis. Sociis tantùm navalibus, gubernatoribus & magistris navium, pro rata, donativû, largiter persolutum. Rex PERSEVS, cum ALEXANDRO F. (qui tornandi, subtiliumque operum egregius artifex, Romanas etiâ litteras addidicisse traditur, & magistratibus se scriptorem solertem ac gratiosum præbuisse)

buisse) Albam in custodiam duci iussus: & comites, pecunia, argentum, & instrumentum quod haberet. Cæteros captivos, qui in triumpho duci erant, in carcerem condi placuit. Rex quadriennio pôst in liberâ custodiâ Albæ decessit.

LIBERALE ROMM. FACINVS, ERGA COTYN REGEM.

BITIS, regis Thracum F. cum obsidibus io custodiam Carseolos est missus. Et paucos post dies ab eius patre, COTYE, legati venerunt, pecuniam ad redimendum filium, aliosque obsides, adportantes: Non suâ voluntate COTYN, iuvisse bello PERSEA, quòd ei obsides dare coactus esset. pretio eos, quantum ipsi statuissent Patres, redimi patentur. Responsum; populum Rom. meminisse amicitiæ, quæ cum COTYE maioribusque eius, & gente Thracum fuisset. obsides datos crimen; non criminis defensionem esse: quibus PERSEVS, ne quietus quidem, nedum bello Romano occupatus, timendus fuerit. Filium nihilo minus atque obsides, patri, licet is PERSEI gratiam amicitiæ Romanorum prætulisset; gratis remissurum.

Naves regiæ captæ de Macedonibus, inusitatæ antè magnitudinis, in campo Martio subductę sunt.

ANICII TRIVMPHVS DE GENTIO

Recente adhuc Macedonici triumphi memoriâ, L. ANICIVS, Quirinalibus triumphavit de rege GENTIO Illyrijsque, conditione per omnia impari. Ante currum ducti GENTIVS rex, cum coniuge & liberis; & CARAVANTIVS frater regis, & aliquot nobiles Illyrij.

Rex cum suis, & fratre, Spoletium ex S.C. in custodiam ductus. cæteri captivi Romæ in carcerem coniecti. Et recusantibus custodiam Spoletinis, Igiturvium reges traducti.

Lembi ccxx. reliquum ex Illyrico prædæ, de GENTIO rege capti; Corcyræis & Apolloniatibus & Dyrrachinis tributi.

DESVLTORIA SAMARITARVM FIDES ET LEVITAS.

Quùm ANTIOCHVS EPIPHANES Iudæos gravissimè persequeretur; Samaritani per Sidonios, qui Sichimis erant, ANTIOCHVM rogant; ne pari cum Iudæis conditione habeantur. Quippe se Persarum & Medorum colonos, & à Sidonijs oriundos esse, paratos quævis imperata facere, & suum Garizimitanum Templum *IOVI Hellenio, sive Hospitali* consecrate.

ANTIOCHVS Samaritanos NICANORI commendat; & Græcorum, in quorum sacra & leges, transire parati essent, loco haberi iubet. anoo Seleucid. CXLVI.

MATATHIÆ OBITVS. LIBERI. IVDAS MACCABÆVS PRINCEPS.

MATATHIAS, gravis iam annis, animo vegetus, exacto principatus anno, obijt, commendato filijs reip. defendendæ; & legis conservandæ studio. Ii quinque erant; IOANNES GADDIS, SIMON MARTHES (al. Thasi) IVDAS MACCABÆVS, ELEAZARVS AVRANITES, & IONATHAN APPHVS. Ex his IVDAM principem exercitûs esse iubet; SIMONEM à consilijs.

IVDÆ elogium fuisse dicitur; *Mi Camoca, Baelohim, Iehouah*, hoc est; *Quis similis tibi inter Deos, ô Domine!* Hinc MACBAI dictus, & ab eo reliqui MACABÆI.

Pater in Modiniâ sepultus est. Et post iusta funebria, publico omnium piorum luctu persoluta, IVDAS F. rei summæ præficitur: & impigrè à fratribus adiutus, eiecto undique hoste, & transfugis aut interfectis, aut in ordinem redactis; viciniam totam lustravit, & profanis piaculorum sordibus expurgavit.

Eodem ferè tempore ANTIOCHVS EVPATOR IX. Syrię rex, patre superstite, regnare cœpit.

3790. 14. Pt. Philom. I. Ant. Eup. V. C. 188. Ab Olymp. 610. | *Primo Comitiorum die Romæ, à Consulibus anni prioris, qui depopulato tantùm Ligurum agro, neque ullâ aliâ re memorabili gestâ, ad subrogandos magistratus reverterant; Consules creati, M. CLAVDIVS MARCELLVS, MARCELLI quinquies Cons. Nepos; & C. SVLPITIVS GALLVS.* | 160.

PRVSIAS REX ROMAM VENIT.

Eo anno rex PRVSIAS, cum NICOMEDE F. & magno comitatu, Romam venit. Deos, qui urbem Romam incolerent, Senatumque ac pop. Rom. salutatum se venisse professus. & gratulatum; quòd *PERSEA GENTIVMQVE reges vicissent: & eorum populis in deditionem redactis, auxissent imperium.*

Sacris in Capitolio ex voto perfectis, petijt à Senatu, ut societas secum renovaretur; agerque sibi de ANTIOCHO regecaptus, quem nulli datum à populo Rom. Galli possiderent; daretur.

Is omnium, qui in Macedoniâ Imperatores fuerant, favore est adiutus: & cætera, quæ petebat, concessa. De agro responsum; *Legatos ad rem inspiciendam missuros.*

Tradût alij, eâ po. Ro. in se benignitate & donis in filiû collatis, mirè lętû ex urbe discessisse. ne PERSEI, cuius sororem duxerat, cladem lugere videretur.

POLYB. verò, cum regem indignum maiestate tanti nominis, *pileatum capite raso* obviam ire legatis solitum, *libertumq́;* se pop. Rom. ferre; & ideò ordinis eius insignia gerere.

Romæ quoque, quùm veniret in curiam; *submisisse se, & osculo limen curiæ contigisse. & Deos servatores suos, Senatum appellâsse: & id genus putida impiáque* usurpâs-

usurpâsse, quæ non tam *Romanis honorifica*, quàm *sibi deformia* essent.

(Ex hoc loco, LIVIANA tota historia, quæ à 45. lib. ad 142. libros excurrebat, desideratur. Tantùm singulorum librorum epitomæ supersunt, & quidem mutilæ.)

EVMENES REX VRBE EXCLVSVS.

Quùm EVMENES rex Romam venisset, qui Macedonico bello medium se gesserat; ne aut hostis iudicatus videretur, si exclusus esset; aut liberatus crimine, si admitteretur; in commune lex lata est; *Ne cuiquam regi Romam venire liceret.*

Legati verò PRVSIÆ regis, de eodem conquesti sunt; quod fineis suos depopularetur; eumque contrà pop. Rom. cum ANTIOCHO conspirâsse contendebant.

Ex Consulibus intereà CL. MARCELLVS, Alpinos Gallos; C. SVLPITIVS Ligures, subegit; & uterquetriumphavit.

I. MACCABÆI VICTORIA.

In Iudæâ verò APOLLONIVS Samariæ; dein SARON, Cœles-Syriæ, præfecti; numeroso Syrorum & perfugarum exercitu IVDAM Maccabæum, exiguâ & inermi ferè stipatû manu, adgressi prœlio, cadunt.

APOLLONII insuper ille gladio potitus, velut opimo spolio, multis deinceps prœlijs eo feliciter usus est IVDAS.

BELLICI ANTIOCHI ADPARATVS, ET IN IVDÆAM MOLITIONES.

Anno 147. Seleucidar. ANTIOCHVS auditâ suorum clade consternatus, copias undique contrahit; & è Græciâ ipsâ militem mercede conducit; primo Vere in Iudæam irrupturus. Sed ærario, quod latrocinijs, & sacrilegis Templorum direptionibus cumulârat, per luxum & largitionem exhausto; ut impensas futuri belli aliunde corraderet, traiecto Euphrate in Persidem, & supernateis provincias, ad tributa exigenda, profectus est.

LYSIÆ interim, spectatæ fidei amico, regni familiæque administrationem committit, & mandat; ut subactâ Iudæâ, & incolis passim sub hastâ venditis, Hierosolymam funditùs deleret, totamque gentem exterminaret.

LYSIAS per delectos duces, PTOLEMEVM DORYMENIS F. GORGIAM & NICANOREM, XL. peditum, & VII. equit. M. in Iudæam immittit.

Ad eos haud procul Emmaunte, in campestribus castra metatos, præter nova Syrorum, vicinarumque gentium, & ex Iudæâ perfugarum auxilia, ingens vis Mangonum confluxit; qui certâ quasi victoriâ, mancipia vilissimè emerent; & compedibus in id comparatis captivos vinctos abducerent.

IVDAS, qui vix tria tironum millia, & pleramque partem inermeis, penes se haberet; factâ ijs omnibus, qui vel recentibus connubijs, vel agris nuper coëmtis, illigati, ideoque segniùs pugnaturi essent; liberè discedendi potestate; suos cohortatus, ut *fortis animo essent, & omnem in Deo fiduciam collocarent.* Iamque ad pugnam accinctus, intelligit GORGIAM, cum equitibus mille, & V. peditum millibus, missum, ut ducibus perfugis, & Arcis præsidiarijs, noctu & à tergo nec-opinantem se invaderet.

ALTERÆ IVDÆ MACCABÆI VICTORIÆ.

Ipse itaque ut strategema arte eluderet; nocte eâdem in hostium castra, magnâ exercitûs parte destituta, impetum facere decrevit: & relictis per castra sua ignium vestigijs, ad Emmauntem præcessit.

GORGIAS in vacua Iudæorum castra delapsus; & ratus eos aut metu cessisse, aut in montibus latebras quærere; ad eos pervestigandos iam ducebat; quùm IVDAS, qui sub diluculum ad hostium stationem pervenerat, signa canere iubet; & de-improviso eos adortus ita terruit; ut cæsis, qui resistere ausi, cæteros ad Gadara usque, in Idumæam, in Azotum & Iamniam, sit persecutus.

Et dum à prædâ suos cohibet, quòd Gorgianos capiti suo ex alto impendere, diceret; Illi perspectâ ex editis locis suorum strage, & castris fumantibus, non ausi cum IVDA, qui instructâ ipsos acie exspectabat, manus conserere; ceu panico terrore perculsi, trepidè in tuta se receperunt. Maccabæus verò sine certamine pænè victor, ditem ingentibus spolijs reduxit exercitum. & Deum tam præclaræ victoriæ, & inexspectatæ libertatis auctorem, publicis supplicijs & epinicijs concelebravit.

3791. 15. Pr. Philom. 11. A. Eupat. V. C. 189. Ab Olymp. 611.	*Consules eo anno* T. MANLIVS TORQVATVS, & CN. OCTAVIVS NEPOS.	159.

PATERNÆ SEVERITATIS EXEMPLVM.

Ille T. (CICERONI, LVCIVS) TORQVATVS, filium suum D. SYLLANO in adoptionem emancipârat. qui posteà legatis Macedonum eum accusantibus, quòd Prætor pecunias in provincia cepisset, caussam apud se dicere iussit. reque utrimque auditâ, pronuntiavit; eum non talem videri fuisse in imperio, quales eius maiores fuissent: & in conspectum suum venire vetuit. (*Vid. ann.* 3815.)

CN. OCTAVIVS verò, qui primus in eam familiam, quæ posteà viris fortissimis floruit; & ex quâ, post annos C. natus est AVGVSTVS; attulit Consulatum; novitatem generis amplitudine domûs,

mûs, quam in Palatio struxit, nobilitavit;& ad honores suffragij instar habuit.

His Consulibus, pestilentiâ, fameque ita laboratum, ut ex Sibyllinis populus circa compita sacellaque operaturus sederit.

Lustrum à Censoribus conditum perhibetur, quo censa sunt civium capita CCCXXVII. M. XXII.

Et PTOLEMÆVS Ægypti rex, à minore fratre iterùm, ut videtur, è regno pulsus, missis Romã ad eum legatis, in regnum restitutus est.

Et ARIARATHE Cappadociæ rege mortuo, filius eius cognominis accepit regnum; & amicitiam per legatos cum pop. Rom. renovavit.

IVDAS MACCABÆVS VICTOR. TEMPLVM HIEROSOL. LVSTRAT.

IVDAS MACCABÆVS trium victoriarum adoreâ inclytus, X. iam armatorum M. comparaverat. LYSIAS, ut cladium acceptarum ignominiam aboleret, novum exercitum conscribit, ad LX. peditum,& V. equit. mill. Et emensus Iudææ montana haud procul à Bethsurâ, versus Idumæam, castra locabat.

IVDAS, longè hosti impar, votis pro victoriâ factis, DEO fretus, tanto impetu primam aciem est adgressus; ut V. millibus iam è suis prostratis, dux LYSIAS, qui sibi cum viris, *aut mori, aut in libertatem sese adserere* obstinatis, rem esse cernebat; trepidè copias Antiochiam reduceret.

IVDAS, rebus utcumque pacatioribus, suos cohortatur; ut Hierosolymam adscenderent; & lustrato Templo solenneis Deo victimas immolarent.

Ibique omnia, aut incendijs deformata, aut situ sentibusque oblita conspicatus, in lamenta se cum omnibus effudit.

Et iussis partim Arcem ipsam oppugnare; partim Templum repurgare; nova vasa, & ornamenta, ex auro fabrefacta, Mensis & Altaribus importavit: Et XXV. die mensis, Chaslei, Encænia, accensis lychnis, & suffitibus, pane gradili, & holocaustis; omni denique honestæ voluptatis, & syssitiorum genere, per octiduum concelebranda curavit. Eâdem quidem Chaslei die; sed triennio pòst, quàm exsecrabili IOVIS idolo (quod sacræ litteræ, *Abominationem desolationis* nominant) fuerat à profanis sacrificatum.

Inciderat ea Templi profanatio (Ios. teste) in annum Seleucidarum 145. & diem Apellæi (qui Hebr. est Chasleus) XXV. in Olympiadem 153.

Eamque desolationem Vates DANIEL, ante CDVIII. annos disertè prædixisse, putatur.

Lex deinceps lata ad posteros, quâ decretum, quotannis easdem Luminum ferias, ob Templum ritè instauratum, & felicitatem ex insperato illucescentem, celebrari.

IVDAS autem muris urbi receptæ circumdatis, & turribus constructis, custodias, arcendo hosti idoneas imposuit:& Bethsuram ita communivit; ut eâ tamquam arce adversus hostium conatus deinceps uteretur.

3792. Pt. Philop. 16. An. Eup. 3. Ab V.C. 590. Ab Olymp. 612.	*Consules hoc anno A. MANLIVS TORQVATVS,& Q. CASSIVS LONGINVS.*	158.

Quid ab ijs, sive annuis Prætoribus, adversùs Ligures, Corsos, & Lusitanos vario eventu gestum sit; non liquet.

VICINORVM ADVERSVS IVDÆOS INVIDIA; ET CLADES. IVDÆ MVLTIplices ex hostibus victoriæ.

Istis, quos diximus, Maccabæorum piorum, sive Iudæorum, successibus invidentes vicinarum regionum populi, de ijsdem, quâ vi aperta, quâ astu opprimendis, consilia agitabant.

IVDAS vicissim impetu in Acrabatenam facto, multos ex Idumæis, Esavi posteris, interfecit; eorumque agros depopulatus est. Et principis eorum BAANIS filiorum castella, unde in Iudæos, quùm liberet, insultabant; per vim, & propugnantium cædem, capta, incendit.

Iisque perdomitis in Ammonitas, duce TIMOTHEO, ferocientes, arma transtulit. & prœlio victor, Gazara, primariam gentis urbem expugnavit, diripuit, & flammis delevit: secumque in captivitatem abductis eorum coniugibus ac liberis, domum cum gloriâ reversus est.

Eo autem digresso, idem TIMOTHEVS, contractis è Galaaditide copijs, finitimos Iudæos tam sævis excursionibus infestat, ut illi in Arcem Dathemam uno quasi agmine undique compulsi, IVDÆ opem implorare, ut se præsenti obsidionis periculo liberaret, cogerentur.

Et eodem fermè tẽporis articulo nuntij à Galilæis veuêrũt; se à finitimis Phœniciæ populis, Ptolemaide, Tyro, & Sidone, universandũ in modũ evastari.

Iudas ancipiti malo perculsus, & copias partitus; SIMONEM fratrem, cum III. selectorum M. auxilio in Galilæam mittit. Ipse cum IONATHA, altero fratre. IIX. M. in Galaaditidem ducit. Iosepho Zachariæ F.& Azariæ urbis Templique custodiã committit;& Hierosolymis abscedere, aut cum hoste confligere vetat. SIMON simulatque in Galilæam pervenit, cum hoste congressus, eum terga vertere coëgit. & fugienteis ad Ptolemaidis usque portas persecutus, ad III. ex ijs M. occidit;& receptos captivos cum omni suppellectili in Iudæam transtulit.

IVDAS verò cum IONATHA, iam trium dierum iter emensus, Nabathæorum, à quibus amicè acceptus fuerat, indicio comperit; multos è socijs, in castellis & opidis Galaaditicis passim obsessos, in extremo discrimine versari.

Accelerato itaque per diserta itinere, Barasam opidum coronâ cinxit, & vi cepit; cæsisque ad unum pubertibus, tecta igni subiecto concremavit.

Et quantumvis nox appeteret, non intermisso itinere, ad Dathemam arcem, in quam Iudæos ex agris compulsos confugisse diximus; manè pervenit; & hostem, iam scalas & machinas mœnibus admoventem, offendit.

Ipse tubicine canere iusso, & divisis trifariàm copijs, à tergo oppugnanteis adgressus est. Quo conspecto, Timotheani trepidè in fugam sese effudére; & Iudæi fugienteis persecuti ad octies mille interemérunt.

Inde Mallen, Chasfomam, Bosoram, aliaque eius regionis opida, ferro flammâque evertérunt.

Haud ita multo-pòst TIMOTHEVS, exercitu iterùm ex Syris & Arabibus contracto, ex-adversum urbi Raphunti castra metatur.

IVDAS, traiecto torrente, & prœlio confestim commisso, partim hostium in acie prostravit; partim in fugam, abiectis passim armis, compulit.

Et quùm ex ijs permulti ad Fanum quoddam, quod Carnaim dicebant, refugissent, tutos se loci religione fore confisi; IVDAS, & opido occupato, & incenso Templo, hostium alios flammis, alios ferro perdidit. Iudæos verò è totâ Galaaditide contractos, unà cum uxoribus & liberis ac facultatibus, in penitiorem Iudæam transtulit.

Eo in itinere, quùm ab Ephronitis transitus exercitui esset negatus, qui obstructis portis viam interrumperant; coronâ urbem oppugnavit, & tandem vi cepit. & occisis maribus, per cineres incensi opidi, & per densam cadaverum stragem, exercitum traduxit. Traiecto deinde Iordane, Magnum Campum, in quo Bethsane, Græcè Scythopolis, sita; permensus, Hierosolymam redijt. Ibique pro incolumitate exercitûs, quòd post tot pugnarum discrimina, ne unus quidem ex Iudæis desideratus esset, hostias votivas, non fine publicâ gratulatione, Deo immolavit, & festum Pentecostes celebravit.

TEMERITAS SACERDOTVM.

Interea IOSEPHVS & AZARIAS duces, quos præsidio Vrbi Temploque MACCABÆVS reliquerat, mandato Imperatoris insuper habito, quùm & ipsi memorabili aliquo facinore parare sibi nominis famæque gloriam concupiscerent; in Iamnienseis expeditionem susceperant.

Ibi armis à Gorgiâ, loci præside, excepti, amissis ad II. millia militum, magno cum dedecore in fugam sunt coniecti.

(Tradit Iosephus; ZACHARIAM, quasi circumscriptorus ad festi Iamniensis celebritatem pergeret, iussisse suos, carneis idolothytas secum adferre: Deumque istiusmodi simulationem detestatum eos Gorgiæ iugulandos tradidisse.) *Neque enim ex eorum erant numero, qui Iudæis salutem adferre possent.*

IVDAS verò cum fratribus, perfectis Hierosolymæ sacris, in Idumæam & meridianos Iudææ fineis profectus, Chebronem cepit; & munimenta diruit aut incendit; deinde parem MARISSÆ cladem invexit.

Tum in Allophylos, sive Philisthinos conversus, & Azoto potitus, sparsa eorum Iudæorum cadavera, qui ab Iamniensibus cæsi nuper fuerant, sepulturâ obiter adfecisse creditur.

SACRILEGIVM ANTIOCHI, ET MISERABILIS EIVS EXITVS.

Dum hęc in Iudæâ strenuè ab IVDA fratribusque geruntur; ANTIOCHVS EPIPHANES in supernateis regni sui provincias trãsgressus; audito, urbe in Perside, Elymaida nomine, prædivitem; & Templum in eâ DIANÆ donarijs opulentissimum esse; ibique scuta, thoraces, aliaque eius generis arma, ab ALEXANDRO Macedone olim deposita, adservari; ad ea expilanda proximè exercitum admovit.

Opidani, adscitis in partem vicinis, pro Templi sui incolumitate acerrimè dimicátunt; & ANTIOCHVM in fugam egérunt: eumque persecuti, multis desideratis, Babylonem se è fugâ recipere coegérunt.

Eam cladem, nuntius profligati non semel, cum ducibus, quos reliquerat, exercitûs, & invalescentis in dies MACCABÆORVM potentiæ; de-repentè ita exacerbavit; ut præ irâ in morbum letalem inciderit.

Et postquam fatale sibi tempus adesse intellexisset; & amicis præsentibus vim morbi & caussam indicâsset; (*Iustas scilicet, se, iniquissimè oppressæ Iudæorum gentis, & violati immaniter Templi; DEIQVE contemti, pœnas luere*) inusitatis viscerum torminibus, vermibusque consumtus, infelicem animam exhalárit.

(Hæc secundum Hebr. anno Seleucidarum CXLIX.)

(Ex Ætoliâ universarum ferè urbiũ Senatus, cum coniugibus ac liberis, qui dubiâ fide proximis bellis fuerant, Romam à PAVLLO ÆMYLIO missus, ibidem, ne in patriâ aliquid novaret, diu detentus est. ægrèque per multos annos legationibus civitatum fatigato Romæ Senatu, in patriam quisque suam remissi sunt.)

ANTIOCHVS EVPATOR SYRIÆ REX.

ANTIOCHO EPIPHANI succedit ANTIOCHVS EVPATOR, puer admodum, IX. annos natus. Eamque ob caussam pater regni habenas & insignia commiserat PHILIPPO.

Sed LYSIAS, ex eo tempore, quo pater peregrè erat profectus, EVPATOREM in potestate & tutelâ habens, regimen imperij, quasi ab EVPATORE pupillo sibi commissum, occupabat. Hinc domi discidia.

VSVS HOROLOGII ROMÆ.

Paruerant Romani (teste Plin, l. 7. c. 60.) M. VALERII MESSALLÆ horologio (quòd ille ex Siciliâ, captâ Catanâ, anno V. C. CDXC. deportaverat) annis Vnde-centum. Donec Q. MARCIVS PHILIPPVS, qui cum L. PAVLLO fuit Censor, alterum diligentius ordinatum iuxtà posuit. Idque munus inter censoria opera, gratissimè est acceptum, quòd prius illud à climate Siciliæ descriptũ, ad horas Ro-

ras Romæ minus conveniret. (Eumdem MARCIVM, ait CICERO, pro Domo, Signum Concordiæ fecisse; idque in publico collocasse.)

Senatus, cognitâ ANT. EPIPHANIS morte, CN. OCTAVIVM Consularem ad EVPATOREM, & ad PHILONEM (OREM) misit, ad regum populorumque animos perspiciendos, maximè ut EVPATOREM classeis habere, & elephantos alere prohiberet.

OCTAVII CÆDES: ET PAVLLI ÆMYLII ABSTINENTIA.

OCTAVIVS Laodiceæ in gymnasio quùm esset, à LEPTINE quodam interfectus est, idque, ut creditum est LYSIÆ iussu, qui nomine tutoris regi Syriam regebat. Is verò, ut sceleris suspicionem amoliretur, OCTAVIVM magnificè sepeliendum curavit.

Sub idem tempus L. ÆMYLIVS PAVLLVS, qui PERSEVM vicerat, è vitâ decessit, cuius tanta abstinentia fuisse proditur, ut quùm ex Hispaniâ & Macedoniâ maximas opes in publicum retulisset; vix ex auctione bonorum eius redactum sit, unde dos uxori eius redderetur.

3793. Pt. Philop. 17. An. Eup. 4. Ab V.C. 591. Ab Olymp. 613.	*T. SEMPRONIVS GRACCHVS, II. & M. IVVENTIVS THALNA, Coss. creati. & illi quidem Sardinia; huic verò Corsica, provincia decreta.*	157.

THALNÆ COS. REPENTINA E GAVDIO MORS.

Res adversus Corsos vario eventu gesta; & tandem Insula subacta. Vbi quùm THALNA, rebus ex arbitrio ordinatis, sacrificaret; litteræ Senatûs ei traditæ sunt, quibus decretas ei supplicationes nuntiabatur. Dumque eas intento animo legit; caligine obortâ, ante foculum collapsus mortuus humi iacuit.

REX EVPATOR IN IVDÆOS BENIGNVS.

LYSIAS belli adversus Iudæos infeliciter tentati pertæsus, regem EVPATOREM inducit, ut amicas litteras ad Senatum populumque Iudæorum perscriberet; & pristinam ijs libertatem, patriorumque sacrorum & legum usum, permitteret.

Quod regis, LYSIÆQVE promissum, legati etiam Romanorum, Q. MEMMIVS & T. MANLIVS, qui sub idem tempus Antiochiam ad regem accedebant, suis litteris confirmârunt; operam suam in procurandis ipsorum postulatis & negotijs polliciti.

IVDAS ARCEM SIONIAM, ET PRÆSIDIVM OPPVGNAT.

Et IVDAS quidem, ultrà citràque Iordanem, iam satis potens erat; quùm adhuc Hierosolymis præsidia, quæ Arcem in monte Sionio positam, & ante quinquennium ab EPIPHANE communitam, ipsiusque civitatis quasi vertici impendentem, tenebant; Templo, ijsque omnibus, qui eò, sacrorum caussâ, quotidie confluebant, erant infestissima.

Et Macedones, sive Græci milites, ijsque permisti Iudæorum perfugæ, crebris inde excursionibus & cædibus pios Dei cultores, aut avertebant, aut opprimebant.

Dum itaque IVDAS hanc molestam lateri civium spinam, convocatis totius populi viribus, avellere tentat: & machinis, aggeribusque exstructis, totus oppugnationi incumbit; prævaricatores aliquot ex arce elapsi, ad EVPATOREM adeunt; ut sibi, qui patrios ritus eiurare, quàm patris ANTIOCHI mandata contemnere maluerint in extremum discrimen adductis, opem ferat.

EVPATOR ALIENATVS BELLVM IN IVDAM COMPARAT.

EVPATOR, quasi fœdere à IVDA violato graviter offensus, collectis C. peditum & XX. equitum M. & elephantis XXXII. bellum instaurat. & Præfecto his copijs LYSIA, ex Antiochiâ, in Idumæam usque progressus, ad Beth-suram, oppidum munitum, adscendit.

Oppidani diu fortiterque resistunt; & egressi machinas hostium iniectis ignibus cremant.

Iudas quoque, omissâ in præsens arcis Sioniæ oppugnatione, cum copijs regi obviam profectus, ad fauceis quasdam, Betbzachara dictas, LXX. ab hoste stadijs, castra metatur.

Neque seciùs rex, relictis Bethsuris, exercitum in Iudam ducit, prœlio certaturus. Elephantis (qui ob loci angustias conferti incedere non possent; & qui celsa propugnacula, sagittarijs instructa, dorsis suis gestabant) mille singulis pedites, & quingenos equites stipatores attribuit. Reliquum verò exercitum aureis æreisque clypeis resplendentem, utroque ab latere in monteis eniti iubet Et sublato clamore, quo valles montiumque concava reboarent, hostem est adgressus.

IVDAS verò nihil isto adspectu deterritus, impetum Syrorum viriliter sustinet: & ex ijs, qui primi ad manus venerant, ad DC. interfecit.

ELEAZARI VIRTVS.

In eâ pugnâ ELEAZARVS, IVDÆ frater, (sive agnatus) inter confertissimos hosteis insigniter dimicans, & excellentem elephantum, regijsque phaleris

phaleris exornatum, conspicatus, eoque regem veh ratus; vasto prorsus animo in eum impetum facit, & magnâ in conglobatâ acie strage editâ, cæteris metu cedentibus, sub belluæ ventrem succedens, eam adacto in ima ferro consodit: & ipse simul illabentis pondere oppressus, generosâ morte obijt. Eius audaciam cæteri imitati, victoriam pro tempore peperêre.

Cæterùm Ivdas cum rege, tantis copijs stipato, congredi ulteriùs non ausus, Hierosolyma se recepit, & suos ad Arcem iterùm oppugnandam accinxit.

BETH-SVRA REGI DEDITA.

Antiochvs contrà, parte copiarum ad Bethsuræ obsidionem dimissâ, reliquos ad Hierosolymam ducit.

Et Bethsuritæ quidem, regio adparatu territi, quùm commeatûs inopiâ laborarent, pacti incolumitatem, deditionem fecerunt. Verùm Syri opidanis, quos antè bonis vestibusque spoliârant, eiectis, præsidium opportuni loci tutelæ imposuêrunt.

REX TEMPLVM OBSIDET, ET INDE AVOCATVR.

Apud Hierosolyma verò diutiùs tenuit Templi obsidio; Iudæis graviter defendentibus; & machinas hostium, quibus muri quatiebantur, subinde corrumpentibus.

Magna interim annonæ caritas obsessos premebat; tum quia ad exitum decurrebat annus Sabbaticus, sementis & messis expers; & veteres fruges belli prioris vastitas absumserat.

Quùm itáque ultima iam metuerent Iudæi; & plerisque dilapsis Templi tutela periclitaretur; res incidit, quę regem & Lysiam ad alias curas averteret.

Epiphanes in Babyloniâ moriens, copias suas, & regni insignia Philippo tradiderat, ad Evpatorem, filium & successorem, perferenda. Is itáque nomine tutoris regia usurpans munia, & è Perside Mediâque rediens, cum exercitu Antiochiam, regni caput, petebat.

REX PACEM CVM IVDA FACIT.

Lysias veritus ne sibi, in ordinem redacto, tutela regnique administratio eriperetur; cum rege ducibusque primarijs de solvendâ obsidione agere cæpit. *Non esse cur pertinaciùs in Templi munitissimi oppugnatione, diutiusq; laboretur*; quùm non minùs obsidentes, quàm obsessi cum gravi omnium rerum inopiâ conflictentur: Et *regem longè alia avocent negotia*, quę quàm celerrimè componere oporteat.

Honestiorem victoriâ clementiam futuram; hosti iam iam perituro pepercisse. Amicitiam potiùs cum gente Iudaeorum faciendam; & ut ipsi patrijs legibus sacrisq; utantur, permittendum.

Mittitur itáque extemplò ad Ivdam caduceator, qui misericordiæ regiæ obtentu pacem petat; libertatem, & loci immunitatem spondeat.

Obsessi regiâ fide confisi, haud illubentes manus dedêre, & è statione excessêre.

Sed rex ubi coram loci munitiones inspexit; promissi oblitus, per immissos milites murum, quo Templum undique sepiebatur, solo æquari iussit. Dein citato cursu Antiochiam contendit, Philippvm oppressurus.

MENELAI PONTIFICIS EXITVS.

Eiusdem Lysiæ consilio, rex Menelavm, Oniæ III. fratrem, veluti inquietum hominem, & omnium malorum incentorem, totiusque impiæ defectionis auctorem, abripi secum; & post exactum in Pontificatu decennium, apud Beroeam Syriæ, in cineres deiectum, interfici iussit.

ALCIMVS PONTIFEX.

Eidem Sacerdotem, nihilo meliorem, Alcimvm substituit; ab Aarone quidem oriundum, sed alienum ab Oniæ III. sive Simonis II. stirpe.

(Hanc universè historiam aliter longè ab Iasone narratam 2. l. Maccab. c. 13. videat curiosior lector, & inter se conciliet.)

Antiochvs verò Philippvm Antiochię iam dominantem offendens, bello victum & in potestatem suam redactum, adficeit supplicio.

ONIAS PONTIFICATVM ET TEMPLI RELIGIONEM IN ÆGYPTVM traducit.

Onias autem, Oniæ III. F. quem pater moriens puerum admodum reliquerat, quamdiu vidit patruos, Iasonem & Menelavm, summo pontificatu frui, eius adipiscendi desiderio fibulam imposuit; qui speraret ijs, ut pote orbis, vitâ defunctis, se tandem postliminij iure eandem dignitatem reciperarurum.

Postquam autem occiso Menelao perspexit pontificatum, ab Evpatore, Alcimo delatum, homini à suâ familiâ & stirpe alieniori; facinus suscipit temerarium & sacrilegum, innixus Esaiæ vaticinio, (c. 19. (Quo *spiritale CHRISTI venturi regnum describitur*, & in Ægyptum usque propagandum prædicitur. Vbi minimùm quinque, hoc est, multæ civitates & inter cæteras, Heliopolis, *linguâ Chananaâ*, sive Israëliticâ sint *locutura*; & *Altare Domino erectura*. Quasi dicat; Abiecto *idololatria stylo, eo sermone uti addiscet, qui pietatem deceat.* & *vitulos labiorum*, hostias merè spiritales, *vero Deo immolabunt.*

Hæc ferè Esaias, ultimis Azariæ regis temporibus, sexcètis ampliùs annis hoc Onia antiquior.)

Onias itaque spe avitæ dignitatis abiectâ, & iuvenili confidentiâ Alexandriam venit, à Ptolemæo Philometore, eiusque uxore Cleopatra humanissimè acceptus, quòd Antiocho gravissimè adversari crederetur.

Pro

Pro suâ in regem fide ac meritis petit, ut lucum quemdam, sacris tum animalibus destinatum, in Heliopolitano Nomo, iuxtà Leontopolim, (al. Bubastis agrestis arcem) CLXXX. stadys à Memphi dissitum, sibi donet.

Eò loci se, ex ESAIÆ vatis, scilicet, sententiâ, Templum exstructurum, quò Iudæi, Antiochinæ crudelitatis exosi, undique confluant; & pro PTOLEMÆORVM incolumitate DEO supplicent, sacraque faciant.

PTOLEMÆVS rex, licet tralatitio apud Ægyptios more, CLEOPATRAM sororem incesto connubio duxisset; non aliena tamen à pietate rescripsisse visus est: *Miror sanè*, inquiens, *& dubito, futurumne sit Deo gratum, ut templum loco tam impuro ædifices.* Quia tamen id ab Esaiâ pridem prædictum contendis; tuo ut id periculo facias, licet.

Neque satis visum est regibus, locum ONIÆ dedisse; sed & proventus agrorum ac pecuniarum, sustinendis Templi, Sacrorumque impensis, adiecerunt.

Onias itaque Templum struit, & suo nomine Onion indigetat; Hierosolymitano haud absimile; sed infinitò tenuius & angustius. Stetit illud annis CCXXXIII, clausum VESPASIANI iussu, paullo-post Hierosolymitanum excisum. Circiter ann. V.C. DCCCXXIV.

3794. Ptol. Philom. 18. Dem. Sot. 1. Ab V. C. 592. Ab Olymp. 614.	*Eo anno, P. CORNELIVS SCIPIO NASICA, Corculum dictus; (filius eius, qui Sacra Cybeles accepit, à Senatu vir optimus iudicatus,) & C. MARCIVS FIGVLVS; à TIB. SEMPRONIO Coss. declarati: & post abdicare iussi. Scipio in Corsicam; Figulus in Galliam, missi.*	156.

(Epitom. libr. 47. tradit; C. MARCIVM Cos. adversùm Dalmatas primùm parum feliciter; posteà prosperè pugnâsse. Cum quibus bello confligendi caussa fuerit; quòd Illyricos pop. Romani socios, vastâssent. Eandemque gentem à P. CORNELIO Nasicâ domitam.)

VANITAS AVGVRIORVM ROMÆ.

CIC. lib. 2. de Nat. Nostrorum, inquit, Augurum, & Etruscorum, & aruspicum disciplinam, P. SCIPIONE, C. FIGVLO Coss. res ipsa (scilicet!) probavit. Quos quùm Tib. GRACCHVS, II. Consul, crearet; primus rogatorum, ut eos retulit, ibidem est repentè mortuus.

GRACCHVS quùm nihilo minus comitia peregisset; remque illam in religionem populo venisse sentiret; ad Senatum retulit. Senatus quos adsoleret, referendum censuit.

Aruspices introducti respondêrunt; *Non fuisse iustum comitiorum rogatorem.*

Tum GRACCHVS incensus irâ; Itáne verò! *Ego non iustus*, qui & *Consul* rogavi, & *augur*, & auspicato! *Au vos, Tusci ac Barbari, auspiciorum* pop. Romani *ius tenetis*! & *interpretes comitiorum* esse potestis!

Itaque tum illos exire iussit. Pòst autem ex provinciâ (Sardiniâ) litteras ad collegium dedit. (Seniòne agens; an Consulibus, quos crearat, subiratus, incertum.) *Se, quùm legeret libros, recordatum esse vitio sibi tabernaculum captum fuisse* in horto SCIPIONIS, quod quùm Pomœrium posteà intrâsset, Senatûs habendi caussâ, in redeundo, quùm idem Pomœrium transiret, *auspicari* esset *oblitus*. itaque *vitio creatos esse Consules.*

Augures rem ad Senatum; Senatus ut abdicarent. Consules revocantur, & abdicare iubentur.

Quibus abdicatis P. CORNELIVS LENTVLVS, & Cn. DOMITIVS AENOBARBVS suffecti sunt.

DEMETRIVS SOTER X. SYRIÆ REX.

DEMETRIVS, SELEVCI PHILOPATORIS F. à Patre in locum ANTIOCHI EPIPHANIS, fratris sui, obses Romam missus; & ab eodem absens regno patrio circumscriptus; cognitâ iam-tum eius morte, (sollicitatus fortè à PHILIPPO illo, LYSIÆ æmulo, nec satis regis novi EVPATORIS fido) Senatum adiit.

Obsidem se vivo Patre, pro patruo, venisse. hoc nuper mortuo, cuius obses sit, ignorare.

Dimitti igitur se ad *regnum petendum, æquum esse*. quod sicuti iure gentium, quod patruus, uti *ætate maior*, prætendebat, eidem cesserit; ita nunc sibi, qui *pupillum & Patruelem ætate antecedat*, deberi.

Quùm se non dimitti à Senatu animadverteret; tacito iudicio tutiùs, apud pupillum, quàm apud ipsum, regnum futurum arbitrante, specie venandi ab urbe profectus, Ostiæ tacitus, cum fugæ comitibus, navem conscendit.

Delatus in Syriam, Tripolique ibi occupatâ, Syros, pro cæterâ ingenii mobilitate rerum novarum cupidos; an EVPATORIS, gubernatorumque perfidiam exosos! sibi non magno labore conciliat; & secundo omnium favore exceptus, regnum invadit.

Et quùm populi certatim ad eum deficerent; & LYSIAS, cum rege puero, comprehensi coràm adducerentur; vetuit id DEMETRIVS; & procul à conspectu suo iugulari iussit.

3795. Ptol. Philom. 19. Dem. Sot. 2. Ab V. C. 593. Ab Olymp. 615. | *Consules, M.* VALERIVS MESSALLA, *& C.* FANNIVS STRABO. | 155.

His Consulibus S. C. de *Philosophis & Rhetoribus Latinis* factum est; Vt M. POMPONIVS præt. animadverteret curaretque, uti ei è rep. fideque suâ videretur, uti Romæ ne essent.

Aliud item Decretum, in quo iubentur Principes civitatis, qui Ludis Megalensibus antiquo ritu mutitarent, hoc est, mutua convivia agitarent; iurare apud Coss. verbis conceptis,

LEGES SVMTVARIÆ.

Non amplius in singulas cœnas sumtûs esse facturos, quàm centenos vicenosq. aeris; præter olus & far & vinum. Neque vino alienigenâ, sed patrio usuros. Neque argenti in convivio plus pondo, quam libras C. illaturos.

Sed post id S. C. FANNIA lex lata est; quæ Ludis Romanis, item & plebeijs, & Saturnalibus, & alijs quibusdam diebus, in singulos dies, centenos æris insumi concessit. Decemque alijs diebus, in singulis mensibus, tricenos: cæteris autem omnibus diebus, denos.

Aliæ deinceps Sumtuariæ leges alijs temporibus sunt consecutæ

(Hæc Romæ, tot iam regnorum populorumque dominæ, frugalitas.)

Per hos annos, cum Liguribus, Corsis & Lusitanis, vario eventu bellatum esse, scriptum est, Epitoma lib. 46. Verùm quibus ducibus, parùm constat. Adeò incerta eius temporis historia.

ALCIMI PONTIFICIS IN IVDAM CRIMINA ET CALVMNIÆ.

Demetrium in bellum concitat.

In Iudæâ verò ALCIMVS, ab EVPATORE anteà Pontificiâ dignitate auctus, quùm se videret Asamonæis, & plerisque Piorum, exosum; quod & sub EPIPHANE, IOVI OLYMPIO sacra palàm fecisset; & malis artibus munus illud adeptus esset; cum plerisque, ob novam impietatem profugis, ad DEMETRIVM adit; & IVDAM in primis, cum fratribus, criminatur. *Quamdiu ille vivat, regno quieto numquam potiturum regem.*

Rex BACCHIDÆ, Mesopotamiæ præfecto, mandat, ut ALCIMVM Hierosolyma deducat; & sacerdotio inauctorets & adversarios vi armorum castiget.

Vbi ad urbem perventum est; Iudam ille missis legatis ad pacem, mutuamque amicitiam invitat.

Ille verò, uti prudentior, homini subdolo & sævo sese committere noluit. Quidam tamen ex ijs, qui Iudæ parteis hactenus fuerant secuti, Scribæ & Asidæi, ut pristinæ pietatis, ità publicæ tranquillitatis amantes; ad BACCHIDEM, & ad ALCIMVM, accesserunt, quasi cum populari Aaronæ stirpis sacerdote, amicè & tutò transacturi. Eos illi benignè in fidem suam accepêrunt, omnem impunitatem polliciti.

BACCHIDÆ PERFIDIA ET SÆVITIES.

Sed ubi Iudam nullis blanditijs ad se pellici, aut expugnari posse vident; BACCHIDES, neglectâ iurisiurandi fide, LX. ex eo nimis credulorum hominum numero interfectis, cæteros ea sævitiâ deterruit; & in priore instituto obfirmavit.

BACCHIDES, amoto ab Hierosolymis exercitu, & ad Bethzecam metatus, permultos ex ijs ipsis, qui ad se refugerant, interfecit: & è populo nonnullos in profundum puteum demersit. Eoque inusitata crudelitatis terrore non paucos eius regionis homines, ut ALCIMO parêrent, adêgit: & relictâ ad eius præsidium exercitûs parte, Antiochiam ad regem DEMETR. regressus est.

ALCIMVS, stabiliendo sacerdotij sui principatui intentus, multos ex popularibus blandè comiterque appellando, sibi adiungebat: & magnâ perditorum manu stipatus, magnas passim, pijs adversæ partis Israelitis, clades invehebat.

Neque seciùs IVDAS, obitâ vicissim cum armatis regione, suos ultus est, & in desertores desæviit.

ALCIMVS ubi Iudæ viribus imparem se sensit; iterum Antiochiam profectus Demetrij opem, adversùs audacem, scilicet, & facinorosum virum, implorat.

NICANOR DVX DEMETRIJ PERFIDVS VINCITVR.

DEMETRIVS, qui Iudæ vireis sibi etiam formidabileis censeret; NICANOREM fidum, & suæ ab Româ fugæ comitem, cum iusto exercitu in gentem, ipsi privatim invisam, mittit; eamque penitùs delere, & nemini parcere iussit.

Is Hierosolymam veniens, pro hoste pacificatorem egit: *Nihil esse caussæ, cur belli aleam subire debeant.* siquid fortè periculi metuatur, *iureiurando se cavere paratum esse*. Venisse cum amicorum comitatu, ut regis in gentem Iudæam propensissimi mentem declaret.

Eâ legatione persuasi fratres, datâ invicem & acceptâ fide, hospitaliter eum cum toto exercitu accepêrunt.

Ipse post mutuam salutem, cum Iudâ familiariter collocutus, signum suis extemplò dedit, ut eum comprehensum è medio abriperent. Sed detectis insidijs, uterque ad apertam vim se convertit. Et commisso propè Caphatsalamam prœlio, victus NICANOR, amissis V. virorum Millib. in arcem Sioniam perfûgit.

Illi ex

Illi ex acie præter Templum revertenti, & in montem adſcendenti, ſacerdotes obviàm facti, oſtentabant victimas, quas *pro regis Demetrij ſalute* forent oblaturi.

At ille irridens, & ne à convicijs quidem in Deum temperans, minatus eſt; ni ſibi Iudam cum exercitu in manus traderent, ſe brevi reverſurum; & *Templum ſolo æquatum funditùs immiſſis flammis incenſurum*. Talibus cum minis, nec minore irâ, urbem deſerit.

At ſacerdotes futurorum metu cõſternati, Deum cum lacrymis obteſtati ſunt; ut *Ædem ſuo Numini devotam*, à ſuperbiſſimi hoſtis iniuriâ *tutaretur*; & intolerandæ ab eo *vecordiæ pœnas* expoſceret.

PVGNA CVM NICANORE, ET DE EO VICTORIA.

Et NICANOR quidem, recentibus è Syria auxilijs, ad IX. Millia, auctus, caſtra ad Bethoron; Iudas verò, non plus III. Millia militum habens, haud procul Samariâ, ad Habaſſam poſuit.

Et hic ſuos ad ſortiter, *pro divini nominis gloriâ*, pugnandum cohortatus, & *Deo* piè *implorato* fretus, hoſtem adortus eſt.

Edito itaque acri certamine, cum multi ex hoſtibus, tum in primis NICANOR manu ipſius Iudæ cecidit. (Sic Ioſeph.) Cæteri abiectis armis, & effusâ fugâ terga vertêrunt. Euſque perſequens victor ad Adazeram uſque, confluentibus ad tubæ ſignum undique è viciniâ armatis, ad internecionem cecidit.

Et inter opima ſpolia, caput ipſius NICANORIS præciſum, cum dexterâ, quam ſuperbiſſimè in Templum cum minis extenderat; Hieroſolymã reportavit; & exadverſum urbi ſuſpendit. Eiuſque victoriæ memoriam quotannis publicâ celebritate, XIII. die Adar ſive Dyſtri menſis, celebrari renovarique præcepit.

Huius certè victoriæ operæpretium tantum fuit, ut tum denique. (Dan. c. 8. (*Iuſtificatum* dicatur *Sanctuarium*, diebus bis Mille trecentis; poſt defectionem Deſolatricem, ſive proculcatum Templum, & ſublatum iuge ſacrificium. (Totidem namque ſunt dies à menſis Caſlei XV. quo Templum fuit profanatum; uſque ad XIII. Adar.)

Et hîc Liber II. Machabæor. deſinit.

IVDÆ CVM ROMANIS SOCIETAS.

IVDAS poſt aliquantam à bellis quietem, præſciens capiti ſuo novi belli molem impendére, de comparandis novis ſocietatibus & auxilijs cogitabat.

Et quoniam audierat, Quanta eſſet Romanorum terrâ mariq́; potentia; qui devictis Gallis & Hiſpanis, Græciam ſibi ſubegiſſent, & Reges Macedoniæ Aſiæque bello perdomuiſſent. Et rep. optimè à ſe domi conſtitutâ, ſartam tectam cum ſocijs populis fidem amicitiamque conſervarent; mittit Romam legatos, EVPOLEMVM IOANNIS, & IASONEM, ELEAZARI, FF. qui cum ijs ſuo & Iudaici populi nomine, ſocietatem depeciſcantur: & deprecentur; ut ipſi ſcriptis ad DEMETRIVM litteris, à Iudæis bello ulteriùs laceſſendis eum abſtinere iubeant.

Senatus, auditis Legatorum poſtulatis, ſocios amicoſque Iudæos admittit: & S. C. eâ de re factum, æreiſque tabulis inſcriptum, in Capitolium refertur: eiuſque exemplar in Iudæam miſſum. Cuius hæc ſumma.

„ *Romanis, aut eorum ſocijs, ſi bellum ingruat; Iudæi expromtis animis, & ſuis ſtipendijs ſuppetias ire iubentur: & Iudæis viciſſim Romani.*

„ *Communibus hoſtibus nulla auxilia, commeatus aut pecuniæ, ab alterutrâ parte præbeantur.*

Perſcriptum & ad DEMETRIVM; *Ne quid duriùs deinceps in Iudæos conſulat.*

(De huius federis æquitate, utilitate &c. an ſecus; Vide Orationem de Iudâ Machabæo noſtram, hiſtoriæ totius compendium & examen.)

3796.
Ptol. Philom. 20.
Dem. Sot. 3.
Ab V. C. 594.
Ab Olymp. 616.

Conſules tum creari L. ANICIVS GALLVS, & M. CORNEL. CETHEGVS.

154.

Ab hoc (Cethego, Pomptinæ Paludes, quę ei provincia obvenerat, ſiccatæ; agerque ex ijs factus.)

ALCIMVS, quantumvis ſceleratus, quod tamen formam pietatis utcumque præ ſe ſerret; & ab AARONE ortus eſſet; & regiæ auctoritatis præſidio fulciretur; Templi, ac totius ferè religionis in Iudæâ potens fuiſſe videatur. ut aliquot poſt occiſum etiã NICANOREM diebus, Iudæ integrũ fuerit, ad Hieroſolymã accedere; Epinicia in Tẽplo peragere; & ex Synedrij ſententiâ, legatos Romã mittere.

NOVA BACCHIDÆ EXPEDITIO.

DEMETRIVS intereà, qui cæſo cum copijs NICANORE, vix molem animo iniuriæ ſuſtinebat acceptæ; BACCHIDEM, cum eodem ALCIMO, Maccabæorum ſemperæmulo, in Iudæam mittit.

Is novo exercitu ad XX. pedit. & II. equit. Millia, inſtructus ad Arbela, Galilææ opidum, caſtra poſuit. Et ſpeluncis paſſim, in quas magna inermium agricolarum multitudo ſe receperat; non ſine cæde expugnatis, raptim Hieroſolymam ducit. (*Is erat an. 152. Seleucid.*)

Iudas cum III. delectorum virorum Millib. caſtra ad Laiſam. (Ioſeph. Berzethum vicum) erat metatus. Et ex ijs multi, metu conterriti, ita

dilapsi sunt, ut vix DCCC. reliqui essent.

Ipse in præsenti prœlij articulo, & tàm repentinâ suorum trepidatione ac fugâ, quam sistere, aut aliundè supplere non posset; animo exsternatus pænè concidit.

GENEROSA VOX IVDÆ, ET SVPREMVS CONATVS, ET EXITVS.

Eo tamen mòx resumto, paucos, ut hosti obviàm procedant, cohortatur; *si fortè depugnari possit.*

Quùm illi posse negarent, & suaderent; *ut se è præsenti periculo subduceret, temporiq́, & meliori fortunæ reservaret*; Ille contrà fugæ consilium generosè detestatus: *Neque pristinæ gloriæ maculam inurendam, neque mortem præclaram*, ubi fata, sive ævi meæ vocant; pro fratribus *fugiendam*, censet.

Bacchides, productis extrà castra copijs, aciem intereà instruebat. & equitum alis hinc & indè per cornua distributis, levem in fronte armaturam cum sagittarijs; & inde Macedonicæ Phalangis robur collocabat. Tum signa canere iussa; & milites ingenti cum clamore in hostem utrimq́ue effusi.

Nec minus animosè Iudas prœlium capessit: Eoq́ue in vesperam usque protracto, dum animadvertit Bacchidem, cum robore militum, pugnam in dextro cornu acerrimè ciere; ipse cum audacissimâ iuvenum manu, in eum irruit: & perruptâ Phalange, adversarios in fugam compulsos, ad montem usque Azoti persecutus est.

Quo animadverso ab ijs, qui in sinistro cornu stabant, Iudam à tergo adorti circumveniunt. Ille nullâ effugij spe relictâ, in vestigio cum suis constitit, & pugnâ redintegratâ, cæsisq́ue hostium quamplurimis, lassitudine magis quàm vulneribus confectus, & telis obrutus, cecidit. Eoq́ue duce amisso, milites, quà quisque potuit, fugâ saluti suæ consuluére.

Simon verò & Ionathas fratres, inducijs factis, receptum Iudæ cadaver in avitum monimentum Modiniæ magnifico funere intulérunt, & publico luctu cohonestárunt.

Iudas annis sex, post obitum Patris, præfuisse putatur. Ioseph. tradit eumdem III. annos Pontificatum gessisse. Obijt ille quidem triennio solido post repurgatum Templum; maximam tamen eius temporis partem, summi illius sacerdotij munia, Alcimus Sacerdos usurpâsset videatur.

ALCIMI EXITVS.

Quùm verò ad Bacchidæ adventum, urbe excedens Iudas, collectâ manu bellum intrepidè suscepisset; eoque occiso, fratres eius incertis sedibus aliquamdiu oberrantes, anxiam vitam ægrè traherent: isto successu inflatus Alcimus cogitare cœpit (Anno 153. Seleucid. mense 2. qui est Iiar) de evertendo muro Adyti, sive Atrij interioris, quem Zorobabel, ceu septum quoddam, & sanctorum Vatum domicilium, Templo circumdederat. Quo in opere dum totus est; percussus est morbo lento & sævo, qui homini vocem ademit, & miserabili cruciatu peremit, quarto Pontificatûs sive ministerij sui anno. (Perperàm putat Ioseph. id antè Iudæ mortem cõtigisse; ipsumq́ue eidem, ex populi suffragijs, in Sacerdotium successisse. Quùm vero propius sit, Ionatham Alcimo succidaneum fuisse. Vide Seriem Pontificum, sub Herode.) Illo mortuo, biennali ferè pace Iudæa potita aliquamdiu requievit.

Tum quoque inter PTOLEMÆOS fratres ictum fedus, ut maior in Ægypto, minor Cyrenis regnaret.

DEMETRII EXPEDITIONES.

DEMETRIVS, regni iam potens, & novitati sui otium periculosum ratus; ampliare fineis regni sui, & opes augere finitimorum bellis statuerat. Itaque ARIARATHI, regi Cappadociæ. ob fastiditas sororis nuptias, infestus, fratrem eius Orofernem, per iniuriam regno pulsum, supplicem recepit: datumque sibi honestum belli titulum gratulatus, restituere eum in regnum adnixus est.

Sed Orofernes ingrato animo, initâ cum Antiochensibus, tunc Demetrio offensis, pactione; pellere ipsum regno, à quo restituebatur, consilium cepit. Quo cognito Demetrius, vitæ quidem eius (ne Ariarathes metu fraterni belli liberaretur) pepercit; ipsum autem comprehensum, & vinctum Seleuciæ custodiri iubet.

Neque tamen Antiochenses indicio territi, à defectione destitérunt. (Epitoma libr. 47. vult Ariarathem, Demetrij consilio & viribus pulsum, regno, à Senatu restitutum esse. Missos item ab eodem Senatu legatos, qui inter Masanissam & Carthaginienseis de agro iudicarent.)

3797. Ptol. Philom. 21. Dem. Sot. 4. Ab V. C. 595. Ab Olymp. 617. | *Consules tum creati* CN. CORNELIVS DOLABELLA, & M. FVLVIVS NOBILIOR. | 153.

(Sub ijs TERENTIVS COMICVS mortuus esse: & Lex de Ambitu lata traditur.) In eumdem annum Censores produnt, Capitolini lapid. P. SCIPIONEM NASICAM & M. POPILIVM LÆNATEM. ab ijsq́ue lustrum LIV. conditum; quò censa sint civium capita CCCXXIIX. Mill. CCCXIV.

NASICA ille primus aquâ divisit horas æquè noctium ac dierum: idque horologium sub tecto dicavit. *Tamdiu populi Romani indiscreta lux fuit.*

SEVERI-

C

SEVERITAS CENSORIA.

Iidem Censores, quùm equitum censum agerent; & equum nimis strigosum & malè habitum; sed herum eius uberrimum atque habitissimum viderent: Et percontantibus cur herus esset, quàm equus curatior! respondisset ille; *Ego me curo; equum Statius servus meus*. Eo dicto equum ei ademerunt.

MISERABILIS IVDÆORVM CONDITIO. IONATHAS DVX A pijs delectus.

Statim ab IVDÆ MACCABÆI obitu, omnes Iudaicæ religionis desertores, animis ex eo successu resumtis, in reliquos populareis insultare cæpêrunt, & undique infestare. Vt quùm fames ad intestinam cladem accessisset, permulti geminato infortunio fracti, sese vel illubenteis Macedonicæ factioni adiungere cogerentur.

Et illi iam negotijs, rerumque publicarum administrationi præfecti, pios passim, & fidos patriæ civeis, comprehensos BACCHIDÆ tradderent. quos ipse tortos, & ad ludibrium ex cruciatos, omneis ad extremum crudeliter enecabat.

Iudæi itaque in tantâ calamitate positi, quantam à captivitate Babylonicâ experti numquàm fuerant; quotquot præsertim ex IVDÆ MACCABÆI commilitio reliqui erant, veriti ne gens tota quotidianis cædibus paullatim interiret; ad IONATHAN, IVDÆ fratrem, adeunt, & rogant; Vt fratris sui æmulus, qui ad extremum usque vitæ halitum, publicam libertatem, cum pristinâ pietate, propugnâsset; & tàm præclaro facinori immortuus esset; ne sineret universam Iudæorum gentem impunè, & sine ultore, in extremum salutis periculum præcipitari.

Ille vicem populi commiseratus; & quodvis vitæ discrimen pro patriâ adire paratus; militiæ & imperij munia non defugit.

Quo comperto, BACCHIDES, qui verebatur ne sibi & Regi ab illo non impares fraternis conatibus molestiæ facesserentur; novum Imperatorem per insidias tollere decrevit.

Sed is doli gnarus, cum fratre SIMONE, & aliquantâ armatorum manu, in desertum Thecuæ perfugit; & ad lacum Aspharis diutulè commoratus est.

BACCHIDES IN IONATHAM DVCIT.

BACCHIDES metum & latebras iuxtà interpretans, castris ultrà Iordanem positis, copias omneis eòdem ducit.

IONATHAS intereà fratrem IOANNEM ad Nabathæos Arabas, amicos, mittit, rogatum; *ut apud se impedimenta exercitûs sui deponi paterentur*, donec armis cum BACCHIDE decertatum esset. (Al. *ut commeatum*, cuius magnam copiam illi habebant, ipsis pro tempore commodarent.)

Sed in itinere Amaræi filij obviàm ijs ex Medabâ egressi, impetu facto & direptis impedimentis, IOANNEM, cum toto comitatu, comprehensum, intetemêrunt.

Et BACCHIDES cognito, IONATHAM in Palustribus Iordanis castra esse metatum, sabbato illum adgredi constituit; ob diei religionem non repugnaturum ratus.

At ille suos, hinc à tergo amne; indè à fronte hostibus conclusos, *implorato* palàm *Dei numine*, ad rem viriliter gerendam, cohortatus, & impigrè hostem adortus; multis prostratis, BACCHIDEM in se ruentem ferire conatus est. Illo ictum declinante IONATHAS cum socijs, flumini se commisêrunt: & in adversam ripam enatârunt.

Hostis ferociâ tali contertitus, amissis Mille viris, Hierosolymam repedâvit: & vicinas circà civitates muris & turribus communijt; ut impositis in eas præsidijs, infestis undique excursionibus Iudæos fatigarent.

Et præ cæteris, Arcem Hierosolymitanam milite & annonâ firmandam curavit; in eaque acceptos à primatibus Iudæorum filios, obsides, artâ custodiâ conclusit.

IONATHAS FRATRIS IOANNIS MORTEM VLCISCITVR.

Sub idem tempus, IONATHÆ & SIMONI fratribus, renuntiatum est; filios Amaræi nuptias magno pompæ strepitu ac splendore celebraturos esse, ductâ viri cuiusdam, inter Chananæos illustris, ex Madabâ, filia.

Illi sanguinem fraternum ulcisci avidi, insidijs in monte collocatis, eorum transitum opperiuntur: impetuque de-improviso facto, sponsum cum virgine, omnemque comitatum, direptis ornamentis omnique nuptiarum choragio, ad unum interfecêre.

PERFVGÆ TVRBANT IVDÆAM, ET PLECTVNTVR.

BACCHIDE ad regem suum reverso, reip. Iudaicæ status per integrum pænè biennium erat pacatior. Transfugæ verò & impij prævaricatores, eam temporum tranquillitatem, & IONATHÆ factionisque adversæ securitatem non ferentes; missis nuntijs regem DEMETRIVM iterùm solicitârunt, ut BACCHIDE cum copijs remisso, IONATHAM incautum in potestatem suam redigeret. Fore id perfacilè, ut omnes eius milites, vel unicâ noctè, subitò opprimantur.

BACCHIDES postquam iussu regis in Iudæam pervenisset; & dato per litteras omnibus amicis, quos eâ in regione obnoxios sibi habebat, IONATHÆ comprehendendi & ad se adducendi, negotio; nihil proficeret; quòd ille & dolum præsensisset, & insidias cautè declinaret; iratus transfugis, & se regemque suum ab ijs ludibrio haberi ratus; ad L. ex ijs primarios consilij auctores morte adfecit.

BETH-AGLA MUNITUR, ET OPPUGNATUR.

Ionathas cum fratre, & suis, in vicum Bethbessen (al. Beth-aglam) qui in deserto situs est, se recepit. Eumque locum ità mœnibus ac turribus permunivit, ut tuti instar receptaculi haberet.

Eo audito, Bacchides, cum universis copijs, & transfugarum auxilijs, adversùs eum profectus, & novam munitionem oppugnare adgressus; ad aliquam-multos dies in eo conatu perstitit.

Ionathas verò, relicto ad opidi tutelam fratre Simone, clàm egressus, & collectis è viciniâ suæ partis hominibus, noctu in Bacchidæ castra irruit, stragemque latè fecit. Et dato, ad tumultum in castris edito, signo, fratrem excivit. Et is eruptione factâ, machinas hostium incendit, & cædem vicissim edidit.

Bacchides utrimque circumventus, & re inopinâ consternatus, irrito obsidionis exitu, in transfugas, uti impostores, animi indignationem effudit.

IONATHAS FOEDUS CUM BACCHIDE FACIT.

Et quùm id unum animo versaret, quo modo ex suâ & regis dignitate, solutâ obsidione, exercitum reducere posset; re cognitâ Ionathas, per interpretes societatem cum eo amicitiamque exposcit, redditis utrimque captivis.

Quod honorificum sibi ratus Bacchides, societatem cum Ionathâ inijt; interpositâ sacramenti religione; *Neutrum alteri posthàc bellum facessiturum, aut noxam illaturum.*

Ionathas tàm exoptatæ securitatis compos, fixis ad Machmam opidum sedibus, rerum administrationi, & iuri populo reddendo operam impendit; & severè in patriæ religionis desertores animadvertit.

3798. Ptol. Philom. 22. Dem. Sot. 5. Ab V. C. 596. Ab Olymp. 618.	*Consules* M. AIMYLIUS LEPIDUS, & C. POPILIUS LÆNAS.	152.

BELLI LIGUSTINI FINIS.

Sub ijs M. Fulvius Nobilior, anno priore Consul, de Liguribus & Velearibus triumphavit. Et hoc certè anno bellum Ligustinum, quod anno V. C. DXV. cæptum erat, virtute Fulvii profligatum videtur.

Eâ de re Flor. lib. 2. Quùm diu multumque (Ligures) eluderent; Fulvius latebras eorum ignibus sepsit: Boebius in plana deduxit: Postumius ità exarmavit, ut vix reliquerit ferrum quo terra coleretur. Strab. lib. 4. Quùm, inquit, diuturnum à Romanis cum Liguribus gestum esset bellum; quòd iter in Hispaniam impedirent; ac terrâ mariq; latrocinia latissimè exercerent: Octogesimum autem post annum bello gerendo effectum est; ut ijs, qui publicè facerent iter, viad stadia XII. lata pateret. Pòst autem, alio bello in provinciæ formam redacti sint.

Eumenes, Pergami rex, anno regni sui XL. mortuus est, relicto filio adhuc impubere, Attalo, cognomento Philometore. qui annos circiter XX. sub Attali patrui tutelâ fuit; & post eius mortem annos V. regnavit.

3799. Ptol. Philom. 23. Dem. Sot. 6. Ab V. C. 597. Ab Olymp. 619.	*Consules* C. IULIUS CÆSAR, & L. AURELIUS ORESTES.	151.

Plinius lib. 33. testis est ijs Consulibus, annis VII. antè bellum Punicum III. Auri in ærario pop. Romani fuisse, pondo M. DCCXXVII. Argenti XCII. Millia. Et extrà numerū, CCC. & LXXXV. Hoc est, (ut nostrate monetâ, æstimetur: & Auri Libræ Romanæ MDCCXXVII. valeant aureos Gallicos 165792. & Libræ argenti, 92385.) ferè, Septingenta quadraginta Millia aureorum.

3800. Ptol. Philom. 24. Dem. Sot. 7. Ab V. C. 598. Ab Olymp. 620.	*Consules* L. CORNELIUS LENTULUS, & C. MARCIUS FIGULUS II.	150.

Ex quibus hic, (teste Valer. de Irâ) Iuris civilis iudicio celeberrimus, consulatûs repulsæ dolore accensus, (eò quidem magis, quod illum bis Patri suo datum meminerat) quùm ad eum postero comitiorum die multi, consulendi causâ, venissent; omneis dimisit, præfatus; *Omnes consulere scitis; Consulem facere nescitis?*

Alter Cos. Marcius, adversùs Dalmatas (qui plerumque sub silvis agebant, & inde ad latrocinia promtissimi;) parum prosperè primùm; posteà, agnitâ eorum pugnandi ratione, feliciter pugnavit.

Quùm namque eius legiones Dalmatæ fudissent; pòst idem illos ad Delminium usque urbem fugavit. Eoque opido expugnato, & incenso, finem bello imposuit.

Belli caussa, quòd Illyrios pop. Romani socios vastâssent: &, APPIANO teste; quòd Consulis legatos non accepissent.

Negatus illi videtur triumphus, ob rem, puto, primò infeliciter gestam.

3801. Ptol. Philom. 25. Dem. Sot. 8. Ab V. C. 599. Ab Olymp. 621.	*Consules* P. CORNELIVS SCIPIO NASICA II. & M. CLAVDIVS MARCELLVS II. *Illi Dalmatæ, huic Ligures obvenêrunt.*	149.

LEGATI ATHENIENSIVM, PHILOSOPHI.

Venêrunt tum CARNEADES Academicus, & DIOGENES Stoicus, cum CRITOLAO Peripatetico, In Vrbem, ab Atheniensibus, negotij publici gratiâ, legati.

Quumque coràm Senatu in Capitolio starent; ALBINVS Pr. iocans dixisse fertur; *Ego tibi, CARNEADE, prætor esse non videor, quia sapiens non sum. Neque has urbs; nec in eâ civitas!* Tum ille; *Huic Stoico non videris.*

Agell. lib. 7. Missi erant impetratum, uti multam Romani remitterent, quam fecerant propter Oropi vastationem. Ea multa fuerat talentûm fere quingentûm.

Quùm seorsum autem quisque, ostentandi gratiâ, magno conventu hominum, dissertarent; admirationi fuit, Philosophorum trium, sui cuiusque generis, facundia; & quasi tripartita dictionis, sive characteris, varietas.

Violenta & rapida CARNEADES dicebat: scita & teretia CRITOLAVS: modesta DIOGENES, & sobria.

M. MARCELLVM II. Consulem, alterum etiam triumphum egisse, ex fragmentis Capitolinis satis intelligi potest. Verùm de quibus populis, gentibusve triumphârit; parum compertum. nisi fortè de Liguribus Transalpinis. quibuscum, Nicæam & Antipolim, Massiliensium opida, vastantibus, anno consequenti etiam Q. OPIMIVS Cos. dimicâsse proditur.

Nasica verò, quantumvis Delminium, Dalmatarum urbem (quæ omnium côcursu defendebatur) expugnâsset; & gentem domuisset, (quod alij C. MARCIO, anni prioris Consuli attribuere) Imperatoris nomen à militibus; & à Senatu delatum triumphum, recusavit. (Zonaras etiam Illyrios à NASICA domitos. urbibus captis, & captivis venditis, tradidit. Is fortè utramque gentem confundit.)

Hoc anno, & consecutis, vario eventu pugnatum cum Lusitanis. à M. MANILIO, L. CALPVRNIO PISONE, L. MVMMIO, & M. ACILIO BALBO, & Ser. SVLPITIO GALBA; prætoribus, sibi invicem succidaneis.

3802. Ptol. Philom. 26. Dem. Sot. 9. Ab V. C. 600. Ab Olymp. 622.	*Consules* Q. OPIMIVS NEPOS, & L. POSTVMIVS ALBINVS.	148.

Hic in magistratu mortuus est. In provinciam enim proficiscens, quùm immolaret, in plurimis victimis caput in iocinore nô invênit: & post diem septimum, æger Romam relatus exspiravit.

Eius in locum suffectus esse traditur M. ACILIVS GLABRIO.

Hoc anno Romani à Lusitanis, & Gallis Inalpinis, graviter per arma vexati.

In eumdem annum Censores produntur M. VALERIVS MESSALLA, & C. CASSIVS LONGINVS, qui lustrum LV. fecerint.

Illi theatrum lapideum in urbe, à Lupercali Palatium versùs, faciendum locaverant; in quo pop. Romanus sedens spectaret ludos. Sed ijs eximia civitatis severitas; & Consul SCIPIO quinquennio ferè post restitere.

Lustrum tamen anno sequenti conditum est; quo censa sunt civium capita CCCXXIV. Mill. Et M. AEMILIVS LEPIDVS, sextùm princeps Senatûs lectus.

OPIMIVS CONSVL de transalpinis Liguribus, qui Massiliensium opida, Antipolim & Nicæam, vastâtant; iam subactis, ità triumphâsse videtur; vt eâ victoriâ domiti in posterum quieverint.

VENEFICIJ POENA.

Quæstione de veneficijs Romæ institutâ, PVBLICIA & LACINIA, nobiles feminæ, quæ viros suos, illa POSTVMIVM ALBINVM Consulem; hæc CLAVDIVM ASELLVM, veneno necâsse insimulabantur; cognitâ caussâ, quùm prætori vades prædesque dedissent; propinquorum decreto strangulatæ sunt.

3803. | 147.
Ptol. Philom. 27.
Alexand. Nob. 1.
Ab V. C. 601.
Ab Olymp. 623.

Consules Q. FULVIUS NOBILIOR, & T. ANNIUS LUSCUS.

Ille, M. FULVIUS, patrio instituto deditus studio litterarum, Q. ENNIUM, Poëtam, qui cum Patre eius in Ætoliâ militaverat, civitate donavit, quúm Triumvir coloniam deduxisset.

BELLUM CUM CELTIBERIS.
DIES CONSULATUS SOLENNIS.

Celtiberi à Tib. GRACCHO prætore victi, anno V. C. DLXXV. in pace manserant annos XXV. Hoc autem tempore bellum renovárunt; quùm Segida, Arevacum oppidum, muros urbis exstruxisset, ac tributa pendere Romanis recusásset; contrà, quàm legibus pacis à Graccho tum latis cautum fuisset.

Itaque quùm eadem caussa ad bellum alios etiam populos accendisset; visum est consulari duce & exercitu rem gerendam esse. Q. FULVIUS Cos. missus bis parum feliciter pugnavit.

Hoc anno Consules Kal. Ian. magistratum inire cœpérunt, propter subitum Celtiberiæ motum. sive quod anni Sexcenti ab V. C. fluxissent. quùm ab anno DXXXI. ad hunc usque ann. Idib. Martijs inijssent.

Hic dies deinde solennis consulatui ineundo, tep. stante, in perpetuum mansit.

Bellum autem cum Celtiberis per annos XX. gestum, & Numantiæ exscidio finitum est.

Eius tàm longinqui belli duces, Consules omnes fuérunt:

Q. FULVIUS NOBILIOR, M. MARCELLUS III. L. LICINIUS LUCULLUS. Et post aliquot annos,
Q. METELLUS, Q. POMPEIUS, M. POPILIUS LÆNAS
C. HOSTILIUS MANCINUS, M. ÆMILIUS LEPIDUS,
C. CALPURNIUS PISO, P. AFRICANUS ÆMILIANUS.

Quo anno Celtiberi subacti sunt à Tib. GRACCHO, eodem etiam Lusitani victi à L. ALBINO pręt. Neque verò pòst Lusitani quievisse videntur.

Vt autem Celtibericum bellum Numantia auxit; sic Lusitanicum VIRIATHUS; undè Viriathinum bellum appellatum. Quod quidem bellum priùs per Prætores, pòst autem per Consules administratum est.

Prætores, belli duces, hi commemorantur
M. MANILIUS (pòst Cos. anno DCIV.) L. CALPURNIUS PISO (Cons. anno DCV.)
L. MUMMIUS (Cons. anno DCVII.) M. ACILIUS BALBUS (Cons. anno DCIIX.)
SER. SULPITIUS GALBA (Cons. anno DCIX.)
C. VETILIUS, C. PLAUTIUS, CLAUDIUS UNIMANUS, C. NIGIDIUS, C. LÆLIUS.
Consules deinde missi. Q. FABIUS ÆMILIANUS QUINCTIUS pretor. Q. FABIUS SERVILIANUS. Q. SERVILIUS CÆPIO, qui VIRIATHUM interfecit.

FASTUS DEMETRIJ REGIS.

DEMETRIUS SOTER, Persicum fastum & luxum pridem æmulatus, quadratam non procul ab Antiochiâ Turrim exstruxerat, in quâ procul a civium conspectu, & regni curâ, delicias agens, ex palatio, tamquam ex sacrario, per internuntios responsa dabat.

Sed dum venerationem captat; tantum apud Antiochéseis odium sibi contraxit; ut OLOPHERNI, quem foverant, etiam in custodiam dato, quod offensum placare desperábat; quoquo modo è medio tollere, aut deprimere in animum inducerent.

Itaque adiuvantibus, & PTOLEMÆO Ægypti, & ATTALO Asiæ, & ARIARATHE Cappadociæ, regibus; qui omnes bello à DEMETRIO fuerant lacessiti; subornant propalàm quemdam sortis extremæ iuvenem, qui Syriæ regnum, velut paternum, armis repeteret. Et nequid contumeliæ deesset, nomen ei ALEXANDRI inditur; genitusq; ab ANTIOCHO rege vulgatur. Qui vultu fortèan haut absimilis esset ALEXANDRO, ANTIOCHI EPIPHANIS F. pridem defuncto.

ALEXANDER NOBILIS, QUI ET VELES
SEU BALAS, SYRIÆ REX, XI.

ALEXANDER, pristinarum sordium oblitus, viribus populi Antiocheni, & regum succinctus, DEMETRIO bellum inferre adparat: & in Syriam veniens, Ptolemaidem, militum, qui eam præsidio tenebant, proditione occupat.

IONATHÆ SOCIETAS A REGIBUS EXAMBITA.

Erat autem tanta MACHABÆORUM virtutis apud omneis fama, ut IONATHÆ societatem amplissimis promissis reges, tum PSEUDALEXANDER, tum DEMETRIUS ambire non dubitárint.

Et DEMETRIUS quidem, missis legatis, potestatem illi fecit agendi militum delectus, & armorum undique comparandorum: & obsides Iudæorum, quos rex in arcem Hierosolymitanam concluserat, recipiendi.

Quæ publicè lecta, magnum adeò impijs & transfugis, qui in arce erant, terrorem iniecerunt; ut obsides extempló traderentur; quos IONATHAS suis quemque parentibus restituit. Et ipse tutò Hierosolymis

rosolymis commoratus, urbem multis locis labefactatam instauraret; & monti Sioni muniriones ex saxo quadrato circúdaret. Multi prætereà ex prævaricatoribus, potentiam iramque eius veriti, relictis castrorum munitionibus, quibus Hierosolyma undique cingebatur, Antiochiam profugerent. Solis, qui Bethsuram, & Arcem Hierosolymitanam insidebant, remanere ausis.

Rex verò ALEXANDER, litteris datis, IONATHAM fratris nomine compellans, suo suffragio Pontificem suæ gentis declarat, & in amicorum numerum adscribit. Muneraque addit, *Stolam purpuream, & ex auro coronam:* mutuam modò benivolentiam adprecatus.

Itaque IONATHAS, regis beneficium non aspernatus; desito iam pridem sub ijs, quos dixi, Sacerdotibus, Pôtificiæ dignitatis habitu, proximas Scenopegiorum ferias peregit: septimo post ALCIMI, & nono post Iudæ fratris mortem, anno.

Nec mora, magno armorum numero fabricato, ingentem contraxit exercitum.

DEMETRIVS eo cognito, iterùm ad IONATHAM perscripsit; constantiam scilicet in fide servandâ collaudans, & plura pollicens. *A tributis immunitatem*, eorum, quæ Syriæ regibus pendi solebant. CANONEM prætereà *salinarum; & aurum coronarium; & trientem sementis* eius; quæ cuivis iugero conferendo erat. *Et semissem fructuum*, qui ex arboribus decerpebantur; & in singula incolarum capita *pensitationem*, iamtum remittens.

Tres Toparchias, Samariam, Galilæam & Peræá, in Iudæorum potestatem concessit.

Hierosolymam; uti urbem sacram, cum libero patriarum legum usu, ius Asyli habere, & finitima quæque ti tributis & decimis experta esse iussit.

Arcem, cum facultate præsidij, pro arbitratu, in ea collocandi, Pontifici Ionathæ permisit.

In sumtus sacrificiorum, ex regij ærarij rationibus, xv. siclorum argenti, & x. drachmarum Millia, quæ de Templo reges accipere soliti; sacerdotibus & Templi ministris, ad quos ea pertinere comperisset; addixit. Multaque insuper alia.

Sed quò plura pollicebatur, eo suspectior rex visus est, pridem perfidiæ manifestus. Eo itaque contemto, in ALEXANDRI, qui prior de pace egisset, parteis transiérunt; & auxilia decrevérunt.

IVDÆÆ STATVS, QVOAD VECTIGALIA.

Quis fuerit per ea tempora Iudææ status, ex Demetrij epistolâ, & amplis de immunitate promissis, colligi potest.

Reges Persarum certum demensum instituerant, quod singulis annis in quotidiana Templi Hierusolymitani sacra impenderetur.

Iudæorum privilegia ALEXANDER Magnus confirmárat; & ANTIOCHVS Magnus auxerat. Huius F. ANTIOCHVS EPIPHANES planè aboleverat.

Sed invalescente huius ALEXANDRI Balæ metu; DEMETRIVS, prætereà, quæ avus eius ANTIOCHVS Magnus Iudæis fuerat pollicitus, nempe v. siclorum Millia; Ionathæ gratiam emercaturus, pollicebatur insuper siclorum xv. Millia; quâ ratione liberalitatem Avi quadruplo superaturus esset.

ANTIOCHVS namque Magnus. xx. M. drachmarum promiserat in sacrificia quotannis. DEMETRIVS verù, regni potens, longè graviora tributa à Iudæis exegisse censeatur; præter vetus tributum, canonem Salinarum, &c. quæ suprà exposuimus.

Quod tributorum incrementum, iamtum indè multiplicatum videatur, ex quo IASON tributum illud immensum exsolvere Epiphani pollitus est. hoc est, talenta CCCLX.

3804. Prol. Philom. 28. Alexand. Nob. 2. Ab V.C.602. Ab Olymp.624. | *Consules M. CLAVDIVS MARCELLVS III. & L. VALERIVS FLACCVS.* (*Hic in magistratu mortuus traditur.*) | 146.

His Consulibus, vanæ superstitionis specimen Romæ editum tradidit *Obsequens.*

Quùm turbinis vi, in Campo, columna antè Ædem Iovis decussa, cum signo aurato, esset; & aruspices respondissent; magistratuum & sacerdotum interitum fore; omnes magistratus se protinùs abdicavérunt.

Hoc autem anno, ulterior Hispania M. ACILIO prætori provincia obtigit; citerior M. CLAVDIO MARCELLO Consuli. Ille MVMMIO, hic FVLVIO, succeslére.

M. ACILIVS rem adversùs Lusitanos benè gesserat; verùm ubi in hiberna exercitum reduxit; omnes rebellárunt, ac Romanorum socios invasérunt.

M. CLAVDIVM Cos. prosperè in Celtiberiâ pugnâsse triumphus eius, de quo infrà, declarat.

REGVM PVGNA, ET DEMETRII EXITVS.

ALEXANDER intereà rex, magnis copijs stipatus, in DEMETRIVM ducit. Neque DEMETRIO animus in propulsando bello defuit. Nam & primo prœlio hostem fugavit: & bello utrimque restituto, multa Millia in acie cecídit. Ad postremum tamen invicto animo, inter confertissimus fortissimè dimicans, occubuit: anno regni sui XI. ut vult Ioseph. Qui tradit eumdem, postquam dextrum aciei cornu, in quo ipse pugnabat, loco cedere compulsum est; reliquis effusè fugientibus, fortiter resistentem, & in cœnum quoddam profundum atque impeditum, abreptum; prolapso ibi equo, ab adcurrente multitudine oppressum, crebrisque vulneribus confectum succubuisse.

Initio belli, rex DEMETRIVS duos filios, DEMETRIVM & ANTIOCHVM, apud LASTHENEM, Gnidium, hospitem suum, cum magno auri pondere, commendaverat, ut belli periculis eximerentur; & si fors itá tulisset, paternæ ultioni servarentur. Ex ijs maior DEMETRIVS pòst regnavit.

Consules,

3805.
Ptol. Philom. 29.
Alexand. Nob. 3.
Ab V. C. 603.
Ab Olymp. 624.

Consules, L. LICINIVS LVCVLLVS, & A. POSTVMIVS ALBINVS. 145.

Ille avus L. LVCVLLI eius, qui cum Mithridate bellum gessit. Hic litteratus & disertus, Græcè historiam conscripsit.

M. CLAVDIVS MARCELLVS, anni superioris Cõs. multa in Celtiberiâ præclarè gessisse traditur; multaque ibi opida in ditionem redegisse: Tributum DC. talentûm ex eâ regione exegisse; Cordubam opidum condidisse; Nergobrigas pacem petenteis ad Senatum reiecisse.

Quûm Senatus LVCVLLVM Consulem in Hispaniam misisset; Marcellus, circumsessâ Numantiâ, rem antè Luculli adventum composuisse traditur, & huic bello finem fecisse. Res triumpho dignas gessisse visus, an triumphârit, incertum est.

Consules novi, quûm delectum severè agerent; nec quemquam gratiâ dimitterent; à Tribb. pleb. qui pro amicis suis vacationem impetrare non poterant; in carcerem coniecti sunt.

MOTVS ET METVS AB HISPANIA: Multiplices ibidem prœliorum casus.

Quumque Hispaniense bellum, parum prosperè aliquoties gestum, ità confudisset civitatem Romanam, ut ne ij quidem invenirentur, qui aut tribunatum exciperent, aut legati ire vellent; P. CORNELIVS ÆMYLIANVS in medium processit, & se excepturum militiæ genus, quodcumque imperatum esset, professus est. Quo exemplo ad militandi studium omneis incitavit. Sorte autem tum decimus quisque civium deligi cæpit, qui ad militiam mitteretur.

L. LVCVLLVS Cons. (licet M. CLAVDIVS, cui successerat, pacâsse omneis Celtiberiæ populos iactaretur) Vaccæos, Cantabros, & alias adhuc incognitas nationes, subegit.

Appianus addit; Illum Vaccæos sine S. C. adortum, Caucéam opidum contrà fidem datam expugnâsse: Intercatiam in fidem recepisse; (ubi P. SCIPIO provocatorem Barbarum, Tribunus militum, occidit; & in urbis expugnatione, cuius murum primus omnium transcenderat, maius vitæ periculum adiecit.) Pallantiæ obsidione dimissâ, in Turditaniam, hibernorum caussâ, se recepisse.

Fine autem Vaccæorum bello imposito; Lusitanos, qui finitima loca populati erant, ad MD. cecidisse. Lusitaniæ partem, ipsum; alteram Galbam præt. diripuisse. Eosdem pacem petenteis, contra fidem interpositam, paucis, ex quibus Viriathus fuit, elapsis; interfectos.

Quod scelus, ab alijs non Lucullo, sed Ser. Sulpitio Galbæ totum tribuitur: cumque tradunt XXX. Lusitanorum Millib. perfidiâ trucidatis, Viriathini belli caussam exstitisse.

Et Valer. c. de perfidia: Serv. Galba trium Lusitaniæ civitatum convocato populo, tamquam de commodis eius acturus; IX. Millia, in quibus flos iuventutis consistebat; delecta, & armis exuta, partim trucidavit; partim vendidit.

Idem tamen prætor antè à Lusitanis magno prœlio victus fuisse proditur; universoq; exercitu amisso, cum paucis vix elapsus effugisse: sed reparans morâ viribus eosdem cunctanteis vicisse.

Et quûm biennio post rogatio lata esset à SCRIBONIO Trib. pl. Vt Lusitani, qui in fidem pop. Romani dedit, à Ser. Galba in Gallijs venissent, in libertatem restituerentur; respondisse; A se Lusitanos, quî propè se castra habuissent, occisos esse, quod compertum habuisset, equo atque homine, suo ritu, immolatis, per speciem pacis, ad onn suum exercitum in animo habuisse.

ALEXANDRI CVM PTOL. PHILOMETORE ADFINITAS. IONATHAS à regibus honoratus.

Cæso in pugnâ, uti dictum, DEMETRIO SOTERE, ALEXANDER iam Syriæ potens, per legatos à PTOLEMÆO PHILOMETORE, ceu quoddam mutuæ amicitiæ pignus, filiam eius CLEOPATRAM, in uxorem, deposcit.

PTOLEMÆVS filiam, ex condicto, Ptolemaidem adducit, & in matrimonium ALEXANDRO splendidè collocat.

Ad easdem nuptias venit & IONATHAS, Iudæorum Pontifex, à rege invitatus; & suorum simul accusatorum calumnias repulsurus.

Et quûm magnis utrumque regem muneribus donâsset; in magno etiam apud utrumque honore habitus est.

ALEXANDER quidem vestem mutare; cumque purpurâ indutum sibi pro tribunali adsidere iussit. Deinde illo per duces suos in medium civitatis producto, præconis voce edici mandavit; *Nemini fas esset crimen ullum ei intentare; aut ullâ in re negotium facessere.*

Quo facto adversarij, eiusque æmuli, ne hiscere quidem ausi, clanculum se subduxére; regum in IONATHAM benivolentiam reveriti.

CONTENTIO IVDÆORVM CVM SAMARITIS.

Per id tempus. (Ioseph. apud Alexandriam. Alijs, Ptolemaide in isto regum congressu) acerrimum inter Iudæos & Samaritanos, de Sacris ipsorû patrijs, certamen incidit; ut res ea ad regis Ptolemæi aures, cognitionemque perveniret. Sive, cuius arbitrium socero non gravatim commiserit Alexander.

Contendebant Iudæi, ex Moysis præscripto, & Prophetarum auctoritate, Templum Hierosolymitanum,

tanum, quà sui antiquitate, quà Vrbis nobilitate, esse legitimum.

Samaritanorum contrà tanta fuit vecordia, ut sui Templi, quod in monte Garizimo, sub ALEXANDRO Magno, intrà cc. annos, extruxerant; antiquitatem & sanctimoniam, indè ab eiusdem Moysis temporibus, arcesserent; & Deum in eo solo colendum esse adseverarent.

Quùm ad regem provocatum esset; & is rogasset; quantæ multæ sese subijcerent alterutriùs partis caussidici; clamârunt utrique; *Se, ne mortem quidem recusare, si causâ cadant.*

Rationibus ultrò citroque in medium adlatis, & expensis, impostores Samaritani impudentiæ suæ pœnas capite luerunt. IONATHAS summâ cum lætitiâ & pace victor Hierosolymam revertit.

3806. Ptol. Philom. 30. Alexand. Nob. 4. Ab V. C. 604. Ab Olymp. 625.	*Consules eo anno, T. QVINCTIVS FLAMININVS (filius, opinor, Flaminini, qui PHILIPPVM Macedonum devicit) & M. ACILIVS BALBVS.*	144.

Victoriâ L. LVCVLLI Cos. Celtiberi & Vaccæi; perfidiâ Serv. GALBÆ præt. Lusitani hoc anno & deinceps quievisse videntur.

BELLI III. PVNICI INITIA.

Belli Punici tertij, quod pòst intrà quadriennium ipsius Carthaginis excidio terminatum est; semina & initia hìc longius, & pro re nata repetere visum est.

Postquam Pœni L. annorum pace potiti essent, de bello ijs indicendo, sæpiùs agitatum fuerat. Nam quùm Q. FVLVIO, T. ANNIO Coss. Legati Carthaginem ad disceptandum de agro, inter MASANISSAM & Carthaginienseis controverso, missi, (inter quos fuit etiam M. CATO) Carthagine vim ingentem navalis materiæ se deprehendisse renuntiâssent; universum Senatum valdè commoverunt.

Sequenti itaque anno, MARCELLO & FLACCO Coss. quùm in finibus Carthaginiensium maximus Numidarum exercitus, ARCHOBARZANE duce, SYPHACIS nepote, diceretur esse; M. CATO suasit, ut Carthaginiensibus, qui exercitum, specie contrà Masanissam regem, sed reverà contrà Romanos accitum, in finibus haberent; bellum indiceretur.

Contradicente P. CORNELIO NASICA; placuit legatos mitti Carthaginem, qui specularentur, quid agerent.

Castigato Senatu Carthaginiensium, quòd contrà fedus exercitum, & navaleis materias haberent; pacem inter eos & MASANISSAM facere adnixi sunt, MASANISSA agro, de quo lis erat, cedente.

Sed GISCO, AMILCARIS F. homo seditiosus, qui tunc in magistratu erat, quamquam ipse Senatus pariturum se iudicio Legatorum dixisset; ità, bellum adversùs Romanos suadendo concitavit; ut Legatos, quo minus violarentur, fuga expedierit. Is nuntius Senatum longè infestiorem Carthaginiensibus effecit.

LVCVLLO autem & ALBINO Coss. GVLVSSA, MASANISSÆ F. denuntiavit Carthagine delectus agi, classem comparari, & haud dubium bellum strui.

Quùm CATO suaderet, ut ijs bellum indiceretur; & NASICA nihil temerè faciundum esse diceret; placuit x. mitti Legatos exploratum.

ACILIO autè, & QVINCTIO, hoc anno Coss. quùm Legati ex Africâ cum Carthaginiensium oratoribus, & GVLVSSA rediissent; dicerentque se & classem, & exercitum deprehendisse, perrogari sententias placuit.

Quumque hic CATO, & alij Senatûs Principes, suaderent, ut in Africam confestim transportaretur exercitus: & NASICA diceret; *nondum iustam sibi caussam bellandi videri*; Placuit, ut bello abstineretur, si Carthaginienses classem exussissent, & exercitum dimisissent. Secùs, proximi Coss. de bello Punico referrent.

3807. Ptol. Philom. 30. Alexand. Nob. 4. Ab V.C. 605. Ab Olymp. 627.	*Consules L. MARCIVS CENSORINVS, & M. MANILIVS NEPOS.*	143.

Hoc anno Ludi sæculares, centenarij, Romæ facti, DITI Patri, ad Terentum, ex præcepto librorum Sibyllinorum; qui an. I. primi Punici belli, DII. V. C. anno, facti fuerant.

PRVSIAS REX A FILIO INTERFECTVS.

PRVSIAS, rex Bithyniæ, consilium ceperat interficiendi NICOMEDIS filij, dum consulere studet minoribus filijs, quos ex novercâ eius susceperat, & Romæ habebat.

Sed res adolescenti ab his, qui facinus susceperant, proditur. hortatique sunt, ut crudelitate Patris provocatus occuperet insidias, & in auctorem retorqueat scelus.

Igitur quùm accitus in Patris regnum venisset; statim rex appellatur. PRVSIAS regno spoliatus à filio, etiam à servis deseritur.

Filius, ATTALO, Pergami rege, opem ferente, Patrem parricidialibus armis insectare pergit.

PRVSIAS,

PRVSIAS, Senatûs Rom. fidem implorat. Mittuntur eò legati tres, qui pacem inter Patrem filiumque componant.

Ex quibus, quùm unus caput ulcerosum, siue multis cicatricibus fartum, haberet; alter pedibus æger esset; & tertius ingenio socors haberetur; dixit iocosè CATO; *Eam legationem nec caput, nec pedes, nec cor habuisse.*

Vicit itaque impietas. & dum PRVSIAS in latebris ageret, non minori scelere, quàm filium occidi iusserat, à filio interfectus est.

EGREGIA DE BELLO PVNICO DISCEPTATIO.

Quùm Carthaginienses, adversùm fedus, MASANISSÆ bellum intulissent; victi ab eo, nonagesimum & alterum iam annum habente, insuper Romanum bellum meruerunt.

Et quùm varijs in Senatu sententijs, inter NASICAM & CATONEM, certatum esset; & hic bellum, ut penitus Carthago, urbs æmula & inquieta, deleretur, suaderet; Ille, utilem Romanis urbis æmulæ viciniam, virtutis magistram & bellicæ fortitudinis cotem, esse censeret; bellumque tam atrox dissuaderet; placuit tandem: *Et quòd contrà fedus naveis haberent, & extrà fineis exercitum eduxissent:* quodque *socio Masanissæ arma intulissent;* & quod filium eius GVLVSSAM, qui cum legatis Romanis erat, in oppidum non recepissent; bellum ijs indici.

Consulibus ambobus Africa provincia decreta; & ut bellum cum Carthaginiensibus gererent, atque Carthaginem exscinderent. Ex ijs MANILIVS pedestribus copijs; CENSORINVS classi, præfecti sunt.

Prius quàm ullæ copiæ in naveis imponerentur; Vticenses legati Romam venérunt, se suaque omnia dedentes. Eaque legatio, velut maximum belli omen, grata Patribus, acerba Carthaginiensibus fuit.

BELLO INDICTO, POENI SE PER LEGATOS DEDVNT. DEINDE ad bellum se parant.

Quùm Legati xxx. Romam venissent, per quos Carthaginienses se dedebât; Catonis sententia pervicit, ut decreto perstaretur: & ut Consules quamprimum proficiscerentur ad bellum; & ipsi renunciarent Poenis, quid Senatus velit ac decreverit.

Illi ubi in Africam traiecérunt, Carthaginiensibus evocatis, primùm *arma tradere, classemq; comburere.* Et mox eos, traditis CCC. obsidibus & belli instrumentis; sedulò iussa facienteis, *procul à mari pass. X. Millibus considere*, & locô non minus tuto *oppidum facere*, adiussérunt.

Ijs imperatis, quippe quæ crudelissima essent; Carthaginienses incensi, quùm omninò aut urbem defendere, aut unà cum eâ pugnando cadere statuissent; ad bellum coacti se compararunt. Itaque protinùs, & ASDRVBALEM toti bello imperioq; præficiunt: & non ferrea solùm & ærea arma, sed etiam eâ deficiente materiâ, aurea atque argentea fabricârunt.

Consules urbem ipsam, trepidationis plenam, infirmis adhuc Poenorum animis & opibus, omni conatu extemplò oppugnare adgressi. Sed re frustrà sæpius tentatâ; quùm duo Tribb. Militum neglectos ab unâ urbis parte muros cum cohortibus suis temerè invasissent, & ab hostibus reiecti graviùs cæderentur; exprompto P. SCIPIONIS auxilio conservati sunt.

P. SCIPIONIS VIRTVS, ET EGREGIA FACINORA.

Cuius certè, quartæ legionis, tunc Militum Tribuni, singularis *virtus & prudentia*, in multis Consulum temerè cœptis, eminuit.

Ille Pœnos, digresso iam ad comitia Romam CENSORINO, ex urbe silentio noctis egressos, & castra Romanorum adortos, intrà mœnia se recipere, repentinâ & aversâ è castris eruptione, coëgit.

Eosdem à navium præsidio, quod magno clamore invaserant; eductis cohortibus, & facibus ad terrorem de nocte accensis, reiecit.

Romanos, Consule MANILIO, ad castra ASDRVBALIS, quæ ad Nepherim urbem erant, transmisso flumine, oppugnanda progressos, & ancipiti in periculo positos; ipse, hoste in se equitatuq; suum converso, & pugnâ egregiè sustentatâ, liberavit: ijsque traijciendi iterùm fluminis spatium dedit; seque, fortissimè dimicando, ab ASDRVBALIS impetu expedivit.

Octo præterea cohorteis, quæ se à flumine, prœlij eius initio, in collem editum subduxerant, & ab ASDRVBALE obsidebantur; postquàm, paucis cum equitibus, in summa clivi contento cursu superâsset; impetu in Pœnos acriùs cœptâ obsidionem urguenteis, facto, è præsenti discrimine eripuit.

Ob quæ facinora, non Senatui modo gratus evasit; sed plebem etiam ità sibi conciliavit; ut proximis comitijs Cos. à compluribus Tribubus diceretur. quùm hoc per ætatem minimè liceret, qui annos vix XXXVI. natus esset.

DEME-

DEMETRIVS, DEMETRII SOTERIS F. IVNIOR, NICANOR, DICTVS; XII. SYRIÆ REX.

Demetrivs, quem Pater Soter, apud Lasthenem, Gnidium hospitem suum, antè belli cladem, uti diximus, deposuerat; annos pubertatis egressus, audità Alexandri Balæ luxurià, quem insperatæ opes, & alienæ felicitatis ornamenta, de rectâ mente deiecerant; & velut captum inter scortorum greges, desidemque in regià tenebant; auxiliantibus Cretensibus, securum eum, ac nihil hostile metuentem, adgredi, regnoque deijcere instituit: eâque fini è Cretà in Ciliciam traiecit.

Cuius rei nuntio territus Alexander, è Phœnice, quam maximà potuit celeritate, Antiochiam, à se alieniorem, contendit; ut res ibi, antè Demetrij adventum, in tuto constitueret.

APOLLONIJ IN IONATHAM insolentia armis repressa.

Apollonius Davus, qui inter primos ab Alexandro defecerat, & novi regis partibus accesserat; quemque ille Cœle-Syriæ ducem præfecerat; cum exercitu Iamniam profectus, misso ad Ionatham Pontificem caduceatore, *Rem indignam & sibi propudiosam* esse nuntiavit; *Illum solum regij imperij exsortem, & privatum,* in summo vicinorum obsequio, *vivere.* E montibus in camporum planitiem descendat; & ferro palàm de *virium virtutisq. bellicæ præstantià* inter se decernant. In eum locum se provocare, ubi *armis, non saxis, pugnandum* sit.

Ionathas eâ verborum insolentià irritatus, x. armatorum Millib. & fratris Simonis auxilijs stiparus, ab Hierosolymis ad Ioppen contendit. Et prius quidem, quòd urbem eam Apollonij præsidium teneret, exclusus; mox deinde ab opidanis, vim metuentibus, apertis portis acceptus est.

Apollonius, cognito Ioppen ab Ionathâ teneri, III. equit. & IIX. peditum Millib. adsumtis, Azotum prius, & indè lento itinere ad Ioppen proximè contendit. Et fretus equitatu, in quo spem victoriæ collocâsset, Ionatham ex urbe in plana pertraxit: Et positis, ad torrentem quemdam, Mill. equitum insidijs, qui hostem à tergo adorirentur, prœlium commisit.

Ionathas fraudis gnarus, instructâ in laterculi formam acie; & suos ut utrimque pugnarent cohortatus, prœlio Iam in vesperam protracto, Simonem quidem fratrem, cum parte exercitûs, adversùs Phalangem confligere; suos verò tela ab equitibus immissa obiectis scutis excipere iussit.

Simon itaque, hoste iam lasso & telis exhausto, Phalangem adgressus in fugam egit. & equites Apollonij, à peditibus deserti, & pæne inermes, per plana dissipati promiscuè diffugerunt.

Eos Ionathas ad Azotum usque ingenti cum cæde persequens, & in templum Dagonis, quod eà in urbe est, è fuga compellens; eodem impetu, & urbem cepit, & unà cum finitimis pagis incendit. Ac ne vulgatà Dagonis quidem religione deterritus. Fanum eius, & quotquot eò profugerant, concremavit. Octies Mille eodem prœlio, & incendio, ex hostibus cecidisse memorantur.

Victor, ab Azoto, ad Ascalonem vix copias admoverat; quùm cives hospitalibus cum donis ad eum accesserunt, seque dediderunt. quorum voluntate collaudatâ, & prædâ ex victis hostibus congestâ, Hierosolymam reversus est.

Rex Alexander, quasi lætus ob Apollonium debellatum, qui Ionatham amicum & socium, præter animi sui sententiam, bello adgressus esset; fibulam ei auream, gestamen solis regum cognatis peculiare, virtutis ergô, transmisit; & Accaronis Toparchiam in perpetuum possidendam addixit.

3808. Ptol. Philom. 31. Dem. Nican. 2. Ab V. C. 606. Olymp. 158.	*Consules, Sp. POSTUMIUS ALBINUS MAGNUS, & L. CALPURNIUS PISO CÆSONIUS.*	142.

Eoque anno ex III. Legatis, qui ad Masanissam missi fuerant; M. Marcellus, qui ter Consul, coortà tempestate, fluctibus maris obrutus est.

L. Piso, quamquam M. Manilio prorogatum in annum Africæ imperium esset; Africam tamen provinciam Consul obtinuit.

MASANISSA SCIPIONI LIBEROS SUOS COMMENDAT.

Masanissa in lectulo, quùm iam ætate deficiente laberetur, M. Manilium Proconsulem litteris obsecravit, ut ad se Scipionem Æmylianum, sub eo tunc militantem, mitteret. Feliciorem sibi mortem futuram ratus, si in complexu dexteræ eius supremum spiritum, ac mandata posuisset; ut regnum filijs suis (Micipsæ, Gulussæ & Manastabali) divideret.

Quod quidem sedulò, ac fideliter, Scipio præstitit. Et Phameæ (al. Phaniæ) Imilconi, præfecto equitum Carthaginiensium, persuasit, ut cum equitatu suo ad Romanos transiret.

Scipione Carthaginem reverso, MANILIVS urbeis aliquot circùm Carthaginem expugnavit; Tezagam in primis. XII. Afrorum Mill. cecidit; & VI. Mill. cepit.

Idem audito, PISONEM sibi successorem advenire, SCIPIONEM cum PHAMEA Romam dimisit.

Piso verò quùm in Africam venisset, & L. MANCINVM classis præfectum secù haberet; neque Carthaginem, neque ASDRVBALEM adortus est. Verùm quùm ad singulas urbeis arma circumtulisset, frustrà consumtâ æstate, Vticam in hiberna concessit.

Pœni intereà, auxilijs undique arcessitis, animos ad bellum vehementiùs intenderant: atque ANDRISCVM, qui in Macedoniâ bellum adversùs pop. Rom. gerebat, promissâ societate incitabant.

BELLVM CVM ANDRISCO, SEV PSEVDO-PHILIPPO, IN Macedonia.

Is ANDRISCVS vir ultimæ fortis; dubium, liber, an servus; mercenarius certè; PHILIPPVM se, Persei fil. ex pellice mentiens, & ex similitudine oris PSEVDO-PHILIPPVS dictus, à DEMETRIO SOTERE, Syriæ rege, captus; & Romam missus fuerat, circa ann. V. C. 603.

Biennio pòst, fugâ lapsus, & in Macedoniam profectus, ab omnibus ferè magno studio recipitur, tamquam verus PERSEI filius. Non tàm PERSEI caritate, quàm Romanorum odio.

IVVENTIVS Pr. à Romanis ad eos motus compescendos missus; & temerè acie, cum imaginario & scenico rege, congressus; virum non Macedonicis modo, sed Thraciæ quoque auxilijs validum offendit, & fugere è prœlio coactus est.

Sed METELLVS prætor, hoc demum anno, maioribus cum copijs missus, amissum cum legione prætorem ultus; ac victor, & Macedoniam servitute mulctavit; & ducem belli, ab eo, ad quem confugerat, BYZE, Thraciæ regulo, deditum, in urbem in catenis reduxit: Et ex eo, tamquam vero rege, & debellatâ Macedoniâ triumphans, Macedonici nomen tulit.

SCIPIO CONSVL ET BELLI IMPERATOR.

In Africâ quùm maiore conatu, quàm successu, Piso Cos. bellum gereret, idque ignaviâ Imperatorum longiùs traheretur; Romæ, reclamante & invito Senatu, populus (penes quem ex Romuli & Tullij legibus comitiorum, mandandi & abrogandi magistratûs, ius esset) P. SCIPIONI, qui legatus in Hispaniâ, Tribunus in Africâ, res præclare gesserat; licet nondum legitimam ætatem (quæ est, XLIV. annorum) adepto, Tribunis pleb. rogationem, permittente Senatu, ad populum ferentibus; quâ SCIPIONI candidato (qui nullum adhuc in urbe magistratum ceperat; & Ædilitatem modò curulem petiturus in campum descenderat) petendi antè tempus consulatûs potestas fieret; Consulatum magno omnium consensu detulit. *Quasi fato quodam Africæ debellandæ necessarium esset Scipionum nomen.*

3809. Ptol. Euerg. I. Demetr. Nican. 3. Ab V. C. 607.	*Itaq; P. CORNELIO SCIPIONI ÆMYLIANO, additus collega C. LIVIVS DRVSVS; quùm illum post se sortiri provinciam debere duceret; populus reclamans, & suum in mandandis etiam provincijs ius prætendens, SCIPIONI Africam, ac totum bellum sine sorte commisit.*	141.

ALEXANDER SOCERI INSIDIIS, REGNVM AMITTIT.

Intereà PTOL. PHILOMETOR; dum in Cilicibus, qui primi à se ad DEMETR. NICANOREM defecerat; castigandis, ALEXANDER gener, totus est; & socerum tutandæ Syriæ idoneum maximè, sperat; per speciem ferendi eidem auxilij, cum magnis terrâ marique copijs in Syriâ venit. Eique, ex ALEXANDRI præscripto, omnes certatim civitates ultrò & alacriter portas aperuérunt: præsidiaque regia accepérunt.

IONATHAS INCVSATVS ET PVRGATVS.

Azotij soli importunis querelis regem Ægyptium obtudére; & Ionatham incusarunt, qui ferro flammâque agros eorum vastâsset; & suprà ingentem incolarum cædem, DAGONIS etiam Templum incendisset.

PTOLEMÆO istiusmodi invidorum questus pænè dissimulante, IONATHAS ei haud procul ab Ioppe obviàm processit, omni honorum munerumque genere acceptus. Etiam familiariter, quùm regem ad Eleutherum usque flumen deduxisset, Hierosolymam reversus est.

Postquàm rex Ptolemaidem pervénisset; & ALEXANDRI insidijs per Ammonium, eius amicum, à quo, dum rex in ganeis & lustris perditus iacet; amici omnes regis, & Laodice regina, & Antigonus, Demetrij F. fuerant occisi. (Epit. lib. 50.) appetitum se sensisset; ijsque detectis Ammonium ad supplicium ab eo, sed frustrà, deposceret; Indè odiû in Alexandrum, velut insidiarum auctorem, cõvertit. Neque tamen Ammonius pœnas effugit, qui Ptolemæo & Antiochenis pariter invisus, dum muliebri habitu latebras quærit, turpiter cæsus est.

PHILOMETOR eâ offensâ iritatus, an per ingenij levitatem! pœnitudine tum adfinitatis, tum auxilij adversùs Demetrium adlati. ductus; revocatâ à marito filiâ, ad Demetrium legatos de societate & amiciciâ mittit. & traditâ in matrimonium eâdem filiâ, eum in Paternum regnum restituere promittit.

Antiocheni ab eodem persuasi, veterem Patris Soteris offensam novis meritis corrigere, seq; Demetrio tradere gestiunt.

Et milites Paterni, favore Iuvenis accensi, prioris sacramenti religionem, novi regis &

AMMCNII

AMMONII superbiæ præferentes, signa ad DEMETRIVM transferunt. Atque ità elapsis ex Antiochiâ ALEXANDER in Ciliciam venit. & PTOLEMÆVS in urbem ingressus, & rex à Civibus exercituque consalutatus, Asiæ simul & Ægypti diademata imponi sibi passus est.

Ipse nihilo minus (IOSEPHO teste) naturâ iustus, nimiæque potentiæ minimè cupidus; quique Romanorum invidiam declinare vellet; Antiochenos in eam sententiam induxit, ut DEMETRIVM, qui se auctore moderatè, & depositis odijs, regnaturus esset; regem agnoscerent.

Cæterùm ALEXANDER, ea iniuriâ irritatus, cum valido è Ciliciâ exercitu in Syriam insultat,& agrum Antiochenum rapinis incendijsque evastat. Sed mòx eum PTOLEMÆVS, coniunctis cum DEMETRIO novo genero, copijs, prœlio victum in Arabiam fugere coëgit.

ALEXANDRI ET PTOLEMÆI REGVM EXITVS.

Acciderat autem ut in eo prœlio PTOLEMÆVS equo, quem elephanti barritus consternârat, excuteretur; & prostratus vulnera in capite gravia ab hostibus acciperet. Et vix quintâ tandem die, à vulneribus adhuc respirans, sibique redditus, iucundissimo simul mortis tumore, & spectaculo capitis ALEXANDRI, quod ZABDIELVS Arabs recisum ad se miserat, recreatus; sive veriùs inani gaudio exsatiatus, vitam finiret.

ALEXANDER itaque *non minore impetu fortunæ dejectus*, quàm *elatus*, pœnas dedit, & DEMETRIO quem occiderat; & ANTIOCHO cuius mentitus originem fuerat.

Nec seciùs PHILOMETOR, luit eidem ALEXANDRO genero; quem indignè regno circumscripsisse visus esset.

SCIPIO CARTHAGINEM OBSIDET ET OPPVGNAT.

SCIPIO Consul Vticam adpulsus, MANCINVM legatum, (qui PISONE partem Carthaginis eam, quæ continentem spectabat, oppugnante, ex alterâ murorum parte, scalis clàm adpositis, adortus, Portam urbis intraverat; sed commeatuum penuriâ conflictabatur) milite & commeatu in naveis impositis, opportunè opitulatum venit. Et MANCINI milites, periculò iam proximos, & pæne à muris profligatos; (Quingenti, duobus hostium Millibus à fronte erant oppositi) navibus suis excepit, & salvos eripuit.

Tum castris haud procul Carthagine positis, Megara, (qui locus urbis est amplissimus, & mœnibus coniunctus,) adgressus, partim vi, partim astu cepit. Adeò ut territi, tàm ij qui in urbe erant; quàm qui foris in vallo, recèns extrà muros iacto, consederant; in Arcem Byrsam, se reciperent.

SCIPIO quùm Carthaginem nisi obsidione expugnari posse perspiceret; circumvallare eam instituit. Et Isthmum omnem à mari, usque ad mare, complectens, fossis & quadrato opere munivit; ut copijs undique dispositis, uno tempore & castrametaretur, & urbem re omni frumentariâ terrâ marique, intercluderet. quæ copia hosteis brevi deficere cœpit; quòd maxima ex agris egenorum multitudo in urbem se coniecisset. Et siquid frumenti lembis, ventoque secundo, in Portum deferretur; id omne ASDRVBAL solis xxx. militum Millibus, quos ex omni numero sibi ipse delegerat; dividebat. quo factum est, ut reliqua civitas fame acriùs premeretur.

Quùm verò SCIPIO prætereà Portum ipsum Cothonis, aggere perlongo à mole, quæ Lingua dicebatur, in pelagus usque educto, obstruxisset; Carthaginienses Portum alterum, ex adversâ ad Ortum parte, suffodere instituerunt.

Et suppetente fabrorum lignorumque materiâ, naveis fabricati sunt, quas omni armorum genere instructas de-repente Romanis ostentârunt. Adeoque eos, quasi enatâ subito classe, exterruerunt; ut si in eorum naveis e-vestigio illi invasissent. quæ à nautis & remigibus vacuæ tum erant; nullo ferè negotio capere aut expugnare potuerint.

Sed quùm triduo pòst, prælium maritimū committere pararent; Romani à rebus ad pugnam necessarijs instructi, eos exceperunt: & post acrem, in summâ Punicorum lemborum celeritate; &, ut valido, ita graviore Romanarum triremium impetu; conflictum, Pœni in urbem reiecti sunt.

Tota deinceps æstas magna prœliorum terrâ marique contentione, & fortunæ varietate, in ipso urbis conspectu, transacta est.

Censores Romæ in hunc annum creati, L. LENTVLVS LVPVS, & L. MARCIVS CENSORINVS, lustrum LVI. condidere. Censa civium Romanorum CCCXXII. Millia. (Hoc anno, Septembris XXIX. sive Thoth primo, volunt inijsse annum CCLXXIIX. à morte ALEXANDRI. ut hinc ratio istiusmodi temporum ineatur.)

PTOLEMÆVS EVERGETES EO NOMINE II. ÆGYPTI REX VII.

CLEOPATRA, PHILOMETORIS vidua, eademque soror, ex fratre filium susceperat. Sed is, quùm iunior esset, regnoque ineptus; PTOLEMÆO fratri, ei qui Cyrenis regnabat, per legatos regnum; & uxor CLEOPATRA regina, communis soror, defertur. Verùm quòd & à Matre Cleopatrâ, & favore principum, impuberem fratris filiū in regnū subornari cognoverat; omnibus infestus, statim ubi Alexandriam ingressus est, fautores pueri trucidari iubet. Ipsum quoque, die nuptiarū, quibus matrem eius in matrimo-

matrimonium recipiebat; inter adparatus epularum, & religionum solennia; in complexu matris, interficit: atque ita torum sororis, cæde filij eius cruentus, adscendit.

Pòst quod non mitior in populareis, qui eum in regnum vocaverant, fuit. Siquidem peregrinis militibus licentiâ cædis datâ, omnia sanguine quotidie manabant. Ipsámque adeò sororem, reginam, filiâ eius virgine, per vim stupratâ, & in matrimonium adscitâ; repudiavit.

3810. Ptol. Euerg. 2. Demetr. Nican. 4. Ab V.C. 608.	*Consules eo anno*, Cn. CORNELIVS LENTVLVS, & L. MVMMIVS NEPOS.	140.

BELLVM ACHAICVM: ET CORINTHI EXSCIDIVM.

Romani libertatem, quam Græcis T. QVINCTIVS FLAMININVS antè L. annos dederat; in dies, & carptim imminutum ibant. Et quærentibus belli caussas, adversùs Achæos, tunc solos ex universâ Græciâ nimis potenteis; quique Græciæ liberatores audire & Principes esse cupiebant; tempestivè fortuna quetelas Spartanorum obtulit. quorum agros Achæi, propter mutuum odium; quòdque in ordinem se redigi, & Achæis subjici illi indignum putarent; fuerant populati.

Legati à Senatu in Græciam, quasi ad inspiciendas res sociorum, & bellum dirimendum, missi; (quibus clàm mandata data, ut corpus, sive Commune Achæorum dissolverent) evocatis Corinthum omnium civitatum Principibus, decretum Senatûs recitant; quo Græciæ urbes, suis quæque legibus, vivere; & Sparta cum Corintho, ab Achæorum concilio seiungi, iuberentur.

Corinthij, qui prætexto novæ libertatis, omnem Achæis potentiam eripi infremerent; in Legatos contumeliosiùs invecti; CRITOLAO Achæorum duce pæne eosdem violâte; in Lacedæmonios, eorumque socios, qui tum Corinthi peregrinabantur, invasérunt. Et illos quidem in carcerem condidérunt; reliquos, non paucis trucidatis. gravatè dimisérunt.

PYTHEAS item, qui Thebis magistratum gerebat, Bœotos, quòd à Metello Macedoniæ prætore magnâ pecuniâ multati fuissent; ad arma, & ad Achęorum societatem facilè concitavit.

His Romam nuntiatis, bellum Achæis indictum. Q. METELLVS, qui prætor Macedoniam pacaverat, prorogato in alterum annum imperio, in Achaiam cum exercitu descendit.

Et quùm L. MVMMIO Cos. bellum Achaicum decretum esse audisset; omni ope bellum, antè quàm ille adveniret, conficere conatus est. Missis itaque ad Achæos de pacis conditionibus legatis, ipse in Macedoniam, per Thessaliam & Sinum Maliacum, exercitum duxit. Heracléam, quàm CRITOLAVS pace spretâ obsidebat, liberavit; & ducem cum toto exercitu ad Scarphiam Locrorum, (al. Thermopylas) fudit, & ad necem compulit. Arcadas, qui auxilio venerant, ad Chæronéam cecîdit. Thebas, cum PYTHEA imperatore, in potestatem redegit.

Indè quùm Megaram, ubi duce ALCAMENE Achæorum erat exercitus, duceret; atque hostem Corinthum profugisse audisset; receptâ in fidem urbe, ad Isthmum venit: atque iterùm de pace agere cepit.

Iamque uno prœlio peractum bellum videbatur, & urbem ipsam Corinthum propinqua terrebat obsidio; quùm L. MVMMIVS Cos. in Gręciam advectus, partam alieno labore victoriam intercepit.

Is cum Diæo, altero Achæorum duce, sub ipsis Isthmi faucibus, collaris signis congressus, Achęos fudit; & (IVSTIN.) geminos portus sanguine infecit. Diæus verò fugiens, veneno sibi mortem conscivit.

MVMMIVS itaque, omni Achaiâ in deditionem acceptâ, Corinthum ab incolis desertam diripuit; & tubâ pręcinente delevit atque incendit.

Tot signa, tot vestes, tot tabulæ, raptæ atque incensæ; ut quidquid Corinthij æris toto orbe laudatum est, metallis universè incendio isto, in commune fluentibus, superfuisse, & vasorum materiam dedisse, comperiatur. (Vell. Corinthum funditùs erutam fuisse ait, post ann. nongentos quinquaginta duos, quàm ab ALETE, HIPPOTÆ F. erat condita.)

Tum MVMMIVS, reliquorum Achęorum mœnia, qui contrà Romanos steterant, evertit; ijsque arma, prius quàm Româ Legati x. mitterentur, ademit. Qui simul advenérunt; ex eorum sententiâ, tributum Græciæ constitutum est; concilia sublata. & institutū, ut eò quotannis Prætor mitterentur, qui non Græciæ, sed Achaiæ Præses appellaretur. quòd Græciam Romani per Achæos, tum Græciæ Principes, subegerant. (Traditur MVMMIVS tàm abstinens fuisse, ut ex omnibus Corinthi opibus & ornamentis nihil in eius domum pervenerit. Vell. ait; tam rudem fuisse; ut quùm maximorum artificum perfectas manibus tabulas et statuas in Italiam portandas curaret; iuberet prædici conducentibus; si eas perdidissent, novas eos redditnros.)

Hoc etiam bello, Epirotas cum Achivis, Thessalis & Macedonibus, in provinciæ formam redactos, alij prodidére. Thebæ quoque & Chalcis, ob opem Achæis adlatam, dirutæ.

Et Cos. MVMMIVS, primus omnium ex novis hominibus, ab Achæis debellatis, Achaici cognomen, tamquam virtute partum, tulit & vindicavit.

IVSTIN. memorat Achæos, veluti nihil negotij Romano bello suscepissent; prædam, non prœlium, cogitanteis, vehicula spolijs hostium reportandis adduxisse: & coniuges liberósque suos, ad spectaculum certaminis, in montibus collocâsse. Sed prœlio commisso, antè oculos suorum cæsi, lugubre ijs spectaculum, & gravem luctûs memoriam reliquérunt. Coniuges quoque cum liberis, de spectatoribus, captivi facti, præda hostium fuére, & sub corona veniérunt.

METELLI

METELLI RARA FORTVNA.

METELLVS, rebus in Macedoniâ compositis, quùm hoc anno Romam venisset, triumphum tantùm de rebus à se in Macedoniâ gestis, de ANDRISCO, seu PSEVDOPHILIPPO, aut periit, aut certè impetravit. licet Achæos etiam rebellare incipienteis, aut irritatos, immani acie fudisset.

Idem turmam Statuarum Equestrum, Dio, ex Macedoniâ, Romam detulit, & in porticibus à se factis collocavit. quas olim ALEXANDER MAGN. memoriæ eorum equitum, qui ex ipsius turmâ apud Granicum flumen ceciderant, expressâ similitudine figurarum, à LYSIPPO faciendas curârat.

Hic idem tamen, qui primus omnium Romæ Ædem ex marmore, in iis ipsis monimentis molitus est; vel magnificentiæ, vel luxuriæ deinceps insecutæ, Princeps fuisse censeatur.

Vix ullius gentis, ætatis, ordinis hominem inveneris, (VELL. ET PLIN.) cuius felicitatem, fortunæ METELLI huius compares. Præter triumphos honoresque amplissimos, & principale in rep. fastigium; extentumque vitæ spatium; quattuor filios sustulit: omneis adultæ ætatis vidit, & superstites reliquit, etiam honoratissimos.

Morientis eius lectum pro Rostris sustulérunt iidem filii; unus consularis & censorius, alter consularis tantum; tertius Consul; quartus prætorius, & consulatûs candidatus, quem honorem pòst adeptus est. (Vid. Plin. lib. 7.)

CARTHAGO EXPVGNATVR.

SCIPIO, DIOGENE, Pœnorum fautore, ad Nepherim urbem, variè & maximâ clade oppugnato; & urbe eâdem, post molestam obsidionem, receptâ; complureis Libyæ alias ad deditionem compulit.

Et portum ipsum Cothonis, commeatûs undiq; intercludendi, adgredi statuit. quo propugnaculo superato, & præsidio indè deiecto, Carthagine ipsâ brevi potiturus videretur.

ASDRVBAL, parte Cothonis de nocte succensâ, cum lectissimâ militum manu egressus, fortissimè cum SCIPIONE prœlium commisit. Sed hosteis C. LÆLIVS, navibus circumvectus, & à tergo adortus, ita turbavit, ut, post acre prœlium, inediæ diuturnitate languescentes, & in fugam versi, multis cæsis aut captis, pauci in urbem salvi se receperint.

SCIPIO Cothone, & commeatûs ibi copiâ potitus; factâ in muros orbis, quâ parte ceciderant, impressione, cum quater Mille militibus, in urbem ipsam irrupit. Quo facto, magna Carthaginiensium pars in Arcem Byrsam confugit, ex eâ propugnaturi.

Romanus Imperator, quùm ex proximorum ædificiorum ruinis, & asserum fragmentis, ponteis militi, ad ulteriorem ingressum, stravisset; & illato tribus ex partibus incendio, reliquum exercitum proximè Byrsam admovisset; ædibus partim suâ sponte corruentibus; partim ingentem è ruinâ fragorem edentibus; senes iuxtà ac pueri, & imbellis ætas aut sexus, qui præ pavore intrà tecta se coniecerant; aut semanimes, aut saucii; aut flammis adflati procumbebant. Eorumque cadaveribus, fabri, à SCIPIONE ad aperiendum militibus iter immissi, sine discrimine fossas, & depressa urbis loca, immaniter replebant. Et hæc sex dierum spatio perfecta sunt.

Intereà qui in Arce erant, urbis direptione, & Deorum irâ perculsi, speque salutis omni destituti, legatos ad SCIPIONEM de deditione misérunt. Illi velamentis, supplicum Æsculapii ritu, cuius è Templo descendebant, porrectis, ad pedes Imperatoris abiecti, fidem eius misericordiamque implorant; ut vel iniquissimâ conditione sibi ex Arce exire liceat. Eâque potestate, præterquam fugitivis aut transfugis, benignè permissâ, & patefactis Byrsæ portis; extemplo ex eâ ad XX. mulierum, & ad XXX. virorum Millia, agminatim sese eiecérunt.

Transfugæ, ad nongentos, spe eruptionis, ob præsidium arci impositum, ademtâ; sese unà cum ASDRVBALE, eiusque uxore ac liberis, in Æsculapii templum receperant, & ad pugnam accingebant.

Sed ASDRVBAL omnibus ad salutis desperationem adductis, se paullatim è suorum cœtu subducens, & supplex ad SCIPIONEM è Templo confugit.

Illum humaniter acceptum, & ad Imperatoris pedes sedere iussum, transfugæ priùs spectaculi novitate obstupuerunt; deinde hominis perfidiam palàm criminati, rebus iam penitùs deploratis, in voluntarias Templi incensi flammas se coniecérunt.

ASDRVBALIS quoque VXOR, quæ paucis antè diebus à marito impetrare minimè potuerat, ut rebus integris ad SCIPIONEM transfugeret; quammaximè potuit ornata, cum tribus parvis liberis, sed antè interfectis, in medium flagrantis urbis incendium, ex arce se præcipitavit. Imitata reginam, quæ Carthaginem condidit. Et Maritus, ignominiæ metu, mortem sibi veneno consciviſse traditur.

Quanta urbs, quæ in circuitu XXIII. pass. Mil. pateret, deleta sit; vel ignium morâ probari potest. Quippe per continuos X, & VII. dies vix potuit incendium exstingui. quod, (teste FLOR.) domibus ac templis suis sponte hostes immiserant.

Ità Carthago diruta est, magis imperii invidiâ, quàm ullâ eius temporis noxiâ, quùm stetisset annis, DCLXVII. & per annos ferè CXV. aut bellum inter eos populos, aut infida pax fuisset.

Sic Africa in provinciam redacta est: & SCIPIO, avito cognomento, triumphatâ Carthagine, AFRICANVS nuncupatus.

Ipse Siculis, quæ Carthaginienses superioribus bellis sibi eripuissent, restituit. Prædam omnem militibus, præter aurum & argentum, insigneisque statuas, dispartivit. Et sacris ludisque factis, quotquot capere potuit transfugas, bestiis obiecit.

AFRICA PROVINCIA.

Romani hanc victoriam supplicationibus & certaminibus editis celebravérunt. Decemque

Legatos misérunt, qui unà cum SCIPIONE Africam provinciam constituerent: siquid urbis superesset, disturbarent. quæ civitates Pœnorum rebus studuissent, earum mœnia diruerent: quæ pro Romanis stetissent, præmijs agrisque donarent. Tributum Africæ impositum; & ut quotannis eò prætor mitteretur, decretum.

3811. Ptol. Euerg. 3. Demetr. Nican. 5. Ab V. C. 609. | *Consules creati, Q. FABIVS MAXIMVS ÆMYLIANVS, & L. HOSTILIVS MANCINVS.* | 139.

BELLVM EIVS VIRIATHINVM.
VARIA BELLI ALEA.

VIRIATHVS, ut suprà attigimus, primùm in Hispaniâ ex pastore venator, & ex venatore latro; mox iusti quoque exercitûs dux factus, universam Lusitaniâ occupavit. Lusitani namque, qui è GALBÆ & LVCVLLI manibus evaserant, quùm haud ità multo post in unum coacti Turdetaniam incursarent; à M. VETILIO prætore, amissis aliquot, in castellum quoddam plerique inclusi fuerant: & loci commeatûsque angustijs oppressi, legatis ad prætorem missis, agri partem, quam incolerent, petierant; cæterà se Romanis dicto audienteis futuros.

Sed hic VIRIATHVS, ex ijs unus, qui è Galbæ manibus effugerant, commemoratâ Romanorum perfidiâ, ad bellum à pace eos avocavit: professus; si ipsi se sequerentur, *incolumeis educturum.*

Illos iam lectus imperator in diversa, & sparsos, abire; & in locum certum convenire iussit. Sed eos ità palanteis, & tramitum peritos, properè insecutus VETILIVS, tantùm abfuit ut adsequeretur; ut ipse incautus in insidias præcipitaverit. Et equites Romani ad lacum voraginosum, ac præaltum pertracti; hoste per notos sibi tramites evadente; in limum immersi, & ab insidiatoribus, terga adortis, cæsi sint.

Eo in prœlio VETILIVS ipse captus, & occisus est. Ex Decem Millibus vix sesquialtera pars in opidum Carpessum pervenére.

Quos quùm eiusdem prætoris Quæstor; ac v. præterea Millia, quæ, Belli Tithique ex Hispanis socij, miserant; adsumsisset. cum VIRIATHO congredi ausus, omneis pariter amisit. Et VIRIATHVS, dum se Quæstor opidi mœnibus tenet, opimos Carpetanorum agros depopulatus est.

C. autem PLAVTIVM præt. Romà cum exercitu adversùs se missum, simulatâ fugâ, ac converso indè agmine insequentem, magnâ cum clade primùm fudit. pòst autem, traiecto Tago, in Aphrodisio monte castrametantem, ut priorem cladem meliore pugnâ emendaret; adsecutus, collatis signis victum, in opidum compulit.

Sed intereà CLAVDIVS VNIMANVS eòdem missus, superiorem maculam turpiore fedavit infamiâ. Congressus cum hoste non modò cæsum pænè ad internecionem amisit exercitum; sed VIRIATHVS etiam Romanorum magistratuum; trabeas & fasceis, insignia, quæ ceperat, in montibus suis, ceu tropæa, defixit. Nec meliore fortunâ C. NIGIDIVS cum ijsdem conflixisse traditur.

Hæc ferè per triennium gesta antè fuisse videantur, quàm Consulari & duce & exercitu, adversùs talem hostem, opus esse decretum esset.

Hoc tamen anno C. LÆLIVS, qui Sapiens dictus est, prætor, ità VIRIATHVM fregit & comminuit, ferocitatemque eius ità repressit; ut facile bellum reliquis traderet.

Q. verò FABIVS Cos. ubi in Hispaniam vénit, exercitum è tironibus collectum adducens, levibus tantùm prœlijs hoc priore anno hostem lacessivit; & summâ prudentiâ æstatem exercendis militibus, Patris PAVLLI ÆMYLII exemplo, traduxit.

(Alij tradunt, LÆLIVM præt. in Hispaniam ulteriorem; FABIVM Cos. in citeriorem missos esse, eo animo; ut militum suorum vitia priùs, quàm hosteis debellarent; & disciplinam militarem restituerent.)

DEMETRIVS A MILITE DESTITVTVS.

In Syriâ verò DEMETRIVS NICANOR, ingenio malo, pravoq;, oblitus & auxilij & adfinitatis, quæ per Cleopatræ nuptias recèns intercesserat, illiberaliùs Ptolemæi soceri milites habebat. Illi ingratum hominem perosi, relictis tantùm in eius potestate elephantis, Alexandriam se recepérunt.

IONATHAS ARCEM SIONIAM OBSIDET.
ET DEMETRIO RECONCILIATVR.

Ionathas autem coactis è totâ Iudæâ copijs, Arcem Hierosolymitanam, & Macedonicum in eâ præsidium, cum patriæ religionis desertoribus, qui eò confugerant; oppugnare adgressus est. Qui licet loci munitione satis fisi, Ionathæ conatus contemnerent; aliquot tamen ex scelestis per noctem elapsi ad Demetrium pervenérunt, qui Arcem obsideri nuntiarent.

Ille moto ex Antiochiâ exercitu, quùm Ptolemaidem usque venisset; Ionatham & ab obsidione supersedere, & ad se in colloquium venire iussit.

Hic verò non intermissâ obsidione, cum Sacerdotibus & natu maioribus, egressus; & magnam pecuniæ, vestisque vim secum deferens, insigni munificentiâ regis animum ità mitigavit; ut non honorificè modò ab illo tractaretur; & in Pontificatu confirmaretur; sed promissâ etiam ccc. talentûm pensitatione, toti Iudææ & Tribus Toparchijs Samariæ, Ioppæ & Galilææ, earumque continibus, Iudææ attributis, immunitatem, & veteres Templi prærogativas impetraret.

Sed

Sed rex eo rerum successu, corruptus, & vitijs adolescentiæ in segnitiem lapsus, primùm paternos & legionarios Syriæ milites, à quibus Patrem proditum, & se nihilo minus adiutum meminerat, ut reip. onerosos; ità regibus infidos, ac contumaces exauctorat: peregrinis, quos è Cretâ, duce Lasthene, adduxerat, contentus.

DEMETRIVS ANTIOCHIÆ PERICLITATVR. IVDÆORVM VIRTVS.

Dein, quùm Antiochenses malè tractare incepisset; illi tàm factiosi, quàm mobiles, veteribus & novis iniurijs exasperati, in eum insurgunt: & prælio victum in regiam compellunt, & ferociter oppugnant.

Rex autem ad incitas iam erat redactus; nisi ter Mille Iudæi milites, quos Ionathas, liberam Arcis Sioniæ, deductis præsidijs, possessionem stipulatus, submiserat; coniectis è regiæ fastigio missilibus opidanos, qui ad CXX. Millia confluxerant; reppulissent. & igne in aliquot urbis loca immisso, tectis suis potiùs consulere, quam regis vitam petere, aut oppugnare, coëgissent.

Ità dum illi ædium suarum incendia exstinguunt; DEMETRIVS mercenario & Iudæo milite stipatus, in sparsos & incompositos invadit, & magnam stragem edit.

Erat urbis inclytæ & amplæ miseranda facies, quùm domos, maximam partem ligneas, & confertas, ignis popularetur: & in Plateis cruoris rivi proflucrent. Eâ clade ad C. Millia capitum cæsi creduntur.

Rex, & supplicijs satiatus, & precibus exoratus, civeis, abiectis iam armis supplices, in deditionē tandemque accepit; & Iudæos, eius victoriæ auctores, spolijs donatos, non sine præclaro virtutis testimonio, ad Ionathain remisit.

DEMETRIVS IN IVDÆOS IRITATVS.

Antiochenses autem, incendij sui pœnas, quùm à Demetrio non possent, à Ionathâ reposcunt. Docent hominem regibus ipsis formidabilem esse; & plusquàm regium decus sibi arrogâsse.

Ab eo subactam Iudæam; pervastatam Palæstinam; tentatam Hierosolymorum Arcem.

Ille iniuriarum, quàm beneficiorum memor, à Ionathâ rationes reposcit, tum rerum gestarum, tum tributornm quæ percepisset. Bellum etiam minatus; ni tributa omnia, quæ Iudæorum gens prioribus regibus pendere solita erat; quorumque ipse immunitatem Ionathæ, Temploque paullo-ante indulserat; præstaret. Fecisseique etiam, nisi novi belli metus absterruisset.

3812. Ptol. Euerg. 4. Demetr. Nican. 6. Ab V. C. 610.	*Consules Ser.* SVLPITIVS GALBA, *&* L. AVRELIVS (*al.* VALERIVS) COTTA.	138.

Quùm contenderent, uter in Hispaniam mitteretur; P. SCIPIO ÆMILIANVS neutrum mittendum censuit. quòd *alter nihil haberet; alteri nihil satis esset*. Sic *Cottæ paupertatem; Galbæ avaritiam notabat*.

Ità obtinuit SCIPIO, ut imperium proconsulare fratri suo, Fabio Æmiliano, Paulli Æmilij Filio in Hispania prorogaretur.

MILITARIS TESTAMENTI VANITAS.

Iisdem Consulibus, in Hispaniâ; GALLVS FAVONIVS IOCVNDVS, qui bello contrà VIRIATHVM occubuerat; moriens, & testamentum scribens, filijs suis absentibus mandârat; *Vt in Hispaniam venirent: corpus suum in Italiam reportarent: viâ Appiâ* (sive Launâ) *sepulcro marmoreo conderent*.

Secùs, *exheredat*; *bona sua* Deo Silvano Viminali *legat*; *Deos & Pontifices* impietatis filiorum *ultores* imprecatur.

Romanæ vanitatis specimen. Vti contrà, Iudas Macabæus, pietatis in mortuos, decretis inferijs, exemplum. Eâdem pænè tempestate.

Q. FABIVS proconf. exercitum melius institutum ex hibernis eduxit; ac VIRIATHVM secundus ipse fregit: duobusque ei opidis ademtis, & magnâ militum eius clade profligatum, in locum quemdam munitum compulit. Indè Cordubam in hiberna recessit.

ANTIOCHVS THEOS, PVER, REX CORONATVR.

ALEXANDER BALES, à ZABELO Arabarchâ interfectus, filium Antiochum (al. privignum, qui Theos, & eo nomine II. postmodò dictus est) Bimulum admodum, in ipsâ Arabiâ; apud Malcoëlem, Arabem Principem, deponendum alendumque curârat.

Hic, unus ex ALEXANDRI regis ducibus, DIODOTVS, cognomine TRYPHON, genere Apamenus, ad Malcoëlem. (Iosf. Malchum) venit; & militum Syrorum à DEMETRIO defectionem nuntiat. traderet sibi Antiochum; se facilè effecturum esse, ut puer receptus paterno imperio potiatur.

Tryphon itaque in Syriam cum Antiocho reversus, & tutor pueri à populo substitutus; diadema regni pupillo imposuit. Et militibus, quos DEMETRIVS exauctorârat, & stipendijs fraudârat, in partem pellectis, DEMETRIVM aperto bello adortus, prœlio uno victum, in Ciliciam abscedere coëgit; Antiochiæ, & inibi elephantorum, mòx potens.

ANTIOCHVS THEOS EO NOMINE II. REX SYRIÆ XIII.

Hic ANTIOCHVS, missis ad IONATHAM Pontificem litteris & legatis, amicum & socium nominat: & quæ hactenus ei cæterisque Iudæis, à regibus antegressis concessa, confirmat. Fratrem eius SIMONEM militiæ universæ. Tyrum inter & Ægyptum; sive Palæstinæ, præficit.

IONATHAS, SOCIVS AB ANTIOCHO THEO APPELLATVS BELLO IN Demetrianos sævit.

Ionathas ingratam DEMETRII perfidiam detestatus, ANTIOCHI pueri parteis amicitiamq; amplectitur. Et collectis è Syriâ ac Phœnice militibus, DEMETRII duces, per opida propinqua sparsos, bello adgreditur.

Ascalonitæ honorificè eum accipiunt; & ut à DEMETRIO deficiant, inducuntur. Gazæi portas quidem initio clauserant; sed editâ agrorum vastitate, & obsidionis metu, & auxilij à Demetrianis desperatione adacti, missis ad Ionatham nuntijs, in parem societatem venérunt.

Ionathas acceptis eorum obsidibus, & Hierosolymam transmissis, dum totam eam regionem, Damascum usque, victricibus armis obiret; validus interea DEMETRII exercitus ad Cades, urbem, Tyro & Galilææ propinquam, eo consilio accesserat; ut Ionatham, haud dubiè Galilæis, suæ ditionis hominibus, opem laturum; à Syriâ vastandâ abstraherent.

Ille itaque, fratre SIMONE ad Iudææ præsidium relicto, hosti obviàm ire properabat. Frater interim, coactis è viciniâ subitò copijs, Bethsuram, urbem munitissimam, & à Demetrianis infessam, oppugnat. & aggeribus machinisque ità infestat, ut præsidiarij, exitium fatale venti, ad pactiones descenderent; & traditâ in manus victoris Bethsurâ, incolumes decederent. SIMON, pro Macedonico, suum in eâ arce præsidium collocavit.

Ionathas verò, motis à Lacu Genesaræo castris, in campum Azorium progressus est, ignarus hostium. Qui quod uno antè die adventum eius præsensissent, positis in monte insidijs, ipsi, in campi planitie, adversùm sese obtulérunt.

At ille ordinatâ pro tempore acie, suos quidem ad certamen instruebat; insidiatores verò à tergo se ostentantes, Iudæos, qui verentur ne in medio intercepti contrucidarentur; in fugam, deserto duce, coëgerunt.

Sed quùm soli ex ducibus duo, MATATHIAS ABSOLOMI, & IVDAS CHAPSI, (al. Calphi) (Ioseph. cum quinquaginta viris) fortissimè resisterent, & ex desperatione salutem quærerent; & Ionathas, Deum scissâ veste, & humili prece obtestatus, in prœlium rediret; tanto impetu adversam hostium frontem impulérunt; ut illi territi, velut furentibus, cederent.

Qui verò ex Iudæis loco cesserant, ducemque deseruerant; Syrorum aciem fluctuantem & inclinatam eminùs conspicati, eos iam in apertam fugam versos persecuti sunt; & in castra, quæ ad Cades erant, compulérunt.

LEGATIO IONATHÆ ROMAM, ET SPARTAM.

Ionathas reportatis tàm egregiæ victoriæ insignibus, Hierosolymam reversus, quùm feliciter, & propitio sibi Numine, succedere omnia videret; Romam legatos, *renovandæ amicitiæ*, misit. Iisque mandavit, ut obiter ad Lacedæmonios viserent; & *vetustæ cognationis*, ac *mutui* iamtum ab *Oniâ* Pontifice, & Areio rege *federis* commonefacerent.

Romæ itaque omnibus quæ volebant à Senatu impetratis; & acceptis ad reges Europæ Asiæque litteris, quò tutius iter facere possent; Lacedæmonem profecti, Ephoros, & S. p. q; Spartanum, ceu *fratres & cognatos* salutárunt, mutuam *pace belloq;* operam polliciti.

(*Iustin. l. 36. Iudæi*, inquit, (*qui diu in potestate Macedonici imperij, subiecti Syriæ regno fuerant*) *quùm à Demetrio descivissent, amicitiâ Romanorum petitâ, primi omnium ex Orientalibus libertatem recepérunt. Facilè tunc Romanis de alieno largientibus.*)

TRES IVDÆORVM SECTÆ.

Ioseph. lib. XIII. circà hoc tempus tres Iudæorum sectas, quæ de rebus humanis inter se diversa sentirent, floruisse, aut recèns exortas fuisse tradit: Pharisæorum, Saducæorum, & Essenorum.

Ex quibus Pharisæi, quædam fato tribuerent; quædam in suâ potestate, fiant necne, esse putarent.

Esseni, nihil hominibus, præter fati decretum, accidere, adfirmarent.

Saducæi, fato è rebus sublato, omnia in hominum potestate ponerent; ipsosque sibi & felicitatis & infortunij auctores esse. (Idem verò II. belli Iudaici libro accuratiùs ea pertractat.)

DEMETRIANI DVCES IN IONATHAM INSVRGVNT, ET FVGIVNT.

Duces DEMETRII, ut acceptæ cladis labem abolerent, maiores quàm anteà copias coëgerant. Quos

Quos quùm Ionathas adpropinquare adiisset; ad eos aditu Iudææ arcendos, in Amathiren regionem contendit. Et consilijs hostium exploratis, qui aperto Marte impares, de-improviso ipsum adgredi constituissent, tàm maturè castra sua communijt, & excubijs præsepsit; ut illi consilij inopes, relictis, fallendi hostis, per castra ignibus, noctu discederent:

Et IONATHAS manè eorum castra, iam inania, adortus, fugienteis, licet frustrà, qui transmisso Eleuthero flum. in tutum evaserant, persequeretur.

Flexo itaque in Arabas Zabadæns itinere, prædas ex eorum agris abactas, cum captivis, Damasci sub hastâ vendidit.

Frater quoque SIMON, rebus apud Ascalonem, & in viciniâ ritè constitutis; & locis, quà opportunum, idoneo præsidio firmatis; Ioppen, quæ in fide vacillare, & in DEMETRIVM inclinari ferebatur; novis custodijs occupavit.

IONATHAS cum fratre Hierosolymam reversus, acceptâ à populo potestate, collapsa urbis mœnia, murosq; Templi refecit, & adiectis turribus munivit. Et novis propugnaculorum molibus Arcem ab Vrbe dispescuit. Idemque fratri SIMONI negotium, ut cæteris Iudææ locis curaret, dedit.

3813. Ptol. Euerg. 5. Ant. Thei. 2. Ab V. C. 611.	*Consules, APPIVS CLAVDIVS PVLCER, & Q. CÆCILIVS METELLVS MACEDONICVS. Illi Gallia, huic Hispania sortitò obtigit.*	137.

LEGATIO ROMM. IN PROVINCIAS TRANSMARINAS.

His Consulibus, P. SCIPIO AFRICANVS à Senatu legatus in Ægyptum, Syriam, Asiam. Græciamque, ad regum & civitatum animos perspiciendos, comite PANÆTIO Philosopho, præceptore suo; unà cum L. METELLO, & Sp. MVMMIO, missus traditur.

Illis PTOLEMÆVS EVERGETES, qui vacuam suâ crudelitate Alexandriam fecerat; & edicto peregrinos in coloniam solicitabat; obvius procedens, quàm *cruentus civibus*, tàm *ridiculus Romanis* fuit. *Vultu deformis, staturâ brevis, & saginâ ventris* non homini, sed *belluæ similis*. Africanus contrà, dum inspicit urbem, spectaculo, ob morum gravitatem, Alexandrinis fuit.

Salassos Gallos, gentem Alpinam, tum movisse satis constat: caussa motûs parùm comperta. Strab. libr. 4. Prætoribus Romanis, qui in Galliam mitterentur, caussas belli cum Salassis gerendi, ob aurifodinarum possessionem, numquam defuisse scribit.

Et *Obsequens*; Quùm à Salassis illata clades esset Romanis; x. Viros pronuntiâsse, in libris Sibyllinis repertum; *Quoties bellum Gallis illaturi essent, sacrificari in eorum finibus oportere.*

TRIVMPVS PATRI A FILIA VIRGINE SACRA EXTORTVS.

Ap. CLAVDIVS itaque in Salassos conversus, & prius victus, x. M. peditum amisit. Reparatâ dein pugnâ, v. eorum Millia cecîdit.

Is quùm ob priorem cladem triumphum non impetrâsset; & impudenti ambitione usus, privatis sumtibus triumphare vellet; ideoque ab inimico Tribuno de curru detraheretur: CLAVDIA, Virgo Vestalis, (filia, an soror!) mirâ celeritate utrique se interposuit; & amplissimam potestatem depulit; & triumphantem, adscenso simul curru, usque in Capitolium, Patrem prosecuta est.

VIRIATHVS, quùm priore anno à Q. FABIO in Lusitania victus, rebus suis diffidere cœpisset; bellum in Celtiberiâ, in quâ pòst res à LVCVLLO gestas summum otium fuerat; Arevacibus, Tithis ac Bellis, ad arma solicitatis, excitavit.

Ea caussa fecit, ut ea provincia Q. METELLO decreta sit. Ab eo Vaccæi summâ celeritate subacti, & Arabachi (qui fortè Arevaces) domiti.

Cæterùm DEMETRIVS quùm ab imperio suo passim civitates deficere cerneret; uti dictum: traiecto flumine, in Mesopotamiam pervenerat, eius regionis, & Babyloniæ potiundæ cupidus. & crebris ad id tentandum, gentium Orientalium (Græcorum illic & Macedonum) legationibus evocatus. Et propter ARSACIDÆ, Parthorum regis, crudelitatem; & quòd veteri Macedonum imperio adsuetæ, *novi populi superbam dominationem* indignè ferebant. Deditionem itaque, si veniret, & auxilia adversùs Parthicam vim ultrò pollicebantur.

Eâque spe accensus DEMETRIVS, eò properavit; haud diffidens, si res adversùs Parthos prosperè successisset; facilè se TRYPHONEM è Syriæ regno exturbaturum.

ARSACIDARVM IN PARTHIS REGNVM. IBI DEMETRII MOLITIONES & casus.

Diximus suprà, ex intestinis Syrorum regum dissidijs, novo Arsacidarum in Parthis regno viam munitam fuisse. Primumque Arsacem, haud multo-post ANTIOCHI EPIPHANIS obitum, caput humo sustulisse; & Trans-euphratenseis regiones, quæ hactenus Seleucidis paruerant, occupâsse.

In præsens verò DEMETRIVS à proceribus quibusdam, qui novo regi inviderent, in regnum avitum invitatus, & magnâ incolarum alacritate exceptus; validisq; Persarum, Elymæorum, Bactrianorumque auxilijs stipatus, multis prœlijs Parthos fudit. Ad postremum tamen, pacis simulatione deceptus, capitur; & vinctus, traductusque per ora civitatum, populis qui desciverant, in ludibrium favoris ostenditur.

TRYPHO,

TRYPHONIS AMBITIO ET ARTES.
IONATHAS CAPTIVVS.

TRYPHON, cognita Demetrij calamitate, iamtum animo versare cœperat, quo pacto regnum Syriæ, sublato è medio pupillo, Antiocho Theo, sibi vindicaret.

Quumque huic suæ cupiditati IONATHAM, Antiocho fidum & amicum, obstaturum esse haud vanè existimaret; de illo priùs aut comprehendendo, aut tollendo cogitare cœpit.

At ipse Bethsanem, (quæ Scythopolis) profectus, IONATHAM, cum XL. lectorum virorum Millibus, ad vim repellendam instructum offendit. Et hosti impar, ad fraudes se convertit. Comiter hominem habet, & muneribus demulcet; & ut istiusmodi benivolentiæ fidem magis adstrueret; duces suos, IONATHÆ imperata facere iubet. Postremò persuadet, ut cessante belli causâ, exercitum dimittat; & exiguo cum comitatu se Ptolemaidem sequatur. Eam se urbem, cum finitimis arcibus, ex regis voluntate, ipsius fidei ac tutelæ esse traditurum.

Iudæus credulus, missione exercitui datâ, ex tribus Millibus, quos retinuerat, bis Mille in Galilæâ relictis, cæteros secum abducit; & unà cum TRYPHONE Ptolemaidem ingreditur. Quò ut intravit; opidani, clausis de-composito portis, ducem, militibus eius ad unum trucidatis, vivum comprehendunt.

Et TRYPHON extemplò, in bis Mille illos, qui in Galilææ campo à Ionathâ residere iussi erant, exercitum cum equitatu immittit.

At ipsi, cædis sociorum, & capti per dolum ducis, iam gnari, arreptis armis, & composito agmine, ad prœlium sese accinxerant. hoste autem vim experiri non auso, maturè & impunè in Iudæam ad suos sunt reversi; IONATHAM eiusque comites magno planctu prosecuti.

Eius cladis nuntius universam Hierosolymam ingenti dolore perfudit, & tanti ducis desiderio adflixit. Neque enim iniuriâ metuebant, ne finitimi insito odio & præsenti occasione instigati, in Iudæam, tàm formidabili ipsis Principe orbatam; undequaque insultarent. Et iamtum TRYPHON ipse eâ fini magnum exercitum comparare ferebatur.

SIMON DVX A IVDÆIS DELECTVS.

SIMON, IONATHÆ captivi frater, populum subitâ trepidatione & metu attonitum, & in Templi Hierosolymitani atrium, accitum, quàm potuit accommodatissima oratione cõsolari & animare conatus; *Se domesticis maiorum & fratrum suorum exemplis vestigiisq; insistere; & pro libertate, ac patria religionis defensione, quodvis vitæ fortunarumq; periculum adire, paratum* profitetur. *Se ducem sequantur*, qui uxores liberosque ipsorum ab immani hostium iniuriâ tueri; Templi sanctimoniam à profanâ violentiâ sartamtectam præstare, *Deo propitio*, obstinârit.

His verbis accensa ad meliorem spem multitudo, & obedientiam operamque pollicita, iubet SIMONEM accipere summam imperij; & in locum fortissimorum fratrum, IVDÆ & IONATHÆ, succedere.

Et mox ipse collectâ virorum militiæ idoneorum manu, urbem muris turribusque communit: & Ioppen in fide vacillantem, per IONATHAM ABSOLOMI, incolis populariter indè migrare iussis, fido custodum præsidio firmat.

Quumque Tryphon ab Ptolemaide cum exercitu profectus, & secum IONATHAM vinctum adducens, in Iudæam venisset; ille cum copijs occurrit, iuxta opidum, Addidam, situm in monte, qui Iudæorum campis imminet.

NOVA TRYPHONIS FRAVS.
IONATHAM ACCEPTIS FILIIS obsidibus, interficit.

Et TRYPHON, ad eumdem, cui patriæ Principatum à populo delatum tunc cognoverat; ut pari dolo circumveniret; missis nuntijs mandat: ut si fratrem IONATHAM liberum è vinculis dimitti velit; c. argenti talenta, pecuniam regi ex vectigalibus debitam, exsolveret: & duos eiusdem filios (ne Pater liberatus Iudæam à regis imperio alienet) obsides ad se mitteret.

SIMON, quem doli non latebant; & suprà pecuniæ iacturam, & inanem liberandi fratris spem, filios etiam eius hosti proditum iri haud vanè præsagiebat; quùm tamen ex multitudinis scito, ut & contemti TRYPHONIS, & neglecti pro pecuniâ IONATHÆ suspicionem à se averteret; pueros cum talentis mitti placuisset; utrumque, vel illubens, præstitit.

Syrus verò nec fidem servavit, nec Ionatham dimisit: sed exercitu circumducto, per Idumæam & Adorios campos, ad Hierosolymam contendebat. Vndè, qui in Arce erant, fame propè enecti, ad importandum sibi commeatum, assiduè urguebant.

Cæterùm Simone perpetuùm eius vestigia eum copijs consectante; & nivosâ, molestâque equitibus, aëris intemperie; frustrà fuit. Et motis properè in Cœlen-Syriam castris, post interfectum in Bascamane IONATHAM, Antiochiam se recepit.

SIMON, essibus fratris ex Bascâ Modiniam, in avitum sepulcrum, translatis; præter publici luctûs honorem, amplissimum nobilissimi operis monimentum è polito & candido marmore, Patri & fratribus erexit. Porticibus & ingentibus columnis, & VII. in orbem Pyramidibus undique insignitum. Cuius altitudo vel in Mari navigantibus objiceretur. Mortuus est Ionathas anno 8. aut 9. & mense quarto imperij.

TRY

TRYPHON, SYRIÆ REX XIV.

TRYPHON, occiso per dolum, in itinere, Antiocho pupillo suo quem DEVM nuncupârat, Syriæ regnum invadit, Iudæis usque infestus.

SIMON RECONCILIATVR DEMETRIO.

Adversùs eum SIMON, opida & castella munita præsidio & commeatu firmat. & infidam eius sævitiam detestatus, missis ad DEMETRIVM (quem rex ARSACES, à pugnâ missum in Hyrcaniam, benignè, & iuxtà cultum pristinæ fortunæ habebat; atque adeò filiam RHODOGVNEN in matrimonium dederat; Syriæ regnû, quod ipso absente TRYPHON occupaverat, restituturum pollicitus.)

Missis, dico, legatis, & excusatâ defectione, in gratiam amicitiamque redit: & solidam regioni immunitatem, & sibi Pontificatum ab eo impetrat.

NOVA ÆRA APVD IVDÆOS.
RES GESTÆ SIMONIS.

Anno itaque Seleucidar. 170. sublatâ tributorum pensitatione, & regum Syriæ mentione; tàm in privatis instrumentis, quàm actis publicis, scribi cœpti sunt anni Imperij Simonis, Iudæorum Principis.

Eius certè auspicijs res Iudæorum mirandum in modum, & victorijs, & multarum civitatum accessionibus, auctæ sunt.

Ipse Gazam magnâ vi oppugnatam cepit; & eiectis ex urbe incolis; & Ædibus, quas vano simulacrorum cultu polluerant, expurgatis, coloniam & Arcem belli sibi constituit.

Arcem quoque Hierosolymitanam, fame ad deditionem adegit. Et eiecto externorum, qui ab Antiochi Epiphanis temporibus ibi manserant, præsidio; & locis ritè purgatis, in eam summâ cum populi lætitiâ ingressus est. Eamdem solo pòst æquavit, uti hostium receptaculum, & Civium frenum. Et montem, in quo ea sita fuerat, incredibili & fermè trienni popularium labore complanavit.

Dies receptæ Arcis, inciderat in XXIII. diem mensis Iiar, sive XVI. Maij. eumque diem festum esse voluit; & quamdiu vixit, impetravit.

Eo mortuo, licet vitandæ feriarum frequentiæ, lege cautum esset; ne in posterum ullum eius modi onus Ecclesiæ sive Synagogæ, imponeretur; SIMONIS tamen gratiæ id datum est, ut liar deinceps annum aperiret. qui mos ad Imp. usque VESPASIANVM, CC. amplius annis obtinuit; (Vid. Scaliger. in Simone.)

LEGATI IVDÆI ROMÆ.

Hoc anno, Seleucidar. CLXX. & SIMONIS I. NVMENIVS ANTIOCHI, & ANTIPATER (al. Antiphron) IASONIS, FF. legati ab Ionathâ Romam & Spartam missi, antequàm indè remearent, Ionathæ excessum, & Simonem successorem audierant. Responsum à Senatu Rom. & Spartiatis, honorificentissimum retulérunt.

3814. Ptol. Euerg. 6. Thryph. 2. Ab V. C. 612.	Consules L. CÆCILIVS METELLVS CALVVS, & Q. FABIVS MAXIMVS SERVILIANVS.	136.

Ille, frater Q. METELLI MACEDONICI: hic frater germanus Q. SERVILII CÆPIONIS, adoptivus Q. FABII ÆMYLIANI. Ambo enim à Q. FABIO MAXIMO, VERRVCOSSI filio, adoptati fuere: alter ex gente Æmyliâ, alter ex Serviliâ.

RES VARIE A COSS. IN HISPANIIS GESTÆ.

FABIO Consuli VIRIATHVS fortè obvénit. Adversùs quem in locum Quinctij missus, quùm iter Vticam intendisset, hostem lacessentem fortiter reppulit. Deinde elephantis X. à Micipsâ, Numidarum rege, acceptis, & castris loco idoneo communitis, pòst varia pugnarum discrimina, post agrorum vastitatem, & prædarum à latronibus iacturas, in Lusitaniam usque VIRIATHVM persecutus, opidis eius regionis, partim in potestatem redactis, partim incensis, in hiberna, quùm iam annus eius imperij alter appeteret; exercitum reduxit.

At verò Q. METELLVS, prorogato in alterum annum imperio, Celtiberorum opes varijs prœlijs attrivit. Vrbem Trebiam (al. Contrebiam) eius gentis caput, quùm priùs viribus expugnare non potuisset; abductis in diversa copijs, & mòx reflexo ad eamdem itinere, inopinatam & attonitam oppressit. Postquam quinque cohorteis legionarias, præcipiti loco pulsas, eódem protinus subire iussisset. & omnibus in procinctu testamenta facientibus, velut ad certam mortem eundum foret; militem, quem moriturum miserat, victorem recepisset.

METELLI COS. MALIGNITAS.

Is quùm cognovisset Q. POMPEIVM Conf. inimicum, successorem sibi mitti; missionem militibus volentibus dedit: horrea, custodibus remotis, opportuna rapinæ præbuit; aliaq; eius generis designavit; quibus ut cupiditati suæ indulsit; ita magnificè gestarum

TRYPHONIS AMBITIO ET ARTES. IONATHAS CAPTIVVS.

TRYPHON, cognita Demetrij calamitate, iamtum animo versare cæperat, quo pacto regnum Syriæ, sublato è medio pupillo, Antiocho Theo, sibi vindicaret.

Quumque huic suæ cupiditati IONATHAM, Antiocho fidum & amicum, obstaturum esse haud vanè existimaret; de illo priùs aut comprehendendo, aut tollendo cogitare cœpit.

At ipse Bethsanem, (quæ Scythopolis) profectus, IONATHAM, cum XL. lectorum virorum Millibus, ad vim repellendam instructum offendit. Et hosti impar, ad fraudes se convertit. Comiter hominem habet, & muneribus demulcet; & ut istiusmodi benivolentiæ fidem magis adstrueret; duces suos, IONATHÆ imperata facere iubet. Postremò persuadet, ut cessante belli caussâ, exercitum dimittat; & exiguo cum comitatu se Ptolemaidem sequatur. Eam se urbem, cum finitimis arcibus, ex regis voluntate, ipsius fidei ac tutelæ esse traditurum.

Iudæus credulus, missione exercitui datâ, ex tribus Millibus, quos retinuerat, bis Mille in Galilæâ relictis, cæteros secum abducit; & unà cum TRYPHONE Ptolemaidem ingreditur. Quò ut intravit; opidani, clausis de-composito portis, ducem, militibus eius ad unum trucidatis, vivum comprehendunt.

Et TRYPHON extemplò, in bis Mille illos, qui in Galilææ campo à Ionathâ residére iussi erant, exercitum cum equitatu immittit.

At ipsi, cædis sociorum, & capti per dolum ducis, iam gnari, arreptis armis, & composito agmine, ad prœlium sese accinxerant. hoste autem vim experiri non auso, maturè & impunè in Iudæam ad suos sunt reversi; IONATHAM eiusque comites magno planctu prosecuti.

Eius cladis nuntius universam Hierosolymam ingenti dolore perfudit, & tanti ducis desiderio adflixit. Neque enim iniuriâ metuebant, ne finitimi insito odio & præsenti occasione instigati, in Iudæam, tàm formidabili ipsis Principe orbatam; undequaque insultarent. Et iamtum TRYPHON ipse eâ fini magnum exercitum comparare ferebatur.

SIMON DVX A IVDÆIS DELECTVS.

SIMON, IONATHÆ captivi frater, populum subitâ trepidatione & metu attonitum, & in Templi Hierosolymitani atrium, accitum, quàm potuit accommodatissima oratione cōsolari & animare conatus; *Se domesticis maiorum & fratrum suorum exemplis vestigijsq; insistere; & pro libertate, ac patriæ religionis defensione, quodvis vitæ fortunarumq; periculum adire, paratum* profitetur. *Se ducem sequantur*, qui uxores liberosque ipsorum ab immani hostium iniuriâ tueri; Templi sanctimoniam à profanâ violentiâ sartamtectam præstare, *Deo propitio*, obstinàrit.

His verbis accensa ad meliorem spem multitudo, & obedientiam operamque pollicita, iubet SIMONEM accipere summam imperij; & in locum fortissimorum fratrum, IVDÆ & IONATHÆ, succedere.

Et mox ipse collectâ virorum militiæ idoneorum manu, urbem muris turribusque communit: & Ioppen in fide vacillantem, per IONATHAM ABSOLOMI, incolis populariter indè migrare iussis, fido custodum præsidio firmat.

Quumque Tryphon ab Ptolemaide cum exercitu profectus, & secum IONATHAM vinctum adducens, in Iudæam venisset; ille cum copijs occurrit, iuxta opidum, Addidam, situm in monte, qui Iudæorum campis imminet.

NOVA TRYPHONIS FRAVS. IONATHAM ACCEPTIS FILIIS obsidibus, interficit.

Et TRYPHON, ad eumdem, cui patriæ Principatum à populo delatum tunc cognoverat; ut pari dolo circumveniret; missis nuntijs mandat: ut si fratrem IONATHAM liberum è vinculis dimitti velit; c. argenti talenta, pecuniam regi ex vectigalibus debitam, exsolveret: & duos eiusdem filios (ne Pater liberatus Iudæam à regis imperio alienet) obsides ad se mitteret.

SIMON, quem doli non latebant; & suprà pecuniæ iacturam, & inanem liberandi fratris spem, filios etiam eius hosti proditum iri haud vanè præsagiebat; quùm tamen ex multitudinis scito, ut & contemti TRYPHONIS, & neglecti pro pecuniâ IONATHÆ suspicionem à se averteret; pueros cum talentis mitti placuisset; utrumque, vel illubens, præstitit.

Syrus verò nec fidem servavit, nec Ionatham dimisit: sed exercitu circumducto, per Idumæam & Adorios campos, ad Hierosolymam contendebat. Vndè, qui in Arce erant, fame propè enecti, ad importandum sibi commeatum, assiduè urguebant.

Cæterùm Simone perpetuùm eius vestigia cum copijs consectante; & nivosâ, molestâque equitibus, aëris intemperie; frustrà fuit. Et motis propetè in Cœlen-Syriam castris, post interfectum in Bascamane IONATHAM, Antiochiam se recepit.

SIMON, ossibus fratris ex Bascâ Modiniam, in avitum sepulcrum, translatis; præter publici luctûs honorem, amplissimum nobilissimi operis monimentum è polito & candido marmore, Patri & fratribus erexit. Porticibus & ingentibus columnis, & VII. in orbem Pyramidibus undique insignitum. Cuius altitudo vel in Mari navigantibus objiceretur. Mortuus est Ionathas anno 8. aut 9. & mense quarto imperij.

TRYPHON, SYRIÆ REX XIV.

TRYPHON, occiso per dolum, in itinere, Antiocho pupillo suo quem DEUM nuncupárat, Syriæ regnum invadit, Iudæis usque infestus.

SIMON RECONCILIATUR DEMETRIO.

Adversùs eum SIMON, opida & castella munita præsidio & commeatu firmat. & insidiam eius sævitiam detestatus, missis ad DEMETRIUM (quem rex ARSACES, à pugnâ missum in Hyrcaniam, benignè, & iuxtà cultum pristinæ fortunæ habebat; atque adeò filiam RHODOGUNEN in matrimonium dederat; Syriæ regnū, quod ipso absente TRYPHON occupaverat, restituturum pollicitus.)

Missis, dico, legatis, & excusatâ defectione, in gratiam amicitiamque redit: & solidam regioni immunitatem, & sibi Pontificatum ab eo impetrat.

NOVA ÆRA APUD IUDÆOS.
RES GESTÆ SIMONIS.

Anno itaque Seleucidar. 170. sublatâ tributorum pensitatione, & tegum Syriæ mentione; iàm in privatis instrumentis, quàm actis publicis, scribi cæpti sunt anni Imperij Simonis, Iudæorum Principis.

Eius certè auspicijs res Iudæorum mirandum in modum, & victorijs, & multarum civitatum accessionibus, auctæ sunt.

Ipse Gazam magnâ vi oppugnatam cepit; & eiectis ex urbe incolis; & Ædibus, quas vano simulacrorum cultu polluerant, expurgatis, coloniam & Arcem belli sibi constituit.

Arcem quoque Hierosolymitanam, fame ad deditionem adegit. Et eiecto externorum, qui ab Antiochi Epiphanis temporibus ibi mánserant, præsidio; & locis ritè purgatis, in eam summâ cum populi lætitiâ ingressus est. Eamdem solo pòst æquavit, uti hostium receptaculum, & Civium frenum. Et montem, in quo ea sita fuerat, incredibili & fermè trienni popularium labore complanavit.

Dies receptæ Arcis, inciderat in XXIII. diem mensis Iiar, sive XVI. Maij. eumque diem festum esse voluit; & quamdiu vixit, impetravit.

Eo mortuo, licet vitandæ feriarum frequentiæ, lege cautum esset; ne in posterum ullum eius modi onus Ecclesiæ sive Synagogæ, imponeretur; SIMONIS tamen gratiæ id datum est, ut Iiar deinceps annum aperiret. qui mos ad Imp. usque VESPASIANUM, CC. amplius annis obtinuit; (Vid. Scaliger. in Simone.)

LEGATI IUDÆI ROMÆ.

Hoc anno, Seleucidar. CLXX. & SIMONIS I. NUMENIUS ANTIOCHI, & ANTIPATER (al. Antiphron) IASONIS, FF. legati ab Ionathâ Romam & Spartam missi, antequàm indè remearent, Ionathæ excessum, & Simonem successorem audierant. Responsum à Senatu Rom. & Spartiatis, honorificentissimum retulérunt.

3814. Ptol. Euerg. 6. Thryph. 2. Ab V. C. 612.	*Consules* L. CÆCILIUS METELLUS CALVUS, & Q. FABIUS MAXIMUS SERVILIANUS.	136.

Ille, frater Q. METELLI MACEDONICI: hic frater germanus Q. SERVILII CÆPIONIS, adoptivus Q. FABII ÆMYLIANI. Ambo enim à Q. FABIO MAXIMO, VERRUCOSI filio, adoptati fuere: alter ex gente Æmyliâ, alter ex Serviliâ.

RES VARIE A COSS. IN HISPANIIS GESTÆ.

FABIO Consuli VIRIATHUS fortè obvénit, Adversùs quem in locum Quinctij missus, quùm iter Vticam intendisset, hostem lacessentem fortiter reppulit. Deinde elephantis x. à Micipsâ, Numidarum rege, acceptis, & castris loco idoneo communitis, pòst varia pugnarum discrimina, post agrorum vastitatem, & prædatum à latronibus iacturas, in Lusitaniam usque VIRIATHUM persecutus, opidis eius regionis, partim in potestatem redactis, partim incensis, in hiberna, quùm iam annus eius imperij alter appeteret, exercitum reduxit.

At verò Q. METELLUS, prorogato in alterum annum imperio, Celtiberorum opes varijs prœlijs attrivit. Vrbem Trebiam (al. Contrebiam) eius gentis caput, quùm priùs vitibus expugnare non potuisset; abductis in diversa copijs, & mòx reflexo ad eamdem itinere, inopinatam & attonitam oppressit. Postquam quinque cohorteis legionarias, præcipiti loco pulsas, eódem protinus subire iussisset. & omnibus in procinctu testamenta facientibus, velut ad certam mortem eundum foret; militem, quem moriturum miserat, victorem recepisset.

METELLI COS. MALIGNITAS.

Is quùm cognovisset Q. POMPEIUM Conf. inimicum, successorem sibi mitti; missionem militibus volentibus dedit: horrea, custodibus remotis, opportuna rapinæ præbuit; aliaq; eius generis designavit; quibus ut cupiditati suæ indulsit; ita magnificè gestarum

gestarum in Hispaniâ rerum gloriam corrupit: meritumque triumphi honorem, hostium, quàm iræ, fortior victor, amisit.

CENSORVM DISCORDIA.

Eodem anno P. AFRICANVS ÆMYLIANVS cum L. MVMMIO ACHAICO, sibi inimicissimo, censor factus est. Inter hos Censores summa fuit discordia. Et SCIPIO collegæ ignaviam notans, pro rostris dixisse fertur; *Se ex maiestate reip. & maiorum exemplo, omnia fuisse gesturum; si Quirites sibi collegam vel dedissent, vel non dedissent.*

Quumque in Solitaurili sacrificio Scriba ex publicis tabulis solenne ei precationis carmen præiret; quo Dij rogabantur; *Vti populi Romani res meliores amplioresq́ facerent*; *Satis*, subiecit ille, *bona & magna sunt*. Itaque precor; *ut eas perpetuum incolumes servent*.

Eâque votorum verecundiâ deinceps Censores in condendis lustris usi sunt.

Isto autem lustro, sive à SCIPIONE, sive à MVMMIO condito sit; Censa sunt civium capita CCXXIIX. Mill. & CCCLII. (Observa immensum, inter tot bella, numerum.)

NOVVM IN MACEDONIA BELLVM A PSEVDO-PERSEO.

Tum quoque in Macedoniâ, quæ à METELLO prꝗt. pacata antè fuerat, novum bellum coortum. PSEVDO-PERSEO quodam, sive PSEVDO-PHILIPPO altero, auctore.

Is se Persei filium ferens, quùm XVII. ferè armatorum, maximè servorum, M. haberet, à TREBELLIO Quæstore superatus est.

Cn. ille TREBELLIVS, *Scrofa* dictus est, ab avo. qui Quæstor quùm esset, LICINIO NERVA prætore, in Macedoniâ provinciâ relictus, ut exercitui præesset; dum prꝗt. rediret.

Et hostes arbitrati occasionem se habere victoriæ, impressionem facere cœpissent in castra; tum avuus ille Quæstoris, quùm hortaretur milites, *arma caperent atque exirent contrà*; dixisse fertur; *Celeriùs se illos, quàm scrofa porcos, disiecturum*. Eoque prœlio hosteis ità fudit, ut NERVA prꝗt. appellatus sit Imperator; & avus TREBELLII cognomentum Scrophæ invenerit.

3815. Ptol. Euerg. 7. Tryphon. 3. Ab V.C. 613.	*Consules*, Cn. SERVILIVS CÆPIO, & Q. POMPEIVS RVFVS.	135.

Hic homo novus & per se cognitus, honores, sine ullâ commendatione maiorum, adeptus; & primus è Pompeijs (seu tres, seu duæ eorum fuerint familiæ) Consul fuit.

Is rogatus à P. SCIPIONE Africano, familiari suo, ut pro C. LÆLIO quem unicè diligebat, Consulatum peteret; idque facturum pollicitus esset; pro se prehensavit.

IVDICIVM DE CORRVPTELA. PATERNA SEVERITAS.

His Consulibus, quùm Macedonum legati conquestum venissent, de D. IVNIO SILANO prætore, quòd acceptis pecunijs provinciam spoliasset; & Senatus de eorum querelis vellet cognoscere; T. MANLIVS TORQVATVS, SILANI Pater, petijt impetravitque, ut sibi eiusmodi cognitio mandaretur. Et domi cognitâ caussâ, filium condemnavit abdicavitque; ac ne funeri quidem eius, quùm suspendio vitam finisset, interfuit. sedensque domi potestatem consulentibus ex instituto fecit.

Par ferè quæstio in L. TVBVLVM prætorem, qui apertè pecunias ob rem iudicandam à sicarijs ceperat; Cn. CÆPIONI Cos. à Senatu decreta.

PAX CVM VIRIATHO, INDIGNA.

Q. SERVILIANVS, hoc & superiore anno, rebus magnis in Lusitaniâ gestis, incautiùs victoriam persequens, à VIRIATHO in eas loci angustias redactus est; ut æquis conditionibus pacem petere cogeretur.

„*Viriathus, socius pop. Romani esset*; *quique parteis suas secuti essent*.

„*Quæ quisq́ haberet, teneret*.

CRVDELITAS SERVILIANI.

Hanc labem ille suæ gloriæ imposuit. sive verius crudelitatis pœnas luit. quòd Bacciâ opido, VIRIATHI obsidione, liberato, & in deditionem recepto; quingentis hostium (al. transfugarum) Principibus, quos societate invitatos in fidem, deditionis iure, susceperat; manus præcidisset. ut trunca præ se brachia gestantes, metum defectionis reliquis inijcerent.

BELLI NVMANTINI OCCASIO.

In Celtiberiâ, quamquam METELLVS plerosque domuerat aut deleverat; uni erant Termestini ac Numantini, qui propè intacti arma retinebant.

Numantini, Segidenseis socios ac consanguineos suos, è manibus Romanorum, POMPEIO acriùs insequente, elapsos, exceperant. Habita pro eis deprecatio nihil valuit. Et quùm ab omni rebellionis contagione se eatenus removissent, in legitimi federis pretium iussi arma deponere. Hoc sic à barbaris acceptum, quasi manus abscinderentur.

Itaque statim, MEGARA duce, ad arma cõversi, & POMPEIVM prœlio adgressi, quùm debellare possent; fedus tamen modestè maluerunt. de quo proximè. Hinc bellum Numantinum: quod Romanorum cladibus, obsidionis diuturnitate, & urbis Numantiæ exscidio, maximè nobilitatum fuit.

DEMETRIVS NICATOR E FVGA RETRACTVS.

Sub idem tempus (Iustin. lib 38.) & ex parte, 1. Mach. c. 14.) DEMETRIVS NICATOR, post ARSACIS, Parthorum

Parthorum regis, à quo regnum sibi restitutum iri sperârat, obitum; desperato in patriam reditu, nec ferens peregrinam captivitatem; privatamque, etsi opulentam cum filiâ regiâ vitam pertæsus; tacitus in regnum fugam meditabatur.

Hortator illi & comes GALLIMANDER amicus erat; qui post captivitatem eius, a Syriâ, per Arabiæ deserta, ducibus pecuniâ comparatis, Parthico habitu Babylonem pervenerat.

Sed regem fugientem PHRAHATES, qui ARSACIDÆ successerat, equitum celeritate & tramitum compendio occupatum, retraxit. GALLIMANDRO non venia tantùm, sed præmium etiam fidei datum.

DEMETRIVS & graviter castigatus ad coniugem in Hyrcaniam dimittitur, & artiori custodiæ datur.

Interiecto deinde tempore, quùm fidem illi etiam suscepti è coniuge liberi facerent; eodem amico comite, repetita fuga est. Sed pari infelicitate propè regni sui fineis deprehensus, ac denuò ad regem perductus, à conspectu summovetur. Et tunc quoque uxori ac liberis donatus, in Hyrcaniam, pœnalem sibi civitatem, relegatur.

Hanc verò tam mitem in DEMETRIVM clementiam, non *misericordia gentis* faciebat, *nec respectus cognationis*; sed quod Syriæ regnum adfectabant: usuri DEMETRIO adversùs ANTIOCHVM fratrem, prout vel tempus vel fortuna belli exegisset.

PROSPER IVDÆÆ STATVS SVB SIMONE.

Hoc rerum statu SIMON Pontifex genti suæ quietem, & imperij incrementa peperit. Portu Ioppes occupato aditum sibi suisque in vicinas maris insulas patefecit. Gazarâ quoque, & Bethsurâ potitus, tuta pænè omnia & pervia Iudæis fecit.

Cuiusmodi principis felicitati congratulati Romani & Spartiatæ, cum eodem amicitiam & societatem, legibus in æneas tabulas inscriptis, renovârunt.

Ipse vicissim NVMENIVM Romam iterùm cum amplis muneribus; & in cæteris, scuto aureo, quòd minas mille penderet, misit. quæ Romanis fuêre gratissima.

Eidem, ob tam ingentia eius, maiorumque in patriam merita, S. populusque Iudaicus, publicis suffragijs, & maximo conventu, summum imperium Sacerdotiumque detulit. die mensis Elul duodevicesimo; anno Pontificatûs sui tertio; qui erat Seleucidarum septuagesimus alter supra centesimum.

3816. Ptol. Eu. 8. Tryph. 4. Ab V.C. 614.	*Coss. C. LÆLIVS SAPIENS, & Q. SERVILIVS CÆPIO.*	134.

PAX CVM VIRIATHO ABRVPTA.

Hic, CN. CÆPIONIS, eius, qui anno V. C. 585. Consul fuit, filius, in Hispaniam missus, otij impatien, pacem à SERVILIANO fratre factam, & à populo Rom. confirmatam, assiduè, litteris ad Senatum datis, improbare.

Senatus primùm tacitè CÆPIONI, quod è rep. fideque suâ duceret, permittere: pòst eidem apertè, ut neglectis pacis conditionibus, bellum susciperet, mandare.

Ipse repentè VIRIATHVM adortus, Arsam oppidum eius, cepit; & Vectonum Callæconumque fineis populatus est.

Quumque VIRIATHVS legatos de pace ad eum misisset; CÆPIO eosdem pecuniâ corruptos, & ingentibus promissis oneratos, ad occidendum VIRIATHVM impellit.

VIRIATHI EXITVS.

Quo haud ità multo-pòst à proditoribus interfecto; exercitus etiam eius, qui duce TANTALO Saguntum profectus, atque inde repulsus Bætim traiecerat; in CÆPIONIS, qui à tergo instabat, potestatem pervênit: veniâque ab eo impetratâ, agros etiam fertileis, quos coleret, ne inopiâ coactus ad latrocinia verteretur; obtinuit.

Ea victoria, quia empta erat, à Senatu non est probata. VIRIATHVS, qui per ann. XIV. bellum cum Romanis gesserat, à suis multùm comploratus, & nobilissimè tumulatus est.

POMPEIVS INFELICITER PVGNAT, ET PERFIDE PACISCITVR.

In Hispaniâ verò citeriore, Q. POMPEIVS Cos. postquam extremâ ferè hyeme exercitum à METELLO accepisset, castra ad Numantiam posuerat.

Tum Numantini, quùm eum fortè abesse à castris animadvertissent; è colle subitò digressi, in equites eius impetum facere. POMPEIVS re nuntiatâ in castra reversus, hostibus acriter instare. Illi leniter ad monteis recedere, dum Romanos in locum impeditum, quem constituerant, attraxissent.

Ibi priùs POMPEIVS; & ad Termantiam deinde malè pugnans; Maliâ tantùm opido per proditionem recepto, in Sedetaniam, latrocinijs infestam, castra movit.

Iterùm ad Numantiam regressus; & flumen aliò derivare, ut hosteis fame sitique opprimeret, frustrà conatus, & multis pugnis infeliciter defunctus; quùm postremò morbus, quem aquæ & aëris gravitas vulgaverat, totum exercitum adflictaret; & milites pabulatum egressi, in Numantinorum insidias præcipitâssent, feréque deleti essent; vel quòd successorem exspectaret; vel quòd Romæ iudicium reformidaret; clam de pace cum Numantinis, iam bello etiam fessis, agere cœpit.

Itaque legatis eorum, quùm ad se venissent, palàm pro dignitate imperij Romani, respondit; *Pacem ijs nullâ aliâ ratione, nisi se Romanorum potestati permitterent, dare posse.* clam verò certas, in quas conventum erat, pacis conditiones tulit. Quibus acceptis,

acceptis, illi se statim POMPEII arbitrio in speciem dederunt. Ipse obsidibus & transfugis, & XV. auri talentis, ut imperârat, acceptis, successorem, dum accederet, exspectavit.

ANTIOCHVS SEDETES (al. SOTER ET PIVS) SYRIÆ REX XV.

ANTIOCHVS, à Syris SIDETES, hoc est, Venator; à Iudæis Soter & Pius dictus; DEMETRII SOTERIS F. minor, in Asiâ clam educatus; auditâ fratris DEMETRII NICATORIS clade, & metu TRYPHONIS, incertis aliquamdiu sedibus oberrabat.

Et commodùm milites à TRYPHONE, superbiam eius pertæsi;& paullatim favore recentis imperij exolescente, ad CLEOPATRAM, DEMETRII uxorem, quæ se Seleuciæ cum liberis inclusam tenebat;certatim defecerant.

Hæc vicissim, scriptis amicè ad hunc ANTIOCHVM, mariti sui fratrem, litteris, coniugium suum, & Seleuciam dotis nomine, atque adeò spem regni administrandi offert; dum fratris filij adolescant.

Ipse verò SIMONEM regno paterno utilissimum fore arbitratus, honestas ad eum mittit litteras, & legatos, qui de mutuâ societate agerent: omniaque, quæ à regibus Syriæ ipsi donata fuerant, confirmat, & ampliora spondet.

3817. 9. Ptol. Ev. 1. An. Sed. Ab V. C. 615. Olymp. 160. 1.	*Consulibus* CN. (*al. Luc.*) CALPVRNIO PISONE, & M. POPILLIO LÆNATE.	133.

C. CORNELIVS HISPALVS, Prætor peregrinus, edicto *Chaldæos*, citra x. diem, abire ex urbe atque Italiâ iussit. Frustrà. *Nam id genus hominum Romæ semper damnatum, semperq; retentum est.*

M. POPILLIVS Cos. ad exercitum in Hispaniam contendit, ut Q. POMPEIO succederet.

BELLVM CVM NVMANTINIS RENOVATVR.

Sed POMPEIVS, omni iam belli metu vacuus, quùm se indignis legibus, sine iussu Senatûs, pacem cum Numantinis fecisse animadverteret; *Negare se cum ijs quidquam pactum esse.* Illi, *testibus ijs*, qui federi feriendo adfuerant, *confirmare.*

POPILLIVS eos Romam ad Senatum, ut eâ de re cum POMPEIO disceptarent, reiecit. Re in Senatu agitatâ; *placuit bellum cum Numantinis renovari.*

POPILLIVS Lusonum, qui Numantinis finitimi sunt, fineis ingressus. inde re infectâ discessit. (Epit. l. 55. addit; Illum à Numantinis, cum quibus pacem factam Senatus irritam fieri censuerat, eruptione ex urbe factâ, cum exercitu fusum ac fugatum.)

TRYPHON AB ANTIOCHO OBSESSVS.

ANTHIOCHVS, auctus viribus, TRYPHONEM prœlio victum, & è supernate Syriâ eiectum, in Phœnicen usque persequens, in Doram, munitissimum castrum, compulit, & obsidione cinxit. adductis secum CXX. pedit. & IIX. equit. M. & ingenti navium numero, ut hostem terrâ marique pænè circumvallatum teneret.

ROMANORVM IN SIMONEM, IVDÆOSQVE BENIVOLENTIA.

Intereà NVMENIVS, quem triennio antè SIMON amandârat, Româ redijt, cum litteris, quibus L. Cæcilius Metellus tum Cos. S. populúsque Rom. nominé, Simonem, & universé Iudæos, PT. EVERGETÆ, Ægypti; DEMETRIO, Syriæ; ATTALO, Pergami; ARIARATHI, Cappadociæ; & ARSACI, Parthorum; alijsque regibus; & XXIX. populis; Spartiatis, Sicyonijs, Delijs, Samijs, Pamphylijs, Lycijs, Caribus, Rhodijs, Cois, Cyprijs & Cyrenæis, cæterisque ceu amicos & socios, commendabat. Et transfugas, Iudaicæ religionis desertores, SIMONI, sacerdotum principi, puniendos ex lege tradere iubebat. Numenius verò peragrandis, quas dixi, regionibus triennium pœnè consumsit.

ANTIOCHI CNM SIMONE AMICITIA. ET TRIPHONIS EXITVS.

Quùmque iterùm Antiochus castra ad Doram admovisset, machinisque obsessos urgueret; Simon bina lectorum virorum millia auxilio ei submisit; & pecuniâ commeatuque impensè iuvit.

Quo beneficio Antiochum ita demeruit; ut ab eo inter intimos amicos reciperetur.

TRYPHON, è Dorâ, antè quàm expugnaretur, Apaméam (al. Orthosiada, Cariæ opidum) navi profugit. eumque Antiochus persecutus, urbe captâ, interfecit. sive ad mortem ultrò sibi consciscendam adegit.

3818. 10. Ptol. Euerg. 2. Ant. Sed. Ab V. C. 616. Ol. 160. 2.	*Consules*, P. CORNELIVS SCIPIO NASICA, *Corculi illius, qui anno V. C. 592. Consulatum gessit, F. cognomine* SERAPION, & D. IVNIVS BRVTVS.	132.

His Consulibus delectum habentibus, qui exercitum in Hispaniâ deseruerant, damnati & virgis cæsi, publicè veniérunt.

Tribuni pl. quia non impetrarent, ut sibi denos,

quos vellent, milites eximere liceret; Consules in carcerem duci iusserunt.

Id alij C. CVRATIO, homini sordidissimo, adsignant. qui Tribunus pleb. Consules in concionem adductos compellebat, ut de frumento emendo, & mittendis, eius negotij explicandi, legatis, in curiâ referrent.

Huic autem populari actioni, & commodis plebis opponere se ausus SCIPIO Cos. quùm populus obstreperet; *Tacete*, quæso, inquit, QVIRITES. *plus enim ego, quàm vos, quid reip. expediat, intelligo.* Quâ voce auditâ, omnes pleno venerationis silentio maiorem auctoritatis eius, quàm suorum alimentorum, respectum, habuérunt.

Non potuit tamen publica hæc veneratio obstare; quo minus servili SERAPIONIS appellatione in vulgum traduceretur; quod huiusce nominis victimario, sive suario negotiatori, (al. vili negotiatoris mancipio,) persimilis esset.

BRVTI IN LVSITANIA RES GESTÆ.

Quùm VIRIATHO interfecto multi Lusitaniam latrocinijs vexarent; eaque provincia BRVTO Consuli à Senatu mandata esset; Ipse ijs, qui sub VIRIATHO militaverant, agros, & opidum dedit, quod Valentia vocatum. ipsamque Lusitaniam multis cladibus & urbium expugnationibus ad, Oceanum usque perdomuit.

Et quùm fluvium Oblivionis, sive Lethes, milites tamquam malè ominatum, præ formidine transire nollent; rapto in signifero signum ipse transtulit, atque ita ut transgrederentur persuasit.

Gallæcos, qui ad LX. M. auxilio advenerant, profligavit; & ad Gadeis usque victricia arma protendit. unde Callaici nomen tulit.

ANTIOCHVS AB AMICITIA SIMONIS RESILIT; ET BELLVM FACESSIT.

ANTIOCHVS, qui quamdiu TRYPHON vixit, SIMONE amico usus fuerat; simul æmulum è medio sustulit, beneficiorum immemor, pacta abrupit; & missu ATHENOBIO, expostulare cum SIMONE cepit, *Quòd Ioppen, Gazaram, arcemq, Hierosolymitanam, & alia loca, regno Syriæ obnoxia, dominatu suo teneret; & vicinam longè latéque magnis cladibus evastasset. Redderet itaque civitates*, quas iniustè occupâsset; & *tributa* pro ijs locis, quæ extra Iudææ fineis essent, quingenta scilicet argenti talenta: & pro damnis factis, hostimenti vicem, altera totidem *exsolveret*. Secus, *bellum exspectet*.

SIMON se nihil alienum usurpâsse, aut detinere, respondit. *sed maiorum suorum hereditatem, quàm hostes iniustè aliquanto tempore possederint*, quodam *postliminij iure, & liberali causâ manu vindicâsse*.

Pro *Ioppe & Gazarâ*, quas, ob clades regioni suæ hostiliter illatas, expugnâsset, centum talenta se dependiturum.

ATHENOBIVS, quem copiosus adparatus, & SIMONIS gloria, auro argentoque conspicua Hierosolymæ, perstrinxerat; & *responsi constantia* pupugerat, iam reversus, regem, irâ complevit, & ad bellum accendit.

Ille CENDEBÆVM, rei maritimæ anteà præfectum; tradito peditum equitumque idoneo exercitu, iubet castra in Iudæam movere; & munitâ exadversùm Cedrone, & obstructis Hierosolymorum portis, regionem omnem bello infestare; & SIMONEM in potestatem redigere.

SIMONIS FILII, IMPERATORES, VINCVNT HOSTEM.

SIMON cognito Cendebæum ad Iamniam pervenisse, & rapere ferreque omnia; & collocato Cedroni præsidio itinera obsidére; rei indignitate commotus, & licet senio fractus, IVDÆ & IOANNI filijs, acri oratione, & maiorum exemplo animatis, belli munia, curamque committit.

Illi adscitis XX. bellatorum M. cum equitatu, rectà ad Cendebæum ex Modiniâ tetendérunt. primique, conspecto iam hoste, interiectum torrentem transmiserunt; & in adversarios, quantumvis ab equitatu firmiores, aciem direxerunt.

Iudæis ad solennem sacrarum tubarum concentum concurrentibus, Syri in fugam versi, castra etiam diripienda reliquerunt. multisque in acie & pugnâ amissis, in propugnaculum quoddam se recepérunt.

IOANNES, fratre IVDA, qui vulnus in prœlio acceperat, relicto, hosteis insequutus, Cedronem recepit. & turreis in agro Azoti, quò cæteri perfugerant, igni succendit. & cæsis duobus hostium millibus, in Iudæam impunè, & magnâ cum gloriâ reversus est.

Iustin. l. 36. huc adludens: ANTIOCHVS, inquit, regni paterni potens, memor, quod & pater propter superbiâ, & frater propter segnitiem, contemti fuissent; ne in eadem vitia incideret, receptâ in matrimonium CLEOPATRA, uxore fratris, civitates, quæ initio fraterni imperij defecerant; domitas rursus regni terminis adiecit. Iudæosque, qui in Macedonico imperio, sub DEMETRIO patre armis se in libertatem vindicaverant, subegit. (verius, subigere est conatus.)

Quorum vires tantæ fuére, ut post hunc nullum Macedonum regem tulerint; domesticisque imperijs usi, Syriam magnis bellis infestaverunt. Hæc ille.

LONGINQVA ET VARIA IVDÆORVM SERVITVS, ANTE LIBERTATEM.

Servitutis, quâ Iudæi profanis regibus & gentibus hactenus subiecti fuére, initium à temporibus regis Babylonij, NABVCHODONOSORIS, duci posse videatur. Nam deinde Persis, tum Macedonibus, sive Ægypti, sive Syriæ regibus; tributum assiduè pependérunt. à quo nunc demum SIMONIS filiorumque fortitudine liberati.

Cui quidem libertati hic honos habendus est; ut, quæ à Iudæis liberis gesta sunt, per annos suorum magistratuum, regum & Pontificum, ceu certas Epochas, ad CHRISTI usque Messiæ natalem; veriùs ad HERODEM, digerantur.

3819. Ptol. Eu. 11. An. Sed. 3. Ab V.C. 617. Oly. 160. 3. | *Consules* M. AIMILIUS LEPIDUS PORCINA, *&* C. HOSTILIUS MANCINUS. | 131.

INFAUSTA MANCINI EXPEDITIO, ET TURPIS PACIFICATIO.

Hic POPILLIO Proconf. ad Numantiam succedens, quùm in portu Herculis navem conscenderet;(al. quùm Genuæ scapham esset ingressus) anguis in navi inventus è manibus, & è conspectu effugit. Et talis vox fine ullo auctore, ad aures pervenit, *MANCINE mane.*

Et paullo-antè, quùm Lanuvij sacrum facere vellet; pulli caveâ emissi in proximam silvam avolàrant, & quæsiti reperiri nequierant.

Sic numerum prodigiorum, totidem calamitatibus æquavit; *Infelici pugnâ, turpi fœdere, deditione funestâ.* Victus à Numantinis, & castris exutus est.

Exercitus scilicet ad rumorem, quo Vaccæi & Cantabri Numantinis auxiliò advenire ferebantur, perculsus, & trepidus; in castra, quæ quondam FULVIUS NOBILIOR fecerat, cum Duce, se receperat. Ibique obsessus, quùm nulla salutis spes esset; ad turpeis pacis conditiones, quas hostis ferebat, descendit. XXX. Romanorum M. à quater mille Numantinis victi.

Eam pacem ignominiæ adfinem, Senatus ratam esse vetuit. Ipse Cos. à bello avocatus; & Collega LEPIDUS ad exercitum missus est.

3820. Ptol. Ev. 12. Ant. Sed. 4. Ab V.C. 618. Ol. 160. 4. Io. Hyrc. 1. | *Coss.* LUC. (*al.* PUBL.) FURIUS PHILO, *&* SEX. ATTILIUS SERRANUS. | 130.

Illi Hispania citerior sorte obtigit: & D. BRUTO Procos. in ulteriore, prorogatum imperium est.

Hoc anno lustrum LXIX. post deditionem MANCINI, conditum esse videtur. à Censoribus Q. FULVIO NOBILIORE, & AP. CLAUDIO PULCRO. si quid coniecturæ tribuendum. Censa ferunt civium capita CCCXXIII. M.

MANCINUS HOSTI DEDITUS.

In citeriorem provinciam veniens FURIUS Cos. iussu Senatûs, ac solvendi federis caussâ, MANCINUM ad Numantinos vinctum, ac nudum per feciales perduxit. A quibus tamen receptus non est; uti quondam Caudini fecerant; *Quod violatio fidei publicæ, unius & privati sanguine lui non deberet.*

Ipse MANCINUS, ut Numantinis dederetur; & populus icti federis, cuius auctor fuisset, religione exsolveretur; eam rogationem suasisse perhibetur, quam Coss. ex S. C. tulérunt: quâque acceptâ, hostibus est deditus.

M. LEPIDUS Proc. otij impatiens, dum legatos Numantinorum, Romam de federe cum MANCINO icto profectos, exspectare grave duceret; & Vaccæos innoxios & supplices, invito Senatu, pertinaciter expugnare tentaret; à Pallantinis, Vaccæorum socijs, quos ope D. BRUTI, generi, adortus erat; fusus ac fugatus; acceptâque ingenti clade, improbæ pertinaciæ pœnas luit. VI. Romanor. M. cæsa. reliqui castris exuti, & armis amissis evasérunt. Nec FURIUS, tradito MANCINO, feliciùs cum Numantinis pugnavit.

3821. Pt. Ev. 13. An. Sed. 5. Ab V.C. 619. Olymp. 161. Io. Hyrc. 2. | *Coss.* SER. FULVIUS FLACCUS, *&* Q. CALPURNIUS PISO. *Illi Illyricum, huic Hispania, provinciæ sortitò evenérunt.* | 129.

PISO, quùm in Numantinorum, Pallantinorumque agros populabundus incurrisset, & vastâsset; reliquum imperij sui tempus in hibernis apud Carpetanos traduxit, viribus nonnihil imminutis.

ILLYRII ET THRACES OBITER DOMITI.

Illyrij verò bello Persico à Romanis victi, ad id usque tempus pacati fuerant. Tum verò Vardæi, Illyricum, quod erat sub Romanorum ditione, armis invasisse scribuntur. & legatis nihil apud eos proficientibus, FULVIUS Cos. eò missus bellum unâ excursione confecit.

Eodem tempore Thraces, & maximè Scordisci,

sci, Macedoniam vexabant. cum quibus M. Cosconius Pr. feliciter pugnavit. Id autem bellum postea acriùs exarsisse dicetur.

BELLVM SERVILE IN SICILIA.

Nec Sicilia quieta fuit: immò multò cruentiùs Servili, quàm Punico bello, vastata. Terra frugum ferax, & pęnè suburbana provincia, latè fundis civium Latinorum tenebatur. Hic ad cultum agri frequentia ergastula, catenatique cultores, materiam bello præbuére.

Syrus quidam servus nomine EVNVS, fanatico furore simulato, & Syriæ Deæ ceremonias præferens, quibusdam flammarum ex ore præstigijs, ad libertatem & arma servos, quasi numinum imperio, concitabat.

Et primùm duo millia ex obvijs; mox iure belli, refractis ergastulis, XL. ampliùs millium fecit exercitum: Regijsque decoratus insulis, castella, opida, vicos miserabili direptione vastabat.

Prætorum MANLII, LENTVLI, PISONIS, HYPSEI castra ceperant, & qui per fugitivarios retrahi debuissent, profugos prœlio ipsi sequebantur.

Adversus eos C. FVLVIVS Cos. & alij posteà missi, vix multis prœlijs & calamitatibus fractos, oppressérunt. ut suo loco dicetur.

PTOLEM. ABOBI PERFIDIA. SIMONIS CÆDES.

PTOLEMÆVS ABOBI F. Hierichontini territorij præfectus, vir opulentus, & SIMONIS Pontificis gener; animo ad principatum sibi stabiliendum sublato, factáque cum ANTIOCHO conspiratione; iamtum in socerum, eiusque filios, dolum intentabat; eosque è medio tollere gestiebat.

Et SIMON commodùm eo tempore, peragratis Iudææ civitatibus, rebusque ibi feliciter constitutis; quùm Hierichuntem, unà cum duobus, natu minoribus, filijs, MATHATHIA & IVDA, devenisset; à genero, in arcem Docham, quam ille ædificárat, & ab occulto milite instruxerat, magnifico convivio exceptus est.

Eos ubi vino incaluisse, homo perfidus vidit; immissis sicarijs, patrem cum filijs, magnâque comitatûs parte, immaniter obtruncavit. socrum cum cæteris in vincula coniecit.

His peractis, & scriptis ad regem litteris, ut auxilio sibi copias mitteret, quibus & regionis principatum, & vectigalia sibi vindicet, alios extempló partim in Gazaram dimittit, qui IOANNEM, ex filijs SIMONIS superstitem, interficiant: & Tribunos iubeant ad se, cum argento & auro, alijsque muneribus, venire. partim, qui Hierosolymam Templumque cum Arce propè occupent.

IOANNES ab amicis præmonitus, sicarios ad se missos comprehendit & occidit. atque cursu citato PTOLEMÆVM anteverrit; & in Hierosolyma ingressus, advenienti hosti portas claudit. quòd populus patris SIMONIS memoriæ adprimè faveret, & generi parricidium meritò detestaretur.

Hic finis Biblicæ Historiæ, & libri Machabæorum, qui XL. annor. res gestas complectitur.

IOANNES HYRCANVS PATRI SVCCEDIT.

Occisus est SIMON anno Seleucidar. 177. exeunte, mense XI. qui Sabat, seu Schebath dicitur: postquam Pontificatum ann. VIII. tenuisset. Euseb. à I. CYRI anno, sive I. anno Olymp. LV. ad SIMONIS ultimum, annos 425. numerat. IOANNES eius F. qui à rebus in Hyrcaniâ posteà gestis HYRCANI nomen tulit, inito Pontificatu; & sacris ritè Hierosolymæ perfectis, parricidam confestim cum exercitu insecutus, arcem Dochum, (quæ & Dagon) haud procul ab Hierichunte dissitam, obsedit & oppugnavit. Cætera quidem superior; solâ erga matrem, reliquosque captivos, pietate & commiseratione vincebatur.

PIETAS IOANNIS, MATRI IPSI INGRATA.

Hos enim PTOLEMÆVS in pomæriâ productos, loco edito & patente, flagris cædebat; minitans subinde se eos in præceps daturum, nisi IOANNES ab oppugnando desisteret.

Filio propterea, ad primos conatus, ut carissimis suis gratificaretur, & parceret; relanguescente, mater nihilo minus, protentis ad eum procul manibus, supplicabat; ne *adfectibus emolliretur*. gratum sibi fore inter tormenta emori, modò *nefarius homo*, in potestatem redactus, *scelerum* suorum *pœnas* exsolveret.

HYRCANVS quidem, monitis maternis, ad impressiones acriùs faciendas, accendebatur; sed ad spectaculum repetitæ in matrem verberationis, statim oppugnandi fervor refrigescebat.

Quùmque ijs de caussis obsidio diutiùs protraheretur; supervenit annus septimus, & Iudæorum genti feriatus. Et PTOLEMÆVS obsidione solutus, socru comitibusque eius interfectis, ad ZENONEM COTYLAM, Philadelphię tyrannum, perfugit.

ANTIOCHVS HIEROSOLYMAM OBSIDET: DEINDE PACEM CVM HYRCANO facit.

ANTIOCHVS, amoto licet proditore PTOLEMÆO, ex proditione tamen fructum percepturus, antè quàm IOANNIS HYRCANI vires augescerent, Iudæam bello adgreditur: & vastatis circum agris, HYRCANVM in urbem ipsam compulit. eamque septenis castris cinctam obsedit.

Primùm, quidem ob mœnium firmitatem, virtutemque propugnantium, suprà aquarum penuriam, parù promovens; deinde excitatis, ad Arctoam muri plagam, quà planior erat aditus, centum turribus, & cohortibus totidem in eas impositis; è propinquo

in dies mœnia tentabat: & geminis fossis longè latéque productis, omnem exitûs spem Iudæis intercluserat. licet illi crebris eruptionibus in castra insultare, & aliquâ semper clade hostem adficere, non desisterent.

Quùmque annus tum fortè Sabbathicus ad exitum vergeret; eoque procliviùs Hierosolymitani ad inediam redigerentur: HYRCANVS, multitudine laborans, retentis ijs, qui ad pugnam idonei essent, cæteros omneis ex urbe eiecit.

ANTIOCHVS verò ita exclusos, quos nec capere, nec occidere vellet; sustibus ad urbem remeare cogebat. nec ij antè Scenopegiorum ferias, à concivibus, commiseratione motis, in urbem recepti sunt.

Mittuntur déinde ad regem legati, rogatum; ut octidui inducias, festi ritè celebrandi, obsessis indulgeat.

Quod non modò ille, Iudæorum pietatem collaudans, concessit: sed hostias etiam, & in cæteris, tauros auratis cornibus, & vasa omni aromatum genere referta, misit; & exercitui epulum præbuit.

(Longè diversus ab ANTIOCHO EPIPHANE; qui violatis palam Iudæorum legibus & ceremonijs, porcos super altari mactarat, earumque carnium iure templum consperserat.) Eâque de causâ ANTIOCHVM SEDETEN, Iudæi, Σωτῆρα καὶ Εὐσεβῆ SERVATORIS & PII, cognomento honestarunt.

Et HYRCANVS eius æquitate & pietate delectatus, denuò legatos mittit, qui pacem, & liberam patrijs sibi vivendi legibus potestatem, rogent.

Rex reiectis ijs, qui alia suaderent; & gentem insociabilem internecione delendam censerent; has pacis conditiones tulit: ,, *Vt obsessi arma sibi & obsides tradant:* ,, *Ioppes, aliarumq; extra Iudæa fines urbium nomine, tributum pendant: belli sumtus luant:* ,, *Præsidium intra mœnia accipiant; cæterà immunes ac liberi viverent.*

Iudæi communi adsensu in alia omnia pacta descendérunt, præter præsidium; ne intestinâ peregrinorum militum consuetudine polluerentur. Obsides potiùs (& in ijs HYRCANI fratrem) dare, & D. insuper talenta, & ex ijs CCC. repræsentare maluérunt.

Atque ita deiectâ loricâ, quæ mœnia ambibat, soluta est obsidio.

3822.
Ptol. Eu. 14.
An. Sed. 6.
Ab V.C. 620.
Oly. 161.2.
Io. Hyr. 3.

Consules P. CORNELIVS SCIPIO ÆMILIANVS AFRICANVS, II. & C. FVLVIVS FLACCVS.

158.

Ille quùm Quæstorijs comitijs suffragator Q. FABII MAX. Patruelis, in campum descendisset; à populo Consul iterùm creatus, & domum reductus est.

Et solutus lege tum etiam fuisse dicitur: non ætatis, ut prius, (qui eo tempore, annos plus minus L. natus esset) sed eâ lege, quam CATO suaserat; *Ne quis iterùm Cos.* (*f. intra decennium*) *fieret*, &c. Datum id virtuti eius, & reip. temporibus, quæ magnum in Hispaniâ ducem flagitabant. Ipsi namque Hispania; FVLVIO Sicilia evenerat.

SCIPIO COS. AD BELLVM NVMANTINVM PROFICISCITVR, ET DISCIPLINAM militarem restituit.

Et bellum Numantinum, extra sortem, ut anteâ Punicum, gerere iussus; diffidens veteri exercitui, novos milites omneis conscribit: & impedito per æmulos Italorum delectu, multos, qui se ultrò militiæ offerebant; quosque reges, aut civitates miserant; magnum præterea servorum manum armavit. Amicos D. quos secum educeret, ex omni nobilitate delegit.

His, alijsque rebus necessarijs ita adparatis, partem exercitus, ad IV. hominum M. fratri FABIO tradidit. & ipse ante eum, quàm maximis posset itineribus, cum reliquis copijs in Hispaniam ire contendit.

Quò postquam venit, & exercitum à PISONE accepit; in id unum incubuit, ut inertem, & [illegible] perditum; avaritiâ corruptum, & ad seditiones pronum, militem emendaret: & ad pristinam maiorum continentiam, laborumque tolerantiam, revocaret.

Tum demum disciplinâ exercitui restitutâ, castra movit, & Numantiam versùs contendit.

Interim *civis servandi, quàm hostis perdendi studiosior, omnia consilio potiùs, quàm impetu* (quo barbaros potissimùm valere sciebat) gerenda sibi proponit.

Nullam duce magno indigniorem vocem esse dictitans, quam si committat, ut sibi dicendum sit; *Non putáram.*

Agmen itaque longiore ex duobus, itinere ducens, in Vaccæorum fineis devénit. Ibique frumento, quantum plurimùm potuit, coacto, cætera incendit.

RVTILIVM RVFVM; longiùs quàm mandatum erat, progressum, & in Pallantinorum insidias pænè præcipitatum; submisso equitatu è periculo exemit.

Vtque pareis Vaccæorum insidias, quas illi ad flumen, in medio situm, quà difficilis esset traiectio, collocárant; tutiùs declinaret: priore itinere relicto, longiorem alteram viam ingressus est.

Ibi aquarum inopiâ multos puteos effodere est coactus. quorum aqua quòd plerumque amarior inveniretur; cum pars iumentorum siti confecta perijt; tum homines vix incolumes iter confecerunt.

Inde traijciens per fineis Caucæorum, quibus superiori-

perioribus annis LVCVLLVS contra fœdera bellum intulerat; edixit militibus; ut *suam quisque domum ad negotia reverterentur.* & ipse pòst, ad hiberna, in fineis Numantinorum progressus est.

Quo temporis momento in castra ingressus est; ad edictum: ut *omnia ex ijs, quæ voluptatis causâ comparâssent, summoverentur*; maximus *mstrorum* & *lixarum* numerus, cum II. *scortorum* millib. abijsse fertur.

IVGVRTHA EO BELLO INNOTESCIT.

Eo tempore quùm rex Numidarum MICIPSA, populo Romano peditum atque equitum auxilia in Hispaniam mitteret; IVGVRTHAM, MANASTABALIS fratris F. (eum, qui-cum posteà pop. Rom. bellavit) cum XII. elephantis, sagittarijs ac funditoribus multis, unà misit. quem virum & in amicis habuit SCIPIO; & operâ eius ad res graveis & periculosas usus est.

(In Siciliâ C. FLACCVS Cos. res etiam gessisse proditur: quo eventu parum certum.)

THESAVRI DAVIDIS REPERTI.

Sub id tempus, Io. HIRCANVS (fortè unde exsolveret ea, quæ ANTIOCHO promiserat, conquirens) aperto DAVIDIS, regem olim ditissimi, monimento, ter mille talenta depromsit. ut abundè haberet, unde & regi satisfieret, & deinceps militem sibi peregrinum mercede conduceret. (BARON. τὰ ξενοδοχεῖα, ad hospitia, pauperum & peregrinorum receptacula, haud probabiliter rettulit.) quod hactenus Machabæorum nemo fecerat.

Regem, qui-cum fedus inierat, in urbem cum exercitu acceptum liberalissimè tractavit: & paullo-pòst in expeditionem Parthicam cum alijs auxilijs secutus est. de quâ re pòsteà.

3823. 15. Ptol.Ev. 7. Ant. Sed. Ab V.C.621. Ol. 161 3. Io. Hyrc.4.	*Coss. P. MVTIVS SCÆVOLA (MVTII, anno V. C. 579. Consulis Filius, & P. CRASSI MVTIANI frater, iurisperitissimus) & C. CALPVRNIVS PISO FRVGI, Annalium scriptor.*	127.

TRIBVNITIÆ POTESTATIS INCOMMODA.

Omnium pænè Romæ seditionum caussas Tribunitia potestas excitavit. quæ specie quidem plebis tuendæ, cuius in auxilium comparata fuerat; re autem dominationem sibi acquirens, studium populi ac favorem, Agrarijs, Frumentarijs, Iudiciarijs legibus, aucupabatur.

In quibus omnibus licet species æquitatis inesset; ea tamen ipsa in perniciem redibant; & misera resp. in exitium suum merces erat.

Nam & à Senatu in Equitem translata iudiciorum potestas, vectigalia, hoc est, imperij patrimonium, supprimebat. Et emtio frumenti, ipsos reip. nervos exhauriebat. Neque reduci plebes in agros poterat, sine possidentium eversione, qui & ipsi pars populi erant; & relictas sibi à maioribus sedes, longâ ætate, quasi iure hereditario, possidebant.

SEDITIO GRACCHANA.

His itaque Consulibus, TI. SEMPRONIVS GRACCHVS, genere, formâ, eloquentiâ, æqualium facilè princeps, primam certaminum facem accendit. Is filius TI. GRACCHI, eminentissimi viri; P. AFRICANI, ex filiâ, Nepos; fœderi, quod quadriennio antè C. MANCINVS cum Numantinis pepigerat, feriendo, Quæstor & sponsor, interfuerat. Quam ob caussam, sive Mancinianæ deditionis & ignominiæ contagium timens; sive quâcumque aliâ mente, rem ausus ingentem, à Senatu, qui MANCINVM damnaverat; atque à bonis, descivit; totumque se populari auræ dedit.

Igitur Trib. pleb. factus, toti Italię civitatem pollicetur. & promulgatis simul Agrarijs legibus, quæ omnium statum concuterent; summa imis permiscet; & in anceps periculum temp. adducit.

LEX AGRARIA.

Lex ferebatur. „ *Ne quis ex agro publico plus D. iugera possideret*: „ *Quod superesset; id egentibus è populo divideretur.* Eodem iure etiam essent ATTALI, Pergameni regis, opes; qui nuper mortuus pop. Rom. heredem scripserat.

Ille postquam rogationis dies aderat, ingenti stipatus agmine, rostra conscendit. OCTAVIO Collegæ, pro bono publico stanti, & legibus suis intercedenti, manum inijcit; & imperium abrogat.

III. Viros agris dividundis, colonisque deducendis, creavit, se, socerumque suum Consularem APPIVM; & C. GRACCHVM fratrem, admodùm iuvenem.

Hàc indignitate licet graviter moveretur Senatus; & P. MVTIVS Cos. primùm in Curiâ; deinde pro rostris adversùs GRACCHVM declamaret; & tota nobilitas obstreperet: ad perpetranda tamen cœpta, eodem Comitiorum die, imperium ipse sibi prorogari volebat.

Quod quùm summo reip. exitio futurum esse Optimates iudicarent; neque satis animi in Consule ad depellendum esset: tum P. SCIPIO NASICA, privatus & togatus, quùm esset consobrinus TI. GRACCHI; patriam, cognationi præferens; circumdatâ lævo bracchio togæ laciniâ, ex superiore parte Capitolij, summis gradibus insistens, hortatus est; *Qui salvam remp. vellent; se sequerentur.*

Eo duce Optimates, & intacta perniciosis consilijs

filijs plebes in GRACCHVM, qui cum cateruis suis in area stabat, & totius pæne Italiæ frequentiam conciebat; certatim irruere.

Is fugiens; & quùm clienteis ad suæ salutis defensionem hortaretur, caput tangens; visus est nobilitati præbere speciem, regnum sibi & diadema poscentis.

Sed dum clivo Capitolino in forum decurrit; fragmine subsellij ictus, & in flumen proiectus est. Idque à LVCRETIO Ædili, qui inde VESPILLO dictus.

Hoc initium in urbe Româ civilis sanguinis: Inde ius vi obrutum. discordiæque civium, anteà conditionibus sanari solitæ, ferro dijudicatæ.

SEDITIOSI IN SICILIA SERVI OPPRESSI.

Hoc eodem anno, L. PISO Cos. in Siciliâ bellum cum fugitivis gessit; & Mamertium opido expugnato, ad XIX. fugitivorum M. interfecit; & quos capere potuit, patibulo adfixit. Quorum verò operâ præcipuâ usus fuerat, donis prosecutus est. & inter eos, filium suum, locis aliquot fortissimè prœliatum, trilibri coronâ aureâ donavit.

Italia pari peste vexata: Minturnis CCCCL. servi in crucem acti: Sinuessæ ad XIX. M. oppressi.

ATTALI REGIS INSANIA. POPVLVS ROMANVS EIVS HERES.

In Asiâ verò, rex ATTALVS, florentissimum, & ab EVMENE patruo acceptum regnum, cædibus amicorum, & cognatorum supplicijs diu fœdârat. Nunc matrem anum; nunc BERENICEN sponsam, maleficijs eorum necatas confingens.

Post hanc scelestam violentiæ rabiem; veste & barbâ capillisque, reorum in morem, summissis, squalens; nullumque sani hominis signum præferens; Mânibus interfectorum pœnas pendere videbatur.

Omissâ deinde regni administratione, hortos fodere, gramina serere, & noxia innoxijs permiscere: eaque omnia veneni succo infecta, velut peculiare munus, amicis mittere.

Et post alia vilium artium oblectamenta, matri sepulcrum facere instituens, eique operi intentus; morbum ex solis ardore contraxit, & septimâ die decessit.

Luculentam eius hereditatem, pop. Rom. ex testamento heres scriptus, crevit & adijt. *Hinc Attalica opes.*

NVMANTINORVM DESPERATIO, ET VRBIS EXSCIDIVM.

Numantini intereà undique fossis, loricis, & aggeribus, & exercitu sexagies mille hominum, quadrifariam per castra diviso, undique circumvallati; dedere quidem sese volebant, si toleranda viris imperarentur. Sed quùm Rom. Imperator, veram, & sine exceptione vellet deditionem; eò necessitatum compulsi sunt primùm, ut destinatâ morte in prœlium ruerent; postquam sese potu & epulis, quasi inferijs, exsatiâssent, carnis semicrudæ, & Celiæ. (sic vocant indigenæ, ex frumento potionem.)

Eoque intellecto, quùm pugna morituris non esset permissa; prœlium ab duce orant, ut tamquam viros occideret; & ipsi, vel citâ morte, vel victoriâ lætâ fruerentur.

Quùm SCIPIO pugnam detrectaret; & miles Romanus quereretur; *Mater*, respondit ille, *Imperatorem me, non bellatorem genuit.*

Tandem obsessis placuit eruptio. & sic consertâ manu plurimi ex Romanis occisi: & famê intùs urguente, aliquantisper inde vixére.

Neque satis fuit SCIPIONI urbem duplici muro cinxisse; nisi & fluvium Duriam prœaltis sudibus, atque ensibus interiectis munirent, ne quid commeatûs, aut auxilij importari, neve quis enatare posset. Sic ad summam inediam adacti, ut nec herbis, nec corijs, nec cadaveribus parcerent.

Quùm novissimè consilium subitariæ ex urbe fugæ cepissent: & hoc quoque, ruptis equorum cingulis, uxores, *summo per amorem scelere*, ademissent; exitu undequaque deplorato, in ultimam rabiem furoremque conversi, hoc postremum genere mori obstinárunt.

Quùm pauci, missis legatis, se suaque SCIPIONI dedidissent; maxima pars duces suos, seque, patriamque veneno, subiectoque undique igne, aut mutuis gladijs, *perire, quàm capi* maluérunt.

Qui in victoris manus venerunt; alij sub coronâ venditi; alij triumpho reservati.

Ad obsessorum contumaciam, accesserat *acerbum semper SCIPIONIS in victos ingenium*. Ipse intra annum, & treis menseis, quàm in Hispaniam venerat, Numantiam excidit, & solo æquavit.

Eâ urbe deletâ, reliquam regionem in fidem accepit. Quæ defecerant, partim vi, partim deditione in potestatem suam redegit; reliquis tributa imposuit.

3824. 16. Ptol. Ev. 8. An. Sed. Ab V. C. 622. Olymp. 161. 4. Io. Hyr. 5.	*Consulibus P. POPILIO LÆNATE, & P. RVPILIO NEPOTE S. C. factum in eos, qui TI. GRACCHVM secuti essent: & quæstione habitâ, multi damnati.*	126.

SICILIA SERVILI BELLO LIBERATA,

Quùm RVPILIVS ad bellum servile in Siciliam profectus, PISONI successisset; Taurominium & Ennam, fugitivorum firmissima, (qui altero duce

Cleone insurrexerant) præsidia bello recepit. Ibique amplius xx. servorum M. fame, quasi pestilentia, consumti, aut trucidati. Cos. Q. Fabivm generum suum, quòd negligentiâ Tauromimtanam arcê amisisset; provincia excedere iussit. Ipse nihilo minus publicanis operam dedit; & ultimam inopiam suam, auctorato socijs officio, sustentavit. (Cic. 3. Verrina: *Ex publicano Consulem factum* esse, ait.) Siculis acerbissimo prædonum ac fugitivorum bello liberatis, ex decem legatorum sententiâ, leges præscripsit; & provinciam ordinavit. Idem postea Procos. sive Pretor, de servis ita debellatis, ovatione contentus fuit; ne dignitatem triumphi servili inscriptione violaret.

TRIUMPHI EX CALLÆCIS ET NUMANTINIS.

Eodem anno Dec. Brutus, qui Cons. & Procons. res prosperè in Lusitania & Gallæciâ, per triennium gesserat; & Callæci nomen tulerat; de ijsdem populis triumphum egit.

Et P. Scipio Africanus de Numantinis triumphavit, XIV. anno pòst, quàm priorem triumphum de Africâ, sive excisâ Carthagine, egerat. Numantini cognomen ex eâ victoria invenit. (Flor. l. 2. ait, triumphum de nomine tantùm fuisse; quòd unus vir Numantinus non fuisset, qui in catenis duceretur. præda ut de pauperibus nulla; & arma promiscuè cremata.)

3825. 17. Pt. Ev. 9. Ant. Sed. Ab V. C. 623. Olymp. 162. Io. Hyrc. 6.	*Coss. P. LICINIUS CRASSUS MUCIANUS (Hic Dives dictus, SCÆVOLÆ frater, ex gente Muciâ, in Crassorum familiam adoptatus. Idem ditissimus, nobilissimus, eloquentissimus Græca linguæ doctissimus, Iurisconsultissimus, & Pont. Maximus) Et L. VALERIUS FLACCUS, Flamen Martialis.*	125.

Lustrum LIX. conditum à Censoribus, Q. Metello Macedonico, & Q. Pompeio, inter se inimicissimis. utroque ex plebe; qui x. antè annis Consulatus gesserant. Censa feruntur CCCLXIIX. capitum M. DCCCXXXII. præter pupillos & viduas.

Is Q. Metellus censuerat; ut omnes cogerentur ducere uxores, liberorum procreandi causâ. Eiusdem orationem, longè pòst, Augustus Cæsar, quùm de *maritandis ordinibus* ageret, velut in ea tempora scriptam, in Senatu recitavit.

C. Atinius Labeo Trib. pleb. eumdem Metellum, à quo in Senatu legendo præteritus fuerat, de saxo deijci iusserat. quod ne fieret, cæteri collegæ intercessêre.

BELLUM CUM ARISTONICO.

Attalus, Eumenis F. (al. ex fratre Nepos) sive Aristonici fratris, ex pellice Ephesiâ nati odio; sive Romani nominis studio, pop. Romanum heredem moriens scripserat. Id iniquè ferens Aristonicus (Vell. mentitus regiæ stirpis originem) partim promissis, partim vi urbeis regibus parêre solitas, solicitat, aut capit: & bonam regni partem sibi adiungit.

CRASSI PONTIFICIS PERNICIOSA AVARITIA.

Ad hoc bellum mitti opidò cupiebant ambo Consules. Sed Crassus Pontifex Max. quùm esset, Collegę, Martiali Flamini, multam si à sacris & urbe abscedat, interminatur. In Asiam itaque Pontifex (quod numquam anteà factum) extra Italiam profectus; & prædæ Attalicę congerendæ, quàm bello gerendo intentior; quum extremo anni tempore, inordinatâ acie, prœlium ad Leucas commisisset (licet ei Nicomedes Bithyniæ, Ariarathes Cappadociæ, Mithridates Ponti, & Pylæmenes Paphlagoniæ reges adessent) victus & captus, pœnas inconsultæ avaritiæ sanguine dedit.

Sed ille in carcere memor, & familiæ, & Romani nominis, custodem sui barbarum virgulâ excæcat, & in exitium sui, quod volebat ita concitat. Caput interfecti, Aristonico oblatum, unà cum corpore, Smyrnæ sepultum est. (Strab. lib. 14. addit; Aristonicum initiò, navali prœlio ad Cumæam ab Ephesijs superatum, in Mediterraneam regionem recessisse; ibique vocatis ad libertatem servis, maximum exercitum comparâsse: & primùm Thyatira, deinde Apolloniadem occupâsse. civitates alias, cum regibus, auxilia Romanis submisisse.)

3826. 18. Ptol. Euerg. Interr. in Syriâ. Ab V. C. 624. Io. Hyrc. 7.	*Consules, M. PERPENNA (al. PERPERNA) NEPOS, (qui Consul antè, quàm civis fuit) & C. CLAUDIUS PULCER.*	124.

His Consulibus, quùm Carbo Trib. pleb. rogationem tulisset, ut eumdem Tribunum pleb. quoties vellet, creari liceret; rogationem eius P. Africanus gravissimâ oratione diffuasit. In quâ dixit; Ti. Gracchum iure cęsum videri. Et quamvis Gracchus, frater, contrà, rogationem suaderet; Scipio tamen pro tempore obtinuit.

Perperna Cos. Crasso in Asiam successit; & Aristonico acie victo captoque bellum confecit. quâ de re infrà.

PTOTEMÆI REGIS BARBARA CRUDELITAS.

Ptolemæus, Ægypti rex, quem adulatores

Ευεργέτην & Φιλόλογον appellárant; & populus κακεργέτην & Φύσκωνα, à morum pravitate, & corporis turpitudine, & ventris sagina; quà non homini, sed belluæ similis erat, palam traducebat; quùm & peregrinis, quos edicto in urbem, civibus profugis vacuam, sollicitárat; nihilo æquiot, quàm civibus; & ob id invisus esset; incensâ à populo regiâ, cum filio, quem ex sorore susceperat; & cum novâ uxore, matris pellice, metu insidiarum, clàm in Cyprum, tamquam exsilium, proficiscitur: contractoque ex mercenarijs exercitu, bellum sorori pariter ac patriæ inferre molitur.

CLEOPATRA quippe, quam filiâ eius per vim stupratâ, & in matrimonium adscitâ, aliquantò antè repudiárat; populus deturbatis PHYSCONIS statuis, regnum restituerat. Et ipse maximum filium, à Cyrenis arcessitum, ne cum Alexandrini contra se regem crearent, interfecerat.

Nunc verò novâ, scilicet, iniuriâ irritatus, quì detractas sibi Imagines studio sororis existimaret; filium etiam, quem ex eâ susceperat, secumque abduxerat, interfecit: corpusque in membra divisum, & in cistâ compositum, matri die natalis eius, inter epulas offerri curavit.

Quæ immanitas non reginæ tantùm, verum universæ etiam civitati acerba & luctuosa fuit. Verso itaque principum studio, ab epulis ad exsequias, membra lacera populo ostendunt; & quid de rege suo sperare debeant, filij cæde demonstrant. CLEOPATRA finito orbitatis luctu, quùm urgeri se fraterno bello videret; auxilium à DEMETRIO NICATORE rege Syriæ, qui in Parthis tum agebat, per legatos depoposcit.

3827. Pt. Ev. 19. Interr. in Syr. Ab V. C. 625. Io. Hyrc. 8.	*Hic annus Consules habuit M. AQUILIUM NEPOTEM, & C. SEMPRONIUM TUDITANUM.*	123.

Sub quibus C. GRACCHUS, Triumvir, nihil TIBERII fratris, quadriennio antè occisi, morte deterritus; novas super agrorum divisione turbas excitare cœpit, collegis, C. CARBONE & FULVIO FLACCO, in partem adiuvantibus.

SCIPIONIS AFRICANI EXITUS.

Quibus quùm P. SCIPIO AFRICANUS, sive patriæ amore; sive quid simultatis suberat; constanter, an animosè! adversaretur: & fortè commotior à CARBONE interrogatus; Quid de TIB. GRACCHI cæde sentiret: respondisset; Si is occupandæ reip. animum habuisset, iure cæsum videri. Et concione acclamante, subiecisset: *Hostium armatorum toties clamore non territus; qui possim vestro moveri, quorum noverca est Italia.*

Atque inde vegetus tamen, ac corpore valens, pridie domum se recepisset; postridie mortuus in cubiculo inventus est. Suspecta fuit, tanquam venenum ei dedisset, SEMPRONIA uxor, Gracchorum soror. De morte tamen eius quæstio nulla habita. Factum id post Novendialeis ferias, quùm gemini soles in cœlo conspecti fuissent. (Sol geminatus, inquit CICERO, quo quidem anno P. AFRICANUS, sol alter, extinctus est. Alijs, cœlo illatus.)

Eo defuncto, seditiones Triumvirales acriùs exarserunt. (Velleius addit; qualdam elisarum faucium, in SCIPIONIS demortui cervice notas esse repertas.)

METELLUS MACEDONICUS, qui graveis antè inimicitias cum SCIPIONE exercuerat, ubi interemptum conclamari audivit; in publicum se proripuit: mæstoque vultu, *Concurrite*, inquit, *cives, mœnia urbis nostræ eversa sunt.* Et liberis dixit; *Ite, filij, celebrate exsequias. numquam civis maioris funus videbitis.*

ARISTONICUS VICTUS ET CAPTUS.

CRASSO, uti dictum, in ASIAM PERPENNA Consul; PERPENNÆ M. AQUILIUS successit. PERPENNA auditâ morte CRASSI, & clade exercitûs Romani; raptim in Asiam pervolárat. & ARISTONICUM, recenti victoriâ furentem, improviso bello adortus, nudatum omnibus copijs in fugã verterat. Quumque Stratonicen urbem, ad quam ille confugerat, obsidione cinxisset; enectum fame ad deditionem coëgit, & in suam potestatem redegit: Attalicasque gazas, hereditarias populi Romani, navibus impositas, Romam deportavit.

Id ægrè ferens successor eius M. AQUILIUS, ad eripiendum Perpennę Aristonicum, perinde ac sui potius triumphi munus esse deberet; festinatâ velocitate contendit. Sed contentionem Consulum, mors Perpennæ, qui morbo correptus apud Pergamum diem obierat, diremit.

Aristonicus verò Romam perductus, in carcere mortuus est: aut, ut alij tradunt, iussu Senatus strangulatus.

AQUILIUS Asiatici belli reliquias confecisse traditur, mixtis veneno fontibus, ad deditionem quarumdam urbium. Quæ res ut maturam, ita infamem fecit victoriam. & contra fas Deûm, moresque maiorum medicaminibus impuris, in id tempus sacrosancta, Romanę integritatis arma violavit. AQUILIUS nihilominus serò, (& pænè triennio pòst) triumphavit: vel in provincia constituendâ, cum decem legatis, occupatus: uel inimicorum, à quibus pòst etiam accusatus est, invidiâ impeditus.

ASIÆ PROVINCIÆ ROMANIS DEDITÆ.

Eâdem belli occasione Lydiam etiam, antiquam regnorum sedem; Cariam, Hellespontum ac Phrygiam utramque, in potestatem pop Rom. deditione venisse

venisse, proditum est. Phrygiam verò ab AQVILIO, MITHRIDATI, regi Pontico, pecuniâ acceptâ concessam; ipsumque eo nomine Romæ postulatum; & Senatum Phrygiam liberam esse iussisse, tradit Appian.

Sic Asia Romanorum facta, cum opibus suis, vitia quoque Romam transmisisse censeatur.

PHOCENSES VENIA DIGNATI.

Capto ARISTONICO, Massilienses pro Phocensibus, conditoribus suis (quorum urbem Senatus, & omne nomen; quod & tunc, & anteà ANTIOCHI bello infesta contra pop. Rom. arma tulerant; deleri iusserat) legatos Romam deprecatum misere, veniamque ijs à Senatu obtinuere.

PRÆMIA FIDIS SOCIIS PERSOLVTA.

REGINA MATER VENEFICA.

Post hæc Regibus, qui adversus ARISTONICVM arma tulerant; præmia persoluta. MITHRIDATI Pontico, Phrygia maior: filijs ARIARATHIS, regis Cappadocum, qui eodem bello occiderat, Lycaonia & Cilicia datæ. Fideliorque populus Romanus in socij filios, quàm mater in liberos fuit. quippe hinc parvulis auctum regnum, inde vita adempta. LAODICE namque ex numero sex filiorum, quos virilis sexûs ex ARIARATHE rege susceperat; timens ne non diutinam regni administrationē, adultis eorum quibusdam, potiretur; quinque parricidiali veneno necavit. Vnum parvulum sceleri matris cognatorum custodia eripuit: qui post LAODICES, à populo exstinctæ, necem, solus regno potitus est. MITHRIDATES quoque repentinâ morte interceptus, filium cognominem reliquit; qui bella memorabilia posteà cum Romanis per XLVII. plus minus ann. variâ victoriâ gessit.

Eodem anno C. SEMPRONIVS TVDITANVS Cos. quùm vereretur, ne iudex constitueretur litis, quæ plebi cum patribus de agrorum divisione erat; in Illyricum, provinciam, profectus; Iapides, qui intra Alpeis incolunt, bello adgressus, priùs rem malè gessit: mox victoriâ cladem acceptam emendavit, virtute D. IVNII BRVTI, eius qui Lusitaniam subegerat. (Plin. l. 3. Istros etiam domuisse scribit.)

ANTIOCHI SIDETÆ IN PARTHOS EXPEDITIO, COMITE HYRCANO.

ANTIOCHVS autem SIDETES, quùm sciret Parthos, Syriæ regnum adfectare; & DEMETRIO, æmulo fratre, quem captivum tenebant; uti adversùm se, pro re natâ, constituisse; occupandum bellum ratus, exercitum, quem multis finitimorum bellis induraverat, adversùs eos ducit. Sed luxuriæ non minor adparatus, quàm militiæ fuit. Quippe LXXX. armatorum millia, tercenties mille lixæ coqui, & scenici, secuti sunt. milites auro argentoque exornati; & paria culinarum instrumenta. prorsus quasi ad epulas, non ad bella pergerent.

Erat in eius comitatu, Parthicæ expeditionis socius, HYRCANVS, Iudæorum Pontifex, magnâ cum popularium manu. Accidit autem, ut eo in itinere, Pentecoste post sabbathum fortè incideret; quo tempore iter facere, ex patrio Iudæorum ritu, nefas ducitur. ANTIOCHVS itaque nequid impedimenti obijceretur, quo minus Iudæi sua festa otio, & quiete solenni concelebrarent; erecto ad Lycum fluv. ubi INDATEM Parthorum ducem profligaverat, tropæo, totum exercitum biduo consistere iussit.

Regi ulterius tendenti, multi Orientis reguli occurrére, tradentes se suaque regna, cum exsecratione superbiæ Parthicæ. Iamque tribus prœlijs victor Babyloniam occupaverat; quùm PHRAHATES, DEMETRIVM in Syriam, ad occupandum regnum, cum Parthico præsidio, mittit; ut eo pacto ANTIOCHVS ad sua tuenda à Parthię finibus revocaretur. & quoniam viribus non poterat, insidijs hostem ubique tentabat.

Quùm autem, propter hominum multitudinem, exercitum suum ANTIOCHVS per civitates in hiberna divisisset: & illæ tum necessariâ copiarum præbitione, tum militum iniurijs gravari se sentirent; ad Parthos iterùm deficiunt: & die statutâ, omnes, apud se divisum exercitum, per insidias, ne alteri alteris auxilia ferre possent; adgrediuntur. Quo nuntiato ANTIOCHVS, auxilium & remedium proximis laturus; & cum ijs, quæ secum hiemabant, copijs progressus, obvium habuit ARSACEM, regem Parthorum. adversus quem fortiùs, quàm exercitus eius, dimicavit. Ad postremum tamen à suis desertus, occiditur; exsequijs, regio more, à Partho hoste honestatus, quùm novem aut decem circiter annos, post TRYPHONIS necem, regnâsset.

ARSACES præterea DEMETRII filiam, quàm secum ANTIOCHVS adduxerat, captus amore virginis, uxorem duxit. Eumque deinde dimissi à se in regnum DEMETRII pœnitere cæpit. Quùmque ad eumdem retrahendum turmas equitum festinatò misisset; DEMETRIVM, id ipsum metuentem, iam in regno, missi, invenérunt: frustraque omnia conati, ad regem suum reversi sunt.

DEMETRIVS NICATOR, iterùm regnat.

DEMETRIVS in regnum restitutus, quantumvis omnis Syria in luctu, propter amissum exercitum, esset; quasi Parthica ipsius, ac fratris, bella, quibus alter captus; alter occisus erat, prosperè cessissent; ita Ægypto bellum inferre statuit; CLEOPATRA, PT. EPIPHANIS Filia, socru, opem eius implorante; & regnum Ægypti, pretium adlati adversùs fratrem suum auxilij, ultrò pollicente.

Hoc

3828. Pt. Ev.20. Dem. iter.1. Ab V.C. 626. Io. Hyrc. 9. — 122.

Hoc an. CN. OCTAVIVS NEPOS, & T. ANNIVS LVSCVS, Coss. produntur. Res ab & sub ijs gestæ, latent; inopiâ scriptorum, qui interciderint.

Annus consequens Consules habuit, L. CASSIVM LONGINVM, qui triennio pòst Censor: & L. CORNELIVM CINNAM, L. CORNELII CINNÆ patrem, qui posteà Consul quater fuit.

RES AB HYRCANO GESTÆ.

Dum Syri auditâ ANTIOCHI morte turbantur, & intestinis seditionibus laborant; HYRCANVS eam rei benè gerendæ occasionem nactus, Medabam sexto obsidionis mense vi cepit: deinde Samegam cum opidis vicinis. Et Sichemo occupato, Templum Garizimitanum evertit, cum gente Chuthæorum, eius Templi accolâ; cc. penè annis pòst quàm id exstructum fuerat.

Idem Idumæos, urbibus Doreo & Marissâ excisis, perdomitos, ad suscipiendam circumcisionem, aliosque patriæ Iudæorum religionis ritus, metu exsilij, adegit. Atque ita deinceps illi Iudæis accensi, parique iure habiti sunt.

3830. Ptol. Ev.21. Dem. it. 3. Ab V.C.628. Io. Hyrc. 11. — 120.

MAM. AIMILIO LEPIDO, collega in Cōsulatu datus fuerat C. POPILIVS II. absens. sed sive morte, sive quâvis aliâ occasione impeditus, videtur non inijsse magistratū: verùm eius loco L. AVRELIVS ORESTES substitutus: & quidem post Kalendas Martias. ut huius anni sæculum duo Consulum paria viderit: LONGINVM scilicet & CINNAM Kal. Ianuarijs; & hosce, quos nominavi, novos. Huic enim anno, Ludorum Terentinorum, sive Quindecimviralium (hoc est, eorum, qui post annos decem & centum recurrunt) Quarti conveniunt. qui est V. C. 628. Varronianus, aut 627. Catonianus.

Eorum ludorum hæc series fuit: Vt

Primi inciderint in an. V.C.297. al.298.

Alteri in ann. 407. al. 408.

Tertij, in ann.517. al 518.

Quarti, in hunc an.628. al. 627.

Ex Consulibus, L. AVRELIO ORESTI Sardinia obtigerat: & is rebellanteis Sardos subegit. C. GRACCHVS eidem Quæstor fuit per triennium; cumque Cos. Romam decedens, in provinciâ reliquit.

LEGATIO HYRCANI ROMAM.

HYRCANVS Pontifex, renovandæ cum Romanis amicitię cupidus, legatos ad Senatum misit, SIMONEM DOSITHEI, APOLLONIVM ALEXANDRI, & DIODORVM IASONIS, FFF. primæ notę homines. Qui inter cætera societatis capita, contendebant; ,, *Vt Ioppe cum portu, Gazara cum fontibus, reliquæq; urbes, quas præter Senatûs decretum ANTIOCHVS sibi ademisset, restituerentur.* ,, *Neve militibus regijs per ipsorum, aut clientium suorum regiones iter facere liceret.* ,, *Vtque legati à Senatu missi, quidquid ANTIOCHVS per vim abstulisset, reddendum curarent; & agrorum, qui eo bello devastati essent, pretium æstimarent.* ,, *Litteræ legatis ad reges, populosq; liberos darentur; quò tutiùs in patriam reverti possint.*

Legati omnibus, quæ volebant, impetratis, à Senatu honorificè expediti, & publico sumtu domum remissi sunt.

SYRI A DEMETRIO DEFICIVNT.

DEMETRIVS bellum quidem HYRCANO, obvetus in fratrem ANTIOCHVM studium, inferre cupiebat; sed alijs domi incommodis distentus est. Dumque Ægypti invadendæ, & socrûs ex eo regno deturbandæ consilia agitat, & aliena adsectat; (ut fieri amat) propria, per Syriæ defectionem, amisit.

Siquidem Antiochenses, & reliqui Syri, inveterato in eum odio, concitati, & novam ex Parthicâ consuetudine superbiam exsecrati; ad PTOLEMÆVM EVERGETEN legatos mittunt, qui regem aliquem ex stirpe Seleucidarum postulent.

Ille bello ab eodem DEMETRIO petitus, quùm prætereà cognovisset CLEOPATRAM sororem, opibus Ægypti in naveis impositis, ad generum, filiamque in Syriam profugisse; immittit iuvenem quemdam Ægyptium, PROTARCHI negotiatoris filium, qui regnum Syrię armis, & præsenti populorum defectione, peteret.

Et compositâ fabulâ, quasi ille, per adoptionem ANTIOCHI regis, receptus in familiam regiam esset: Nec Syris quemlibet regem adspernantibus, modò ne DEMETRII paterentur superbiam; Nomen Iuveni ALEXANDRI imponitur. cui mox ingentia ab Ægypto auxilia mittuntur. (Is ZEBINA, seu ZEBENNA, cognomine dictus est.)

ALEXANDER ZEBINA SYRIÆ REX XVII.

Accidit intereà, ut ANTIOCHI interfecti corpus à rege Parthorum in loculo argenteo ad sepulturam in Syriam remissum perveniret. Quod cum ingenti studio civitatum, & novi regis ALEXANDRI, ad sir-

ad firmandam fabulæ fidem, exceptum est. Eaque res illi magnum favorem popularium conciliavit; omnibus non fictas in eo, sed veras lacrymas existimantibus.

DEMETRIVS prœlio commisso victus ab ALEXANDRO, quùm undique circumstantibus malis premeretur; & è pugnâ refugiens Ptolemaidem, ab uxore CLEOPATRA excluderetur, & à filijs ipsis desereretur; relictusque cum paucis servulis, Tyrum, *religione Templi* se defensurus, petisset; navi egrediens, & captus, & diu misereque vexatus, præfecti iussu interficitur. ALEXANDER regnum adeptus cum HYRCANO fedus fecit.

3831. Ptol. Euerg. 22. Alexand. Zeb. 1. Ab V.C. 629. Ioan. Hyrc. 12.	*Hoc anno Consules M. PLAVTIVS HYPSÆVS, & M. FVLVIVS FLACCVS.*	119.

Hic, quùm perniciosissimas reip. leges introduceret, de civitate Italis, quos ad id petendum excitârat, dandâ; & de provocatione ad populum, eorum, qui civitatem mutare voluissent: ægrè compulsus est, ut in Curiam veniret. Deinde partim monenti, partim oranti Senatui, ut incepto desisteret; responsum non dedit: & quùm in eâ sententiâ persisteret; à Senatu in expeditionem missus est.

LOCVSTARVM IN AFRICA LVES, ET INDE PESTILITAS.

His Consulibus, quùm ingens in Africâ locustarum agmen herbas & folia, & amaros etiam cortices adrosisset; ventus eas in mare dijecit. Et mare rursus fluctuans in Cyrenes & Numidiæ oram mortuas eiecit. quarum odore intolerabili, & mortifero vapore, gravis primò pestilentia pecori facta; & tanta deinde lues orta, ut ad DCCC. hominum M. eâ tabe consumpta prodantur. Haud procul Carthagine CC. & ad Vticæ littus XXX. Mill. Ex quibus M. D. uno die perijsse dicuntur.

CENSORIA SEVERITAS.

Iisdem Consulibus, Censores L. CASSIVS LONGINVS; & Cn. SERVILIVS CÆPIO, Aquam, quæ TEPVLA vocatur, ex agro Lucullano, (quem Tusculanum quidam credunt) Romam, & in Capitolium usque perducendam curârunt.

Eorundem severitas, in cæteris, Lepidum ÆMYLIVM Augurem, quod sex Millib. ædeis conduxisset, adesse iussit. Ipsi Lustrum LX. condidêrunt, quo censa sunt civium capita CCCXC. Mill. & DCCXXXVI.

BELLVM I. CVM GALLIS TRANSALPINIS.

Eodem tempore, primùm cum Gallis, trans Alpeis, dimicatum est. Eius belli, Salyes, sive Salvij, Galliæ, an Liguriæ? populi (fort. hodie Salnciani) auctores fuêre; qui Massiliam, sociam & fidam Romanis civitatem, excursionibus infestârant. Salybus accessêrunt Arverni, Rutheni, & Allobroges; qui Æduosque invaserant.

FVLVIVS FLACCVS Cos. primus omnium Alpeis transgressus, Ligures & Gallos aliquot prœlijs domuit, aut veriùs fregit, & intrà fineis suos compescuit. Bellum hoc Allobrogicum dictum est. quamquam ex eâdem gente posteà Q. FABIVS MAX. ÆMYLIANI F. Allobrogici nomen tulit.

CONIVRATIO LATINOR. REPRESSA.

Eodem anno ad Fregellas res bene gesta est, à L. OPIMIO præt. Fregellæ adversùs Romanos coniuraverant; FVLVIO fortè Consule Italicos populos in spem Romanæ civitatis tunc erigente. Illis per vim (al. Pullo Numitore proditore) captis, & excisis, OPIMIVS cæteros Latini nominis socios, malè animatos, repressisse visus est.

Eiusdem coniurationis, & Asculanæ defectionis, C. GRACCHVS socius fuisse putatur. OPIMIVS tamen de iisdem triumphandi potestatem à Senatu non impetravit. Neque id invidiâ Patrum conscriptor. sed summâ diligentiâ iuris observandi; quo cautum erat; ut pro aucto imperio, non pro reciperatis, quæ populi Romani fuissent, triumphus decerneretur.

3832. Ptol. Euerg. 23. Al. Zeb. 2. Ab V.C. 630. Ioan. Hyrc. 13.	*Consules C. CASSIVS LONGINVS, & C. SEXTIVS CALVINVS.*	118.

Hic, M. FVLVIO Cos. in Galliâ, successit, & Salvios funditùs delevit. & coloniam, Aquas Sextias, (ubi haud longè à Massilia Salyas devicerat) ab aquarum copiâ, & calidis ac frigidis fontibus, atque à nomine suo ita appellatas, condidit; & ex hibernis, novam mœnibus Vrbem execoluit.

3833. Ptol. Euerg. 24. Al. Zeb. 3. Ab V. C. 631. Ioan. Hyrc. 14.	*Consules* Q. CÆCILIVS METELLVS, & T. QVINCTIVS FLAMININVS.	117.

Ille maximus natu è quattuor filijs Macedonici; qui à devictis eo in honore Balearibus, Balearici cognomen tulit. Hoc demum tempore M. FVLVIVS FLACCVS de Liguribus, Vocuntijs, (quorum regio ad Allobrogas usque protendebatur) & de Salvijs triumphavit: & biennio post, in seditione C. GRACCHI, suæ factionis homines spolijs ijs, quæ Gallis Consul ademerat, in Senatum armavit.

BELLVM BALEARICVM.

Baleares (qui Gymnesias incolunt, & æstatem nudi exigunt: à teli missu, sive fundæ iactu, sic appellati: vel à Baleo, Herculis comite, ibi tunc relicto, quùm ille ad Geryonem in Hispaniam navigaret) quòd Piraticâ rabie maria corrumperent. (Strabo; pauci quidam improbi cum maris prædonibus conspiráßent) & rates inconditas adscendere, & prænavigantes subinde inopinato impetu terrere, ac vexare, soliti essent; à METELLO Cons. accusati simul, & invasi sunt.

Atque adeò quùm venientem ab alto Romanam classem prospexissent; prædam rati, & ausi occurrere; primo impetu ingenti lapidum saxorumque nimbo classem operuére. At postquàm cominùs ventum est; expertique rostra, & pila venientia; pecudum in morem effusi, sublato clamore, petiérunt fugâ litora; dilapsique in proximos tumulos, quærendi fuérunt, ut vincerentur. Idem METELLVS colonias ibidem condidisse proditur.

ALTERA GRACCHANA SEDITIO.

C. GRACCHVS, TIBERII antè decennium occisi frater, Tribunatum plebis consecutus; non tàm popularis auræ studio, quàm Senatûs odio, omnia moliebatur, quò plebeijs obsequeretur, & patricijs incommodaret.

Perniciosas leges tulit; & in cæteris Frumentariam, ut semisse & triente frumentum plebi daretur. Deinde alteram Agrariam, qualem frater eius tulerat. Tertiam Iudiciariam, ut à Senatoribus ad Equites Iudicia transferrentur: & sexcenti equites trecentis Senatoribus admiscerentur. (hoc est; ut Equester ordo bis tantum virium in Senatu iudicijsque haberet.)

(Plut. Equites non sexcentos, sed trecentos ait esse in Curiam sublectos; atque inter utrosque communicata iudicia, quæ anteà Senatorum tantùm propria fuerant. VARRO; sic Bicipitem civitatem, fecisse, civilium discordiarum fontem.)

CARTHAGO NOVA ROMM.
COLONIA.

Ille continuato in alterum annum Tribunatu, & legibus Agrarijs latis, effecit; ut complures coloniæ in Italiâ deducerentur: & una, in solo dirutæ Carthaginis, quò ipse Triumvir creatus coloniam deduxit; eamque primam extrà Italiam. Quod quidem maiores (quùm viderent tantò potentiorem Tyro Carthaginem; Massiliam Phocæâ, Syracusas Corintho; Cyzicum ac Byzantium, Mileto, genitali quamque solo; diligenter vitaverant; ut civeis Romanos, ad censendum, etiam ex provincijs in Italiam revocaverint.

3834. Ptol. Euerg. 25. Ab V. C. 632. Ioan. Hyrc. 15.	*Consules* Cn. DOMITIVS AHENOBARBVS, & C. FANNIVS STRABO.	116.

Hic, quantumvis à C. GRACCHO Consul, reiecto OPIMIO, factus esset; orationem de socijs & nomine Latino, contra GRACCHVM, reliquisse, à CICERONE proditur.

Ille Pater Cn. DOMITII, qui Censor fuit anno 661. & filius DOMITII eius, quem Cos. anno 591. fuisse, SVETON. Nerone, tradidit.

BELLVM ALLOBROGICVM.

His Coss. Lunæ trinæ apparuére; quos plerique soles nocturnos appellárunt. Cn. DOMITIVS Cos. an Procos.! contra Allobroges, eorumque socios Arvernos, ad opidum Vindalium (ubi Sulga Rhodano miscetur) feliciter pugnavit. Quibus belli inferendi caussa fuit; quod TEVTOMALIVM, Salviorum regem fugientem recepissent, & omni ope iuvissent; quodque Æduorum agros, sociorum pop. Rom. vastavissent. Vicit autem illos, maximè cum elephantorum novâ formâ, equi hostium, hostesque conterriti diffugissent. XX. ibi Allobrogum M. cæsa, & III. M. capta referuntur. Ipse Cos. victor elephanto per provinciam invectus est, turbâ militum, quasi inter triumphi solennia, prosequente.

BELLVM INTER ZEBINAM, ET GRYP.

ALEXANDER ZEBINA, occupato Syriæ regno, tumens successu rerum, spernere iam etiam ipsum PTOLEMÆVM, à quo fuerat in regnum subornatus; superbâ insolentiâ cæpit.

CLEOPATRA PTOLEMÆI soror, quæ ALEXANDRO EPIPHANI, DEMETRIO NICATORI, & ANTIOCHO SIDETÆ, nulli satisfida vicissim enupserat,

enupserat, quùm ex DEMETRIO filios duos peperisset, totidemque ex ANTIOCHO; huius quidem filios Cyzicum ablegaverat, illius verò filiorum alterum, SELEVCVM, quoniam sine matris auctoritate diadema sumsisset; interfecerat: Alterum, ANTIOCHVM, ab aduncitate, seu nasi magnitudine GRYPVM, hactenus regem constituerat; ut nomen regis penes filium, ius autem omnis imperij penes matrem esset.

PTOLEMÆVS, reconciliatâ sororis gratiâ, destruere ALEXANDRI regnum, quod, odio Demetrij, viribus suis adquisierat, summis opibus instituit. Mittit ingentia GRYPO auxilia, & simul filiam Tryphænam eidem nupturam: ut populos in auxilium Nepotis, non societate tantum belli, verum & adfinitate suâ solicitaret.

Nec res frustrà fuit: & defectio multarum civitatum ab Alexandro mox consecuta est. Fit deinde inter Reges prœlium: quo victus ille Antiochiam profugit. Ibi inops pecuniæ, quùm stipendia militibus deessent, è Templo Iovis solidum ex auro Victoriæ signum tolli iubet, facetis iocis sacrilegium circumscribens; *Victoriam commodatam sibi ab Iove*.

Paullo post, quùm & ipsius Iovis aureum simulacrum infiniti ponderis, tacitè iussisset avelli, deprehensusque in sacrilegio, concursu multitudinis esset in fugam versus; magnâ vi tempestatis oppressus, ac desertus à suis, à latronibus capitur; perductusque ad GRYPVM interficitur.

ANTIOCHVS GRYPVS, SYRIÆ REX, XIIX.

3835. Ptol. Euerg. 26. An. Gry. 1. Ab V. C. 633. Ioan. Hyrc. 26.	*Consules Q. FABIVS MAXIMVS, & L. OPIMIVS NEPOS. Ille PAVLLI ÆMILII NEPOS, & FABII ÆMILIANI filius fuit.*	115.

Ab altero, OPIMIO, Opimianum vinum, multis post ætatibus celebratum; quod eo anno omnis generis frugum bonitas, eaque cœli temperies fuisset, quam Cocturam vocant, solis opere. (Plin. l. 24. c. 4. ait, Duràsse ea adhuc vina c c. fermè annis, iam in speciem redacta mellis asperi.)

BELLVM CVM BITVITO ARVERNO, ET ALLOBROGIBVS.

FABIVS Cos. adversùs Allobrogas, & BITVITUM Arvernorum regem, commisso apud Isaram flumen prœlio, feliciter pugnavit. Cæsa ex hostibus ad cxx. Mill. Ipse Consul; alijs, imbecillus ex recenti vulnere tunc fuisse; alijs, febri quartanâ in acie liberatus esse, traditur.

BITVITVS, quòd sive à FABIO, sive à DOMITIO fraude potiùs, quàm bello captus fuisset; quùm ad satisfaciendum Senatui Romam profectus esset, Albæ in custodiâ datus est. quòd eum Senatus punire nollet; quia id contrà fidem erat: nec in Galliam remittere; quia contrà pacem videbatur.

VALERIVS, illum à DOMITIO captum scribit, ac Romæ custodiendum datum, lib. 9. Iratus, inquit, Domitius Bitvito, quod tum suam, tum Allobrogum etiam gentem, se in provinciâ morante, ad Q. Fabij, successoris sui, dextram confugere hortatus esset; per colloquij simulationem arcessitum, hospitioque acceptum, vinxit; ac Romam navi deportandum curavit. Senatus eius factum neque probare potuit, neque rescindere voluit. ne remissus in patriam Bitvitus bellum renovaret. Albam itaque relegatus est: Et decretum; præterea, ut CONGENTIATVS, eius filius, comprehensus Romam mitteretur.

Eum itaque & cum Domitio & cum Fabio pugnâsse, Strabo tradit: & bis in triumphum ductum, videtur significare FLORVS; Nihil, inquiens, tàm conspicuum in triumpho, quàm rex ipse bis visus (alij legunt, Bitvitus, al. Betultus) discoloribus in armis, argenteoque carpento, qualis pugnaverat.

Vtriusque victoriæ gaudium hinc existimari potest; quòd & Domitius, & Fabius, ipsis quibus dimicaverant locis, saxeas erexère turreis; & desupee exornata armis hostilibus tropæa fixère. Quùm hic mos insuitatus fuerit: & numquam pop. Rom. hostibus domitis suam victoriam exprobrârit.

NARBONENSIS PROVINCIA.

Hoc bello Narbonensis Gallia in provinciam redacta; atque ut quotannis in eam Romà prætores mitterentur, institutum.

Hoc est; uti CRITOGNATVS, Arvernus, apud Cæsarem, (libr. 7.) conqueritur; Finitima Gallia, in provinciam redacta, iure & legibus commutatis, securibus subiecta, perpetuâ premitur servitute.

Cæsar tamen, (lib. 1. de bell. Gall.) Arvernos & Ruthenos à FAB. MAXIMO superatos quidem fuisse: sed ijs popul. Rom. ignovisse; neque in provinciam redegisse, neque stipendium imposuisse, tradit. Ex hac nihilo minus victoriâ Fabius ille, Allobrox, sive Allobrogicus, appellatus est.

GRACCHI LEGES, ET INDE TVRBÆ ET CÆDES.

Iisdem Coss. C. SEMPRONIVS GRACCHVS occisus est. quùm per biennium Trib. pl. legibus seditiosis latis remp. perturbâsset. Quæ fuerunt;

„Vt cui abrogatus magistratus fuisset; ei iterùm capere magistratum non liceret.

„Vt qui indictâ caussâ in civem Rom. animadvertisset; de eo populus iudicaret. (Qua lex pracipuè in P. POPILIVM, LÆNATEM, ferebatur; de quo tulerat, ut aqua & igni interduceretur.)

„Vt agri publici tenuioribus dividerentur.

„Vt vestes gratuitò militibus darentur.

„Vt ne quis minor XVII. annis ad militiam cogeretur.

„Vt socijs Latinis suffragium, aquè ac civibus Rom. daretur, (aliaq́, de quibus suprà, constituerentur.)

„Vt via dirigerentur, sternerentur; & lapidibus stadia significantibus distinguerentur; pontibusq́, ornarentur.

„Vt Colonia, Capua & Tarentum, in Italiâ deducerentur.

Quibus legibus offensus Senatus, M. LIVIVM DRVSVM, GRACCHI collegam, impulit; ut colligendæ popularis benivolentiæ caussâ, leges alias & ipse ad populum ferret. Vnam de XII. colonijs deducendis: alteram; *Ne quis Latinorum in castris virgis cæderetur.*

Quùm autem RVBRIVS, alter GRACCHI collega, legem de Carthagine coloniâ in Africam deducenda pertulisset; GRACCHVS ipse III. Vir eò profectus est. Et hæc quidem priore biennio acta.

Hoc autem anno, quùm L. OPIMIVS Cos. vel, eo instigante, MINVTIVS RVFVS Trib. pl. leges Gracchi, qui iam Tribunatu abierat, abrogaturus; & Carthaginem coloniam aliò translaturus esset; occupatur ab utrâque parte Capitolium, (Gracchanæ familiæ fatale.)

Ibi Atilio, ministro Opimij Cos. à Gracchanis in turbâ occiso, eo die, tempestatis caussâ, nihil est perfectum. Postero verò die Senatus à Consule vocatus, & ministri publici cæde offensus; mandat Opimio; *Vt videat, ne quid detrimenti resp. capiat.*

Ita Opimius postridie armato Senatu, & equitibus, in forum descendit. GRACCHVS, & FVLVIVS FLACCVS, antè quinquennium Consul & triumphalis, (quem æquè prava cupientem, C. GRACCHVS in locum TIB. fratris, III. Virum nominaverat, & socium regalis adsumserat potentiæ) Capitolio deturbati, cum suis Aventinum obtinebant.

Quùm de pacis conditionibus frustrà per Fulvij filium (iuvenem specie excellentem; qui paternorum delictorum immunis, necdum XIIX. transgressus erat annum) legatum, actum esset; FVLVIVS, Pater, Aventino pulsus, unà cum maiore filio interfectus est. OPIMIVS capitis, non dico Gracchi, sed civis Roman. pretium se daturum, idque auro repensurum, minus civiliter proposuerat.

Ità GRACCHVS, cæso FVLVIO, profugiens, quùm iam pænè ab Opimianis comprehenderetur. cervicem EVPORO servo præbuit. Qui non segniùs se ipse interemit, quàm hero succurrerat.

Nec minor Pomponij equitis in Gracchum fidea; qui, more COCLITIS, sustentatis in ponte hostibus, eius gladio se transfixit. Vt Tiberij fratris anteà; ità Caij, cadaver in Tiberim, cum insultatione, deiectum est. Et hæc viuâ adhuc matre CORNELIA, AFRICANI filiâ.

Quùm Fulvij minorem filium, qui legatus fuerat pacis faciendæ, haruspex Tuscus, HERENNIVS Siculus, flentem in vincula duci, iussu Opimij, vidisset; Quin tu hoc potius, inquit, facis? & protinùs inliso in lapideum carceris postem capite, effusoq́ue cerebro exspiravit. Crudelesq́ue mòx quæstiones in amicos clienteisq́ue Gracchorum habitæ.

VLTIONIS STVDIVM, ODIOSVM.

Factum Opimij, quòd inimicitiarum quæsita erat ultio, minor secuta gratia & auctoritas: & visa privato odio magis, quàm publicæ vindictæ, data. Illumq́ue, virum alioqui sanctum & gravem, damnatum posteà iudicio publico, memoriâ ipsius sævitiæ, nulla civilis persecuta est misericordia.

Eadem RVTILIVM POPILIVMQVE, qui Consules asperrimè in Tib. GRACCHI amicos sævierant; publicorum posteà iudiciorum meritò oppressit invidia. Lustratâ nihilo minus civitate, Concordiæ Templum constructum est.

Hac cruenta concordia multas in posterum peperit discordias.

3836. Ptol. Euerg. 27. An. Gryp. 2. Ab V.C.634. Ioan. Hyrc. 17.	*Consules* P. MANILIVS NEPOS, & C. PAPIRIVS CARBO.	114.

Hic III. Vir agris dividundis à C. Graccho designatus, & priùs plebis parteis secutus; pòst ad optimates se contulit. Caussam Opimij ad populum defendebat; nihil de C. Gracchi cæde negabat; sed id iure pro salute patriæ factum dicebat. Itaq́ue OPIMIVS accusatus ad populum à Q. DECIO Trib. pl. quòd indemnatos civeis in carcerem conieeisset; absolutus est.

Lustrum LXI. à Q. METELLO BALEARICO & L. PISONE FRVGI Censoribus, conditum putatur. Alij, pro PISONE Q. SERVILIVM CÆPIONEM, qui Cos. fuit anno V. C. 614. substituunt.

CLEOPATRA VENEFICA.

CLEOPATRA, GRYPI mater, postquam ZEBINA submoto, PTOLEMÆI PHYSCONIS adfinitate se subnixam vidit; quæ cupiditate dominationis maritum DEMETRIVM prodiderat, & alterum filium interfecerat; GRYPI quoque victoriâ, inferiorem dignitatem suam factam dolens, venienti ab exercitatione, poculum veneni obtulit.

Filius,

Filius præcognitis antè insidijs, veluti pietate cum matre certaret; bibere ipsam iubet: abnuenti instat. Postremùm prolato indice eam arguit: solam defensionem sceleris superesse adfirmans; si bibat, quod filio propinârit. Sic victa regina scelere in se verso, veneno, quod alij patarat, exstinguitur.

Partâ igitur regni securitate, GRYPVS octo annis quietem & ipse habuit, & regno præfuit.

3837. Ptol. Euerg. 28. An. Gry. 3. Ab V. C. 635. Ioan. Hyrc. 18.	*Consules C. CÆCILIVS METELLVS, (CALVI, qui anno Vrb. C. 612. Consul fuit, & frater Macedonici; Filius. Idem post, Censor & Pont. Maximus factus) & L. AVRELIVS COTTA. (in cuius iam Consularis locum, C. CÆSAREM, Flaminem Dialem post esse factum, tradit VELLEIVS.)*	113.

MARII INITIA.

C. MARIVS, tunc Trib. Pl. METELLVM Consulem in carcerem coniecit, teste PLVTARC. Atque ità MARIVS, homo novus, istis auspicijs sex Consulatus adeptus est. quùm iam plebeiorum Romæ factio ferrea; Patriciorum lutea esse cœpisset. (Ex Daniel. vaticinio, cap. 2.)

3838. Ptol. Euerg. 29. An. Gry. 4. Ab V. C. 636. Ioan. Hyrc. 19.	*Consules M. PORCIVS CATO, & Q. MARCIVS Rex Ille M. filius; & Nepos eius, qui anno Vrb. Cond. 559. Consul fuit.*	112.

Is quùm ob motus aliquos Africam provinciam sortitus esset, & eam ob rem immolaret; invenisse dicitur exta victimæ tabida; iecur sine capite. Neque multò post obijt.

Alter Cos. MARCIVS, quùm filium vnicum optimæ spei amisisset; ita dolorem altitudine animi & consilij coërcuit, ut à rogo protinùs Curiam petierit; Senatumque, quem eo die lege haberi oportebat, convocârit. (Plin. lib. 11. Treis soles ijsdem Coss. visos tradit.)

Narbo Marcius, colonia in Gallia deducta, & condita à Marcio eodem Cos.

3839. Ptol. Phys. 2. 1. An. Gry. 5. Ab V. C. 637. Ioan. Hyrc. 20.	*Consules L. CÆCILIVS METELLVS DIADEMATVS, & Q. MVCIVS SCÆVVLA.*	111.

Ille Diademátus dictus, quod ulceris tegendi caussâ, frontem fascia diu obligâsset.


TRIVMPHVS EX DALMATIS, ET EX GALLIS INALPINIS.

In Dalmatiam, iam-tum ab anno V. C. 599. victam, delatus, & à Dalmatis amicè acceptus, Salonæ hibernabat. Mòx triumphandi lubidine, crimen eis aliquod adfingit, & bellum infert. opibusque eorum accisis, & exercitu Romam deportato, quasi re benè gestâ triumphat; & Dalmaticus dicitur.

Q. MARCIVS Procons. Gallorum gentem, sub radice Alpium sitam (al. Sarnios, al. Stonos, appellant) bello adgressus est. Qui quùm se Romanis copijs circumseptos, belloque imparis fore viderent; occisis coniugibus ac liberis, in flammas se proiecérunt. De ijs quoque triumphatum.

CYZICENVS IN GRYPVM FRATREM INSVRGIT.

GRYPO quietè regnanti obortus est æmulus regni, frater ipsius, CYZICENVS, (à loco, quo educatus) matre eâdem genitus; sed ex ANTIOCHO SIDETE, Patruo, susceptus. Quem quùm ille veneno tollere voluisset; ut matriùs armis cum eo de regno contenderet, excitavit.



PTOLEMÆVS PHYSCON II. ÆGYPTI REX VIII.

Inter has parricidiales Regum Syriæ discordias, moritur rex PTOL. EVERGETES II. sive PHYSCON I. (PHILOLOGVS, apud ATHENÆVM, à Litterarum studio, quùm annos XXIX. regnâsset. Eique succedit PTOL. EVERGETES III. sive PHYSCON II. qui & LATHVRVS (quasi à cicercula, Cicero.) & SOTER dictus est.

Cognomen Physconis, quod Patri à figura corporis (γάστρων, seu Ventricosi) inditum fuerat, filius retinere, tamquam gentilitium, non est dedignatus. Et ex eius nummis constare putatur, LATHVRI & SOTERIS, cognomenta non admisisse. (Alij illi 17. annos tegni; alij 15. attribuérunt.)

CLEOPATRA REGIAM TVRBAT FAMILIAM.

Pate, regnum Ægypti CLEOPATRÆ forori, & uxori priori; atque alteri ex filijs, quem illa legisset, reliquerat. Videlicet, quasi quietior Ægypti status, quàm Syriæ regnum, foret; quùm mater, altero ex filijs electo, alterum hostem esset habitura. Quumque illa in minorem filium, ALEXANDRVM, esset pronior; à populo regnum maiori tradere compellitur.

Sed quùm filia eius & pellex CLEOPATRA, ex PTOLEMÆO quem dixi rege, & olim marito, treis filias suscepisset; *Cleopatram, Selenen & Tryphænam*. Ex quibus postrema GRYPO, à Patre collocata, enupserat. filio LATHVRO, cui regnum eripere non poterat, uxorem ademit; compulsumque repudiare cariffimam fibi fororem CLEOPATRAM, minorem fororem SELENEN ducere iubet. Neque id materno inter filias, siue neptes, iudicio; quùm alteri maritum eriperet, alteri daret.

Sed CLEOPATRA non tàm à viro repudiata, quàm à matre diuortio viri dimissa, CYZICENO in Syriâ nubit. Eique, ne nudum uxoris nomen adferret, exercitum Cypri follicitatum, velut dotalem, ad maritum deducit.

Componendis inter Genuateis & Veiturios, de finibus, controuersijs, Senatus, Q. & M. MINVCIOS Q. FF. Rufos, fratres, mittit. qui in re præsente cognoscerent. & huius litis à se iudicatæ monimentum quod etiamnum exstat, reliquérunt. (Vid. Antiq. Inscriptiones Ant. Augustini.)

3840. Ptol. Lathu. 2. An. Gry. 6. Ab V. C. 638. Ioan. Hyrc. 21.	*Consules* C. LICINIVS GETA, & Q. FABIVS MAXIMVS EBVRNVS.	110.

Hic Pullus Iouis (Ioui amatus, seu τὰ παιδικὰ) dictus, ob candorem, cui natis fulmine icta esset. *Ita Ioui nouum Ganymedem adfingebant Deorum tàm impij derisores, quàm cultores.* Quinctilian. tamen, Declamat. III. Hunc Fabium Eburnum, unum ex filijs impudicum, cognitâ domi caussa, necâsse tradidit.

LVCIVS METELLVS Proconsul, acto, ut diximus, de Dalmatis triumpho, Ædem Castoris, de eorum manubijs, exstruxit.

BELLVM INTER FRATRES, EARVMQVE VXORES, Sorores.

CYZICENVS, uxorio exercitu auctus, etiam viribus par, cum fratre GRYPO diu multumque, & vario quidem successu, pugnauit. & victus tandem prœlio, atque in fugam conuersus, Antiochiam perfugerat. Atque ita GRYPVS Antiochiam, in qua erat Cyziceni uxor, CLEOPATRA, obsidere cæpit. eâque captâ, TRYPHÆNA, uxor Grypi, nihil prius aut antiquius, quàm fororem CLEOPATRAM, requiri iussit: non ut captiuæ opem ferret; sed ne effugere captiuitatis mala posset. quæ sui æmulatione in hoc potissimum regnum inuaserit; hostique fororis nubendo, hostem sese eius effecerit.

Tum peregrinos exercitus in certamina fratrum adductos; tum repudiatam à fratre, contrà matris voluntatem, extrà Ægyptum, nuptam, accusat.

Contrà GRYPVS orare, ne tam fœdum facinus facere cogatur. *A nullo* umquam maiorum suorum, inter tot domestica, tot externa bella, post *victoriam*, *in feminas fæuitum*; *quas sexus ipse*, *à bellorum periculis*, *& fæuitia victorum eximat*. Accedere ad hæc *necessitudinem sanguinis*; Sororem ipsius, quæ tàm cruente fæuiat, germanam esse, suam verò cõsobrinam; *liberorum* deinde *communium materteram*.

His tot sanguinis necessitudinibus adijcit *superstitionem Templi*, quò abdita profugerit.

Sed quantò GRYPVS abnuit, tantò foror muliebri pertinaciâ accenditur; rata *non misericordiæ hæc* verba, *sed amoris esse*. Itaque vocatis ipsa militibus, mittit qui fororem confoderent. Qui ut in templum intrauérunt, quùm auellere eam non possent; manus amplexantis Deæ simulacrum præcidérunt.

Illa cum exsecratione parricidarum, mandatâ violatis numinibus sui ultione, decedit. Neque ita multo post repetitâ prœlij congressione, CYZICENVS victor uxorem GRYPI, TRYPHÆNAM, similiter cepit; eiusque supplicio uxoris mánibus parentauit.

3841. Ptol. Lath. 3. An. Gry. 7. Ab V. C. 639. Ioan. Hyrc. 22.	*Consules* M. AIMYLIVS SCAVRVS, & M. CÆCILIVS METELLVS.	109.

Hic tertius fuit è filijs Macedonici.

SCAVRI PRISTINÆ CLARITATI RESTITVTI.

Ille itâ fuit Patricius, ut tribus suprà eum ætatibus iacuerit domûs eius fortuna. Sed ipse propè intermortuam generis sui memoriam, virtute renouauit; & à fortunâ ex humili vitâ sublatus, Princeps Senatûs factus est. Priore anno in petitione consulatûs superatus fuerat à Q. MAXIMO. hoc autem anno P. RVTILIVM superauit. Neque ille solum, qui repulsam tulerat, ambitûs accusauit designatum competito-

competitorem; sed Scaurus etiam absolutus Rutilium in iudicium vocavit. *Ambo fortè tàm meritò accusati, quam immeritò absoluti.*

Pater SCAVRI, licet Patricius, ob paupertatem, carbonariam fecisse proditur. Quumque idem primò dubitâsset; *honoréſne peteret, an argentariam faceret*; ipse eloquentiæ consultus, caussis agendis animum adplicuit. *Eiusq́; artis quæstum, quavis argentariâ longè uberiorem* deprehendit; & ex eâ gloriam peperit.

LIGVRES DOMITI PALVDIBVS EXSICCATIS. CONTINENTIA MILITARIS.

Idem SCAVRVS in Liguribus, quæ ei provincia obtigerat; rem præclarè gessit. Quùm magna intrà Padum pars Paludibus occuparetur, per quas ANNIBAL magnis difficultatibus iter in Tuſciam olim fecerat; SCAVRVS deductis ex Pado, in Parmensem usque agrum, fossis, navigationi commodis, Paludes ipsas exsiccavit è campis. Per Placentina etenim arva Trebia Padum influens, alijque complures antè fluvij, præter modum stagnabant.

Idem per Pisas & Lunam, usque Sabatios, viam stravit ÆMILIAM; & hinc per Derthonem. (Id ab eo censore, factum produnt.) Ligures ab eo domiti; deque ijs triumphavit.

Singulare militaris continentiæ exemplum fuit, Pomifera arbor, quam in pede castrorum complexa fuerat metatio; postero die abeunte exercitu, qui sub hoc SCAVRO meruit, intactis frugibus relicta.

Idem & legem de sumtibus, & libertinorum suffragijs tulit. (Qua de re Plin. lib. 8.)

INSANIA GVLÆ. ET CENSORIA SEVERITAS.

Sorices & glireis, censorijs legibus, & Principeq; M. SCAVRO in Consulatu, non alio modo cœnis ademti; quàm coochylia, aut ex alio orbe convectas aves. *Novum & inauditum gulæ crimen.*

Eodem anno L. CÆCILIVS METELLVS, (CALVI F. antè quadriennium Consulis) & Cn. DOMITIVS AENOBARBVS, Censores; artem ludicram ex urbe removisse, præter Latinum tibicinem, cum cantore; & ludum talorum. & duos ac triginta, Senatu movisse, produntur. Lustrum LXII. ab ijs conditum, quo censa civium capita CCCXCIV. Mill. CCCXXVI. Ab ijsdem lectus Princeps Senatûs M. ÆMYLIVS SCAVRVS, proximè Consul. Is honos eloquentiæ potissimùm datus.

IVDÆÆ TRANQVILLITAS.

Intereà dum GRYPVS cum fratre CYZICENO confligitur; & ab expeditione, quam in HYRCANVM moliebatur, suscipiendâ retardatur; pace ferè continenti usi sunt Iudæi.

HYRCANVS namque, post Antiochi SOTERIS cædem, planè à Macedonibus desciverat. Iamque nec ut subiecta, neque ut amicus aut socius, ullam illis opem ferebat. Bellum ipsum, quo sese fratres discordes mutuò atterebant; Hyrcano opportunitatem præbuit, cum securè fruendi Iudææ proventibus; tum ingentis pecuniarum vis congerendæ.

3842. Ptol. Lath. 4. An. Gry. 8. Ioan. Hyrc. 23. Ab V. C. 640.	*Consules M. ACILIVS BALBVS (M. ACILII, qui Consulatum gessit anno Vrb. Cond. 603. Filius) & C. PORCIVS CATO (M. CATONIS, qui quadriennio antè Consul fuit, Filius; M. CATONIS Censorij Nepos; & Africani II. sorore natus.)*	108.

Hic Macedoniam provinciam sortitus est.

CATO CVM SCORDISCIS IMPROSPERE PVGNAT. ET REPETVNDARVM damnatur.

Eiusque exercitus, quem in Scordiscos, omnium Thracum sævissimos, duxerat, non fusus modò aut fugatus; sed (simile prodigio) omninò totus interceptus est.

Ad robur gentis, calliditas accesserat: & silvarum montiumque situs, cum ingenio Barbarorum consentiebat.

T. DIDIVS, præt. eosdem vagos, & dum victoriam insolentiùs persequuntur, liberà populatione diffusos, repressit; & intrà suam compulit Thraciam.

Idem CATO repetundarū ex Macedoniâ damnatus est: lite eius quater Millib. sive H. S. 18. Millib. æstimata. *Severitas iudicij*, ait Velleius, *memoriæ mandanda: quum iudices magis voluntatem peccandi intuebantur, quàm modum: & quid, non in quantum, admissum foret, æstimabant.*

M. ANTON. ORATOR, INCESTI ACCVSATVS, FIDE ET CONSTANTIA SERVI iudicium evadit.

Et sub idem tempus M. ANTONIVS Orator à Cicerone laudatus, quùm in Asiam Quæstor proficisceretur; iam Brundisium advectus, certior fit incesti se postulatum apud L. CASSIVM præt. cuius tribunal, propter nimiam severitatem, *scopulus reorum*, dicebatur.

Quamvis Lex Memmia vetaret, eorum, qui reip. causâ abessent, nomina recipi; Antonius legis beneficio renuntians, in urbem recurrit. Quumque accusatores servum Antonij perseveranter postularent; & id testimonium recusare posset reus; patitur tamen servum suum quæstioni subijci. Is plurimis laceratus verberibus, eculeo impositus, candentibus etiam laminis ustus, accusatorum exspectationem fidei constantiâ frustratus est.

3843. Ptol. Lath. 5. Ant. Gry. 9. Ioan. Hyrc. 24. Ab V. C. 641.	*Consules* Q. CÆCILIVS METELLVS, *Caprarius (quartus Macedonici filius, quem Pater moriens pretorium, & candidatum Consulatûs reliquit; cognomen*, CAPRARII, *ex contumeliâ traxit)* & CN. PAPYRIVS CARBO. (C. CARBONIS *eius, qui VII. antè annis Consul fuit, filius;* & CN. CARBONIS, *qui anno 669. post Consul fuit, Pater.) Illi Macedonia, huic Illyricum, evenerunt.*	107.

Hoc anno, & eodem die, duo METELLI fratres; CAIVS Consul ex Sardiniâ, quam cum Corsicâ rebellantem bello vicerat: & MARCVS præt. an Proconf. ex Thraciâ, in quam Catoni successerat; triumphárunt.

CIMBRI IN ITALIAM IRRVMPVNT. EORVM ORIGO.

His Coss. Cimbrorum arma primum audita sunt; & nuntiatum, eos cum Teutonis Alpeis transgressos è Galliâ in Italiam venisse. Hi ab extremis Galliæ, (veriùs ex Chersoneso Cimbrica, nunc Danica) profugi, quùm terras eorum inundâsset Oceanus (sive, Deus latrocinia & rapinas eorum, quibus adsueverant, effuso in terras eorum mari, ultus esset) sedibus suis pulsi, aliquamdiu palantes & vagi errârunt; & sedes novas toto orbe quærebant.

Romani, quòd longinquis è regionibus profecti, undè venirent, aut quinam essent, ignorarent; eos Germanos esse ex ijs, qui ad Septemtrionalem Oceanum incolunt, arbitrabantur. quòd Germanorũ linguâ prædones, Cimbri, appellarentur. (Hinc VELL. *Effusa immanis vis Germanarum gentium, quibus nomen Cimbris ac Teutonis erat*; quique Rhenum transcenderant.)

Tandem populabundi in Illyricũ venérunt. Et Cn. CARBO collatis ad Noreiam opidum signis, non modò nihil profecit; sed acie fusus, & exercitu exutus est. Eoque superato, quievisse usque ad Silanum Cos. Cimbri videntur.

3844. Ptol. Lath. 6. An. Gry. 10. Ioan. Hyrc. 25. Ab V. C. 642.	*Consules* M. LIVIVS DRVSVS (C. DRVSI *fil. eius qui Consul fuit anno 606.)* & L. CALPVRNIVS PISO, *(avus* L. PISONIS, *soceri* C. CÆSARIS *) qui Consularis occisus posteà à Tigurinis.*	106.

DRVSVS in Thraciâ, post Didium, prosperè pugnavit adversùs Scordiscos, gentem à Gallis oriundam; & vetitos transire Danubium, finium suorum parte multavit.

Tum CYZICENVS, quùm GRYPO evadente, uxore eius Tryphæna potitus esset; lege talionis in eam usus est; & sceleris antè quadriennium in sororem Cleopatram perpetrati pœnas ab eâ exegit.

ANTIOCHVS CYZICENVS, SYRIÆ REX, XX.

3845. Ptol. Lath. 7. Ant. Cyziceni. 1. Ioan. Hyrc. 26. Ab V. C. 643.	*Consules* P. CORNEL. SCIPIO NASICA (SERAPIONIS, *qui anno 616. Consul fuit, filius, in Ædilitatis petitione repulsã passus, Consulatũ nihilo minus obtinuit)* & L. CALPVRN. BESTIA.	105.

Huic Numidia; illi Italia, provinciæ obtigérunt. Sed Nasica in Consulatu mortuus, maiorum famam non est assecutus.

BELLI IVGVRTHINI INITIA. VRBIS ROM. CORRVPTELA.

MICIPSA, MASINISSÆ F. Numidiæ rex, IVGVRTHAM, fratris MANASTABALIS, ex concubinâ, filium, eodem cultu, quo ADHERBALEM & HIEMPSALEM liberos ex se genitos, domi habuerat: & ab SCIPIONE AFRICANO, qui eius forti fideliq; operâ bello Numantino usus fuerat, commendatum, adoptárat; & testamento pariter cum liberis heredem instituerat.

MICIPSA mortuo, quùm ille interficere fratres statuisset, agitatus regni cupiditate; nec illos magis, quàm Sen. pop. q; Romanum, quorum in fide & clientelâ regnum erat, metueret; primum scelus mandat insidijs. Potitusque Hiempsalis, qui minor & ferocior erat, capite, omni Numidiæ imperare parabat, urbeis partim vi, alias voluntate imperio suo adiungere.

ADHERBAL, tametsi Romam legatos miserat, qui Senatum docerent de cæde fratris, & fortunis suis; fretus multitudine militum parabat armis contendere. Sed ubi res ad certamen venit, victus ex prœlio profûgit in provinciam; ac dehinc Romam contendit.

Iugurtha vicissim, qui adversùs populi Rom. irã, in avaritiâ Nobilitatis, & pecuniâ suâ, spem reliquam haberet; sciretque *urbem venalem esse, si emtorem invenisset*; paucis dictis cum argento & auro multo, legatos Romam mittit.

Senatus

Senatus auro corruptus, mittit legatos, qui regnum inter prædonem, & ADHERBALEM dividant. Hi quoque pretio emti iniquam partitionem instituunt. Quæ pars Numidiæ Mauritaniam attingit, agro virisque opulentior, IVGVRTHÆ traditur. Illam alteram, specie, quàm usu, potiorem, quæ portuosior & ædificijs magis exornata erat, ADHERBAL possidere iussus.

Postquam diviso regno Legati Africâ decessêre; & IVGVRTHA, contrà timorem animi, præmia sceleris adeptum sese vidit; certum esse ratus, quod ex amicis apud Numantiam acceperat; *Omnia Romæ venalia esse*: simul & illorum pollicitationibus accensus, quos paulloantè muneribus expleverat; in regnum ADHERBALIS animum intendit: & ex improviso fineis eius cum magnâ manu invadit, belli caussam aucupatus.

Quumque ADHERBALIS, qui ad necessarium bellum se comparabat, castra haud longè à mari, propè Cirtham opidum, expugnâsset; & ipse ADHERBAL cum paucis in opidum profugisset; IVGVRTHA Cirtham circumsedit; & vineis turribusque, atque omnium generum machinis oppugnare adgressus est.

Senatus verò postquàm de bello eorum per legatos accepit; treis adolescenteis in Africam ablegat, qui ambos reges adeant, & nuntient; *Romanos velle & censére, ab armis discedant; & de controversijs suis, iure potius, quàm bello, disceptent.*

Iis IVGVRTHA respondit; ADHERBALEM dolis vitæ suæ insidiatum; eius sceleri obviàm se isse: De omnibus rebus legatos Romam brevi esse missurum. Ita utrique digressi: & ADHERBALI copia appellandi non fuit.

IVGVRTHA intereà mœnibus Cirthæ fossâ atque vallo circumdatis, cuncta, quæ ad expugnandum usui, intentus parare.

ADHERBAL duos ex suis maximè impigros extrudit, & Romam cum litteris pergere impellit. Litteris in Senatu recitatis, quùm ab iisdem illis regis fautoribus summâ ope enisum esset, ne ADHERBALI subveniretur; néve durius in IVGVRTHAM decretum fieret. leguntur in Africam maiores natu nobiles, & in his M. SCAVRVS.

Ij quoque, tametsi graveis minas IVGVRTHÆ intentarent, quod ab oppugnatione non desisteret; multâ tamen oratione consumtâ, frustrà discessére.

Quo audito, Italici, quorum virtute mœnia defensabantur, ADHERBALI suadent; uti seque & opidum, vitam ab hoste pactus, tradat. De cæteris Senatui curæ fore.

IVGVRTHA in primis ADHERBALEM excruciatum necat: deinde omneis puberes Numidas; atque negotiatores promiscuè, uti quisque armatus obvius fuerat, interfecit.

BELLVM IVGVRTHÆ INDICTVM.

Tum IVGVRTHÆ bellum indictum; & in id CALPVRNIVS Cos. missus. Qui legionibus per Italiam, Rhegium, atque indè Siciliam, & porrò in Africam transvectis; & paratis initiò commeatibus, acriter Numidiam adgressus, multos mortaleis & urbeis aliquot pugnando cepit.

Sed ubi IVGVRTHA pecuniâ per legatos tentare; bellique quod administrabat, asperitatem ostendere cæpit; animus æger avaritiâ facilè conversus est. Socio & omnium consiliorum administro SCAVRO. Indè Iugurtha in maximam spem reciperandæ pacis adductus; statuit cum eis de omnibus pactionibus præsens agere. In castra venit; ac pauca præsenti consilio locutus, de invidiâ sui facti, atque uti in deditionem acciperetur; reliqua cum BESTIA & SCAVRO secreta transegit. Deinde postero die, quasi per saturam exquisitis sententijs, in deditionem acceptus est. Sed, uti pro consilio & palàm imperatum erat; præter frumentum; elephanti XXX. pecus atque equi multi, cum non parvo argenti pondere, Quæstori SEXTIO traduntur. Calpurnius Romam ad magistratus rogandos proficiscitur. In Numidiâ, & exercitu nostro pax agitabatur.

Pax tàm flagitiosa à Senatu improbata est; qui iustum scilicet sibi vindicandæ in posterum Numidiæ titulum, an prætextum! accessisse non iudolent.

Tum quoque novi in Hispaniâ motus, primùm per CALPVRNIVM PISONEM; deinde per Ser. GALBAM, prætores, quamhonestissimis potuére conditionibus, compositi sunt.

3846. Ptol. Lath. 8. An. Cyzic. 2. Ioan. Hyrc. 27. Ab V. C. 644.	*Consules M. MINVCIVS RVFVS, (Sallustio, Quinctus est) & Sp. POSTHVMIVS ALBINVS. Illi Macedonia, huic Numidia obtigit.*	104.

Ille cum Thracibus, Macedoniæ imminentibus, non modò in Consulatu; sed etiam Proconsule, rem benè gessit.

Quùm à Scordiscis Dacisque (alij, Triballos adiiciunt) premeretur, quibus impar numero militum erat; præmisit fratrem, & paucos equites, unà cum æneatoribus: præcepitque; ut ubi contractum prœlium vidisset, subitus ex diverso se ostenderet, iuberetque æneatores concinere. Sonantibus itaque montium iugis, species ingentis multitudinis offusa est hostibus. quâ perterriti dedére terga. (FLORVS, de eodem; Quùm toto Scordiscos vastâsset Hebro, multos amisit, dum per perfidum glacie flumen equitatur.)

Thraces hisce victorijs fracti, multis deinceps annis quievisse videntur.

IVGVRTHA ROMAM ARCESSITVR.

L. CASSIVS prætor, agente C. MEMMIO Trib. pleb. & rogationem perferente, ad Iugurtham, missus

missus est; quem interpositâ fide publicâ Romam adduceret. quo faciliùs, indicio regis, Bestiæ & Scavri, & reliquorum, qui pecuniæ captæ arcessebantur, delicta patefierent.

Ille cultu quam maximè miserabili, cum prætore Romam venit. Rogatus à Memmio, quibus ministris tàm nota facinora in Numidiâ patrasset;& maiestatem imperij contemsisset! quòm respondere iussus esset; à C. Bæbio Trib. pl. (quem magnâ mercede parârat & corruperat; cuius impudentiâ contrà ius & iniurias omnes munitus foret;) tacere iubetur. Et populus, licet vehementer in intercessorem accensus, velut ludibrio habitus, ex concione discedit. Iugurthæ vero, & Bestiæ, ac cæteris, quos illa quæstio exagitabat, animi augescunt.

MASSIVA, MASANISSÆ F. INTERFICITUR.

Erat eâ tempestate Romæ Numida quidam, nomine Massiva, Masinissæ ex Gulussa, altero filio, Nepos. Qui quia in dissensione regum, Iugurthæ adversùs fuerat, deditâ Cirthâ, & Adherbale interfecto, profugus ex Africâ eò venerat.

Huic Sp. Albinus, tum Cos. persuadet; quoniam è stirpe Masinissæ sit; Iugurthamque, ob scelera, invidia cum metu urgeat; regnum Numidiæ ab Senatu petat.

Quæ postquam Massiva agitare cæpit; Iugurtha, per Bomilcarem, proximum, & maximè sibi fidum, Massivæ insidias tendit. Vnus verò ex eo numero, qui ad cædem exsequendam parati erant, Massivâ inconsultius obtruncato, deprehensus, cogente Consule, indicium profitetur.

At Iugurtha manifestus tanti sceleris; & super gratiam atque pecuniam suam, invidiâ facti flagrans; quamquam in priore actione, ex amicis, L. vades dederat, clàm in Numidiam Bomilcarem dimittit. Et ipse paucis diebus eôdem profectus, iussusque à Senatu Italiâ decedere.

Româ egrediens, & eò sæpiùs tacitus respiciens, dixisse postremò fertur; *Vrbem venalem, & maturè perituram, si emtorem invenerit!*

ALBINVS COS. IN AFRICAM.

Interim Albinus, renovato bello, quæ ei administrando usui forent, maturat in Africam portare. statimque ipse profectus est, uti antè comitia, quod tempus haud longè aberat; armis, aut deditione, aut quovis modo bellum conficeret.

Iugurtha verò trahere omnia, alias subinde moræ caussas facere, pollicitari deditionem; nunc cedere, nunc instare; Consulem ludificari.

At fuère, qui tum Albinum, haud ignarum consilij regis existimarent: neque ex tantâ properantiâ tam facilè tractum bellum socordiâ magis, quàm dolo, crederent. Postquam enim dilapso tempore, comitiorum dies adventabat; ipse, Avlo fratre in castris pro-prætore relicto, Romam decessit.

Quumque tribunitijs seditionibus resp. atrociter tum agitaretur; & L. Lucullus, & L. Annius, Tribb. pl. resistentibus collegis, continuare magistratum niterentur: eaque dissensio totius anni comitia impediret: Avlus, Consulis frater, aut conficiundi belli; aut terrore exercitûs, à rege pecuniæ capiundæ; milites mense Ianuario ex hibernis in expeditionem evocat; & ad Suthul oppidum, ubi regis thesauri erant, adducit: quod quidem & sævitiâ temporis, & opportunitate loci, neque capi, neque obsideri poterat.

FOEDA AVLI PROPRÆT. PAX CVM IVGVRTHA.

Ivgvrtha, Avlvm, vanum licet & imperitum imperatorem spe pactionis perpulit; uti, relicto Suthule, quò delicta occultiora forent; sese in abditas regiones, veluti cedentem, insequeretur. Et intereà, per homines callidos, exercitum tentat. Duces, uti ad se transfugiant. vel loca deserant; corrumpit. Quibus ex sententiâ instructis, de improviso Avli castra circumvenit: terrore, cæde, fugâque complet. Ipse postero die cum proprætore, qui proximum collem occupaverat, in colloquio verba facit. *Tametsi ipsum cum exercitu fame ferro, clausum teneat; tamen se humanarum rerum memorem, si secum fedus faceret, incolumem omnis sub iugum missurum.* Præterea, *uti diebus decem Numidiâ decederet.* Quæ quamquam gravia ac flagitij plena erant; tamen quia mortis metu nutabant, sicuti regi libuerat, pax convénit.

IOAN. HYRCANI RES GESTÆ. SAMARIA OBSESSA ET EVERSA.

Hyrcanus intereà, dominatu regio iam liberatus, maiora tentare audet; & exercitum ingentem ad Samariam, urbem munitissimam, sibique infestam, adducit. quæ Maritenos, Iudæorum colonos ac socios, sed Syris regibus obnoxios, iniuriâ adfecisset.

Quumque eam fossâ & muro duplici circumsepsisset; obsidioni filios suos, Antigonum, & Aristobulum, præfecit. Quibus acriter urgentibus; & fame invalescente, in eam necessitatem adducti sunt Samaritæ; ut cibis, homini insuetis, vesci; & ad extremum, Antiochi Cyziceni opem implorare cogerentur.

Ille, quùm properè suppetias venisset; ita ab Aristobuli militibus victus est; ut fratribus ad Scythopolim usque insequentibus, ægrè evaserit. Et hi Samaritas denuò intrà mœnia compulsos, tàm artè obsederint; ut ab eodem rege iterùm auxilium petere cogerentur.

Is acceptis à Ptolemæo Lathuro sex armatorum Millib. quos ille invitâ matre miserat; quùm viribus longè impar aperto Marte decernere non auderet; ratus est, editâ agrorum vastitate, Hyrcanum ab obsidione Samariæ avelli posse. Sed postquàm multos è suis, insidijs hostium passim exceptos, desiderâsset; Tripolim indè profectus, Calimandro & Epicrati du-

cibus

cibus, Iudaici belli summam commisit.

Ex quibus CALIMANDER audaciùs, quàm prudentiùs cum hoste congressus, profligatis suis, & ipse inter alios cecidit. IPICRATES verò, pecuniâ corruptus, Scythopolim, & alia quædam opida, palàm Iudæis prodidit.

Atque ita Hyrcanus, post hotnotinam obsidionem Vrbe potitus, eam solo æquavit: & torrenteis eódem induxit: quorum eluvie ita omnia deformata, ut ne vestigium quidem opidi reliquum esset.

Commemorat Ioseph. eo ipso die, quo filij eius cum CYZICENO manus conseruérunt; & ipse, Pontifex, solus in templo odoramenta adolebat; vocem auditam, quæ tecentem filiorum de Antiocho victoriam nuntiaret: ipsumque foras progressum id multitudini renuntiâsse: & paullopost, eius oraculum certiùs, & reipsâ fuisse comprobatum.

Ptolemæi Lathuri mater, tam iniquo animo tulisse proditur, copias adversùs Hyrcanum & Iudæos submissas; ut tum consilium ceperit de filio è regno exturbando.

3847. Ptol. Lath. 9. An. Cyzic. 3. Ioan. Hyrc. 28. Ab V. C. 645.	*Consules* Q. CÆCILIVS METELLVS (L. METELLI CALVI *fil.*) & M. IVNIVS SILANVS, *Provincias partiti, ille Numidiam, hic Galliam.*	103.

Censores eo anno putantur fuisse M. ÆMYLIVS SCAVRVS, qui Æmyliam viam stravit & Pontem Æmylium fecit: & M. LIVIVS DRVSVS, in eo magistratu mortuus. Quo mortuo, quùm SCAVRVS collega abdicare nollet; Tribunorum iussu in carcerem duci iussus est.

CIMBRI, GALLOS ET HISPANOS BELLO LACESSVNT.

Cimbri, victo, uti diximus, CARBONE, adversùs Gallos eos, qui imperio pop. Romani subiecti non erant; atque inde adversùs Hispanos, arma transtulerant.

Galli (uti est apud Cæsarem libr. 7.) in opida compulsi, atque inopiâ subacti, eorum corporibus, qui ætate inutiles ad bellum videbantur, vitam toleravérunt: neque se hostibus tradere voluérunt. Depopulatâ nihilo minus Galliâ, magnâque illatâ calamitate, alias terras Cimbri petiérunt. Iura, leges, agros, libertatem Gallis reliquérunt.

Hoc illi anno ex Galliâ & Hispaniâ exclusi, quùm in Italiam remigrarent; misérunt legatos in castra SILANI, inde ad Senatum; petentes, ut pop. Rom. aliquid sibi terræ daret, quasi stipendium: cæterùm ut veller, manibus atque armis suis uteretur. *Sed quas daret terras populus, agrarijs legibus inter se dimicaturus?*

Repulsi illi, quod nequiverant precibus, armis petere constituunt. Sed nec primum impetum Barbarorum SILANVS ferre potuit, & infeliciter pugnavit.

Quùm idem Cos. plureis leges, quæ per eos annos variè ad populum per Tribb. pl. latæ erant, abrogâsset; Domitius Trib. pl. quinquennio post eumdem apud populum accusavit; criminatusq; est, bellum cum Cimbris iniussu populi gessisse: idque principium fuisse calamitatum, quas eo bello populus accepisset.

IRRITI ALBINI PROCOS. IN NVMIDIA CONATVS.

Quùm ALBINVS, anni superioris Consul, ex delicto fratris AVLI invidiam, ac demùm periculum timens, Senatum de federe consuleret; Senatus, uti par fuit, decrevit; *suo atque populi iniussu nullum potuisse fedus cum* IVGVRTHA *fieri*. Et Consul impeditus à Tribb. pl. ne quas paraverat, copias, secum portaret; paucis diebus in Africam profectus, quamquam persequi Iugurtham, & mederi fraternæ invidiæ animo ardebat; cognitis militibus, qui ex convento, Numidiâ deducti in provinciâ hiemátant; quósque, præter fugam, soluto imperio, licentia atque lascivia corruperat; ex copiâ rerum, statuit, nihil sibi subitò agitandum.

METELLVS COS. DISCIPLINAM MILITAREM INSTAVRAT, EIVS CVM Iugurthâ prœlia.

METELLVS Cos. cui provincia Numidia evenerat, diffidens veteri exercitui; milites alios scribere, & præsidia undique arcessere. Et in provinciam profectus, magnâ spe civium, cum propter bonas arteis, tum maximè quod adversùm divitias invictum animum gerebat; ab ALBINO Proconf. exercitum accepit, inertem & imbellem, linguâ quàm manu promtiorem. ut imperatori novo plus ex malis moribus solicitudinis; quàm, ex copiâ militum, auxilij, aut bonæ spei accederet.

Ille itaque edicto primùm adiumenta ignaviæ sustulit;

„ *Ne quisquam in castris panem, aut quem alium coctum cibum venderet.*

„ *Ne miles gregarius in castris, aut in agmine servum aut iumentum haberet.*

Ipse castrorum subinde locum mutavit; eademque tamquam hostis semper adesset, aptissimè vallo fossâque munivit. Ita *prohibendo à delictis magis, quàm vindicando*, exercitum brevi confirmavit.

IVGVRTHA, ubi quæ METELLVS agebat, ex nuntijs accepit; diffidere rebus suis, ac tùm demum veram deditionem facere conatus est. Legatos cum supplicijs misit, qui tantummodò ipsi liberisque

liberisque vitam peterent; alia omnia dederent populo Rumano.

METELLVS, cognitâ Numidarum perfidiâ, & ingeniorum mobilitate, Legatos, alium ab alio diversos, adgreditur. ac paullatim tentando, postquàm opportunos sibi cognovit, multaque pollicendo persuadet; vivum Iugurtham, an necatum! sibi tradant.

Atque infesto exercitu in Numidiam procedens, ubi, contrà faciem belli, tuguria plena hominum, pecora, cultoresque in agris erant; obvios habuit ex opidis, & Mapalibus regis præfectos, qui frumentum dare, commeatum portare, postremò omnia, quæ imperarentur, facere, parati essent.

Consul illa deditionis signa ostentui credens, insidijs locum tentabat. Nam in Iugurthâ tantus dulus, tantaque locorum & militiæ peritia inerat; ut absens, an præsens; pacem an bellum gerens; perniciosior esset, in incerto haberetur.

Consul præsidio Vaccæ opido, quod forum erat tetum venalium totius regni Numidiæ maximè celebratum; imposito, Iugurtham, ad supplices iterùm legatos mittendum, impellit.

Quos item, ille, uti priores, illectos ad proditionem domum dimittebat: & regi pacem, quam postulabat, neque abnuens, neque pollicens, inter eas moras promissa legatorum exspectabat.

IVGVRTHA ubi suis se artibus tentari animadvertit; statuit armis certare. Haud procul à Muthule flumine, in monte quodam, ubi aciem ipse instruxerat, & solerter occultârat; impetu in Romanos ignaros, & ex eodem monte digressos, facto; pugna acris cæpta est.

Duobus diversâ in parte prœlijs, in colle adverso, & ad flumen, victor METELLVS; ubi vidit animum regis etiam tum ferocem esse, & bellum renovari, quod nisi ex illius lubidine geri non posset; minore detrimento illos vinci, quàm suos vincere: statuit non prœlijs, neque acie, sed alio modo bellum gerendum.

Itaque in loca Numidiæ opulentissima pergit, agros vastat, castella & opida capit, aut incendit; puberes interfici iubet. eâque formidine multi Romanis dediti obsides; frumentum, aliaque, quæ usui forent, adfatim præbita; & ubicumque res postulabat, præsidium impositum. Quæ omnia multò magis, quàm prœlium malè pugnatum ab suis, regem terrebant.

Interim Rumæ gaudium ingens ortum, cognitis METELLI rebus. Itaque Senatus Dijs immortalibus supplicia decernere, civitas læta agere, de METELLO fama præclara esse.

PHARISÆI, ET SADDVCÆI EXORTI.

Ex quo tempore ALCIMVS Sacerdos, BACCHIDE, regis ANT. EPIPHANIS præfecto, fretus, Chasidæos illos LX. annis antè 52. iugulavit; nulla deinceps eorum mentio comperitur. Sed eorum quasi loco, pòst ann. circiter XX. Pharisæi, Sadducæi, & Essæi, exorti, deinceps occurrunt.

Ex quibus Sadducæi, à Iustitia, vel SADOCO dicti, quidam quasi inter Iudæos Epicurei; *Nihil fato fieri; omnia in nostra esse manu, & à nostra voluntatis arbitrio pendere.*

Essæi contrà, à Sanctitate, ceu Monachi, *Omnia fato administrari* contendebant.

Pharisæi, mediam tenentes viam, quædam *fato*, hoc est *providentia*; quædam *libero hominum arbitrio*, metiebantur. Dicti PERVSCHIM, quasi ἀφωρισμένοι, sive Eximij.

Essæi in agris austerissimam vitam agebant: Sadducæi palàm ambitiosi optimatum gratiam aucupabantur: Pharisæi occultiore consilio, dum in vulgum gratiam famamque à sanctitate captant, principibus etiam terribileis se præstiterunt.

HYRCANI OFFENSA A PHARISÆIS.

Quumque HYRCANVS istos, à quibus educatus fuerat, magno hactenus studio coluisset; & ipsis vicissim carus fuisset; accidit fortè, ut ipse Pharisæos omneis splendidissimo convivio, comiterque acciperet. Vbi vino exhilaratos vidit; rogat; *Quid in ipso desiderent; aut ad iustitiam vitæ consectandam, aut ad sanctitatis perfectionem, deesse putent?*

Collaudantibus eius virtutem omnibus, quùm communi omnium testimonio vehementer gavisus esset; unus è convivis ELEAZARVS, vir ingenio malo pravoque, *Si vis*, inquit, *iustus esse; abdica te Pontificatu.*

HYRCANO caussam rogante, cur id ita postularet; subiecit ille; Quia à grandioribus natu accepimus, *Matrem tuam*, rege ANTIOCHO EPIPHANE *captivam, servitutem servisse.* (Is autem rumor falsus erat. atque adeò, si verus fuisset; HYRCANVS id sibi fraudi esse debere negabat.)

Ita convivij hilaritatem iusta omnium in Eleazarum indignatio abrupit.

Tum IONATHAS, è Sadducæorum sectâ, quæ Pharisæis adversa erat; & HYRCANI amicus, in aurem suggerit; *Non esse quod uni Eleazaro succenseat*; ex communi Pharisæorum sententiâ hoc Eleazari convicium esse profectum. Quod si dubium videtur; rogentur, inquit, *Quâ pœnâ dignum hominem esse censeant?*

Quùm in alios etiam clementes & indulgentiores esse solerent Pharisæi; in sui ordinis virum tristem mortis sententiam ferre iniquum videbatur. Respondent itaque; *Convictatorem, flagra & vincula commeritum videri.*

Tum HYRCANVS vera IONATHAM monuisse arbitratus, repudiatâ Pharisæorum sectâ, ad Sadducæorum castra transijt: & abrogatis illorum institutis, quæ à lege Mosaicâ discrepabant, in eius sectæ cultores sævire cæpit.

Vndè factum, ut & ipse, & eius liberi, parùm

in vulgum gratiosi evaserint : & Pharisæi, quam ab HYRCANO non potuerant, ab eius filio ALEXANDRO, post annos aliquot, ultionem insensissimis animis exegerint.

3848. Ptol. La. 10. An. Cyz. 4. Ioan. Hyr. 29. Ab V. C. 646.	*Consules. SER. SVLPITIVS GALBA, (SER. GALBÆ filius, eius, qui Consul fuit anno V. C. 609.) & M. AEMILIVS SCAVRVS; qui pòst, legatus, a Cimbris est interfectus: & in locum alterius, qui antè quàm iniret, damnatus sit; suffectus fuisse producitur.*	102.

Eidem Galliæ obtigit, quam, in locum SILANI missus, administraret; ubi & tertiam cladem à Cimbris accepit; exercitumque amisit.

Censores, qui LXIII. lustrum fecerint, fuisse putantur Q. FABIUS MAXIMUS ALLOBROGICUS, qui Fabianum fornicem iuxta Regiam, in Sacrâ viâ construxisse traditur: & C. LICINIUS GETA, qui à L. METELLO & CN. DOMITIO Censoribus, inter cæteros, è Senatu pridem eiectus fuerat.

RES IN HISPANIA.

In ulteriore Hispaniâ, quæ D. BRUTI imperio pacata fuerat, bellum à latronibus, qui eam passim diripientes vexabant, erat excitatum; & à C. MARIO ex-Pretore nonnihil coercitum. quod quidem hoc tempore redintegratum videtur. Et Q. CÆPIO, priore anno, in Præturâ, Lusitanos, qui se quoque moverant, fortitus; hoc anno de iisdem triumphavit. qui idem triennio pòst, pro-Consule, cum Cimbris rem infelicissimè gessit.

RES IN NVMIDIA, VBI ZAMA FRUSTRA OPPUGNATUR.

In Numidiâ interea METELLUS, ubi se dolis IUGURTHÆ, qui neque prœlium faceret, neque otium pateretur, sed hostem tantummodò retineret; fatigari vidit: Zamam, urbem magnam, & in ea parte, quâ sita erat, regni arcem, statuit oppugnare.

IUGURTHA, quæ ab Imperatore Roman. parabantur, per perfugas edoctus, magnis itineribus METELLUM antevenit. oppidanos hortatur, mœnia defendant, additis auxilio perfugis. pollicetur in tempore semet cum exercitu adfore.

MARIUM, METELLI legatum, qui frumentatum cum paucis cohortibus Siccam (oppidum, quod omnium primum, post malam pugnam, à rege defecerat) missus fuerat; incipiti pugnâ ad urbis portas adgressus, pænè intercepit. Et METELLO ad Zamam acriter certante, & scalas mœnibus admovente, ex-improviso castra Romana magnâ cum manu invadit, & portam irrumpit. Et vix submisso cum auxiliis sociorum MARIO, ipse multis in munimento castrorum amissis, in loca munita se recepit.

Atque iterùm, dum vi maiore METELLUS oppidum oppugnatum iret, & murum adgrederetur; equites, quos in proximo ille locârat, & pro castris agitare iusserat; de-repentè, & ex occulto adoritur: aciemque Romanam novâ equestris prœlii facie ita implicat & perturbat, ut expeditis peditibus suis hostes pænè victos daret: & nox denique prœlium utrimque dirimeret.

METELLUS postquam videt frustrà inceptum; neque oppidum capi, neque IUGURTHAM, nisi ex insidiis, aut de suo loco, pugnam facere; & iam æstatem exactam esse; ab Zamâ discedit. & in iis urbibus, quæ ab rege defecerant, satisque munitæ situ aut mœnibus erant; præsidia imponit. cæterum exercitum in provinciâ, quæ proxima est Numidiæ, hyemandi gratiâ collocat.

IVGVRTHA A SVI DEDENDI PROPOSITO MOX RESILIT.

BOMILCAR, qui Romæ cum rege fuerat, & vadibus datis de MASSIVÆ nece clàm iudicium fugerat; multis Consulis pollicitationibus expugnatus, ad deditionem Romanis faciendam IUGURTHÆ animum ita impulit, ut ad imperatorem legati missi sint. „ *Qui regem imperata facturum dicerent: ac sine ullâ pactione sese regnumque suum in illius fidem tradere.*

Ille ex consilii decreto, per legatos, IUGURTHÆ imperat, argenti pondo CC. M. elephantos omneis; equorum & armorum aliquantulum. iubet omneis perfugas vinctos adduci.

Ita IUGURTHA, armis virilique & pecuniâ spoliatus, quùm ad Imperatorem, Tisidrum, vocaretur, rursus cæpit flectere animum suum. & secum reputans, quàm gravis casus in servitium ex regno foret, de-integro bellum resumit. Romæ autem Senatus, de provinciis consultus, Numidiam METELLO iterùm decreverat.

MARII LEGATI AMBITIO, ET IN COS. CALVMNIÆ.

Per idem tempus, Uticæ fortè C. MARIO, per hostias Diis supplicanti, magna atque mirabilia portendi aruspex dixerat. Proinde quæ animo agitabat, fretus Diis ageret: Fortunam quamsæpissimè experiretur; cuncta prosperè eventura.

At illum iam anteà, quamvis ab Ædilitate bis repulsus, vix antè septennium præturam adeptus esset; Consulatûs ingens cupido exagitabat. ad quem capiundum, præter vetustatem familiæ, alia omnia ei abundè esse viderentur. quique à Tribunatu

bunatu militum, alium post alium, magistratus sibi peperisset: semperque in potestatibus eo modo agitasset, ut ampliore, quàm gerebat, honore dignus haberetur.

Fretus itaque aruspicis dictis, ab METELLO, petundi Consulatûs gratiâ, missionem rogat.

Qui quùm Legatum suum ab eo honore adfectandu dehortaretur; MARIVS cupidine atque irâ, pessimis consultoribus, grassari intendit; neque facto ullo aut dicto abstinere, quod modò ambitiosum foret. Apud milites & negotiatores Italicos, criminosè simul ac magnificè de bello loqui. Dimidiâ pars exercitûs si sibi permitteretur; paucis diebus IVGVRTHAM in catenis habiturum. Ab Imperatore consultò bellum trahi; quod homo inanis, & regiæ superbiæ, imperio nimis gauderet.

GAVDAM, MANASTABALIS filium, Masanissæ nepotem, hominem parum valido ob morbos animo, quem MICIPSA testamento secundum heredem scripserat; cuique METELLVS & sellam regiam, & custodiæ caussâ præsidium equitum, negaverat; eò impellit; Si IVGVRTHA captus aut occisus foret, ut imperium Numidiæ sine morâ habiturum, sibi persuadeat. Id adeò maturè posse evenire, si ipse Consul ad id bellum missus foret.

Simul Equites, milites, & publicanos, qui diuturnitate belli res familiareis corruperant; spe pacis inducit, uti Romam ad suos necessarios asperè in METELLVM de bello scribant; MARIVM imperatorem efflagitent.

Interim IVGVRTHA, omissâ deditione, bellum incipit; exercitum cogit; civitates, quæ ab se defecerant, formidine aut ostentatis præmijs, adfectat.

VACCENSIVM PERFIDIA.

Vaccenses, quò METELLVS initio, IVGVRTHA pacificante, præsidium imposuerat; fatigati regis supplicijs, neque anteà voluntate alienati, Romanos duces per speciem diei festi variè invitatos, inter epulas, obtruncant. Deinde in milites, improviso perculsos metu, & opido undique clauso, adgressi, promiscuè sæviunt.

Vnus T. TVRPILIVS SILANVS, opidi præfectus, ex omnibus Italicis, intactus profugit.

Re compertâ METELLVS, cum legione, quæ eum eo hiemârat; & magno Numidarum equitum numero, ultum ire iniurias festinat. & à Vaccensibus, IVGVRTHAM advenisse arbitrantibus, & magno gaudio obvijs acceptus, dato suis signo in opidum irrumpit. Ita Vaccenses biduum modò ex perfidiâ lætati: & civitas magna atque opulens pænè cuncta prædæ fuit.

TVRPILIVS ille, postquam caussam dicere iussus sese parum expurgat; condemnatus verberatusque pœnas ignaviæ capite solvit.

BOMILCAR, cuius impulsu IVGVRTHA deditionem, quam metu deseruit, inceperat, suspectus regi, & ipse eum suspiciens; socium novi doli adiungit sibi NABDALSAM, hominem nobilem, & vicarium exercitûs regij ducem. Sed insidijs per litterarum commercia regi patefactis, BOMILCAR, cum alijs conscijs, interfectus est.

Igitur METELLVS de casu Bomilcaris, & indicio certior factus; rursus tamquam ad integrum bellum cuncta parabat. Et MARIVM, fatigantem de profectione, simul & invitum, & offensum, sibi parum idoneum ratus, domum dimittit.

STVDIA ROMAN. IN MARIVM.

Romæ seditiosi magistratus vulgum exagitare: METELLVM omnibus concionibus capitis arcessere: MARII virtutem in maius celebrare. Plebes denique, relictis tantum-non operibus, eumdem colere & frequentare. Ita perculsâ nobilitate, post multas tempestates, novo homini consulatus mandatur. Et posteà populus à Trib. pl. L. MANLIO MANTINO rogatus; Quem vellet cum IVGVRTHA bellum gereres frequens MARIVM iussit. Sed quoniam Senatus paullo-antè METELLO Numidiam decreverat, ea res frustrà fuit.

THALA EXPVGNATVR.

IVGVRTHA rebus suis diffidens; cum perfugis & parte equitatûs in solitudines, & dein Thalam pervenerat, opidum magnum atque opulentum: ubi plerique thesauri, & filiorum eius multus pueritiæ cultus erat,

METELLVS spe patrandi belli, si eius opidi potitus foret, omneis locorum, quæ vasta atque arida interiacebant, asperitates supervadere, & naturam etiam vincere, adgreditur. Romani multo-antè itinerum labore, prœlijsque ad mœnia fatigati, post dies XL. quàm eò ventum erat, opido modò sunt potiti: præda omnis à perfugis corrupta est. Hi postquam arietibus murum feriri, resque suas adflictas vident; omnia, quę prima ducūtur, in domum regiam comportant: ibi vino & epulis onerati, illaque & domum, & semet igni corrupére.

Leptitani, apud quos HAMILCAR, homo nobilis & factiosus, rebus novis studeret; quique iam inde à principio belli, societate impetratâ, boni semper fidelesque Romanis manserant, Metellum orabant; uti præsidium Præfectumque ad se mitteret. missæ sunt cohortes Ligurum quattuor, & C. ANNIVS Præfectus.

IVGVRTHA, amissâ Thalâ, nihil satis firmum contra Metellum ratus, per magnas solitudines cum paucis profectus, pervenit ad Gętulos: & ex ijs multitudinem in unum cogit; & iustæ militiæ adsuefacit.

BOCCHVs REX IVGVRTHÆ SOCIATVR.

Regem Maurorum BOCCHVM generum adgressus impellit, uti adversùm Rom. bellū susciperet; qui eius amicitiam, sedusque anteà renuisset. Ipsi rebus inter se cōstitutis & exercitu consociato, ad Cirthā opidum iter intendūt. quòd ibi Metellus prędam, captivosque, & impedimēta locaverat. Is haud procul eâdem urbe munitis castris reges operitur. Interim Româ per litteras certior fit, provinciā Numidiam

diam MARIO datam. Cuius ille nuntij acerbitate & dolore impeditus; & magis honore MARII, quàm iniuriâ suâ excruciatus, qui iam partam victoriam è manibus sibi eripi doleret: & quia stultitiæ videbatur, alienam rem periculo suo curare; legatos ad BOCCHVM misit, postulatum; ne sine caussâ hostis populo Rumano fieret: ne ve opibus suis confidens, incerta pro certis mutaret: aut florenteis res suas cum IVGVRTHÆ perditis misceret.

Ad ea rex satis placidè respondit; *Sese pacem cupere; sed IVGVRTHÆ fortunas miserari. si eadem illi copia fieret, omnia facilè conventura.* Eo modo, sæpè ab utroque missis & remissis nuntijs, tempus procedere; & ex METELLI voluntate bellum intactum trahi.

MARIVS CONSVL METELLO SVFFECTVS.

At MARIVS, cupientissimâ plebe Consul iam factus, postquam ei provinciam Numidiam populus iussit; nobilitati infestus, & consulatum ex victis illis, ceu spolia, cepisse gloriatus, quæ bello opus erant, comparat: supplementum legionibus, auxilia à regibus socijsque arcessit.

3849.
Pt. L. 11.
An. Cyz. 5.
Ioan. Hyr. 30.
Ab V. C. 647.

Consules C. CASSIVS LONGINVS, (L. CASSII, an. 626. Consulis, filius) & C. MARIVS Nepos. Illi Gallia, huic Numidia provincia decreta.

101.

CLADES A TIGVRINIS.

CASSIVS, SCAVRO in Galliam succesit: & à Tigurinis Gallis, pago Helvetiorum, qui à civitate secesserant, in finibus Allobrogum, cum exercitu cæsus est. Quos antè usque ad Oceanum fuerat persecutus; rursùm ab ijsdem, insidijs circumvenitus.

Tum quoque L. PISO, vir Consularis, legatus Consulis interfectus. Et Q. PVBLIVS alter legatus, ne reliqua exercitûs portio deleretur, obsides, & dimidiam rerum omnium partem, Tigurinis turpissimo fœdere dedit.

At MARIVS, quùm A. MANLIVM legatum cum navibus, commeatu, armis, & stipendio oneratis, in Africam proficisci iussisset; ipse cum aliquanto maiore militum numero, plerisque capite censis, quàm decretum erat, consecutus, paucis diebus Vticam advehitur. Exercitus ei traditur à P. RVTILIO legato; quod METELLVS conspectum eius fugeret.

Reges ubi de adventu eius cognovére, diversi in locos difficileis abiérunt; qui sperarent mox effusos hosteis invadi posse.

METELLVS Romam profectus contra spem suam, lætissimis animis accipitur; plebi patribusque, postquam invidia decesserat, iuxta carus.

MARIVS exploratis regum itineribus & consilijs, Gætulos & IVGVRTHAM ex sociorum agris prædas agenteis, sæpe adgressus obiter fuderat; ipsumque regem haud procul ab opido Cirthâ armis exuerat.

BOCCHVS quidem nuntios sæpe ad eum miserat; Velle populi Romani amicitiam; ne quid ab se hostile timeret. Sed Consul, haud satis fidens, opida castellaque munita adire: partim vi, partim metu, aut præmia ostentando, avertere ab hostibus. Deinde maiora magisque aspera adgredi statuit.

CAPSA CAPITVR ET INCENDITVR.

Capsa erat inter ingenteis solitudines, opidum magnum & validum, cuius conditor HERCVLES Libys memorabatur. loca circùm inculta, aquæ egentia, & serpentibus infesta. MARIVS eius opidi potiundi cupidus, milites summis multorum dierum difficultatibus propiùs adductos, abiectis sarcinis, iubet aquâ onodò seque & iumenta onerare. Quùm verò tertiâ demùm nocte, multo antè lucis adventum, in locum pervenisset tumulosum, qui non amplius duûm millium intervallo à Capsâ aberat; ibi quàm occultissimè poterat, cum omnibus copijs operiebatur.

Sed ubi dies cæpit; & Numidæ, nihil hostile metuentes, multi opido egressi; repentè omnem equitatum, & cum his velocissimos pedites, cursu contendere ad urbem, & portas obsidére iubet. deinde ipse intentus properè sequi, neque milites prædari sinere.

Quæ postquam opidani cognovére; res trepidæ, metus, & improvisum malum; ad hoc pars civium in hostium potestate; coëgére, uti deditionem facerent. Cæterùm opidum incensum, & Numidæ puberes interfecti: alij omnes venumdati: præda militibus divisa. Id contra ius belli admissum; quia locus IVGVRTHÆ opportunus, Romanis aditu difficilis: & genus hominum infidum, neque metu, neque beneficio coërceri posset.

Deinde Castellum quoddam, quod haud longè à flumine Mulucha, saxeo monti erat impositum, ubi regis thesauri erant; summâ vi capere intendit. Locus is aggeribus turribusque, & alijs machinationibus importunus: in quo & virorum atque armorum satis magna vis erat, & frumenti; & fons aquæ.

Multis ibi diebus & laboribus in adgrediundo consumtis; LIGVS quidam, miles gregarius, attributis sibi cornicibus & quattuor centurionibus, aditu arduo inaccessoque in latus castelli (quod prœliantibus adversum, & ab eâ parte desertum erat) penetravit. & castellanis, Romanisque prœlio utrimque intentis, illis pro salute, his pro gloriâ atque imperio certantibus; signa à tergo repentè cecinit; & hostem in fugam variè egit; & instantibus murumque tutò ex adversùm adscendentibus socijs, cædendum obiecit.

PVGNA VARIA, HINC MARIO ET SYLLA; INDE IVGVRTHA ET BOCCHO satagentibus.

Dum ea res geritur, L. SYLLA Quæstor, cum magno equitatu in castra venit. Et BOCCHVS vicissim, præmijs magnis illectus, cum magnâ multitudine ad IVGVRTHAM accessit. Ita amborum exercitu coniunctô, reges MARIVM, iam in hibetna proficiscentem, invadunt.

Post acrem pugnam, latrocinio magis quàm prœlio similem; MARIVS, uti suis receptui locus esset, colleis duos inter se propinquos occupat; & milites dispersos paullatim in unum contrahit: dein cunctos pleno gradu in collem subducit. Ita reges, loci difficultate coacti, & prœlio deterriti; suos quidem haud longiùs abire sinunt; sed utroque colle multitudine circumdato, effusi considunt. Et quia sui non fugerant exsultare; & pro victoribus sese, non sine strepitu, insolentiùs agere.

Consul ea ex tenebris locisque editioribus conspicatus, & hostium imperitiâ confirmatus; pòst altum noctis signorumque silentium, ubi lux adventabat; defessis iam hostibus, ac paullo-antè somno captis, tubicines simul omnes de-improviso canere; milites clamorem inconditum tollere, atque portis erumpere iubet.

Mauri atque Gætuli, ignoto & horribili sono repentè exciti, neque fugere, neque arma capere, neque omninò facere aut providere quidquam poterant. Denique omnes fusi fugatique. arma & signa militaria pleraque capta: pluresque eo in prœlio, quàm omnibus superioribus, interemti.

MARIVS dein, uti cæperat, in hiberna proficiscitur, quæ propter commeatum in opidis maritimis agere decreverat. Iamque quarto demùm die haud longè à Cirthâ aberat, quùm ex speculatoribus hostis adesse intelligitur. MARIVS incertus, & adversùm omnia paratus, ibidem opperitur; & IVGVRTHÆ, qui copias in quattuor parteis distribuerat, spem frustratur. SYLLA, quem primùm hosteis attigerant, turmatim, & quàm maximè confertis equis Mauros invadit. & equitibus eo modo prœliantibus, BOCCHVS, cum peditibus, quos VOLVX filius recèns adduxerat, in postremam Romanorum aciem invectus est.

Et quod IVGVRTHA cum paucis ad equites convertens, gladium sanguine oblitum ostenderet, suaque manu MARIVM interfectum iactaret; perculsi Romani paullulùm à fugâ aberant; ni SYLLA, profligatis ijs, quos ad vorsùm ierat, rediens, ab latere Mauris incurrisset.

Et BOCCHO statim averso, IVGVRTHA dum sustentare suos, & propè iam adeptam victoriam retinere cupit; circumventus ab equitibus dextrà sinistrà, omnibus occisis, solus inter tela hostium vitabundus erupit.

Interim dum MARIVS, fugatis equitibus, accurrit auxilio suis, quos pelli iam acceperat; horribile in campis patentibus occisorum, aut fugientium spectaculum erat. omnia, quà visus erat, constrata telis, armis, cadaveribus, aut saucijs: & inter ea humus infecta sanguine.

Posteà loci Consul, haud dubiè iam victor, Cirtham, quò initio tetenderat, pervénit. Eò post diem à pugnâ quinctum legati à BOCCHO veniunt, qui regis verbis ab MARIO petivére, duos quàm fidissimos ad eum mitteret, cum quibus de suo, & pop. Rom. commodo dissereret. L. SYLLA & A. MANLIVS statim ire iussi; qui ingenium regis, aut adversum flecterent, aut cupidum pacis vehementiùs accenderent.

3850. Pt. Lat. 12. Ant. Cyz. 6. Aristob. 1. Ab V. C. 648.	*Consules C. ATILIVS SERRANVS, (CATVLO antelatus) & Q. SERVILIVS CÆPIO (Q. CÆPIONIS F. qui anno 613. Consul fuit.)*	100.

His Coss. M. TVLLIVS CICERO Arpini natus, matre HELVIA; patre Equestris ordinis, ex regio Volscorum genere. Eodemque anno nascitur & CN. POMPEIVS MAGNVS.

LEX DE IVDICIIS.

Tum quoque Iudicia, quę C. GRACCHVS ad solos Equites transtulerat, per CÆPIONEM Cos. inter Senatores & Equites communicata sunt. (quæ tamen lex aut sublata, aut non diu observata fuisse putetur.)

AVRVM TOLOSANVM; ET INDE CONSECVTA CLADES.

Galli, & in cæteris Tectosages, in belli societatem contra Delphos, anno V. C. 457. venerant; & APOLLINIS Templum spoliârant: eamque ob caussam peste & diris cladibus adflicti putantur. Quo factum est, ut ij, quibus in patriam reverti contigit; sacrum illud & exitiosum Aurum ad cx. auri, & cxv. argenti pondo M. in Templo Tolosano deposuerint, sive lacu APOLLINI sacro demerserint.

CÆPIO Cos. hoc anno in Galliam missus bellum Tectosagis intulit; & captâ Tolosâ, thesaurum Delphicum diripuit. Unde factum, ut & CÆPIO, & quisque ex eâ direptione aurum attigit, perinde ac fœdo sacrilegio contaminati, misero cruciabilique exitu perierint. Romanos quoque Cimbrici belli tumultus, quasi ultor sacræ pecuniæ, insecutus esse credatur.

CÆPIO è patriâ eiectus, in publicis vinculis spiritum deposuit: corpusque eius funesti carnificis manibus laceratum, in scalis Gemonijs iacuit. Filij eius in bonorum possessionem relicti, inter scorta, ea obligurrisse, fœdèque mortui produntur.

BOCCHVS ROMAN. AMICITIAM AMBIT.

BOCCHVS legatis, quos diximus, ad se missis, quùm placidè pauca pro delicto suo verba fecisset, respondе-

ſponderat. Si per MARIVM liceret, legatos ad Senatum miſſurum. Dein eius rei copiâ facta, ab amicis, quos IVGVRTHA, id metuens, corruperat; aliò flectitur.

MARIVS intereà, exercitu in hibernis poſito, cum expeditis cohortibus, & parte equitatus, Turrim in ſolitudine regiam, quò IVGVRTHA perfugas omneis præſidium impoſuerat, obſeſſum proficiſcitur. Tum rurſus BOCCHVS, ſive incerta belli reputans; ſive à magè fidis amicis admonitus, quinque ex omni neceſſariorum copiâ, fide ſpectatos, ad MARIVM; & dein ſi placeat, Romam legatos ire iubet, belli quocúque modo componendi licentiam ijs permittit.

Illi, dum ad hiberna Romanorum proficiſcuntur, à latronibus Gætulis in itinere circumventi ac ſpoliati, trepidè & ſine decore ad Syllam Prætorem in caſtra profugiunt: & liberaliter, præter meritum, ab eo habiti, mandata BOCCHI patefaciunt.

MARIVS ubi confecto negotio, quo intenderat, Cirtham redijt; legatis poteſtatem eundi Romam facit: inducijs interim ab eo poſtulatis.

Illi Romam profecti, poſtquam errâſſe regem, & IVGVRTHÆ ſcelere lapſum deprecati, amicitiam fœduſque petierunt; hoc reſponſi retulérunt; *BOCCHO, quoniam pœnitet delicti, gratiam fieri: Fœdus & amicitiam datum iri, quùm promeruerit.*

SVLLA AD BOCCHVM MITTITVR. OCCVLTA DE IVGVRTHA PRODENDO COLLOQVIA.

His rebus cognitis BOCCHVS, à MARIO petivit, ut SYLLAM ad ſe mitteret: cuius arbitratu de communibus negotijs conſuleretur. Ille cum aliquantâ equitum peditumque manu, & quidem armis, properandi itineris causâ, velitaribus; & in itinere VOLVCI, quem pater BOCCHVS cum mille non ampliùs equitibus præſidio miſerat, obviam in itinere factus, poſt alternantis metûs & diffidentiæ perplexitatem, per medias IVGVRTHÆ, qui ante eos haud procul ſpeculabundus conſederat, caſtra, incolumis, & paucis diebus, quò intenderat, pervenit.

BOCCHVS, DABAREM quemdam, MASSAGRADÆ F. ex gente MASINISSÆ, illicò ad SYLLAM nuntiatum mittit, paratum ſeſe facere, quæ pop. Rom. vellet. Punicâne fide id egerit, dixéritve; incertum. ſive dubitárit; IVGVRTHAM Romanis, an illi SYLLAM traderet.

Poſtquam ex compecto, & paucis, (ob Numidam, ASPAREM nomine, quem IVGVRTHA, acciti ad regem Syllæ conſcius, ſubdolè ſpeculatum BOCCHI conſilia præmiſerat) præſentibus, congreſſi ſunt; & SYLLA ſe miſſum à Conſule veniſſe dixit; quæſitum ab eo, pacem an bellum agitaturus foret? Rex, uti à SYLLA, ob ASPAREM præſentem, preceptum erat, poſt diem decimum redire iubet; nihil pro tempore decreviſſe; ſed illo qui dictus eſſet, die reſponſurum.

Deinde ambo in ſua caſtra digreſſi.

Sed ubi plerumque noctis proceſſit, SYLLA occultè à BOCCHO arceſſitur; & fidi tantummodo interpretes, DABARE internuntio, ab utroque adhibentur.

Hic BOCCHVS nihil ſe SYLLÆ, privati licet hominis amicitiâ, & gratiâ prius aut antiquius, aut apud animum ſuum earius, habere profeſſus; cui arma, viros, pecuniam, quidquid denique eius animo liberet, ſumendum utendúmque offerret.

De rep. verò, cuius curator ad ſe miſſus eſſet, ſic habere iuſſit. *Bellum ſe pop. Romano neque feciſſe, neque factum umquam voluiſſe. fineis ſuos adverſum armatos armis tutatum. Sed ijs omiſſis, bellum uti vellent, Romani cum IVGVRTHA gererent. ſe flumen Mulacha, quod inter ipſum & MICIPSAM fuerit, non egreſſurum; neque intrare IVGVRTHAM paſſurum. SYLLAM, ſi quid præterea ſe rege, & Romanis dignum, petijſſet, non compotem abiturum.*

SYLLA amplius quid à rege, quod Senatus populuſque Romanus non ingratum habiturus eſſet, efflagitat. Id adeò, quoniam IVGVRTHÆ copiam haberet, in promtu eſſe. quem ſi Romanis tradidiſſet, fore, ut *illi plurimùm deberetur. Amicitiam, fœdus, & Numidiæ partē, quam nunc peteret, ultrò adventuram.*

BOCCHVS, cognationem & fœdus, quod cum IVGVRTHA intervenerat, excuſare; & metum prætendere; ne fluxâ fide uſus, popularium animos; queis & IVGVRTHA carus, & Romani inviſi erant; averteret. Tandem ſæpiùs fatigatus, lenitur: & ex voluntate SYLLÆ omnia ſe facturum promittit. Et dolo ſimulandæ pacis, inter ſe compoſita digrediuntur.

IVGVRTHA per ASPAREM, quæ BOCCHVS vellet, edoctus; *Poſſe certis conditionibus bellum componi; nuntiari iubet. Cupere omnia, quæ imperarentur, facere; ſed MARIO parùm confidere.* Cæterùm BOCCHVS, ſi ambobus conſultum & pacem ratam vellet; *daret operam, ut unà ab omnibus, quaſi de pace, in colloquium veniretur; ibiq; ſibi SYLLAM traderet.* Quùm talem virum in poteſtate haberet, tum fore, ut iuſſu Sen. populique Rom. fœdus fieret; neque hominem nobilem & gratiſſimum in hoſtium poteſtate relictum iri. (*An id rex, ſæpe ipſe ſibi adverſus, & mobilis, promiſerit, incertum.*)

Poſtremò tamen SYLLAM arceſſit, & ex eius ſententiâ Numidæ inſidias tendit. Deinde ubi conſtitutus colloquio dies advénit; & ei nuntiatum eſt, IVGVRTHAM haud longè abeſſe; cum paucis amicis, & Quæſtore SYLLA, quaſi obvius honoris causâ procedit in tumulum, facillimum viſu inſidiantibus.

Eòdem Numida cum plerisque neceſſarijs, uti dictum erat, inermis venit. Ac ſtatim ſigno dato, undique ſimul ex inſidijs invaditur; & cæteris obtruncatis, IVGVRTHA SYLLÆ vinctus traditur; ab eo ad MARIVM deductus. *Sic fraudulentiſſimus regum fraude generi ſui in inſidias præceps datus.* Viderint Romani; quàm glorioſè deditus.

ARISTOBVLVS PONTIFEX, ET REX IVDÆÆ.

IOANNES HYRCANVS, vitâ ſub exitum ſatis feliciter exactâ, & principatu per annos ampliùs xxx. glorioſè adminiſtrato; naturæ conceſſit. Qui, teſte IOSEPHO, futurorum præſagus, duos à libe-

è liberis suis, quos quinque superstites reliquit, natu maiores, haud diuturnam paterni principatûs usuram habituros prædixerit.

ARISTOBULUS vetterrimus, & teterrimus è filijs patri succedens, petaso Pontificio non contentus, regium diadema sibi primus imposuit, solennibus scenopegiorum ferijs. Annis circiter CDLXXXI. postquam è captivitate Babylonicâ liberatus Iudæorum populus ad pristinas sedes ceu postliminiò reversus esset. (Veriùs, ann. 485. post captum SEDECHIAM.)

Ipse cognomine PHILELLEN dictus, ab amore Græcæ gentis, an vanæ superstitionis! bello Ituræis illato, magnam eius regionis partem Iudææ limitibus adiecit; & incolas metu exsilij, CIRCUMCISIONEM, aliosque Iudaicos ritus amplecti coëgit.

ANTIGONUM, proximum sibi fratrem, quem amabat, in Societatem dominationis adsciverit: cæteros in vinculis habuit. Matrem, quam HYRCANNUS rerum dominam & regni administram reliquerat, ac proinde æmulam, in carcere præ inediâ mori coëgit.

Vxor SALOME (quæ & Alexandra) mariti parricidium detestata, & ANTIGONUM exosa, dolore dissimulato, maritum monet ut ab huius insidijs sibi caveat. Eius autem generis calumnias ARISTOBULUS, uti ab invidis confictas, semel atque iterúm susque deque habuerat.

ANTIGONI FRATRIS REGII CÆDES.

Tandem in lecto iacenti, æmuli per nuntium indicant, ANTIGONUM ab expeditione reversum, magno stipatum comitatu, & pompæ strepitu, ad festum Tabernaculorum, & in Templum (ubi fortaßè pro regis fratris salute vota facturus erat) adscendisse. *Hæc adfectati regni, scilicet, indicia.*

ARISTOBULUS, inter amorem & metum dubius, quo & suspicionem vitaret, & saluti suæ consuleret; collocatis loco obscuro, haud procul à Bari, sive Turri STRATONIS, ubi decumbebat, satellitibus; additoque mandato; Vt; *si frater sine armis ad se accedat; manus ab eo abstinerent; Sin armatus; vim inferrent.* præmittit tamen, qui moneant, ut inermis ad se veniat.

Hic SALOME contrà, clam mandat; *ARISTOBULUM cupere; ut frater cum armaturâ, sive panopliâ, quam eximiam sibi comparâsset, sese ostentet.*

Vbi itaque nihil suspicans mali ANTIGONUS, & fratris benivolentiâ fretus, propiùs ad Turrim accessit; à satellitibus interfectus est.

Fortè IUDAS quidam, Essenus, ANTIGONUM eâ die ad Turrim STRATONIS periturum prædixerat; qui aliam ipse STRATONIS Turrim nesciret, neque fando inaudisset, preter eam, & quidem maritimam, quæ postea Cæsarea dicta est; & DC. stadijs ab Hierosolyma distat.

Is ubi ANTIGONUM eâ die incolumem vidit; mortem sibi, qui hactenus pro veraci vate habitus fuisset; imprecabatur; metuens, ne falsi convinceretur. *Sic oraculo* (si credere fas est) *sua constitit fides.*

ARISTOBULI POENITENTIA, ET MORS. EI SUCCEDIT ALEXANDER IAMNÆUS.

ARISTOBULUS fratris ita interemti desiderio contabescens, qum præ doloris vehementiâ sanguinem ore evomeret; eumque è ministris quidam foràs efferret, & prolapsus eò ipso loco, qui cruenta ANTIGONI cædis vestigia habebat, effudisset; ingenti eorum, qui id viderant, clamore excitatus, & de casu edoctus, & conscientiâ animum graviter ictus, effusè lacrymatus est. Et gemitum ex imo pectore ducens: *Ergo,* inquit, *Deum non latet facinus meum, tam impium & sceleratum! qui cognati sanguinis pœnas tam properè à me reposcat! Quousque, anima, huius tam impudentis corpusculi claustro retineris, quam materni simul & fraterni manes efflagitant! Cur non semel redderis, ne per partes opus sit sanguinem meum libare; atque ita propinquis, per nefas & parricidium à me oppressis, parentare!* Et his dictis animam exhalavit. (*Mirum est, cur STRABO, auctore TIMAGENE, hunc virum à naturâ æquum & modestum fuisse tradiderit.*)

Ab eius obitu SALOME uxor, fratribus quos ille vinxerat, carcere solutis; IAMNÆUM, qui & ALEXANDER, ceteris ætate, & morum modestiâ præstantem, regem constituit.

IAMNÆI CASUS.

Is mox, ubi natus est, in patris odium incurrerat: nec in eius dum viveret, conspectum umquam admissus. Eius odij hæc caussa fertur. Qum patri DAUS aliquando in somnis apparuisset; & de successore consultus, huius effigiem designâsset; ille dolens, & de ARISTOBULO atque ANTIGONO, quos præ cæteris liberis diligebat, solicitus; ALEXANDRUM clam educandum in Galilæam ablegârat.

Ipse, ut regno potitus est, alterum è fratribus sibi insidiantem interfecit; alterum, quòd otiosâ & privatâ vitâ contentus esset, in honore habuit. SALOMEN, fratris ARISTOBULI, qui sine liberis erat defunctus, viduam, ferè quadragenariam, ex legis præscripto, uxorem duxit, ut fratri semen suscitaret. Et quem primum ex eâ genuit, ARISTOBULUM de fratris nomine appellavit; qum iam ex aliâ, HYRCANUM, ita de nomine Avi dictum, suscepisset.

ALEXAN-

ALEXANDER IAMNÆVS IVDÆÆ REX.

3851. Pt. La. 13. An. Cyz. 7. Alex. Iamn. 1. Ab V. C. 649.	*Consules* P. RVTILIVS RVFVS, & CN. MALLIVS MAXIMVS.	99.

Ille quidem repulsam in Tribunatu acceperat; & anteà unà cum M. SCAVRO Consulatum petierat, competitorem ambitûs accusârat, ab eodem vicissim in iudicium vocatus: homo multâ operâ, multâque industriâ.)

De hoc verò CICERO, pro PLANCIO: *Populus Romanus Q. CATVLO, in summâ familiâ nato &c. prepesuit CN. MALLIVM, non solùm ignobilem; verùm sine virtute, sine ingenio, vitâ etiam contemtâ.*

Huic Gallia provincia evnit. in quâ CÆPIONI Proconsuli, de quo suprà; prorogatum videtur imperium, ob Cimbrorum metum, quorum adventus in dies vehementiùs celebrabatur.

CIMBRORVM IRRVPTIO; ET AB IIS CLADES, OB IMPERAtorum discordiam.

Hoc certè anno, ab ambobus his imperatoribus, cum Cimbris in Galliâ dimicatum; & clades, Alliensi ferè par, accepta.

Cimbri scilicet, adiunctis sibi Teutonis, Tigurinis, Ambronibus, Gallorum gentibus, in Romani imperij perniciem conspirârant.

MALLIVS itaque & CÆPIO provincias inter se, Rhodano flumine medio, diviserant. Hi dum invicem gravissimâ invidiâ & contentione disceptant, cum magnâ ignominiâ & periculo Romani nominis, victi sunt.

Eâ in pugnâ M. AVRELIVS SCAVRVS, Consulis legatus, fuso exercitu captus, quùm in concilium evocatus Cimbros deterreret, ne Alpeis transirent, neve Italiam peterent; diceretque Romanos vinci non posse; à BOLO rege, iuvene feroci, occisus est. Duo filij Consulis cęsi. MALLIVS & CÆPIO castris binis exuti. Lxxx. Romanorum sociorumque M. trucidati; & calonum aclixarum LX. (al. XL.) M. Vix decem ex omni exercitu homines superfuérunt. Hostes castris & ingenti prædâ potiti, omnia pessumdederúnt. Maximus Romę non tantùm luctus, sed metus etiam fuit, ne confestim tot hostes Alpeis transgressi Italiam delerent.

SEDITIO TRIBVNITIA ROMÆ.

Hoc anno, ob rogationem C. NORBANI Trib. pl. quâ imperium CÆPIONI, cuius temeritate clades accepta erat, abrogabatur; seditio Romæ excitata est. in quâ vis, fuga, lapidatio, & tribunitia crudelitas in CÆPIONIS gravi miserabilique casu fuerit: princeps & Senatus & civitatis M. ÆMILIVS lapide percussus. vi pulsi è templo L. COTTA & T. DIDIVS, quòd rogationi intercederent.

CICERO tamen CÆPIONEM virum acrem & fortem nominat; cui fortuna belli crimini; invidia populi calamitati fuerit. Qui post damnationem etiam in Senatum venerit, licet Cassiâ lege prohibitus ne iret. VALER. l. 4. è carcere aufugisse. quem veteris amicitiæ memor, publicâ custodiâ liberârit L. RHEGINVS Trib. pl. & fugę eius comes accessêrit. Idem l. 6. miserè necatum fuisse ostendit.

ARMORVM EXERCITATIO.

P. RVTILIVS, à quo iudicandorum (al. tractandorum) armorum meditatio militibus tradita fuisse fertur, nullius ante se imperatoris exemplum secutus, ex ludo C. AVRELII SCAVRI gladiatoribus arcessitis, vitandi atque inferendi ictûs subtiliorem rationem legionibus ingeneravit, & artem virtuti immiscuir. Illo nihilo minus Lusitaniam provinciam cum exercitu obtinente; exercitum Rom. à Lusitanis cæsum Obsequens notavit.

3852. Pt. La. 14. Ant. Cyz. 8. Alex. Iamn. 2. Ab V. C. 650.	*Consules* C. MARIVS NEPOS II. & C. FLAVIVS FIMBRIA.	98.

Ille duabus legibus solutus; unà quòd absens erat; alterâ, quod ante tempus, quo ei per legem iterùm capere Consulatum non licebat; metu Cimbrorum, quo omnis Italia contremuerat, Consul factus est. Hic verò, qui quùm Trib. pleb. esse non potuisset; Consulatum est adeptus.

TRIVMPHVS MARII CONSVLIS DE IVGVRTHA, ET NVMIDIA. Et bellum cum Cimbris.

C. MARIVS, IVGVRTHA capto, & totâ Numidiâ in ditionem pop. Rom. redactâ, hoc anno Kal. Ianuar. Consul iterùm triumphans urbem iniit, ac regem, eiusque duos filios, in triumpho duxit.

Cimbri, post fusos victosque summo prœlio Romanos Imperatores, quos memoravimus, nondum de transitu in Italiam cogitabant. Hoc autem anno, vastatis omnibus, quæ inter Rhodanum & Pyrenæum sunt, per saltum in Hispaniam transgressi, multaque ibi loca populati, & à Celtiberis fugati, atque in Galliam reversi; Teutonis se coniunxêrunt.

MARIO autem Consuli decreta provincia Gallia est; & bellum cum Cimbris, quorum tum ex Hispaniâ in Galliam reditus timebatur, mandatum. SYLLA, MARII legatus, COPILVM regem Tectosagum cepisse tum traditur. Thraces etiam in Macedoniâ, per nescio quos Prætores, subacti.

3853. Ptol. La. 15. An. Cyz. 9. Alex. Iamn. 3. Ab V. C. 651.	*Coss.* MARIVS III. & L. AVRELIVS ORESTES.	97.

Ille absens creatus metu belli Cimbrici, quod differebatur; & in cuius adparatu totus hic annus consumtus est. eique extra ordinem Gallia, in quâ tum erat, provincia decreta. Metus enim erat, ne Cimbri ineunte Vere irrumperent. quamquam ne hoc quidem anno movérunt.

Collegâ autem MARII mortuo, ipse, præfecto castris M. AQVILIO, Romam è Galliâ reversus, comitijs ijs, quæ ipse habuit, Consul IV. creatus est. eamque ad rem L. SATVRNINVS Trib. pl. maximè populum incitabat.

Eo quoque anno CN. DOMITIVS Trib. pleb. legem tulit, ut *Sacerdotes*, quos anteà collegæ sufficiebant, *populus crearet*.

CLEOPATRÆ AMBITIO, ET INIQVITAS.

Intereà CLEOPATRA, in Ægypto, regnandi semper avida, quòd gravari se socio regni, filio PTOLEMÆO LATHYRO, doleret; populum in eum incitátat. Quumque SELENEN uxorem ei abduxisset, ex quâ duos iam filios habebat, arcessito minore filio ALEXANDRO, & rege in fratris locum constituto, illum exsulare cogit; & bello, Cypri exsulantem, persequitur.

LATHYRVS, verecundiâ magis materni belli, quàm virium desperatione, ab insulâ recessisse traditur.

Huius CLEOPATRÆ præcipui consiliarij erant Iudæi duo, CHELKIAS & ANANIAS, filij ONIÆ eius, qui ante annos LXIII. Templum, ONION, in Ægypto construxerat. His ducibus regina tam in bellicis, quàm urbanis rebus, summâ cum auctoritate utebatur.

ALEXANDER IAMNÆVS PTOLEMAIDEM OBSIDET.

Et quùm hactenus ex imperij Seleucidarum iam labantis, quasi ruderibus, suæ potentiæ thronum Asamonæi exstruxisse visi essent; Deus in Alexandro Iamnæo, qui cupiditati suæ modum non poneret, victoriarum cursum remorari visus est. In maritimâ Palæstinæ orâ, Ptolemais & Gaza, liberali sese adseruerant manu. & ZOILVS Tyrannus Stratonis Turrim, & Doram, ex ditione Iudaicâ occupárat.

Alexander rebus imperij ex animi sententiâ constitutis, eas urbeis reciperare & sibi iterum subigere cupiebat. Et primùm ducto ad Ptolemaidem exercitu, pugnâque prosperè commissâ, victos intra mœnia compulit & obsedit.

A fratribus, Syriæ regibus, qui bello internecino distinebantur, nihil opis exspectabatur. Opidani igitur Ptol. Lathyrum, qui regno paterno eiectus Cyprum tum obtinebat, sollicitant, ut se ex Alexandri manibus eripiat.

Dum ille copias & auxilia parat, & ad navigandum accingitur, Ptolemęenses à Demæneto, gratioso & populari cive, persuasi, longè conducibilius fore, incertam cum Iudæis belli aleam subire, quàm in certissimam servitutem, accito hero peregrino sese dedere; mutant sententiam.

Et quantumvis PTOLEMÆVS, copijs ad Sycaminum expositis, XXX. circiter equitum peditumque millibus, castra proximè urbem posuisset; illi neque legatos eius admittere, neque verba audire voluérunt.

Alexander tamen eius metu & obsidionem solvit, & exercitum domum reduxit. Tum per legatos Lathyrum monet; Asamonæos usque Ptolemæis socios & amicos fuisse: neque esse caussam, cur Zoili societatem suæ anteferat. Quin & CD. argenti talenta daturum se pollicetur; si Zoilum è medio tollat, eiusque agros Iudæis attribuat.

Lathyrus religio non fuit Zoilum, à quo suppetias accitus fuerat, capite truncare. Quod scelus vix peregerat, quùm compertum habuit, missos clam ab Alexandro, ad Cleopatram æmulam, legatos.

Lathyrus itaque Ptolemęensium levitate iuxta atque Alexandri perfidiâ offensus, utrosque sibi simul castigandos proponit. Et relictis ad continuandam Ptolemaidis oppugnationem cum parte exercitûs ducibus; ipse cum cæteris copijs ad vastandam domandamque Iudæam se contulit.

PTO-

PTOLEMÆVS ALEXANDER ÆGYPTI REX IX.

3854. Ptol. Al. 1. Ant. Cyz. 10. Alex. Iam. 4. Ab V. C. 652. | *Consules, C. MARIVS NEPOS IV. & Q. LVTATIVS CATVLVS. Ambobus Consulibus Gallia, cum imminenti bello mandata.* | 96.

BELLVM CVM CIMBRIS.

Hoc demùm anno Cimbri à Celtiberis ex Hispaniâ pulsi, adiunctis sibi, quos diximus, Gallorum populis, in Galliam irruperunt; eo animo, ut superatis tandem Alpibus in Italiam traijcerent.

Quo nuntio accepto, MARIVS, quùm protinùs in provinciam contendisset, ipse Ambronibus & Teutonis in Galliâ se opposuit: CATVLVM Collegam Cimbris, qui per Noricum, impetum facturi viderentur, occurrere iubet.

MARIVS non ausus statim congredi, militem in castris, quæ iuxta Isaram Rhodanumque locârat, tenebat; donec invicta illa rabies, & impetus, quem pro virtute barbari habent, consenesceret.

Barbari ubi MARIVM exciri ad pugnam non posse senserunt; multa continenti triduo conati ut Romanos vallo excuterent, atque in æquum extraherent; recessere increpantes, & (tanta erat capiendæ, Vrbis fiducia) consulentes; *Si quid ad uxores suas illi mandarent.* Nec segniùs quàm minati fuerant, tripartito agmine per Alpeis, hoc est, claustra Italiæ, ferebantur.

CIMBRI A MARIO OPPRESSI.

MARIVS mirâ statim velocitate, & occupatis compendijs, sive colle, qui campo & fluvio, ubi se diffoderant hostes, imminebat; prævenit. prioresque Teutonas sub ipsis Alpium radicibus assecutus, in loco, quem Aquas Sextias vocant, immani prælio oppressit. Et postero die productæ iterùm in campum acies pænè pari discrimine ad meridiem usque pugnavére: sed ubi incalescente sole fluxa Gallorum corpora in modum nivium distabuérunt; cædes potiùs in noctem, quàm pugna protracta est.

Rex ipse TEVTOBOCCHVS (al. TEVTOBOTVS) quùm fugeret, in proximo saltu comprensus est, & occisus. cc. (al. CL.) armatorum M. cæsa, LXXX. M. capta vix ter mille effugisse traduntur.

MARIVS absens v. Consul creatus, triumphum sibi à Senatu decretum, donec & Cimbros vinceret, distulit, Nondum enim Cimbrorum metus abierat, qui in Noricis Alpibus alterum Consulem, CATVLVM, immensâ multitudine urguebant.

Iisdem Coss. M. ANTONIVS Præt. maritimos in Ciliciâ prædones bello persecutus est, & à Byzantijs adiutus.

Censores eo anno Q. METELLVS NVMIDICVS, (qui L. SATVRNINVM, hominè in populari ratione florentem notavit; & L. QVINCTIVM, insititium; quique se TI. GRACCHI filium mentiebatur, contrà vim multitudinis incitatæ, censu prohibuit) & C. METELLVS CAPRARIVS, frater eiusdem patruelis.

3855. Ptol. Al. 2. An. Cyz. 11. Alex. Iamn. 5. Ab V.C. 653. | *Coss. C. MARIVS NEPOS V. & M. AQVILIVS NEPOS.* | 95.

Ille deletis, qui in Galliâ Narbonensi erant, Cimbris; sive veriùs, Ambronibus & Teutonis, Cimbrorum socijs; Romam accersitus, revocatis ex Galliâ copijs, ad CATVLVM collegam se contulit.

MARIVS CATVLO LABORANTI SVCCVRRIT.

Ille quùm Cimbris, qui per Noricum & Tridentinum saltum irruperant, in Alpium iugis resistere, ob multitudinem, posse diffideret; in æquum Italiæ campum se receperat: atque ad Athesim fluvium, præsidijs in utrâque ripâ impositis, ne illàc transitus esset, hostibus opposuerat. ponte etiam in flumen facto, ut si qua vis per angustias fieret, iis, qui ulteriorem ripam custodiebant, succurri posset.

Barbari flumen, non ponte, non navibus; sed quâdam stoliditate, primùm corporibus adgressi; & postquam retinere amnem manibus, & clypeis frustrà tentaverant; ingestâ obrutum silvâ transiluérunt, pontemque disturbârunt. Quo terrore compulsus CATVLVS, castellum, quod ibi construxerât, reliquit.

Romani aliquot à barbaris capti, & mox dimissi, & equites ad flumen, Cimbrorum impetu, pulsi, deserto Consule, pavidi in urbem venerant, & terrore tumultuque omnia compléraut.

Et hæ-

Et hostes virtute sua expliciti, fugientem Proconf. exercitumque persequentes, in Italiam traiecisse iam ferebantur; quùm MARIVS, iunctis cum CATVLO copijs, in tempore occurrit.

ALTERA CIMBRORVM, ET FATALIS CLADES.

Quod si barbari statim infesto agmine urbem petijssent; grandè forte discrimen ereatum esset. Sed in Venetiâ, quo ferè tractu Italia mollissima est, ipsâ soli cœlique clementiâ robur elanguit. & panis usu, carnisque coctæ & dulcedine vini mitigatos, Consul commodùm adgressus est: ipsis ultrò ab Imperatore pugnæ diem petentibus; & frustrà fratres suos, Teutonas, exspectantibus.

MARIVS virtuti dolum addidisse fertur; secutus ANNIBALEM, & pugnæ Cannensis eventum. primùm nebulosum nactus diem, ut hosti inopinatus occurreret: tum ventosum quoque, ut pulvis in oculos & ora ferretur; tum acie in ortum conversâ, ut ex splendore galearum, armorumque repercussu, cœlum quasi ardere videretur.

Ita barbari in aciem Romanam priùs instructam, quàm adesse senserant, delapsi; & in patentissimo (quem alij Caudium, alij Raudium dixére) campo congressi. minimâ Romanorum clade cæsi sunt. cæsa aut capta ampliùs cc. hominum M. Alij, CXL. M. cæsa & LX. capta, prodidérunt.

Nec minor cum uxoribus eorum pugna, quàm cum ipsis, fuit. Objectis enim undique plaustris ac carpentis, altæ desuper, quasi è turribus, lanceis contisque diu pugnarunt. Nec minùs speciosa earum mors, quàm pugna.

Quùm namque missâ ad MARIVM legatione, libertatem ac sacerdotium (Vestale) non impetrâssent: (nec fas videbatur) suffocatis; elisisque passim infantibus suis, aut mutuis concidére vulneribus, aut vinculo è crinibus suis facto, ab arboribus iugisque plaustrorum pependérunt. BELEVS rex in acie dimicans impigrè, nec inultus, occubuit.

Tertia Tigurinorum manus, quæ quasi subsidio Noricos Alpium tumulos insederat, in diversa lapsi; fugâ ignobili & latrocinijs evanuit.

Eo die, quo gesta res est, visi perhibentur pro Æde CASTORIS & POLLVCIS Iuvenes laureati prætori litteras date: & frequens in spectaculo rumor: *Victoria Cimbrica, Feliciter*; dixisse.

Hàc victoriâ videtur metuisse MARIVS, ne eius nati, aut ad honores elati, remp. pœniteret; ac bona malis repensâsse. Et certè ad tantæ victoriæ nuntium nemo fuit, eorum etiam, qui ob generis ignobilitatem ei inviderant, qui non servatam ab eo remp. fateretur; & tamquam Deo, aut Dijs caro, apud sacra mensæ suæ libaret. Et quùm duplex ei triumphus esset oblatus; ipse uno contentus, alterius gloriam cum CATVLO communicavit.

Eo quoque tempore, Lusitanis devictis, Hispania ulterior pacata & quievisse, sed incertis auspicibus, traditur.

3856. Pr. Al. 3. Ant. Cyz. 12. Alex. Iamn. 6. Ab V. C. 654.	*Consules* C. MARIVS NEPOS VI. & L. VALERIVS FLACCVS.	94.

PLVT. prodit MARIVM, hunc VI. Consulatum emisse; collegamque VALERIVM sibi ministrum subrogâsse. VELL. verò, velut præmium meritorum ei datum. Neque huius consulatûs gloriâ fraudandum, quo SERVILII GLAVCIÆ, SATVRNINIQVE APPVLEII furorem armis compescuit.

SEDITIO SATVRNINO AVCTORE; A MARIO FOTA; ET MOX COMPRESSA.

SATVRNINVS ille, in annonæ earitate, Quæsturam haud satis fideliter administrârat: eâque caussâ à frumentariâ procuratione submotus, (M. SCAVRO præfici iusso) & præ ignominiæ dolore Senatui, & Q. METELLO Censori, infensus, ad populum desciverat: & Tribunatum plebis adeptus, GRACCHORVM, non secus atque Heroüm, exempla imitari, & eorum leges adferere iactabat. Ipse sub anni finem alterum Tribunatum ambiebat. & quùm IX. Tribunis creatis, unicus locus superesset, & competitores duo; ex ijs alterum A. NONIVM, adiuvante MARSO, tum V. Consule, domo extractum necavit; atque ita vacuam Tribunatûs sedem occupavit.

In hoc magistratu, ex eiusdem MARII, iam VI. Consulis sententiâ, legem tulit;

„*Vt quem agrum MARIVS in Galliâ, pulsis Cimbris, armis peperisset, is populo Rom. divideretur; utque eam in legem à singulis Senatoribus iuraretur. secus, multa recusanti irrogaretur.*

METELLO NVMIDICO, in legem popularem iurare nolenti, dies dicitur: & quùm is à bonis civibus defenderetur; ne cædes eorum fieret; in exsilium, quàm in iniquam Tribuni legem ire maluit. Ei ultrò profecto, MARIVS etiam igni & aquâ interdixit.

Idem APPVLEIVS quùm tertiùm Tribunus plebis importunâ ambitione designatus, C. MEMMIVM, Consulatûs candidatum, quem actionibus suis adversaturum iudicabat, interfecisset; & GLAVCIAM, furoris sui satellitem, Consulem facere eniteretur, ita Senatum commovit, ut MARIO Consuli mandaret; *Videret, ne quid detrimenti resp. caperet.*

MARIVS itaque GLAVCIAM Prætorem; SATVRNINVM Trib. pleb. & SAVFEIVM Quæstorem, qui remp. lacerarent; & gladijs quoque ac cæde publicâ comitia discuterent; armis, & directis in foro aciebus in Capitolium persecutus, obsedit: atque incisis aquarum fistulis, ad deditionem compulit; & ab ar-

ab arce degressos, contra fidem omneis in Hostiliâ Curiâ, morte multavit. Ædes SATVRNINI ab imis diruta est fundamentis.

Florus addit; cum per legatos pœnitentiæ fidem fecisset; & cum ducibus factionis in Curiam receptus esset ibi eum, factâ irruptione, à populo fustibus saxisque coopertum, in ipsâ quoque morte laceratum fuisse. RABIRIVS Senator, caput eius per convivia in ludibrium circumtulisse traductus est. quem CIC. defendit.

SERVILE IN SICILIA BELLVM.

Alterum servile bellum per hæc tempora in Siciliâ motum. Auctor eius ATHENIO Cilix pastor, qui interfecto domino familiam ergastulo liberatam sub signis ordinariè adgressus, ipse purpureâ veste, argenteoque scipione, & regium in morem fronte redimitâ, non minorem, quàm EVNVS Syrus, triginta antè annis, conflat exercitum. acriusque multò, quasi & illum vindicaret; vicos, castella, opida diripiens, in dominos, in fidos servos, infestiùs; quasi in transfugas, sæviebat. Ab eo quoque prætorij exercitus cæsi: capta SERVILII & LVCVLLI castra.

Sed M. AQVILIVS, hoc bellum in Consulatu anno superiore sortitus, P. RVPILII, qui EVNVM debellavit, exemplo usus, interclusum hostem commeatibus ad extrema compulit: communitasque armis copias facilè fame delevit. dedidissentque se, nisi suppliciorum metu voluntariam mortem prætulissent.

Ac ne à duce quidem supplicium exigi potuit, quamvis in manus venerit. Quippe dum circa ad deprehendendum eum multitudo contendit, inter rixantium manus præda lacerata est.

Post hoc bellum teste, CICERONE, nullum fugitivorum bellum in Siciliâ fuit. M. AQVILIVS Imperator à Senatu ornatus, ovans in Capitolium adscendit.

3857. Pt. Al. 4. Ant. Cyz. 13. Alex. Iamn. 7 Ab V.C. 655.	*Consules M. ANTONIVS Nepos, qui Prætor biennio antè triumphârat, homo eloquentissimus: & A. POSTHVMIVS ALBINVS, SP. ALBINI, bello Iugurthino Consulis frater, qui pacem cum rege ignominiosam fecerat.*	93.

Q. METELLI AB EXSILIO REDITVS.

His Coss. Q. METELLVS NVMIDICVS, qui Rhodum in voluntarium exsilium profectus, ibi legendo & audiendo magnis viris vacârat; ingenti totius favore civitatis, & pietate filij, ab exilio reductus est. Ex eo facto, Q. METELLVS F. meritum PII cognomen consecutus est.

L. CORNELIVS DOLABELLA Propræt. Lusitanos, qui iterùm rebellârant, subegit, deque ijs triumphavit.

PTOLEM. LATHYRVS IN IVDÆAM INSVLTAT; ET IAMNÆVM VINCIT.

Quùm PT. LATHYRVS, Iudææ agros latè vastâret; & Azochim, Galilææ opidum, sabbatho, & de improviso, adortus vi cepisset; & præter aliam prædam, x. captivorum M, inde abduxisset; & Sephorim, haud procul inde dissitam, licet frustrà, tentâsset; IAMNÆVS, collectis è suâ ditione circiter L. (al. Lxxx.) millibus, obviam hosti ire parabat.

Is ad Asophon, urbem Iordani flumini proximam, ex-adversùm castra metatus, Ptolemæum, qui castra supra fluvium habebat, transitu prohibere noluit; faciliorem sibi fore victoriam ratus, si hostis, qui fluvium à tergo habiturus esset, è pugnâ effugere non posset.

Dum æquo primùm Marte certaretur; & deinde ALEXANDRI milites hostem acriùs premerent; PHILOSTEPHANVS, LATHYRI dux, & egregius aciei struendę artifex, qui in subsidijs erat locatus, maturè cedentibus Ægyptijs opem tulit: & inclinatum novâ belli mole Iudæorum cornu in fugam vertit. xxx. (al. L.) millia ex Iudæis eo prœlio cecidisse ferunt. cæteros partim captos, partim fugâ incolumeis evasisse.

LATHYRI INHVMANITAS.

PTOLEMÆVS in pagos Iudæorum, viris vacuos, delapsus, mulieres & pueros in frusta concidi, & membra in Lebetes ferventeis injici iubet; & carneis quasi semesas in mensis relinqui. ut exercitum ipse anthropophagum habere crederetur; & ijs, qui è prœlio effugerant, totique adeò viciniæ, major terror injiceretur.

CLEOPATRA interim, filij LATHYRI, qui Gazam sibi subegerat, & Iudæam impunè pervastabat; potentiæ incrementa metuens, magnas terrâ marique copias excivit: earumque supremum imperium CHELCIÆ & ANANIÆ, Iudæis, attribuit. bonam verò thesauri regij partem, cum Nepotibus, & Testamenti tabulis, apud Coo Insulam deposuit.

ALEXANDER REX ÆGYPTI PTOLEMAIDEM OBSIDET ET capit.

Posteaquam filius eius ALEXANDER, uti imperatum erat, magnâ classe in Phœnicen adpulsus, eius regionis incolis deficere ad se coactis, Ptolemaidem pervenit; urbem eam, quę venienti portas occluserat, oppugnare instituit.

LATHYRVS, relictâ Syriâ, in Ægyptum, quam præsidijs vacuam ex improviso occupari posse sperabat; properè contendit.

Sed re-

Sed regina, CHELCIA, quem ad persequendum PTOLEMÆVM in Cœle-Syriam miserat; exstincto; metuens ne ille CYZICENI opibus ad reciperandam Ægyptum iuvaretur; ingentia vicissim GRYPO auxilia, & SELENEN uxorem, nupturam hosti prioris mariti, destinat.

LATHYRVS itaque rursum ex Ægypto eiectus, hiemem eam apud Gazam exegit, & paullo-pòst in Cyprum recessit.

IAMNÆI FEDVS CVM CLEOPATRA.

Postquam Ptolemænses, expugnato per vim præsidio, CLEOPATRÆ dare manus coacti sunt; venit ad eam cum amplissimis muneribus, IAMNÆVS, tum iniuriarum, quas à communi hoste acceperat, ultionem; tum societatem cum eâ, ad cuius patrocinium perfugerit, exposcens.

Quùmque multi ex amicis reginæ suaderent, hominem è medio tollendum, qui præ subitâ & immodicâ potentiâ, non minùs PTOLEMÆIS, quàm SELEVCIDIS, formidabilis esset; & Iudæam Ægyptiæ ditioni, illo in ordinem redacto, esse adijciendam; ANANIAS, CHELCIÆ frater, qui magnâ apud reginam gratiâ & auctoritate pollebat, diversum censuit: *Indignum facinus esse, si hominem in fidem societatemq; acceptum, suumq; cognatum, paternâ ditione & fortunis exueret.* cuius facti iniuria omnes ubique, tám in exercitu, quàm in Ægypto. Iudæos, à reginæ partibus esset ablienatura. His rationibus inducta CLEOPATRA, apud Scythopolim, Cœle-Syriæ urbem, cum ALEXANDRO fedus renovavit.

3858. Ptol. Al. 5. An. Cyz. 14. Alex. Iamn. 8. Ab V. C. 656.	*Coss. Q. CÆCILIVS METELLVS, BALEARICI F. MACEDONICI N. Et T. DIDIVS NEPOS. A quibus lata lex, CÆCILIA DIDIA. de quâ CIC. pro Domo.*	92.

BELLVM CVM CELTIBERIS. STRATEGEMA DIDII COS.

DIDIVS Cos. quùm Cimbris iam deletis, visum esset bellum denuò adversùs Celtiberos suscipiendum esse; eò missus, .XX. M. Arevacum occidit; & Termestinorum urbem captam mœnibus nudavit; & Colendam IX. obsidionis mense cepit. Alios etiam populos in deditionem redactos, ex X. legatorum sententiâ, militibus necandos tradidit.

Ipse, postquam acerrimo prœlio, quod nox diremit, conflixisset; magno numero utrimque cæso, compluria suorum corpora, atrâ nocte, sepelienda curavit.

Hispani postridie ad simile officium progressi, quia plureis ex ipsorum numero, quàm ex Romanis cæsos repperissent; victos se esse arguentes, in conditiones ab Imperatore propositas descendérunt.

DIDIO, tum in Hispaniâ bellanti, Q. SERTORIVS Trib. militum fuit. & ipse quinque post Consulatum annis de Celtiberis, ex Hispaniâ citeriore, triumphavit.

NOVÆ IAMNÆI VICTORIÆ.

ALEXANDER IAMNÆVS, ubi se & LATHYRI, & matris CLEOPATRÆ metu liberatum vidit; rursus Cœle-Syriæ sibi subigendæ animum adiecit. Ibi Gadaram x. mensium obsidione cepit; & Amathunte, castro ad Iordanem omnium munitissimo, quò THEODORVS, ZENONIS F. res carissimas deposuerat; potitus est.

Is verò ex-inopinato victores adgressus, cæsis ex ijs ad decies mille, Alexandri impedimenta diripuit. Hic verò eâ clade minimè absterritus est, quò minus in maritimo tractu Raphiam, & deinde Anthedonem adgrederetur, & in potestatem suam redigeret. Quin & Gazæis, quòd Ptolemæum contra se in auxilium accivissent, graviter infensus, & urbem eorum oppugnavit, & agrum depopulatus est.

3859. Ptol. Al. 6. An. Cyz. 15. Alex. Iamn. 9. Ab V. C. 657.	*Coss. CN. CORNELIVS LENTVLVS; & P. LICINIVS CRASSVS, pater M. CRASSI, qui Parthis bellum intulit.*	91.

His Coss. S. C. factum; *Ne homo immolaretur.* ut palam fit in tempus illud sacra prodigiosa celebrata. Et Mœdi in Thraciâ Dardanique subacti.

CRASSVS Cos. qui Dolabellæ in Lusitaniam successerat, in ulteriore Hispaniâ rem benè gessisse; sed sexennio post Consulatum, de Lusitanis triumphasse proditur.

DVRONII TRIB. PL. LVXVS ET IMPROBITAS.

Censores, qui LXV. lustrum condiderint, in eumdem annum referuntur, M. ANTONIVS, & L. FLACCVS. Hi DVRONIVM quemdam Senatu movèrunt, quòd legem, de coërcendis conviviorum sumtibus, latam; Tribunus Plebis abrogaverat. tamquam frenum & amarum vinculum, ut iactabat, servitutis.

Quid enim opus libertate, si frugi esse iubemur? & si volentibus luxu perire non licet! Sic ille.

IAMNÆVS GAZA POTITVR.

Opidanorvm obstinatio.

Apollodorvs, Gazæorum dux & præfectus, noctu, cum xx. mercenariorum militum, & x. opidanorum Millib. ex urbe in castra Iudæorum eruptionem fecit. & noctis quidem beneficio, quòd hostes Ptolemæum de-subito adventâsse suspicarentur, erant superiores; Sed ubi dies illuxit, & hostem desexit; Iudæi globo & impetu in opidanos facto circiter Mille ex ijs interfecêrunt. Ac ne sic quidem Gazæi, licet eum rerum necessariarum inopiâ conflictati, cedere, animum obfirmârunt; quibus Apollodoro iam peremto Aretas rex Arabum spem auxilij ostentaret.

Lysimachus verò frater, immodicæ eius apud populum gratiæ invident, eo occiso, & collectâ militum manu, urbem Alexandro prodidit.

Hic primùm pacati specie in urbem captam introgressus, militem deinde, permissâ sæviendi licentiâ, in opidanos immisit.

Gazæi, ne inulti caderent, vim strenuè propulsabant, & multos occidebant.

Vbi vireis deficere sentiunt; partim in desolatas ædeis ignem iniecêrunt, ne præda hostis potiretur; partim suismet manibus uxores & liberos contrucidabant, ne in captivitatem abstraherentur.

Alexander eò infensiùs victoriâ usus est; Senatoribus etiam d, qui in ædem Apollinis consultatum convenerant, iugulatis; & urbe solo æquatâ.

Eodem tempore Antiochus Grypus, eo ipso anno natus, quo Pater eius Demetrius Nicator, à Parthis captus est, qùum vixisset annos xlv. insidijs Heracleonis occiditur; undetricesimo pòst Patris obitum anno, qùum annos xxt. regnâsset. annos ferè xvi. profugus & exsul potiùs, quàm rex vixisset. Huius filius Seleucus, calamitate paternâ non fractus, avunculum suum Ant. Cyzicenum bello adgredi non dubitavit; & biennio pòst prœlio victum neci tradidit.

3860. Ptol. Alex. 7. Ant. Cyzic. 17. Alex. Iamn. 11. Ab V.C. 658.	*Consules Cn. DOMITIVS AENOBARBVS, & C. CASSIVS LONGINVS.*	90.

CYRENE, IN AFRICA, POP. ROM. PROVINCIA.

Tum Ptolemæus, cognomento Apion, Ptolemæi Lathyri, sive Physconis secundi, frater, sed ex pellice susceptus; cui Pater Cyrenarum regnum testamento reliquerat; herede populo Rom. instituto, decedit.

Iam enim fortuna Romana porrigere se ad Orientalia regna; non contenta Italiæ, immò Europæ, terminis; cæperat. Itaq; & ea pars Libyæ provincia facta est. (Liv. contrà; Senatus eius regni civitates liberas esse iussit.)

3861. Ptol. Alex. 8. Ant. Cyzic. 16. Alex. Iamn. 10. Ab V.C. 659.	*Coss. L. LICINIVS CRASSVS, & Q. MVCIVS SCÆVOLA. Ille orator; hic iureconsultus & orator eximius, & Pontif. Maximus. Cum quo CRASSVS omneis magistratus gessit, præter Tribunatum pl. & Censuram.*	89.

ORIGO BELLI ITALICI.

Ab his lata est Lex, Mvcia Licinia, de tegendis, in suâ quoque civitate, socijs.

Quùm enim summâ cupiditate civitatis Romanæ Italici populi tenerentur; & ob id magna pars eorum pro civibus Romanis se gererent; necessaria lex visa est, ut in suæ quisque civitatis ius redigerentur.

Verùm eâ lege ita alienati sunt animi principum, Italicorum populorum, ut ea vel maxima caussa belli Italici fuerit, quod post triennium exortum. Licinio Gallia, Mvcio Asia obvenerat.

Crassus quosdam in citeriore Galliâ, nullo illustri, neque certo duce; neque eo numero aut nomine præditos, qui hostes pop. Romani esse dicerentur; quòd tamen excursionibus & latrocinijs infestam provinciam redderent, armis confectos esse, & cõfecit, Romam rediens triumphum ab Senatu postulat, neque impetrat.

Atque adeò Q. Scævola, collega, quùm animadverteret, propter summam eius in rep. potentiam ac dignitatem, Senatum in decernendo triumpho, illi gratificari; non dubitavit reip. magis, quàm collegæ habere rationem: ac ne fieret S.C. intercessit.

CRASSI INTEGRITAS.

Quùm tamen in Crassi provinciam Cn. Carbo, cuius Patrem damnaverat, ad speculanda acta sua venisset; non solum eum indè non summovit, sed insuper locum ei in tribunali assignavit; nec ullâ de re, nisi eo in consilium adhibito, cognovit.

SCÆVOLÆ COS. ET RVTILII, VT LEGATI, INNOCENTIA.

Scævola verò Asiam tàm sanctè, & tam fortiter obtinuit, ut Senatus deinceps in eam provinciam ituris magistratibus, exemplum atque formam officij Scævolæ, decreto suo proponeret: Et in honorem eius Asiani, diem festum, Mvcia, nominârunt.

P. RVTILIVS, qui legatus Q. Mucij fuerat, vir summæ innocentiæ, quòd à publicanorum iniurijs Asiam defenderat, inuisus equestri ordini, penes quem iudicia erant; repetundarum damnatus, maximo cum ciuitatis gemitu, in exsilium abijt.

SEDITIO IN IAMNÆVM COORTA, PROMISCVA CÆDE compressa.

Exortâ domi seditione in ALEXANDRVM, IAMNAVM per Scenopegiorum ferias, sacris ad aram operantem, citrei thyrsi à factiosis quibusdam fortè fuerant coniecti. & conuicia addita populariter, quibus & eius captiuitas, & conditio sacris ministerijs indigna, exprobrarentur. Quam iniuriam impotentiùs ultus, ad sex hominum Millia trucidauit. Et vim profanæ multitudinis, tabulatis è ligno obiectis, quæ Pronaum ab Adyto Templi dispescerent, in posterum coercuit.

Syris infensus, mercenario Pisidarum & Cilicum exercitu utebatur. Arabibus victis & in ordinem redactis; tributa Moabitis & Galaaditis imperavit. Amathuntem, Theodoro pugnam detrectante, euertit. Coëgitque omnes circumcidenditionem & Iudaismum amplecti.

CLEOPATRÆ IMPOTENTIA, ET EXITVS.

PTOLEMÆVS ALEXANDER, qui matrem CLEOPATRAM, fratri LATHYRO eiusq; ducibus opidò infestam reliquerat; & periculoso regno securam ac tutam vitam antepofuerat; dum illa crescentem in dies LATHYRI potentiam reformidat, à matre per legatos in regnum revocatus est. Cui quùm illa occultis insidijs exitium machinaretur, occupata ab eodem interficitur: spiritumque non sato, sed parricidio dedit. *Digna prorsus hâc mortis infamiâ, quæ etiam matrem toro expulerit; & duas filias viduas, alterno fratrum matrimonio, fecerit. Et filiorum alteri in exsilium acto, bellum intulerit; alteri, erepto regno, exitium per insidias machinata sit.*

3862. Ptol Alex. 9. Ant. Cyzic. 18. Al. Iamn. 12. Ab V. C. 660.	*Consules* C. COELIVS CALDVS. *Et* L. DOMITIVS AENOBARBVS.	88.

Ille homo novus, cum duobus nobilissimis hominibus consulatum petijt, & alterum superavit: quùm Quæstor tamen factus non esset. Hic verò, post M. AQVILIVM prætorio imperio Siciliam administrârat.

CELTIBERI RVRSVM DOMITI.

Celtiberis post Didij victoriam rebellantibus, FVLVIVS FLACCVS in Hispaniam missus est: eorumque conatus, xx. ferè Millib. cæsis, atque opidis eorum in potestatem redactis, compressit; & in defectionis principes animadvertit. Eam ille provinciam ex præturâ obtinebat: & Romam reversus, in annum insequentem Cos. factus est.



BELLI MITHRIDATICI INITIA.

Bellum cum Mithridate Pontico, à L. SVLLA, qui prætor, Consulibus C. CÆLIO & L. DOMITIO fuerit, primò initum videtur. Ille, non sine repulsâ urbanam præturam, & ex prætura Ciliciam provinciam, adeptus, & in Cappadociam adversùs Mithridatem missus, non magnis admodum copijs, sed sociorum auxilijs usus, GORDIO pulso, ARIOBARZANEM in regnum Cappadociæ ex S.C. reduxit.

Quùm enim Mithridates Ariarathem, Cappadociæ regem, cui LAODICE soror enupserat, per GORDIVM, interfecisset; NICOMEDES, rex Bithyniæ vacuam morte regis Cappadociam invadit. Mithridates vicissim, per simulationem pietatis, auxilia sorori, ad expellendum Cappadociâ NICOMEDEM, mittit.

Sed quùm LAODICE vidua per pactionem se NICOMEDI in matrimonium tradidisset; Mithridates id ægrè ferens, præsidia Bithyni regis è Cappadociâ expellit; & sororis filio regnum restituit. *Egregium facinus; ni fraus subsecuta esset.*

VARIA REGVM ASIATICORVM INTER SE BELLA.

Paullo enim pòst simulat se GORDIVM, quo ministro in interficiendo Ariarathe fuerat usus; restituere in patriam velle. Quod ubi Ariarathes iunior moliri cognovit, graviter ferens, interfectorem Patris, per avunculum potissimùm ab exsilio revocari, à quo sibi meritò reformidandum putaret; ingentem exercitum contrahit.

MITHRIDATES LXXX. pedit. & X. equitum M. in aciem educebat, & currus falcatos DC. NIC ARIARATHI, auxiliantibus è viciniâ regibus, minores copiæ erant.

Ille incerta belli timens, consilia ad insidias transtulit. & iuvenem ad colloquium invitatum, protectis risu, ferri, quod inter fascias ad imum ventrem, occultatum, gerebat; insidijs, inspectante utroque exercitu, interficit: & regnum Cappadociæ, suo, octo annorum filio, imposito Ariarathis nomine; addito que ei rectore GORDIO, tradidit.

Sed Cappadoces crudelitate ac libidine præfectorum vexati, à Mithridate deficiunt: fratremque regis, & ipsum Ariarathem nomine, ab Asiâ, ubi educabatur, revocant. cum quo Mithridates prœlium

prœlium renovat; victumq; Cappadociæ regno expellit. Nec multo-pòst adolescens, collectâ ex ægritudine animi infirmitate, decedit.

Post cuius mortem, NICOMEDES, timens ne accessione Cappadociæ, etiam finitimam Bithyniam invaderet; subornat puerum eximiæ pulcritudinis, quasi ARIARATHES non duos, sed tres filios genuisset. (Alij; producit filium suum, quem ementitâ stirpe ARIARATHIS filium esse dicebat) qui à Senatu Romano Paternum regnum peteret. Et Vxorem LAODICEN Romam mittit, ad testimonium trium ex ARIARATHE susceptorum liberûm.

MITHRIDATES ubi id cognovit; pari ipse impudentia GORDIVM Romam mittit, qui Senatui adsereret; puerum, cui Cappadociæ regnum tradidisset, ex eo ARIARATHE genitum, qui bello ARISTONICI auxilia Romanis ferens, cecidisset.

Sed Senatus, studio regum intellecto, aliena regna falsis nominibus furantium; & Mithridatem Cappadociâ; & ad eius solatium, NICOMEDEM Paphlagoniâ (quam & ipse Pylæmeni ademerat) cedere iussit; & utrumque populum libertate donavit.

Et quùm Cappadoces munus libertatis abnuerent, & sine rege vivere posse negarent; ARIOBARZANEM, ex regio genere, iuvenem, Cappadociæ regem appellârunt; & per L. Syllam stabiliêrunt. Quo tempore & ARSACES rex Parthorum, per legatum OROBAZVM, amicitiam populi Rom. ab eodem Syllâ petivit ac tenuit.

NOVA INTER SYRIÆ REGES BELLA.

ANTIOCHVS GRYPVS quinque filios reliquisse proditur; SELEVCVM, ANTIOCHOS duos, (quorum alter nō diu fratri SELEVCO superstes fuerit, in quâdam adversùs Parthos pugnâ occisus) PHILIPPVM & DEMETRIVM EVCARVM.

ANTIOCHI CYZICENI filij, reliquâ Syriâ fugati, Comagenen occupâsse videntur: quam eorum posteri diu tenuerint.

Maximus è GRYPI liberis, SELEVCVS, patruum ANTIOCHVM CYZICENVM bello victum occidit, quùm annos duodeviginti regnâsset. Et hic, haud multo pòst, ab ANTIOCHO EVSEBE, CYZICENI F. qui diadema sibi apud Aradios imposuerat, uno prœlio victus & totâ Syriâ expulsus est.

Atque is fugâ delatus in Ciliciam, & à Mopsoestanis receptus, quùm tributâ ab eis acerbiùs exigere cœpisset; unà cum regiâ, & ipsum & amicos concremârunt.

Antiochus deinde, Seleuci frater, bello Eusebem adgressus & victus, vitam simul cum exercitu amisit.



SELEVCVS, GRYPI F. ET ANTIOCHVS EVSEBES Cyziceni. Et alter Antiochus, Seleuci frater. Reges Syriæ.

3863. Ptol. Alex. 10. Seleuc. Cyzicen. & Ant. Euseb. 1. Alex. Iamn. 13. Ab V.C. 661.	*Consules C. VALERIVS FLACCVS; & M. HERENNIVS NEPOS.*	87.

Hic L. PHILIPPVM, summâ nobilitate hominem, cognatione, sodalitate, collegio, summâ etiam eloquentiâ, in consularûs petitione, superavit. Idem bis immolanti (in victima) caput iecinoris defuit. Sed lustrationibus prosperè id expiatum; & totus annus domi forisque tranquillus fuit.

Triumphi duo acti, alter ex citeriore, alter ex ulteriore Hispaniâ; à T. DIDIO, & P. CRASSO Proconsulibus.

PTOLEMÆO ALEXANDRO, matris CLEOPATRÆ cædes, inulta non mansit. Et, *quòd parricidij nulla iusta caussa esse possit*; Ipse populi, eo scelere concitati, concursu in exsilium actus est: & fratri Lathyro revocato, regnum redditum: qui neque cum matre bellum gerere voluisset; neque à fratre armis repetere; quod prior possedisset.



PTOLEMÆVS LATHVRVS, ITERVM REGN. IN ÆGYPTO.

ANTIOCHO EVSEBE, qui diu cum duobus GRYPI filijs, SELEVCI & ANTIOCHI fratribus, PHILIPPO, & DEMETRIO EVCÆRO, bellum gesserat; dum suppetias LAODICÆ, Galaadenorum reginæ, adversùs Parthos ferret, exstincto; ex fratribus, quos dixi, alter PHILIPPVS in parte Syriæ; alter DEMETRIVS, à rege LATHYRO, è Gnido accitus & adiutus; apud Damascum, regnârunt aliquamdiu.

PHILIPPVS, ET DEMETRIVS, GRYPI FILII; DIVERSI SYRIÆ REGES.

3864. Pt. Lath. reduc. 1. Interr. in Syr. Alex. Iamn. 14. Ab V. C. 662.	*Consules* C. CLAVDIVS PVLCER, & M. PERPENNA NEPOS.	86.

Horum Patres unà Consules fuisse putantur anno 623. Quo tempore Medi, Macedonica gens, provinciam cruentè vastârunt: & C. GEMINIVS præt. adversùs eos, & Thracas, infeliciter pugnavit.

CENSORES MORIBVS DISSIMILES.

Censores eo anno, ambo nobilissimarũ gentium, L. LICINIVS CRASSVS, & Cn. DOMITIVS AENOBARBVS, censuram gessêre; frequentem iurgijs, propter dissimilitudinem morum. Quùm DOMITIVS, CRASSO, pro domo eius, Millia nummûm identidem promisisset; & CRASSVS, concedere eam se, exceptis sex arboribus, respondisset.

Idem CRASSVS murænam, in piscinâ domûs suæ, mortuã, atratus, tamquam filiam, luxerat: neque id obscurum fuit. Et Domitius collega in Senatu hoc ei quasi deforme crimen obiecit. (Domitium, Cicero puer, Cõsulem, Censorem, & Pont. Max. vidit.)

LATINI RHETORES ROMÆ.

Quùm censoribus renuntiatum esset; Quosdam homines, qui novum disciplinæ genus instituerant; & ad quos Iuventus in ludos conveniret, & totos ibi dies desidêret; nomen sibi imposuisse, Latinos Rhetoras. quoniam maiores, quæ liberos suos discere, & quos in ludos itare vellent, probè instituissent. hæc nova, quæ præter consuetudinem ac morem maiorum fierent; Censores edicto; *neque placere, neque recta sibi videri* decrevêrunt.

Neque id factum, quò acui ingenia adolescentum nollent; sed contrà, ingenia eorum obtundi noluêrunt; aut corroborari impudentiam. (CRASSVS, ob contentionem cum collegâ ortam, hoc anno abdicavit. neque ipsi lustrum fecêrunt.)

ALEXANDER IAMNÆVS, cum Obedâ, Arabum rege congressus, & in insidias pertractus, quùm exercitus eius camelorum multitudine, haud procul Gadarâ, Galaaditidis vico, in asperas & accessu difficileis fauceis protrusus esset; ægrè ipse incolumis evaserat.

PHARISÆORVM CVM IAMNÆO REGE BELLVM.

Pharisæi, ab HYRCANO Patre olim iritati, neque iniuriarum immemores, regem filium, sinistrâ istius prœlij offensione utcumque deiectum, & ad se fugâ delatum, sexenni bello divexârunt. Quumque varijs congressibus ad quinquagies Mille Iudæos amisissent; eosque rex, toties victor, ad pacem secum æquissimis legibus firmandam cohortaretur; maioribus in dies odijs inflammati; sciscitanti regi; *Ecquid se tandem, quod ipsis lubentibus esset, facere vellent? Vt suâ se manu confodiat; suoq; ipse sanguine, tot scilicet, iniurias expiet, & tot à se occisis, parentet;* uno ore responderunt.

3865. Lath. red. 2. Interr. in Syr. Al. Iamn. 15. Ab V. C. 663.	*Consules* L. MARCIVS PHILIPPVS, & Sex. IVLIVS CÆSAR.	85.

LIV. DRVSI SEDITIO PERNICIOSA, ET CRVENTA.

M. LIVIVS DRVSVS, vir meliore in omnia ingenio animoque, quàm fortunâ, usus; quùm Trib. plebis Senatui priscum restituere cuperet decus; & iudicia ab Equitibus, (penes quos Sempronia lege ea erant) ad eum transferre ordinem; in ijs ipsis, quæ pro Senatu moliebatur, Senatum habuit adversarium.

Ipse namq; ut plebem, ac socios sibi, ad ea, quò intenderat, perficienda, faciliùs adiungeret, & quasi inescaret; Leges SEMPRONIAS, *de agris dividundis, de frumento dando, de colonijs deducendis*. Et FLACCI Cos. legem, *de civitate socijs dandâ*; & CÆPIONIS, *de Senatu Equitibus; & Iudicijs cum Senatoribus communicandis*; Rettulit.

Contrà DRVSVM, par opibus & dignitate; pro Equitibus stabat, Q. SERVILIVS CÆPIO alter, is, qui Consul, Senatûs parteis lege defenderat.

Signa & Aquilæ, & vexilla aderant: & urbe in unâ, quasi binis castris, dissidebatur. Prior CÆPIO in Senatum impetu facto reos ambitûs, SCAVRVM & PHILIPPVM, principes nobilitatis, elegit.

His motibus ut resisteret DRVSVS; plebem ad se Gracchanis legibus; eisdem, socios, ad plebem, spe civitatis erexit.

Reliquis DRVSI legibus iã acceptis, una, de Socijs, sive Italicis, in civitatê accipiendis, ferenda, restabat.

Aderat promulgandi dies; quùm subitò tanta vis hominum undique apparuit, ut hostium adventu obsessa civitas videretur.

Ausus est

Ausus est obrogare legibus L. Philippus, (alius fortè à Consule.) Sed eum adprehensum faucibus viator non antè dimisit, quàm sanguis & in ora & in oculos è naribus redundaret. *Sic per vim lata, tussáq; leges.*

Quod quùm ille (Drusus) moliens revertisset è foro; immensa illâ & incondita, quæ eum usque comitabatur, cinctus multitudine, in atrio domûs suæ, cultello (sed incerto auctore) percussus, qui adfixus lateri eius relictus est; intrà paucas horas decessit. Nulla de eius nece quæstio lata. Et leges eius omnes, tamquàm contrà auspicia latæ, Philippo Cos. referente, uno S. C. sublatæ.

Memorant, inter Cæpionem & Drusum, collegas, ex annulo in auctione venali (quem Capioni expetitum Drusus emerat) inimicitias cœpisse; unde belli Socialis origo. Et Drusum vulneratum, sanguinem caprinum bibisse, quòd pallore, & invidiâ veneni sibi dati, insimulari Q. Cæpionem inimicum vellet, à quo immissum percussorem suspicaretur.

Nec ideò minùs socij promissa Drusi à pop. Rom. reposcere armis destiterunt.

MONTES PRODIGIOSE CONCURRENTES.

His Coss. in agro Mutinensi, duo montes inter se concurrunt, & crepitu maximo adsultant receduntque: Inter eos flammâ fumoque in cœlum exeunte interdiu. Quod prodigium, è viâ Æmyliâ, magna Equit. Romanorum, familiarumque & viatorum multitudo, non sine horrore, conspexit.

BELLUM ITALICUM EIUSQUE UTRIMQUE ADPARATUS.

Latinos porrò populos in cupiditatem civitatis Romanæ, primus M. Fulvius Flaccus Cos. erexerat; Deinde Livius Drusus.

Illum ab eo consilio, decretâ, pro re natâ, Galliâ provinciâ, Senatus prudenter avocavit. Hic, ne quod animo agitabat, exsequeretur; dum aliud capiat ex alio, tantum conflavit incendium; ut nec prima illius flamma posset sustineri; & subitâ morte correptus, hereditarium in posteros suos bellum prorogaret.

Et dum omnibus blandiri cupit, in omnium offensionem odiumque incurrit. Coloniarum deductionibus plebem mulcet; & Italos offendit. Iudicijs Senatui restitutis, Equites irritat. Trecentis Equitibus in Senatum cooptatis; veteribus patricijs incommodat, & inter ipsos Equites dissensiones serit.

Italici, tantâ spe bis deiecti, factâ inter populos coitione, adversùs pop. Romanum conspirant. Primum eorum consilium fuit, ut ferijs Latinis Cæsarem, ac Philippum Coss. trucidarent. Deinde, eo detecto Q. Servilium Procons. ad motus eorum sedandos profectum, unà cum Fonteio legatos, & omneis, qui Asculi erant, Romanos interfecérunt.

Quo facto quùm cæteri etiam Italici defecissent; pop. Romanus saga sumsit, ac bellum adversùs Italicos iussit. Quod bellum Italicum, Sociale, & Marsicum appellatum est. Et quidem Marsicum, quod à Marsis primùm commotum sit, & eorum Imperatore Popædio.

3866. Lath. reduc. 3. Interr. in Syr. Alex. Iamn. 16. Ab V. C. 664.	*Consules L. IULIUS CÆSAR (qui Templum Iunonis Sospitæ, de Senatûs sententiâ refecit, ex CÆCILIÆ, BALEARICI filiæ somnio.) Et P. RUTILIUS LUPUS.*	84.

Belli Italici, uti fortuna atrox, ita caussa iustissima fuisse videtur. Petebant eam civitatem legibus Fulviâ & Liviâ sibi promissam, cuius imperium armis tuebantur. Per omneis annos, atque omnia bella, duplici se numero (& munere) militum equitumque fungi. neque in eius civitatis ius recipi, quæ, per eos, in idipsum pervenisset fastigium.

Id bellum amplius ccc. Mill. iuventutis Italicæ abstulit. Latium omne, atque Picenum, Etruria omnis atque Campania: postremò Italia universa contrà parentem suam, Urbem, consurrexit.

Eorum populorum celeberrimi duces, Silo Poppedius Marsorum & Latinorum; Afranius Umbrorum; Vattius Cato Samnitium; Telesinus Pontius Lucanorum.

Aliorumque, Pelignorum, Vestinorum, Marrucinorum; & qui eos secuti, Picentium, Frentanorum, Irpinorum, Pompeianorum, Venusinorum, Apulorum; Herius Asinius, C. Pontidius, Marius Egnatius, Papius Mutilus, C. Iudacilius. A. Cluentius, &c.

Utrimque armantur copiæ ad c. M. hominum. Et ambobus Coss. gravissimum bellum decernitur.

Rutilius Legatos habuit, Cn. Pompeium Strabonem; Q. Cæpionem; C. Perpennam; C. Marium; Valer. Messallam.

Cæsar verò, P. Lentulum; T. Didium; P. Licinium Crassum; L. Cornelium Sullam; M. Marcellum.

Illi caput imperij sui, Corfinium legerant, quod appellarent Italicum. Ut quùm regum & gentium arbiter populus ipsum se regere non posset; victrix Asiæ Europæque, à Corfinio, Roma peteretur.

Res autem inter eos particulatim gesta sic est. Vettiva Cato, L. Cæsarem Consulem fudit; & bis Mille interfectis Æserniam infestus est. Et quùm cruentus in urbem referretur Cæsar; miserabili funere mediam urbem, & iam perviam fecit. (Sic quidem Florus, quæ alij, de Rutilio Lupo, meliùs memoriæ prodidérunt. Ipse namque Cæsar copijs mòx contractis, contrà Samnites feliciter pugnavit: ob eamque victoriam Romæ saga sunt posita.)

Egnatius, Venafrum per proditionem occupavit. P. præsenteius Perpennam fugatum, exercitu etiam exuit. Eamque ob rem huic imperio abrogato Marius à Rutilio Cos. suffectus est.

M. LAMPONIVS, ex CRASSI exercitu, cecidit ad DCCC. reliquos ad Grumentum persecutus in fugam vertit.

C. PAPIVS MVTILVS, Nolam coloniam, per proditionem; & cũ L. POSTVMIO præt. Stabias, Minturnas, & Salernum in potestatem redegit, atque Acerras obsedit.

Quùm P. RVTILIVS Cos. parum prosperè contrà Marsis conflixisset, & in prœlio ad pontem Liri impositum cecidisset; & P. CÆPIO Poppedij insidijs circumventus esset; paullatim deinde recipiendo in civitatem, ex Italicis populis, qui arma aut non ceperant, aut deposuerant maturiùs, vires refectæ sunt. & magna populi Romani fortuna, ac semper in malis maior, totis denuò viribus insurrexit.

Et POMPEIVS, SVLLA, MARIVS, GABINIVS ac MARCELLVS, inclinatam remp. restituérunt.

MARCVS, VETTIO CATONE pulso, meliùs pugnavit; & castra hostium, qui se in RVTILIVM converterant, expugnavit. Deinde ASINIO, Marrucinorum prætore, occiso, Marsos iusto prœlio fudit.

Etruscorum animi, dum cum cæteris bellum molirentur, à Senatu Rom. in amicitiam, donatâ civitate, sunt præoccupati.

A. GABINIVS, rebus adversùs Lucanos benè gestis, & opidis aliquot captis, dum castra illorum obsideret; interijsse traditur.

Cn. POMPEIVS STRABO, à Iudacilio, Afranio, & Ventidio, Firmum compulsus, atque obsessus, adiutore SVLPITIO, eruptione ex opido factâ, hostes repulit: & ad Asculum usque, urbem belli huius auctorem; fugavit, & diu vicissim obsedit. Hostem erumpere ausum vicit: XIX. Marsorum Mill. cæsa, & III. capta. Asculo occupato, præfectos & Centuriones, cunctósque principes eorum virgis cecidit, securíque percussit.

SVLLA Samnites prœlio fregit, & bina eorum castra expugnavit.

(Hoc etiam anno trans Alpeis in Galliâ bellatum esse proditur.)

BELLI MITHRIDATICI FOMES.

Accessit & hic MITHRIDATICO bello fomes. NICOMEDEM, qui Patri cognomini successerat, ex Bithyniâ, frater eius SOCRATES: ARIOBARZANEM ex Cappadociâ, BAGOAS; vel, (ut alij) TIGRANES, Armeniæ rex, à MITHRIDATE inducti, expulerant.

Senatui visum est, reges, qui ipsius opem implorarent, in regnum reducere. Itaq; legatos in Phrygiam misit, quorum princeps erat M. AQVILIVS, vir consularis: mandavitque, ut ope L. CASSII, Asiæ prætoris; & regis Ponti, MITHRIDATIS, eos in regnum restituerent.

MITHRIDATES, quòd à Romanis antè Cappadociâ & Phrygiâ, quas occupárat, cedere, iussus erat; opem ferre noluit. Iraq; à MANIO & CASSIO in regna illi sunt reducti.

3867. Lath. red. 4. Intert. in Syr. Alex. Iamn. 17. Ab V. C. 665.	*Consules Cn. POMPEIVS STRABO (Pater Cn. POMPEII MAGNI) & L. PORCIVS CATO, M. CATONIS SALONIANI F. & M. CATONIS CENSORII NEPOS.*	83.

Hic multis rebus, adversùs perduelleis Italos, præclarè gestis, gloriatus se C. MARIO non inferiora gessisse, quàm ad Lacum Fucinum adversùs Marsos bellum gereret; à C. MARII F. in tumultu, quasi incerto auctore, occisus est.

BELLI ITALICI CONTINVATIO.

Hoc enim anno Consules etiam ambo ad bellum iam gnaviter cæptum missi. qui partim per se, partim per suos Legatos, rem ita gessérunt.

POMPEIVS Cos. Marsis acie victis, Vestinos & Pelignos in deditionem accepit. Asculo capto, & Italicis per MAMERCVM ÆMYLIVM, legatum, cæsis; & POPPEDIO in acie interfecto, de Asculanis, Picentibus & Marsis solus triumphavit. Quorum antehàc ea fuerat fides & virtus; ut neque de Marsis; neque sine Marsis, triumphatum fuisse memoria exstet.

Eo in triumpho P. VENTIDIVS is, qui pòst de Parthis triumphavit, ductus est.

COSCONIVS & LVCEIVS, Samnitibus acie fusis; & MARIO EGNATIO eorum duce occiso; compluria eorum opida in deditionem accepérunt.

L. SVLLA, cæso ad Nolam CLVENTIO, Irpinos & Samniteis multis prœlijs fudit, & populos aliquot recepit.

SVLPITIVS legatus, Marrucinis acie cæsis, universam eam regionem subegit.

Marsorum alij à L. MVRENA & CÆCILIO PIO, Legatis, aliquot prœlijs fracti, pacem petiérunt.

CENSORVM ROMÆ DECRETA.

In hunc annum Censores conferuntur P. LICINIVS CRASSVS, & L. IVLIVS CÆSAR, Consulares. qui edixisse produntur; *Ne quis unguenta exotica venderet; Neu quis vinum Græcum, Aminneumq́, octonis æris singula quadrantalia venderet.*

Ab his nullum conditum lustrum videtur; quia biennio pòst Censores alij ante tempus creati reperiuntur. Lustrum eorum infelix ab alijs traditur. Fuerant autem antè quinquennium iustum creati (referri namque diem proditum, hoc est, anteferri, religiosum putabatur) ut socios, quibus, uti pacationibus, data civitas fuerat, in Tribus conijcerent.

SOTHIMI IN MACEDONIAM IRRVPTIO.

Rex SOTHIMVS, cum magnis Thracum auxilijs, in Græciam ingressus, cunctos Macedoniæ fineis depopulatus est. Tandemque à C. SENTIO præt. superatus, & in regnum suum reverti coactus est.

Hunc

Hunc Cicero prodidit, propter caritatem frumenti, quæ fuerat in Macedoniâ, permagnam ex cibarijs pecuniam reportâsse.

IMPROSPERVM CVM MITHRIDATE PROELIVM.

Legati Romani, qui principe M. Aqvilio, Nicomedem & Ariobarzanem, in regnum quemque suum, reduxerant; eosdem impulerunt, ut incursatione in fineis Mithridatis factâ, regem bello lacesserent.

Ipsi contractis L. Cassii & Q. Oppii copijs; atque eâ usi classe, cui Minvcivs Rvfvs, ac C. Popilivs præerant; prœlio cum Mithridate congressi, minus prosperè pugnârunt. Et ipsi reges rursùs regnis suis; ille Bithyniâ, hic Cappadociâ; à Mithridate pulsi sunt.

3868. Lath. red. 5. Inter. in Syr. Al. Iamn. 18. Ab V. C. 666.	*Consules L. CORNELIVS SVLLA, & Q. POMPEIVS RVFVS. Hic sextus à CORNELIO RVFINO, qui bello Pyrrhi clarus dux. Ille autem*	82.

Vir, qui neque ad finem victoriæ, satis laudari; neque post victoriam abundè vituperari potest; petens consulatum, pænè omnium civium suffragijs nactus est, undequinquagesimo ætatis anno. Is, post victoriam civilem, Felicem se appellari voluit.

Ipse Asiam; & collega Pompeivs Italiam; sortiti.

Eo anno, duo gravissima bella, alterum foris exarsit; alterum domi coortum est. Illud, Mithridates, rex Ponti; hoc C. Marivs, qui sexies Consul fuerat, excitavit. Mithridati, ob eas, quas suprà dixi, caussas bellum indictum; idque Sullæ Coss. erat mandatum.

BELLVM CIVILE SVLLANVM. ET SVLPITII TRIB. PL. LEGES EXITIOSÆ.

Ille egressus urbe, quùm & reliquias belli Italici in Campaniâ persequeretur, & circà Nolam moraretur; (quippe ea urbs pertinacissimè arma retinebat; exercitu que Romano obsidebatur,) P. Svlpitivs, Trib. pl. qui anteà rectissimâ voluntate, maximam apud populum dignitatem quæsiverat; subitò pravus & præceps, C. Mario, post Lxx. ætatis annum, omnia imperia & omnes provincias concupiscenti, addixit. Legemque ad populum tulit: *Quâ Sullæ imperium abrogaretur, & C. MARIO bellum decerneretur Mithridaticum.* aliasque exitiabileis, nec tolerandas liberæ civitati. Quinetiam Q. Pompeii Cos. quo adversante legem tulerat; filium; eumdemque Sullæ generum, per emissarios factionis suæ interfecit.

Tum Sulla, contracto exercitu ad urbem rediit; & in eam post leve cũ adversarijs prœlium, Esquilinâ Collinâque portâ, gemino agmine, & viâ incendio factâ, ingressus, Arcem Capitolinam, tamquam victor, insedit. Et ex S. C. xii. inimicos suos, hosteis iudicatos, inter quos Marivm, cũ filio; & P. Svlpicivm, urbe exturbavit, ac lege latâ exsules fecit. Svlpitivm etiã adsecuti equites, in Laurentinis Paludibus iugulavére. Caput eius erectum & ostentatum pro Rostris, velut omen imminentis proscriptionis fuit.

Marius, post vi. Consulatum, anno ætatis Lxx. nudus ac limo obrutus, extractus arundineto, circà Paludem Maricæ, in quam se fugiens abdiderat, iniecto in collum loro, in carcerem Minturnensium, iussu ii. Virûm perductus est. Ad quem interficiendum missus servus publicus, natione Germanus, Cimbrico bello captus, ut agnovit Imperatorem Marivm, abiecto gladio, & miserabili cum eiulatu, profûgit. Tum cives, ab hoste, misereri viri, paulloante principis, edocti, instructum eum viatico, collatâque veste in navem imposuérunt.

At ille, adsecutus circà Ænariam filium, cursum in Africam direxit; inopemque vitam in tugurio ruinarum Carthaginiensium aliquamdiu toleravit.

Q. POMPEII CÆDES.

Q. Pompeivs, Sullæ collega, iussu Senatûs ad exercitum Cn. Pompeii Strabonis, quem aliquamdiu invitâ civitate ille obtinebat, recipiendũ, missus; seditione, sed quam dux ipse excitaverat; interfectus est. Milites namque, ambitiosi ducis illecebris corrupti, Consulem sacrificare incipientem, in modum hostiæ mactârunt.

Et tum primùm sanguine Consulis Rom. militis imbutæ sunt manus.

MITHRIDATES AD BELLVM SE COMPARAT, ET CREBRIS VICTORIJS EXSULTAT.

Dum autem civili bello Sulla, & ordinandâ Romæ rep. occupatur, Mithridates bello à Romanis, eorumque socijs Regibus, lacessi cæptus, elatus animis ingentibus, Asiæ totius, &, si posset, Europæ cupiditate flagrabat. Intelligens autem quantum bellum adversùs Romanos suscitaret; ad eius belli societatem, Tigranem Armeniæ regem (qui obses Parthis antè multum temporis datus, sed & olim ab ijsdem in regnum paternum remissus fuerat) omni ope solicitat; Cleopatrâ filiâ in matrimonium traditâ, & regno Cappadociæ in præmium proposito.

Pacti inter se sunt reges; *Vt urbes agriq, Mithridati; homines verò, & quæcumq, auferri possent, Tigrani cederent.*

Posthæc, Legatos ad Cimbros; alios, ad Gallogræcos, ad Sarmatas Bastarnasque, auxilia petitum, mittit. Quas genteis, in belli, quod meditabatur, eventum, varijs beneficiorum generibus iamante il-

lexerat. Ab Scythiâ quoque exercitum venire iubet; omnemque Orientem adversùs Romanos armat.

Phrygiam & Bithyniam, pop. Romani provincias, cum exercitu ingreditur; Asiam in potestatem redigit; & in omnibus eius civitatibus civeis Romanos, uno die, atque uno nuntio sive edicto, omneis interficiendos curavit.

Tum quidem domus, templa & aræ, humana omnia atque divina iura violata sunt. Ad LXXX. Romanæ civitatis hominum Mill. occisa feruntur.

Sed & hic Asiæ terror, Europam quoque regi aperiebat. Post M. AQVILIVM, & MANLIVM MALTHINVM, qui Asiano tantùm exercitu instructi erant, cum NICOMEDE, pulsos & fusos, ipse ingenti favore civitatum exceptus, multum ibi auri argentique, studio veterum regum collectum, magnumque belli adparatum, invenit. Quibus instructus, debita civitatibus publica privataque remittit, & vacationem quinquennij concedit.

Q. OPPIVM Proconf. & M. AQVILIVM legatum, captos, atque fœdè excruciatos, necavit. Thraciam & Macedoniam per ARIARATHEN filium; Græciam per ARCHELAVM & NEOPTOLEMVM præfectos, invadit, & Athenas occupat.

Iam Cyclades, Delos, Eubœa, & alia tenebantur; quùm prima torrentis huius impetum morata est Rhodus, Romanis fida atque amica, frustraque à regijs oppugnata.

PHARISÆI REGEM ALEXANDRVM BELLO LACESSVNT. EORVM SVPPLICIA.

Pharisæi in Iudæâ, recentibus in regem ALEXANDRVM odijs concitati, accitis mox DEMETRII EVCÆRI, qui apud Syros Damascenos regnabat, auxilijs, copijsque cum eodem coniunctis, castra circà Sicima collocárant.

Adduxerat rex ille III. equitum, & XL. peditum Mill. Iamnæus verò cum VI. mercenariorum, & paullo-amplius; & XX. suæ factionis Iudæorum, Millibus, obviàm hosti processit.

Multis, hinc, indè, frustra tentatis; dum Syrus mercenarios, uti Græcos, ab ALEXANDRO; & ALEXANDER populareis Iudæos, à DEMETRIO, ut deficiant, magnâ contentione solicitant; tandem visum est armis decernere.

Victus prœlio ancipiti, & cruento ALEXANDER, in monteis perfugit: eodemque ad VI. Mill. victi regis fortunam miserati, se recepérunt; quorum metu, & cladis è pugnâ acceptæ memoriâ, EVCÆRVS retrò ad suos recessit.

Perduelles nihilo minus privatis etiam opibus, licet infeliciter, regem semel victum persequi non destiterunt; dum tandem Bethomis, quò potentissimi & infensissimi ex ipsis quique compulsi fuerant, expugnatis; partim immaneis regi suo (quem in extremum nunc vitæ suæ, nunc regni periculum adduxerant; & munitissima Moabitidis & Galaaditidis regionum opida (quæ superiore bello Arabibus ille ademerat) non sine insigni totius Iudææ iacturâ, restituere coëgerant) tàm longinquæ contumaciæ, & rebellionis pœnas expendérunt. Et ad DCCC. crucibus suffixi, spirantesque, (quùm rex ipse interim epulum sub dio parâsset, & pellicibus delicias faceret;) coràm uxores, cum liberis suis, iugulari inspexerunt. Partim in tutâ recepti, voluntario sese ipsi exsilio multárunt, & fecuram Alexandro regni administrationem, vel inviti, aliquantisper reliquerunt. (*Ex eâ crudelitate, Iamnæus, Thracidæ cognomentum invenit.*)

3869. Lath. red. 6. Interr. in Syr. Alex. Iamn. 19. Ab V. C. 667.	*Consules Cn.* OCTAVIVS NEPOS, (*qui Galliam citeriorem sortitus est.*) *Et* L. CORNELIVS CINNA.	81.

Hic à L. Sullâ, ex inimicâ factione, eâ conditione Cos. creatus, ut Sullæ actionibus non adversaretur. Is tamen, ubi primùm magistratum inivit, præsentem reip. statum perturbare adortus, Sullæ etiam accusationem per Virginium Trib. pl. comparavit. Quo contemto, Sulla adversùm Mithridatem movit.

Quùm pridem aliquot Italiæ populis civitas ita data fuisset, ut in octo Tribus novas, novi cives côtribuerentur; ne potentia eorum & multitudo veterum civium dignitatem frangeret, & in comitijs auctoritatem opesque superaret; Cinna Cos. ut ab Italicis gratiam iniret, eos se omneis in XXXV. Tribus distributurum esse pollicitus est; Quo nomine ingentem totius Italiæ frequentiam in urbem acciverat.

Quùm autem hanc rogationem per vim ferre vellet; & à Cn. OCTAVIO, collegâ, qui Optimatium veterumque civium caussam susceperat, per seditionem urbe pulsus, in Campaniam, ad solicitandas civitates, contenderet; ex auctoritate Senatûs, magistratus ei abrogatus est; & in eius locum suffectus L. CORNELIVS MERVLA, Flamen Dialis.

SEDITIO CINNANA.

Tum Cinna, corruptis primò Centurionibus, ac Tribunis; mòx etiam spe largitionis militibus, ab eo exercitu, qui circà Nolam sub Ap. CLAVDIO erat, receptus est. Qui quùm universùs in eius verba iurâsset, ipse retinens insignia consulatûs, & fretus ingenti numero civium novorum, è quorum delectu CCC. ampliùs cohorteis conscripserat, & XXX. legionum instar compleverat; patriæ bellum intulit. Et quoniam partibus, auctoritate & gratiâ opus sibi esset prospiceret, C. MARIVM, cum filio, alijsque comitibus, de exsilio ab Africâ revocavit.

Vrbem Octavius, & Merula Coss. ad tanti metum belli munire tentárunt. Mario, & Cinnæ se Sertorius & Carbo, cum suo quisque exercitu, adiungunt.

Senatus

Seratus Cn. POMPEIVM ad urbis tutelam advocat. Sed is frustratus spe continuandi consulatûs,ita se dubium mediumque partibus præstitit; ut omnia ex proprio usu ageret, temporibusque insidiari videretur. Ad ultimum magno atrocique prœlio cum Cinnâ conflixit, evêtu exitiabili. Ipse fulmine ictus (al. pestilentiâ utrimque exercitum lacerante) interijt. Lectum eius populus diripuit; & quam vivo iracundiam debuerat, in corpus mortui contulit, & unco traxit.

MARII CRVDELITAS IN CIVEIS.

C. MARIVS, de quo recipiendo Cinna prior in urbem ingressus legem tulerat, (post ostiam nefanda strage direptam, & manum Octavij Ianiculo depulsam) pestifero civibus suis reditu, admissus, victoriâ crudelissimè usus est. Et excellissimi quiq; civitatis viri principes, quasi signo in cædem dato; varijs suppliciorum generibus adfecti.

In ijs Cos. OCTAVIVS, vir lenissimi animi, iussu Cinnæ, interfectus; eiusque caput pro Rostris expositum. MERVLA autem, qui se sub adventum Cinnæ consulatu, abdicaverat, incisis venis, superfusoque altaribus sanguine, non sine exsecratione Cinnæ, eiusque partium, optimè de rep. meritum spiritum reddidit. M. ANTONIVS, eloquentiæ princeps, gladijs militum, quos ipsos facundiâ suâ moratus erat, iussu Marij Cinnæque, confossus est. Q. CATVLVS, Cimbrici belli gloriâ quæ illi cum MARIO communis fuerat, celeberrimus, se calcis odore & ignis haustu, ludibrijs hostium exemit, L. & C. fratres, & Cæsares, Fimbria, in penatibus domorum suarum; Crassi, Pater & filius, in mutuo alter alterius adspectu, trucidantur. Bœbium atque Numitorium, per medium forum unci traxère carnificum. Quibuscumque denique fatalem illam scilicet manum MARIVS ingrediens salutantibus nõ porrexerat; tamquàm victimæ, certæ cædi, destinati.

Nihil illâ victoriâ fuisset crudelius, nisi mòx Sullana fuisset consecuta. Omnia tunc quidem in rep. erant præcipitia; nec tamen adhuc quisquam inveniebatur, *qui bona civis Rom. aut donare auderet, aut petere sustineret*. Et quùm victores proscriptorum à se penateis vulgi manibus diripiendos obiecissent; nemo iuventus est, *qui è civili iactura prædam peteret*. Paullo-post, *nihil turpe visum, quod esset quæstuosum: & modus culpæ ex pecuniæ modo constitutus*.

(Tradit TACITVS; Duobus & Septuaginta annis pòst Cornelij Merulæ, Flaminis Dialis,cædem, neminem Flaminem esse suffectum. Quod actum est IVLO ANTONIO & Q. FABIO Coss.)

SVLLÆ IN MITHRIDATEM GRÆCIAMQVE EXPEDITIO.

Huius anni principio L. SVLLA Proeons. in Græciam traiecit; & pecunijs socijsque ex Ætoliâ Thessaliâque contractis, in Atticam adversus ARCHELAVM, contendit: & parte exercitus ad ARISTIONEM Athenis obsidendum missâ; ipse Piræum, qui ab ARCHELAO tenebatur, sibi oppugnandum suscepit. Quâ in re totam æstatem consumsit.

3870. Lath. red. 7. Interr. in Syr. Alex. Iamn. 20. Ab V. C. 668.	*C. MARIVS VII. & L. CORNELIVS CINNA II. nullis habitis comitijs, se ipsi Coss. renuntiárunt.*	80.

MARII EXITVS.

Eodemq; die, quo magistratum inièrunt. (Kal. Ianuarij) MARIVS, SEXTVM LICINIVM Senatorem de saxo deijci iussit. Editisque multis sceleribus,xv. post die, sive Idib. Ianuar. morbo oppressus decessit. Vir in bello hostibus, in otio civibus infestissimus, quietisque impatientissimus.

In eius locum suffectus L. VALERIVS FLACCVS, qui antè eidem, VI. Consuli, collega fuit.

Is turpissimæ legis auctor, creditoribus quadrantem solvi iusserat. Cuius facti merita eum pœna intra biennium consecuta est.

Dominante in Italia Cinnâ, maior pars nobilitatis ac Sullam in Achaiam, & deinde in Asiam perfugit.

SVLLA ATHENAS CAPIT.

SVLLA, quùm classe egeret, nec à Rhodijs, Mithridatę maria omnia occupante, facilè iuvari posset; L. LVCVLLVM in Syriam atque in Ægyptum clàm,ut naveis ab amicis pop. Rom. regibus acciperet, misit. Et Piræo, quem diu frustrà oppugnaverat, omisso, urbem Athenarum circumvallatam atque obsessam Kal. Martijs cepit. ARISTIONEM, qui in arcem confugerat, fame ad deditionem compulsum occidit. Civitati libertatem ac bona sua restituit. Et ingratissimos hominũ, ut ipse dixit; in honorem mortuorum faeris suis famæque donavit. Quantumvis illi oppressi domi Mithridatis, quem oderant, armis; & foris, ab amicis oppugnati, animos extrà mœnia; corpora, necessitati servientes, intra muros habuisse verius iudicarentur.

SVLLA deinde, Piræo in potestatem redacto, in Bœotiam movit; & se cum HORTENSIO, qui ex Thessaliâ copias adducebat, coniunxit. Et cum Taxile Mithridatis præfecto, qui ex Thraciâ & Macedoniâ, cum C. pedit. & X. equit. Millibus, & XC. falcatis curribus descenderat; & ARCHELAVM, circa Munichiam in ancoris adhuc stantem, arcessierat; ad Chæronéam opidum, acie conflixit. haud dubio pugnæ eventu, quod ex hostibus vix X. M. Chalcidem effugerint; Sulla vix XII. ex suis se amisisse sit gloriatus.

SVLLÆ EX REGIIS PRÆFECTIS VICTORIA.

Interim quùm L. FLACCVM Consulem, ex adversâ factione, creatum, Ionium mare traijcere, verbo quidem adversùs Mithridatem; re autem adversùs semetipsum inaudîsset; ut ei obviàm fieret, in Thessaliam iam castra movebat. Verùm postquàm DORYLAVM, regis præfectum, Lxxx. militum M. ad Chalcidem exposuisse, & in Bœotiam invasisse, accepit; cumque invito ARCHELAO, qui trahi bellum cuperet, aleam omnem iacere obstinatum, non modò retrò sibi referenda castra duxit; sed collatis ad Orchomenum opidum signis, primo congressu ad xv. hostium Mill. unà cum DIOGENE, ARCHELAI F. cecidit. Altero, omneis eorum copias delevit. Victor, Bœotiâ direptâ, & pulsis ex Eubœa regis præsidijs, in Thessaltam ad hiberna se recepit.

Lustrum Lxvi. conditur à L. MARCIO PHILIPPO, & M. PERPERNA, Censor. Quo censa sunt civium capita c d. Mill. & L. VALERIVS FLACCVS, princeps Senatûs dictus.

PHILIPPI CENS. ÆTAS DIVTVRNA.

PHILIPPVS avunculum suum, in recitando Senatu, præterijt. PERPENNA omnibus, quos in Senatu rogaverat, superstes fuit: septemque tantummodò, quos censor legerat, è Patribus conscriptis, reliquos vidit. toto ordine amplissimo diuturnior, vixit annos duode-centum.

GLADIATORIA FIMBRIÆ INSANIA.

C. FIMBRIA egerat, ut Scævola, vir morum sanctitrate præstans, in funere C. Marij iugularetur. Postquàm eum ex vulnere recreatum comperit, accusare apud populum instituit; obiecturus scilicet illi; *quòd parùm telum corpore recepisset*. Crimen Fimbrâ gladiatore dignum.

DEMETRII EVCÆRI CAPTIVITAS.

DEMETRIVS EVCÆRVS, relictis Iudæis, in Syriam remeans; fratrem PHILIPPVM, Beroæ mœnibus se tutantem, obsidet & oppugnat; exercitu x. Mill. pedit. & equitum M. instructus.

STRATON, Betœensium tyrannus, & PHILIPPI socius; ZIZVM, Arabum principem, & Mithridatem Sinacem, Parthorum regulum, ad opem ferendam excivit.

Hi magno cum exercitu adventantes Demetrij castra oppugnant; & cum siti, tum missilium telorum crebritate, ad deditionem cum suis faciendam adegêrunt. & unà cum ingenti prædâ DEMETRIVM captivum, ad Mithridatem, Parthorum regem, ablegârunt. Ille, donec morbo ibi extinctus est, magno in honore, in externi regis aulâ, habitus est.

Antiochenses, qui in castris inventi, gratis & humaniter dimissi fuerant; PHILIPPVM vicissim benivolentet excepérunt, & totius Syriæ regno præfecérunt.

PTOLEMÆVS AVLETES, AL. DIONYSIVS, ÆGYPTI REX.

A PTOLEMÆO PHYSCONE, al. LATHVRO, usque ad hunc AVLETEN, sive DIONYSIVM, & infrà, non convenit omninò, inter scriptores, de regibus, neque de singulorum regum annis.

LATHVRO ipsi, alij tribuunt 17. alij 15. annos. Alexandro fratri, qui eum matre Cleopatra regnavit, dantur à plerisque 10. anni. Et eidem Lathuro, in regnum regresso, alij 8. ann. Auletæ verò, 30. ferè annos communiter tribuunt.

Sed Petav. duos (ex Manetijs & aliundè) secundùm Lathurum, sive ante Auleten, alios reges interiectos fuisse colligit.

Vnum Alexandrum, prioris Alexandri regis filium, qui in Co insulâ nutritus, & à Cois Mithridati deditus, ab eo ad Syllam confugerit, & rex ab eo Ægyptijs datus fuerit; quùm nullus Alexandriæ rex esset. Sed qui decimo-nono pòst die ab Alexandrinis sit interfectus. (Ex Appian. l. 1. Civil. Anno v. 673.)

Alterum, Alexandrum itidem nomine, eius fratrem. (Trog. prol. 39.) de quo Cæsar Ædilis, in regnum, undè pulsus erat, restituendo, laborârit: qui moriens popul. Roman. regnum suum legârit. (Cic. contrà Rul. de L. Agraria.) Quem apparet (inquit Petav.) desperata regni recuperatione in Tyrum secessisse; ibique in exsilio mortuum, heredes Roman. instituisse. (Anno V. C. 690.) Regnavit an. 16. aut 17. inchoatos.

Quo eodem anno xii. rex, cæpit regnare Auletes Nothus; non filius Lathuri, sed subditius. Qui propterea, sui generis conscius, ac testamentum, quod Alexander apud Tyrios condiderat, usurpatam regni possessionem Romanâ amicitiâ & societate tueri conatus est.

De annis eius regni non satis liquet. Vulgò xxx. anni adsignantur ex Euseb. errore tralatitio. quòd expuncto Alexandro (qui xi. est in serie) Auletæ primordia tantò antè constituunt. Cæterùm quùm Strabo, brevi, postquàm restitutus est, tempore supervixisse, dicat; (anteà 8. ann. regnârat) annis circiter xi. universè regnâsse censeatur. Hæc ferè Petav.

Huius frater fuit cognominis rex ille Cypri; qui cum se rogatione Clodiana regno spoliandum videret, vitam sibi eripuit, anno V. 698. de quo infrà.

L. COR-

3871.
Ptol. Aulet. 1.
Interr. in Syr.
Alex. Iamn. 21.
Ab V. C. 669.

L. CORNELIVS CINNA III. & CN. PAPIRIVS CARBO, semetipsi per biennium Consules creantur.

79.

FLACCI COS. CÆDES.

Quùm L. FLACCVS, Consul, in Marij locum suffectus, à Cinnâ, ut Sullæ in bellum Mithridaticum succederet, missus, in Asiam traiecisset; à C. FLAVIO FIMBRIA, legato suo, sive equitum præfecto, (quem ipse, rei bellicæ rudis, uti strenuum virum, secum adduxerat) corrupto exercitu, interfectus est.

(FLACCVS, sive propter avaritiam; sive propter crudelitatem, in odium exercitûs sui incurrisse; & quod videret legati, quum sui maiorem apud milites existimationem vigére, Thermum eidem, non sine iniuriâ, substituisse; insimulatus est.)

FIMBRIA itaque THERMVM æmulum honoris insignibus spoliat. FLACCVM Cos. ipse privatus in Nicomediam fugientem adsecutus, in puteo quodam latentem, occidit. atque arreptis imperij insignibus provinciam ingressus, Mithridatem, Pergamum, atque inde Pitanen confugientem, adeptus, vallo cinxit; quoad rex navibus Mitylenen effugeret.

MITHRIDATES PACEM TENTAT.

MITHRIDATES, postquàm de clade ad Orchomenum acceptâ certior factus est; ARCHELAO, ut quàm æquissimis conditionibus pacem cum Sullâ componeret, perscripsit. Ille cum Sullâ collocutus, leges, quæ ferebantur, ad regem remisit.

Sed Sulla, ne in otio esset, Dardanos, Henetos, aliosque Thraciæ populos, qui Macedoniam incursabant, multis prœlijs fregit. Et ARCHELAO comite; quem apud se in honore habebat, per Thessaliam & Macedoniam in Hellespontum venit.

Quumq; ibi occurrentibus regis legatis, pax convenire nô potuisset, quòd commodiores à Fimbriâ sibi conditiones ferri rex diceret; vastato Mædorû agro, in Macedoniâ revertit. Et Mithridate ipso, cum eo coràm congredi cupiente, in Asiam traiecit.

C. verò FIMBRIA, fusis aliquoties Mithridatis copijs, urbem Pergamum cepit: obsessumque regem parum abfuit quin caperet. Illum, quæ se potestati Syllæ reservabat, expugnavit ac delevit; magnamque Asiæ partem recepit.

PHILIPPVS GRYPI F. SYRIÆ REX XXI.

EIVSDEM CVM ANTIOCHO FRATRE, CVM IAMNÆO, & Areta, bella.

PHILIPPO, post pulsum & captum EVCÆRVM, Syriæ potito, frater eius ANTIOCHVS, cognomine Dionysius, (novissimus eorum, qui Seleucum genitorem habuérunt) Damascum venit, eiusque regionis principatum sibi vindicavit.

Quem ubi in Arabas cum exercitu profectum esse PHILIPPVS cognovit, Damascum advolat; & operâ Milesij cuiusdam arcis præfecti urbe quidem potitur; sed mòx ab eodem Milesio, ob ingratitudinem, exclusus est: & urbs ANTIOCHO reddita. Is ex Arabiâ reversus, quùm exercitum octies Mille peditum, & equites octingentos, in Iudæam duceret; ALEXANDER IAMNÆVS, ut eum transitu prohiberet, fossam profundam à Capharsabe, sive Antipatride, ad Ioppicum usque mare, perduxit; & murum cum castellis per aliquot stadia excitavit.

ANTIOCHVS, munimentis eversis, in Arabiam iterùm exercitum traducit; & cum Aretâ, qui x. equitum Mill. adduxerat, acriter confligens, & penè victoriæ certus, cadit. Eiusque exercitûs magna pars, quæ in vicum Canam refugerat, fame penè absumpta est.

Damasceni, PHILIPPVM, Mynnæi filium, quem PHILIPPVS rex olim urbi præfecisse videtur; exosi; eidem Aretæ Damasci, sive Cœles-Syriæ regnum detulérunt.

Hic finis Seleucidarum. Movit se tamen paullopòst Antiochus, Pij F.

Aretas ductis in Iudæam copijs, ALEXANDRVM IAMNÆVM, haud prosperâ apud Adidam pugnâ defunctum, ad pacem certis conditionibus petendam adegit.

ALEXANDER nihilo minus, Dio opido per vim capto, Essam, ubi ZENONIS res erant pretiosissimæ, triplici muro eircumdedit, & expugnavit. Deinde Gaulanâ & Seleuciâ subactis, Vallem, quæ ANTIOCHI dicitur, & castellum Gamalam, in potestatem suam redegit, & DEMETRIVM, eorum locorum potentem, uti suspectum, possessione & Principatu suo exuit.

Consules

3872. Ptol. Aulet. 2. Interr. in Syr. Alex. Iamn. 22. Ab V. C. 670. Olymp. 174.	*Consules Cn.* PAPIRIVS CARBO II. *&* L. CORNELIVS CINNA IV. *Ex quibus ille provinciam Galliam obtinuit, cum* VERRE *Quæstore; &* L. CINNA, *Italiam.*	78.

Consules à seipsis per biennium creati, legem tulerunt; *quâ Sullæ imperium abrogaretur, & recusanti bellum indiceretur.*

L. FLACCVS, princeps Senatûs; quique publicæ concordiæ studebant, suadent; *ut legati de pace ad Sullam mittantur.*

CINNÆ COS. CÆDES.

CINNA, ab exercitu, quem invitum naveis conscendere, & in Liburniam traijcere cogebat, adversùs Sullam profecturus; Ancone, ob nimiam crudelitatem, lapidibus obrutus est. Vir dignior, *qui arbitrio victorum moreretur, quàm iracundiâ militum. In consultando temerarius, in exsequendo strenuus.*

Huc accessisse aiunt, quòd quùm Cn. POMPEIVS, qui posteà Magnus, iuvenis, in Consulis castra venisset; & falso crimine notatus, clàm fugisset; creditum est eum à Cinnâ fuisse interfectum. Vndè impetu facto à militibus, fortè STRABONIS Patris, stipendiarijs, interemtus sit.

CARBO, ne comitia subrogando haberet collegæ, auspicijs sæpiùs impeditus, solus toto anno consulatum obivit.

PACIS LEGES MITHRIDATI IMPOSITÆ.

Transgressus in Asiam Sulla, parentem antè omnia, supplicemque Mithridatem invénit. Quem multatum pecuniâ ac parte navium, *Asiâ, Bithyniâ, Cappadociâ, alijsq́, provincijs,* quas armis occupaverat, *decedere* coegit: *Captivos recepit; in perfugas noxiosq́, animadvertit. Illum Paternis,* hoc est, *Ponticis finibus, & regionibus ultrà Halym sitis, contentum esse iussit.* Hæ pacis leges, inspectante utroque exercitu, latæ, & à Mithridate acceptæ, qui navibus Sullæ traditis, in pontum recessit. Debellatum foret, nisi Sulla de Mithridate citò triumphare, quàm verè maluisset. Asia rursùs sic erat Romanorum, ut cæperat; & Mithridates tantùm repulsus.

FIMBRIÆ CÆDES.

FIMBRIA, sub adventum Sullæ, ab exercitu, qui auro corruptus certatim ad Sullam transibat, desertus, & Pergami obsessus, se ipse interemit; adolescens, quæ pessimè ausus erat, fortiter exsecutus.

Alij, se ipsum percussisse; & deinde servo suo cervicem præbuisse; & ut ab eo interficeretur, impetrâsse, memorant.

Sulla Legatis, qui à Senatu missi erant; *futurum se in Senatus potestate* respondit: *si cives*, qui ad se confugerant, *restituerentur.*

Quæ conditio quùm æqua Senatui visa esset; per CARBONEM, eiusque factionem, belli civilis cupidam, reiecta est. Quumque idem CARBO ab omnibus Italiæ opidis, colonijsque obsides exigere vellet, quò fidem illorum adversùs Sullam sibi obstringeret; consensu Senatûs prohibitus est: & *novis civibus S. C. suffragium datum. Libertini in V. & XXI. Tribus distributi.*

Q. METELLVS PIVS, optimatium partes secutus, quùm in Africâ bellum moliretur, a C. FABIO prætore pulsus est. Factumque, CARBONIS & Marianæ factionis instigatione, Sen. Consultum; *ut omnes ubiq́, exercitus dimitterentur.*

SVLLA, CVRIONI negotium dedit, ut ARIOBARZANEM, in Cappadociam; NICOMEDEM, in Bithyniam, *ex pacto reducat. Civitates in Asia, imperium recusantes, muris nudet; omnes pecunia multet.*

3873. Ptol. Aulet. 3. Tigran. Armen. 1. Alex. Iamn. 23. Ab V. C. 671.	*Consules* L. CORNELIVS SCIPIO ASIATICVS, *&* C. NORBANVS PISO. *Illi Gallia citerior, &* M. PISO *Quæstor obtigit.* *Tum* CARBONIS, *qui Romæ Sullæ amicos hosteis iudicandos curârat, dolo atque operâ Capitolium conflagrâsse volunt.*	77.

TIGRANES ARMENIVS, SYRIÆ REX.

CAPITOLII CONDITORES, ET AMPLIFICATORES.

Capitolium voverat olim TARQVINIVS PRISCVS rex, bello Latino; iecerat que fundamenta, spe magis futuræ magnitudinis, quàm quò modicæ adhuc pop. Rom. res sufficerent. Mòx SERVIVS TVLLVS, sociorum studio; deinde TARQVINIVS SVPERBVS, captâ Suessâ Pometiâ; hostium spolijs, extruxére.

Pulsis regibus, HORATIVS PVLVILLVS, iterùm Consul, dedicavit, (anno V. C. 247.) eâ magnificentiâ, quàm immensæ posteà pop. Romani opes ornarent potiùs, quàm augerent.

Iisdem rursùm vestigijs situm, postquàm interiecto

teriecto cccCXXV. annor. spatio, his, quos dixi, SCIPIONE & NORBANO, Coss. flagraverat; Curam victor Sulla suscepit, neque tamen dedicavit. *Id solum Felicitati eius negatum.* LVTATII CATVLI nomen (anno 676. Consulis) inter tanta Cæsarum opera, usque ad VITELLIVM Imper. mansit.

NOVÆ ROMÆ FACTIONES ADVERSVS SVLLAM ABSENTEM; & huius de iisdem Victoriæ.

Intereà dum cum Mithridate bellum gereret Sulla; Marij, Cinnæ & Carbonis, factiones, ut Italiam obsidebant; ita Sullæ amicos pro arbitrio vexaverant. Ille neque illatutum se bellum ijs dissimulavit; nec quod erat in manibus, omisit. Existimavitque, *antè frangendum hostem, quàm ulciscendum civem:* Repulsoque externo metu, ubi quod alienum erat, vicisset; superaret, quod erat domesticum.

Tùm compositis in Asiâ rebus; Magorum quorumdam, qui inter Parthicos legatos erant, & ex notis corporis responderant; *cælestem eius vitam, & memoriam futuram*; prodigijs, animatus, atque in Italiam revectus; haud plura, quam XXX. armatorum M. Brundisij exposuit; quùm amplius CC. M. penes Consules essent. sed ignavi magnam partem, aut parùm fidi.

FLOR. *Scipione Norbanoq; Consulibus, Tertius ille turbo civilis insaniæ, toto furore detonuit. Quippe quùm hinc XIX. legiones; & indè Quingentæ cohortes starent in armis; Indè ab Asiâ, cum victore exercitu, Sulla properaret.*

Sulla initiò, non ut belli vindex, sed pacis auctor, magnâ cum quiete, & cum singulari agrorum urbiumque curâ, per Calabriam Apuliamque exercitum in Campaniam perduxit; tentavitque iustis legibus & æquis conditionibus pacem componere. Sed Legatos, quos ille miserat, Norbanus Cos. violavit.

Primi ad SVLLAM, METELLVS PIVS, & Cn. POMPEIVS, STRABONIS F. cum parte exercitûs, deficiunt. Tùm circà Capuam, sub amne Vulturno, signa concurrunt. Norbanus ad Canusium prœlio victus est. Scipio, ab exercitu suo proditus ac desertus, inviolatus à Sullâ dimissus est; (al. fugâ salutem sibi quæsivit.)



TIGRANES ARMENIVS, SYRIÆ REX XXIII.

In Syria verò, mutuis fratrum, SELEVCIDARVM, odijs, & deinceps filijs in inimicitias parentum succedentibus; atque ideò regno bellis inexpiabilibus consumto; ad externa populus auxilia concurrit; peregrinosque sibi reges circumspicere cæpit.

Et quod MITHRIDATES PONTICVS bello Romano implicitus esset; & PTOLEMÆVS Ægyptius; semper hostis Syriæ fuisset; omnes, ijs omissis, in TIGRANEM, Armeniæ regem, consensére: instructum, præter domesticas vireis, & Parthicâ societate, & Mithridatis affinitate. Accitus ille in Syriam, per annos, (al. XIIX, al. XVI.) tranquillissimo regno potitus est. qui neque bello alium lacessere; neque lacessitus inferre alij bellum necesse haberet.

3874. Ptol. Auletes 4. Tigran. 2. Alex. Iamn. 24. Ab V. C. 672.

CARBO ille, iterùm Consul, ne quidem eo rerum statu sibi temperabat, quin Sullanos male tractaret, & patria hostes iudicaret. Atque adeò obtinuit, ut III. Consul designaretur, cum C. MARIO Iuniore. (Hunc alij putant Marij septies Consulis fil. Alij ex fratre Nepotem; quem idem patruus adoptârit) quùm is XXV. aut summum XXVII. annum ageret.

76.

MARIANÆ FACTIONIS DVCES A SVLLANIS VARIE VICTI & deleti.

Q. METELLVS PIVS, postquàm ad Aesim, CARINATEM, CARBONIS ducem, fudisset; à Carbone vicissim obsideri cœperat. donec is, accepta Marij ad Præneste clade, Ariminum versùs contendere, aut fugere coactus est.

MARIVS namque, vir animi magis, quam ævi paterni, multa fortiterque molitus, apud Sacriportum pulsus à Sullâ acie, Præneste, quod antè naturâ munitum præsidijs firmârat, se exercitumque receperat.

Quod quidem opidum Sulla vallo cinxit. sed audito L. DAMASIPPVM (al. Brutum pretorem urb.) vocato Senatu, omnem, quæ in urbe erat, nobilitatem, Marij iussu, contrucidâsse; & in cæteris P. ANTISTITVM ædilitium; C. PAPIRIVM CARBONEM prætorium, Consulis fratrem; L. DOMITIVM; & Q. MVCIVM SCÆVOLAM, Pont. Max. relicto ad Præneste, Marijque obsidionem, L. LVCRETIO OFELLA, qui prætor à Marianis partibus ad se transfugerat; Romam pergit. & castris in campo Martio positis, in urbem ingressus, inimicorum, qui metu urbe cesserant, bona proscribit. & populo in concionem vocato, spem fecit, se brevi reimp. esse constituturum. Et impositis urbi præfectis, ex eâ iterùm egressus, primùm ad Clusium; deinde ad Saturniam prosperè cum CARBONE conflixit.

CARINAS, cæso CARBONIS exercitu, à POMPEIO & CRASSO, in agro Spoletino obsessus est.

MARCIVS, dum ad MARIVM obſidione eximendum iret, ab eodem POMPEIO: C. LAMPONIVS LVCANVS, & PONTIVS TELASINVS Samnis, & GVTTA Campanus; à Sullâ intercluduntur.

CARBO & NORBANVS, haud procul à Faventiâ fuſi, à Metello copijs ſpoliantur; Lucanis ad eumdem deficientibus.

Atque ita rebus iam pænè deſperatis, NORBANVS Rhodum; CARBO in Siciliam fugam intendũt.

Tum demùm quaſi extrema tentaturi, & ultimũ Romanis diem comminaturi, PONTIVS TELESINVS, CARINAS, MARCIVS & DAMASIPPVS, contractis circiter XL. pertinaciſſimæ in armis retinendis iuventutis Millib. in Albano conſedérunt. Adcurrente de-repente Sullâ, ad portam Collinam acerrimè dimicatum eſt, non ſine ingenti Marianorũ ſtrage.

TELESINVS poſterâ die ſemianimis repertus; eiuſque abſciſſum caput ferri geſtarique circà Præneſte iuſſum.

MARII IVNIORIS CÆDES.

Quo ſpectaculo, Marius adoleſcens, iam trepidans, per cuniculos urbis Præneſtis ſubterraneos, erumpere conatus, quùm è terra emerſiſſet; à diſpoſitis in idipſum militibus interemtus eſt. Sunt, qui ſuà manu; ſunt qui concurrentem mutuis ictibus cum minore fratre TELESINO, unà obſeſſo & erumpente, occubuiſſe prodiderint.

SYLLA FELIX APPELLATVS.

Eò occiſo, Sulla, Felicis nomen adſumſit. *Quod quidem uſurpâſſet iuſtiſſimè; ſi eumdem & vincendi, & vivendi finem habuiſſet*. Eius certè diei felicitatem, perpetuâ Ludorum Circenſium honoravit memoriâ. Et poterant mala belli civilis finita iam videri; niſi pulcerrimam victoriam crudelitate, poſt hominum Vrbíſve conditæ memoriam, maximâ, Felix ille, *infeliciſſimè*, inquinâſſet. A quò octo dedititiorum & inermium Mill. in publicâ villâ interfici iuſſi.

TABVLA PROSCRIPTIONIS: Cædes civium immanis.

Totâ Italiâ ſtrages horrendæ eduntur: Præneſtini dedititij ad unum conciduntur.

FVRFIDIO quodam carnificem admonente; *vivere aliquos debere, ut eſſent quibus imperaret*; propoſita eſt ingens illa Tabula Proſcriptionis; & ex ipſo Equeſtris ordinis flore, & Senatûs, duo Millia electi, qui mori iuberentur. Neque in eos, qui contrà arma tulerant; ſed in multos inſonteis ſævitum. Adiectum, ut bona proſcriptorum venirent. excluſique paternis opibus liberi, petendorum etiam honorum iure prohiberentur.

M. MARIVS, Senatorij ordinis vir, Conſulis agnatus, (Flor. ducis ipſius frater) apud Catuli ſepulcrũ, oculis effoſſis; naribus, auribusq; præſectis, cruribus brachijſque fractis, aliquamdiu ſervatus eſt, ut per ſingula membra excarnificatus moreretur.

M. BRVTVS, à Cn. CARBONE, qui Coſyram iam adpulerat, miſſus ſcaphâ piſcatoriâ Lilybæum, exploratum; an ibi POMPEIVS eſſet, quem adverſùs eum Sulla cũ imperio miſerat: & à claſſe Pompeianâ circumventus, ſe ipſe interfecit.

Et CARBO ipſe, à POMPEIO in Siciliâ captus, quùm muliebriter fleret, & ſpatium laxandæ alvo deprecaretur; dum in eo eſt, occiditur.

Centena hominum M. hoc Italico civilique bello abſumta referuntur.

SVLLA DICTATOR DICTVS.

Conſulibus ita exſtinctis, Senatus Interregem, comitiorum cauſſâ, creari iuſſit. Creatus L. VALERIVS FLACCVS, quùm comitia creandis Coſſ. habiturus putaretur, ex L. Sullæ victoris ſententiâ Legem ad popul. tulit; *Sullæ è rep. eſſe videri, Dictatorem dici, qui perturbatam reimp. conſtitueret: quouſque civitas, & univerſa Italia, & tota reſp. ordinata ac conſtituta eſſet.*

Sic Sulla ipſe Dictator creatus, XXIV. prælatis faſcibus, & cuſtodibus corporis ſui advocatis, primus Dictatoriâ poteſtate, ad immodicæ dominationis licentiam abuſus eſt.

Eius honoris uſurpatio per annos CXX. intermiſſa. Anno ſiquidem proximo, quàm Italiâ Annibal exceſſerat, ultimus Dictator creatus eſt. Annus item fuit CD. poſtquàm primus Dictator T. LARTIVS dictus fuerat.

L. FLACCVS, qui Interregnum inierat, M. Equitum ei additus fuiſſe proditur.

CIC. hanc Legem Interregis, omnium legum iniquiſſimam, diſſimillimamque legis eſſe pronuntiat; *Vt omnia quæ Dictator feciſſet rata eſſent: & quem vellet civium, impunè poſſet occidere*.

Addit Flor. poſitis ſingulorum ferè hominũ pœnis, ſplendidiſſima Italiæ municipia ſub haſta veniſſe; Spoletium, Interamniam, Præneſte, Fluentiam. Sulmonem, vetus opidum, ſocium atque amicum, nondum expugnatum, (ut obſides iure belli & modò morte damnati duci iubentur) ſic damnatam civitatem à Sullâ deleri iuſſam.

MVRÆNA BELLVM MITHRIDATICVM CONTINVAT.

L. autem LICINIVS MVRÆNA, à Sullâ Imperatore in Aſiâ, cum II. Fimbrianis legionibus anteà relictus, ut res Aſiaticas ordinaret; triumphi cupidus, (ſive ei Sulla mandatum clàm dederit, pace licet factâ, ne quam caſtigandi Mithridatis occaſionem prætermitteret) bellum hâc occaſione redintegravit.

Quùm Boſporani & Colchi à rege ſuo Mithridate pridem alienati, (ſive quem oderant, ubi regni parte à Romanis ſpoliatum viderent; etiam deſpicati) filium eius ſibi regem depoſcerent: & ille, filio æmulo occiſo, exercitum claſſemque adverſùs rebelleis compararet; MVRÆNA, quaſi ſuſpicatus, ne rex in Boſporanos verbo, re autem adverſùs Romanos ſe armaret, (defenſionem neceſſariam, federis violationem interpretans) exercitu ſtatim per Cappadociam, ad opidum maximum, cui Comana nomen, ducto; in quoſdam regis equites impetum facit. Et quantumvis legati

legati regij fœdus Sullæ ostenderent; non nisi regione vastatâ, & templis aliquot expilatis, in hiberna se recepit. Mithridates Romam mittit, qui de Murænæ iniurijs conquerantur.

3875. Ptol. Aulet. 5. Tigran. 3. Alex. Iamn. 25. Ab V. C. 673. | *SYLLA DICTATOR, ut speciem quamdam antiquæ dignitatis resp. retineret; Consules creari permisit, M. TVLLIVM DECVLAM, & Cn. CORNELIVM DOLABELLAM. Suprà quos ipse more regio federit.* | 75.

His comitijs, Q. LVCRETIVS OFELLA, quùm antè præturam consulatum peteret; iussu Sullæ occisus est. DOLABELLÆ Cos. Macedonia provincia obtigit, ex quâ posteà triumphavit.

Intereà dum Mithridates legatos ad Sullam, *de bello sibi contrà fedus illato*, conquestum mittit; MVRÆNA, Haly fluvio, qui terminus Pontici erat imperij, traiecto, quadringentos Mithridatis vicos diripit.

Et quamvis Legati Româ referrent, Senatui placere; *ut regi, quocum fedus esset, parceretur*; & Sullâ testaretur, *fœdera se violata nolle*; Muræna tamen ab iniuriâ inferendâ non destitit.

Mithridates, *Deos, fides violatæ ultores*, Murænæ imprecatus, impigrè illum adoritur, profligat, & castris exercituq; exutum in Phrygiam fugere compellit: & Cappadociam tertiùm occupat.

Tunc demùm Sulla Murænam à bello revocavit: & rex, restitutâ ARIOBARZANI Cappadociâ, bello se liberavit. Muræna Romam redit; sed *ad triumphum, non ad pænam. corruptis adeò reip. moribus.*

TRIVMPHVS SYLLÆ.

Tunc actus à Sullâ, ob res quadriennio gestas, de Mithridate Ponti rege, ex Græciâ & Asiâ, triumphus. Eo in triumpho, quod ex Capitolinæ Ædis incendio, cæterisque omnibus delubris, (ut stipendia scilicet militi supperterent) C. MARIVS iunior Præneste detulerat; XIIII. M. auri pondo, & VI. Mill. argenti, sub eo titulo, eâdemque pompâ transtulit. Quùm idem, ex reliquâ omni victoria, pridie ostentâsset auri pondo CXV. Millia.

Modestiæ & laudi deputatum est, quòd *de patria civibus, ac civium cruore* triumphare noluit: & ut Græciæ Asiæque multas urbeis; ita civium Romanor. nullum opidum in triumpho vexit.

POMPEIVS RES IN SICILIA & Africa pro Sullâ gerit, & triumphat.

Priore autem anno, quùm nuntiatum esset, Cn. CARBONEM, & M. PERPENNAM, Sullæ inimicos, in Siciliâ bellum reparare; Cn. POMPEIVS (qui post mortem Patris STRABONIS, bello Marsico inclyti ducis; cuius commilitio assuetus, bonum & capax recta discendi ingenium singulari rerum militarium prudentiâ excoluerat; & annos vix XXIII. natus, privatis ut opibus, ita consilijs magna ausus, magnificeque conata exsecutus; ad vindicandam restituendamque dignitatem patriæ, firmum ex agro Piceno, qui totus paternis eius clientelis refertus erat; exercitum contraxerat, Sullæ parteis secutus) Is, inquam, à Sulla in eam insulam cum imperio missus, Perpennâ ex insula, eiecto, CARBONEM Cos. captum, uti diximus, interfecit.

Deinde quùm eiusdem Sullæ iussu in Africam traiecisset, (ubi Cn. DOMITIVS, & rex Numidiæ HIARBAS, ad quos CARBONIS mortui copiæ ex Siciliâ confugerant; bellum moliebantur,) utrumque ingenti prœlio superavit; & illum occidit, hunc cepit. Re omni intrà XL. dies gestâ, Imperator ab exercitu appellatus.

Eidem Romam reverterti, Sulla Dictator obviàm processit, & summo honore adhibito, Magnum etiam appellavit. Triumphum postulanti, vix tum propter ætatem, tum propter ordinem concessit: & Eques Rom. sine magistratu, & nondû Senator (quod antè nemo) XXIV. annum agens, de Africâ triumphavit.

IAMNÆVS REGNI POMOERIA PROLATAT.

ALEXANDER verò IAMNÆVS, ex crapulâ in febrim quartanam delapsus, eâque per totum ferè triennium contabescens; à bellicis tamen curis non abstinuit; & Iudaici regni pomœria fecit amplissima.

In Palæstinâ, quippe, ad Maris occidui littus, Iudæis parebant, Rhinocorura, Raphia, Anthedon, Gaza, Azotus, Iamnia, Iöppe, Apollonia, & Turris Stratonis.

In Mediterraneis; Idumæa omnis, Adora & Marissa, Samaria cum mōtibus Carmelo & Ithaburio: Scythopolis sive Bethsane, Gadara, Gaulanitis, Seleucia & Gabala.

In Moabitide; Esebon, Medaba, Lemba, Orona, Telithon, Zara, Aulon Cilicius, & Pella. Et in his passim locis Iudaismum rex ALEXANDER restituerat: & Pellam, quod eos ritus adspernaretur, funditùs deleverat.

PTOL. AVLETES OB LVXVM ET inertiam regno pulsus.

PTOL. AVLETES, sive Dionysius, I. Bacchus, luxu perditus, præter alia flagitia, quibus se antegresfi reges infamârant, etiam Choraulicam exercuit: in câque adeò se iactavit, ut non pigeret præmijs in regiâ propositis, cum antagonistis in certamen prosilire.

Eum itaque Alexandrini exegêrunt; & è tribus filiabus natu maximam, & legitimam, reginam designârunt. & duo eius filij, adhuc tenelli, regno tum prorsus excidêtunt. Verùm de casuum eodem in regno varietate, infrà.

3876.
Ptol. Aulet. 6.
Tigran. 4.
Alex. Iamn. 26.
Ab V. C. 674.

SULLA, quamquam Dictator, ut quadam reip. species retineri videretur, cum Q. METELLO Pio Consulem se renuntiari voluit. 74.

METELLUS Hispanias, & Sertorianum bellum sortitus est. Sulla Nolam in Samnio recepit: & XLVII. legiones in agros captos deduxit, eosque illis divisit. Volaterras, quod oppidum adhuc in armis erat, obsessum in deditionem accepit.

Mitylenæ quoque, quæ solâ urbs in Asiâ post Mithridatem victum, arma retinebat; expugnatæ dirutæque sunt.

SERTORII MOLITIONES; ET HINC BELLUM IN HISPANIA.

Q. SERTORIUS, MARII partibus addictissimus, anno Urb. C. 670. Præturam Hispaniensem sortitus, anno demùm consequente in Hispaniam venerat; quùm iam MARIUS Prænesti obsideretur: & ipse SCIPIONIS NORBANIQUE Coss. parteis, quibus studebat, accisas & quasi profligatas in Italiâ sentiret. Prætores, qui eum, ut Sullæ gratificarentur, arcebant, summâ vi reppulit; & vireis non contemnendas sibi comparavit.

Postero autem anno, MARIO & CARBONE Coss. quùm ipse exercitum magnum conflâsset; & classem etiam confecisset; veritus, ne L. Sulla, qui victor remp. invaserat, adversùs se exercitum mitteret; Pyrenæos monteis per LIVIUM SALINATOREM occupavit.

Tertio autem anno, M. TULLIO & CORNEL. DOLABELLA Coss. C. ANNIUS à Sullâ Dictat. in Hispaniam missus, LIVIO per dolum sublato, montes Pyrenæos transgressus, SERTORIUM, primùm Carthaginem Novam; deinde in Mauritaniam compulit. Et eum eodem semper recedente, ad Pyriusam insulam, navali prœlio decertavit. Ipse tempestate ad Gadeis delatus, Lusitaniam ad bellum impulit atque armavit.

Bellum itaque SERTORIANUM, nihil aliud, quam Syllanæ proscriptionis hereditas fuit. hostile, an civile, incertum; quippe quod Lusitani Celtiberique Romano gesserint duce.

Exsul & profugus vir summæ quidem, sed calamitosæ virtutis, feralis illius Tabulæ, quam Sulla fixerat; malis suis maria terrasque permiscuit. Et in Africâ iam, & Balearibus insulis fortunam expertus, missusque in Oceanum, Fortunatas Insulas penetravit.

Sed bello Mauritanico, quo Cilices Piratæ Mauris regem dare vellent, avocatus, in Hispaniam rediit.

Fertur, ut militum animos religione quâdam adstringeret, in castris Albam Cervam, seu Dianæ saeram, nutriisse; per quam nocte sibi omnia, quæ gerenda essent, nuntiarentur. Ille non contentus Hispaniâ; ad Mithridatem quoque Ponticosque respexit, regemque classe iuvit.

Hoc autem anno, maiore ad paratu bellum illud egére ratus Sulla, Q. METELLUM collegam eò mittendum censuit. Cui L. DOMITIUS prætor additus.

SERTORIUS, COTTAM navali; & DIDIUM, Bæticæ prætorem, terrestri prœlio superâsse tum memoratur.

3877.
Ptol. Aulet. 7.
Tigran. 5.
Alexandræ 1.
Ab V. C. 675.

Pop. Romanus, ut SULLÆ Dictatori obsequeretur, ab eo, ut Consulatum continuaret, petiit. SULLA adversari se fingens, PUBL. SERVILIUM VATIAM, qui ISAURICUS; & AP. CLAUDIUM PULCRUM, Coss. renuntiandos curavit. Ex quibus hic Macedoniam; ille Ciliciam & bellum Piraticum sortitus est. 73.

SYLLA DICTATURA SE ABDICAT. PHTHIRIASI INFESTATUR, & indè moritur.

Sulla, Dictaturâ, quam veluti perpetuam ceperat, se ultrò abdicavit. Quumque multa hominum Millia, morte, multâ, & cuiusvis generis contumeliâ adfecisset: remp. Romanam & Italiam rerum novarum studio perturbâsset; dimisso à se publico præsidio, palàm in foro adfirmare ausus est; *Se rerum omnium à se gestarum paratum esse rationem reddere.*

Sed quis rationem, salvis partium viribus, exigeret? Verùm quas homines reposcere non audebant pœnas; Deus fœdissimo & sævissimo morbo, pediculis totum corpus erodentibus, ab illo FELICE repetiit.

Quin

3878. Ptol. Aulet. 8. Tigran. 6. Alexandræ 1. Ab V. C. 676.

Quùm L. SVLLA Dictaturâ se abdicâsset, & comitiorum Consularium potestatem pop. Romano reddidisset; M. AIMYLIVM LEPIDVM, SVLLÆ inimicum, & hominem audacem, Cn. POMPEIVS, ante Q. LVTATIVM CATVLVM (Q. CATVLI, qui de Cimbris triumphavit, F.) renuntiandum curavit. Illi Gallia ulterior; huic Italia forte obtigit.

72.

Sulla LX. ann. natus moritur. Magnus ei honos à Senatu habitus, ut cadaver eius per Italiam efferretur, atque in campo Martio sepeliretur.

Sullâ defuncto; M. LEPIDVS Cos. legem de actis eius rescindendis promulgârat; ut qui à Sullâ proscripti fuerant, & civitatem & bona sua recuperarent. Cui (quòd sine magnâ reip. clade & motu id fieri non posset) quùm Catulus, & boni omnes adversarentur; re in concionibus iactatâ, ipse à Senatu iureiurando adactus, bellum se patriæ non facturum, in Galliam ulteriorem, quam sortitus erat, profectus; ad comitia, tamquam exacto consulatu suo bellum illaturus, non venit.

BELLVM CVM SERTORIO.

Adversùs Sertorium duo duces missi erant, Q. METELLVS, & Cn. DOMITIVS. DOMITIVS Proconsul quem METELLVS ex citeriore Hispaniâ arcessierat; ab HERCVLEIO, Sertorij duce, apud Anam fluv. cù exercitu oppressus est. Et MANILIVS Proconsul è Gallia in Hispaniam cum III. legionibus, & MD. equitib. transgressus, iniquam cum eodem HERCVLEIO pugnam conseruit. & castris copijsque nudatus, in opidum Ilerdam pænè solus effugit.

METELLVS contrà SERTORIVM vario eventu dimicavit: & multis prœlijs fatigatus, quod SERTORIVS more latronum pugnaret, per devia oberrans hostem vicissim morâ fatigabat; donec cum Cn. POMPEIO iungeretur: qui adhuc Quæstor, cum imperio Consulari cò missus est.

SVBDOLVM; SED FAMILIÆ SALVTARE IAMNÆI MORIBVNDI CONSILIVM. Pharisæorum impotentia.

ALEXANDER IAMNÆVS, quinquagenario propinquus, & febri triennali tabescens, in castris adhuc agebat cum liberis & uxore; & Ragabam, castellum, in Gergesenâ regione, trans Iordanem situ, obsidebat. Sed castrensibus laboribus exhaustus; & conclamatâ salute, diem ultimum sibi imminere sentiens; uxori ALEXANDRÆ adlacrymanti, & de suâ liberûmque incolumitate, & de regni statu, ob infensos tot nominibus popularium Pharisæorum in se animos, vehementer, nec iniuriâ, sollicitæ, memorabile & suis salutare consilium dedit.

Iubet expugnato, quod obsidebat, Ragabæ castello, & morte imperatoris in vulgus militum celatâ, victricem Hierosolyma reverti: & *Pharisæis licentia & dominationis*, quam tantoperè semper ambijssent, *habenas nonnihil relaxare*. Illos, in urum vis, sive ament, sive oderint, validos; pro honore sibi habito, laudem ipsi, & in vulgum commendationem relaturos.

Tu itaque, inquit, Hierosolymam regressa, primoribus eorum ad te arcessitis; & vultu quam proximè ad verum composito, cadaver meum in medio expositum, lubidini ipsorum & arbitrio permitte. Insepulto & proiecto, ob veteres iniurias, & inimicitiam, quam veluti hereditariam Pater mihi reliquerit, inludant; sive quovis modo in id desæviant. Pollicere insuper nihil te, nisi ex ipsorum sententiâ, in administrando imperio, esse gesturam.

Istiusmodi certè verborum sive blanditijs, sive lenocinijs, & magnificentiorem voto tuo mihi sepulturam; & securiorem tibi dominationem procuraris.

Mariti dicto audiens mulier, & prolixè omnia turbatoribus pollicita; ex infensissimis fecit sibi, fauque familiæ maximè benivolenteis. Et illi subitò à se alij, & in medium progressi, conquisitis ad plebem concionibus, res gestas ALEXANDRI ad cœlum extollere. regis iustissimi, quem scilicet multoante vivum diris devoverant, mortem lugubri questu complorare: & præsentis multitudinis luctum, præficarum in morem, magis magisque incendere. Sumtuosissimo denique & publico funere inimicissimum sibi totâ vitâ principem, cohonestandum curare.

ALEXANDER filios duos reliquerat, HYRCANVM & ARISTOBVLVM: & testamento caverat; *ut mater, dum filij adolescerent, regnum administraret*. Sed quàm ipsa impotenter filijs & civibus imperitabat; tàm serviliter Pharisæis se subijciebat.



ALEXANDRA, AL. SALOME, REGINA IVDÆÆ.

Pharisæi itaque, ceu rerum omnium potentes, & freti personâ Hyrcani, quem mater ut otij amantiorem & rebus gerendis parum idoneum, summo sacerdotio præfecerat, auctoritate; rituς cerimoniarum, & constitutiunculas, quas Hyrcanus Avus, uti supervacaneas, & superstitioni adfincis, abrogârat; deintegro sanxérunt; & plebem iisdem obtemperare, & adstringi iusserunt. Exsules in patriam revocârunt, & nexos vinculis liberârunt. *Regnam, nomen regni gerere; Pharisæos omnia administrare, diceres.*

LVXVS IN THEATRIS.

Q. CATVLVS, Campanam imitatus luxuriam, primus spectantium in theatro consessum, velorum umbraculis texit; Senatorum alioqui, uti tum reip. mores erant, optimus.

SEDITIO M. LEPIDI COS. ET INTERREGNVM.

M. LEPIDVS, hoc demum anno bellum patriæ movisse videatur. Quùm namq; ille alterum Consulatum peteret, atque Etruriam ad arma concitásset; Galliam autem citeriorem per M. BRVTVM obtineret; infesta signa ad urbem admovit, Sullanas proscriptiones iamtum animo agitans.

Per eum tumultum nulli Consules designati fuerant; & Interreges remp. administrabant.

L. PHILIPPVS in Senatu prudenter ita censuisse tum perhibetur: Quoniam LEPIDVS exercitum privato consilio paratum, cum pessimis & hostibus reip. contrà Senatorij ordinis auctoritatem, ad urbem adduceret; uti App. CLAVDIVS Interrex, cum Q. CATVLO Procos. & cæteris, quibus imperium esset; urbi præsidio sint: operamque dent; *ne quid resp. detrimenti capiat.*

Pòst autem, quùm Cn. POMPEIVS, de M. BRVTO, Mutinæ (al. apud Rhegium) à se occiso; & Albâ, cum SCIPIONE, LEPIDI F. captâ, Senatum certiorem fecisset; magnam metûs partem, quo Rom. civitas tenebatur, ademit.

LEPIDVS autem à Catulo & Pompeio, (qui, Sullanæ factionis duces ac signiferi Milvium pontem, collemque Ianiculum, cum alio exercitu, infederant) primo statim impetu retrò pulsus, hostisq; à Senatu iudicatus, incruentâ fugâ in Etruriã; inde Sardiniam recessit. Ibiq; frustrà bellũ molitus, morbo & pœnitentiâ interijt. Victores, quod non temerè alias, in bellis civilibus; pace cõtenti fuerunt.

3879. Ptol. Aulet. 9. Tigran. 7. Alexandræ 2. Ab V. C. 677.	*Rebus ita compositis, habitisq; comitijs, creati sunt Coss. D. IVNIVS BRVTVS, & MAM. ÆMILIVS LEPIDVS, LIVIANVS, (quod adoptionis cognomen.)*	71.

Cn. verò CORNELIVS DOLABELLA ex Thracibus, in Macedoniâ victis, hoc anno triumphavit. Successor ei missus Ap. CLAVDIVS (qui initio anni Interregnum Romæ inierat) levia prœlia habuit contrà Sarmatas, & varias genteis, qui Rhodopæam provinciam monteisque incolebant; & Macedoniam crudelissimè populabantur. Ibique ille & curis circũseptus, & morbo insuper correptus, interijt.

POMPEIVS SERTORIO OPPONITVR.

Cn. POMPEIVS, ex S. C. & L. PHILIPPI sententiâ, adversùs SERTORIVM, cui Q. METELLVS impar esse videretur; extrà ordinem, & pari, cum Metello, imperio, missus, venit: eo ferè tempore, quo ad eumdem SERTORIVM, cum magno exercitu, M. PERPENNA, (LEPIDO in Sardiniâ iam mortuo, eiusque partibus fractis) accessit.

POMPEIVS, Gallis iter in Hispaniam Legionibus Rom. prohibentibus, eorum internecione (in Alpibus, inter Padi Rhodanique fonteis) patefecit.

SERTORIVS, inter cæteras, quas expugnavit, urbeis, Lauronem, inspectante POMPEIO, cepit, & incendit. Quo facto, uterque in hiberna; SERTORIVS in Lusitaniam; POMPEIVS ad Pyrenæos monteis, se retulérunt.

Ineunte vere, METELLVS & POMPEIVS, è Pyrenæis moventes, ad Sucronem cum Sertorio congressi, & eius copias totâ propè Hispaniâ persecuti, diu & ancipiti semper acie dimicavérunt; cominus ex utraque parte modò victis, modò vincentibus. Neque aliter magis apparuit *Hispani militis vigor, quàm Romano duce.*

Pòst Lauronis excidium, Herculeius cum Metello congressus, apud Italicam Bæticæ urbem, xx. Mill. militum amisit; victusque in Lusitaniam cum paucis refûgit.

SERTORIVS Calagurri obsessus, adsiduis eruptionibus in obsidenteis invectus, gravia damna inferebat; & intereà per amicas Hispaniæ urbeis delectum agebat.

POMPEIVS præter Segidam, nobilem Celtiberiæ urbem, Herennium, hostium ducem, exercitu deleto fugavit; & urbem Valentiam cepit.

3880. Ptol. Aulet. 10. Tigran. 8. Alexandræ 3. Ab V. C. 678.	*Consules* Cn. OCTAVIVS NEPOS, & C. SCRIBONIVS CVRIO.	70.

Hic ad Senatum retulisse perhibetur, ut Legati Erythras mitterentur ad carmina Sibyllæ colligenda, & Romam deportanda. Idem est Pater CVRIONIS, (qui civili CÆSARIS bello Trib. pl. fuit) & Macedoniam sortitus, indè triumphum retulit.

Eo anno, defectione sociorum, & Sertorij per monteis fugâ, neque manu certare, neque utilia parare Romm. Imperatores poterant.

Consules

3881. Ptol. Aulet. 11. Tigran. 9. Alexandræ 5. Ab V. C. 679.	*Consules* L. OCTAVIUS NEPOS, & C. AURELIUS COTTA.	69.

Hic M. & L. COTTARUM, Consularium, frater; antè Tribunatu, post civitate etiam pulsus, Sullâ victore in urbem redierat. Ipse provinciam Galliam sortitus est. L. OCTAVIUS in Ciliciâ, quæ ei provincia obtigerat, anno sequenti moritur.

QUERELA COTTÆ DE STATU REIP.

Queritur COTTA in oratione ad Quirites, apud Sallust. *Se factos Coss. domi belliq; impeditissimâ provinciâ. Imperatores Hispaniæ, stipendium, milites, arma, frumentum poscere. Exercitus in Asiâ Ciliciâq, ob nimias opes Mithridatis, necessariò ali. Macedoniam plenam hostium esse; nec minus Italiæ maritima, & provinciarum. quùm interim vectigalia parva, & bellis incerta, vix partem sumtuum sustinerent. Classe, quâ commeatus vehatur, minore, quàm anteà navigari.*

Idem Cos. paullùm Tribunis non potestatis, sed dignitatis addidit: hoc est, legem tulit; *ut Tribb. pl. liceret posteà alios magistratus capere.* Quod Lege Sullanâ ijs erat ademtum.

SERTORII PROSPERA.

SERTORIUS in milites suos, proditionis suspectos, quos Metellus miris artibus ad defectionem sollicitabat, graviter sævit. Et Palantiam nihilo minus à POMPEIO obsessam liberat: atque impetu in eos, qui ad Calagurrim castra habebant, facto, ad tria Mill. interfecit. Quumque exercitus recens conscriptus ad diem convenisset; iterùm ex opido erumpens, Metellum in Galliam; POMPEIUM in Vaccæos, distractis copijs, hibernandi caussâ, recipere se coëgit.

M. FONTEIUS, qui eo tempore, per triennium, Galliæ ulteriori præfuerat, devictis multatisque hostibus rem benè gessit. (Cicero.)

3882. Ptol. Aulet. 12. Tigran. 10. Alexandræ 5. Ab V. C. 680.	*Consules* L. LICINIUS LUCULLUS, & M. AURELIUS COTTA.	68.

Ille avum habuit L. LUCULLUM, qui Consul fuit cum A. ALBINO. Ipse Quæsituræ diuturnum tempus, MURÆNA bellum in Pontu gerente, in Asiæ pace consumsit. Deinde Ædilis; continuò Prætor; in Africam missus.

COTTÆ Bithynia; Lucullo Cilicia provincia obtigit. Iisdem Coss. NICOMEDES rex Bithyniæ moriens pop. Rom. heredem reliquit: & Bithynia in provinciæ formam redacta est.

BELLUM PIRATICUM.

Bellum his temporibus in Ciliciâ & Pamphylia exortum, quod Piratici nomine comprehensum est. Cæterùm, III. bella adversùs Piratas gesta memorantur. Unum à M. ANTONIO præt. de quo antè dictum. Alterum hoc, a P. SERVILIO. Tertium, pòst, à Cn. POMPEIO.

Interim dum pop. Rom. per diversa terrarum distractus est; Cilices invaserant maria: sublatisque commercijs, & rupto federe societatis humanæ, sic portus & commeatus bello, quasi tempestate, præcluserant. Audaciam perditis latronibus dabat, inquieta Mithridatieis prœlijs Asia; dum sub alieni belli tumultu, exterique regis invidiâ, impunè grassantur.

Ac primùm duce ISIDORO, contenti proximo mari, Cretam inter atque Cyrenas; Achaiam, Sinumque Maléum, (quem à spolijs AUREUM ipsi vocavêre) latrocinabantur.

P. SERVILIUS CILICAS; ET VICINOS DOMAT: DEQUE IIS, triumphat.

Missus in eos P. SERVILIUS (vel extremo consulatu; vel certè sequenti pòst consulatum anno; (quod ex SVETONIO elici potest; Qui IUL. CÆSAREM, quùm SERVILIO huic mereret in Ciliciâ, Sullæ morte compertâ; simul spe novæ dissensionis, quæ per M. LEPIDUM movebatur; Romam properè rediisse scribit.) Quamvis leves & fugaceis Pytatarum Myoparonas, gravi & Martiâ classe turbaret; non incruentâ victoriâ superavit.

Sed nec mari submovisse contentus, validissimas urbeis eorum, & diutinâ prædâ abundanteis, Phaselum, & Olympum (al. Olympum montem pervagatus) evertit: Corycum diruit. Et ducto per Taurum exercitu, Isauron, ipsam Ciliciæ arcem cepit; & Isauros bello fracto, in deditionem redegit. Indè Isaurici nomen adeptus; triennio iam emenso, sed bellum gestum est. (Alij, quinquennium exercitui, sive provinciæ præfuisse putant.)

Et Phaselis illa quidem à Lycijs, hominibus Græcis, priùs incolebatur; sed frequenti Piratarum primùm commercio, deinde societate; in parteis transierat, & Lyciam ipsam cum Pisidiâ involverat. Quæ & ipsæ à SERVILIO devictæ, cum parte Phrygiæ, in provinciam redactæ sunt.

SERVILIVS unus plureis prædonum duces vivos cepisse traditur, quàm omnes anteà. Et triumphus eius, quo signa atque ornamenta ex hostium urbibus capta vexit, omnium triumphorum gratissimus pop. Romano fuit.

L. OCTAVIVS, prioris anni Cos. Ciliciam sortitus, Servilio decedenti successit. Sed illo in provinciâ mortuo, L. LVCVLLVS eamdem obtinuit.

POMPEIVS RES IN HISPANIA GERIT.

Cn. POMPEIVS, quùm incommodè in Hispaniâ hibernaret, eâ cum inopiâ conflictatus dicitur; ut per litteras à Senatu stipendium, vesteis ac frumenta, posceret; secùs, in Italiam, omisso bello, exercitum traiecturus.

L. LVCVLLVS Cos. qui timeret ne bellum Mithridaticum, quod ipse sibi mandari cupiebat, POMPEIVS præsens à pop. obtineret; summâ cum curâ omnia, quæ postulabat, ei mittenda censuit.

SERTORIVS extremas pugnas, Ilerdæ, & Oscæ, Ilergetum opidis; & in Vasconum urbe, Calagurri, & Tarracone, & Hemeroscopio (quùm à Celtiberis expulsus esset) fecisse memoratur.

MITHRIDATIS CVM SERTORIO FEDVS.

MITHRIDATES, Bithyniâ exclusum se dolens, belli prætextum hunc arripuit; Quòd ultima pacis federa Romani nondum publicis monimentis inscripsissent; quasi irrita mòx redditurі, si detur occasio. Hanc ille præripere, quam exspectare malens, fedus cum Sertorio inire molitur; & auctis deintegro maiorem in modum copijs, totâ denique regni sui mole, in Asiam, non iam quasi alienam; sed quia amiserat, quasi captam, belli iure repetens; rursus mari, terrâ, fluminibusque descendebat.

Anno priore L. MAGIVS, & L. FANNIVS, qui transfugæ facti à Mariano exercitu apud eum regem agebant; ab eodem ad Sertorium missi sunt, de paciscendâ cum ullo adversùs Romanos belli societate. Sertorius pactus (sed conditionibus reip. Rom. non incommodis, ut Cappadocia & Bithynia Mithridati cedat; & Sertorio Mithridates III. Talentûm M. cum XL navibus præstet.) M. Marium ad regem, ut eo belli duce uteretur misit.

BELLVM MITHRIDATICVM.
LVCVLLVS IMPER. ROM. EXERCITVS.

MITHRIDATES totâ eâ æstate, atque insequente hieme, in copijs (ad CXL. pedit. & XX. equit. Mill.) contrahendis, & classe ædificandâ consumtis, ineunte vere, in Paphlagoniam; deinde in Bithyniam, iam hereditariam pop. Romani provinciam, impetum fecit. Et tantum opibus conatuque invaluit, ut se Oceanum cum Ponto; remotas Sertorij copias cum suis coniuncturum brevi putaret.

Bithyniam regebat M. AVRELIVS COTTA, vir imbellis, ad cernendam potius novæ provinciæ hereditatem, quàm ad bellum gerendum, eò missus.

L. LVCVLLVS, cui citerior Gallia obtigerat, L. OCTAVIO in Ciliciâ mortuo, sibi Ciliciam cum bello Mithridatico mandandam curavit: & COTTA classis commissa est, ut eâ Propontidem & Bithyniam tueretur.

Sed simul Mithridates irruptionem in Bithyniam fecit; COTTA imparatus, nec belli sciens, Chalcedonem refugit. Eumque rex persecutus terrâ fudit, ac mari classe pulcerrimâ exuit.

Rex ccc. circiter hominum Millibus stipabatur: LVCVLLVS, subsidio collegæ ire iussus, vix diligentissimâ conquisitione xxx. pedit. Mill. & equites Mille collegerat. Rem itaque astu gerendam statuit, quòd hostium castra colle edito & angusto aditu munirentur.

L. MAGIVS, (al. M. MARIVS) quem à SERTORIO ad Mithridatem missum diximus, audito SERTORIVM in Hispaniâ perijsse; ut Luculli gratiam aliquo beneficio promereretur; Mithridatem monet; *Non esse cur detinendo colle frustrà laboret, Sertorianas legiones*, quas Lucullus secum adduxerit, *ad defectionem spectare*; nec quidquam præter commodam occasionem exspectare.

Mithridates ita inductus, collem deserit; eumque Lucullus confestim occupat. Indè tamquam ex speculâ castra Mithridatis despectans, frumentatores eius infestat; & præ rerum necessariarum inopiâ Chalcedonis obsidionem dimittere compellit,

3883. Ptol. Aulet. 13. Tigran. 11. Alexandræ 6. Ab V. C. 681.	*Consules M. TERENTIVS VARRO, LVCVLLVS, (sive IVCVLLIANVS.) & C. CASSIVS VARVS. à quibus lex lata, TERENTIA CASSIA.*	67.

Et fortè M. LICINIVS LVCVLLVS (Lucii frater) à M. TERENTIO VARRONE adoptatus, agnomen familiæ retinuit, M. TERENTIVS VARRO LVCVLLVS.

Lucullo Macedonia; Cassio Gallia citerior evénit.

CYZICVS OBSESSA ET LIBERATA.
Cædes ingens hostium, terrâ marique.

MITHRIDATES ab obsidione Chalcedonis depulsus, iram in Cyzicum, urbem nobilem, Asiæ ianuam, & Romanis amicam, convertit, & maximâ multitudine obsedit, vehementissimeque oppugnavit.

Cyziceni sua mœnia strenuè propugnant: eoque maiore fiduciâ resistunt, quo Lucullum magno cum exercitu adventare didicerant.

Hic factis ad Cyzicum castris, regem à tergo obsedit; & interclusis commeatibus, fame pæne & pestilentiâ absumsit. Eumq; iam tumultuariè recedentem

dentem adsecutus, adeò cecidit; ut Granicus & Æsapus amnes, quos traijcere illi properabant, cruenti redderentur; multis hominum Millibus occisis, & multis vi fluminum absorptis.

Equorum VI. & captivorum XV. Millia, quos rex, rerum inopiâ coactus, in hiberna Bithyniæ remittebat; Lucullus, Mamerco duce, partim cepit; partim cecidit.

DEIOTARVS, Gallogræciæ Tetrarches, EVMACHVM, aliosque regis duces, qui Phrygiam incursabant, coercuit.

Nec felicior in mari, quàm in terrâ regiorum fuga. Quippe c. ampliùs navium classem, adparatumque belli gravem, in Pontico mari adgressa tempestas, circà Nicomediam & Heracleam, tàm fœdâ strage laceravit, ut navalis belli instar efficeret.

Rex præmissâ Lampsacum parte exercitûs, ipse Parium mari recessit. Sed amissâ, eâ, quam dixi, tempestate, classe, Piratico Myoparone Sinopen, atque inde Amisum pervenit. Et TIGRANIS, Armeniæ regis, generi; & MACHARIS Bosporani, filij sui, auxilia imploratum abijt.

Classis eius altera, (cui MARIVS, à SERTORIO dux ad Mithridatem missus, & ALEXANDER DIONYSIVSQVE præerant; quæ, ut ait Cicer. ducibus Sertorianis ad Italiam studio inflammato rapiebatur,) ad Lemnum depressa est.

Lucullus Chalcedone & Cyzico liberatis, TRIARIO duce, urbeis interiectas, Apameam, Prusiadem & Nicæam recepit.

SERTORIJ EXITVS, PERPENNÆ PERFIDIA.

Hoc anno SERTORIVS à M. PERPENNA, prætorio, è proscriptis uno, gentis clarioris, quàm animi; inter cœnam, Oscæ interemtus est.

Quo facto Romanis certam victoriam; partibus suis excidium; sibi turpissimam mortem pessimo auctoravit facinore.

Sallust. Sertorium eo in convivio interiorem in medio discubuisse, scribit. Super eum, L. FABIVM, Hispaniensem Senatorem, ex proscriptis. In summo, Antonium, &c. Scribam Mecænatem in imo; medium, inter Tarquitium & dominum Perpernam. Vnde conijcias Perpernam præbitorem & modiperatorem convivij fuisse; & tot coniuratos in hospitis necem invitasse.

Sic domesticâ fraude oppressus Sertorius, nec prius bello quàm suorum scelere & insidijs exstinctus, octavo imperij anno.

POMPEIJ PRVDENTIA, ET INTEGRITAS.

Perpernam paullo-post rei summæ præfectum, & temerè in se illatum, POMPEIVS vicit, cepit, & interfecit. Et Sertorij codicillos, litterasque à varijs urbis principibus ad eum exaratas, (quæ omnia in Perpernæ potestatem venerant) ne quidem lecta, concremavit; & novarum seditionum fomitem oppressit. Hispanias decimo ferè anno, quam cœptum erat bellum, recepit.

BELLVM SPARTACINVM.

Dum Sertorianum bellum in Hispaniâ geritur, LXXIV. fugitivi è gladiatorio Lentuli Barbati ludo, Capuâ profugientes, duce Spartaco, (OENOMAO & CRIXO socijs) raptis ex urbe gladijs, & per Italiam vagati, vocitatis ad vexillum servis; primò Vesuvium montem petiére, & belli sedem fecére. Et crescente in dies multitudine, adversùm se missos, CLAVDIVM PVLCRVM legatum, & P. VARINIVM prætorem, prœlio vicerunt.

Obsessi namque, per fauces cavi montis, vitigineis delapsi vinculis, ad imas eius descenderant radices; & uno in exitu, nihil tale opinantiûm ducum, subito impetu, castra rapuére.

Deinceps Thoram, totamque percursant Campaniam. Nec villarum atque vicorum vastatione contenti; Nolam & Nuceriam, Thurios atque Metapontum, terribili strage depopulati sunt.

3884. Ptol. Aulet. 14. Tigran. 12. Alexandræ 7. Ab V. C. 682.	*Consules L. GELLIVS POBLICOLA, & Cn. CORNELIVS LENTVLVS. Hic ex Clodiâ gente in Lentulorum familiam adoptatus, CLODIANVS dictus est.*	66.

C. CVRIO Proconſ. per triennium integrum in Macedoniâ moratus, res satis prosperè gessit. Primus Romanorum ducum ad Danubium usque penetravit: Dardanos & Moesios multis prœlijs vicit.

Ex Macedoniâ, antè M. Lucullum; post Cn. Dolabellam, triumphavit. Et hoc demum anno, M. Lucullus, Lucij frater, successit.

SPARTACI, ET PRÆDONVM, PROGRESSVS ET VICTORIÆ.

Sed dum Asiam deprædantur Romani, in Italiâ impunè grassantur latrones. Adfluentibus namque ad Spartacum in dies copijs, cum iam esset iustus exercitus; è viminibus, pecudumque tegumentis, inconditos sibi clypeos; & ferro ergastulorum recocto, gladios ac tela fecerant.

Cum ijs Q. ARRIVS prætor, & L. GELLIVS Coſ. circà Garganum montem congressi, CRIXVM, SPARTACI socium, unà cum XXX. Mill. fugitivis, oppressére.

Sed Spartacus meliùs pugnans, in Apennino Lentuli exercitû cecidit; & apud Mutinam C. Cassij castra delevit. Captivosq; ex Consulari exercitu trecentos, circà rogum Crixij, armis depugnare iussos, quasi inferias misit; & defunctorum prœlio, ducum, Mánibus parentavit.

His ille elatus victorijs, de invadendâ urbe Romanâ

Romanâ deliberat. Dum itaque ex Apennino, ad Alpeis; ab Alpibus, in Galliam properat; & Gellius Consul præoccupato itinere eum excludere; & Lentulus à tergo eius vestigijs inhærere, contendunt; singulos ille converso impetu adgressus, reppulit aut fugavit; eorumque castris cum omnibus impedimentis potitus est.

Iamque infesta Romam signa ferebat, quùm iterùm à Consulibus, non sine magnâ Romanorum clade, retentus, Thurios urbem in Locris, cepit; & rursùs cum Romanis congressus, victoriam ac prædam ingentem retulit. C. CASSIVS, qui Galliæ Cisalpinæ præt. circà Padum, cum x. Mill. exercitu erat; obviàm illi ad Alpeis festinanti, profectus; fugatus, ægreque elapsus est.

MITHRIDATES BELLVM REPARAT.

MITHRIDATES, Bithyniæ tuendæ spe deiectus, in Pontum, non sine naufragio, se receperat; & ad TIGRANEM Armenium, ad Machares Bosporanum, ad Scythas deniqne; qui multo auro eorum auxilia & societatem emerearentur, dimiserat. Et licet tot cladibus attritæ regni vires essent; totum penè Orientem ac Septemtrionem in Romanos suscitavit, & ruinâ suâ involvit.

LVCVLLVS interim regem fugientem persecutus, totam Bithyniam reciperat; regionem omni rerum copiâ, præ longâ pace, abundantissimam. Et hostem regno etiam avito spoliare satagens, Amisum & Eupatoriam, Ponticas urbeis; & Themiscyram, quæ ad Thermodontem fluv. sita, obsidione cingit & oppugnat.

MITHRIDATES verò, qui Cabíris hiemabat, obsessis, quà poterat, commeatum suppeditabat.

PHARISÆORVM IMPOTENS SVB ALEXANDRA DOMINATVS, cui Aristobulus obsistit.

ALEXANDRA, IANNÆI vidua, mulier, absque Pharisæis fuisset, satis cordata, rerum suarum ita satagebat; ut & magnam mercenariæ militiæ manum aleret; & auctis mirum in modum regni viribus, propinquis Tyrannis terrori esset: obsidesque, fidei pignora, ab ijs acciperet.

Sed Pharisæi, quùm conquiescere, quietâ undique provinciâ, ipsi possent, periculo, & omni ab inimicis molestiâ liberati; priorum iniuriarum molem diutius non sustinuérunt; & ad sanandum publicæ, scilicet, existimationis vulnus, effrenato vindicationis desiderio abripi se passi sunt. Adeò, ut dum in ALEXANDRI IANNÆI familiareis, quorum ille & fideli operâ & consilijs usus amtè fuisset, promiscuâ cæde debacchari pergerent; nova belli caussa ad perturbandam, penitusque evertendam remp. per eos sit coörta.

ARISTOBVLVS namque, HYRCANI frater minor, audax & industrius invenis, qui tantam Pharisæorum, in Patris sui domesticos, impotentiam ægerrimè ferret; & spectatos fide amicos, ex tam horribili ultionis carnificinâ vix ereptos, reginæ matris permissu, per castella longinqua distribuisset; simulatque mater gravi admodum morbo languére cæpisset; & metus esset, ne ob fratris maioris, HYRCANI, socordiam, regia familia in Pharisæorum potestatem tota recideret; eas civilis discordiæ faces accendit, quibus & patrij principatûs dignitas penitùs tandem exstincta est; & provincia omnis, sub externæ dominationis iugum redacta, funditùs deflagravit.

Mater ALEXANDRA, filij ARISTOBVLI querelis, & primatum, Pharisæis invisorum, lacrumis inducta; castellorum, quæ tamquam Asyla petierant, custodiam ijsdem credidit; præter Hyrcaniam, Alexandrium, & Machæruntem, in quibus res sibi carissimas, & regni arcana, recondidisset. Nec multo-post ARISTOBVLVM F. cum exercitu Damascum versùs extrudit; cui civitati PTOLEMÆVS MENNÆVS gravis & vicinus impendebat. Sed ille, nullâ re memorabili gesta, domum confestim se recepit.

TIGRANIS ARMENII IN SYRIAM EXPEDITIO. ET CVM Iudæis societas.

Sub idem tempus, quùm nuntiatum esset, TIGRANEM, Armeniæ regem, cum D. militum Mill. in Syriam (quod in regnum, ob fratrum Seleucidarum discordiam populariter accitus fuerat) invasisse; & brevi in Iudæam, regni Syriaci appendicem, esse venturum; Regina, & Iudæorum proceres, eâ famâ non immeritò territi, ad eum, qui iamtum Ptolemaidem in propinquo obsidebat, legatos cum magni pretij muneribus destinárunt.

Regina namque SELENE, quæ & CLEOPATRA, (Grypi, an Cyziceni? vidua) Syriæ tum imperitabat; & incolis auctor erat, ut Tigranem regno, quod populi suffragijs ei delatum erat, excluderent.

At Iudæorum legati, ubi ad regem, obsidioni intentum, accessérunt; & ut benè sibi de reginâ suâ, totâque Iudæorum gente, pollicerentur, rogárunt; Armenius vicissim, eos qui è longinquo, officij obsequijque sibi exhibendi caussâ venissent, collaudavit; & benè de se sperare omnia iussit.

Ipse deinde, Ptolemaide expugnatâ; & cognito Lucullum, dum Mithridatem fugientem, & in Iberiam usque provectum, adsequi non posset; in Armeniæ fineis ingressum, rapere omnia & ferre; relictâ Syriâ, domum, ad sua tutanda, statim est reversus.

ARIOVISTVS GERMANVS Gallia potitur.

In Galliâ Sequani, Heduorum & Arvernorum inimici, quique totius Galliæ imperium adfectarent; cum ARIOVISTO, Germanorum rege, societatem

societatem inierant. ARIOVISTVS, Rheno transmisso, Gallos non Sequanis, sed sibi subiecit. Sequanos indignanteis inclementer habet, & parte agrorum mulcat. Ipse regno Galliæ annos XIV. potitur. sic tamen, ut sub dio in castris, non in urbibus habitaret.

3885. Ptol. Aulet. 15. Tigran. 13. Alexandræ 8. Ab V. C. 683.	*Consules Cn.* AVFIDIVS ORESTES *(à Cn.* AVFIDIO *adoptatus) &* P. CORNELIVS LENTVLVS SVRA, *(qui prætor* II. CICERONE *Consule, ob Catilinariam coniurationem, strangulatus) Nepos* P. LENTVLI, *qui princeps Senatûs fuit.*	65.

M. LVCVLLVS VARIAS THRACIÆ GENTEIS DOMAT.

M. LVCVLLVS, C. CVRIONI in Macedoniam successerat. Is ad terminum gentium, Tanaim, Lacumque Mæotim, pervenit. neque aliter cruentissimi hostium, quàm suis moribus domiti: quippe in captivos igne ferroque sævitum.

Per Thraciam, cum Bessis primus pugnavit. Vscadamam, caput gentis, eodem die, quo adgressus est, vicit. Thracibus subactis, & montibus Rhodope Æmoque superatis, Eumolpidem, sive Philippopolim; & Olympiadem, sive Hadrianopolim; & Cabylen cepit. multas suprà Pontum sitas urbeis, Apolloniam, Calatim, Parthenopolim, Byciam omnem, occupavit; & Tomos, ad Danubium usque, perveniens, Romana Scythis arma monstravit: belloque confecto Romam rediens triumphavit.

SPARTACVS CVM SVIS A M. CRASSO FVNDITVS DELETVR.

Re hactenus adversùs SPARTACVM improsperè gestâ, tandem totis viribus contrà MYRMILLONES consurgitur: bellumque M. CRASSO prætori mandatum est, qui pudorem Romanum adsereat.

Is primùm cum parte fugitivorum, quæ ex Gallis Germanisque constabat; & cum duce eorum GRANICO, congressus, ad XXXV. Mill. cecidit. Deinde Spartacum ipsum superavit, cæsis circiter XL. servorum Millibus.

Ipsi pulsi fugatique in extrema Italiæ confugerant: & quùm ex Bruttijs fugam in Siciliam pararent, neque navigia suppeterent; tandem eruptione factâ, dignam viris, scilicet, obiêre mortem. & quod sub gladiatore duce oportuit, sine missione pugnârunt.

SPARTACVS ipse in primo agmine fortissimè dimicans, quasi Imperator occisus est. Quinque Millia, quæ ex Crassi pugnâ evaserant, à Cn. POMPEIO, ex Hispaniâ reduce, oppressa foruntur: & huius belli ita confecti gloria utrique tributa est; licet CRASSVS rem omnem sex mensibus patrâsset.

Res indigna visa, de servis subactis triumphum decernere: sed permissum CRASSO, ut urbem ovans iniret. Ipse Myrteam coronam, ovantium insigne, aspernatus, S. C. per gratiam faciendum curavit; *ut lauro, non Myrto, coronaretur.*

EX HISPANIIS TRIVMPHATVM.

CALAGVRRITANORVM OBSTINATIO.

Pompeij tropæa.

At integer triumphus Metello Proconſ. & Pompeio iuveni adhuc & equiti, decretus est; ob res per decennium in Hispaniâ gestas.

Omnibus pænè Hispaniæ civitatibus in deditionem receptis; duæ tantum restiterant, Auxima & Calagurris. Illam POMPEIVS evertit; hanc AFRANIVS iugi obsidione confectam, cæde incendioque delevit.

Calagurritani, quo perseverantiùs interemti Sertorij cineribus, obsidionem Cn. Pompeij frustrantes, fidem præstarent; quia nullum iam aliud in urbe eorum superesset animal, uxores suas, natosque ad usum nefariæ dapis verterunt, & cadaverum reliquias salierunt.

Hoc bellum, etsi Romanis imperatoribus gestum, tamen quia Hispanis militibus pugnatum est; victores duces externum id magis, quam civile bellum videri voluerunt, ut triumpharent.

POMPEIVS, (ait Plin.) Solis occasum transgressus, excitatis in Pyrenæo tropæis; Opida DCCCLXXI. ab Alpibus, ad fineis Hispaniæ ulterioris; ad officium redacta victoriæ suæ adscripsit.

LVCVLLVS ET MITHRIDATES vario Marte confligunt.

L. LVCVLLVS, ineunte vere, MVRÆNA ad Amisi obsidionem relicto, Cabira, adversùs Mithridatem contendit; qui XC. pedit. & IV. equitum Millibus contractis, bellum reparaverat. Ibi ille equestri prœlio in montibus parùm prosperè gesto, quùm vitatis hostibus castra in plana detulisset, à Mithridate iterùm in monteis compulsus est. Et hic, qui eum non acie, sed fame superare statuisset, & à re frumentariâ valde laborare comperisset; magnam equitatûs sui partem in insidijs collocavit; ut commeatum qui Lucullo duris subvectionibus ex Cappadociâ deferebatur, interciperet.

Verùm illi, Romanos equites, frumentatorum præsidiarios, iniquo loco adorti, pænè omnes profligantur. Cuius cladis famâ rex territus, quòd pauci equites sibi superessent; & LVCVLLVM protinùs in se irruptionem facturum timeret; subitâ ex Ponto fugâ in Armeniam, ad Tigranem

nem regem, contendit. Qui idem in potestatem exemplò venisset; nisi rex callidus, Romanæque avaritiæ peritus, maximam vim auri atque argenti; sarcinasque, & res pulcerrimas, spargi à fugientibus iussisset, quæ sequenteis morarentur. Et Romani milites, contemtis imperatoris sui edictis, prædâ colligendâ occupati, ipsum è manibus emisissent. Hunc ex illo timore & fugâ cum duobus equit. Millibus Tigranes quidem excepit; sic tamen ut quùm ab ingressu regni arceri nollet, ad se venire vetuerit.

3886. Ptol. Aulet. 16. Tigran. 14. Alexandræ 9. Ab V. C. 684.	*CN. POMPEIVS MAGNVS, & M. LICIN. CRASSVS Dives, Consules facti. ut Crassus ex præturâ, sic Pompeius antè quàm quaesturam gereret, legibus solutus, ex equite Romano, & ann. tantum XXXIII. natus.*	64.

Hi Tribunitiam potestatem restituérunt, malo in posterum exemplo. Censura itidem, quæ per multos annos ob sui severitatem, & odium populare, fuerat intermissa, hoc anno relata est. Eam nunc propter infamiam corruptorum Iudicum, plebes ipsa, quæ antè recusârat, expoposcit.

L. GELLIVS & Cn. LENTVLVS, infausti Consulatûs ignominiam severæ censuræ integritate eluérunt. IV. & LX. Senatu movérunt: Equitum centurias recognovérunt: Q. CATVLVM principem Senatûs legérunt. Lustrum LXVII. condidérunt, quo censa civium capita CCCCL.

LVCVLLI IN PONTO PROGRESSVS.

MITHRIDATE è Ponto pulso, præfecti eius sese Luculli arbitrio permisérunt. Et is Ponticas urbeis, Amastrim, Heracléam, Sinopen & Amisum, alias facilè, alias diuturnâ obsidione, in potestatem redegit. MACHAREM, Bospori regem, Mithridatis F. in amicitiam recepit.

METELLI PRÆTORIS INTEGRITAS IN SICILIA.

Eodem an. L. METELLVS, Siciliæ prætor, quùm fedissimâ illâ C. VERRIS præturâ Siciliam adflictam invenisset, suæ administrationis sanctitate recreavit. Et præterea Pergamenonem archipiratam, qui pulsâ Romanorum classe Syracusanum Portum obtinuerat, & nefarijs prædis cędibusque insulam dilacerabat; navali terrestrique prœlio comminutum, Siciliâ decedere compulit. (VIRGILIVS MARO, natus his Consulib. Idib. octob. in Pago, qui Andes dictus, haud procul à Mantuâ.)

3887. Ptol. Aulet. 17. Tigran. 15. Aristobul. 1. Ab V. C. 685.	*Consules Q. HORTENSIVS NEPOS, (Orator) & Q. CÆCILIVS METELLVS, DALMATICI F.*	63.

Quùm hi provincias sortirentur, Q. HORTENSIO Creta, & bellum cum Cretensibus gerendum obtigerat. Sed ille urbe, ac foro, in quo dominabatur, delectatus, Collegæ Metello exercitum, cum provinciâ, concessit.

M. PVPIVS PISO ex Hispaniâ triumphat, quam Coss. POMPEIO & CRASSO, ex pręturâ obtinuerat. Quas res gesserit, non liquet.

DISSENSIO INTER LIBEROS IAMNÆI, ET ALEXANDRÆ COMmuneis: deinde fedus.

Quùm ALEXANDRA, IAMNÆI vidua, in morbum difficilem incidisset; ARISTOBVLVS, regnandi avidus; & Pharisæis, ambitioso hominum generi, planè adversus, clàm matre; & solâ uxore, quam cum liberis domi reliquit, inscià, ad ea castella se contulit, quibus amicos paternos adversùs vim à regina præficiendos curârat. Quæ paucis diebus omnia occupavit; & ijs tamquam receptaculis usus, exercitum facilè è Libano, & Thraconitide, & à vicinis Satrapis, collegit; regemque se declaravit.

Mater ab Hyrcano, cui regnum viva commiserat; & primatibus Iudęorum, qui sibi pessimè ab ARISTOBVLO, Patris simillimo, & iniuriarum ultore, metuebant, interpellata; huius quidem coniugem cum liberis, castello (quod ab Arcto, Templo adiacens, tum Baris; pòst Antonia Turris, dicta est) conclusit: sed antè mortua est, (anno vitæ LXXIII.) quàm impendenti malo remedium adferre, aut consilium aliquod expedire posset.

Mulier quidem, suprà sexum egregia, & industria; sed quæ ob immoderatiorem imperij honorumque cupiditatem, quòd pristinis familiæ regiæ hostibus nimium indulsisset; & remp. fidis præsidibus orbâsset; potentiam regni, tot sudoribus periculisque partam, non liberis, inter se discordibus; sed externis, in omnem occasionem intentis, possidendam invadendamque reliquerit; an propinârit!

Et HYRCANVS quidem, qui, matre regnante, summi sacerdotij dignitatem obtinuerat; eâdem mortuâ, uti heres, & regnum usurpat. ARISTOBVLVS verò, qui viribus, & auctoritate præstabat, bellum fratri intulit. Et commisso ad Hierichuntem de rerum summâ prœlio, desertus pænè à suis aliò transfugientibus, HYRCANVS, fugâ in

fugâ in castellum, Antoniam, pervenit. Ibique nactus, quasi certos salutis suæ obsides, (ARISTOBVLI uxorem, cum liberis,depositos, & in custodiam datos) priusquam & sibi & consortibus, qui intra fani septa se receperant, gravius aliquid accideret; eâ lege cum fratre pactus est; *Vt ipse facultatibus, quæ ei obvenerant, & honoribus idoneis contentus, vitam privatam in otio ageret; & ARISTOBVLO regni sacerdotijq́, iura concederet.*

Hoc fedus in ipso Templo ictum, & iunctis dextris sancitum est. & post mutuos inspectante populo amplexus, factâ quasi status permutatione, alter in regiam, alter privatus in ędeis ARISTOBVLI, digressi sunt. Et hic quidem sex annus, treis menseis, in utrâque dignitate exegit.

LVCVLLI IN ARMENIAM, TIGRANEMQVE EXPEDITIO: ET DE VTROQVE rege victoria.

L. LVCVLLVS, Ponticę regionis iam potens, in Armeniam impetum fecit. TIGRANES in Armeniâ maiore haud ita pridem urbem magnam, quæ regni caput esset, condiderat, de suo nomine TIGRANOCERTA appellatam: eamq́ue MANGÆO tuendam tradiderat.

Ipse exercitum,ad CCL. M. pedit. & LX. M. equitum conscripsit; & tum demum MITHRIDATEM sui conspectu dignatus, rogat; *Quid facto opus!*

MITHRIDATES, usu & exemplo suo edoctus, suadet; ut à tergo, LVCVLLO instet, & à frumentatione prohibeat. eo quàm citissimè Romanos fame confectum iri.

TIGRANES, lentum id, & inglorium consilium arbitratus, prælio decernere statuit.

LVCVLLVS,fugâ simulatâ, sensim deflectens, incustodita TIGRANIS castra adortus est.

Armenij contrà,rem confectam putantes, pavidos, uti videbatur, Romanos, turbatis ipsi quoque ordinibus insequebantur. quùm lixæ, & calones,& eius generis homines, à LVCVLLO castris ipsorum exacti & profligati,in peditatum TIGRANIS delabuntur: & anteà confusos prorsus interturbant, & veram secum fugam capessere impellunt.

LVCVLLVS reges pari fugâ abreptos, ad aliquot stadia persecutus; & nocte opprimente, ad locum prœlij reversus,castra TIGRANIS militibus diripienda dedit.

MANGÆVS, qui TIGRANIS fugam inspexerat; Græcis, qui in urbe erant, diffisus; eos exarmari iussit. Atque eâ exortæ inter illos seditionis occasione commodùm usus LVCVLLVS, urbem recèns & eleganter structam; ab opibus & commeatu adfatim instructam; cepit.

TIGRANES novo militum,copiarumq́ue delectu, ad LXX. pedit. & XXXV. equitum milia armátat; MITHRIDATIS posthac consilijs usurus. idq́ue serò. Dum enim LVCVLLVM fame conficere cogitant;ipsi eò inediæ, diversis Romanorum artibus, fuint redacti;ut ambo pariter Armeniâ excedere; & MITHRIDATES, in eas, quæ supererant in Ponto, urbeis se recipere, sit coactus.

LVCVLLO laudi datum, quod uxores & concubinas TIGRANIS honorificè, & extra iniuriam conservari voluerit. Sed quòd reges persequi, alterumutrum saltim; neglexerit; & pecuniæ cupiditate inductus, Tigranocerta, urbis expilandæ, reversus sit; in suspicionem adductus est: *Noluisse magis, quàm non potuisse bello ultimam manum imponere.* Itaque ut ei finirent imperium, Romæ, Asiam Prætoribus; Ciliciam Consuli decrevèrunt.

ARSACES NEVTER.

Quùm ARSACES, Parthorum rex, ad amicitiam à regibus pariter,& à LVCVLLO vocaretur; ipse, qui pridem TIGRANEM(caussas vide apud Strabonem) oderat;& Romanę potentiæ incrementa metuebat; pactus licet eum Lucullo societatem, neutris opem tulit.

TIGRANE à Lucullo victo; & eâ rei benè tentandæ occasione utendum sibi ratus ANTIOCHVS COMMAGENVS, ANTIOCHI EVSEBIS, sive PII; & SELENES (quæ & patris uxor fuerat) filius; quùm annis XIV. solam Commagenen tenuisset; Syriam, tum Præfecto suo, MAGADATE, destitutam, occupavit. eoq́ue faciliùs; quod Syris à principe SELEVCIDA, quàm ab Armenio TIGRANE, regi, gratius esset.

Et Lucullus ANTIOCHO, regnum paternum recuperanti favebat; ut eò commodiùs TIGRANEM & MITHRIDATEM, ita districtos, debellaret.

ANTIOCHVS COMMAGENVS, SYRIÆ REX XXIV. ET VLTIMVS.

3588. Ptol. Aul. 18. An. Com. 1. Aristob. 2. Ab V. C. 686.	*Coss. L. CÆCILIVS METELLVS (frater Q. METELLI CRETICI) & Q. MARCIVS REX.*	62.

METELLVS, initio magistratûs mortuus est. Qui in eius locum suffectus, antequam Consulatum iniret; itidem obijt. ideoq́ue, ominis caussâ, neminem subrogari placuit. Atque ita MARCIVS solus eo anno Consulatum gessit; ut nomine, & re, quodammodo rex esset. Ei Cilicia provincia decreta est.

LVCVLLVS NISIBIM OBSIDET, ET CAPIT. REGES DIVERSIS LOCIS RES gerunt.

L. LVCVLLVS, motis mediâ iam æstate (neque enim antè, ob frigoris magnitudinem, licet) castris, agros hostium populatur; ut si fortè posset, reges ad pugnam eliceret.

Quod ubi se frustrà tentare sensit; & hosteis ultrò adortus, dubio subinde eventu conflixit; dignum suo nomine aliquid suscipiendum ratus, ad Nisibim, urbem Mesopotamiæ amplissimam, oppugnandam, se convertit.

Ea, uti munitissima, ne tota quidem æstate labefactari potuit. Sed incunte hyeme, nocte illuni & tempestâ, quùm custodes negligentiùs excubias agitarent; scalis & operibus admotis, vallum occupat; & insinuatis eâ parte copijs, urbem expugnat.

Intereà temporis, reges, MITHRIDATES, in minore; TIGRANES, in maiore Armeniâ, multa loca reciperârunt. Et hic quidem L. FANNIVM, quem Armeniæ tutandæ LVCVLLVS præfecerat, propemodum oppressit; ni acriter resistenti suppetias ab Imperatore ventum fuisset. Ille verò M. FABIVM incautum, & cum alijs palantem, prœlio vicit. & dum fugientibus instar, saxo temerè, ab incerto, sauciatus, suos ab insequendo compescuit. Sed medicato quodam serpentium succo à Scythis sanatus, urbem Cabîra, in quam FABIVS è fugâ se receperat, obsedit. Et actum erat; ni TRIARIVS, LVCVLLI legatus, qui tum ex Asiâ fortè ad Imperatorem pergebat, copijs raptim, quâ potuit, conflatis, MITHRIDATEM è propinquo exterruisset; & ad COMMAGENEN usque insecutus, acie devicisset.

BELLVM CRETICVM.

Creta Insula, quæ numquam anteà peregrini cuiusquam iugum subijsse gloriabatur, à Romanis hoc tempore bellum passa est, solâ vincendi nobilem Insulam cupiditate. Quòd priore bello favisse MITHRIDATI visa esset; id placuit armis vindicare.

Primus invasit Insulam M. ANTONIVS, (M. ANTONII Triumviri pater.) quùm ei COTTÆ & CETHEGI Consulum factione, maritimæ oræ custodia decreta esset. Ingenti quidem victoriæ spe atque fiduciâ, adeò ut pluireis catenas in navibus, quam arma portaret. & non ipse solùm vir nequam, verùm pessimis etiam comitibus, Siciliam, aliasque provincias antè depopulatus.

Dedit itaque pœnas vecordiæ. nam plerasque naveis intercepêre hostes; captivaque corpora religata velis ac funibus pependêre; ac sic velificantes, triumphantium in modum, Cretes, portibus suis adremigavêrunt. Ipse ANTONIVS morbo ibidem perijt.

Quùmque iterùm Cretes, ad famam reviviscentis à MITHRIDATE belli, insurgerent; & ducibus PANARE & LASTHENE, XXIV. Iuvenum millibus coactis, velocitate pernicissimis; armorum laborumque patientissimis; sagittarum usu exercitatissimis, Romani exercitûs reliquias fatigarent; misfus eò METELLVS Cos. totam Insulam igni ferroque populatus, intra castella & urbeis redegit. Cnosson & Erythræam (al. Eleutheram) & Lyctun, cepit. & urbium matrem (ut Græci dicere solent) Cydonem, obsedit.

3889. Ptol. Aul. 19. Ant. Com. 2. Aristob. 3. Ab V. C. 687.	*Consules* C. CALPVRNIVS PISO, & M. ACILIVS GLABRIO.	61.

PISO, Galliam Narbonensem obtinuit; pacificator Allobrogum dictus. GLABRIO, Bithyniam, cum bello Mithridatico.

BELLVM PIRATICVM, IMPERATORE POMPEIO, ET XV. LEGATIS.

Piratæ, Cilices præsertim, magnis pridem à P. SERVILIO ISAVRICO cladibus domiti, se terrâ continere non potuêrunt; quin sub ipso hostis recessu, ut quædam animalia, quibus aquam terramque incolendi gemina natura est; impatientes soli, in aquas suas resilirent; & aliquantò latius, quàm priùs evagarentur. maria omnia & oram maritimam, portusque ab Issico sinu, ad HERCVLEVM usque fretum, grassabundi, latrocinijs suis infesta redderent; & commeatus Romanis ipsis intercluderent.

Tum A. GABINIVS, Trib. pl. patriæne consulens, an amico favens? lege latâ, auctor populo fuit; *Vt summum, & æquum in omnibus provincijs, cum Proconsulibus, imperium*, usque ad quinquagesimum à mari milliarium; extra ordinem, & in triennium, *cum legatis XV. CN. POMPEIO deferretur. Exercitus, Classes, pecunia, ad VI. usque Atticorum talentûm millia, attribuerentur.*

QUO, S. C. *totius terrarum orbis imperium, uni viro deferri* visum est. Ideoque CATVLVS & optimates quique dissuadebant.

Sed ille, qui iam pedit. CXX. & équit. IV. M. & classem D. navium undique comparâsset; dispersam toto mari pestem, semel & in perpetuum volens exstinguere; divino quodam adparatu & consilio adgressus est. Et bellum extremâ hyeme adparatum; ineunte Vere susceptum; mediâ æstate felicissimè confecit.

Præclaris, & rei bellicæ peritis, Ducibus, in curarum partem adsumtis. & descripto ad amussim in omneis recessus maris, navium, copiarumque, sub legatis

gatis, certifque præfectis, præsidio; utraque Ponti, & maris intestini, atque Oceani ora complexus est.

GELLIVS, Tusco mari impositus; PLOTIVS, Siculo. GRATILIVS, Ligusticum sinum; M. POMPONIVS, Gallicum obsedit. TORQVATVS, Balearicum; TIBERIVS NERO, Gaditanum fretum; (quà primum Maris interni limen aperitur.) LENTVLVS, Libycum; MARCELLINVS, Ægyptium; POMPEII IVVENES, Hadriaticum; VARRO TERENTIVS, Ægæum & Ponticum; & Pamphylium METELLVS; Asiaticum, CÆPIO: inter se sortiti. Et ipsas Propontidis fauces PORCIVS CATO, sic obditis navibus quasi portam obsedit, & observavit.

Atque ita per omnis æquoris portus, sinus, latebras, freta & promontoria, Pæninsulas; quidquid Piratarum fuit, quâdam veluti indagine, inclusum & oppressum est.

Ipse POMPEIVS, in originem fontemque belli, Ciliciam versus est.

Nec hostes detrectavére certamen. sed nihil tamen amplius ausi, quàm ut ad primum ictum navibus concurrerent. Mox ubi circumfusa undique tostra viderunt; abiectis statim velis temisque, plausu & celeusmate pari, quod supplicantibus signum fuit; vitam petivérunt.

Non aliâ tam incruentâ victoriâ usi umquam sunt Romani; sed nec fidelior in posterum reperta gens ulla. Idque prospectum singulari consilio Ducis, qui maritimum genus à conspectu longè removit maris; & mediterraneis quasi agris obligavit. dataque facultate sine rapto vivendi, rapinis arcuit.

Hæc victoria XL. die parta, ne unâ quidem navi amissâ. quùm co. (al. CCCCXLIV.) ex hostibus captæ essent. Et castella in continente CXX. dedita, aut expugnata. Atque adeò X. hominum millibus occisis; reliquis tantùm terroris iniectum, ut nulli deinceps piratæ apparuerint.

Soli, urbs in maritimâ Ciliciæ orâ, à TIGRANE antè deleta, à POMPEIO restituta, & Pompeiopolis appellata est.

MITHRIDATES TRIARIVM PROFLIGAT.

MITHRIDATES, viribus iterùm auctis, quùm TRIARIVM, anni prioris victoriâ exsultantem, (adversus quem ad Gaziuram castra habebat) ad certamen, ante LVCVLLI adventum, uti cupiebat, adlicere non posset; misit, qui Dadasa opidum, quò Romani prædam omnem contulerant; oppugnarent.

Ille, eo audito, militum suorum, moræ impatientium, & pugnam poscentium, vocibus victus; quùm in vitus, & viribus inferior, Dadasæis subsidio pergit; in itinere à MITHRIDATE, cum omnibus penè copijs, est deletus. maiorque clades accepta esset, nisi rex à milite quodam Romano, qui perfugam mentiretur; adacto in latus pugione vulneratus fuisset; & rege læso, victor exercitus substitisset.

Alter MITHRIDATES, Mediæ rex, & TIGRANIS gener, in cohorteis aliquot Romanas impetu facto, multos iugulâsse traditur.

TOMVS SECVNDVS.

MILITVM IN LVCVLLVM CONTVMACIA, REGVM CONATIBVS commoda.

Intereà verò, quùm LVCVLLVS tandem, quasi præsentiâ suâ damnum resarturus, advenisset; & Mithridatem, si in eum rectâ & sine morâ pergeret, oppressurus facilè videretur; conatibus eius, militum, multis de caussis imperium eius detrectantium, rebellio obstitit.

Ipse, licet sui sæculi luxu, & pecuniæ cupidine laboraret; cetera tamen laudabilis, & bello pænè invictus, priscæ disciplinæ & austeritatis exempla in milites subinde ediderat; & hoc nomine, ut fieri amat, multorum odia, ac contemtum, sibi conciliárat.

Veterani milites, qui primùm sub VALERIO FLACCO; pòst sub FLAV. FIMBRIA, meruerant; à P. CLODIO, qui LVCVLLI sororem in matrimonio habebat, solicitati; quùm stipendia sua se confecisse dicerent, & emeriti militiæ onera detrectarent; Imperatorem sequi noluérunt. præsertim ubi ACILIVM GLABRIONEM Consulem, successorem LVCVLLO Romà missum, propè adventare accepissent.

MARCIVS præterea, Ciliciæ Procos. auxilium eidem postulanti negaverat.

Ita quùm neque militem infensum, & ferocientem desertorem, aut in Mithridatem, aut in Tigranem educere posset Lucullus: neque Acilius, qui anteà, quasi Lucullo victoriæ gloriam erepturus, maturárat; & tum acceptâ clade, in Bithyniâ moratus, & placandæ fortè seditioni impar, ad exercitum non accederet; Reges impunè in Cappadociam incurrérunt; & magnam sui quisque regni partem recuperárunt.

METELLI IMPOTENS IN CRETENSES IMPERIVM.

Metellus profligandi in Cretâ belli cupidus, adeò sævè in captivos consuluisse iudicatus est; ut veneno se plerique ex ijs conficerent. alij deditionem sui ad POMPEIVM absentem mitterent.

Et quùm ille res in Asiâ gerens, eò quoque Præfectum misisset OCTAVIVM; in alienâ provinciâ irrisus fuit: eoque infestiùs Metellus in hosteis ius victoriæ exercuit.

POMPEIVS quidem piratas multos in Cretam usque persecutus fuerat: & bellum Creticum sibi non iniuriâ deposcere videbatur, quòd lege Gabiniâ omnes maris Insulæ eius imperio attributæ essent. Metellus autem Cretam, ubi per triennium res magnas gesserat; ante Pompeij adventum domare, aut exscindere festinabat.

OCTAVIVS, qui non ad bellum gerendum, sed ad civitates in deditionem fidemque accipiendas, à Pompeio missus esset; sine exercitu nihil effecit.

Et CORNELIVS SISENNA, qui Græciæ præfectus, legatus in Cretam venerat; frustrà METELLVM, ut ab opidis abstineret, admonere conatus est. Ille namque & Eleutheram, proditione; & Lappam,

 quas

quę ab OCTAVIO tenebatur, vi cepit; & Cilicas, qui cum eodem erant, cecidit. Sic perdomitis tandem universè Cretensibus liberæ in id tēpus Insulæ leges dedit. eaque tum primùm provincia facta est. Nec quidquam amplius tamen de tam famosâ victoriâ, quàm cognomen CRETICI, & triumphum reportavit.

Duces primarios, LASTHENEM & PANAREM, in triumpho traducere nequivit: quos ab ipso, per Trib. pl. POMPEIVS, (cuius arbitrio se illi tradiderant) abstulerit; & non exiguum METELLIEA triumphi ornamentum subduxerit.

METELLI nihilo minus, uti & LVCVLLI paullo-pòst triumphos, eum singularis ipsorum virtus; tum invidia etiam POMPEII, apud populum & optimum quemque fec t favorabileis.

LEX DE AMBITV IRRITA.

Quùm eà tempestate C. CORNELIVS Trib. pleb. populum rogaret; ut feverissimâ lege *Ambitus* (*quod monstrum, aranearum telis alligatum; licentissimè & pridem grassabatur*) salubriter & semel coërceretur; monuerunt Senatores, *Moderata, quàm severioris legis observationem impetratum iri.* Et lex quidem lata; sed invitis ferè Consulibus, *qui scilicet ipsi in eodem hærerent luto*; & muneribus ad Consulatum pervenissent.

3890. Pt. Aul. 20. Ant. Com. 3. Arist. 4. Ab V. C. 688.	*Consules M. AIMILIVS LEPIDVS, & L. VVLCATIVS TVLLVS.*	60.

His comitijs, C. PISO Cos. M. PALICANVM, suffragijs populi Consulem creatum, renuntiare noluit; quùm diceret; *Non existimare se, tantis tenebris offusam esse remp. ut huc indignitatis veniretur.*

POMPEII GRATIA ET AVCTORITAS. LEX MANILIA. BELLVM Mithridaticum.

CN. POMPEII persona totum in se propè terrarum orbem converterat, & quasi homine maior, videbatur. & spes opesque reip. in eo uno sitæ; bello præsertim adversus Piratas tam brevi, quàm feliciter gesto. C. itaque Manilius Trib. pl. semper venalis & alienę minister potentię, optimatibus infensus; quòd legem, quàm de Libertinorum suffragijs prid. Kal. Ianuar. tulerat; ipsi Coss. Kalen. Ianuar. ineuntes, abrogâssent: POMPEIO absenti, & belli Piratici reliquias in Ciliciâ persequenti, se addixit: & colligendæ eius gratiæ, legem tulit: *Vt illi Bithynia, Phrygia, Lycaonia, Galatia, Cappadocia, Cilicia, Colchis, Armenia minor. præterea, Omnis ad bellum Piraticum adparatus: omnes, quæ sub L. LVCVLLO meruerant, copiæ: Bellum denique contra reges MITHRIDATEM & TIGRANEM, committeretur.*

Hanc quidem legem optimates oppugnabant qui ob nimium imperium periculosè uni mandatū, de libertate & de republ. actum prospicerent. Et præter triumphum LVCVLLI interpellatum; Q. MARCIVM è Ciliciâ, & M. ACILIVM, è Bithyniâ, ante-tempus iniustè revocari, censerent.

Populus verò (etsi iam legatos ad provinciam cōstituendam, ex LVCVLLI litteris, quasi debellatum esset, paullo-antè miserat) magno consensu eam accepit. adnitente maximè CÆSARE; & CICERONE tum Prætore suadente.

Illo quidem, ut populum ad extraordinaria sibi quoque mandanda imperia in posterum promptiorem haberet: hoc verò, ut intelligerent omnes, maximum ei parti, cui se adiunxisset, momentum adferre posse.

POMPEIVS igitur, accepto ad bellum imperio, & societate cum PHRAHATE, Parthorum rege, iunctâ; ubi per legatos MITHRIDATEM ad pacem petendam adduci non posse sensit; magno adparatu in eum movit. Neque ei solùm LVCVLLVS, in Galatiâ occurrens, quod bellum confectum esset; & legati constituendæ provinciæ iamdiu exspectarentur; ut recederet, non persuasit; Sed ipse, ne quis militum aut ducum LVCVLLO paréret, edixit.

Certatum aiunt inter Imperatores iurgijs; quùm POMPEIVS, LVCVLLO infamiam pecunię. LVCVLLVS, POMPEIO, immoderatam objiceret cupiditatem imperij.

POMPEIVS MITHRIDATEN, qui in Armeniam minorem impetum fecerat, prœlio inde equestri victū, in Armeniam maiorem persecutus; nocturnâ fractum pugnâ, (quod tum Luna, quasi commilitans, à tergo hostibus; à facie Romanis se præbuisset: & Pontici, per errorem, longiùs cadēteis umbras suas, quasi hostium corpora, peterent) iterùm ad TIGRANEM confugere coëgit.

A TIGRANE, metu POMPEII, non receptus, quòd eum belli eius auctorem fuisse diceret, quod ipse cum filio suo gereret; in Bosporum fugit; & ad Mæotidem usque paludem excurrens, omneis illo tractu Scythas adversus Romanos concitavit. MACHAREM F. Bosporanorum regem, pop. Rom. socium, dolo interfecit, (al. ad manus sibi inferendas adegit.)

TIGRANES SE POMPEIO DEDIT.

TIGRANES, TIGRANIS F. patri infensus, ad PHRAHATEM, Parthorum regem, Romanorum socium, transfugiens, unà cum illo, patri suo bellum intulit; & ad Artaxata usque, regni sedem, pervenit. Sed idem, PHRAHATE paullo-pòst recedente, à patre victus, ad POMPEIVM se contulit.

Eo terrore perculsus pater TIGRANES, ubi pace, quam cupiebat, non impetrâtâ, POMPEIVM cum exercitu adventare audivit; coram eius potestati & Artaxata, & se ipse tradidit, abiecto in terram diademate.

POMPEIVS TIGRANI summum honorem exhibens; diadema, & thesauros restituit: Armeniæ, regni paterni, finibus contentum, esse iussit. & ingentem pecuniam imperans, Cappadociæ & Syrię partem, Sophenen & Phœnicen (quæ olim SE-

SELEVCIDIS

LEVCIDIS paruerant) ademit; populoquè Romanō vindicavit. TIGRANAM filium, qui & in patrem impius, & Romanis non satis fidus fuisset; in vinculis habitum Romam misit.

FEDVS CVM ORÆSE ALBANORVM REGE.

Quùm autem tripertito exercitu, cui ipse, & METELLVS CELER, & L. VALERIVS FLACCVS, præerant, diversis locis hibernarent; ORÆSES, Albanorum rex, hiberna adgressus, à CELERE & FLACCO repulsus; à POMPEIO fugatus, & magnâ cum suorum clade victus est. cum eo tamen, ita petente, propterea quòd hyems ingravesceret, fedus factum est.

CONIVRATIO CRASSI ET CÆSARIS IRRITA.

Eo anno, & hisdem Coss. quùm P. ANTRONIVS PÆTVS, & P. CORNELIVS SVLLA, in sequentem annum Coss. designati, à L. AVRELIO COTTA & L. MANLIO TORQVATO, ambitûs accusati, & vi legis, anno superiore latæ, abdicare coacti essent, iisque accusatores substituti; M. CRASSVS Consularis, & IVLIVS CÆSAR Quæstorius, quibus ea res indigna visa esset; consilium atrox inijsse feruntur, de Senatu per vim adgrediundo. ut initio anni sequentis, trucidatis, quos placitum esset, Senatoribus, Dictaturam CRASSVS invaderet; & CÆSAR à CRASSO Mag. equitum diceretur. Constitutâque ad arbitrium rep. SVLLÆ & ANTRONIO Consulatus restitueretur.

Sed CRASSVS vel pœnitentiâ, vel metu diem cædi destinatum non obijt; nec CÆSAR signum, quod ab eo dari convenerat, dedit. (SALLVST. eâ de re paullò aliter.)

PRIOR CATILINÆ CONIVRATIO. LEX CALPVRNIA DE Ambitu.

Paullo-pòst quàm Antronius & Sulla, quos dixi, legibus ambitûs interrogati, pœnas dedissent; CATILINA, pecuniarum repetundarum reus, prohibitus erat petere Consulatum, quòd intrà legitimos dies profiteri nequijsset.

Erat eodem tempore CN. PISO, adolescens nobilis, summæ audaciæ, egens, factiosus. Cum hoc CATILINA & ANTRONIVS, circiter Non. Decembreis consilio inter se communicato, parabant in Capitolio, Kal. Ianuarijs, LVCIVM TORQVATVM & L. COTTAM Coss. interficere: ipsi, fascibus correptis, PISONEM cum exercitu, ad obtinendas duas Hispanias, mittere. Eâ re palam cognitâ, rursus in Non. Febr. consilium cædis transtulerunt: iam-tum non Consulibus modò, sed plerisque Senatoribus perniciem machinati.

Quod ni CATILINA maturâsset pro curiâ signum socijs dare; eo die, post Vrbem conditam, pessimum facinus patratum foret. Quia nondum frequentes armati convenerant; ea res consilium diremit.

Posteà PISO in interiorem Hispaniam Quæstor, pro Prætore missus est, adnitente CRASSO; quòd eum infestum inimicum CN. POMPEIO cognoverat, cuius potentia iam-tum formidolosa erat. Is PISO in itinere, ab equitibus Hispanis, quos in exercitu ductabat, ob superba imperia, occisus est. (Alij; equites illos, CN. POMPEI veteres fidosque clienteis, voluntate eius, PISONEM adgressos esse, tradidêrunt.)

3891. Ptol. Aul. 21. An. Com. 4. Aristoc. 5. Ab V.C. 689.	*Consules creati L. AVRELIVS COTTA, & L. MANLIVS TORQVATVS. in locum P. CORNELII SVLLÆ, & P. ANTRONII PÆTI.*	59.

Qui designati quidem; sed quia ambitûs damnati, abdicârant. Damnati scilicet lege CALPVRNIA, quam CN. PISO Cos. paullo-antè tulerat.

L. TORQVATVS adolescentulus, eripuit P. SVLLÆ (qui Sex. filius, Sallustio; at DIONI, filius fratris L. Sullæ Dictatoris) Consulatum; eumque ad patrem suum rettulit. MANLIVS pater Cos. Macedoniam provinciam sortitus est; ibique res magnas gessit: & imperator, CICERONE post Consule referente, appellatus est. COTTA verò, POMPEIO & CRASSO Consulibus, Pretor, iudicia ad Equites ab Senatu transtulit. Et C. PAPIVS, Trib. lege latâ, peregrinos urbe expulit.

POMPEIVS CVM VARIIS REGIBVS FEDERA FACIT.

CN. POMPEIVS ARTOCEM, Iberiæ regem, quem bellum in se moliri senserat, adortus; magno prœlio victum, obsidibus acceptis, liberum, & cum pace dimisit. Albanos rege Oræse, res novas molienteis, iterùm castigat, & repellit. Phrahaten, cuius fineis GABINIVS ultrà Euphratem, usque ad Tigrim, ob novi belli suspicionem, fuerat populatus; quùm amicitiam renovare cuperet, POMPEIVS aspernatus est: & Corduenes agros, de quibus ipse cum Tigrane disceptabat, quique ab Afranio occupati erant; Tigrani attribuit.

Afranius per Mesopotamiam in Syriam rediens, præ locorum imperitiâ, in magnum periculum incidit; & cum exercitu perijsset, nisi Charræos, fidos itineris duces, nactus fuisset, qui Macedonici, eâ tempestate, eius urbis coloni censebantur.

Censores eo anno M. Crassus, & Q. Catulus, viri Cōsulares, quùm de dandâ ijs, qui trans Padum incolunt, civitate, inter se contenderent; non solùm nihil aliud egêrunt; sed magistratu etiam abdicârunt.

(Plutarc. de Crasso, Censuram, ait, otiosam gessit: neque enim Senatum legit, neque equites inspexit, nec censum civium egit. Verum quùm à Collegâ CATVLO, de Ægypto, Romanis tributariâ faciendâ, dissentiret; ambo spontè magistratu abiérunt.)

3892. Pt. Aul. 22. Au. Com. 5. Aristob. 6. Ab V. C. 690. | *Consules* L. IVLIVS CÆSAR, & C. MARCIVS FIGVLVS. | 58.

Ille filius L. CÆSARIS, eius, qui Consulatum gessit bello Marsico; cuius avus maternus M. FVLVIVS FLACCVS. Pater enim huius, FVLVIAM, FLACCI filiam, in matrimonio habuit.

C. MARCIVS, altero cognomento THERMVS etiam dictus reperitur, quod erat MINVTIORVM. quòd fortasse è Thermorum familia, in FIGVLOS per adoptionem transisset.

PHRAHATIS IN ARMENIAM EXPEDITIO. POMPEII DISSIMVLATIO.

PHRAHATES, altero TIGRANIS F. genero suo, secum adscito, copias in Armeniam ducit, TIGRANI pariter & Romanis infensus, ob Corduênen sibi ereptam: & POMPEIO privatim iratus, quod ab eo in litteris non rex regum, ut mos erat, sed rex oudè esset nuncupatus.

TIGRANES feliciter primùm pugnans; deinde victus, auxilium à POMPEIO, qui tum in Iberiâ esset, petit.

POMPEIVS, qui neque TIGRANI auxilio venire maturaret; neque PHRAHATEM aperto bello persequeretur; multis utrimque maledictis impetebatur. Ipse, qui Parthorum vireis extimesceret; neque bello minimè necessario, dum adhuc MITHRIDATES in armis esset, Romanos implicare vellet; PHRAHATI quidem amicè respondet & monet: *Ne federatum sibi populum, cuius virtutem nondum sit expertus, irritet.* Corduênen TIGRANI, cuius illam esse crediderit, attribuisse. *Si quid iuris contrà pratendat*; mittere se treis arbitros, qui *controversiam inter ipsos ex aquo dirimant.*

TIGRANI verò scribit: *Nullam sibi à Senatu, de suscipiendo adversus Parthos bello, mandatum esse datum. Moderandum sibi victoriæ impetum; nec æquum videri, ut alia ex alijs bella temerè ferantur.* MITHRIDATEM (qui more anguium, obtrito licet capite, caudâ adhuc minetur) *priùs debellandum*, quàm aliò arma convertantur. Istam *de finibus inter ipsos controversiam, per sequestros pacatè transigi posse.*

PHRAHATES, quamvis Romanos, litium suarum arbitros, gravatè agnosceret; tamen reputans, nec in promtu, nec è re suâ esse, ut TIGRANES funditùs evertatur; à POMPEII Triumviris sententiam ferri passus est: & renovato cum Romanis federe in Parthiam revertens, TIGRANEM præcipuè monet: *Virique opidò necesse esse, ut amicè inter se concorditerq́; vivant.*

MITHRIDATES, belli, tam infelicis, pertæsus, quamvis STRATONICEN etiam uxorem sibi infensam, & erga Romanos benivolam, persentisceret; iniuriarum tamen molem animo non sustinens, nec iram concoquens, & viribus maiora moliens, bellum irrito conatu gerebat, & ultra Pontum erranti Scythas in bellum Rom. concitabat. quùm POMPEIVS, operâ STRATONICES, Symphorium, arcem in Aspide, caperet, & circa Pontum hibernaret.

CLEOPATRÆ REGINÆ MARITI.

CLEOPATRA illa, PTOL. AVLETÆ filia, patre ab Alexandrinis exacto, regnare iussa; CYBIOSACTEN quemdam, qui se è Syrorum regum stirpe ferebat, quemque illi reginę maritum è Syriâ acciverant; ob sordes & illiberalitatem, strangulârat.

In eius locum ARCHELAVS subijt: qui se MITHRIDATIS EVPATORIS filium simulavit, quùm Archelai eius filius esset, qui pro Mithridate bellum adversùs Sullam gessit. (Is postea à Romanis in honore habitus, avus illius fuit, qui ætate Augusti postremus apud Cappadocas regnavit, Comanorum in Ponto sacerdos.) Ille tunc cum GABINIO versans, tamquam cum eo contra Parthos militaturus, clam per amicos ad reginam deductus, & rex declaratus est.

Hoc anno alteri Censores, qui lustrum facerent, creati putantur L. Aurelius Cotta, priore anno Consul; & P. Servilius Isauricus. Neque tamen ab ijs lustrum conditum, quùm triennio pòst alij, Censores id condiderint. Neque census actus; quòd fortè Tribuni pl. intercederent; ne Senatum illi legerent; ne & ipsi præterirentur.

3893. Ptol. Aul. 23. Ant. Com. 6. Syria prov. Hyrcani I. Ab V. C. 691. | *Consules* M. TVLLIVS CICERO, & C. ANTONIVS NEPOS. (*Hic* ANTONII *Oratoris filius.*) | 57.

CICERO omneis magistratus, suo quemque anno, adeptus erat. Competitores eius in Consulatu fuére; duo patricij, P. Sulpitius Galba, & L. Sergius Catilina. Quattuor plebeij; ex quibus duo nobiles, C. Antonius, & L. CASSIVS LONGINVS; duo novi, Q. CORNIFICIVS, & C. LICINIVS SA-

CERDOS.

CERDOS. Ipse CICERO solus, equestri loco natus.

Quùm eidem Macedonia obtigisset, & ANTONIO Gallia; ille collegæ suo Macedoniam concessit; neque ex Consulatu in provinciam est profectus. & Gallia Q. METELLO CELERI Præt. mandata est.

LEGES TRIBVNITIÆ PERNICIOSÆ, A CICERONE, NE FERRENTVR, impeditæ.

Hoc anno Tribb. pl. C. ANTONIO Consule non repugnante, leges reip. perniciosas promulgarunt; „*Vt agri victoriâ POMPEII parti, à X. Viris, quos pars populi creâsset, venderentur: atque eâ pecuniâ agri emerentur, quò plebs Romana deduceretur:* „*Vt Campanus ager populo divideretur:* „*Vt proscriptorum filij, quos SVLLA Dictator honorum petitione privárat, ad magistratus vocarentur:* „*Vt P. ANTRONIVS & P. SVLLA, damnati ambitûs, in Senatum legi, ac magistratus capere possint.*

C. etiam RABIRIVS à T. LABIENO Trib. pl. ad populum postulatus est; quòd XXXVI. (al. XL.) antè annis in seditione, L. SATVRNINVM interfecisset.

Hæ leges ne ferrentur, consilio atque eloquentiâ CICERONIS Consulis perfectum est: & RABIRIVS ab eo defensus.

Hoc demùm anno POMPEIVS in Syriam, quâ, Armeniæ finibus contentum TIGRANEM cedere iusserat; ingressus, ANTIOCHVM COMMAGENVM, precarium Syriæ regem, quem TIGRANE victo LVCVLLVS regē appellarat: quique omisso ad Parthos fugiendi consilio, POMPEII adventantis clementiam experiri, & ab eo regnum reposcere maluerat; intra Commagenen, uti pridem, se continere iussit. adiecitque; *Ne volenti quidem Syriæ, nedum recusanti, daturum se regem, qui XVI. annos, quibus TIGRANES, externus, Syriam tenuit, in angulo Ciliciæ latuisset. Victa autem à se eodem TIGRANE, alieni operis præmia postularet.* Igitur ut habenti regnum non ademerit, ita quod cesserit TIGRANI, quodque tueri nesciat; non daturum, ne rursus Iudæorum & Arabum latrocinijs pateat. Is posteà eidem POMPEIO auxilia misisse, ante pugnam Pharsalicam, traditur. CÆSAR 3. lib. belli civ.) Matrem eiusdem ANTIOCHI, CLEOPATRAM, cognomento SELENEN, TIGRANES superiore expeditione captam, & diu quodam Seleuciæ, Mesopotamiæ, an Commagenes! castello conclusam, pridem interemerat. Atque ita Syria in provinciæ formam redacta est Quod regnum sub Seleucidis 228. (al. 248.) annis steterat.



Hoc quoque loco, & pro re natâ, sub unum conspectum dabimus, Regum Syriæ, sive Seleucidarum seriem, cum Annorum Notis, ex nuperâ Petavij supputatione. quæ curiosus Lector cum nostris passim conferat.

REGES SELEVCIDÆ.

Nomina.	Anni quibus regnárunt.	Anni Per. Iul.*
1. SELEVCVS NICANOR O.C. 3672.	32.	4402. (hoc est
2. Antiochus Soter, F.	19.	4433.
3. Antiochus 2. Θεός F.	15.	4452.
4. Seleuc. 2. Callinicus.	20.	4467.
5. Seleucus 3. Ceraunus, F.	3.	4487.
6. Antioc. 3. M. Callini F.	36.	4490.
7. Seluc. 4. Philopator, F.	12.	4526.
8. Antiochus 4. Epiphanes, Antiochi Magni Filius.	11.	4538.
9. Antiochus 5. Eupator, F.	2.	4550.
10. Demet. Soter, Sel. Philop. F.	11.	4552.
11. Alexand. Balas infintius.	5.	4563.
12. Demet. 2. Nicator, Demet. Soter. F.	5.	4568.
o. Antioch. Alexandri Balę F.	o.	
13. Tryphon. Tyrann.	2.	4575.
14. Antioch. 7. Sidetes, Demet. Soter, F.	9.	4575.
o. Demetr. 2. iter.	4.	4585.

Nomina	Anni regni.	Anni Per. Iul.*
o. Alexand. Sebina, insititius.	o.	
15. Seleucus 5.	1.	4589.
16. Antiochus IIX. Grypus, Demetrij Nicatoris Filius.	12.	4590.
17. Antiochus IX. Cyzicenus, Antiochi Sidetæ Filius.	18.	4601.
18. Seleucus VI. Grypi F.	1.	4618.
19. Antiochus X. Eusebes, Cyziceni F.	1.	4619.
20. Antioch. XI. Grypi F.	o.	4620.
21. Philip. Grypi F.	o.	
22. Demetrius III. Eucærus, Grypi F.	o.	
23. Tigranes à Syris electus.		
24. Antiochus XII. Asiaticus, Eusebis F.	o.	

Colliguntur anni Regum Syriæ, CCXLVII.

Desijt eorum regnum circa annum 4648. (hoc est O.C. 3919.)

(Steterit itaque annis circiter 247.)

MOLITIONES MITHRIDATIS. FILIVS REBELLIS; MORS DENIQVE.

MITHRIDATES, qui Syriacam POMPEIO expeditionem multò fore laboriosiorem longioremque fuerat ratus; generosum, si vires adfuissent, consilium capit, cum Scythis in Italiam usque excurrendi.

Flor. addit: Subruto Pirei portu, Colchis tenus iungere Bosporum: Inde per Thraciam, Macedoniam & Græciam transilire; & sic Italiam nec-inopinatè invadere, & subito adventu terreee cogitavit. Sed dum hæc molitur, filios aliquot ac propinquos suspectę fidei in Bosporo interfecit.

Eoque terroee perculsus, & conscius sibi PHARNACES, filius, POMPEII gratiam aucupans & regnū se à Romanis consecuturum sperans; patri insidias fecit. Iisque patefactis damnatus, ope eorumdem, quo pater ad se comprehendendum miserat, aperto Marte insurgit, & signis illatis regiam occupat.

MITHRIDATES à suis desertus, & ad extrema adactus; uxori & liberis aliquot, quos penes se habebat, venenum propinat; & epotat. Sed antidotis pridem uti adsuetus, ne præsentaneâ quidem letalique potione spiritum expellere potuit. (Vnde Mithridaticum in posteros nobile & efficax, amuletum.) Et quùm gladium, sed ictu invalido, & effœtâ iam dexterâ, in se strinxisset; supervenére PHARNACIS filij satellites, & miserum senem iugulárunt. (Alij à milite Gallo, cui BITOETO nomen, quem, ut adiuvaret se, rogárat; confectum volunt.) Cadaver ad POMPEIVM, à filio, probandæ, scilicet! fidei missum; & ab eodem, ut sepulturæ tradatur, cum honore remissum.

Sic MITHRIDATES, XVI. à DARIO HYSTASPIS filio; & omnium sui iuris regum, præter Parthicos, ultimus, SYLLÆ felicitate, LVCVLLI virtute, & magnitudine POMPEII victus, quùm circitee LIIX. annos regnásset, ætatis an. 75. sublatus est. PHARNACES filius, POMPEII potestati se permisit; & is parricidæ, Bospori regnum, largitus est.

POMPEII PROGRESSVS.

Rebelleis deinde Asiæ reliquias persequens, per diversa gentium terrarumque impunè volitabat, & victis, aut in ordinem redactis, qui sub Oriente & Septemtrione erant; in Meridiem verso agmine, Libanum Damascumque transgressus, per odorata illa Arabum, omnium parére præstò, nemora; Romana signa circumtulit. ARETAM eorum regem, qui subinde Syriam, & loca vicina fuerat populatus; prœlio victum in deditionem accepit.

ANTIPATER, HERODIS PATER, IVDÆOS TVRBAT, FRATRIBVS INTER SE commissis.

Iudæa, fratribus HYRCANO, & ARISTOBVLO, ALEXANDRI IANNÆI filijs, à morte matris ALEXANDRÆ, inter se reconciliatis, pacata stare poterat; nisi ANTIPATER, ANTIPATRI, (quem ALEXANDER, eiusque uxor toti Idumææ præfecerant) Filius, vir genere Idumæus, & nobilitate atque opibus gentis suæ princeps; Aristobuli potentiam atque inimicitiam suspectásset. & alienatis ab illo procerum Iudæorum animis, Hyecanum, quasi legitimâ paterni regni possessione deiectum, ad nova consilia, & auxilia adversùs fratrem, usurpatorem; & ut iactabat, insidiatorem, conquirenda, concitásset.

Hyrcanus itaque ab eo ad ARETAM, Arabum regem, Petram uebem, perductus; & multa cegi, & in cæteris, opidorum, quæ patee ALEXANDER ex Arabibus ceperat, restitutionem pollicitus; ad opem sibi ferendam, seque in regnum reducendum, induxit.

Ille, L. peditum equitumque millibus coactis, ARISTOBVLVM prœlio vincit; & Hieeosolymam confugere compellit.

Vbi dum lentâ obsidione urgueretur ARISTOBVLVS; SCAVRVS à POMPEIO (qui bello adhuc Tigranico distinebatur) in Syriam missus, Damascum vénit, recèns à METELLO LOLLIOQVE captam. Et dum ille in Iudæá inde rectà properaret, ab utriusque fratris legatis de societate & auxilio interpellatus, acceptâ ampliore ab ARISTOBVLO pecunia, & ARETA recedere iusso, obsidionem solvit.

ARISTOBVLVS, libertate non contentus, collectis, quas potuit, copijs, hosteis ad locum, qui Papyrion dictus est, adsecutus, VII. ex ijs millia, & in ijs Cephalionem, Antipatri fratrem, cecidit.

POMPEIVS IN SYRIAM, ET INDE IN IVDÆAM VENIT. HIEROSOLYMAM, & ARISTOBVLVM obsidet.

Postquam verò POMPEIVS ipse in Cœle-Syriam & Damascum venit, inter cæteros, ad eum legati à Iudæis, & ab utroque fratrum venére. Neque enim soli fratres, HIRCANVS & ARISTOBVLVS inter se diffidebant; verum-etiam gens ipsa ab utroque quæ nollet sub regibus, servitutem molientibus, degere: sed ex patrijs institutis, solis Dei sui parére sacerdotibus.

POMPEIVS, auditis fratrum controversijs, eos quietos esse iussit; dum, inspectis priùs Nabathæorum rebus, in Iudæam rediret. Et ne ARISTOBVLVS, cuius violentiam non satis probabat; licet ab eo Vitem auream, D. talentis æstimatam, dono accepisset.) transitus ei advenienti intercluderet; comiter apud se habuit. Sed ille, non exspectatis POMPEII promissis, profectus ad opidum Delium, inde in Iudæam se recepit.

Eâ re offensus POMPEIVS, omissâ in Nabathæos expeditione, & contractis undique copijs & legionibus; ad Alexandrium, arcem in montis vertice sitam, quò ARISTOBVLVS confugerat, accessit; illumque ad se per nuntios arcessivit.

Ille, spem inter metumque dubius, gravatè quidem descendebat, & cum fratre disceptabat; sed mox in castellum, ne quid regiæ dignitati derogaret; redibat. Quod quùm identidem faceret; & POMPEIVS tandem eum scriptis ad Præfectos suos litteris

litteris, castella sibi tradere iuberet; paruit quidem; sed molestè id ferens, clam Hierosolymam discessit, tamquam ad certum se bellum comparaturus.

POMPEIVS confestim illum insecutus, eoque alacrius; quòd ei mors Mithridatis apud Hierichuntem è Ponto nuntiata esset; Hierosolymis castra exercitumque admovit.

ARISTOBVLVS tam subito impetu perterritus, supplex occurrit; pecuniamque & urbis deditionem, pollicitus, POMPEIVM mitigat iam sævientem.

Ipse itaque, datâ petenti veniâ, GABINIVM cum militibus aliquot, pecuniæ accipiendæ, in urbem misit. Sed is re infectâ exclusus, & vacuus ad Imperatorem rediit.

Ea res vehementer POMPEIO stomachum movit: & ARISTOBVLO in custodiam tradito, ad civitatem oppugnaturus proximè accessit; & quâ parte facillimè in eam intrari posset, exploravit. Nam & murorum eius firmitatem labefactari haud facilè posse prospiciebat; & vallem pro mœnibus profundam & horribilem obiici, quæ Templum, muro è saxis structo, tutissimum, ambibat.

Dum hic in aquâ, quod dicitur, hæret POMPEIVS; seditio in urbe exorta est. dum partim portas Romano aperiendas, & urbem dedendam; partim pro ARISTOBVLO, quem captivum tenerent Romani, bellum acriter sustinendum, censerent.

Et hi, licet pauciores, alteris, quos metus & Romana constantia deterrebat; prævertentes, Templum occupant: & ponte, qui in urbem ferebat, rescisso, ad sui locique defensionem accingebant. Illi verò, intromisso exercitu, sese urbemque, cum regiâ, POMPEIO tradidérunt. Atque hic statim PISONI legato urbis regiæque custodiam committit; & eorum, qui in Templum confugerant, animos explorare iubet; *An ad ullas pacis conditiones descendere vellent.* Quas dum illi obstinatè respuerent; ipse propinqua Templo ædificia ad oppugnandum communivit; HYRCANO, quidquid usui esset, alacriter suppeditante. POMPEIVS autem ad Septemtrionale Templi latus, quod erat iniurijs maximè obnoxium, milites admovit.

Sed quòd locus & altis turribus, & fossis, & abruptâ valle præceps esset; & Iudæi desuper summâ ope obsisterent; non sine summis difficultatibus, omni materiæ genere per milites comportato, & ingentibus cæsarum arborum ramis truncisque, lacunæ expleri potuére. Et quantumvis aggeres erigerentur, & machinis à Tyro advectis muri concuterentur; opus imperfectum mansisset, nisi observato sabbatorum, hoc est, septimi cuiusque diei, ritu, quo Iudæi religiosè manus ab omni opere abstinere solent; & hostem quidvis, præter vim, facere sinunt; POMPEIVS, turreis aggeresque educere, & machinas propiùs admovere, impunè, sed prohibitis à prœlio interim militibus; properâsset.

Atque ita mense obsidionis tertio, vix unâ Turre, crebris arietum ictibus, & proximâ muri ruinâ trahente, deiectâ; impetus in Templum factus est. Et primus per ruinas CORNELIVS FAVSTVS, SYLLÆ F. evasit; quem FVRIVS & FABIVS, Centuriones cum suâ quisque cohorte, sunt consecuti.

PROMISCVA, VRBE CAPTA, CÆDES.

Hi circumsepto undique Templo, alios aliò confugienteis, vel paullisper repugnanteis, promiscuâ cæde interfecére. Plurimi è sacerdotibus, quantumvis hostem strictis in se gladijs irruentem cernerent, intrepidi tamen res divinas peragere perseverabant: atque adeò in ipsis libandi adolendique ministerijs, mactabantur. Multi à suis, sed adversæ partis, gentilibus, immaniter trucidati: Alij in rupes præcipitârunt; nonnulli furibundi, flammis circa murum accensis, aut in ædeis subiectis, pariter conflagrârunt.

Ex Iudæis ad XII. M. occubuisse feruntur: Romanorum perpauci cæsi, plures sauciati. Sed nihil in hac clade Iudæis gravius accidere potuit, quàm quòd patrium, & *Sanctum* illud *Arcanum* eatenus pòst captivitatem, inviolatum, profanis gentibus, tunc primùm patuisset: & humanis vestigijs oculisque externi ducis penetratum esset.

POMPEIVS namque cum aliquanto comitatu in Templum ingressus, ea, quæ solis sacerdotibus propria, coram inspexit. Neque tamen ex ijs, quæ intus erant, sive ex sacrosanctis opibus, sive instrumentis, quidquam attingere ausus.

Postero post excidium & stragem die, Templum per Æditiuos expurgari, & sacra solennia celebrari iussit.

HYRCANO, ita merito, Pontificatum & gentis suæ principatum, absque diademate, restituit; & belli concitatores securi percussit.

IVDÆA PROVINCIA FACTA. ARISTOBVLVS CAPTIVVS.

Ita Iudæa, discordiâ consanguineorum regum, Rom. pop. stipendiaria facta; & quas civitates, priores reges Asamonæi, in Cœle-Syriâ bello interceptas sibi subiecerant; proprio deinceps Præsidi parére iussæ: & gens tota angustis veteris imperij terminis, circumclusa.

Vrbes Mediterraneæ; Hippon, Scythopolis, Pella, Dion, Samaria, Marissa, Azotus, Iamnia, Arethusa; antiquis indigenis & civibus redditę.

Maritimæ; Gaza, Ioppe, Dora, Turris Stratonis, liberæ factę; & provinciæ Syriæ contributæ sunt. A Iudæis supra X. talentûm millia, brevi tempore, Romani exegérunt.

POMPEIVS, Cœle-Syriâ totâ, ab Euphrate flum. ad fineis usque Ægypti, SCAVRO Præsidi, cum II. legionibus traditâ, in Ciliciam profectus; & inde Romam abiturus, vinctum se cum ARISTOBVLVM, cum quattuor utrovis sexu liberis, eodem abduxit.

ROM. IMPERII LIMITES PER POMPEIVM PROLATATI.

Sic POMPEIO duce, populus Romanus totam, quà latissima est, Asiam pervagatus, quam extremam

mam habebat provinciam, mediam fecit. Exceptis quippe Parthis, qui fedus maluérunt; & Indis, qui nondum Romanos noverant; omnis Asia, inter Rubrum & Caspium mare, & Oceanum, Pompeianis domita, vel oppressa, signis tenebatur.

In Syriâ, Seleucidæ annos plus minus CCL. imperárant. Sive, ALEXANDER M. post Issicam pugnam, Syriæ potitus est, anno V. C. CDXXII. Et post CCLXX. à pugnâ Issicâ annos, Syria à Romanis in provinciæ formam redacta est. qui erat annus V.C. DCXCI. Idque SELEVCI primi (32.) & (14.) TIGRANIS, quibus præcisè regnárunt, annis comprehensis.

Eo bello Bithynia, Cappadocia, & Ciliciæ pars reliqua; Syria Cœle, & Phœnice, & Palæstina, (ad Euphratem usque) Paphlagonia, Galatia, Phrygia, & finitima Mysia: Item Lydia, Caria, Iönia, & Asia Pergamena, atque ipsa Græcia. partim receperatæ; partim in Romanorum potestatem venisse censeantur.

Ex regibus ibidem socijs, TIGRANI Armenia maior; PHARNACI, MITHRIDATIS F. Bosporus; ARIOBARZANI, Cappadocias ANTIOCHO COMMAGENO, Seleucia; ARISTARCHO, Colchis; DEIOTARO, alijsque TETRARCHIS, Galatia, cum Armeniâ minore: ATTALO, & PHILÆMENI Paphlagonia; & Palæstina HIRCANO, permissæ.

ALTERA CATILINÆ CONIVRATIO.

Dum foris Orientem sub iugum mittit Roma; iugulum eius propemodum domi oppressit L. SERGIVS CATILINA, vir patricius. qui triennio antè cum CN. PISONE coniuraverat: & priore, atque hoc anno, consulatûs repulsam tulerat. Quemque luxuria primùm, tum hinc conflata egestas rei familiaris; simul occasio, quòd in extremis finibus mundi, arma Romana peregrinabantur; in nefaria consilia patriæ suæ opprimendæ compulérunt. Senatum confodere; Consules trucidare; distringere incendijs urbem; diripere ærarium; totam denique remp. in suę dominationis libidinem convertere.

Coniurárunt cum eo P. LENTVLVS SVRA, Consularis, atque iterùm Prætor; & C. CETHEGVS. alijque Senatorij ordinis, & clari nominis viri: CVRIVS, PORCIVS; SVLLÆ duo, SERVII filij; ANTRONIVS, VARGVNTEIVS, LONGINVS, ANNIVS, & BESTIAS tam immanis facinoris satellites. Ex Equitibus, FVLVIVS, STATILIVS, GABINIVS CAPITO, & C. CORNELIVS.

Ad hoc, multi ex colonijs & municipijs, domi militiaque nobiles; quibus mala omnia abundè erant; sed neque res, neque spes bona ulla: quique bellum, quàm pacem, malebant.

Additum aiunt pignus coniurationis; quùm adiusiurandum populareis sceleris sui addiceret, CATILINA; humani corporis sanguinem vino permixtum, & in pateris circumlatum, & à singulis degustatum.

Et iam-tum exercitus in Etrurjâ, ad Fæsulas, per C. MANLIVM eâ fini erat comparatus.

Actum erat de pulcerrimo imperio, nisi illa Coniuratio in CICERONEM Consulem incidisset. Re namque per indices (FVLVIAM, & Q. CVRIVM, stupri inter se consuetudine coniunctos) patefactâ, S. C. fit; *Vt Consules videant, nequid detrimenti resp. capiat.*

Præsidijs itaque in urbe idoneè dispositis. Q. MARCIVS rex Fæsulas; & Q. METELLVS CRETICVS, in Apuliam, circumque ea loca missi. (uterque ad urbem Imperatores erant, impediti calumniâ paucorum, ne triumpharent) Et Prætores Q. POMPEIVS Capuam; Q. METELLVS CELER in agrum Picenum. ijsque permissum, uti pro tempore atque periculo exercitum compararent. Præmia Indicibus coniurationis decreta.

Quùm CATILINA dissimulandi, aut sui purgandi caussâ, sicuti iurgio lacessitus, in Senatum venisset; CICERONIS Consulis oratione, & Senatorum maledictis exagitatus, se palam professus, & *incendium suum ruinâ restincturum minitans*; domum è Curiâ proripuit. Et inde nocte intempestâ cum paucis in castra Manliana profectus; quùm missis interim ad amicos litteris, se Massiliam in exsilium proficisci simularet; non quò sibi tanti sceleris conscius esset, sed ne ex suâ contentione seditio oriretur. Alijsque ORESTILLAM uxorem, familiamque, ut ab omni iniuriâ defendant, commendaret. Tandem cum fascibus, atque alijs imperij insignibus, in castra ad MANLIVM pervenit.

Quę ubi Romæ comperta, CATILINA & MANLIVS hostes à Senatu iudicantur. Decretum; *Vti Consules delectum habeant:* ANTONIVS *cum exercitu* CATILINAM *persequi maturet*; CICERO *urbi præsidio sit.*

P. LENTVLVS, qui destinatum familiæ suæ (tribus scilicet Cornelijs) Sibyllinis versibus regnum, sibi vaticinabatur; cum CETHEGO & cęteris, qui ex præcepto CATILINÆ in urbe, in cędem Consulis, & Vrbis incendium, remanserant; non contenti civili conspiratione, legatos etiam Allobrogum, qui tum fortè in urbem venerant, ad par consilium, & in arma solicitant.

Sed re indicijs certis litterisque patefactâ, & ad Senatum per CICERONEM delatâ; LENTVLVS cum cæteris, convicti & in custodiam traditi, auctore Senatu, iussu Consulis, in carcere gulâ omnibus fractâ, necati sunt. Quùm habitâ priùs de eorumdem supplicio consultatione, IVL. CÆSAR, parcendum dignitati; M. CATO, pro scelere animadvertendum, censuissent; & in huius sententiam Senatus pænè omnis discessisset.

CICERONI, cuius singulari virtute, constantiâ & vigiliâ, salus reip. parta esset; magna à bonis civibus laus & gloria tributa est.

CATILINA, quantumvis parte coniurationis oppressâ, tamen ab incepto non desistit. Et primùm ex omni copiâ, quam ipse adduxerat, & MANLIVS habuerat, duas legiones instituit. cohorteis pro numero militum complevit.

Sed postquam ANTONIVS Cos. cum exercitu adventabat; ipse per monteis iter facere; modò ad urbem, modò in Galliam versus castra movere; neque hostibus pugnandi occasionem dare.

Atque adeò ubi de socijs Romę supplicium sumtum esse certiùs cognovit; multis iam ab exercitu dilabentibus, reliquos per aspera montium, magnis itineribus, in agrum Pistoriensem abducit; eo consi-

consilio, uti per tramites occultè profugeret in Galliam Transalpinam.

Quo cognito, Q. METELLVS CELER, qui cum III. legionibus in agro Piceno præsidebat, castris properè motis, sub ipsis montium radicibus consedit. Neque ANTONIVS longius aberat, qui locis æquioribus expeditos in fugam sequeretur.

CATILINA PVGNAT, ET VICTVS CADIT.

CATILINA postquam videt montibus atque copijs hostium sese clausum; neque fugæ, neque præsidij spem ullam; optimum factu ratus, in tali re fortuoam belli tentare; statuit cum ANTONIO quamprimùm confligere. ANTONIVS, pædibus æger, quod prœlio adesse nequibat; M. PETREIO legato exercitum permiserat.

Is, prœlio iam commisso, ubi videt CATILINAM, contra ac ratus erat, magnâ vi contendere, & strenui militis & boni imperatoris officia simul exsequi; cohortem prætoriam in medios hosteis, quâ parte CATILINA stabat, induxit: eosque perturbatos, atque alios alibi resistenteis, interficit. Deinde utrimque ex lateribus cæteros adgreditur.

MANLIVS, & FÆSVLANVS, quorum ille in dextrâ; hic in sinistrâ acie curârat; pugnantes in primis cadunt. CATILINA, fusis copijs, cum paucis relictus, in confertissimos hosteis incurrit, ibique pugnans confoditur.

Ita atrociter dimicatum; ut ex omni cooiuratorum copiâ, neque in prœlio, neque in fugâ quisquam civis ingenuus captus sit: & quem quisque pugnando vivus locum ceperat; eum amissâ aoimâ corpore tegeret.

CATILINA longè à suis inter ipsa hostium cadavera repertus, paullulùm etiam spirans ferociam animi, quam ad bellum attulerat; in vultu retinebat. *Pulcerrimâ morte, si pro patriâ sic concidisset. sed spiritum, quem supplicio debuerat, prœlio reddidit.*

Neque tamen ea populo Romano læta, aut incruenta, fuit victoria.

AVGVSTI NATALIS.

(Consulatui CICERONIS non mediocre adiecit decus, natus eo anno, C. OCTAVIVS, qui posteà AVGVSTVS; nono Kal. Octobris.)

LVCVLLI TRIVMPHVS.

L. LVCVLLVS, rebus magnis in Ponto & Armeniâ gestis, exercitum M. ACILIO GLABRIONI Cos. successori; aut certè sequenti anno, POMPEIO, sibi in Galatiâ occurrenti, tradiderat. Constitutâque per x. legatos (in quibus M. LVCVLLVS frater, & L. MVRÆNA, fuerunt) provinciâ, Romam decesserat. Sed hoc demum anno triumphavit: triennio tardiùs, quàm debuerat, præ inimicorum; C. MEMMII &c. calumniâ. quùm & ei milites à POMPEIO mille dumtaxat & sexcenti ad triumphum malignè relicti essent.

3894. Ptol. Aul. 24. Hyrcan. 2. Ab V. C. 692.	*Consules D. IVNIVS SILANVS, (filius M. SILANI, bello Cimbrico Consulis) & L. LICINIVS MVRÆNA (L. MVRÆNÆ F. qui de MITHRIDATE Proprætor triumphavit.)*	56.

C. PONTINIVS, ex præturâ, quam CICERONE Cos. gessit, Galliam Narbonensem sortitus est: unde pòst triumphavit.

P. CLODIVS, domi CÆSARIS, tum Pont. Max. in veste muliebri in sacrario deprehensus est, quùm sacra BONÆ DEÆ à mulieribus fierent. ad quæ marem penetrare nefas erat.

ANTONII CLADES IN MACEDONIA.

C. ANTONIVS, CICERONIS in Consulatu collega, victo apud Pistorium CATILINA, laureatos fasceis in provinciam, (Macedoniam; in quâ L. TORQVATO ex Consulatu, successit, & per trienniom obtinuit) intulit: ibique à Dardanis oppressus, amisso exercitu, profugit: & equitatu in fugam verso, peditatum hostibus concidendum reliquit. Hostibus victoriam portendisse visus; qui Laurum victricem ad eos adtulerit, quam in Capitolio deponere decuerat.

Q. MARCIVS rex, qui ex Coosule in Ciliciam missus, MENEDAMVM, quemdam MITHRIDATIS transfugam, receperat; & P. CLODIVM sororium, classi præfecerat; & L. LVCVLLO, ab exercitu suo deserto, opem imploranti non satis honestè denegarat; res magnas in provinciâ, cui per annum præfuit, gessit. vndè & triumphum promeritus, nisi inimicorum invidiâ impeditus esset; hoc anno mortuus est.

Nec Q. METELLVS quidem anno soo triumphavit, qui Procos. in Cretâ res gesserat; (unde Creticus dictus) sed his demùm Coosulibus.

3895. Pt. Aul. 25. Hyrcan. 3. Ab V. C. 693.	*Consules M. PVPIVS PISO, & M. VALERIVS MESSALLA.*	55.

Ille à M. PVPIO adoptatus, CN. POMPEII bello Mithridarico legatus; & ex Asiâ à POMPEIO ad comitia præmissus, eiusdem operâ Consulatum adeptus est.

Fuit is tantò ætate maior CICERONE, ut pateret hunc adolescentulum ad eum deduceret; quòd in eo & antiquæ vitæ similitudo, & multæ erant litteræ: maximè que ex omnibus, qui ante eum fuerunt,

runt, Græcis doctrinis eruditus fuit. Biennio quidem seriùs, quàm CICERO, Consul fuit; sed ante CICERONIS Consulatum, Proconsul, de Hispanis triumphavit.

C. CÆSAR IN HISPANIAM PROFECTVS. CENSORVM ACTA.

Hoc anno C. CÆSAR, ex præturâ in Hispaniam ulteriorem profectus est. quo tempore & Senatus censuisse traditur, uti quicumque Galliam provinciam obtineret, quod commodo reip. facere posset; Ædnos, cæterosque pop. Rom. amicos, defenderet.

Censores sub his Consulibus, (qui fuerint, non liquet) omneis eos, qui magistratus gesserant, etiam supra legitimum numerum, in Senatum adlegisse memorantur. Et Asiana vectigalia tunc primùm conducta, adeò magno, ut mancipes, eam à Censoribus locationem, induci à Senatu postularent.

POMPEII TRIVMPHVS TRIPLEX.

POMPEIVS, bellis omnibus confectis, hoc anno triumphavit. Victor cum exercitu maximo rediens, ut Brundisium traiecit, copias omneis dimisit; uno triũpho contentus; neque ullo se, nisi vetere MAGNI cognomine ornari voluit. Honores Vrbi tribuit in delubro MINERVÆ, quod ex manubijs dicavit, hoc elogio:

CN. POMPEIVS MAGNVS, Imp. bello XXX. annor. confecto; fusis, fugatis, occisis, in deditionem acceptis, hominum Vicies semel centenis M. & LXXXIII. Depressis, aut captis navibus, DCCCLXVI. Opidis, Castellis, MDXXXIIX. in fidem acceptis: Terris à Mæoti lacu, ad Rubrum mare, subactis; Votum merito MINERVÆ.

Triumphi, quem hoc anno, & his Consulibus, duxit, ad d. tertium Kal. Octob. die natalis sui, hæc præfatio.

Quùm oram maritimam à prædonibus liberâsset, & imperium maris populo Romano restituisset; ex Asiâ, Ponto, Armeniâ, Paphlagoniâ, Cappadociâ, Ciliciâ, Syriâ, Scythis, Iudæis, Albanis, Iberiâ, Insulâ Cretâ, Basiarnis. & super hæc, de regibus MITHRIDATE atque TIGRANE; per biduum triumpavit.

(Alij liberos MITHRIDATIS & TIGRANIS etiam in triumphum traductos aiunt.) Ita ille primùm ex Africâ; iterum ex Europâ; tertiò ex Asiâ triumphavit.

3896. Ptol. Aul. 25. Hyrc. 4. Ab V.C. 694.	*Consules L. AFRANIVS, Auli F. & Q. CÆCILIVS METELLVS CELER. uterque POMPEII operâ Consulatum consecutus, cuius legati in Asiâ ambo fuerant.*	54.

Q. METELLVS CELER, ex Præturâ, quam CICERONE Cos. gessit, in Galliam profectus, ibi bellum gesserat.

BELLVM CVM HELVETIIS.

Quòd autem eo tempore Helvetij in armis esse, & excursiones in provinciam facere, nuntiarentur; Senatus decrevit; *Vt Consules duas Gallias sortirentur; delectus haberetur; vacationes ne valerent. legati cum auctoritate mitterentur, qui adirent Galliæ civitates; darentq́; operam, ne eæ se cum Helvetijs iungerent.*

C. CÆSARIS RES IN LVSITANIA GESTÆ.

C. CÆSAR ex præturâ urbanâ, ante biennium, in Lusitaniam, sive ulteriorem Hispaniam, (quùm retinenteis creditores interventu sponsorum removisset) ac neque more, neque iure, antè quàm provinciæ ordinarentur, (& fort. metu iudicij quod privato parabatur; aut ut maturiùs socijs implorãtibus subveniret) profectus; ut belli gerendi occasionem haberet, incolis ex monte Herminio in campos descendere iussis; (quod diceret eos eâ arce usos, regionem latrocinando vexare) mandata facere recusanteis, acie fregit.

Inde subactis finitimis, qui eiusdem exitûs metu se ad bellum comparaverant; iterùm in montis incolas, quos sibi in reditu tetendisse insidias senserat, conversus; eosque ad Oceanum usque persecutus; in Insulâ, in quam traiecerant, propè ad internecionem redegit. Postremò Brigantium, Calæciæ opidum, evertit.

Quibus rebus gestis, Romam, pari festinatione, non exspectato successore, decessit. Quùmque triumphare posset; maluit Consulatum, deposito triumpho, petere. Neque enim, nisi præsens, in urbe petere lege poterat. nec si urbem privatus iniisset, ei postea triumphare permissum erat: & ambienti, ut legibus solveretur, multi contradicebant.



TERTIA PARS TOMI II.

HISTORIÆ VNIVERSÆ, SACRÆ ET PROFANÆ.

AVCTORE ANDREA HOIO BRVGENSE.

INCLINATIO IMPERII ROMANI. PRIMVS TRIVMVIRATVS, Pompeij, Craßi, & Cæsaris.



IAM pænè toto orbe pacato, maius erat Imperium Romanum, quàm ut ullis externis viribus labefactari posset. quùm invidens fortuna principi gentium populo, ipsum illum in exitium sui armavit. Et quùm Romanæ potentiæ maiestas toto orbe polleret; & recentium victoriarum celebritate ac memoriâ secura civitas exsultaret; nimia Pompeij potentia apud otiosos, ut solet, civeis movit invidiam.

L. LVCVLLVS, & Q. METELLVS CRETICVS, ob imminutam, sui quisq; triumphi, gloriam; & CATO adversùs potenteis semper obliquus; & cum ijs pars optimatium, *detrectare* Pompeium: & refragari; aut acta in transmarinis provincijs; aut promissa civitatibus, regibusque, socijs, & bene meritis, præmia ne rata essent; neque ad arbitrium eius persolverentur.

Hic dolor transversum egit hominem, & ad præsidia dignitati paranda impulit. Forte tunc M. CRASSVS, genere, divitijs & honorum prærogativâ florebat; vellet tamen auctiores opes. Et quem principatum solus adsequi non poterat; auctoritate Pompeij; viribus teneret Cæsaris.

C. CÆSAR, eloquentiâ & spiritu, & proximi consulatûs spe allevabatur: & prospiciebat, cedendo in præsens gloriæ Pompeij, aucturi in suam; & communis potentiæ invidiâ in illum relegatâ, confirmaturum vireis suas. POMPEIVS tamen, partâ iam gratiâ, super utrumque eminebat.

Sic igitur CÆSARE dignitatem cōparare; CRASSO augere; POMPEIO retinere, cupientibus; omnibusq; pariter potentiæ & imperij cupidis; de invadendâ Rep. facilè convénit. Et initæ inter eos, treis civitatis facilè principes, coitio, sive potentiæ socieras, quæ Vrbi, orbique terrarum; nec minus, diverso quoque tempore; ipsis auctoribus exitiabilis fuit. Ea tali iureiurando firmata;

TRIVMVIRVM IVSIVRANDVM; ET PROVINCIARVM INTER se partitio.

Fore, ut nemo alteri in rep. adversaretur; atque alius alium gratiâ, auctoritate, atque omni ope, in ijs, quæ petiissent, iuvaret.

Cæsar non modò Pompeium omnibus officijs est adsectatus; sed M. CRASSVM eidem reconciliavit; veterem inimicum ex Consulatu, quem summâ discordiâ simul gesserant. Adfinitas etiam inter Cæsarem Pompeiumque contracta, nuptijs. Iulia, Cæsaris filia, Pompeio; Calpurnij Pisonis, futuri Consulis, filia. ipsi Cæsari enupsit.

Quùm mutuis itaque viribus in suum quisque decus niteretur, Galliam Cæsar invasit; CRASSVS Asiam; POMPEIVS Hispaniam; treis maximos exercitus. *Et sic orbis imperium, societate III. Principum, occupabatur.*

CLODIVS TRIBVNATVM ADFECTAT.

P. CLODIVS, ut Tribunos pl. ad Legem, *de Tribunatu patricijs mandando*, ferendam, adducere se non posse vidit; patriciatu se abdicavit, & iura plebis inijt. Quùm verò Tribunatum peteret; adversante METELLO Cos. repulsam tulit. quòd diceret; *Legitimam eius adoptionem non fuisse, quæ Lege tantùm curiatâ rectè fieri posset.*

3897.
Ptol. Aulet. 26.
Hyrcan. 5.
Ab V. C. 695.

Consules C. IVLIVS CÆSAR, & M. CALPVRNIVS BIBVLVS.

53.

E duobus Consulatûs, eo tempore, competitoribus, L. LVCEIO, & M. BIBVLO, LVCEIVM sibi Cæsar adiunxit; pactus, ut is, quoniam inferior gratiâ esset, pecuniâque polleret, nummos de suo, communi nomine, per centurias pronuntiaret. Eâque re cognitâ, optimates vicissim auctores BIBVLO fuerunt tantumdem pollicendi. atque ita ille cum BIBVLO Cos. creatus est.

LEX AGRARIA A CÆSARE LATA. Et aliæ eivsdem popvlares actiones.

Et mòx legem Agrariam promulgavit; ut *ager Campanus plebei divideretur*. suasore legis POMPEIO, aut unà cum CRASSO consentiente. Ita circiter XX. civium M. eò deducta.

Alij, huius Legis duo statuunt capita. Vnum, quo cautum; *ut ager publicus, ad subsidia reip. vectigalis relictus, divideretur.* Alterum; *ut ager à privatis in Campaniâ possessus, redemtus publicâ pecuniâ, distribueretur plebei*. qui treis pluresve liberos haberent.

Ius Vrbi Capuæ restitutum, pòst annos circiter CLII. quàm bello Punico ab Romanis in formam præfecturæ redacta erat.

Qùum BIBVLVS Cos. Legi obnuntiaret; à Collegâ Cæsare armis forò pulsus, & à plebe malè tractatus, & indè domi abditus; nihilque aliud quàm per edicta obnuntians; dum putat se augere Cæsari invidiam, auxit eius potentiam.

M. etiam CATONEM, qui legi repugnabat, & diem dicendo eximebat; in carcerem duci iussit. Sed sequente PETREIO, qui diceret; *Malle se cum Catone in carcere esse; quàm cum Cæsare in Senatu*; pudefactus dimisit.

Publicanos, remissionem petenteis, tertiâ mercedum parte relevavit: & acta Pompeij in Asiâ confirmavit.

Ipse, lege Vatiniâ, Illyricum & Galliam Cisalpinam, cum III. legionibus, in quinquennium à plebe impetrat. Cui mòx Senatus Galliam ulteriorem cum unâ legione adiecit.

CLODIVS TRIB. PLEB.

CICERO, oratione pro C. ANTONIO (qui provinciâ Macedoniâ malè administratâ, damnatus; & in Cephalleniam insulam, in exsilium, eiectus fuerat) cum temporum statum deplorârat, & Cæsarem acerbè perstrinxerat. CÆSAR, iniuriam dissimulans, CICERONEM invitat, ut suus legatus esse velit in Gallijs. Quo repudiato, quùm videret CICERONEM adeò sibi esse inimicum, ut ne honorem quidem ab eo accipere vellet; CLODIVM, eius inimicum, (qui iampridem & frustrà à Patribus ad plebem transire nitebatur; quùm eodem die, horâque nonâ, legem de adoptione eius tulisset;) à P. FONTEIO adoptatum, qui tamen ætate minor erat; ad plebem traducit. & perficit tandem; ut ille Trib. pl. crearetur, quò CICERONI noceret. Licet Lege sacratâ cautû esset; *Ne cui patricio plebeium magistratum capere liceret.*

PTOL. AVLETES, SOCIVS POP. Rom. appellatvs. Sordida Cæsaris nundinatio.

PTOL. AVLETES, rex Ægypti, ut socius & amicus pop. Romani appellaretur; CÆSARI dedit VI. talentûm M. (ferè, Quinquagies quater, aureorum centena Millia. Sic DION.) SVETONIVS verò, eam summam CÆSAREM à rege, suo Pompeijque nomine, abstulisse tradit.

Cupiditas autem eius societatis in PTOLEMÆO, non solum ex eo nata, quod reges Ægypti superiores, eumdem honorem adepti, præsidium adversis temporibus in fide ac tutelâ Romanor. sæpè maximum invenerant; verumetiam quod ipse, nisi amicus appellaretur; stabilem sibi atque tutam regni possessionem non putabat. Tum quòd ALEXANDRI regis, qui proximus regnaverat, testamento, Ægyptus Romanis relicta dicebatur: tum quòd ipse non modò ALEXANDRI regis mortui filius; verum nec è regio genere esse putabatur.

Sed cupiditas illa, necessitatem quamdam PTOLEMÆO attulit, Ægyptios offendendi. Quùm enim ab eis intolerabilia tributa exigeret; incurrit in eorum odia: ex quo, multitudine concitatâ, vitæ suæ timens, è regno Romam profûgit; biennio pòst quàm in amicitiam societatemque pop. Rom. receptus erat.

3898.
Ptol. Aulet. 27.
Hyrcan. 6.
Ab V. C. 696.

Consules L. CALPVRNIVS PISO CÆSONIVS, & A. GABINIVS.

52.

SYRIÆ PRÆSIDES.

Illi, ex lege Clodiâ, Macedoniâ; huic Syria data est. Cæterùm Syria, recenti Pompeij victoriâ, imperio pop. Romani accesserat: cui ipse decedens M. ÆMYLIVM SCAVRVM præfecerat, quem in bello pro-Quæstore habuerat. Is METELLO & AFRANIO Coss. præfuit: CÆSARI

autem

autem & BIBVLO, L. MARCIVS PHILIPPVS. His autem, quos pro tempore dixi, Consulibus; Cn. LENTVLVS MARCELLINVS; ambo ex prætura: Et Cōsulibus consecutis, GABINIVS, ex consulatu, in eam est profectus.

CLODII LEGES POPVLARES.

P. CLODIVS, Trib. pl. leges aliquot, plebis sibi conciliandæ, tulit.

1. Vt frumentum populo (quod antea semis æris & trientibus in singulos modios dabatur) gratis daretur.

2. Ne quis per eos dies, quibus cum populo agi liceret, de cœlo servaret.

3. Quæ, non solum collegia, quæ Senatus sustulerat, restituta sunt; sed aliâ quædam, ex omni fece urbis atque servitio constituta.

4. Ne quem Censores in legendo præterirent; neve quâ ignominiâ adficerent; nisi qui apud eos accusatus, & utriusque Censoris sententiâ damnatus esset.

5. Item ut Cyprus insula, in provinciæ formam redigeretur; ac bona regis PTOLEMÆI publicarentur, idque negotium M. Catoni, viro integerrimo, mandaretur.

His legibus latis rogationes alias promulgavit.

1. *De provincijs Consulum nominatim*, (quâ Consules sibi devinxit;) Vt GABINIO Syria; Babylon & Persæ, PISONI; Achaia, Thessalia, Græcia, Macedonia, omnisque Bœotia, committeretur.

2. *In eos, qui sine iudicio pop. Rom. civem Rom. necâssent.* (Quâ lege unum Ciceronem, sibi inimicum iampridem, petebat.)

Persuaserat ille CICERONI; *ne suis legibus adversari vellet: nihil se contrà ipsum moliturum*. Quâ re deceptus CICERO, iniurijs obnoxium se præbuit.

Lege illa perlatâ CICERO vestem, & cum eo boni omnes mutârunt. Consules à CLODIO Trib. in concionem producti, factum CICERONIS (qui Cōsul ex S. C. in coniurationis socios capitali sententiâ animadverterat;) improbârunt.

CICERONIS EXSILIVM, ET CONDEMNATIO.

Quæ quùm CICERO prospiceret; seque à M. CRASSO, POMPEIO & CÆSARE (qui diversa inter se suadebant) desertum sentiret; quamquàm à multis defendebatur; ne suâ tamen caussâ cædes ulla civium fieret, circiter Kalend. April. urbe cessit.

Eademque die, quâ rogatio de provincijs Consulum lata; domus CICERONIS in Palatio à Clodio incensa; Area, Libertati consecrata. Bona publicata; prædia direpta sunt. Lex de eiusdem exsilio lata; *Vt ei aquâ & igni interdiceretur: Ne quisquam tectum, intra D. Mill. pass. ab Italiâ, præberet: Ne quis de eo ad Senatum referret* &c.

CICERO quùm in Siciliam non reciperetur; Brundisium abijt: & postea in Macedoniam ad PLANCVM venit.

CLODII IN POMPEIVM INSIDIÆ.

Quùm POMPEIVS, die II. Sextilis, in Senatu, esset; servo CLODII de manibus sica exciderat: & servus quæstione habitâ dixerat; *Sibi à CLODIO imperatum, ut POMPEIVM occideret*. Ideoque POMPEIVS domi se continuit.

Prætereà, quùm CLODIVS à L. FVLVIO prætore petijsset, ut TIGRANIS filium, quem POMPEIVS apud eum deposuerat, adduci iuberet; atque adductum vinculisque exemtum dimisisset; POMPEIVM valdè à se alienatum, ut de CICERONE revocando cogitaret, impulit.

Itaque quùm hoc anno ab IIX. Tribb. pl. de reditu eius promulgatum esset, & aliàs in Senatu actum; unius tamen ÆLII LIGVRIS intercessione nihil perfici potuit.

PTOL. ÆGYPTIVS CYPRO CEDERE IVBETVR.

Ptolemæus frater, aut Patruelis, Ptolemæi Auletæ, (quem Strabo, Cleopatræ, postremæ Ægypti reginæ, patruū faciat) Cypri rex, fœdere Romanis erat iunctus.

Sed CLODIVS (Strab. PVBLIVS CLAVDIVS Pulcer) Trib. partim ut factam, scilicet, sibi iniuriam ulcisceretur; quòd à Piratis antea captus, à Ptolemæo, vicino & avaro rege, redemtus non fuisset; partim, ut CATONEM, sibi & Triumviris gravem ac molestum, & CICERONI amicum, procul à rep. amoveret; & honorifico ministerij titulo relegaret; Legem tulerat, *de Cypro in provinciam redigendâ, & bonis regis publicandis. Vtq; CATO Quæstor, cum iure prætorio, adiecto etiam altero Quæstore, ad ea perficienda, in insulam mitteretur.*

CATO IN CYPRVM MITTITVR, indè regiam gazam ablaturus.

CATO, CANIDIVM, familiarem suum, Cyprum præmiserat, qui Ptolemæo, ut sponte legi Clodiæ cedat, persuaderet. Populum Rom. ipsi daturum Veneris Paphiæ sacerdotium; ut opulentum, ità præcipuæ apud Cyprios dignitatis. Ille verò ad rei famam, veneno fata præcepit. Rhodi mortuus; (Vell. *omnibus morum vitijs eam côtumeliam meritus.*)

Inde pecuniâ, longè speratâ maiorem, CATO Liburnis, per Tiberinū ostium, Romā invexit: quę VII. Mill.

Mill. talentûm excessisse scribitur; & latiùs ærarium pop. Rom. quàm ullus triumphus, implevisse. *Atq; ita Romani ius eius insula avariùs magis, quam iustius sunt adsecuti.*

BELLVM GALLICVM CÆSARIS.

Asiâ Pompeij auspicijs subactâ, reliqua quæ restabant in Europa, fortuna in C. CÆSAREM transtulit. Restabant autem immanissimi gentiû, Galli atque Germani, & toto orbe divisa Britannia. Bellum itaque Gallicum, quod Cæsar in Galliâ Transalpinâ per IX. annos gessit, hoc anno susceptum est: non Gallorum magis culpâ, quàm Cæsaris: qui gloriæ cupidus, omnem belli occasionem arripuit.

BELLVM CVM HELVETIIS.

Primus Galliæ motus ab Helvetijs cæpit. qui Rhodanum inter & Rhenum siti, non sufficientibus terris, venére sedes petitum, incensis mœnibus suis. *hoc sacramentum fuit, ne redirent.* Illi per provinciam pop. Romani (quæ Narbonensis Gallia est) iter facere statuerant.

Eo cognito, Cæsar magnis itineribus in ulteriorem Galliam contendit. legatis eorum transitum per provinciam pop. Rom. negat: secùs, vim minatur.

Illi eâ spe deiecti, quùm ab Sequanis impetrássent, ut per agrum eorum, & Æduorum, iter in Santonum fines facerent; qui non longè à Tolosatium finibus aberant; & Cæsar id non sine provinciæ periculo futurum intelligeret. Æduorum præterea, Ambarrotum & Allobrogum, precibus, qui se ab Helvetijs vexari querebantur, adductus; castris motus, eos ad Ararim flum. adsecutus, Pagum Tigurinum omnem concidit. Equitatus tamen eius, exploratum missus, & cupidius novissimum agmen insecutus; cæsis aliquot fusus est.

Postremò Cæsar ab Helvetijs prœlio lacessitus, summo difficilique certamine eos vicit: & supplices in deditionem acceptos, domos suas, quas incenderant, repetere iussit, qui ex CCCLXIIX. hominum Millib. vix CXXX. Mill. superessent.

BELLVM CVM ARIOVISTO.

His rebus gestis, Cæsar, Æduorum & Sequanorum precibus permotus, qui se ab ARIOVISTO, Germanorum rege, populi Rom. amico, crudelissimè opprimi quererentur; iustam quasi belli caussam nactus, in illum exercitum duxit. Vbi per colloquium nihil cum eo, qui in Galliam iam descenderat, transigi potuit; prœlio maximo fusum usque ad Rhenum insecutus est. Tantus tamen novæ gentis terror Romanis incesserat, ob immania Germanorum corpora; & antecaptam virtutis bellicæ opinionem; ut passim per castra testamenta in principijs scriberentur. Qui calor, in prœliando, militi Romano fuerit; nullo magis exprimi potest, quàm quòd elatis suprà caput scutis, quum se veluti testudine, Barbarus tegeret; super ipsa Romani scuta salierunt: & indè in iugulos eorum gladijs pugionibusve descendebant.

Ita unâ æstate duobus bellis confectis, Cæsar in hiberna, in Sequanos, exercitum deduxit: & præposito ijs LABIENO, ipse in citeriorem Galliam, ad conventus agendos, profectus est,

3899.
Ptol. Aulet. 28.
Hyrcan. 7.
Ab V. C. 697.

Consules P. CORNELIVS LENTVLVS SPINTHER, & Q. CÆCILIVS METELLVS NEPOS. Ille ex Consulatu in Ciliciam; hic in Hispaniam citeriorem, profecti sunt.

51.

CICERO AB EXSILIO GLORIOSÈ revocatus.

M. CICERO, Cn. POMPEIO inter alios adnitente; & T. ANNIO MILONE, Trib. pl. agente; P. LENTVLO Cos. referente; & collega eius Q. METELLO patiente; lege centuriatâ, maximo Senatûs gaudio, votisque universæ Italiæ, revocatus, & dignitati patriæque restitutus est. Area domûs eius, Pontificum sententijs, religione liberata; quòd Clodij adoptionem contrà leges fuisse; atque omnia eius Tribunatûs acta irrita esse censerent. Domus ac villæ publicâ pecuniâ restitutæ. Gratiæ actæ civitatibus, quæ Ciceronem exsulantem excepissent.

Quumq; in eius reditu summa annonæ caritas esset; S. C. in illius sententiâ factum est; ut Cn. POMPEIVS rei frumentariæ per quinquennium præficeretur, cum eodem imperio, quod is ad Piraticum bellum habuisset. Quumque POMPEIVS Legatos XV. legeret; CICERONEM principem nominavit.

MILO CLODIO ADVERSATVR.

Eodem anno, T. MILO, P. CLODIVM, Ædilitatis candidatum, de vi postulavit: ac sæpe manu ac ferro cum eo in urbe dimicavit. Namque & eo die, quo caussa CICERONIS ad populum relata est; Clodiani, cæde in foro factâ, sanguinis flumine reditum CICERONIS intercludere moliti sunt: ubi & Q. frater CICERONIS, inter cadavera, tamquam occisus, iacuit. Et quùm Quæstores nondum creati essent, nec iudicia constituta, neque Clodius accusari posset; MILO suo sumtu gladiatores emit, & Clodio restitit.

PTOL. AVLETES IN REGNVM RESTITVTVS.

PTOL. AVLETES, Ægypti rex, immensâ vi pecuniæ, per vim ab Ægyptijs extortâ, & consumtâ, ut *Socius pop. Rom.* appellaretur; quòd neque Cyprum à Romanis ereptam repetere, neque amicitiam eis renuntiare vellet; à suis regno pulsus, Romam venerat.

Ægyptij, BERENICE, sorore eius, ad regnû evectâ (STRABONI, est Cleopatra, filia eius natu maxima

legato

legatos & ipsi Romam misérunt, qui regis adversùs se crimina in Senatu purgarent. quorum alios ferro rex sustulit: alios, pecuniâ, ne quid adversùm se agerent, corrupit. atque hoc eodem anno extremo, Româ decessit.

Quum namque Romani de eo restituendo cogitarent; & carmen SIBYLLINVM inventum esset, quo prohiberentur; *Exercitum in Ægyptum deportare*; diutiùs Ptolemæus Romæ hesit; & tantumnon desperato reditu, Ephesum abijt.

Strabo; à Pompeio Ptolemæum exceptum, & Senatui commendatum tradit. ab eoque, de eius reditu; & de pernicie legatorum, qui suprà c. contra regem venerant, agitatum.

Alij, amicitiam, inter Pompeium & regem, bello Mithridatico contractam, prætendunt: quodq; rex idem Pompeio, circà Iudæam rem gerenti, VIII. equit. Millia suo sumtu miserit, & tolerárit: Mille convivas totidem aureis potorijs, vasa cum ferculis mutans, saginárit.

ANTIPATER SCAVRO OPITVLAtur: Eique Aretam conciliat.

M. SCAVRVS, quem Pompeius Syriæ præfecerat, ad Petram, Arabiæ urbem, cum exercitu profectus, & regionis asperitate propiùs accedere prohibitus; agros circum-circà vicinos depopulatus est.

Et quùm militem inopia & fames adflictaret; ANTIPATER, iussu HYRCANI Pötificis, frumentum, aliaque necessaria, ex Iudæâ adfatim præbebat. Idem ad ARETAM regem, cuius familiaris & hospes esset, à Scauro missus, persuasit; *ut pactione bellum deponeret; & CCC. talenta Romano adnumeraret.*

ALEXANDRI MOLITIONES. VICTVS, obsessus, se dedit.

Aliquanto autem pòst, quùm ALEXANDER, ARISTOBVLI F. qui vinctus à Pompeio, & unà cum Patre, & alijs liberis, Romam missus, ex itinere fugerat; collectâ Volonum manu, & Iudæam incursationibus vexaret; atque HYRCANO, nondum instauratis Hierosolymæ muris, quos Pompeius deiecerat, gravis immineret; GABINIVS in Syriam, SCAVRO successor, missus, copias in eum convertit.

Ille Romani militis impetum veritus, ampliorem armatorum manum, ad X. pedit. Mill. & M. D. equites, collegit. Et treis arceis, sibi maximè opportunas, Alexandrium, Hyrcanium & Machæmunta, haud longè ab Arabiæ montibus, muris communivit.

Romani, duce M. ANTONIO, quem Gabinius præmiserat, coniuncti cum lectissimo ANTIPATRI comitatu; & fidis Iudæis, quorum MALICHVS & PITHOLAVS principes erant; sequente mòx cum reliquâ exercitûs parte, Gabinio; obviàm Alexandro procedunt. qui numero hostium territus abscessit quidem: sed iamtum Hierosolymis adpropinquans, & coactus, prælio decertavit; atque ad VI. è suis Mill. partim, prostratis, partim captis, cum reliquis effugit.

GABINIVS, ubi ad castellum Alexandrium pervenit; quùm ne propositâ quidem delictorum veniâ conclusos ad pacem aut deditionem adlicere posset; partim eorum, qui extrà castellum stationem habebant, cecidit; partim ad socios sese, fugâ recipere coëgit. Et relicto, ad castelli obsidionem, cum parte exercitus, Antonio; ipse reliquam Iudæam obiens, opida priori bello diruta teædificari, & deserta incolis frequentari iubebat. In ijs Scythopolis, Samaria, Anthedon, Apollonia, Iamnia; Raphia, Marisa, Dora, Gadara, Azotus, aliæque multæ; civibus auctæ, tectisque frequentiores evasére.

His actis, ad Alexandrium reversus, quùm vehementiùs obsidium urgueret; Alexander & veniam petijt; & missis legatis, primùm, quæ sibi parérent castella, Machærunta & Hyrcanium; deinde Alexandrium, victoris potestati permisit. Quæ quidem Gabinius omnia, consilio matris Alexandri, ne novi in posterum belli receptacula forent; funditùs evertit.

Mulier autem illa ergà Romános benivola, suis Gabinium obsequijs demulcebat; quòd marito, cæterisque captivis, qui Romæ in custodiâ erant, metuetet; & ipsa vicissim ab eo, quodcumque peteret, auferebat.

GABINIVS RES IVDÆÆ COMPONIT: & fora constituit.

Ille, rebus eius ex voto constitutis; Hyrcanum filium Hierosolyma deduxit; & Templi curâ, sacerdotijque munere, defungi iussit. Cæteris verò reip. partibus optimates præfecit. Et quinque iuris dicundi Conventibus constitutis, totam provinciam in totidem parteis æqualiter distribuit; ut alij ab Hierosolymis, alij à Gadaris, (al. Doris) alij ab Amathunte; quarti ab Hierichunte; postremi à Sephoris, Galilææ opido, iura peterent. Neq; Iudæi, singulari & regio dominatu liberati, illubenter sub Optimatium imperio degebant.

BELLVM CVM BELGIS.

CÆSAR, contrà Belgas, quos, per hiemem, metu Romanæ potentiæ, iamtum sibi, subactâ aut pacatâ Galliâ, impendentis; inter se coniurásse, & copias in unum locum conduxisse, acceperat: dum illi bellum Rhemis, Roman. socijs facessunt; exercitum ducit.

Ac primùm quidem, transito Axonâ fluv. Belgas, qui iam fugam, & domos quisque suas, circumspectabant; ingenti strage cecidit.

Deinde Suessionibus, Bellovacis & Ambianis, qui se dedebant, in fidem receptis; in Nervios, qui Atrebateis & Veromanduos, finitimos suos, sibi adiunxerant, profectus; eorum gentem propè ad internecionem delevit. ut ex CD. ad III. Senatores; & ex hominum M. LX. vix ad D. qui armâ ferre possent, redacti essent. In hoc prœlio cũ multa Romanor. militum insignia, tum illud egregium facinus ipsius ducis; qui nutante in fugam exercitu, rapto signiferi fugientis è manu scuto, in primam volitans aciem, manu prœlium restituit.

Advatici, qui serius auxilio veniebant, ex itinere domum reversi; & in opido munitissimo, quò sua omnia contulerant, acriter oppugnati; se suaque omnia potestati Cæsaris, tādem, armis traditis, permiserūt. At quùm denuò eruptione ex opido factâ rebellâssent; occisis ad hominum Millibus IV. & intromisso portis refractis milite; sectionem eius opidi universam Cæsar vēdidit. Et ab ijs, qui emerūt, capitum numerus ad eum relatus est, Millium LIII.

BELLVM CVM VENETIS, ET FINITIMIS IN GALLIA CELTICA.

Eodem tempore, à P. CRASSO, qui cum legione unâ missus fuerat ad Venetos, Vnellos, Osismios, Curiosolitas, Sesuvios, Aulercos, Rhedones, (quæ sunt maritimæ civitates, Oceanumque attingunt) certior factus est omneis eas civitates in deditionem potestatemque pop. Rom. esse redactas.

His rebus gestis, & omni Galliâ, ut videbatur, pacatâ; & legatis nationum, quæ trans Rhenum incolebant, proximâ æstate ad se reverti iussis; in Carnutes, Andes, Turones; (quæ civitates propinquæ sunt ijs locis, ubi bellum gesserat) legionibus in hiberna deductis, in Italiam proficiscitur.

3900. Ptol. Aulet. 29. Hyrc. 8. (al. 22.) Ab V. C. 698. Olymp. 181.	*Consules Cn.* CORNELIVS LENTVLVS MARCELLINVS, *&* L. MARCIVS PHILIPPVS.	50.

Ille, P. LENTVLI F. eius, qui fuit M. MARCELLI filius: & appellatus est MARCELLINVS, non CLODIANVS; vel, ut intelligeretur ex quâ CLAVDIORVM familiâ ortus esset; vel ut ipse ab altero LENTVLO CLODIANO, qui tum vivebat, internosceretur.

Hic verò, L. PHILIPPI F. eius, qui Cos. & Censor fuit ann. 662. & 667. Idem M. CATONIS socer.

Eo anno, CLODIVS, Ædilis Curulis, diem MILONI de vi dixit; quem POMPEIVS defendit. Et CICERO, quùm in Capitolium, Comite MILONE, adscendisset; tabulas, quibus acta CLODII Trib. pl. continebantur, sustulit. Orationem tum habuit de provincijs consularibus, ne Gallia Cæsari eriperetur. TVLLIAM filiam, viduam Pisonis Frugi, Furio Crassipedi despondit.

PTOLEM. IN REGNVM REDVCTVS MORITVR.

A. autem Gabinius, Syriæ præfectus, exercitum contrà Parthos educturus, (ut Mithridatem, Phraate Patre mortuo, ab OROOE fratre pulsum, restitueret.) PTOL. AVLETEN, nullâ neque Sibyllinorum carminum, neque Senatus habitâ ratione; unius iussu Pompeij in regnum reduxit; Alexandrinis prœlio victis, & ARCHELAO, quem sibi Ægyptij præfecerant, pulso. Eâ in expeditione GABINIVS ab ANTIPATRO, frumento, armis, & pecunijs, egregiè adiutus est. Eiusq; consilio Iudæi, qui ad Pelusium, quasi regni claustra custodiebant; in societatem sunt pertracti.

STRAB. tradit; PTOLEMÆVM, postquàm à GABINIO reductus esset, ARCHELAVM & filiam, interemisse. Alij, à GABINIO ARCHELAVM; quem BERENICE regina, interfecto Seleuco, maritum & regem adsciverat; captum, & studiosè dimissum: & mòx victis pedestri navalique prœlio Ægyptijs, occisum.

Ipse AVLETES haud multo-post, morbo absumtus est: relictis duobus filijs, & totidem filiabus. Alexandrini ex ijs filium, & filiam (CLEOPATRAM) natu grandiores, regno præfecērunt. Sed pueri regis, familiares, motâ seditione, CLEOPATRAM eiecērunt; quæ postea cum alterâ sorore in Syriam secessit.

NOVVM CVM VENETIS, ET AQVITANIS BELLVM.

Quùm CÆSAR in Illyrico esset; Veneti, ad Oceanum Gallicum populi, præfectos P. CRASSI, qui in Andibus hiemabant; pro traditis Cæsari obsidibus, retinebant. Eos ipse in Galliam reversus, navali prœlio victos, in deditionem accepit.

Aliâ in parte TITVRIVS SABINVS, eius legatus, Vnellos; CRASSVS Sontiateis in Aquitania, (al. Apiates, ad Pyrenæos monteis) atque indè omneis ferè Aquitaniæ populos, partim vi, partim metu, ut se dederent; coegērunt.

NOVVM INTER TRIVMVIROS, aliosque colloquium.

CÆSAR, exercitu in hiberna distributo, Lucam in Italiam discedit. Eò, colloquendi causâ, POMPEIVS, & M. CRASSVS; Ap. CLAVDIVS Sardiniæ prætor; METELLVS NEPOS Hispaniæ procos. aliique Senatores convenēre. Priores illi in eo assensi sunt; ut ipsi alterum consulatum; & provincias sibi in quinquennium: & Cæsari Gallias in triennium peterent.

POMPEIVS, Romam reversus, quùm consulatum ex lege petere non posset; curavit, ut Interregnum iniretur.

3901. Ptol. Dion. 1. Hyrcan. 8. al. 23. Ab V. C. 699.	*Consules Cn.* POMPEIVS MAGN. II. *&* M. LICINIVS CRASSVS II. *ex interregno facti. Comitijs per* C. CATONIS *Trib. pl. intercessionem sublatis: Pretores, Ædileis, & Tribunos, quos vellent, fecerunt.*	49.

SEDITIO

SEDITIO CRVENTA ROMÆ.

Senatus vestem mutavit. L. DOMITIVS AENOBARBVS, quem CATO ac boni omnes deducebant, foro per vim pulsus. CATO in petitione præturæ, prælato VATINIO, repulsam tulit. Idem, quùm legem à Trib. pl. latam impedire vellet, quâ provinciæ Consulibus in quinquennium, POMPEIO Hispaniæ; CRASSO Syria cum Parthico bello; Cæsari Gallia & Germania in alterum quinquennium dabantur; à C. TREBONIO Trib. pl. auctore legis, in vincula duci iussus est. Eo in tumultu casi aliquot boni, aut vulnerati.

POMPEIVS ipse, dum tumultum sedat, sanguine respersus est. Ad cuius, ita cruenti, conspectum, IVLIA coniux, Iul. CÆSARIS filia, exterrita, abortum fecit. (L. Pisoni ex Macedoniâ revertéti, Q. Ancharius ex præturâ succeßit.)

METELLVS RES ANCIPITI MARTE IN HISPANIIS GERIT. EIQVE Pompeius suffectus.

Q. METELLVS NEPOS, qui ex Consulatu in Hispaniam citeriorem missus erat; vario ibi eventu pugnavit. Quidam namque populi, sollicitatis Vacæis, defecerant: & ij quidem primò à Nepote impetiti, & prœlio victi; posteà eumdem, dum Cluniam obsidet, in fugam coniecêrunt.

Alterâ autem parte fusi sunt illi quidem; nō adeò tamen, ut in eius potestatem venirent. Et NEPOS ipse non ill.benter à belli negotijs quiescere visus.

Quæ caussa effecit; ut POMPEIO Hispaniæ decerneretur. qui tamen Iul æ uxoris. adhuc viventis, amore delinitus in provinciam non est profectus; sed eam per legatos, PETREIVM & AFRANIVM, administravit.

DEMETRIJ, LIBERTI POMPEII, OPVLENTIA.

Eius libertus DEMETRIVS, Gadarensis, tàm ingentem pecuniam corraserat, ut Theatrum Romæ ædificare moliretur. quod ne Pompeio infamiæ verteret, ipsemet dedicavit. Ibi diebus quinque D. leones confecti sunt. & elephanti, qui ultimo die pugnârunt, pleriſque interfectis, reliqui populi misericordiam implorare visi, & invito Pompeio servati sunt.

ARISTOBVLVS E CVSTODIA PROFVGVS RES IN IVDÆA TVRBAT. Et captus Romam remittitur.

ARISTOBVLVS è Romanâ custodiâ profugus, & in Iudæam reversus, res iterùm turbavit. Alexandrium recens dirutum excitare & munire conatus. Magna ad eum multitudo, rerum novarum avida; & in cæteris, PYTHOLAVS, Hierosolymæ præfectus, cum M. armatis transfugit. Ipse cum decies, octies Mille, ad occupandam Machæruntem contendebat; quùm Romani, ducibus SISENNA, ANTONIO & SERVILIO, in eos invecti, ad V. Mill. ex ijs occidérunt; cæteros in fugam egérunt.

ARISTOBVLVS, qui in castrum Machæruntis perfugerat, idque muniebat; dum oppugnanteis Romanos per biduum sustinuisset; acceptis multis vulneribus, captus, una cum ANTIGONO filio, qui ei fugæ comes fuerat; ad Gabinium perductus; & Romam remissus, atque in vinculis habitus est.

Liberi tamen eius, à Senatu dimissi, in patriam revertérunt: postquam ex Gabinij litteris cognitum est; *immunitatem matri eorum*, quæ munita castella Romanorum fidei invito filio Alexandro, credidisset; *esse promissam.*

TVRBÆ AB ALEXANDRO F. QVI victus diu latuit.

Absente peregrè GABINIO, ALEXANDER ille ARISTOBVLI F. denuò per vim principatum invadit. & coacto ad XXX. Mill. exercitu, Romanos, qui in præsidijs erant, obtruncat: alios in mōtem Garizimum compulsos, obsedit.

GABINIVS ex Ægypto rediens, & turbatam Syriam offendens; ANTIPATRVM, spectatâ sibi prudentiâ virum, præmittit, qui tumultuanteis ad saniorem mentem reducat. Quod quùm ille sedulò fecisset; & multos ad meliora consilia induxisset: Alexander fretus exercitu XXX. Mill. Iudæorum, occurrere Gabinio, & collatis signis cum eo ad montem Ithaburium decernere ausus, X. Mill. ex acie Iudaicâ desideravit. Ipse ægrè elapsus multis annis delituit.

Victor, rebus Hierosolymæ, ex ANTIPATRI sententiâ, constitutis, ad Nabathæos conversus, eos uno prœlio profligavit. Mithridatem & Orsanem, Parthos nobileis, qui ad ipsum perfugerant; non sine notâ perfidiæ, remisit. sparso renatæ per eos in patriam fugæ rumore.

BELLVM CVM GERMANIS TRANSRHENANIS.

Vsipetes Germani, & Teuchteri, hieme superiore à Suevis pulsi, Rheno transmisso, in Galliam transierant, & locum à Cæsare ad habitandum petierant. Quo non impetrato, dum reditum in Germaniam parant; quidam ex ijs in Cæsaris equites impetum faciunt. Et equites vicissim, intereà dum legati eâ de re ad Cæsarem mittuntur, in castra eorum improvisò invadunt; & ferè ihternecione delent. equites tantum elapsi ad Sicambros perfugére.

A quibus dum profugos CÆSAR repetit, nec impetrat; Germanos suâ sibi in regione petendos putavit, à quibus Gallia toties vexata esset. Ponte itaque facto Rhenum transit, & in Sicambrorum fineis contendit: eorumque vicis atque ædificijs incensis; ex Vbijs; quibus suppetias venerat, cognovit: Suevos, audito suo in Germaniam

maniam transitu, in silvas, coniuges liberosque, deposuisse. omneis, qui arma ferre possent, unum in locum, media ferè regione, convenisse; ibiq; Rom. exercitum exspectare. Cæsar itaque, rescisso ponte, post xx. dies, in Galliam se rettulit.

CÆSAR IN BRITANNIAM TRAIICIT.

Tum Cæsar in Britanniam, unde hostibus suis submininistrata auxilia caussabatur; proficisci contendit. Sive; *Quasi hic orbis Romanis non sufficeret; ultrà Oceanum, alterum cogitavit.*

Classe igitur comparatâ, & Morinis atque Menapijs ex parte subactis; mirâ celeritate in Insulam transijt. quippe quùm tertiâ vigiliâ, Morino solvisset à portu, (undè brevissima transmissio) minus quàm medio die, in eam transgressus.

Plena erant tumultu hostico littora; & trepidantium ad conspectum novæ rei carpenta volitabant. Itaque trepidatio pro victoriâ fuit: arma & obsides accepit à trepidis.

Et ulteriùs isset; nisi improbam classem naufragio castigasset Oceanus. Pace petentibus Britannis datâ; in Galliam Cæsar rediit, & recenteis ibi motus compescuit.

3902. Ptol. Dion. 2. Hyrcan. 9. Ab V. C. 700.	*Consules* L. DOMITIVS AENOBARBVS, *&* Ap. CLAVDIVS PVLCER. *Huic Cilicia obtigit; & in eam* P. LENTVLO *successit.*	48.

C. PONTINIVS, ex prætura, quam CICERONE Cos. gesserat; in ulteriorem Galliam missus, cum Allobrogibus, Catilinæ coniuratione permotis, bellum gesserat: iisque domitis, & opido Solonio ad Isaram capto, & rep. metu liberatâ, quievit. triumphum, multis repugnantibus, peregit.

Dum Gallos, per Cæsarem, in Septemtrione debellat; interim, ad Orientem, grave vulnus à Parthis populus Romanus accepit.

CRASSO, Parthicum molienti bellum, Syria, in consulatu, fuerat decreta.

GABINIVS AVARITIÆ, ET PECVLATVS DAMNATVS.

Et commodùm Syri, absente apud Alexandriam GABINIO, à latronibus vexati, legatis Romam missis, GABINIVM accusabant. qui avaritiâ infamis, Ita provinciam expilâsset; ut Quater Millies (hoc est, plus quam XVII. Milliones) indè exportâsse diceretur.

Ille, accusante CICERONE; & plebe, quòd Tiberis exundans plurimum damni dedisset; id, ob neglectam, in Ptol. rege reducendo, religionem; fieri augurante; in iudicium pertractus, Pompeij favore, & datâ pecuniâ absolutus est.

Sed idem haud multo pòst, plebe iterum urgente, de repetundis accusatus, licet à CICERONE, ex POMPEII voluntate, defenderetur; damnatus & in exsilium eiectus est.

INAVSPICATA CRASSI IN PARTHOS EXPEDITIO. EIVSDEM avaritia sacrilega.

CRASSVS itaque provinciæ cupidus, dum delectu habito, & sacris de more in Capitolio peractis; Paludatus, nimis properè in Syriam contenderet; Tribuni pl. qui per vim victi, eum lege, & obnuntiatione retinere nequierant; exsecrati hostilibus diris devovérunt.

Ille ubi in Iudæam pervénit, & Hierosolymam divertit; homo, qui in pecuniâ concupiscendâ nec modum nôrat, nec terminum capiebat; ad parandos Parthicæ militiæ sumtus, Templum, ibi opulentissimum, omni auro spoliare constituit.

Et quantumvis Eleazarus, sacri illic Thesauri custos, trabem ex auro solidam, ex qua pretiosissima Templi ornamenta & aulæa dependerent; quæque ccc. minas penderet; ipsi eâ lege obtulisset, & iureiurando obstrinxisset; parceret porrò reliquis Tépli Cimelijs & divitijs; Ipse contrà fidem datam, quidquid auri intùs erat, ad x. talentûm M. egessit, & abstulit.

Indè in Mesopotamiam movit, ORODI, Parthorum regi, bellum, sine ullâ aut Senatûs auctoritate, aut populi iussu, facturus; quùm quieta ibi omnia offendisset. & missi ad eum ab rege legati, denuntiassent; ut percussorum cum Pompeio Sullâque federum meminisset.

CRASSI IN PARTHIS PROGRESSVS.

Sed Parthieis ille inhians thesauris, nihil ne imaginario quidem iure, sed Seleuciæ se responsurum esse subiecit.

Ita Dij federum ultores, nec insidijs, nec virtuti hostium defuerunt.

Traiecto ille ad Zeugma Eufrate, & plerisque Mesopotamiæ locis vastatis aut occupatis; TALIMENVM, eius regionis Satrapen, imparatum adortus, ad Ichnias (castellum) equestri prœlio facilè vicit. Eodemque impetu usus, Nicephorium, & aliquot Græcæ originis urbeis inttà Tigrim, in potestatem redegit. Zenodotiam, quæ præsidium Romanum obtruncârat, exercitui suo diripiendam dedit. Eàque victoriâ contentus, & urbibus, quas ceperat, præsidio firmatis; in Syriam, in hiberna, concessit. Atque imprudenter Parthis, ita lacessitis, *spatium belli adparandi dedit.*

Alterâ verò parte, Cæsar ex Illyrico, quò ad cohibendas Pirustarum incursiones excurrerat; in citeriorem

citeriorem Galliam, atque indè ad exercitum, reversus; Treviros in fide vacillanteis, qui trans Rhenum Germanos solicitarent, in officio continuit.

Mòx, comparatâ classe, in Britanniam iterùm traiecit. Quumque ibi prosperè pugnasset, & aliquantam Insulæ partem in potestatem adduxisset; obsidibus acceptis, tributisque genti impositis, in Galliam, in hiberna, se recepit.

CÆSAR, TREVIROS, ET DEIN BRITANOS ITERVM, EX PARTE, DOMAT. Cicero à Nervijs obsessus, liberatur.

Distributis in hiberna, cum sua quoque legione, legatis, Gallorum aliquot populi, AMBIORIGE, Eburonum duce, contrà Romanos insurgunt. A quibus L. COTTA & Q. SABINVS legati circumventi, cum legionibus, quibus præerant, ad Vatucam cæsi sunt.

Quâ illi victoriâ elati, improvisò ad hiberna Q. CICERONIS, qui in Nervijs erat, advolârunt; & CICERONEM ipsum undiq; obsidione cinxerunt.

Castra acerrimè ab hostibus oppugnata, atque à Romanis defensa. Donec Cæsar, qui uondum Italiam attigerat, cum exercitu undique rapto adcurreret; & fusis fugatisque hostibus, suos liberaret. ob motus hosce in Gallijs hiemare coactus.

Romæ, per auspicia, & turbas in rep. comitijs Cōsularibus in annum sequentem relatis; nulli fuére tum magistratus curules; atque ideò nec prætores, neque Ædiles, nec Quæstores.

3903. Ptol. Dion. 3. Hyrcan. 10. Ab V. C. 701.	*In hunc annum, Consulatum magnâ contentione atque ambitu, petebant, C. MEMMIVS, Cn. DOMITIVS, M. MESSALLA, & M. SCAVRVS. Facti autem sunt Consules, ex interregno, VII. huius anni mense, M. VALERIVS MESSALLA, & Cn. DOMITIVS CALVINVS.*	47.

Qui ne tum quidem creati fuissent; nisi Q. POMPEIVS Rufus Trib. pl. qui intercessionibus comitia tollebat; ex S. C. in carcerem coniectus esset: atque idem se cæteris, qui comitia impedissent, facturū, Senatus minaciter ostendisset.

In tanto rerum motu, LVCILIVS Trib. pl. legem de POMPEIO Dictatore creando promulgârat, qui remp. constitueret. At CATONE repugnante, nihil effectum. Alij de Tribunis etiam Militum Consulari potestate creandis, mentionem intulisse produntur.

IMPROSPERA ET FVNESTA CRASSI PVGNA.

M. CRASSVS, quùm in Parthiam properaret, contemtis fœdæ in transitu tempestatis, & caliginis: Signorum militarium, terræ fixorum & evelli sequique negantium: pontis ad Zeugma vi ventorum disiecti, prodigijs; Euphratem transmisit; eūque fluv. qui solus & subvehere commeatus, & munire poterat, à tergo reliquit.

Et dum simulato cuidam transfugæ Syro, (al. MAZARÆ, al. AVGARO, al. ARIAMNI) nimio plus fidit, & Seleuciam petit; in mediam camporum vastitatem, eodem duce, exercitum perduci, passus est; hostibus undique expositum.

Vixdum ille Carrhas perveuerat; quùm regij præfecti, SILLACES & SVRENA, circumfuso fine morâ & undique equitatu; in modum grandinis, atque nimborum, densa tela pariter in Romanos effudêrunt.

Ibi P. CRASSVS, F. qui ad Patrem à I. CÆSARE, cum lectissimis equitibus, missus è Galliâ venerat; cum maiore exercitûs parte, interfectus.

Pater, quùm Carrhis se non crederet, reliquijs exercitos in collem receptis; à SVRENA, quasi de pace agere vellet, in colloquium solicitatus, captus, & signo dato vivus in hostium potestatem venisset; nisi Tribunis reluctantibus, fugam ducis, Barbari ferro occupassent.

Sic quoque relatum caput, & cum dextrâ recisum, ludibrio hosti fuit. & aurum liquidum in oris rictum infusum; cupiditatis auri in eo exprobrandæ. (Ea clades accepta VI. Id. Iunias.)

Qui è calamitate evaserant, in Armeniam & Ciliciam, fugâ sunt distracti. Et Cassius Longinus tū Quæstor in Syriam cum aliquâ parte legionum incolumis redijt, exercitumq; reparavit. CICERO, in locum CRASSI, Augur ab Hortensio & Pompeio cooptatus.

IVLIÆ MORS; CONCORDIÆ PVBLICÆ DISSCIDIVM.

Septimum iam ferè annum Cæsar in Gallijs morabatur; quùm medius concordiæ, inter POMPEIVM, & ipsum Cæsarem, malè ex invidiâ alterius cohærentis, pignus; IVLIA, uxor MAGNI, decessit. atque omnia inter destinatos tanto discrimini duces dirimente fortunâ; filius quoque parvus POMPEII, IVLIA natus, intra breve spatium, exstinctus est.

SALVTARE SEN. CONSVLT.

Ad coercendum in magistratibus adipiscendis ambitum, S.C. factum est; *Vt qui Consules, pratorésve fuissent, post quinquennium demùm, à magistratu gesto, in provincias mitterentur.*

MORINI DOMITI IN BELGIS.

CÆSAR, T. LABIENVM Legatum, cum ijs legionibus, quas ex Britanniâ reduxerat, in Morinos rebellanteis, immisit. Qui quùm propter siccitates Paludum, quò se reciperent, non haberent (quo perfugio æstuariorum, annis superioribus usi fuerant) omnes ferè in potestatem LABIENI venêrunt.

INDVCIOMARVS TREVIR CÆSARI NEGOTIVM FACESSIT; ET IN PVGNÂ CADIT.

Treviri, eorumque princeps INDVCIOMARVS, de Cottæ Sabiniique & exercitûs Romani internecione edocti, totius hiemis nullum tempus intermiserant, quin trans Rhenum legatos mitterent; civitates sollicitarent; pecunias pollicerentur: exsules damnatosque Galliâ magnis præmijs ad se adlicerent. Et si ex finibus suis progredi cæpissent; magnas voluntariorum copias sibi non defore arbitrabantur. Quòd alterâ ex parte Senones Carnutesque, conscientiâ apertæ rebellionis instigarentur; alterâ, Nervij Aduaticique bellum Romanis iamtum minarentur. Armato concilio indicto, CINGETORIGEM, alterius principem factionis, INDVCIOMARI generum, quòd Cæsaris secutus fidem ab eo non discederet; hostem iudicandum curârunt, eiusque bona publicârunt.

INDVCIOMARVS, antequàm ad depopulandos Rhemorum agros abiret; prius sibi LABIENI castra, licet loci naturâ & manu munitissima essent, oppugnanda censuit. Et propè quotidie cum omni equitatu sub castris eius vagabatur. aliàs, ut situm castrorum cognosceret; aliàs, colloquendi aut territandi caussâ, equites plerumque omnes tela intrà vallum conijciebant.

LABIENVS verò, nocte unâ intromissis equitibus finitimarum civitatum, quos certâ die convenire iusserat; tantâ diligentiâ omneis suos custodijs intrà castra cõtinuit, ut nullâ ratione ea res enuntiari, aut ad Treviros perferri posset.

Quumque ex consuetudine quotidianâ, Induciomarus propiùs ad castra accedens, Romanos ad pugnam evocaret; à nobis ad adversarijs dato responso, Treviri, sub vesperum, dispersi ac dissipati discessissent; LABIENVS duabus simul portis omnem equitatum emittit: omnibus, in tàm subito terrore ac fugâ hostium, unum Induciomarum, quem effugere nollet, petere iussis.

Hominis consilium fortuna comprobavit.

INDVCIOMARVS io ipso fluminis vado deprehensus interficitur; caputque eius in castra relatum. Equites, in reditu, quos possunt, Treviros consectantur atque occidunt.

Hâc re cognitâ, omnes & Eburonum, & Nerviorum copiæ, quæ convenerant, discedunt. Pauloq; habuit pôst id factû Cæsar quietiorem Galliâ.

NOVVS A TREVIRIS MOTVS. MENAPII, SENONES, NERVII ET IPSI Treviri à Cæsare subacti.

Interfecto INDVCIOMARO, ad eius propinquos à Treviris imperium defertur. Illi similiter finitimos atque Germanos solicitant, & iureiurando inter se confirmant. AMBIORIGEM societate sibi & fœdere adiungunt.

Cæsar, ne cum universis pugnandum esset, confecto celeriter delectu, & coactis proximè IV. legionibus; de improviso in fineis Nerviorû cõtẽdit; eosq; in deditionem venire, atque obsides sibi dare coëgit.

Indè in Senones profectus, Æduis intercedentibus, & excusantibus, veniam ijs dedit. Carnutes, usi deprecatoribus similiter Rhemis, pariâ impetrant.

Hâc parte Galliâ pacatâ; totus & mente & animo in bellum Trevirorû, & AMBIORIGIS insistit. Menapij, propinqui Eburonum finibus, quibus hospitium cum AMBIORIGE erat, perpetuis Paludibus silvisque muniti; uni ex Galliâ, de pace ad Cæsarem legatos numquam miserãt. In eos profectus Cæsar, & ædificijs vicisque incensis, magni pecoris atque hominum numero potitus; legatos pacis petendæ caussâ ad se mittere, & obsides dare coëgit.

Dum indè in Treviros proficiscitur, LABIENVS, qui duarum legionum supplementum ab eo acceperat, Treviros, fugæ è castris & metûs simulatione, se insecutos, & in iniquum locû pertractos, primo concursu in fugam conicit: & magno ex ijs numero interfecto, captisque compluribus, paucis pôst diebus civitatem recepit.

Germani, qui auxilio veniebant, receptâ Trevirorum fugâ, sese domum contulerunt: & cum ijs propinqui INDVCIOMARI, qui defectionis auctores fuerant, comitati eos, ex civitate excessere.

CINGETORIGI, qui ab initio in officio apud Cæsarem permanserat; principatus atque imperium est traditum.

CÆSAR PONTE FACTO RHENVM TRANSIT.

Cæsar postquàm ex Menapijs in Treviros venit, Rhenum transire, & pontem facere instituit; quod ab Suevis auxilia missa cognovisset. Illi ad initium silvæ, quæ Bacenis appellatur, cum omnibus suis sociorumque copijs, adventum Romanorum exspectare ferebantur.

Cæsar, postquam per Vbios exploratores comperit, Suevos sese in silvas recepisse; inopiam frumenti, ob agriculturæ eâ in regione neglectû, veritus constituit non progredi longiùs. Et parte pôtis, quem Rheno imposuerat, rescissâ; parte magnis munitionibus firmatâ, præsidioque ibi collocato; ad bellum AMBIORIGIS proficiscitur.

BELLVM CVM AMBIORIGE EBVRONE.

Ille à MINVCIO BASILIO, quem Cæsar cû omni equitatu præmiserat, tantumnon de-subito comprehensus; omni militari instrumento, quod circùm se habebat, erepto; rhedis equisque cõprehensis, mortem manuse effugit; & fugientem silvæ texerunt. Et clàm dimissis per agros nuntijs, milites suos, sibi quemq; consulere, iussit. quorum alij in Arduennâ silvam; alij in continenteis paludes; alij in Oceani insulas, sive æstuaria, profugérunt.

CATIVVLCVS, rex dimidiæ partis Eburonum, ætate iam confectus; & AMBIORIGEM, eius consilij auctorem, detestatus, taxo se exanimavit.

Segni, Condrusique, ex gente & numero Germanorum, qui cis Rhenum incolunt; legatis missis, Cæsarem orant: ne se, qui nihil de bello cogitâssent; sieque AMBIORIGI auxilia misissent; in hostium numero duceret.

CÆSAR

CÆSAR TRIPLICI EXERCITV, PROVINCIAS EBVRONIBVS VICINAS; depopulatur.

Cæsar, copijs in treis parteis distributis, impedimenta omnium legionum ad Vatucam, castellum, COTTÆ & SABINI hibernis simul, & cæde nobilitatum, contulit; & præsidio loci legionem unam, cum CC. equitibus, duce Q. CICERONE, reliquit.

T. LABIENVM, cum legionibus III. ad Oceanum versùs, in eas parteis, quæ Menapios attingūt: C. TREBONIVM, cum pari legionum numero, ad eam regionem, quæ Advaticis adiacet; depopulandam mittit.

Ipse cum reliquis III. ad flumen Scaldim, (al. Sabim) quod influit in Mosam; extremasque Arduennæ parteis, ire constituit. quò cum paucis equitibus profectum AMBIORIGEM audiebat.

Erat manus certa nulla, non præsidium, non oppidum, quod se armis defenderet; sed in omneis partes dispersa multitudo, in vallibus, silvis, aut paludibus.

Quùm Cæsar, dimissis ad vicinas civitates nuntijs, omneis spe prædæ, ad diripiendos Eburones, evocaret; eius rei fama trans Rhenum ad Germanos pervénit.

Sicambri, coactis II. equitum Millib. & transito Rheno, primos Eburonum fineis adeunt: multos ex fuga dispersos excipiunt. & invitati obviâ prædâ, longiùs procedunt. Eos non Palus, in bello latrocinijsque natos; non silvæ morantur.

Et à captivis moniti, ad Vatucam, quæ in propinquo esset, omneis Rom. exercitûs fortunas esse collatas, & exigui presidij custodiæ concreditas; eò celeriter contendunt.

CICERO, qui dies iam VII. reditum Cęsaris opperiens; summâ diligentiâ milites in castris continuisset; V. cohorteis frumentatum in proximas segetes emiserat. quos legionarij quidam sub vexillo, & præthereà calones cum iumentis, factâ potestate, fuerant secuti. Eo ipso tempore & casu, Germani equites interveniunt; protinusque eodem illo, quo venerant, cursu, ab Decumanâ portâ in castra irrumpere conantur.

Totis mòx trepidatum est castris; & ægrè Romani portas tuentur. donec confectâ frumentatione, milites, qui emissi erant, clamore exaudito, quanto res esset in periculo; ex præcursoribus cognovére.

Barbari signa procul conspicati, ab oppugnatione destitére; rati primùm legiones, quas longiùs discessisse ex captivis cognoverant, redijsse, posteà, perspectâ paucitate, ex omnibus partibus impetum fecére.

Hic in summâ trepidatione, & magnâ sententiarum, de se servandis, varietate; Veterani, qui sub vexillo exierant, per medios hosteis cuneo facto, perrumpunt; & ad unum, incolumeis in castra perveniunt. Eosque subsecuti calones, equitesque, eodem impetu, militum virtute servantur.

Eorum, qui in tumuli proximi iugum procurrerant; dum in castra recipere se conati iniquum in locum demisissent; pars, suorum Centurionum, qui pugnando ceciderunt, virtute, salvi evasérunt: pars ab hostibus circumventi periérunt.

At Germani, desperatâ expugnatione castrorū; cum parte prædæ trans Rhenum se recepérunt. In quibus hoc maximè admirandum visum Cæsari; Quòd *qui eo consilio Rhenum transíerunt, ut AMBIORIGIS fineis depopularentur; ad castra Romanorum delati, optatissimum AMBIORIGI beneficium obtulissent.*

EXERCITVS ROM. PER HIBERNA DISTRIBVTI.

Cæsar, conquirendo AMBIORIGI intentus, vicis ædificijsque incensis; & actâ ex omnibus locis prædâ; exercitum, duarum cohortium damno, salvum, Durocotorum, Rhemorum urbem, reduxit, II. legiones ad fineis Trevirorum; II. in Lingonibus: VI. reliquas in Senonum finibus, Agendici, in hibernis collocavit. in Italiam mòx profecturus.

Petebant Romæ Consulatum T. ANNIVS MILO, M. PLAVTIVS HYPSÆVS, & Q. METELLVS SCIPIO; & largitione palàm profusâ, & factionibus armatorum succincti.

MILO CLODIVM OCCIDIT. HINC IN VRBE TVMVLTVS.

Dum trahuntur Comitia; MILO Lanuvium, cuius erat Dictator, proficiscens, P. CLODIVM, inimicum suum, qui suorum adversariorum petitionem, apertè, contrà se adiuvaret; sibi ultrà Bovillas, Viâ Appiâ, occurrentem, & iam inter mutua convicia sauciatum; occidit.

Cadaver eius Romam relatum, in Curiâ crematum; quo incendio & Curia flagravit.

Clodiana multitudo domum M. LEPIDI, Interregis, oppugnavit: fasceis è lecto, Libitinæ, raptos, ad domum SCIPIONIS & HYPSÆI; deinde ad hortos Pompeij adtulit. clamitans; eum modò Consulem, modò Dictatorem. Incendio Curiæ MILO recreatus, Romam redierat; petebatque nihilo minus consulatum.

Quùm Interreges, alij ex alijs facti, ob tumultus, comitia habere non possent; & crebesceret rumor, Cn. POMPEIVM creari Dictatorem oportére; visum est optimatibus tutius esse, eum Consulem sine collegâ creari.

Is tamen ut invidiam vitaret, in quinque menseis extremos Q. METELLVM SCIPIONEM, socerum, sibi collegam subrogavit; qui reus de ambitu hoc modo iudicium effugit.

CASSII VIRTVS.

C. CASSIVS, M. CRASSI Quæstor, qui ex Parthicâ ad Carrhas clade, cum parte exercitûs, in Syriam incolumis evaserat; Parthorum, qui in eamdem Syriam, ceu præsidijs vacuam, haud magnis cum copijs, iam transcenderant; impetum, fortissimè retudit.

Cæsar in Italiam ad conventus agendos profectus, cognovit de CLODII cæde. De Senatusque Consulto

Consulto, certior factus; *ut omnes Italiæ iuniores coniurarent*, delectum totâ provinciâ habere instituit.

NOVA GALLORVM REBELLIO.
Vercingetorix Arvernorum rex.

His rebus in Galliam Transalpinam celeriter perlatis; Galli retineri urbano motu Cæsarem; neque ad exercitum, in tantis dissensionibus, venire posse rati; eâque occasione impulsi. qui se iam antè pop. Rom. imperio subiectos dolerent; liberiùs atque audaciùs de bello inire consilia incipiunt.

Carnutes belli principes fore professi; & reliqui dato iureiurando fidem promittunt. Illi, dato signo, Genabim concurrunt; civeisque Romanos, qui negotiandi caussâ ibi constiterant; & in ijs C. FVSIVM COTTAM, qui rei frumentariæ præerat; interficiunt.

Quâ re Arverni cognitâ, & ipsi, VERCINGETORIGE duce, (quem Gergoviâ à suis antè expulsum; & iterùm, ijsdem è civitate vicissim expulsis, principatu potitum; regem appellârant) arma capiût, & celeriter Senones, Parisios, Pictones, Cadurcos, Turones, Aulercos, Lemovices, Andes, reliquosq; omneis, qui Oceanum attingunt; sibi adiungunt. Bituriges à Vercingetorige sollicitati, remissis equitum peditumque copijs, quas Ædui subsidio miserant, statim se cum Arvernis coniunxêre.

His rebus in Italiam Cæsari nuntiatis, quùm iam ille virtute Cn. Pompeij urbanas res commodiorem in statum pervenisse intelligeret; in Galliam venit.

Et cognito, LVCTERIVM CADVRCVM, quem VERCINGETORIX cum parte copiarum in Ruthenos miserat, ut eam civitatem Arvernis conciliaret, iam in Nitiobriges & Gabalos progressum, ab utrisque obsides accepisse; & magnâ coactâ manu, contendere, ut in provinciam, Narbonem versùs, irruptionem faceret; omnibus consilijs antevertendum existimavit, ut Narbonem proficisceretur.

Eo quùm venisset; præsidia in Ruthenis provincialibus, Volcis, Arecomicis, Tolosatibus, circumque Narbonem, quæ loca erant hostibus finitima; constituit. Et in Helvios profectus, per montem Gebennam; tum frigore & nivibus infestum, ad fineis Arvernorum pervênit; & per equites latissimè hostibus terrorem intulit.

VARIÆ PROELIORVM INTER CÆSAREM ET VERCINGETORIGEM VICES.
Cæsar multis opidis potitur.

VERCINGETORIX castra ex Biturigibus in Arvernos versùs movet. Et indè rursus, ubi Cæsarem equites à Viennâ, & legiones è Lingonibus, alijsq; urbibus, unum in locum coëgisse cognovit; in Biturigas reducit. atque indè profectus, Gergoviam, Boiorum opidum, Æduis attributum, oppugnare instituit.

Cæsar Boijs suppetias profectus, ex itinere Vellaunodunum, opidum Senonum, oppugnatum, recepit: & Genabim Carnutum, civibus ex urbe per pontem, flumini Ligeri impositum, elapsis, in potestatem redactum, diripit atque incendit; & exercitu Ligerim transducto in Biturigum fineis iterùm pervênit.

VERCINGETORIX confestim Gergoviæ oppugnatione desistit, atque obviàm Cæsari proficiscitur.

Ille, opidum Biturigum, positum in viâ, Noviodunum, oppugnare instituerat; quùm legati indè ad ipsum venêrunt; oratum, ut sibi ignoscerent.

Et iam pars obsidum ab illis transdita erat; & pauci milites intromissi, qui arma equosque conquirerent; quùm opidani, conspectu procul VERCINGETORIGIS equitatu, arma capiunt, & portas claudunt.

Sed centuriones Romani, qui in opido erant, novum consilium subodorati, gladijs districtis portas occupavêrunt, suosque omneis incolumeis recepêrunt. Et equitibus suciorum prœlio corâm profligatis, opidani rursus perterriti, comprehensos eos, qui plebem concitârant; ad Cæsarem perduxêrunt, seseque ei dediderunt.

Indè Cæsar ad opidum, Avaricum, maximum munitissimumque in finibus Biturigum, profectus est: quo recepto, civitatem Biturigum omnem se in potestatem redacturum confidebat. Opidum à Romanis, cum summâ rei frumentariæ inopiâ, & militari operum labore, conflictatis, captum & immaniter direptum. ut ex eo omni numero, qui fuit circiter XL. Millium, vix DCCC. ad VERCINGETORIGEM incolumes pervenerint.

Cæsar rebus apud Æduos, (ubi duo, CONVICTOLITANES & COTVS, magistratum, regiæ potestati adfinem, ceu legibus ritè creati, gerebant, & factionei alebant) ex æquo compositis, exercitum in duas parteis divisit. IV. legiones in Senones, Parisiosque LABIENO ducendas dedit: ipse in Arvernos, ad opidum GERGOVIAM, secundùm flumen Elaver, duxit. Et uno ex pontibus, quos omneis VERCINGETORIX resciderat, refecto, legiones transduxit. VERCINGETORIX, re cognitâ, ut dimicandi necessitatem evitaret, magnis itineribus antecessit.

Cæsar, ubi Gergoviam pervenit, post equestre leve prœlium, perspecto urbis situ. quæ posita in altissimo monte omneis aditus difficileis habebat, de expugnatione desperavit. Neque priùs de obsessione agendum existimavit, quàm rem frumentariam expedisset.

ÆDVI, A LITAVICO DEFICIVNT.

Dum ad Gergoviam sedetur, & utrimque pugnatur; Cæsar ad subitam Æduorum, & sociorum militum, duce LITAVICO, defectionem, castris cum præsidio relictis, obviàm adcurrit; & immisso equitatu iter eorum, quod Gergoviam versùs in castra VERCINGETORIGIS tendebant; moratur atque impedit. Et mendacium LITAVICI, de cæde equitum atque principum Æduæ genris, quod in vulgus militum, & ad civitates ille iactârat; detegit.

Quo

Quo perspecto, & duce LITAVICO fugâ Gergoviam elapso, Ædui milites manus tendere, & deditionem significare; & proiectis armis, mortem deprecari incipiunt.

CÆSAR, dum Gergoviam versùs indè movet, medio fermè itinere, ex equitibus à FABIO, præsidij in castris præfecto, submissis, intelligit, quantu ibi in periculo res Romanorum, qui continenter oppugnarentur, esset. Ipse itaque, summo militum studio, ante ortum solis in castra pervenit.

Et Ædui intereà, qui primis nuntijs & mendacijs à LITAVICO acceptis, bona civium Rom. diripere, cædem facere, in servitutem abstrahere, aliaque sæviora designare, cæperant: mox nuntio contrà adlato; *omnes eorum milites, quos duce LITAVICO miserant, in potestate CÆSARIS teneri*; coram M. ARISTIO Trib. militum (quem fide datâ ex opido Cavillonu eduxerant; & iter, ad legionem facientem adorti, omnibus impedimentis exuerant) quæstionem de bonis Romanorum direptis decernunt. LITAVICI, fratrumque bona publicant; legatos ad CÆSAREM sui purgandi gratiâ, mittunt. clam illi nihilo minus consilia de bello inibant, & reliquas vicinitates legationibus solicitabant. Adeò ut CÆSAR, maiorem Galliæ motum exspectans, discedendi à Gergoviâ consilium iniret.

CLADES ROMAN. AD GERGOVIAM.

Sed dum contrà atque CÆSAR præcepetat, milites ardore pugnandi abrepti, & munitiones hostileis transgressi, & castris potiti, muro opidi, portisque adpropinquâssent; & partim mœnia adscendere, partim portas exscindere conarentur; magna clades accepta est. XLVI. Centurionibus, & DCC. militibus desideratis.

CÆSAR inde in Æduos castra movit; ad quos solicitandos LITAVICVM cum omni equitatu profectum esse cognoverat.

PRINCIPVM ÆDVORVM PERFIDIA. NOVIODVNVM INTERCEPTVM.

Eorum principes, EPOREDORIX & VERDVMARVS, à CÆSARE, cui merebant, amicè ad confirmandam civitatem dimissi; & Noviodunum, opidum Æduorũ, ad ripas Ligeris opportuno loco positum, & nuper captum, (quò CÆSAR omneis Galliæ obsides, frumentum & publicam pecuniam; magnam impedimentorum partem; contulerat; & magnorum equorum numerum ex Italiâ atque Hispaniâ coëmtorum, miserat) uti hospites, ingressi; cognito turbatæ in Æduis civitatis statu, Novioduni custodes; quique eò negotiandi, aut itineris caussâ convenerant, interficiunt: pecuniam atque equos inter se partiuntur. obsides civitatum, Bibracte, (quò Convictolitanes, princeps magistratûs, & magna Senatûs pars, ad LITAVICVM convenerat) deducendos curaverunt.

Opidum, ne cui esset usui Romanis, incendêrunt. nihil non moliti, ut ab re frumentariâ Romanos excludere, aut addnctos inopiâ, ex provinciâ expellere possent.

CÆSAR, qui LABIENO, atque ijs legionibus, quas unà miserat, adiungi vehementer cupiebat; Ligerim reperto vado, exercitum transduxit: frumentumque in agris, & copiam pecoris nactus, iter in Senones facere instituit.

LABIENVS LVTETIAM FRVSTRA TENTAT.

LABIENVS intereà eo supplemento, quod nuper ex Italiâ venerat, Agendici relicto, ut esset impedimentis præsidio; cum IV. legionibus Lutetiam proficiscitur. Inde, per CAMVLOGENVM Aulercum, copiatum, quæ subitò ex finitimis civitatibus convenerant, imperatorem, prohibitus; eodem, quo venerat itinere, Melodunum pervenit. & opido propè vacuo potitus, refecto ponte, quem hostes resciderant, exercitum transducit; & secundo flumine ad Lutetiam iter facere cæpit. Hostes verò Lutetiam incendi, pontesque eius opidi rescindi iubent. & profecti à palude, quæ in Sequanam influit, in ripis eius fluminis, è regione Lutetiæ, contrà LABIENI castra, considunt.

LABIENVS, quòd alterâ ex parte Bellovaci, qui cognitâ Æduorum defectione, bellum apertè parabant, sibi instarent: alteram CAMVLOGENVS instructo exercitu teneret; non de hostibus prœlio lacessendis, sed de exercitu servando, & Agendicum reducendo cogitabat. Sed hostibus, qui cæpto prohibebant, non tam astu, quàm virtute victis & summotis, Agendicum ad impedimenta revertitur.

CÆSAR ALEXIAM OBSIDET.

VERCINGETORIX, totius Galliæ concilio, Bibracte, indicto; omniumque, præter Æduos, suffragijs Imperator delectus, magnas civitatibus copias, ut ad se constituto die conveniant, imperat. Castris haud longè à Cæsare positis, equestris prœlij aleam tentare ausus; fugato omni equitatu, & copijs suis, ut pro castris collocaverat, teductis, protinus Alexiam, quod est opidum Mandubiorum, iter facere cæpit.

CÆSAR, eum insecutus, quantum diei tempus est passum, circiter III. millib. hominum ex novissimo agmine interfectis, altero die ad eamdem Alexiam castra fecit, eamque circumvallare instituit. Quod opidum, in colle summo, & edito loco situm, nisi obsidione expugnari non posse videretur. Hîc iterùm equestri prœlio, ante opidum utrimque contenditur: & ne suis in opidum ex pugnâ sinisteriore irrumpentibus castra nudarentur, VERCINGETORIX portas urbis claudi iubet. Et mox dimisso omnem in partem equitatu ad solicitanda civitatum auxilia, copias, quas pro opido collocaverat, intra muros recepit.

Cæsar admirandis operibus, & munitionum generibus, castra sua, & adversus opidanorum eruptiones, & adversus externam vim communit.

COPIÆ CIVITATIBVS, GALLIÆ SOCIIS, IMPERATÆ, AD DISPELlendam ab Alexiâ CÆSARIS obsidionem

Galli namque, VERCINGETORIGE ita iubente, concilio principum indicto, certum armatorum numerum cuique ciuitati imperandum statuerunt.

Æduis, eorumque clientibus, Segusianis, Ambivaretis, Aulercis, Brannovicibus, Brannovijs; xxxv. millia.

Parem numerum Arvernis, Heleuteris, Cadurcis, Velavijs; qui sub ditione Arvernorum esse & censeri consuerant.

Senonibus, Sequanis, Biturigibus, Santonibus, Ruthenis, & Carnutibus; xxss. mill.

Bellovacis x. & totidem Lemovicibus.

Octona Pictonibus & Turonis, & Parisijs & Helvijs.

Ambianis, Mediomatricis, Petrocorijs, Nervijs, Morinis, Nitiobrigibus; v. millia.

Aulercis & Cenomanis totidem.

Atrebatibus iv. mill.

Bellocassis, Lexovijs, Aulercis & Eburonibus terna.

Rauracis & Boijs; xxx.

Vniversis civitatibus, quæ Oceanum attingunt, quæ eorum consuetudine Armoricæ appellantur; quo sunt in numero, Curiosolites, Rhedones, Ambibarri, Caletes, Osismi, Lemovices, Vnelli; sena millia.

IMPERATORES COPIARVM AD ALEXIAM DVCVNT: TRIBVS PROELIIS vincuntur.

Coactis itaque equitum sex. millib. & peditum circiter ccxl. ijsque in Æduorum finibus recensitis; COMMIO, Atrebati; VIRIDOMARO & EPOREDORIGI Æduis, VERGASILLAVNO Arverno VERCINGETORIGIS consobrino; summa imperij tradita est.

Omnes alacres & fiduciæ pleni, ad Alexiam, (ubi præ frumenti inopiâ, de exitu suarum fortunarum, vel de deditione, vel eruptione ab obsessis iamtum consultabatur) proficiscuntur.

Mandubij, qui tantam multitudinem opido receperant; quique vel valetudine, vel ætate ad bellum inutiles censerentur, cum liberis atque uxoribus exire coacti; quùm ad munitiones Romanorum accessissent, flentes, omnibus precibus orabant; *ut se in servitutem receptos cibo iuvarent. alioqui, eorum corporibus obsessos vitam toleraturos.* CÆSAR hos tamen recipi prohibuit.

Postquam Gallici exercitûs Imperatores cum omnibus copijs ad Alexiam pervenêre; obsessi productis copijs ante opidum considunt; seque ad eruptionem atque omneis casus comparant.

CÆSAR equites ex castris educi, & prœlium committi iubet. Quumque à meridie propè ad solis Occasum dubiâ victoriâ pugnatum esset; Germani equites, quos penes se assiduos CÆSAR habebat; unâ in parte confertis turmis in hostem impetum fecerunt, eosque propulêrunt. Iis in fugam coniectis; sagittarij & alij levis armaturæ expediti, quos Galli inter equites interiecerant; circumventi interfectique sunt.

Item ex reliquis partibus Romani cedenteis usque in castra insecuti, sui colligendi facultatem non dedêrunt.

At ij, qui ab Alexiâ processerant, mœsti, propè victoriâ desperatâ, se in opidum recepêrunt. Neque feliciùs ab ijs mediâ nocte ex castris ad campestreis munitiones accessum est: & ad tubæ signum eodem tempore, alij ex opido erupêre. Vtrique, multis acceptis vulneribus, & nullâ hostium munitone perruptâ, se ad suos in castra, aut in opidum recipere coacti.

Tertio prœlio, quod duce VERGASILLAVNO, cum LX. lectorum virorum millibus, adversum Romana castra, II. tantum legionibus firmata, & iniquo loco posita, susceptum est; adeò strenuè à Romanis certatû; ut præter captivû VERGASILLAVNVM LXXIV. signa militaria ad CÆSAREM sint relata: & pauci ex tanto numero se incolumes in castra, aut in urbem, receperint. Eâ re auditâ, fit protinus ex castris Gallorum fuga.

Quod nisi milites totius diei labore fuissent defessi; omnes hostium copiæ eo die deleri potuissent.

Missus tamen de mediâ nocte equitatus, & novissimum agmen consecutus, multos capit atque interficit: reliqui ex fugâ in civitates discedunt.

VERCINGETORIX SE VLTRO DEDIT.

VERCINGETORIX, concilio convocato, id quidem se bellum suscepisse, non suarum necessitatum, *sed communis libertatis caussâ*, demonstrat. Et quoniam sit fortunæ cedendum; ad utramque rem se illis offerre, seu morte suâ Romanis satisfacere, seu vivum tradere velint.

Mittuntur his de rebus ad Cæsarem legati. Ille arma tradi iubet, & principes produci. Armis proiectis, VERCINGETORIX deditur. Æduos, Arvernosque, qui defecerant, in fidem recipit: ijsque circiter xx. captivorum millia reddit.

Ipse legatis in diversas Galliæ parteis cum legionibus, in hiberna, dimissis, Bibracte hiemare constituit.

DIVERSÆ PROCERVM ROMÆ PRO CÆSARE SENTENTIÆ.

Quùm CÆSARI xx. dierum supplicatio Romæ decerneretur; CATO restitit. qui Cæsarem hostibus, quos iniussu lacessisset, dedendum; & successorem ei mittendum, censeret. Quod & designatus Consul MARCELLVS suasit; sed POMPEIVS restitit.

Idem POMPEIVS leges tulit; Alteram, de vi; quâ CLODII cædes, & Curiæ incendium comprehendebatur: Alteram de ambitu.

MILO de vi accusatur; à CICERONE defensus. Quì quòd

quòd Clodianæ factionis clamore, & coronâ militum turbatus esset; timidissimè perorauit. & MILONEM reum non magis inuidia facti; quàm POMPEII damnauit voluntas.

Eiusdem M. CATO palam latâ absoluit sententiâ: quàm si maturiùs tulisset; non defuissent qui exemplum sequerentur. probarentque eum ciuem occisum; quo *nemo reip. perniciosior; nemo bonis inimicior vixerat.*

Damnati & SEXT. CLODIVS, qui curiam cremauerat; & Trib. pl. PLANCVS, quum magistratu abijsset.

Scripserat & legem POMPEIVS de iure magistratuum; *Ne quis aliquem peteret absens.* At lege iam in æs incisâ, socerum CÆSARIS legi exemit; utque absenti Consulatum petere liceret, concessit.

3904. Ab V. C. 702. | *Consules creati* (CATONE *repulsam patiente*) M. CLAVDIVS MARCELLVS, & SER. SVLPITIVS RVFVS. | 46.

Ille C. MARCELLI eius, qui pòst cum LENTVLO Consul fuit, frater germanus: & C. CLAVDII MARCELLI eius, qui deinceps cum PAVLLO Consul, patruelis.

INITIVM BELLI CIVILIS. FACTIONES IN SENATV

MARCELLVS ille Consul, CÆSARIS inimicus, ad Senatum rettulit; ut CÆSARI, *contra legem POMPEII & CRASSI, ante tempus succederetur; utq; is exercitum dimitteret; neve eius absentis in petitione consulatûs ratio haberetur.* & *ut colonis*, quos ille rogatione Vatiniâ Novucomum deduxisset, *ciuitas adimeretur.*

Quibus rebus CÆSAR per SER. SVLPITIVM, MARCELLI collegam; & per Tribb. pleb. aliquot, summâ ope obstitit: atque sententijs dictis, discessionem faciente MARCELLO, Senatus in alia omnia iuit. Perspectâ scilicet, CN. POMPEII voluntate, qui ad urbem cum imperio erat; in eam partem: ut eum decedere post Kal. Martias placeret. quæ erant futuræ L. ÆMILIO PAVLLO, & C. CLAVDIO MARCELLO Coss.

Senatûs Consultum factum est Prid. Kal. Octob. *Vti dicti Consules, quùm magistratum inijssent, ad d. IX. Kal. Mart. quæ in suo magistratu futura essent, de Consularibus prouincijs ad Senatum referrent: neve quis ei rei moram adferret.*

CÆSAR, ne in potestate suorum inimicorum esset; de retinendo imperio consilia agitat; utque inimicis vel par, vel superior esse possit.

POMPEIVS, AB ÆQVITATE DECEDIT. VOTA PRO EIVSDEM ÆGRI salute.

Iustissimus certè quisque, ab utroque, CÆSARE & POMPEIO, exercitus dimitti volebat. POMPEIVS quippe Hispanias sibi decretas iam per triennium, absens ipse, ac præsidens urbi, per legatos suos administrabat. Et ijs, qui à Cæsare dimittendos exercitus contendebant, assentabatur; ijs, qui ab ipso, aduersabatur.

Dumque idem grauissimâ in Campaniâ valetudine tentaretur; uniuersa Italia pro eius salute, primo omnium ciuium, vota suscepit, *Felicior, si antè decessisset.*

CVRIO FAX BELLI CIVILIS.

Sed bello ciuili, & tot, quæ per continuos annos consecuta sunt, malis, flagrantissimam facem subiecit C. CVRIO Trib. pl. Vir nobilis, eloquens & audax, suæ alienæque & fortunæ & pudicitiæ prodigus. Ipse primò pro POMPEII partibus, quasi pro republicâ; mox contra POMPEIVM & CÆSAREM, stare simulans; sed animo pro Cæsare stetit. à quo centies H.S. ad æs alienum dissoluendum, accepisse fertur.

CILICIÆ PROCONSVLES.

P. LENTVLVS SPINTHER, ex Ciliciâ, quam per triennium obtinuit, re benè gestâ, Imperator dictus; hoc anno, licet seriùs, triumphauit.

Ex eâdem prouinciâ, AP. CLAVDIVS, & nomen Imperatoris pepeiit, & triumphum postulauit. Sed à P. DOLABELLA, genero CICERONIS, cui TVLLIA enupserat; de maiestate (al. repetundarum) accusatus, eam postulationem abiecit.

CICERO, quinque post Consulatum annis, ex Senatûs Consulto & lege, Proconsul, cum imperio, in Ciliciam prouinciam, venit; APPIO CLAVDIO, quem dixi, successor datus.

RES IN CILICIA GESTÆ.

Res ibi à se gestas ad CATONEM, & ATTICVM ipse perscripsit, quas nemo ferè alius prodidit. Quùm Tarso ad AMANVM, qui Syriam à Ciliciâ, aquarum divortio, diuidit, cum exercitu venisset ut perpetuum hostem ex eo monte tolleret; distributis cohortibus & auxilijs, quùm alijs Q. FRATER; alijs, C. PONTINIVS; reliquis M. ANNEIVS & L. TVLLIVS legati præessent; plerosque nec-opinanteis oppressit.

Eranam, quæ fuit non vici instar, sed urbis, & quidem Amani caput: Item Sepyram & Cemimorim, acriter & diu repugnantibus, multisque occisis, cepit. Castellis VI. captis; complura incendit. Tum castra in radicibus Amani, apud Aras ALEXANDRI, habita. & in reliquijs Amani delendis, agrisque vastandis, aliquantum temporis consumtum est.

Inde ad opidum Eleutherocilicum, Pindenissum nomine, exercitum adduxit; vallo & fossâ circumdedit; & maximis castris sepsit. LVII. die rem eò deduxit, ut omnibus partibus urbis disturbatis, aut incensis, compulsi in potestatem venirent Cilices. A Tibarenis, pari scelere & audaciâ finitimis, obsides accepti.

Ita rumore adventantis cum exercitu CICERONIS; & CASSIO, qui ANTIOCHIA tenebatur, animus accessit; & Parthis qui obsidebant, timor iniectus est. His rebus ita gestis, CICERO & nomen Imperatoris ab exercitu adeptus est; & triumphum speravit. supplicationes etiam decretæ. Hæc ille de se.

BIBVLVS INFELICITET IN SYRIA REM GERIT.

M. BIBVLVS, qui Cæsaris in Consulatu collega fuit, hoc quoque anno in provinciam Syriam proConsule venit. quem tradit CICERO, in eodem Amano, quem ille vastârat, laureolam in mustaceo quæsijsse. at cohortem primam totam, cum Tribuno militum SEX. LVCILIO, & primipili Centurione ASINIO DENTONE; perdidisse.

CASSII DE PARTHIS VICTORIA; ET EIVS BELLI FINIS. BIBVLI conatus.

Quùm autem Parthi iterùm, PACORI, ORODIS regis filij, nomine, OSACE quodam duce, se in Syriam effudissent; & redactis in potestatem locis omnibus, ad Antiochiam usque pervenissent; ab eo opido, CASSII virtute, repulsi, iter ad Antigoniam convertérunt. atque positis in itinere insidijs ab eodem CASSIO circumventi, magnam cladem, OSACE ipso ex vulnere mortuo, accepérunt. eoque sublato, PACORVS totâ Syriâ excessit.

BIBVLVS; qui Syriæ deinde præfuit, quietam provinciam nactus; bellum inter Parthos ipsos concitavit. ORNODAPANTEM enim quemdam, ORODIS regis inimicum, impulit; ut PACORVM filium regem constitueret, & cum eo bellum adversus patrem gereret.

(IVSTINVS lib. 42. tradit: PACORVM à patre ORODE, MITHIDATES (qui bellum Armeniæ intulit, & ob crudelitatem à Senatu Parthico regno pulsus fuit) fratre, ad persequendas Romani belli, post CRASSVM deletum, relliquias, missum; & postquam magnas res in Syriâ gessisset, in Parthiam fuisse revocatum. Quo absente, exercitus Parthorum in Syriâ relictus, à CASSIO, CRASSI Quæstore, cum omnibus ducibus sit trucidatus.)

Ita bellum Romanorum cum Parthis, XV. ex quo cæptum erat anno, finem in præsentiâ habuit.

BITVRIGES; ET CARNVTES ITERVM DOMITI.

CÆSAR, quùm militem à tantis superioris æstatis laboribus, hibernorum quiete reficere vellet; & complures eodem tempore civitates in Galliâ renovare belli consilia renuntiarentur; magnâ exercitûs parte in Biturigum agros inductâ, eos ad obsides dandos, & præmia militibus, prædæ nomine, condonanda, adegit.

Deinde Carnutes, qui bellum Biturigibus inferebant, persecutus; castris in eorum opido, Genabo, positis, & immisso in omneis parteis equitatu; eos vagos, tectisque expulsos, magnâ parte suorum amissâ, in finitimas civitates dissipavit.

NOVA IN BELLOVACOS EXPEDITIO. COMMII ATREBATIS constantia.

Et II. legionibus, duce TREBONIO, in hibernis, Genabi, collocatis, profectus est in Bellovacos; qui cum finitimis civitatibus, Ambianis, Aulercis, Caletibus, Vellocassijs, & Atrebatibus; ducibus, CORBEO cive, & COMMIO Atrebate, exercitum comparabant, atque unum in locum cogebant; ut omni multitudine in fineis Suessionum, qui Rhemis erant attributi; facerent impressionem.

Bellovaci, in insidias, quas ipsi struxerant, pertracti, post aliquantam cum præcursoribus velitationem, quùm Cæsarem instructis copijs adesse nuntiatum esset; animis concidunt; & maiore parte amissâ consternati, quò sors cuique tulerat, confugiunt; & in fugâ, acriter Romanis insequentibus, conficiuntur.

CORBEVS fortissimè prœlians, compluribus hostium vulneratis, victores iracundiâ elatos tela in se conijcere coëgit.

Bellovaci, loco castrorum relicto, amisso duce & equitatu, & fortissimis peditibus; quùm insequi & adventare Romanos existimarent; concilio repentè cantu tubarum convocato, conclamant; *ut legati ad CÆSAREM, obsidesque, mittantur.*

Respondit Bellovacis CÆSAR; *Se eâ contentum fore pœnâ, quam sibi ipsi contraxissent.*

Obsidibus confectis, concurrunt reliquarum civitatum legati; quæ Bellovacorum speculabantur eventum. atque ita datis itidem obsidibus, imperata fecére.

Excepto COMMIO: qui ad eos profugerat Germanos, à quibus equitum auxilia ad id bellum erat motuatus; quemque timor, ob intentatam antè à sibi, iussu TREBONII, à C. VOLVSENO necem, cohibebat; ne cuiusquam fidei salutem suam committeret.

EXPEDITIO IN TREVIROS, IN EBVRONES, PICTONES, CARNVTES, &C.

Bellicosissimis gentibus ita devictis, ut nulla iam

fiam civitas esset, quæ bellum pararet, quo sibi resisteret; rebus in Celticâ, & Togatâ Galliâ, in tuto constitutis; ipse ad devastandos depopulandosque AMBIORIGIS fineis profectus est. Et LABIENVM cum II. legionibus in Treviros mittit; quę civitas numquam imperata, nisi exercitu coacta, fecisset.

Alterâ ex parte à C. CANINIO, & C. FABIO legatis, res in Pictonibus benè gesta est: solutâ Lemoviei, ubi DVRACIVS, Romanis fidus, a DVMNACO, Andium duce, conclusus oppugnabatur; obsidione.

DVMNACVS, cum Fabio prœlio congredi ausus; amplius XII. millia, aut armatorum, aut eorum, qui timore arma proiecerant; desideravit.

Dum CANINIVS, DRAPETEM Senonem, infestum Romanis caput, qui non amplius II. hominum millib. ex eâ fugâ collectis, unà cum LVTERIO CADVRCO, provinciam petebat: II. legionibus persequitur; C. FABIVS cum reliquo exercitu in Carnutes, reliquasque proficiscitur civitates: ex quibus, eo prœlio, quod cum DVMNACO fecerat, copias esse accitas sciebat.

Carnutes, qui sæpe vexati, numquam pacis fecerant mentionem; datis obsidibus, venere in deditionem. Eorumque auctoritate adductæ civitates, Oceano coniunctæ, quę Armoricæ appellantur; adventu FABII, sine morâ, imperata fecére.

VXELLODVNVM OBSIDETVR A ROMANIS.

DRAPES & LVTERIVS prohibiti provinciæ aditu; in agris Cadurcorum constitére. Hic, magnâ & veteri apud civeis suos auctoritate, Vxellodunum, quod rebus integris, in eius fuerat clientelâ; naturâ loci egregiè munitum, suis DRAPETISQVE copijs occupat; & opidanos sibi coniungit.

Dum CANINIVS, qui eò cum exercitu venerat, toto opido munitiones circumdare conatur; magnâ copiâ frumenti ex finibus Cadurcorum comparatâ, DRAPES & LVTERIVS haud longius X. mill. passuum ab opido consident; unde paullatim in opidum frumenta supportarent. Sed LVTERIO, qui, partitis inter se provincijs, agmen iumentorum ad opidum adducere, & frumentum importare statuerat; fugato: & frumentarijs ad unum cæsis; DRAPES, qui castris præsidio cum parte copiarum restiterat, de-repentè oppugnatus & captus est. CANINIVS, sine ullo penè militis vulnere, victoriâ potitus, ad obsidendum Opidum revertit: & C. FABIVS, qui eódem cum suis copijs postero die venerat; partem urguendæ obsidionis sibi sumit.

Cæsar, M. ANTONIO Quæstore in Bellovacis cum cohortibus relicto; reliquas civitates adit, & obsides plureis imperat. Quumque in Carnutes venisset, quorum consilio initium belli ortum fuerat; ut civitatem metu, ex conscientiâ facti, liberaret; principem sceleris ipsius, & concitatorem belli, GVTVRVATVM, ad supplicium deposcit; eumque in castra perductum, maximo militum consensu, securi ferit.

VXELLODVNENSES DEDITI.

Ex CANINII litteris, tum de ijs, quæ cùm DRAPETE & LVTERIO gesta essent; tum de Vxellodunensium, quos obsideret, pertinaciâ, edoctus; cum omni equitatu celerrimè eodem contendit. Et quùm frumenti copiâ abundare opidanos cognosceret; aquâ prohibere hostem, tentare cæpit. ut non tantùm pecora atque iumenta; sed magna etiam hominum multitudo siti consumeretur. Opidani itaque necessitate coacti se Cæsari transdidétunt. Ipse, qui, licet naturâ lenis, exemplo supplicij reliquos à rebellando deterrendos existimaret; omnibus, qui arma tulerant, manus præcidit, vitamque concessit. DRAPES, qui à CANINIO captus fuerat; timore gravioris supplicij, cibo sese abstinens interijt. LVTERIVS, ab EPASNACTO Arverno, Romanis fido, vinctus ad Cæsarem perductus est.

TREVIRI CVM GERMANIS SVBACTI.

LABIENVS interim in Treviris equestre prœlium secundum fecerat; & compluribus Treviris interfectis, & Germanis, (qui nullis adversùs Rom. auxilia negarent) principes eorum vivos, cum SVRO Æduo, in suam redegerat potestatem.

EXPEDITIO IN AQVITANOS.

Eâque re cognitâ, CÆSAR, qui superioribus æstivis subactam esse Galliam iudicaret; in Aquitaniam, quam nûquam ipse adisset; sed per P. CRASSUM, quâdam ex parte devicisset; cum II. legionibus est profectus. Confestim omnes Aquitaniæ civitates legatos ad eum misérunt, obsidesque dedérunt. Ipse cum equitum præsidio Narbonem abijt, exercitumque per legatos in hiberna deduxit, ita ut ne qua pars Galliæ ab exercitu vacua esset.

CÆSAR, rebus in provinciâ constitutis, ad legiones in Belgium se recepit: hibernavitque Nemetocennæ.

COMMII ATREB. FORTITVDO; ET CVM ANTONIO RECONCILIATIO.

Quùm M. ANTONIVS in hiberna, quò constitutum erat, venisset; civitasque Atrebatium in officio maneret; COMMIVS, quem suprà vulneratum fuisse memoravimus; patriâ exclusus, cum suis equitibus, seque, suosque latrocinijs alebat. ANTONIVS, præfectum equitum, Volusenum, qui cum eo hibernabat, ad persequendum hostium equitatum misit. Dumque ille COMMIVM, eiùs intercipiendi cupiditate, pertinaciùs cum paucis insecutus esset; & hic fugâ vehementi VOLVSENVM longiùs produxisset; equum convertit: & calcaribus incensum, proximè equo VOLVSENI iungit; lanceâque infestâ medium

dium eius femur magnis viribus transfixit. Et prœlio inter equites redintegrato; compluribusque, ex Commianis, vulneratis aut interceptis; dux ipse malum, equi velocitate, iterùm evitavit. Et quasi expiato iam suo dolore, legatos ad ANTONIVM mittit; *seq, ibi futurum, ubi præscripserit; & ea facturum, quæ imperaverit; obsidibus datis, firmat.*

Hoc unum concedi suo timori postulat; *ne in conspectum cuiusquam veniat Romani.* ANTONIVS, acceptis obsidibus, veniam petenti dedit.

Romæ verò, Consulibus L. ÆMILIO PAVLLO, & C. CLAVDIO MARCELLO, qui subsecuti sunt, (circa XXIII. Novemb. Iuliani, ut volunt) CÆSAR veritus ne se provincia & exercitu spoliatum, & præsentem, petere Consulatum inimici sui compellerent; L. PAVLLVM, alterum Cos. & C. CVRIONEM Trib. pl. qui eius antè actionibus fuerat adversatus; illum magnâ mercede, MD. talentûm: huuc centies H.S. defensores paravit.

FOMES ALTER BELLI CIVILIS.

Quùm itaque Senatuscons. *de dimittendis CÆSARIS exercitibus* referretur; CVRIO ita adsensus est; *si & cæteri quoque* (POMPEIVM notans) *ab armis discederent, atque exercitus dimitterent.*

In eam sententiam ne discessio fieret; Consules, & amici POMPEII, impedimento fuerunt. Sed Sen. Cons. fit: *Vt in bellum Parthicum, ad BIBVLVM, Legio una à CN. POMPEIO; altera à C. CÆSARE, mitterentur.*

POMPEIVS, ante triennium, CÆSARI, bellum in Galliâ gerenti, legionem unam ex delectu provinciæ, utendam dederat. eam ad se remitti, & in Syriam suo nomine proficisci iubet. CÆSAR ex suo numero XV. adiecit.

Atque ita duabus legionibus spoliatus (quæ quòd ad bellum Parthicum non essent necessariæ, à MARCELLO Consule, ad POMPEIVM sunt traductæ) quùm POMPEIO tanti exercitus traderentur; sibi etiam licere putavit; suum, quem habetet in potestate, exercitum retinere.

GALLIÆ PACANDÆ RATIONES.

Is quùm in Belgio hiemaret, unum illud propositum habebat; continere in amicitiâ civitates; nulli spem aut caussam dare armorum. Itaque honorificè civitates appellando, & principes maximis beneficijs adficiendo, nulla onera nova imponendo, defessam tot bellorum casibus Galliam, conditione parendi meliore, facilè in pace continuit.

Hibernis peractis, quàm celerrimè in Italiam profectus est; ut municipia & colonias appellaret, quibus M. ANTONII, Quæstoris sui, petitionem sacerdotij, sive Auguratûs, commendâsset. Deinde, ut ijs gratias ageret, quòd officium suum, & frequentiam, ANTONIO (qui Augur factus erat, priùs quàm Italiam attingeret) præstitissent. simulque se, & honorem suum, in insequentis anni petitione commendaret. propterea quòd insolenter adversarij sui gloriarentur, L. CORNELIVM LENTVLVM, & C. CLAVDIVM MARCELLVM, Consules designatos; qui omnem honorem & dignitatem CÆSARIS exspoliarent. Et ereptum SER. GALBÆ Consulatum, licet is multò plus gratiâ ac suffragijs valuisset; quòd sibi coniunctus & familiaritate & necessitudine legatio nis esset.

CÆSAR GRATIOSVS ITALIS.

CÆSARIS adventus, ab omnibus municipijs & Colonijs incredibili honore atque amore exceptus est. Ipse quùm omneis Galliæ Togatæ, cui T. LABIENVM præfecerat, regiones percurrisset; quàm celerrimè ad exercitum Nemetocennam contendit: legionibusque ex omnibus hibernis ad fineis Trevirorum evocatis, ibi exercitum lustravit. Illo per hiberna distributo, in Italiam iterùm profectus est.

Quò quùm venisset, & arma haud dubiè contra se parari audisset; *Omnia tamen patienda sibi statuit: quoad sibi spes aliqua relinqueretur, iure potius disceptandi, quam belli gerendi.*

RERVM IN GALLIIS GESTARVM COMPENDIVM.

Ita CÆSAR novem in Gallijs æstates exegit. ubi vario pugnarum eventu, ampliùs cccc. hominum millia cæsa, & plura capta, referuntur. nullâ non æstate iustissimus triumphus emeritus. Omnem Galliam, quæ à saltu Pyrenęo, Alpibusque & monte Gebennâ; fluminibus Rhodano & Rheno continetur; patetque in circuitu ad XXXII. centena pass. millia; præter socias, ac benè meritas civitates; in provinciæ formam redegit: eique in singulos annos stipendij nomen imposuit.

Censores in hunc annum referuntur; AP. CLAVDIVS, & L. PISO; CÆSARIS socer. A quibus lustrum conditum LXXI. & censa civium capita CCCXX. M. (quùm biennio pòst, CÆSARE censum agente, dimidio minus fint inventa.) Et princeps Senatûs lectus, P. SERVILIVS ISAVRICVS.

APPIVS, CÆSARI inimicior, multos Equites & Senatores, libertinos aliosque nobileis, qui parteis CÆSARIS sequebantur; invito collegâ, aut notavit, aut Senatu, graduve suo demovit. & in cæteris, C. SALVSTIVM historicum.

Nemo prudens eo tempore magistratum illum adfectavit; ne aut notandis civibus in odium; aut notis prætereundis, in populi reprehensionem incurreret.

POMPEIO VRBIS; EXERCITVVMQVE CVRA DEFERTVR.

POMPEIVS è Senatu, dum CVRIO acriùs pro CÆSARE, & contra se diceret; non sine stomacho & minis egressus, in suburbanam villam secesserat. Quùm verò in urbe de Cæsaris adventu rumor falsò esset exortus; omnesque metu percellerentur; MARCELLVS Cos. cum collegâ PAVLLO, ocyùs ad POMPEIVM venit: gladioque porrecto, *Curam, custodiamque urbis capessere iubet.* Traditisque duabus

legionibus, quæ Parthico bello destinatæ apud Capuam hibernabant; adeoque exercitu omni, qui usquam in Italiâ erat, eidem permisso, cum novorum delectuum habendi facultate; ut adversus Cæsarem proficiscatur, hortantur.

Adducti erant eidem fini, L. CORNELIVS LENTVLVS, & C. CLAVDIVS MARCELLVS, M. F. Consules designati, qui eadem POMPEIO mandarent. Ille legiones, & ea, quæ offerebantur, haud invitus accepit.

CVRIONIS PRO CÆSARE CONATVS, ET TVRBÆ.

CVRIO Trib. pl. qui nihil sibi ad summam, in caussâ Cæsaris defendendâ, contentionem reliqui fecerat; quùm obtinere non posset à Consulibus; ut edicerent; *Ne quis POMPEIO delectus habenti nomen adversus CÆSAREM daret*; metu iudicij, neque dum exacto magistratu, ex urbe ad Cæsarem profugit.

Hunc, ait Vell. ad ultimum, *saberrimas coalescentis conditiones pacis*, quas & Cæsar iustissimo animo postulabat; & POMPEIVS æquo recipiebat; *rupisse*, *aut discussisse*.

Fertur autem Cæsar, quo POMPEII necessitudinem retineret, Neptem suam OCTAVIAM, C. MARCELLO licet elocatam, ei obtulisse: & filiam ipsius vicissim, licet FAVSTO SYLLÆ desponsam, sibi uxorem dari postulâsse.

CÆSARIS MODERATIO ET PACIS STVDIVM.

CÆSAR tum, conventibus in citeriore Galliâ peractis, cum V. pedit. M. & CCC. equit. quos secum è Galliâ adduxerat, Ravennæ, extremâ provinciæ suæ urbe, subsistebat. Hic CVRIO quùm ei suaderet, omnibus mox legionibus è Galliâ atque Illyrico evocatis, ad Vrbem imparatam accederet; ipse priùs quàm auxilium rebus suis ab armis peteret, omneis concordiæ conditiones experiri maluit. Modò per amicos, cum adversarijs pacisci conatus; ut vel Gallia Cisalpina cum II. legionibus; vel certè cum unâ, Illyricum ipsi relinqueretur: dum iustis comitijs, & ex pacto, Consul crearetur. Modò Senatum per litteras deprecatus; ne exercitu omni imperioque nudatus, adversariorum invidię & calumnijs obijceretur.

Si POMPEIVS exercitum dimittere, imperiumque deponere iubearur; se paria facturum. Si ille id facere recuset; se quoque, retento exercitu, propediem, ad ulciscendas sui, patriæque iniurias, venturum.

Hoc extremo litterarum, quas CVRIO detulerat, & M. ANTONIVS publicè recitandas curârat; in Senatu perlecto; ab omnibus statim conclamatum est: *Bellum à CÆSARE idcirco denuntiari*. Eâque de re diu in Curiâ variantibus sententijs decertatum est: donec tandem Cos. LENTVLI, & M. CATONIS importunitate, iretur in sententiam Q. METELLI PII SCIPIONIS: qui tum POMPEII socer censuerat; *CÆSAREM, nisi ad diem certam exercitum dimittat; videri contra remp. facturum*.

M. ANTONIVS & Q. CASSIVS LONGINVS, Tribb. pl. qui sententiæ intercesserant; & animosiùs, ne ea perferretur, sed frustrà, restiterant; Curiâ excedere iussi, metu acerbioris decreti, & Pompeianorum, qui adventare credebantur; servili habitu, unà cum CVRIONE ad Cæsarem de nocte profecti sunt.

3905. Ab V. C. 703. | *Hæc acta ipsis Ianuar. Kal. quo die novi Consules, quos suprà dixi designatos; L. LENTVLVS & C. MARCELLVS, magistratum inibant.* | 45.

ADPARATVS BELLI CIVILIS.

Et circiter septem pòst diebus factum aliud S.C. cui non nisi extremis turbatæ reip. temporibus locus esse solet; *Darent operam Coss. Prætores, Tribb pl. quique ad Vrbem Consulares essent, ut ne quid resp. detrimenti capiat*.

Pecunia POMPEIO ex ærario dari iussa. Gallia provincia L. DOMITIO Aenobarbo; METELLO SCIPIONI, Syria; alijs aliæ extra ordinem & contra leges decretæ. Consul uterque, paludati, insitato exemplo, votis nuncupatis, extra urbem proficiscuntur. Delectus totâ Italiâ habentur; pecuniæ per municipia exiguntur, & arma imperantur.

Cæsar, qui Ravennæ interea postulatis suis responsum exspectabat, ijs, quæ Romæ acta essent, cognitis; & adversariorum iniurijs, ut iustissimi sibi belli caussis, in concione militum expositis; quùm eos, ut suam Imperatoris tot annis spectati, dignitatem ab inimicorum violentiâ defendant, esset cohortatus: Et à XIII. legionis militibus, qui tum aderant, alacriter esset acclamatum; Centuriones cum cohortibus, extra provinciæ suæ fineis, Ariminum pacato habitu & itinere præmittit; ipse ad Rubiconem, qui provinciæ suæ terminus Galliam ab Italiâ dividebat, eosdem est adsecutus.

ANCEPS CÆSARIS DE BELLO SVSCIPIENDO CONSILIVM: ET AD ROMAM progressus.

Ibi quùm varia perplexo ac nutante animo consilia versaret: & ad amicos, qui adstabant, conversus; *Regredi sibi nunc liberum esse* dixisset: ponticulo fluminis transito, *omnia sibi armis peragenda fore*; tandem, oblato sibi ostento; *Eamus*, subiecit, *quò Deorum ostenta, & inimicorum iniquitas vocat. Iacta est alea.* Sic exercitu Rubiconem traiecto, Ariminum etiam ante lucem occupavit.

Ibi Tribb. plebis & CVRIONE, qui eò ad se confugerant, in concionem productis; & militibus eorum oratione, & Cæsaris commiseratione, ad ul-

tionem magis incensis; exercitum, qui tunc præstò erat, rectè Romam ducit reliquas; legiones ex hibernis evocat, & se sequi iubet.

Quùm intereà legati ad CÆSAREM, à POMPEIO, L. CÆSAR, & L. ROSCIVS Prætor, rei certis conditionibus, ex CICERONIS sententiâ, componendæ, missi, nihil præter dubia & incerta POMPEII promissa adferrent; & iniquas leges Cæsari imponerent: ,, *Vt ipse Arimino excederet, atque in provinciam reverteretur: POMPEIVS & provincias & alienas legiones teneret. Ipse exercitum dimitteret; POMPEIVS & Consules, sine intermissione, delectus haberent.*

Præterea, quòd neque tempus colloquio, CÆSARE ita petente, daret POMPEIVS; neque accessurum polliceretur; magnam pacis desperationem adferebat.

Arimini itaque cum II. legionibus subsistens CÆSAR, delectus habere instituit. M. ANTONIVM cum V. cohortibus Arretium mittit. Pisaurum, Fanum, Anconam, singulis cohortibus occupat. Tiguum municipium, THERMO Prætore fugiente, per CVRIONEM recepit. Inde Auximum profectus: ACTIO VARO, qui id municipium præsidio tenebat; ab ipsis Decurionibus prius cum cohortibus excedere, fil que consulere iusso; ab eisdem in oppidum recipitur.

TREPIDATIO ROMÆ. POMPEII ET OPTIMATIVM FVGA.

His Romam nuntiatis, tantus repentè terror invasit, ut Consules, & plerique magistratus ex urbe profugerent: quùm CÆSAR etiam adventare, eiusque equites iam iamque adesse, in summâ agrestium, ultrò citròque commigrantium, trepidatione, & incondito clamore iactaretur.

POMPEIVS, pridie eius diei, non exspectato legatorum à Cæsare reditu, Capuam ad legiones, quas à Cæsare pridie acceperat; & in Apuliâ, in hibernis disposuisset, iter intenderat. non tam ut bellum ibi faciliùs administraret; quam metu, ne exercitum dimittere cogeretur.

Decedens, Consules cum universo Senatu, omnibusque magistratibus, subsequi; pecuniamque omnem, atque adeò sacra è Templis donaria, secum ferre iubet. *Impunitate omnibus, qui se sequerentur concessâ; hostium se loco habiturum, quicumque ad vrbem remansissent professus.*

CÆSAR, contrà; *Amicorum se loco habiturum, qui neutri partium adhæsissent.*

Senatores ita deserti, & in re tam ancipiti, animis suspensi, quùm in Curiâ pernoctâssent, plerique statim Capuam rectâ ad POMPEIVM contendunt: quidam verò, qui vel Cæsari, vel neutri factioni studerent; in urbe remansere.

VRBES ITALIÆ CÆSARI CERTATIM SE DEDVNT.

CÆSAR, dum Romæ ita trepidatur, omnem agrum Picenum percurrit. cunctæque earum regionum præfecturæ, libentissimis animis eum recipiunt; exercitumque eius rebus omnibus iuvant. Cingulum (quod oppidum LABIENVS suâ pecuniâ exædificârat, & instituerat) missis ad se legatis, in fidem accipit. Asculum, in Picentibus, tenebat X. cohortibus LENTVLVS SPINTHER. Is, cognito Cæsaris adventu, ex oppido profugit: & secum abducere cohorteis conatus, à magnâ parte militum deseritur.

VIBVLLIVS RVFVS, missus à POMPEIO in eum agrum, confirmandorum hominum caussâ; milites ab eo in itinere accipit: & ex finitimâ regione, quas potest ex delectibus Pompeianis, cohorteis contrahit. & VALLAM HIRRVM, qui cum VI. cohortibus Camerino fugiebat, excipit. Ex ijsita coactis, XIII. efficit, & ad DOMITIVM AENOBARBVM Corfinium pervenit, qui per se circiter XX. cohorteis è vicinitate collegerat.

CÆSAR, recepto Asculo, Corfinium contendit. Et Domitianis, qui pontem fluminis interrumpebant, repulsis, legionibusque suis transductis; ad oppidum constitit; iuxtaque murum castra posuit.

Sulmonenses intereà, qui à Q. LVCRETIO Senatore, & ACTIO PELIGNO, ea facere, quæ vellet Cæsar, prohibebantur; & VII. cohortium præsidio tenebantur; simulatque M. ANTONII, quem eò cum legione IIX. & IIX. cohortibus Cæsar miserat, signa vidêrunt; portas gratulabundi aperuêrunt. LVCRETIVS & ACTIVS de muro se deiecêrunt.

Corfinio deinde vallo castellisque circummunito; DOMITIVS, qui ad POMPEIVM oratum, ut sibi, multisq; secum Senatoribus & equitibus subveniret, certos homines cum litteris miserat; & ab illo, qui rem in summum periculum temerè, obsessorum caussâ, deducere nollet; iussus erat cum omnibus copijs ad se venire; consilium fugæ capere instituit. Divulgato DOMITII consilio, milites secessionem faciunt: deinde omnes uno consilio ipsum productum in publicum circumsistunt, & custodiunt; legatosque ex suo numero ad Cæsarem mittunt: *Paratos se esse portas aperire, quæque imperarerit, facere; & L. DOMITIVM vivum in eius potestatem transdere.*

CÆSARIS PRVDENTIA, ET CLEMENTIA IN DEDITITIOS.

CÆSAR singulari & prudentiâ & clementiâ usus, qui oppidum diripi, aut tot obsessos in vitæ periculum venire nollet; eos, qui ad se venerant, collaudat, atque in oppidum dimittit: portas murosque adservari iubet. Suos verò, quasi eruptiones ex urbe cavendæ essent; perpetuijs vigilijs stationibusque disponit.

In summâ omnium exspectatione, quid obsessis futurum esset; LENTVLVS SPINTHER, quartâ circiter vigiliâ, impetratâ colloquij cum Cæsare facultate, ex oppido emissus, & in conspectum Cæsaris deductus; cum eo de salute suâ agit, atque obsecrat, ut *sibi parcat.*

CÆSAR; *Se non maleficij caussâ ex provinciâ suâ egressum confirmat, sed uti se à contumelijs inimicorum defenderet. Tribb. pl. eâ re ex civitate expulsos, ad suam dignitatem*

gnitatem restitueret; se denique & pop. Rom. paucorum factione oppressum, in libertatem vindicaret.

Eâ ratione confirmatus LENTVLVS, ut in oppidum reverti liceat, petit. quod de suâ salute impetraverit, fore etiam reliquis ad suam spem solatio.

CÆSAR, ubi illuxit, omnes Senatores eorumque liberos, Tribb. militum, Equitesque Romanos, ad se produci iubet. Erant inter eos, præter DOMITIVM eiusque filium, & LENTVLVM & VIBVLLIVM; SEX. QVINCTILIVS VARVS Quæstor, & L. RVBRIVS; & Decuriones municipiorum à DOMITIO evocati, aliique. Hos omneis productos à contumeliis militum conviciisque prohibet: & de suis in eorum quemque beneficiis commonitos, omneis incolumeis dimittit.

DOMITIO potestatem facit; siquidem in partibus manere vellet, utra magis ei probaretur, eam sequeretur; nisi ab armis decedere & quietem agere mallet. HS. sexagies, quod ille advexerat, atque in publicum deposuerat; adlatum ad se à II. Viris Corfiniensibus, DOMITIO reddidit. quam tamen pecuniam ei POMPEIVS ex ærario in stipendium dederat.

Milites Domitianos sacramentum apud se dicere iubet.

Et VII. omninò dies apud Corfinium commoratus, motis inde castris, per fineis Marrucinorum, [F]rentanorum, Larinatiumque, in Apuliam pervenit.

Postquam fama de CÆSARIS, in DOMITIVM reliquosque, clementiâ Romam perlata est; insperata urbem invasit lætitia; multique è mediâ fugâ securiores domum se recepêre.

POMPEIVS FVGAM IN GRÆCIAM MEDITATVR. BRVNDISIVM OBSESSVM ET deditum.

POMPEIVS, qui tum fortè Luceriæ erat, Italiæ retinendæ spe deiectus, quùm CÆSARE Gallias adhuc obtinente, iter sibi in Hispaniam, provinciam suam, ubi exercitum haberet, terrâ interclusum sciret; fretus regum, populorumque Asiæ in se studiis, relictâ Italiâ, mare Ionium cum exercitu, & iis, qui ipsi aderant, Senatoribus, traiicere statuit. Luceriâ itaque Canusium; inde (ipsis Feralibus, VIII. Kal. Mart.) Brundisium pergit. Consules, quos cum magnâ parte copiarum Dyrrachium, in Epirum, præmittere constituerat; è-vestigio consecuturus.

CÆSAR, qui nihil tam cuperet, quàm POMPEIO Brundisii capto aut oppresso, vel ad æquas pacis conditiones adacto, bellum intra Italiam conficere; & qui vereretur, ne POMPEIVS ibi remaneret, quo faciliùs omne Hadriaticum mare, extremis Italiæ, Græciæque regionibus, in potestatem haberet; & utraque ex parte bellum administrare posset; eòdem cum VI. legionibus contendit. & opidum diversis operibus oppugnare; portûsque Brundisini usum hosti eripere; exitusque obiectis molibus impedire, & intercludere, instituit.

Interim ne à pace abhorrere videretur; primò per CN. MAGIVM, Præfectum fabrûm POMPEII, ex itinere à suis deprehensum; tum per CANINIVM REBILVM legatum, SCRIBONII LIBONIS necessarium, mutui inter se colloquii copiam petit. *Posse non iniquis conditionibus ab armis discedi.*

POMPEIVS, dato responso, quòd Consules absint: *Sine illis nihil de compositione agi posse*; contrariis interim operibus munitiones CÆSARIS aut perrumpebat, aut disturbabat. Et oppugnationem tantisper sustinuit, dum naves, Dyrrachio, à Consulibus remitterentur, quæ priorem exercitûs partem eò deportârant. Ipse sive operibus CÆSARIS permotus; sive quòd ab initio Italiâ excedere constituerat; adventu navium, profectionem parare incipit.

Quóque faciliùs impetum Cæsaris, militumque irruptionem retardaret; portas obstruit: vicos, plateasque inædificat: & fossas transversas viis perducit, & præsepit; atque aliquot propugnatoribus in muro & turribus opidi, ad speciem, relictis, qui certo signo, & actuariis navigiis revocandi essent; milites suos silentio naveis conscendere iubet: & sub noctem (Idib. Mart.) solvit.

CÆSAR autem fugâ Pompeianorum, per opidanos (qui iniuriis contumeliisque POMPEII & militum irritati, Cæsaris rebus favebant) è tectis significatâ, ad XV. Kal. April. Brundisium recepit.

Et quantumvis ad spem conficiendi maturiùs negotii maximè probabat; coactis navibus, mare transire: & POMPEIVM, priùs quàm transmarinis auxiliis confirmaretur, persequi: tamen quòd ille præsentem sui insequendi facultatem, abductis secum navibus, ademisset; & ipse in aliis procul cogendis moram temporisque longinquitatem timeret; satiùs duxit, Italiam, & quidquid à tergo relinqueretur, præsidiis confirmare: atque in Hispaniam, quæ Pompeianis Prætoribus & exercitibus tenebatur, proficisci.

CÆSAR INSVLAS, ET PROVINCIAS ITALIÆ PROPINQVAS PER LEGATOS occupat.

Et navibus per II. Viros municipiorum undique contrahi, & Brundisium deduci iussis; Q. VALERIVM, legatum, cum legione unâ in Sardiniam, quam M. COTTA obtinebat; Q. CVRIONEM Proprætorem cum III. legionibus in Siciliam, quæ MARCO CATONI obvenerat; dimittit. eâque receptâ, in Africam, quæ TVBERONI forte obtigerat, exercitum transducere iubet.

Caralitani, Sardiniæ principes, ad famam adventantis VALERII, suâ sponte ex opido COTTAM eiiciunt, qui in Africam profugit. CATO, navibus in Siciliâ instruendis, & delectibus in Lucanis Bruttiisque per legatos suos habendis, intentus; cognito CVRIONIS adventu, questus in concione sese proiectum ac proditum à POMPEIO, ex provinciâ, ad eumdem, per Corcyram, se contulit. Sic vacuas ab imperiis Insulas nacti, qui eò missi erant, cum exercitibus pervenêre.

TVBERO, quùm in Africam venisset, invenit in provinciâ cum imperio ATTIVM VARVM. qui ad Auximum amissis cohortibus, protinus ex fugâ in Africam pervenerat; atque eam suâ sponte vacuam occu-

occupaverat; delectuq; ie habito xx. legiones effecerat. Hic venientem Vticam, TVBERONEM, cum navibus, portu atque opido prohibet; eoque loco excedere cogit: Quæstore tum ibidem LIGARIO.

ACTA CÆSARIS ROMÆ.

CÆSAR itaque spatio LX. dierum universâ Italiâ, citra sanguinem, potitus, militibus in municipia proxima deductis, Romam ante Kal. April. pervenit. Senatum, quem extra pomerium ANTONIVS & CASSIVS coëgerant, benignè adlocutus, suæ caussæ æquitatem, & adversariorum acerbitatem commemorat. populum, Syllanæ tempestatis memoriâ & metu ferè exanimem, confirmat. filios eorum, qui à SYLLA proscripti erant; ad honores & magistratus admittit. Orat & postulat Senatores; Remp. suscipiant, atque unà secum administrent. sin timore defugiant; illis se oneri non futurum, & per se remp. administraturum.

Quùm Senatui placuisset, ut ex CÆSARIS sententia legati ad POMPEIVM mitterentur; nemo repertus est, qui id munus suscipere vellet; quòd POMPEIVS decedens ab urbe; *Hostium loco æque habiturum se edixerat, & eos, qui Romæ remansissent, & qui in castris CÆSARIS fuissent.*

METELLO OBNITENTE, CÆSAR ÆRARIVM COMPILAT.

Sed L. METELLVS Trib. pleb. ab inimicis CÆSARIS subiectus, & hanc rem distrahebat, & alia quæ agere ille instituerat, impediebat. & præcipue Rogationem, quam ille de pecunijs ex ærario ad bellum gerendum sumendis, tulerat. Cæsar verò, quùm clavibus non inventis, quas Coss. secum abstulerant, ærarium securibus effringi iussisset; mortem METELLO, si resisteret, comminatus; sanctiores etiam thesauros, soli bello Gallico cum exsecratione destinatos, abstulit. qui remp. perdomitis à se Gallis, religione solutam prædicaret.

M. ÆMILIVM LEPIDVM Præfectum urbi constituit. M. ANTONIVM universæ Italię, & in eâ præsidijs præfecit. Illyricum C. ANTONIO: & Galliam citeriorem LICINIO CRASSO decrevit. Classeis preterea duas, unam ad Inferi, alteram ad Superi maris tutelam, instruxit: illi Hortensium, huic DOLABELLAM, præesse iussit.

CÆSAR IN HISPAIAM MOVET. MASSILIA OPPVGNATA.

His rebus ita passim constitutis, ab urbe profectus in ulteriorem Galliam pervenit, in quâ pacem ipse fecerat: inde Hispaniam petiturus. Hoc in itinere cognoscit DOMITIVM, quem Corfinij paullo antè captum dimiserat; ad Massiliam occupandam, cum aliquot navibus obiter coactis, profectum. ipsosque Massilienseis, mandatis à POMPEIO per nobileis adolescenteis, indigenas, acceptis; ne nova Cæsaris officia, veterum suorum beneficiorum memoriam pellerét; portas sibi clausisse; auxilia ab Albicis, alijsque finitimis, accire; frumentum ex agris in urbem convehere; muros, classem, & portas reficere; armorum officinas in urbe instituere.

CÆSAR, XV. Massiliensium primis ad se evocatis, cum ijs agit; *Ne initium belli ab ipsis oriatur: Italiæ totius auctoritatem sequi potius debere; quam unius hominis voluntati obtemperare.*

Illi per legatos Cæsari renuntiant: *Quoniam pop. Rom. in duas parteis divisus sit, quarum principes POMPEIVS & CÆSAR, sua civitatis uterq; patroni: sui iudicij non esse, utra pars iustiorem habeat caussam, discernere. sed paribus eorum beneficijs, parem se quoque voluntatem tribuere debere; & neutrum eorum contra alterum iuvare: aut urbe, aut portubus recipere.*

DOMITIO BRVTVS OPPONITVR AD MASSILIAM.

Sed dum hæc inter eos aguntur, DOMITIVS ab ijs cum navibus receptus, urbi præficitur; summaque ei belli administrandi permittitur.

Quâ iniuriâ permotus Cæsar, legiones III. Massiliam adducit. turreis vineasque ad oppugnationem urbis agit; & navibus longis XII. Arelate, quàm celerrimè adfectis & armatis, D. BRVTVM præfecit: & C. TREBONIVM legatum cum III. legionibus ad obsidionem Massilię relinquit. Ipse in Hispaniam ire pergit; premissoque cum III. legionibus, quæ Narbone hiemárant, C. FABIO legato; reliquas, quæ longiùs hiemabant, subsequi iubet.

FABIVS, uti imperatum erat, celeriter saltus Pyrenæos occupat; & præsidia deijcit, magnisque itineribus ad exercitum AFRANII contendit.

POMPEIANI IN HISPANIA DVCES.

POMPEIVS quippe, antequam Brundisio decederet, VIBVLLIVM RVFVM in Hispaniam miserat. Cuius adventu; AFRANIVS, PETREIVS, & VARRO, POMPEII legati; (quorum unus III. legionibus Hispaniam citeriorē; alter à Saltu Castulonensi, ad Anam II. legionibus; tertius ab Anâ Vectonum agrū, Lusitaniamque pari numero legionum obtinebat) officia inter se erant partiti. ut PETREIVS ex Lusitaniâ, per Vectones cum omnibus copijs ad AFRANIVM proficiscatur: VARRO cum suis legionibus ulteriorem Hispaniam tueatur. Preter legiones; ex utrâque provinciâ auxilia contraxerant, scutatos & cetratos, ad DCCC. (al. LXXX.) cohorteis; & equitum circiter V. M. CÆSARI aderant, preter legiones; ad VI. M. auxilia peditum; equit. III. M. quæ omnibus superioribus bellis habuerat. & par ex Galliæ civitatibus numerus.

ILERDÆ LOCVS CASTRIS DELECTVS. IBIDEM VARIA VTRIMQVE CERTAMINA.

Pompeiani ad Ilerdam, loco maximè opportuno, bellum gerere constituunt, hostemque ibi operiri.

FABIVS, qui præmissus, ad Ilerdam proximè accesserat; & tentatis per nuntios finitimarum civitatum animis, duos in Sicore flumine, quod urbem adluit, ponteis effecerat, quibus pabulatum mitteret; crebrò cum Pompeianis, qui idem facerent, equestribus prœlijs contendebat.

Postquam Cæsar cum equitibus nongentis in castra pervenit, pontem, qui fuerat tempestate interruptus; & equitatum FABII, iam transgressum, & ab Afranianis, qui occasione & beneficio fortunæ ad eos opprimendos uti vellent circumventum, in magnum discrimen coniecerat; biduo pòst summâ industriâ perficiendum curavit. Et factâ æquo loco pugnandi potestate, quùm per Afranium staret quò

minus

minus prœlio dimicaretur; ab infimis radicibus montis castra facere constituit. & tam admirandis fossarum atque aggerum operibus communit; ut quùm Pompeiani, terrendi caussâ atque impediendi operis, copias suas ad infimas montis radices producerent, & prœlio lacesserent, neque idcirco Cæsar opus intermitteret; illi non diu commorati, copias in castra reduxerint.

Mediâ ferè planitie, quę inter Afranij castra, & opidum Ilerdam iacebat, editior surgebat tumulus. quem si occupásset Cæsar & communísset; ab opido, & ponte, & comeatu omni, quem in opidum contulerant; se intercluſurũ adversarios confidebat.

Dum hic utrimque in eo tumulo occupando contenditur, & horis v. continenter pugnatur; Afraniani, qui ex statione pro castris priùs in tumulum venerant; Cæsaris legionem repellũt. & perterritis instant. donec Cæsar legionem IX. subsidio duceret, & hostem insolentem supprimeret; seque ad opidum Ilerdam recipere & sub muro consistere cogeret.

Sed & dum hîc eius legionis milites, elati studio, farcire acceptũ detrimẽtum vellent; & in iniquum locum progressi haud facilè sese inde recipere possent; pugna, submissis utrâque ex parte auxilijs, ut integri defessis succederent, adeò acris exoritur; ut Cęsariani dum graviter à multitudine premerentur, omniaque tela cõsumsissent; gladijs districtis impetum adversus montẽ in cohorteis fecerint, & in opidum pænè compulerint. & equitatu inter duas acies perequitante, commodiorem socijs receptum dederint. Ex Cæsarianis primo congressu circiter LXX. cæsi; vulnerati ampliùs DC. Afraniani, præter v. Centuriones, plus CC. ex suis desiderárunt. Hi tamen tumulum, pro quo pugnatum erat; magnis operibus muniérunt. præsidiumque ibi posuérunt.

Biduo, quo hæc gesta sunt, repentinum accidit incommodum. Coorta tempestate, imbres cœlo effusi, & nives è montibus profluentes, summas fluminis ripas superárunt; & ambos pontes, quos FABIVS fecerat, uno die interrupérunt. Cæsaris castra, erant inter flumina duo, Sicorim & Cingam; & angusto XXX. millium spatio continebantur. Neque civitates, quæ ad Cæsaris amicitiam accesserant, frumentum supportare; neque ij, qui longiùs pabulatum progressi erant, fluminibus interclusi, reverti; neque maximi comitatus; qui ex Galliâ, Italiâque exspectabantur, in castra pervenire poterant.

Huc accedebat, quod AFRANIVS omne ferè frumentum è civitatibus, ante Cæsaris adventum, Ilerdam convexerat; & pecora, secundum inopię subsidium, belli metu, longiùs erant remota.

At AFRANII exercitus omnium rerum abundabat copiâ; quas sine ullo periculo pons Ilerdæ præbebat, & loca trans flumen integra.

Quùmque eæ aquę complureis dies permanerent, & CÆSAR ponteis reficere conaretur; neque magnitudo rapidissimi fluminis id permittebat; neque ad ripam dispositæ adversariorum ripæ perfici patiebantur.

AVXILIA CÆSARI SVBMISSA.

Iter ad CÆSAREM sub id tempus habebant sagittarij ex Ruthenis; equites ex Galliâ, cum magnis impedimentis. Erant præstereà cuiusque generis hominum millia circiter VI. cum servis liberisque. qui ne e ordine, nec imperio certo, ex superiorum temporum licentiâ, iter facerent. Erant & complures honesti adolescentes, Senatorum filij, & equestris ordinis: legati etiam CÆSARIS & civitatum. Hos omneis flumina continebant.

Id ubi AFRANIO nuntiatum; cum omni equitatu, tribusque legionibus ad eos opprimendos de nocte proficiscitur; imprudẽteisque, missis antè equitibus, adgreditur. Illi, dum pari certamine res geri potuit, magnum hostium numerum pauci sustinuére. Verùm ubi signa legionum adpropinquare cæpérunt; paucis amissis, sese in monteis proximos contulére.

ANNONÆ INOPIA IN CASTRIS CÆSARIS.

CÆSAR, ubi annonam ingravescere, (ut ad L. denarios, in singulos modios ea perveniret) & militum vireis inopiâ frumenti diminui sensit; civitatibus socijs & amicis, quò minor erat frumenti copia, pecus imperabat. Ipse, calonibus in longinquiora loca dimissis, præsentium inopiam, quibus poterat præsidijs tutabatur.

Hæc Romam in maius etiam partim rumoribus perlata, partim ducum Pompeianorum litteris ad amicos perscripta, quasi bellum pænè confectum videretur; effecére, ut multi ex Italiâ ad POMPEIVM, animis cum fortunâ mutatis, concurrerent.

PONTEIS INSTAVRAT CÆSAR AD ILERDAM.

Quùm in his angustijs CÆSAR versaretur; militibus imperavit; ut naveis ex levi materiâ fecerent, cuius generis anteà usus Britanniæ docuerat; quæ viminibus contexerentur, & corijs integerentur. Eas ita perfectas, carris iunctis devehit noctu millia pass. à castris XXII. milites que ijs flumen transportat: continentemque ripæ collem improviso occupat, & celeriter communit; & eódem legionem posteà traducit: atque ex utrâque parte pontem institutum biduo perficit. Ita commeatus, & qui frumenti caussâ processerant, tutò ad se recipit; & rem frumentariam expedire incipit.

Magna pars equitum, flumine transmisso, inopinanteis hostium pabulatores adgressa, quam-maximum numerum iumentorum atque hominum intercipiunt: & cohortem unam à reliquis seclusam ac circumventam, interficiunt. incolumesque cum magnâ prædâ eodem ponte in castra revertuntur.

PVGNA NAVALIS MASSILIENSIVM CVM BRVTO.

Dum hæc ad Ilerdam geruntur, Massilienses, naveis longas numero XVII. expediunt; ijsque multa minora navigia addunt; ut iustæ classis speciem prębèrent. Iis, ipsi magnum sagittariorum, & Albicorum, montanæ, & in armis exercitatæ gentis, numerum imponunt.

DOMITIVS verò, cuius consilio utebantur, certas naveis, quas sibi depoposcerat, colonis pastoribusque,

que, quos secum adduxerat, complet. Ita instructâ classe ad naves Cæsaris procedunt, quæ in adversâ Massiliæ insulâ stationem, duce BRVTO, obtinebant. Et numero quidem navium longè inferior erat BRVTVS; sed virtute & robore militum, bellicoque telorum adparatu, instructior.

Is, cognito hostium adventu, naves è portu educit, & cum Massiliensibus confligit. Hi quòd & celeritate navium, & rei navalis peritiâ præstarent, procursu celeri Cæsarianos eludebant, eorumque impetus excipiebant.

Cæterùm illi, dum locus cominùs pugnandi daretur, æquo animo singulas binis navibus objiciebant; & utrâque navi injectis harpagonibus, manibusque ferreis retentâ, diversi pugnabant, atque in hostium naveis transcendebant. & magno numero Albiorum ac pastorum interfecto, partem navium depnmunt; alias cum hominibus capiunt; reliquas in portum compellunt.

Ad hujus victoriæ nuntium, perfecto simul ponte, celeriter fortuna in castris CÆSARIS mutata est.

Afraniani, equitum virtute perterriti, minùs liberè vagabantur; & angustiùs, aut etiam noctu, pabulabantur.

Intereà Oscenses & Calagurritani, missis legatis ad CÆSAREM, sese imperata facturos pollicentur. Hos Tarraconenses, & Iacetani, & Ausetani, & paucis pòst diebus Illurgavonenses insequuntur. Hi omnes conquisitis undique iumentis frumentum in castra deportant.

Et exstinctis deinceps rumoribus, de auxilijs legionum, quæ cum POMPEIO per Mauritaniam venire ferebantur; multæ longinquiores etiam civitates, ab AFRANIO, ad CÆSAREM desciscunt.

CÆSAR ne magno semper circuitu per pontem equitatus esset mittendus; aversâ per fossas altiores parte Sicoris, vadum in eo effecit.

BELLVM IN CELTIBERIAM TRANSFERTVR.

POMPEIANI duces veriti, ne omni frumento pabuloque per equitatum CÆSARIS intercluderentur; bellum in Celtiberiam ad Iberum flumen transferre constituunt: unde, ob vetus POMPEII nomen, magnos equitatus, magnaque auxilia exspectabant; & suis in locis bellum in hiemem ducere cogitabant. Et cognito, pontem, quem iusserant, ad Octogesam, in Ibero propè effectum; & vadum in Sicori à Cæsare, eodem ferè tempore, repertum; rati eò magis iter maturandum; II. cohortibus auxiliarijs Ilerdæ præsidio relictis, omnibus copijs Sicorim transeunt; & cum II. legionibus, quas superioribus diebus transduxerant, castra coniungunt.

Equites Cæsaris, ad carpendum adversariorum agmen submissi, & flumen transire iussi, morari atque iter impedire contendunt. Quorum prœlio ex superioribus locis conspecto; pedites, qui bellum quasi duci, & hostem ex manibus dimitti dolerent; eidem, quà transductus erat equitatus, transire flumen ausi, quam-celerrimè consecuti sunt.

POMPEIANI ijs visis, & novâ re perterriti, maturiùs quàm constituerant castra ponunt: & totius diei pugnâ, atque itineris labore defessi; necessariam in præsens Iberi transmissionem in posterum diem distulerunt.

CÆSAR, qui in proximo quoque colle castra posuerat, saltum, quà hostibus necessariò iter erat, præsidio occupat. Eum, *omnium laborum finem* fore palam prædicans, *si hostem Ibero intercludere, & frumento prohibere posset*. Erat in celeritate omne positum certamen, utri priùs angustias montesque occuparent.

Quùmque prior Cęsar iter confecisset; atque ex magnis rupibus nactus planitiem, contra hostem aciem instruxisset; AFRANIVS, qui ab equitatu novissimum agmen premi, & ante se hostem videret; ex colle, in quo constiterat, IV. Cetratorum cohorteis in montem, qui erat in conspectu, omnium celsissimum, mittit, & concitato cursu occupare iubet; unde cum copijs per iuga Octogesam se perventurum faciliùs speraret. Illi verò ab equitatu Cæsaris circumventi, in conspectu utriusque exercitus interficiuntur.

Erat tum Cæsari occasio benè gerendæ rei; & duces militesque ad eum concurrebant, ne dubitaret prœlium committere. Sed Cæsar in eam spem venerat, *se sine pugnâ & vulnere suorum rem conficere* posse. Movebatur etiam misericordiâ civium, quibus salvis & incolumibus rem obtinere mallet. Quin & ex eo loco paullùm digreditur, ut timorem adversarijs minuat. eâque oblatâ facultate POMPEIANI in castra sese referunt.

Ille præsidijs in montibus dispositis, omni ad Iberum intercluso itinere, quàm-proximè potest hostium castris castra communit. POMPEIANI verò perturbati, quòd omnem rei frumentariæ, fluminisque Iberi spem amiserât; vallum à castris ad aquam ducere instituunt; ut intra munitionem, & sine timore, & sine stationibus aquari possent.

MVTVA INTER MILITES VTRIMQVE COLLOQVIA.

Cuius operis perficiendi causâ, dum PETREIVS atque AFRANIVS longiùs à suis progrederentur; milites liberam nacti colloquendi facultatem, vulgò procedunt; sermones cum notis serunt. *Eorum se beneficio vivere; qui sibi pridie perterritis pepercissent.* Fidem ab Imperatore, de *PETREII & AFRANII* vitâ *petunt; ne quod in se scelus concepisse, neu suos prodidisse, videantur.* Si ea confirmentur, statim se signa translaturos.

Legati de pace ad Cæsarem, primorum ordinum Centuriones, mittuntur. Ita ultrò citroque inter se commeantibus, una castra ex binis iam facta videbantur. Romani & Hispani principes certatim sese Cæsari commendant.

In hâc utrorumque lætitiâ & gratulatione; ex ducibus Pompeianis, ad quos rei novæ nuntius pervolârat; AFRANIVS quidem (cuius filius adolescens de suâ & parentis sui salute cum Cęsare per SVLPITIVM legatum egerat) ab opere in castra se recepit; sic paratus, ut videbatur, ut quicumque accidisset casus, cum quieto atque æquo animo ferret. PETREIVS verò, cum familiâ, & pretoriâ cohorte Cetratorum, suisque custodibus, ad vallum evolans, colloquia

colloquia militum interrumpit: Cæsarianos ab castris ferro repellit, aut deprehensos interficit. ex ijs tamen plerique gnaviter districtis gladijs adversùs vim tutati sua se in castra recipiunt.

Tum flens PETREIVS manipulos circuit, milites que appellat; *Neu se, neu POMPEIVM absentem, Imperatorem suum, adversarijs ad supplicium transdant.* Iuratur in Prætorio ab omnibus; *Se exercitum, ducesq; non deserturos, neque prodituros; neque sibi separatim a reliquis consilium capturos:* Edicitur, penes quem quisquam sit miles Cæsaris, ut producatur: productos, palam in Prætorio interficiunt.

CÆSAR contrà, Pompeianos, qui in castra per tempus colloquij venerant, diligenter conquiri & remitti iubet; nisi qui suâ voluntate apud eum remanere vellent. Ita res ad pristinam belli rationem redacta.

Premebantur Afraniani pabulatione; aquabantur ægrè. hinc magnus quotidie Cetratorum auxiliariumque numerus ad Cæsarem perfugiebat. Re in concilio agitatâ Ilerdam, ubi paullulum; frumenti relictum erat; non Tarraconem, quæ aberat longiùs; reverti constituunt.

Sed CÆSAR, equitatu præmisso, qui novissimum agmen carperet, cum legionibus subsecutus, ita acriter cedentibus institit; ut post crebras in itinere velitationes, quùm neque ad explorandum idoneum castris locum, neque ad progrediendum ultrà facultas daretur; consistere necessariò, & procul ab aquâ, & naturâ iniquo loco castra ponere cogerentur.

CÆSAR, qui ijsdem de caussis, quæ suprà demonstratæ sunt, eos lacessere prœlio nollet; istis, quę præsentia erant, malis, supplices necessariam subituros deditionem esse, prospiciebat.

Conatus est tamen eos vallo fossâque circumvenire; ut repentinas, quò descensuros putabat, eruptiones demoretur.

Illi & inopiâ pabuli adducti; & quò essent ad iter expeditiores; omnia sarcinaria iumenta interfici iubent. Postremò dum munitiones institutas perficere parat Cæsar; Illi vado flumen Sicorim frustrà, ob custodias, in ripis passim dispositas, transire conati, unà cum spe animos abiecérunt.

Atque omnibus rebus obsessi, aquæ, lignorum & frumenti inopiâ; atque adeò iumentis quartum iam diem sine pabulo retentis, colloquium petunt.

PAX CVM DVCIBVS POMPEIANIS.

Quod ubi, si palam, & audiente utroque exercitu, colloqui vellent, à CÆSARE concessum est; AFRANIVS, cuius filius obsidis loco datus erat; omnium nomine quàm potest demisissimè exponit: *Se fidem ergà Imperatorem suum, CN. POMPEIVM, conservare voluisse; sed satis iam fecisse officio, rerum omnium inopiam perpessos. Victos se confiteri: orare atque obsecrare, si quis locus misericordiæ relinquatur, ne ad ultimum supplicium progredi necesse habeant.*

CÆSAR, postquam ea, quæ ad caussę suæ ęquitatem, & ad probandas adversariorum in se iniurias, pertinere iudicabat, exposuisset; & de Ducibus ipsis, qui à pace abhorruissent; & neque colloquij, neque induciarum iura servâssent; sed milites imperitos, & per colloquium deceptos, crudelissimè interfecissent, cum stomacho expostulâsset; has pacis conditiones tulit.

„ *Ut provincijs, utrâq; Hispaniâ, excederent.* „ *Ut exercitus, quos adversarij contra se, multos iam annos, in pacatâ provinciâ, aluerint; dimitterentur.*

Et sic ij quidem milites, qui domicilium aut possessiones in Hispaniâ haberent, statim exauctorati & domos quisque suas remitti: Romani verò, Italiæ incolæ, ad Varum usque flumen, qui Galliam Narbonensem ab Italiâ dispescit deduci iussi.

Cautum erat; *Ne quid eis noceatur: neve quis invitus sacramento dicere à CÆSARE cogatur.*

MASSILIA ACRITER TERRA MARIQVE OPPVGNATVR.

Intereà C. TREBONIVS, legatus Cæsaris, ad oppugnationem Massiliæ relictus, aggerem, vineas, turresque ad opidum agebat. Sed tanti erant antiquitùs in opido omnium rerum adparatus, tantaque tormentorum multitudo; ut omnis Romanorum administratio aut perstringeretur, aut tardaretur. licet ij qui eruptiones facere, & igneis operibus inferre tentabant; non sine damno, in opidum reijcerentur.

Et quùm L. NASIDIVS, quem POMPEIVS cum classe navium XVI. L. DOMITIO subsidio miserat; summâ spe & voluntate Massilienseis complevisset; & hortatus esset, ut rursus cum BRVTI classe confligerent; illi omnium sine discrimine civium precibus fletuque excitati, naveis recèns armatas iterùm & alacriter conscendunt. & ex portu egressi, ad Taurenta, NASIDIO, expeditis navibus, se coniungunt.

BRVTVS, aucto navium numero, eódem & adversùs eos contendit. Commisso prœlio, Massilienses quidem & Albici acerrimè rem gerebant; sed Nasidiani nulli usui fuérunt: celeriterque pugnâ excessérunt; neque ex navibus suis ullam desiderárunt. Ex Massiliensium classe V. sunt depressæ; IV. captæ. I. cum NASIDIO profugit, & cum reliquis citeriorem Hispaniam petivit. Civeis, qui in eius diei casu omnium suarum fortunarum eventum consistere existimárant, & ante simulacra Deorum proiecti in templis victoriam implorárant; re cognitâ, tantus luctus excepit, ut urbs ab hostibus capta eodem vestigio videretur. Nihilo tamen segniùs ad urbis suæ defensionem reliqua adparare cæpérunt; quùm C. TREBONIVM ad oppugnandum redijsse vidissent.

Educta erat à legionarijs turris in altitudinem VI. tabulatorum; & milites pluteis tecti, infima muri & hostilis turris saxa, quibus fundamenta continebantur; convellere cęperant; quùm repentinâ ruinâ pars eius lateritię turris concidit; pars reliqua, quasi labem trahens, procumbebat.

MASSILIENSES PACEM POSCVNT, ET VIOLANT.

Cives inopinato malo turbati, inermes, cum infulis, sese portâ foràs universi proripiunt: Ad legatos, atque exercitum supplices manus tendunt; se-

queque ad pedes proijciunt. Orant; ut *adventus CÆSARIS exspectetur.* cuius imperata si minus fecerint, nullam in iram, captâ tam propè urbe, exoriri posse, quo minùs ad nutum eius advenientis è vestigio diripiantur. Si turris omninò in præsens concidisset, non posse militem contineri, quin spe prædæ in urbem irrumpat.

His rebus commoti legati, milites ex opere deducunt, & oppugnatione desistunt. eoque promtiùs, quòd TREBONIO CÆSAR magnopere mandâsset; *Ne per vim opidum expugnari pateretur:* neve graviùs permoti milites, tum defectionis odio, tum sui contentione & diutino labore, inclementiùs in opidanos sævirent.

Hi nihilo minus, sine fide, tempus atque occasionem fraudis ac doli quærebant. Interiectisque aliquot diebus, Cæsarianis tamquam in pace languentibus atque animo remissis, subitò, meridiano tempore, portis se foràs erumpunt. secundo magnoque vento ignem operibus cæptis inferunt; ut uno tempore agger, plutei, testudo, turris, tormentaque flammam conciperent; & multorum mensium labor interiret.

Quùm idem postero die, eamdem nacti tempestatem, ad alteram rursum aggeremque pugnando tentâssent; re infectâ in opidum sunt repulsi.

TREBONIVS, inducijs ita per scelus, & tantâ cum operum suorum iacturâ violatis, offensus; in summâ materiæ inopiâ ac difficultate, arbores omneis longè lateque in finibus Massiliæ excidi, & convehi ad se iubet: inde aggerem novi generis, atque inauditum, facere instituit.

Quod Massilienses conspicati, & mirati paucorum dierum operâ ac labore ita omnia refecta, ut nullius perfidię, aut eruptioni locus esset; & suorum in muris tormentorum usus, quibus maximè confisi erant, spatio propinquitatis, interijsset; ad easdem deditionis conditiones recurrunt.

VARRONIS INCONSTANTIA; ET PAVLLO POST EIVS, TOTIVSQVE PROvinciæ deditio.

M. autem VARRO, in ulteriore Hispaniâ, POMPEII legatus, qui cognitis ijs, quę in Italiâ paullò antè gestæ erant, ceu Pompeianis partibus diffidens, in neutram se partem moverat; posteaquam CÆSAREM ad Massiliam detineri; ad Ilerdam rei frumentariæ angustijs adflictari, & quidem inflatiùs ex AFRANII litteris cognovit; se quoque ad motum fortunę movere cæpit. & graveis in Cęsarem conciones habuit. sæpè ex tribunali prædicans; *Adversa CÆSAREM prœlia fecisse*, magnumque ab eo militum numerum ad Pompeianos duces transfugisse. Atque ita provinciam omnem vanis nuntijs perterritam, in sua & POMPEII verba per iusiurandum adigebat. Et cognitis ijs rebus, quæ in citeriore Hispania verè gestæ erant, omninò bellum, & hâc quidem ratione parabat. ut se, quoniam provincia omnis Cæsaris rebus faveret, cum II. legionibus, Gadeis conferret: naves frumentumque omne ibi contineret; ubi bellum in Insulâ duci, haud difficile existimabat.

CÆSAR, qui licet multis rebus necessarijs in Italiam revocaretur, nullam belli partem in Hispania POMPEIO obnoxiâ, relinquere constituerat; duabus legionibus in ulteriorem Hispaniam cum Q. CASSIO Trib. pl. dimissis; ipse cum equitibus DC. magnis itineribus progressus, edictum præmittit & promulgat: *Ad quam diem magistratus, principesque omnium civitatum sibi esse præsto Cordubæ vellet.*

Secundissima totius provinciæ voluntas in Cæsarem reperta est. Cordubę conventus, per se ipse portas VARRONI clausit; & custodias, vigiliasque in muro turribusque disposuit.

Carmonenses, firmissima regionis civitas, cohorteis III. quas VARRO in arcem opidi præsidio deduxerat, eiecit, & portas præclusit.

VARRO eò magis properare, ut cum legionibus quamprimùm Gadeis contenderet: ne itinere aut transiectu intercluderetur.

Sed paullò longiùs progressus, ex litteris in itinere cognoscit, Gaditanos Principes, cum Tribunis cohortium, quæ ibi pręsidio erant collocatę, C. GALLONIO, quem opido ipse præfecerat, excedere iusso; urbem insulamque Cęsari servare. Quod simul in exercitu VARRONIS increbuit; altera ex II. legionibus, Vernacula, ipso duce adstante & inspectante, ex castris signa sustulit; seseque Hispalim recepit. Ibique in foro & porticibus sine maleficio consedit, mox amicis hospitijs accepta.

His rebus perterritus VARRO, quùm itinere converso sese Italicam venturum promisisset; & certior à suis factus esset, præclusas esse portas; ad Cæsarem confestim mittit; *Se paratum, cui ipse velit, legionem tradere.* Eâque mox SEX. CÆSARI legato traditâ, ipse Cordubam ad Cæsarem venit. Et relatis ad eum publicis rationibus, cum fide, quod penes eum erat pecuniæ, tradit: & quod ubique habeat frumenti ac navium, ostendit.

CÆSARIS LIBERALITAS ET MODERATIO.

CÆSAR, habitâ Cordubæ concione, omnibus generatim, pro meritis & dignitate, tam civibus Romanis & Hispanis, quàm Tribunis & militibus gratias agit. pecunias, quæ erant in publicum VARRONI, à civibus Romanis eius provinciæ, (ad H. S. CXC. mill. & argenti pondo XX. mill. & modiorum tritici CXX. mill.) promissæ; remittit.

Hinc Gadeis profectus, pecunias, ornamentaque, quæ ex fano HERCVLIS, ab eodem VARRONE in privatam domum erant collata, in templum referri iussit: & Gaditanos civitate Romanâ donavit. Q. CASSIVM, qui priùs, POMPEIO Hispaniam obtinente, Quæstor fuerat; attributis ei IV. legionibus, provinciæ præfecit. Ipse ijs navibus, quas VARRO, quasque Gaditani eiusdem iussu fecerant, Tarraconem pervectus est; ubi totius ferè citerioris provinciæ legationes ipsius adventum exspectabant.

Inde, post honores privatim ac publicè quibusdam civitatibus habitos, digressus, pedibus Narbonem, atque inde Massiliam pervenit.

In montium Pyrenæorum transitu, Tropæum

quidem

quidem ibi constituére noluit, quòd id priùs in POMPEIO notatum intellexerat. sed veluti quoddam rerum à se gestarum monimentum, ARAM VICTORIÆ, è lapide polito, haud procul à Tropæis Pompeianis, constituit.

CÆSAR DICTATOR ROMÆ DICTVS; DEDITIS MASSILIENSIBVS ROMAM redit.

Statim verò, ut Massiliam pervénit; Ibi legem de Dictatore Romæ latam; seseque Dictatorem à M. LEPIDO Prætore dictum esse; cognoscit.

Massilienses præter cætera mala, ad summam rei frumentariæ inopiam adducti, cum gravi etiam pestilentiâ conflictati, sese Cæsari sine fraude dedere constituunt. quùm paucis antè diebus L. DOMITIVS, cognitâ Massiliensium voluntate, nactus turbidam tempestatem, cum III. navibus, fugam arripuisset: & duabus ex ijs à BRVTO interceptis, & in portum adductis, tertia, quam ipse conscenderat, evasisset.

Massilienses arma tormentaque ex opido, ut imperatum, proferunt: naves ex portu navalibusque educunt: pecuniam ex publico tradunt. Cæsar eos magis pro *nominis vetustate, quàm pro meritis* in se civitatis, conservat. Legionibus ibi II. præsidio relictis; cæteris in Italiam missis, ipse ad urbem proficiscitur.

CICERO AD POMPEIVM TRANSIT; NON SINE POENITENTIA.

CICERO paullo-antè in Græciam ad POMPEIVM transierat: cuius rei ipsum posteà pœnituit; non tam ob privatum periculum, quam ob militum ducumque in castris vitia; & plenam minarum crudelitatem, qui de pessumdandâ, aut Româ, patriâ, fame obsuscandâ, bonisque civibus exterminandis, consilia agitarent.

RES IN AFRICA, INTER CVRIONEM, ET DVCES POMPEIANOS, GESTÆ.

Iisdem temporibus, C. CVRIO, in Africam ex Siciliâ profectus, II. legiones, ex IV. quas à Cæsare acceperat; & D. equites transportârat, & ad locum, qui Aquilaria dictus, adpulerat.

L. CÆSAR, filius; Pompeianæ factionis dux, qui cum X. longis navibus ad Clupeam eius adventum præstolabatur, veritus hostilium navium multitudinem; ex alto refugit; & relictâ ad proximum littus constratâ trireme, pedibus Adrumetum (quod C. CONIDIVS LONGVI, unius legionis præsidio tuebatur) profugit; & reliquæ eius naves eódem se, amissâ triremi, recepérunt.

CVRIO verò, M. RVFO Quæstore, cum XII. ex Siciliæ præsidio navibus, Vticam præmisso, ipse eódem cum exercitu proficiscitur. Et bidui iter progressus, ad flumen Bagradam; CANINIVM REBILVM, legatum ibi cum legionibus relinquit. & cum equitatu ad Castra Corneliana (à maiore Africano sic olim dicta) locum castris peridoneum exploratum, antegressus; dum inde VARI castra, quæ M. ferè passibus à Cornelianis, sub ipsis opidi muris, locata erant, prospicit; simul animadvertit, repentini tumultûs metu, multa undique in urbem ex agris conferri.

Huc ille equitatum immittit, ut diriperet, & loco prædæ haberet. Eodemque tempore VARVS ex opido DC. equites Numidas, pedites que CD. (quos rex IVBA, POMPEIO amicus, & CVRIONI infensus, paucis antè diebus, auxilij caussâ, Vticam miserat) suis subsidio emittit.

Facto inter se concursu, & circiter CXX. Numidarum interfectis; reliqui se in castra ad opidum receperunt.

CVRIO interim, ex adventu longarum navium, onerarijs, quæ ad Vticam circiter CC. steterant; pronuntiari iubet; *In hostium se habiturum loco, qua non è vestigio ad castra Corneliana vela direxissent.* Atque illæ omnes, temporis puncto, sublatis ancoris, portu Vticæ relicto, quò imperatum erat, transiere; & exercitum omnium rerum copiâ complevére.

His rebus gestis, CVRIO, simul in castra ad Bagradam, pervénit; universi exercitûs acclamatione Imperator appellatus, confestim Vticam exercitum ducit, & propè opidum castra ponit.

PVGNA AD VTICAM VICTORE CVRIONE.

Nondum opere castrorum perfecto, quùm nuntiatum esset, magna auxilia à rege IVBA Vticam missa advenire; CVRIO equites præmittit, qui primum impetum sustineant ac morentur. At illi impetu, in incòpositos auxiliareis facto, antè quàm legiones instrui explicarique possent, ita regios impedierant & perturbárant, ut equitatu quidem eorum ferè omni, quòd se per litora in opidum celeriter recepisset, incolumi; magnus peditum numerus, inter fugiendum, interficeretur.

VARVS à transfugis Marsis inductus, exercitum totum à CVRIONE alienum esse; & ut in conspectum mutuum, datâ colloquendi facultate, veniatur, maximè expedire; legiones suas ex castris educit. Idem facit CVRIO, & suas uterque, exiguo vallis spatio, copias instruunt. Et quùm SEX. QVINCTILIVS VARVS, qui tum in exercitu ATTII VARI erat; quique Corfinij dimissus à CÆSARE in Africam venerat; aciem CVRIONIS circumijsset, & milites notos obsecrâsset; *ne prioris sacramenti, quod apud DOMITIVM suum Corfinij Imperatorem, atque apud se Quæstorem, dixissent, memoriam deponerent*: & pauca ad spem largitionis addidisset, quæ à suâ liberalitate, si deserto CVRIONE, se VARVM, & POMPEIVM secuti essent, exspectare deberent: quantumvis nullam in partem ab exercitu CVRIONIS facta esset significatio; & suas uterque copias reduxisset; magnus tamen in illius castris omnium incessit timor; & non vana defectionis tentatæ, aut consecuturæ, suspicio CVRIONEM exagitabat.

Donec vocata concione, ipse eloquentiâ, quasi hereditariâ, ita militum suorum animos delinivit, ac permovit, ut dicentem crebrò interpellarent; & magno

magno cum dolore infidelitatis suspicionem, aut notam sustinere viderentur. Ne dubitaret prælium committere, & suam fidem virtutemq; experiri.

CVRIO itaque suos postero die productos loco eodem, quo superioribus diebus constiterat, in acie collocat. Nec VARVS quidem dubitat copias producere.

Vbi ad manus ventum est; equitatus ATTII, qui se cum parte levis armaturæ, in vallem prior demiserat, primum impetum equitum CVRIONIS, & II. Marrucinorum cohortium, non tulit: sed admissis equis ad suos refugit, & levem armaturam hosti concidendam reliquit.

Hinc tota VARI acies timore, ex fugâ & cæde suorum, præoccupata, priùs quàm telum ab adversarijs, qui præcurrentem CVRIONEM iam sequebantur, adigi posset, aut illi propiùs accederent; terga vertit, seque in castra recepit.

Eâque fugientium multitudine ac turbâ, portæ castrorum ita occupabantur, iterque erat impeditum; ut plures eo in loco, sine vulnere, quàm in prælio aut fugâ, interirent. Neque multum absfuit, quin etiam castris expellerentur. nonnulli etiam eodem protinùs cursu in oppidum contenderent.

CVRIO, omissâ castrorum, ob loci munitionem, & rerum eam ad rem utilium inopiam; in præsens oppugnatione, suos omneis incolumeis in castra reduxit: præter FABIVM quemdam Pelignum, qui, inter persequendum, apertum VARI humerum gladio confidentiùs appetierat, & circumventus occubuerat. Ex adversarijs circiter DC. interfecti, ac M. vulnerati. qui, cum multis alijs integris, per simulationem vulnerum, ex castris in oppidum, propter timorem, sese recepere.

VTICENSES IN DEDITIONEM INCLINANT.

Ipse VARVS cognito exercitûs terrore, Buccinatorem in castris, & pauca ad speciem tabernacula reliquit: & de tertiâ vigiliâ silentiò exercitum in oppidum reducit.

Postridie quùm CVRIO Vticam obsidere, & vallo circummunire instituisset; Vticenses belli, præ diuturnitate otij, insolentes, & Cæsari ob beneficia amici; de deditione palam loqui, & cum P. ATTIO agere cœpérunt, ne suâ pertinaciâ omnium fortunas perturbari vellet.

PVGNA INTER IVBAM, ET CVRIONEM. CLADES INGENS ACCEPTA CÆSO CVRIONE.

Ea quùm agerentur, nuntij præmissi ab rege IVBA venérunt, qui illum magnis cum copijs mòx adfore dicerent; & ad urbis defensionem hortarentur. quæ res perterritos civium animos confirmavit.

CVRIO, quamquam eadem illi nuntiarentur; tamen & rerum suarum fiduciâ, & secundis CÆSARIS in Hispaniâ rebus sublatus, nihil, contra se, regem nisurum existimabat. Sed ubi certis auctoribus cōperit, minus v. & xx. millibus longè ab Vticâ regis copias abesse; relictis munitionibus, sese in castra Corneliana recepit. Huc frumētum comportare; & ex collatâ materiâ castra munire: è Siciliâ legiones IV. reliquumque equitatum evocare.

Huius loci oportunitate, & præsenti rerum necessariarum copiâ fretus, bellum ducere parabat; quùm ex perfugis quibusdam oppidanis, audit: *IVBAM ipsum finitimo bello, & Leptitanorum controversijs revocatum, in regno restitisse.* SABVRAM, eius Præfectum, cum modicis copijs missum, Vticæ appropinquare.

His auctoribus temerè ille credens, commutato consilio rem prœlio committere constituit. Equitatum omnem primâ nocte ad hostium castra, quibus SABVRA ad flumen Bagradam præerat, oppugnatum mittit. ignarus regem ipsum cum omnibus copijs insecutum, VI. millium pass. intervallo à SABVRA consedisse.

Equites quidem missi, itinere noctu confecto, Numidas, qui nullis ordinibus passim consederant, dispersos & somno oppressos adorti, magnum eorum numerum interfecére; & cum captivis ad CVRIONEM reversi sunt. Ipse verò, qui cum reliquis copijs quartâ vigiliâ è castris exierat, progressus VI. passuum millia, in equites victores incidit. & ex captivis, idem quod ex perfugis, SABVRAM castris ad Bagradam præesse, cognovit. reliqua, studio itineris conficiendi, quærere prætermittit.

Suos itaque, veluti ad certam prædam, cohortatus, equites eosdem sese sequi iubet, iterque accelerat, ut quam-maximè ex fugâ perterritos adoriri posset.

At illi, itinere totius noctis confecti, subsequi festinantem non poterant; atque alij alio loco restitebant. Sed ne hæc quidem res CVRIONEM ab spe morabatur.

IVBA, de nocturno prœlio certior factus, II. millia Hispanorum & Gallorum equitum, & peditum partem SABVRÆ submittit: ipse cum reliquis copijs, elephantisque XL. lentiùs subsequitur.

SABVRA, instructâ peditum peditumque acie, suis imperat; ut simulatione timoris, paullatim Romanis irruentibus cedant, ac pedem referant: sese, ubi opus esset, signum prœlij daturum.

CVRIO hosteis verè fugere arbitratus, copias ex locis superioribus in campum deducit; & confectoiam laboribus exercitu, XVI. mill. spatio, consistit.

Tum SABVRA, dato signo, aciem constituit: & peditatu dumtaxat procul ad speciem usus, equites in adversam aciem immittit.

Romanis licet defessis, & paucis (numero CC. equitibus. quòd reliqui in itinere substitissent) neque studium ad pugnandum, neque virtus deerat. sed neque longiùs fugientem hostem prosequi, nec vehementiùs equos incitare poterant.

At equitatus hostium ab utroque cornu circumire Romanorum aciem, & adversos proterere iam cœperat; ut neque in loco manere ordinesque servare; neque procurrere ex acie, & casum subire, tutum videretur. Et hostium copiæ, summissis à rege auxilijs, crebrò augebantur; Romanos vires lassitudine deficiebant. & iam tota acies equitatu circumda-

emindata tenebatur; plenaque omnia erant timoris & luctûs.

CVRIO, cuius neque cohortationes, neque preces, fessi & territi milites ampliùs audiebant; proximum collem capere universos, atque eò inferri signa iubet. Sed quùm missus à SABVRA equitatus locū præoccupâsset; Romani ad summam desperationem redacti, partim fugientes ab equitatu interficiuntur; partim metu & labore exanimati procumbunt.

CVRIO monitus à CN. DOMITIO, equitum Præfecto, ut fugâ salutem petat, atque in castra contendat; negat se amisso exercitu, quem à CÆSARE fidei suæ commissum acceperit; in eius conspectum reversurum. atque ita prœlians fortiter cadit. Equites perpauci ex prœlio se recipiunt.

Ii verò, qui ad novissimum agmen, equorum reficiendorum causâ, substiterant; animadversâ procul totius exercitûs fugâ, incolumeis se in castra contulére. milites ad unum omnes interficiuntur.

Qui in castris fuerant relicti, M. RVFVM Quæstorem, cohortantem suos ne animo deficiant; orant, ut in Siciliam navibus reportentur. Imperatum itaque magistris navium, ut primo vespere omneis scaphas ad littus adpulsas haberent. Sed in summo omnium terrore, dum sibi quisque consulunt, & certatim naveis conscendere properant; factum est, ut multitudine atque onere irruentium complura navigia deprimerentur, & pauci in Siciliam incolumes pervenirent. Reliquæ copiæ, missis noctu ad VARVM legatis, sese ei dedidérunt.

IVBÆ IN DEDITITIOS SÆVITIES.

Sed eorum militum cohorteis postero die ante opidum conspicatus IVBA, suam esse prædicans prædam; (VARO suam fidem ab eo lædi frustrà querente) magnam partem eorum crudeliter interfici (al crebris telorum ictibus à Numidis configi) iussit. pauci electi in regnum remissi. Caput CVRIONIS ad eum delatum, gratissimum spectaculum præbuit, ex privatis odiorum caussis. Ipse equo in urbem vectus, prosequentibus aliquot Senatoribus, (quo in numero SER. SVLPITIVS, & LICINIVS DAMASIPPVS) quæ fieri vellet, Vticæ constitutis & imperatis; paucis pòst diebus se in regnum cum omnibus copijs recepit.

DIVERSA PRO REGIBVS STVDIA.

His in Macedoniam ad POMPEIVM perlatis; IVBA ab illo, & Romanis Senatoribus, (qui facilè cc. cum eo erant) honorificè Rex appellatus est: & Romę contrà à Senatu & Cæsarianis hostis iudicatus. in ciusque locum BOCCHVS & BOGVD, POMPEIO inimicissimi, Reges declarati.

RES IN DALMATIA VTRIMQVE GESTÆ.

Eodem ferè tempore P. CORNELIVS DOLABELLA, CÆSARIS legatus, à M. OCTAVIO & L. SCRIBONIO LIBONE, è Dalmatiâ profligatur. Et C. ANTONIVS, dum suppetias DOLABELLÆ ferre studet; capus in mari supero, cum navibus XL. alijsque compluribus Cæsarianæ factionis ducibus, ad POMPEIVM à LIBONE in Dalmatiam deductus est.

MILITARIS IN CÆSAREM SEDITIO COMPRESSA.

CÆSAR autem, dum à Massiliâ ad Vrbem properaret; ex itinere ad Placentiam advolare cogitur: ubi legio IX. tumultuosiùs agere, & imperium detrectare, & donativum sibi à CÆSARE promissum seditiosiùs flagitare, nuntiabatur.

Ipse castigatâ acribus verbis militum insolentiâ, quùm legionem, à quâ seditionis initium factum esset, decimaturum interminaretur; tandem exoratus in XII. forte ductos animadverti iubet: & tumultu composito, rectà Romam pergit.

C. IVLIVS CÆSAR DICTATOR, CONSVL, ET I. ROMANORVM IMPERATOR.

3505. | | 45.
Ab V. C. 706.
Ab Olymp. 728.

RES GESTÆ CÆSARIS IN DICTATVRA.

CÆSAR postquam in urbem pervénit, DICTATOR iam antè, comitiorum habendorum feriarumque Latinarum caussâ, creatus, Dictaturam inijt; eamque non minore modestiâ, quàm clementiâ administravit. Exsules omneis, præter MILONEM solum, revocavit. Eosque, qui lege Pompeiâ, ambitûs, maiestatis, alteriusve criminis rei, aut præcipiti iudicio damnati erant; absolvit & restituit. Et magistratibus in sequentem annum constitutis; Se II. & P. SERVILIVM VATIAM ISAVRICVM, Consules designavit. (Is enim erat annus, quo per leges (x. post priorem Consulatum annis) ei Consulem fieri liceret.)

magno cum dolore infidelitatis suspicionem, aut notam subiisse viderentur. Ne dubitaret prælium committere, & suam fidem virtutemq; experiri.

Cvrio itaque suos postero die productos loco eodem, quo superioribus diebus constiterat, in acie collocat. Nec Varvs quidem dubitat copias producere.

Vbi ad manus ventum est; equitatus Attii, qui se cum parte levis armaturæ, in vallem prior demiserat, primum impetum equitum Cvrionis, & II. Marrucinorum cohortium, non tulit; sed admissis equis ad suos refugit, & levem armaturam hosti concidendam reliquit.

Hinc tota Vari acies timore, ex fugâ & cæde suorum, præoccupata, priùs quàm telum ab adversarijs, qui præcurrentem Cvrionem iam sequebantur, adigi posset, aut illi propiùs accederent; terga vertit, seque in castra recepit.

Eâque fugientium multitudine ac turbâ, portæ castrorum ita occupabantur, iterque erat impeditum, ut plures eo in loco, sine vulnere, quàm in prœlio aut fugâ, interirent. Neque multum absfuit, quin etiam castris expellerentur. nonnulli etiam eodem protinùs cursu in oppidum contenderent.

Cvrio, omissâ castrorum, ob loci munitionem, & rerum eam ad rem utilium inopiam; in præsens oppugnatione, suos omneis incolumeis in castra reduxit: præter Fabivm quemdam Pelignum, qui, inter persequendum, apertum Vari humerum gladio confidentiùs appetierat, & circumventus occubuerat. Ex adversarijs circiter DC. interfecti, ac M. vulnerati. qui, cum multis alijs integris, per simulationem vulnerum, ex castris in oppidum, propter timorem, sese recepere.

VTICENSES IN DEDITIONEM INCLINANT.

Ipse Varvs cognito exercitûs terrore, Buccinatorem in castris, & pauca ad speciem tabernacula reliquit: & de tertiâ vigiliâ silentiò exercitum in oppidum reducit.

Postridie quùm Cvrio Vticam obsidere, & vallo circummunire instituisset; Vticenses belli, præ diuturnitate otij, insolentes, & Cæsari ob beneficia amici; de deditione palam loqui, & cum P. Attio agere cœperunt, ne suâ pertinaciâ omnium fortunas perturbari vellet.

PVGNA INTER IVBAM, ET CVRIONEM. CLADES INGENS ACCEPTA CÆSO CVRIONE.

Ea quùm agerentur, nuntij præmissi ab rege Ivba venerunt, qui illum magnis cum copijs mòx adfore dicerent; & ad urbis defensionem hortarentur. quæ res perterritos civium animos confirmavit.

Cvrio, quamquam eadem illi nuntiarentur; tamen & rerum suarum fiduciâ, & secundis Cæsaris in Hispaniâ rebus sublatus, nihil, contra se, regem nisurum existimabat. Sed ubi certis auctoribus cõperit, minus v. & xx. millibus longè ab Vticâ regis copias abesse; relictis munitionibus, sese in castra Corneliana recepit. Huc frumẽtum comportare; & ex collatâ materiâ castra munire: è Siciliâ legiones IV, reliquumque equitatum evocare.

Huius loci oportunitate, & præsenti rerum necessariarum copiâ fretus, bellum ducere parabat; quùm ex perfugis quibusdam oppidanis. audit: *IVBAM ipsum finitimo bello, & Leptitanorum controversijs revocatum, in regno restitisse.* Sabvram, eius Præfectum, cum modicis copijs missum, Vticæ adpropinquare.

His auctoribus temerè ille credens, commutato consilio rem prœlio committere constituit. Equitatum omnem primâ nocte ad hostium castra, quibus Sabvra ad flumen Bagradam præerat, oppugnatum mittit. ignarus regem ipsum cum omnibus copijs insecutum, VI. millium pass. intervallo à Sabvra consedisse.

Equites quidem missi, itinere noctu confecto, Numidas, qui nullis ordinibus passim consederant, dispersos & somno oppressos adorti, magnum eorum numerum interfecére; & cum captivis ad Cvrionem reversi sunt. Ipse verò, qui cum reliquis copijs quartâ vigiliâ è castris exierat, progressus VI. passuum millia, in equites victores incidit. & ex captivis, idem quod ex perfugis, Sabvram castris ad Bagradam præesse, cognovit. reliqua, studio itineris conficiendi, quærere pretermittit.

Suos itaque, veluti ad certam prædam, cohortatus, equites eosdem sese sequi iubet, iterque accelerat, ut quam-maximè ex fugâ perterritos adoriri posset.

At illi, itinere totius noctis confecti, subsequi festinantem non poterant; atque alij alio loco resistebant. Sed ne hæc quidem res Cvrionem ab spe morabatur.

Ivba, de nocturno prœlio certior factus, II. millia Hispanorum & Gallorum equitum, & peditum partem Sabvræ submittit: ipse cum reliquis copijs, elephantisque XL. lentiùs subsequitur.

Sabvra, instructâ peditum peditumque acie, suis imperat; ut simulatione timoris, paullatim Romanis irruentibus cedant, ac pedem referant: sese, ubi opus esset, signum prœlij daturum.

Cvrio hosteis verè fugere arbitratus, copias ex locis superioribus in campum deducit; & confecto iam laboribus exercitu, XVI. mill. spatio, constitit.

Tum Sabvra, dato signo, aciem constituit: & peditatu dumtaxat procul ad speciem usus, equites in adversam aciem immittit.

Romanis licet defessis, & paucis (numero CC. equitibus. quòd reliqui in itinere substitissent) neque studium ad pugnandum, neque virtus deerat. sed neque longiùs fugientem hostem prosequi, nec vehementiùs equos incitare poterant.

At equitatus hostium ab utroque cornu circumire Romanorum aciem, & adversos proterere iam cœperat; ut neque in loco manere ordinesque servare; neque procurrere ex acie, & casum subire, tutum videretur. Et hostium copiæ, summissis à rege auxilijs, crebrò augebantur; Romanos vires lassitudine deficiebant. & iam tota acies equitatu circumda-

circumdata tenebatur; plenaque omnia erant timoris & luctûs.

CVRIO, cuius neque cohortationes, neque preces, fessi & territi milites ampliùs audiebant; proximum collem capere universos, atque eò inferri signa iubet. Sed quùm missus à SABVRA equitatus locũ præoccupâsset; Romani ad summam desperationem redacti, partim fugientes ab equitatu interficiuntur; partim metu & labore exanimati procumbunt.

CVRIO monitus à CN. DOMITIO, equitum Præfecto, ut fugâ salutem petat, atque in castra contendat; negat se amisso exercitu, quem à CÆSARE fidei suæ commissum acceperit; in eius conspectum reversurum, atque ita prœlians fortiter cadit. Equites perpauci ex prœlio se recipiunt.

Ii verò, qui ad novissimum agmen, equorum reficiendorum caussâ, substiterant; animadversâ procul totius exercitûs fugâ, incolumeis se in castra contulêre. milites ad unum omnes interficiuntur.

Qui in castris fuerant relicti, M. RVFVM Quæstorem, cohortantem suos ne animo deficiant; orant, ut in Siciliam navibus reportentur. Imperatum itaque magistris navium, ut primo vespere omneis scaphas ad littus adpulsas haberent. Sed in summo omnium terrore, dum sibi quisque consulunt, & certatim naveis conscendere properant; factum est, ut multitudine atque onere irruentium complura navigia deprimerentur, & pauci in Siciliam incolumes pervenirent. Reliquæ copiæ, missis noctu ad VARVM legatis, sese ei dediderunt.

IVBÆ IN DEDITITIOS SÆVITIES.

Sed eorum militum cohorteis postero die ante opidum conspicatus IVBA, suam esse prædicans prædam; (VARO suam fidem ab eo lædi frustrà querente) magnam partem eorum crudeliter interfici (al. crebris telorum ictibus à Numidis configi) iussit, pauci electi in regnum remissi. Caput CVRIONIS ad eum delatum, gratissimum spectaculum præbuit, ex privatis odiorum caussis. Ipse equo in urbem vectus, prosequentibus aliquot Senatoribus, (quo in numero SER. SVLPITIVS, & LICINIVS DAMASIPPVS) quæ fieri vellet, Vticæ constitutis & imperatis; paucis pòst diebus se in regnum cum omnibus copijs recepit.

DIVERSA PRO REGIBVS STVDIA.

His in Macedoniam ad POMPEIVM perlatis; IVBA ab illo, & Romanis Senatoribus, (qui facilè cc. cum eo erant) honorificè Rex appellatus est: & Romę contrà à Senatu & Cæsarianis hostis iudicatus. in eiusque locum BOCCHVS & BOGVD, POMPEIO inimicissimi, Reges declarati.

RES IN DALMATIA VTRIMQVE GESTÆ.

Eodem ferè tempore P. CORNELIVS DOLABELLA, CÆSARIS legatus, à M. OCTAVIO & L. SCRIBONIO LIBONE, è Dalmatiâ profligatur. Et C. ANTONIVS, dum suppetias DOLABELLÆ ferre studet; captus in mari supero, cum navibus XL. alijsque compluribus Cæsarianæ factionis ducibus, ad POMPEIVM à LIBONE in Dalmatiam deductus est.

MILITARIS IN CÆSAREM SEDITIO COMPRESSA.

CÆSAR autem, dum à Massiliâ ad Vrbem properaret; ex itinere ad Placentiam advolare cogitur: ubi legio IX. tumultuosiùs agere, & imperium detrectare, & donativum sibi à CÆSARE promissum seditiosiùs flagitare, nuntiabatur.

Ipse castigatâ acribus verbis militum insolentiâ, quùm legionem, à quâ seditionis initium factum esset, decimaturum interminaretur; tandem exoratus, in XII. sorte ductos animadverti iubet: & tumultu composito, rectâ Romam pergit.

C. IVLIVS CÆSAR DICTATOR, CONSVL, ET I. ROMANORVM IMPERATOR.

3505. Ab V. C. 706. Ab Olymp. 728. | 45.

RES GESTÆ CÆSARIS IN DICTATVRA.

CÆSAR postquam in urbem pervénit, DICTATOR iam antè, comitiorum habendorum feriarumque Latinarum caussâ, creatus, Dictaturam inijt; eamque non minore modestiâ, quàm clementiâ administravit. Exsules omneis, præter MILONEM solum, revocavit. Eosque, qui lege Pompeiâ, ambitûs, maiestatis, alteriusve criminis rei, aut præcipiti iudicio damnati erant; absolvit & restituit. Et magistratibus in sequentem annum constitutis; SE II. & P. SERVILIVM VATIAM ISAVRICVM, Consules designavit. (Is enim erat annus, quo per leges (x. post priorem Consulatum annis) ei Consulem fieri liceret.)

Ineunt illi magistratum. Kal. Ianuarij. (antiqu', hoc est, ut quidam putant, circiter diem 31. Octob. Iuliani.)

Pontifices quoque & sacerdotes in locum demortuorum suffecti. Populo, in magnâ rei annonariæ angustiâ, frumentum publicè distributum. Et ad timorem novarum tabularum ex animis hominum minuendum, quùm fides totâ Italiâ esset angustior, neque creditæ pecuniæ solverentur; constituit; *Vt arbitri darentur, per quos fierent æstimationes possessionum ac rerum; & creditoribus utcumque satisfieret.*

TREBONIVS ei rei Præfectus, summâ cum æquitate peregit. Additum est edictum, quo modus pecuniæ possidendæ statueretur:

Ne quis in auro vel argento signato, plus H. S. sexagies possideret.

Provinceijs, suo potissimùm arbitratu, quos voluit, præfecit. M. LEPIDVM Hispaniæ: A. ALLIENVM Siciliæ: SEX. PEDVCEIVM Sardiniæ: D. BRVTVM, Galliæ Transalpinæ, novæ provinciæ: Gallis autem Cisalpinis, Padi accolis, ius civitatis concessit.

CÆSAR BRVNDISIVM, ET INDE IN GRÆCIAM COGITAT.

Hisce in urbe negotijs, & comitijs Prætorum, Quæstorumque, XI, ab inito Consulatu die perfectis; Dictaturâ se abdicat; & ab urbe Brundisium proficiscitur, quò XII. legiones equitatumque omnem convenire iusserat. sed tantùm navium reperit, ut anguste XV. millia legionariorum militum, & D. equites, trâsportari possent. Atque ex ipsæ copiæ hoc infrequentiores, quòd multi Gallicis tot bellis defecerant: magnumque numerum longinqua itinera, & gravis auctumnus circùm Brundisium adversâ valetudine tentatos, imminuerat.

ADPARATVS NAVIVM ET COPIARVM POMPEII IN GRÆCIA.

POMPEIVS anni spatium ad comparandas copias nactus, magnam classem (ad DC. naveis) ex Græciâ, Asiâ, Phœnice & Ægypto, coegerat; & aliam passim ædificandam curaverat. magnam regionibus omnibus & Dynastis imperatam pecuniam exegerat; aut societates provinciarum sibi numerare coëgerat. frumenti vim maximam ex feracibus terris pararat. Legiones effecerat civium Romanorum IX. & magnum numerum ex Græciâ conscriptum, supplementi nomine, in legiones distribuerat. Maxima præterea auxilia, præter VII. equitum millia, quæ secum habebat, à regibus Europæ Asiæque federatis, exspectabat.

In ijs, ANTIOCHVS COMAGENVS ex Syriâ cc. equites misit; cui POMPEIVS magna præmia tribuisse dicitur: licet, ut suprà memoratum est, eundem regno Syriæ pridem spoliâsset.

Ipse Dyrrachij & Apolloniæ, opidisque maritimis, hiemare constituerat: ut maris transitu CÆSAREM, classe opportunis locis dispositâ, prohiberet.

Classe in plureis parteis distributâ, præfecti singulis dati. Et Ægyptijs navibus, POMPEIVS filius; Asiaticis, DECIVS LÆLIVS, cum C. TRIARIO: Syriacis, C. CASSIVS: Rhodijs, C. MARCELLVS, cum C. POMPONIO; Liburnicis atque Achaicis, M. OCTAVIVS cum SCRIBONIO LIBONE, præesse iussi. sic tamen, ut ad M. BIBVLVM summa imperij maritimi respiceret.

His ita comparatis, POMPEIVS, qui tam alieno anni tempore non existimaret Cæsarem, rebus urbanis & Consulari administrationi, initium, neque se, neque exercitum mari commissurum; Thessalonicæ remissiùs, quàm conueniret, agebat. Neque ipse certè Cæsar, ante Ver, exercitum transmittere constituerat; nisi & POMPEIVM longiùs abesse, & adversa littora à BIBVLO negligentiùs custodiri, intellexisset.

CÆSAR IN GRÆCIAM TRAIICIT.

Vtendum itaque sibi familiari & prosperâ usque celeritate ratus, ut Brundisium venit; summâ alacritate militum, qui, quò expeditiores essent, mancipia & impedimenta in Italia relinquere parati essent, exceptus, (prid. Non. s. Idus) Ian. naves solvit, impositis legionibus VII. equitibus DC. & postridie terram attigit Ceraunicorum, saxa inter & loca periculosa, quietam nactus stationem, atque ad eum locum, qui Pharsalus appellatur, navibus ad unam incolumibus, & ignaris hostibus, milites exposuit. Naves eâdem nocte Brundisium à Cæsare remittûtur; ut reliquæ legiones, equitatusque transportari possent. Eique negotio præpositus erat FVSIVS CALENVS, legatus. Sed seriùs à terrâ provectæ naves, neque usæ nocturnâ aurâ, in redeundo offendêrunt.

BIBVLVS INDILIGENS CVSTOS, ET SÆVVS.

BIBVLVS namque, qui cum CX. navibus Corcyræ erat, certior factus de adventu Cæsaris, sperans se alicui parti onustarum navium occurrere posse; & nactus circiter XXX. in eas, indiligentiæ suæ ac doloris iracundiâ, erupit, omnesque incendit; eodemque igne nautas dominosque navium interfecit. Quare artioribus deinceps custodijs, à Salonis ad Orici portum, stationes litoraque omnia longè latéque occupavit.

OCTAVII RES AD SALONAM INFELICITER GESTÆ.

M. interea OCTAVIVS, post discessum Liburnarum, ex Illyrico, cum ijs quas habebat navibus, Salonas pervenit. Ibique concitatis Dalmatis, alijsque barbaris, Hissanos, qui exiguam in orâ Dalmaticâ Insulam incolebant; à Cæsaris amicitiâ avertit.

Sed quùm Salonenseis neque promissis, neque minis permovere posset; opidum oppugnare, & quinis castris circumdare instituit. Opidani quùm nihil sibi ad summam constantiam reliqui fecissent, quò minus in extremis rei frumentariæ angustijs, & maximâ suorum paucitate, vel diuturnæ obsidionis incommoda fortiter sustinerent; confecti vulneribus, ad extremum auxilium descendêrunt: servosque

que omneis puberes liberavérunt; & præsectis mulierum crinibus tormenta effecérunt. Et tandem observatâ custodiarum in castris hostilibus negligentiâ; nacti occasionem meridiani temporis, manu factâ; & pueris mulieribusque, ad speciem quotidianæ consuetudinis, in muro dispositis; in proxima OCTAVII castra irrupérunt, & expugnárunt. Eodemque impetu altera, & deinceps reliqua adorti, magno numero interfecto, OCTAVIVM cum suis in naveis confugere coëgérunt. Et hi Dyrrachium ad POMPEIVM se è fugâ recepérunt,

CÆSAR PACIS MVTVÆ CONDITIONES POMPEIO PROPONIT.

CÆSAR, vel quòd hosti necdum à copijs par esset; vel re verà à publicæ pacis concordiâ non abhorreret; L. VIBVLLIVM RVFVM, (qui POMPEII Præfectus bis in potestatem suam pervenerat; atque ab eo dimissus fuerat. quemque pro beneficijs suis, & pro eâ, quâ valebat apud POMPEIVM auctoritate, idoneum iudicaret) cum mandatis ad eumdem mittit. „ *Vt uterque pertinaciæ finem faciat, & ab armis discedat; neque amplius fortunam periclitetur. Satis esse magna utrimque incommoda accepta, quæ pro præceptis & disciplinâ habere debeant; ut reliquos casus reformident.* Hoc unum esse tempus de pace agendi, *dum sibi uterque confideret, & pares ambo viderentur.* Conditiones pacis Romæ à Senatu & à populo peti debere. Interim expedire reip. & ipsis placere oportere; *si in concione statim uterque iuravisset, se triduo proximo exercitum dimissurum; &, depositis armis auxilijsq́, necessariò populi Senatusq́, iudicio fore utrumque contentum.*

VIBVLLIVS, qui non minùs necessarium esse existimabat, ut de repentino Cæsaris adventu POMPEIVM certiorem faceret; & consilium capere posset, antè, quàm de mandatis agere inciperet; continente & celeri itinere ad POMPEIVM contendit; qui eo tempore in Candaviâ erat: & iam-tum iter ex Macedoniâ in hiberna, Apolloniam Dyrrachiumque versùs, habebat.

At ille rei novæ nuntio perturbatus, ad Apolloniam citissimè properabat; ne Cæsar oræ maritimæ civitates occuparet.

CÆSARI VRBES MARITIMÆ CVM EPIRO DEDVNTVR.

CÆSAR verò, expositis militibus, eodem die, per aspera, Oricum profectus est. Ibi L. TORQVATVS opidi & præsidij Parthini Præfectus, quùm portis clausis, Græcos arma capere pro POMPEIO iuberet; illi autem, contra Imperium pop. Romani pugnaturos se esse negarent; desperatis auxilijs, portas aperuit, & se atque opidum Cæsari dedit: incolumisque ab eo servatus est,

Hinc quùm extemplò Apolloniam venisset; & Apolloniates itidem, neque L. STABERIO, qui ibi præerat, obsides dare; neque portas Consuli Romano praecludere vellent; Præfectu POMPEII clam profugiente, cives Cæsarem opido recipiunt: Hos secuti sunt Bellidenses, Amatini, & reliquæ finitimæ civitates; totaque Epirus. omnes, quæ ille imperaret, facturos polliciti.

DVCES ET MILITES POMPEIO FIDEM IVREIVRANDO PRÆSTANT.

POMPEIVS, Dyrrachio timens, eò quàm citatissimè contendit. simulac Cæsar adpropinquare dicebatur. Tantusque terror eius exercitum incessit; ut relictis passim signis, aut armis proiectis, fugæ simile iter videretur.

Sed cùm ille propè Dyrrachium substitisset, castraque metari iussisset; exercitu etiam-tum perterrito, princeps LABIENVS procedit; iuratque: *Se eum non deserturum; eosdemq́, casus subiturum, quemcumque fortuna tribuisset.* Idem reliqui legati, Tribuni militum, Centuriones, omnisque exercitus iurat.

CASTRA VTRIMQVE AD DYRRACHIVM.

CÆSAR, occupato ad Dyrrachium itinere, finem properandi fecit; castraque ad flumen Apsum, haud procul ab Apolloniâ, posuit. Ibi reliquarum ex Italiâ legionum adventum exspectare, & sub pellibus hiemem agere constituit.

Hoc idem POMPEIVS facit; & trans idem flumen positis castris omnes eò copias auxiliaque côduxit.

AVDAX CÆSARIS CONATVS.

Fertur CÆSAR tædio longioris moræ, scaphâ piscatoriâ in Italiam, ad urguendas legiones, traijcere conatus esse; & trepidanti ad vim tempestatis adversę, gubernatori dixisse: *Bono animo esset, qui* CÆSAREM, *fortunamq́, eius comitem veheret.* & cursu ob marinos fluctus infecto, fluvioque adverso, in castra redijsse.

Addunt alij; POSTVMIVM cum litteris ad ANTONIVM, CALENVM, & GABINIVM, misisse, ut suos quisque exercitus quam-primùm traducerent. Et si fortè duces metu hostium aut tempestatis, imperata exsequi cunctarentur; milites quotquot vellent, POSTVMIVM ad se revertentem sequerentur.

CALENVS tamen, qui cum suis Brundisio naveis solverat; monitus in itinere per litteras à Cæsare, portus littoraque omnia classibus adversariorum teneri; se in portum recepit, naveisque omneis revocavit. Vna ex ijs, quę privato consilio administrabatur, Oricum delata, & à BIBVLO expugnata est, vectoribus ad unum interfectis. Ita exiguo tempore, magnoque casu, totius exercitûs salus constitit.

BIBVLVS CVM CLASSE INOPIA LABORAT.

Et BIBVLVS quidem erat cum classe ad Oricum. & sicut mari portubusque CÆSAREM prohibebat; ita ipse omni terrâ adituque earum regionum prohibebatur; neque lignandi, neque aquandi, neque naveis in littoribus religandi potestas fiebat. Atque adeò summis rerum necessariarum angustijs

premebatur. ut sicut reliquum omnem commeatum; ita ligna & aquam Corcyrâ navibus onerarijs supportare cogerentur: & difficilioribus usi aliquando tempestatibus, ex pellibus, quibus tectæ erant naves, nocturnum rorem ad potum excipere.

COLLOQVIUM IRRITVM EX CONTVMACIA POMPEII ET LABIENI.

Postquam LIBO autem cum BIBVLO se coniunxit; ipsi ambo ex navibus, cum M. ACILIO, & STATIO MVRCO, legatis Cæsaris, qui ad Oricum erant, colloquium expetunt, tamquam de compositione cum Cæsare acturi; & inducias ei rei impetrant. Sed multis hinc inde frustrà & frivolè agitatis; Cæsar, qui Buthroto Oricum ad eos venerat, ubi perspexit, præsentis periculi atque inopiæ vitandæ caussâ, colloquium istud, omnibus alijs, quę ad pacem facerent, ad POMPEII arbitrium reiectis, instituisse; ad reliquam belli cogitationem se recepit.

BIBVLVS, gravi morbo, ex frigore alijsque incommodis, implicitus, haud multò pòst moritur. nec quisquam in locum eius cum summâ imperij suffectus est.

VIBVLLIVS. qui à Cæsare cum mandatis ad POMPEIVM missus fuerat; sedato tumultu, quem repentinus Cæsaris adventus concitaverat: ubi primùm, adbibito rursus LIBONE, & L. LVCCEIO, & THEOPHANE (quibuscum maximis de rebus communicare POMPEIVS consuerat) de mandatis Cæsaris agere instituit; eum, ingressum in sermonem, POMPEIVS interpellavit; & loqui plura prohibuit: *Sibi nec vitâ, nec civitate opus esse, quam beneficio CÆSARIS habere videretur.* Sic colloquium, ad ripam Apsi fluminis, quod unum inter utraque castra intererat; ex pacto; inter P. VATINIVM, Cæsaris legatum, & A. VARRONEM, iterum institutum (ubi non sine magnâ militum utrimque exspectatione, ad pacem intenti omnium animi esse videbantur) interrupit T. LABIENVS: *Desinerent de compositione loqui, quibus, nisi CÆSARIS capite delato, pax esse nulla posset.*

CAVSSA NOVORVM ROMÆ MOTVVM.

Iisdem temporibus, Romæ, M. CÆLIVS (al. Cæcilius) RVFVS Prætor, cum C. TREBONIO (quasi non more maiorum electus, sed à Cæsare Prætor esset constitutus) novis motibus caussam dedit. Is caussâ debitorum susceptâ; *Si quis appellâsset de æstimatione, & de solutionibus,* quæ per arbitrum, ex Cæsaris præscripto, fierent; fore auxilio pollicebatur. Sed factum est æquitate decreti, & æquabili C. TREBONII, Prætoris urbani, humanitate, ut nemo provocárit.

Ne tamen ille frustrà turpem caussam ingressus videretur; legem promulgat: *Vt sexies-seni dies, sine usuris, creditæ pecuniæ solvantur.*

Cui legi quùm SERVILIVS Cos. reliquique magistratus resisterent; sublatâ priore, duas alias promulgat; I. *quâ mercedes habitationum annuæ conductoribus donantur: Alteram, Tabularum novarum.* Quâ re sic accensa sunt hominum studia; ut nonnullis vulneratis, multitudo TREBONIVM de tribunali deturbárit. Sed mox facto decreto, Consul COELIVM Senatu prohibuit; & concionari conantem de rostris deduxit.

Ille simulato ad Cæsarem itinere, clam nuntios ad MILONEM dimisit; qui CLODIO interfecto, eius nomine erat damnatus, neque à Cæsare cum reliquis exsulibus revocatus.

MILO CVM CÆLIO RES NOVARE CONANTVR, ET PEREVNT.

Eo in Italiam (è Massiliâ) evocato, gladiatoriæ familię reliquias, quas habebat, magnis muneribus datis, sibi coniunxit: atque eum in Turinum, ad solicitandos pastores, præmisit. Ipse verò Capuâ & Neapoli, quùm de proditione opidorum apparuisset, exclusus, consilio destitit.

MILO autem, dimissis circùm municipia litteris, *Se, quæ faceret, iussu atque imperio POMPEII facere;* eaque mandata ad se per VIBVLLIVM delata esse; quos ex ære alieno in Apuliâ laborare arbitrabatur, sollicitabat. Apud quos, quùm proficere nihil posset; Cosam in agro Thurino oppugnare cæpit. ibique à Q. PEDIO Prætore, qui cum legione prę erat, lapide ictus ex muro, perijt.

COELIVS verò, ad Cæsarem, uti dictitabat, profecturus, Thurios pervenit. Quumque ibi quosdam eius municipij sollicitaret; equitibusque Cæsaris, Gallis atque Hispanis, qui eò prę sidij caussâ missi erant, pecuniam polliceretur; ab ijs est interfectus. Ita illi in Italiâ motus celerem & facilem exitum habuerunt.

LIBO PORTVM BRVNDISINVM FRVSTRA OBSIDET.

LIBO ab Orico, cum classe L. navium, cui præerat, profectus; Insulam, quæ portui Brundisino exadvorsum est, occupavit: quà necessarius Cæsarianis erat egressus. Hic repentino adventu naveis onerarias quasdam nactus, incendit: unam frumento onustam abduxit. & militibus sagittarijsque de nocte in terram expositis, præsidium equitum deiecit. Et ad POMPEIVM litteras misit, ob loci, quem ceperat, opportunitatem, suâ se classe auxilia CÆSARIS solum facilè prohibiturum.

ANTONIVS verò, qui Brundisij tum erat, virtuti militum confisus, scaphas navium magnarum, circiter novem, cratibus, pluteisque contexit, eisque milites delectos imposuit: & separatim in littore disposuit. Deinde II. biremeis, per caussas exercendorum remigum, ad fauceis portûs prodire iussit.

In eas audaciùs progressas LIBO quadriremeis V. immisit. quę cum Antonianis adpropinquâssent; veterani in portum refugiebant: & adversarij, studio incitati, incautiùs sequebantur. Tum de-subito Antonianæ scaphæ in hosteis se incitaverunt; & unam ex ijs quadriremem, cum remigibus defensoribusque suis, cepérunt: reliquis

reliquis turpiter refugere coactis.

Tandem, equitibus per oram maritimam ab ANTONIO dispositis, aquati prohibitus LIBO, eâ necessitate & ignominiâ permotus, à Brundisio discessit, & obsessionem portûs omisit.

Quùm Cæsar, quod præcipitante iam hieme, neque naves, neque legiones Brûdisio ad se venirent, severiùs ad suos scripsisset; ut nacti idoneum ventum, vel ad Oricum, vel ad littora Apolloniatium, quæ à custodibus classis Pompeianæ maximè vacabant; cursum dirigerent: M. ANTONIVS, & FVSIVS CALENVS, ipsis militibus multùm hortantibus, nacti Austrum, naveis solvunt; & alterâ die Apolloniam, Dyrrachiumque provehuntur.

COPONII CVM CÆSARIANIS CONGRESSVS.

Eos Q. COPONIVS, qui Dyrrachij classi Rhodiæ præerat, ex continente conspicatus, naveis ex portu educit: & iam magnâ vi venti Dyrrachium prætervectos, nihilò segniùs insequitur. Illi portum nacti, qui Nymphæum dicitur, ultra Lissum III. pass. millibus, eò naveis introduxerunt. qui portus ab Africo tegebatur; ab Austro non erat tutus. Sed Austro se mox in Africum vertente, & tempore commutato; tempestas & Antonianos texit, & naveis Rhodias adflixit. Ita ut ad unam rostratæ XVI. eliderentur, naufragioque interirent. & ex remigibus propugnatoribusque, pars ad scopulos adlisi interficerentur; pars ab hostibus distraherentur. quos omneis conservatos CÆSAR domum remisit.

IMPAR OTACILII CONGRESSVS. ANTONIVS FELICITER EXSCENDIT, militesque exponit.

Quùm autem duæ naves ex Antonianis, tardiùs consecutæ, contra Lissum, in ancoris per noctem constitissent; Eas OTACILIVS CRASSVS, qui Lissi præerat, minoribus navigijs adortus, incolumitatem, si se dederent, pollicebatur. Vna ex ijs CCXX. milites ex legione tironum sustulerat; altera, ex veteranâ, paullo minus ducentis. Tirones, salo nauseâque confecti, iureiurando de incolumitate accepto, se dediderunt, & omnes ad OTACILIVM producti, contra religionem iusiurandi, in eius conspectu crudelissimè interficiuntur. Veterani, licet paribus tempestatis & sentinæ vitijs conflictati; at nihil ex pristinâ virtute remittere obstinati; extracto longiùs, per deditionis simulationem, tractandarum conditionum spatio; & gubernatore interim navem in terram eijcere iusso; quùm idoneum locum in littore nacti essent, se adversùs CD. equites, aliosque ex præsidio, ab OTACILIO submissos, gnaviter defenderunt; & paucis interfectis, incolumes ad suos se receperunt.

CÆSAR civibus Romanis oppidum Lissi anteà attribuerat, muniendumque curaverat. Hi quùm ANTONIVM recepissent, omnibusque rebus iuvarent; OTACILIVS, sibi timens, ex oppido ad POMPEIVM perfugit.

ANTONIVS expositis tutò copijs (quæ erant legiones III. veteranorum, & I. tironum, & DCCC. equites) plerasque naveis in Italiam remittit, quibus reliqui transportentur. & nuntiandum Cæsari curat, quid militum transvexisset, & quibus regionibus exposuisset.

Hæc eodem ferè tempore CÆSAR, atque POMPEIVS cognovere; sed diversa sibi ambo consilia cæpere. CÆSAR, ut quamprimùm se cum ANTONIO coniungeret; POMPEIVS, ut venientibus in itinere se opponeret; & si posset imprudenteis ex insidijs adoriretur.

Quùm POMPEIVS maiore viarum compendio prior ad ANTONIVM pervenisset; & hic missis ad Cæsarem nuntijs, milites unum diem castris continuisset; POMPEIVS cognito CÆSARIS adventu, ne duobus circùm-clauderetur exercitibus, ex eo loco discedit; omnibusque copijs ad Aspatagum Dyrrachinorum, profectus, idoneo ibi loco castra posuit.

INFELICES ARISTOBVLI, ET FILII ALEXANDRI, EXITVS.

Sub id tempus ARISTOBVLVS, Iudæorum haud ita pridem princeps, quem CÆSAR, Româ occupatâ, POMPEIO fugato, vinculis solutum, in Palæstinam, cum II. legionibus, dimiserat; ut provinciâ ordinatâ, Pompeianis inde negotium facesseret; iussu POMPEII in itinere veneno enecatus est. Corpus eius melle conditum diu iacuit, donec ANTONIVS id in Iudæam remissum in regum tumulos inferri, recondique mandavit. ALEXANDRVM verò, eius filium, Romanis olim rebellem, dum milites conquireret, SCIPIO captum, & Antiochiam ad se perductum, Romanis accusantibus, & POMPEIO iubente, securi percussit.

PTOLEMÆVS MENNÆVS, CVRATOR SVPERSTITVM FILIORVM ARISTOBVLI.

Huius autem fratres, PTOLEMÆVS MENNÆVS, Chalcidis ad montem Libanum, (al. in Ciliciâ,) Dynasta, ad se recepit. & misso Ascalonem, ad uxorem ARISTOBVLI, PHILIPPIONE filio, iussit ad se transmittere ANTIGONVM filium, & filias. Ex ijs PHILIPPIO ALEXANDRAM coniugem duxit: quam eo mortuo PTOLEMÆVS socer ipse sibi coniunxit; eiusque germanorum curam gerere non destitit.

ANTIPATRI VXOR, ET LIBERI.

ANTIPATER Idumæus, qui auspicijs HYRCANI ad versùs ARISTOBVLVM bellû multò antè gesserat; & PITHOLAVM, ARISTOBVLI parteis enixè foventem, per CASSIVM, Parthico bello defunctum, interficiendum curârat; uxorem duxit, illustri inter Arabas loco natam, CYPRON nomine; ex quâ quattuor liberos mares suscepit; PHASAELVM & HERODEM, qui

qui posteà regnavit; IOSEPHVM & PHERORAM: filiamque S. . LOMEN.

SCIPIONIS IN SYRIA RAPINÆ.

Scipio ille, POMPEII socer, simulatione belli Parthici, Syriam provinciam eà hyeme insolentissimè expilârat, & pecuniâ emunxerat: equites toti provinciæ imperârat: ijsque coactis, Parthis, finitimis hostibus, pòst se relictis, legiones equitesque ex Syriâ deduxerat.

Et quùm nonnullæ militum voces exauditæ essent; *Sese contra hostem, si educerentur, ituros; contra civem & Consulem arma non laturos*; deductis Pergamum, atque in locupletissimas urbeis, in hiberna legionibus, maximas largitiones fecerat; & conciliandi confirmandive causâ, diripiêdas ijs civitates dederat. Et iam Ephesiè fano DIANÆ depositas antiquitùs pecunias tollere parabat; quùm ex litteris a POMPEIO redditis, cognoscit; CÆSAREM cum legionibus mare transijsse: *Properaret ad se, omnibus posthabitis, cum exercitu venire*. Ille itàque ex Asiâ in Macedoniam iter parabat.

CÆSAR, ANTONII exercitu coniuncto, & deductâ Orico legione, quam tuendæ oræ maritimæ caussâ posuerat; tentandas sibi provincias, longiusque procedendum existimabat. Et quùm ad eum legati venissent ex Thessaliâ, Ætoliâque; qui, si præsidium mitteretur, pollicerentur earum gentium civitates imperata facturas; C. CASSIVM LONGINVM in Thessaliam, duabus licet factionibus divisam: C. CALVISIVM SABINVM in Ætoliam, cum legionibus cohortibusve misit; & ut ex tam propinquis regionibus de re frumentariâ sibi providerent, hortatus est.

C. DOMITIVM CALVINVM in Macedoniam proficisci iusserat: Ad quem quùm frequentes civitatum legationes, principe & hortatore MENEDEMO, convenire cœpissent; nuntiatum est, adesse SCIPIONEM cum legionibus, famâ suprà verum maiore.

VARIÆ FORTVNÆ VICES, INTER CÆSARIS ET POMPEII DVCES, IN THESSALIA.

Hic dum impetum à DOMITIO, à quo aliquot pass. millia aberat, in CASSIVM, qui ex Thessaliæ montibus Ambraciam versus iter facere & fugere cæperat convertisset; à M. FAVONIO (quem cum IIX. cohortibus, castello ad Haliacmonem fluvium munito, legionum impedimentis præsidio antè reliquerat) certior per litteras factus, à DOMITIO se premi & sine auxilio eius præsidium, ubi constitutus esset teneri non posse; CASSIO itidem omisso, suppetias FAVONIO adcurrit. Sic *CASSIO, industria DOMITII; & FAVONIO celeritas SCIPIONIS salutem attulisse censebatur*. Multa ab utrisque tum astu, tum vi apertâ, sed exiguo profectu, sunt tentata.

CN. POMPEII F. AD ORICVM CONATVS

CN. quoque POMPEIVS, MAGNI F. qui classi Ægyptiæ præerat, Oricum oppugnare frustrà conatus, IV. naveis longas, quæ deligatæ ad terram in statione erant, sed eas inaneis abduxit; reliquas incendit. Quo confecto negotio; D. LÆLIVM ab Asiaticâ classe deductum, reliquit; qui commeatus Bullide atque Amantiâ, importari in opidum prohiberet. Ipse Lissum intereà profectus, naveis onerarias XXX. à M. ANTONIO relictas, in portu incendit: opidoque per tridùum frustrà oppugnato, inde inglorius discessit.

CONFLICTVS IMPERATORVM AD DYRRACHIVM ANCEPS.

CÆSAR ad Asparagum, ubi POMPEIVS consedetat, profectus, expugnato in itinere Parthinorum opido, die in Macedoniam ad POMPEIVM pervenit; iuxtàque eum castra posuit. Quem ubi decernendi potestate à se factâ, suis se locis tenere animadvertit; Dyrrachium, quò omnem commeatum, totiusque belli adparatum POMPEIVS contulerat; magno circuitu, & difficili itinere, profectus est. Et POMPEIVS, de eius consilio per exploratores certior factus, postero die castra movit. At CÆSAR, vix intermisso itinere, manè ad Dyrrachium venit, quùm primum agmen POMPEII procul cernere-tur; atque ibi castra posuit.

POMPEIVS, interclusus Dyrrachio, edito loco, in Taulantijs, qui appellatur PETRA, castra communit. Eò partem navium longarum convenire; frumentum commeatumque ab Asiâ, alijsque, quas tenebat, regionibus comportari imperat.

CÆSAR, longiùs bellum ductum iri existimans; & de Italicis commeatibus desperans; in Epirum, rei frumentariæ caussâ, QVINCTILIVM & L. CANVLEIVM legatum misit; vecturasque frumenti finitimis civitatibus descripsit.

Sed quòd ea, ex locis partim sterilibus, partim antè spoliatis, parciùs suppeterent; consilium ex loci naturâ capit.

MVNITIONES VTRIMQVE CASTRORVM.

Quo minore, ab equitatu POMPEII, periculo supportari ad se cômeatus possent, dispositis per colleis, quicircùm castra Pompeij permulti aspectu; erant, præsidijs; & castellis communitis; & perductis è castello in castellû munitionibus, circumvallare Pompeium instituit; eiusque equitatum, angustissimo spatio conclusum, pabulatione prohibere; & ad rem gerendam inutilem efficere. (Spatium illud, MCC. stadiûm fuisse perhibent.)

POMPEIVS contrà, qui neque à mari Dyrrachioque discedere vellet; neque munitiones Cæsaris sine prœlio prohibere posset; ut quamplurimum spatij maximo circuitu occuparet; & laxiore pabulatione uteretur pariter, & Cæsaris copias quàm maximè posset, distineret; castellis XXIV. effectis, XV. millia passuum complexus est.

Dum hæc utrimque opera perficiuntur, quod POMPEIVS rem iusto prœlio committere non constituisset; in occupandis præsidijs magnâ vi utrique nitebantur; crebraque prœlia, sed leviora fiebant.

Cæsariani tamen à sagittarijs funditoribusque, quorum

quorum POMPEIUS magnum numerum habebat; adeò infestabantur, ut vix in opere consistere possent, & ægre sese reciperent.

INOPIA IN CASTRIS CÆSARIS, ET MILITUM TOLERANTIA.

Sed quùm navibus undequáque in castra POMPEII commeatus supportaretur; CÆSAR consumtis longè latéque frumentis, summis erat in angustijs.

At eius milites, longè pridem acerbiora in Gallijs atque Hispaniâ perpessi; singulari patientiâ ferebant: neque hordeum, neque legumina, cum darentur, recusabant: & pecus (Alij; melius, PANICUM) cuius rei summa erat ex Epiro copiâ, in delicijs habebant.

Erat & radicis genus, quod CHARAM appellant; quodque admistum lacte, panis instar, multùm inopiam levabat.

Ex eo effectos panes, quùm in colloquijs Pompeiani famem ipsis obiectarent; vulgò in eos iaciebant, ut spem eorum minuerent. Crebroque voces militum in vigilijs, colloquijsque audita: *Prius se cortice ex arboribus victuros, quàm POMPEIUM, è manibus dimissuros.*

Ferunt & POMPEIUM, uno ex istis panibus ad se delato, ingemuisse, & dixisse: *Cum feris sibi, non cum hominibus negotium esse.* & vetuisse panem illum militibus suis ostendi; *Ne tam constanti hostium tolerantiâ animi in ijs frangerentur.*

INOPIA IN CASTRIS POMPEII, ET INVALITUDO.

Et certè in castris iam Pompeianis non minore pabuli, atque aquæ inopiâ laborari cæperat: postquàm CÆSAR flumina omnia, atque omneis rivos, qui ad mare pertinebant, avertisset, aut magnis operibus obstruxisset. Ita ut non equi modò eorum vix tolerarentur, & reliqua iumenta interirent; sed & castra odore tetro, ex multitudine cadaverum, bonam militum valetudinem tentarent.

At CÆSARIS exercitus, cum firmâ corporum adfectione, summaque aquæ copiâ utebatur; tum commeatûs omni genere, præter frumentum, abundabat. Ipsique quotidie melius succedere tempus; maioremque spem maturescentis frumenti proponi videbant.

VARIA AD DYRRACHIUM PROELIA POMPEIO ADVERSA.

POMPEIUS, uno die; VI. prœlijs factis, III. ad Dyrrachium, quò CÆSAR, P. SYLLA castris Præfecto, contenderat: III. ad muniriones, (nam plura pariter castella, distinendæ manûs caussâ, tentare placuerat, ne ex proximis præsidijs succurri posset) ad bis mille numero cecidisse comperit; evocatosque Centuriones complureis: & signa VI. militaria, desiderari. Quùm Cæsariani omnibus simul prœlijs non amplius XX. amisissent. Sed in castello nemo fuit omninò militum, qui non vulneraretur. quatuorque ex unâ cohorte Centuriones, crebro sagittarum iactu oculos amiserunt. quarum sagittarum millia circiter XXX. intra vallum reperta sunt. Et SCEVÆ Centurionis scutum, CCXXX. telorum ictibus perforatum, ad CÆSAREM relatum. quem quidem ille, cum totâ cohorte, amplissimis militiæ stipendijque donis exornavit.

ACHAIA PER CÆSARIANOS TENTATUR.

Iam Ætoliâ, & Acarnaniâ, & Amphilochis per CASSIUM LONGINUM, & CALVISIUM SABINUM receptis; CÆSAR, qui tentandam sibi Achaiam, ac paullò longiùs progrediendum existimaret; eò FUSIUM CALENUM mittit, & SABINUM CASSIUMQUE cum cohortibus adiungit. Ille Delphos, Thebas, & Orchomenum, voluntate ipsarum civitatum recepit; urbes nonnullas per vim expugnavit; reliquas, circummissis legationibus, amicitiæ CÆSARIS conciliare studebat.

RUTILIUS autem LUPUS, qui Achaiam, missus â POMPEIO, obtinebat; Isthmum præmunire instituebat, ut Achaiâ FUSIUM prohiberet.

CÆSAR consecutis deinceps diebus exercitum in aciem æquo loco produxit, ut pæne castris POMPEII legiones subijceret. POMPEIUS autem, ut famam & opinionem hominum teneret; neque certaminis aleam defugisse videretur; sic pro castris copias instituebat, ut omnis eius instructus exercitus telis, ex vallo abiectis, protegi posset.

PAX ITERUM A CÆSARE TENTATUR.

Dum hæc in Achaiâ, atque apud Dyrrachium gererentur; SCIPIONEMQUE in Macedoniam venisse constaret; non oblitus pristini instituti Cæsar, mittit ad eum cum litteris, & de pace mandatis, CLODIUM, suum atque illius familiarem. „ *SCIPIONEM, præter auctoritatem, vires quoque ad POMPEIUM inducendum aut coercendum, habere: Si pacis auctor esset; quietem Italiæ, pacem provinciarum, salutem imperij, uni omnes acceptam relaturos.*

CLODIUS primis diebus, uti videbatur, libenter auditus; reliquis ad colloquium non admissus; re infectâ & FAVONIO SCIPIONEM castigante, ad Cæsarem redijt.

SUMMA PABULI INOPIA.

POMPEIUS interim equitatum suum, quo nihil proficiebatur; quique pabulatione, aditibus præmunitis, & castellis ibi positis, â Cæsare prohibebatur; navibus ad se intra munitiones receperat. Erat enim summa pabuli inopia; adeò, ut folijs, ex arboribus strictis, & teneris arundinum radicibus, ijsque contusis, equos alerent. atque è Corcyrâ usque, & Acarnaniâ, pabulum supportare, idque hordeo adaugere, cogerentur.

Sed postquam omnibus consumtis, frondes etiam ex arboribus defecere; corruptis macie equis; conandum sibi aliquid POMPEIUS de eruptione cogitavit.

ALLO-

ALLOBROGVM FRATRVM A CÆSARE AD POMPEIVM DEFECTIO.

Et commodùm sub id tempus, fratres duo Allobroges, ROSCILLVS & ÆGVS, ex equitum numero, à Cæsare, ob virtutem, & singularem Gallicis & superioribus bellis, operam, amplissimè habiti: quòd ab eo de stipendio equitum suorum fraudato, licet clam, castigatos sese esse indignarentur; multa deinde antè decessum iniquiora conati; primi omnium, cum magno comitatu & multis equis coëmtis, ad POMPEIVM à CÆSARE transiérunt. Ex his postquàm POMPEIVS & CÆSARIS consilia, & munitiones situmque castrorum, didicisset; eruptionis, quod antè ceperat, consilium exsequi constituit.

Magnum itaque levis armaturæ, & sagittariorum numerum, cum omni aggere, quem comportare milites iusserat, noctu in scaphas & navigia actuaria imponit. & de mediâ nocte cohorteis LX. ex maximis castris præsidijsque deductas, ad eam munitionum partem ducit, quæ pertinebant ad mare; longissimeque à maximis Cæsaris castris, prætorioque aberant.

Ibi LENTVLVS MARCELLINVS, Quæstor, cum legione IX. præerat. & POMPEIVS, omni vi oppugnare adgressus, editâ obviorum, vel propugnantium, magnâ strage, ipsius MARCELLINI castris, non sine terrore imminebat; quùm M. ANTONIVS, deductis è proximo præsidio XII. cohortibus, Pompeianorum impetum nonnihil repressit; & suos metu liberavit.

CÆSAR eòdem, significatione periculi, procul per castella, fumo editâ, subsidio cum aliquot cohortibus adproperavit; castraque ad mare iuxta POMPEIVM muniri iussit.

MEMORABILIS INTRA CASTRORVM MVNITIONES PVGNA, POMPEIO tantum-non victore.

Eâque munitione perfectâ, quùm ei à speculatoribus nuntiatum esset; & ex superioribus castellis animadversum, cohorteis quasdam, & signa, quæ procul intuentibus instar legionis essent, in vetera castra induci; ipse eam legionem se opprimere posse sperans, & eius diei detrimentum sarcire cupiens: quû II. cohortibus in opere relictis, reliquas numero XXXIII. (in quibus erat legio IX.) occultè & diverso itinere, ad minora POMPEII castra deduxisset; adversarios quidem è vallo deturbavit: & ericio, quem Pompeiani portis obiecerant, exciso, primò in maiora castra; pòst etiam in castellum, quod ijs castris inclusum erat, irrupérunt, & nonnullos cecidérunt.

Sed magna mox fortunę & rerum commutatio est secuta. Dum namque Cæsariani munitionum perplexitate, & locorum ignoratione impliciti, incertique, diu per maiora castra errarent; POMPEIVS cum legione suis subsidio venit: eiusque milites, celeri spe subsidij confirmati, iam ab Decumanâ portâ resistere audebant, & ultrò in Cæsarianos impetum faciebant.

Equitatus Cæsaris, qui cohorteis erat secutus, suo ex angusto itinere receptui timens, initium fugæ fecit.

Dextrum cornu, à sinistro seclusum, ne fugientibus equitibus intra munitionem opprimeretur; eâ parte, quà perruperat, sese recipiebat. & plerique in fossas præcipitabant, primique oppressis, reliqui per eorum corpora salutem sibi atque exitum patiebant.

Sinistro cornu milites, quùm extrà & intus hostem haberent; eâdem, quà venerant, receptui consulebant.

Plena omnia tumultûs, timoris, & fugæ erant. ut vix ullus pedes, aut eques, Cæsare frustrà cohortante, & signa fugientibus extorta inferente, omninò consisteret.

Ipse postquam in castra redijt; POMPEIVM *uti victoriâ nescire pronuntiavit*; qui eo die, si quando aliàs, superari potuerit, si victor fugientibus institisset; & ulteriora Cæsaris castra invasisset.

Duobus his unius diei prœlijs, Cæsar desideravit milites DCCCCLX. & notos equites Romanos CD. Tribunos milit. X. & Centuriones XXX. signa militaria XXXII. E socijs auxilijsq; permultos. Vt cæsorum numerus universè à plerisque tradatur IV. millium, & eò amplius.

POMPEIVS eo prœlio Imperator appellatus est, & deinceps salutatus; licet neque in litteris, quas scribere est solitus; neque in fascibus, Insignia laureæ prætulerit.

CRVDELITAS LABIENI; ET POMPEII VANITAS.

At LABIENVS, captivos, sibi petenti à POMPEIO traditos, non sine magnâ verborū contumeliâ commilitones appellans; & fugam in veteranis increpans, in omnium conspectu, interfecit.

POMPEIVS, cui ex eâ re tantum fiduciæ ac spiritûs accesserat, ut non de ratione belli cogitaret, sed vicisse iam sibi videretur; neque in posterum ulla rerum commutatio accidere posset; per orbem terrarum, famâ ac litteris, victoriam eius diei (quæ casu potiùs, quàm virtute parta esset) cōcelebrabat.

CÆSARIS CONSTANTIA, ET MILITVM ALACRITAS. CASTRA AD APOLloniam transferuntur.

CÆSAR contrà, nocte illâ per summam mæstitiam exactâ, omnem sibi belli rationem commutandam existimavit. Et vocatis postridie in concionem militibus hortatus est; *Ne ea, quæ accidissent, graviter ferrent; neve terrerentur.* Multis secūdis, in Italiâ, in Hispanijs, in ipsâ denique Græciâ, prœlijs, unum adversum, & id mediocre opponerent, ac consolarentur. *Si non omnia caderent prospera; fortunam esse industriâ sublevandam. Dandam omnibus operam, ut acceptum incommodum virtute sarciatur.*

Milites eâ oratione in pudorem dati, ultrò decimationis in se exemplum deposcebant. & tantus incessit ex detrimento accepto dolor, tantumque studium

ftudium infamiæ farciendæ; ut fimul omnes pugnandi cupiditate arderent: & fuperioris etiam ordinis nonnulli, manendum eo loco, & rem prœlio committendam exiftimarent.

CÆSAR, fignferos aliquot, in quos faltim, milites, ob præcipitem è pugna fugam, animadverti volebant; ignominia notaffe ac loco moviffe contentus: quòd neque fatis militibus perterritis confidendum; fpatiumque ad recreandos animos interponendum putaret; omiffâ oppugnatione, præfidia omnia munitionibus didiectis, uno tempore, deducit: & fauciorum modò atque ægrorum habitâ ratione, impedimenta omnia, filentio, primâ noĉte, ex caftris Apolloniam præmifit; ac conquiefcere antè iter confectum vetuit. Tum II. in caftris legiones retinuit; & reliquas de IV. vigiliâ, compluribus Portis eductas, idem iter infiftere iuffit: parvoque fpatio intermiffo, ex militari inftituto, conclamari. Statimque egreffus, & noviffimum agmen cum II. legionibus, confecutus, celeriter è confpectu caftrorum difceffit.

POMPEIVS FRVSTRA ABEVNTEIS PERSEQVITVR.

POMPEIVS, cognito eius confilio, fine morâ, exercitum è caftris educit; equitatumque præmittit ad noviffimum agmen demorandum. Qui ad Genufium flumen confecuti, extremos prœlio iam diftinebant; quùm Cæfar fuos equites ijs oppofuit: & pulfis equeftri prœlio adverfarijs, compluribufque interfectis, exercitum flumen tranfduxit, & veteribus contrà Afparagum caftris confedit.

Quod quùm idem POMPEIVS, confecto eiufdem diei itinere, feciffet; eiufque milites ad farcinas, è caftris, quæ in proximo erant, repetendas divertiffent; neque ad fequendum expediri poffent;

CÆSAR, figno profectionis fub meridiem dato, exercitum educit; duplicatoque eius diei itinere, IIX. paff. Millib. ex eo loco proceffit.

Id facere POMPEIVS, difceffu militum fuorum, non potuit. Nam præter illatam primi illius diei moram, fruftrà reliquorum etiam dierum labore fufcepto, quùm fe magnis itineribus extenderet; & iam longiùs nullo incommodo, altiffimis fluminibus & impeditiffimis itineribus, accepto, progreffos, confequi cuperet; IV. die finem fequendi fecit; atque aliud fibi confilium capiendum exiftimavit.

CÆSARI, ad faucios deponendos; ftipendium exercitui dandum; focios confirmandos; præfidium urbibus relinquendum; neceffe erat adire Apolloniam.

DOMITIVS COPIAS CÆSARI CONIVNGIT. ALIQVOT THESSALIÆ OPIDA, aut deduntur, aut expugnantur.

Quibus rebus quùm tantùm temporis tribuiffet, quantum properanti erat neceffe; timens DOMITIO, ne adventu POMPEII præoccuparetur, ad eum omni ftudio & celeritate incitatus ferebatur. Et relictis præfidio Apolloniæ, Liffi, Orici, certis cohortibus, & faucijs ibidem depofitis; per Epirum atque Acarnaniam iter facere cæpit.

POMPEIVS quoque, ut fubfidium SCIPIONI ferret; ad eundem fibi properandum exiftimavit, fi Cæfar illò fortè iter haberet. Sin ab orâ maritimâ, legiones equitatumque ab Italia diu exfpectans, non difcederet; ipfe omnibus cum copijs DOMITIVM adgrederetur. Per Candaviam itaque expeditum in Macedoniam iter habebat; & Cæfarem Apolloniâ à recto itinere averterat.

Et DOMITIVS, qui dies complureis caftris Scipionis caftra collata, habuiffet; rei frumentariæ caufsâ ab eo digreffus, Heracléam Sinticen, quæ Candaviæ fubiecta eft, iter fecerat: ut ipfa fortuna illum POMPEIO obijcere videretur.

Harum rerum ignaro CÆSARE, DOMITIVS, per illorum Allobrogum fratrum, qui à Cæfare ad Pompeium profugerant, familiareis, in itinere, de Cæfaris profectione, & adventu Pompeij edoctus; vix IV. horarum fpatio antecedens; hoftium fortuito beneficio periculum vitavit: & ad Æginium, quod eft oppofitum Theffaliæ, Cæfari venienti occurrit.

Coniuncto iam exercitu Cæfar Gomphos pervenit: quod venientibus ab Epiro primum Theffaliæ opidum eft.

Ea gens paucis antè menfibus ultrò ad Cæfarem legatos miferat, ab eoque militum præfidium petiverat. Sed ad famam prœlij Dyrrachini, fidem cum fortunâ, auctore ANDROSTHENE, Theffaliæ prætore, mutaverat: & coactâ, ex agris, in opidum, fervorum ac liberorum multitudine, portas præcludebat. miffis ad SCIPIONEM POMPEIVMQVE nuntijs, ut fibi fubfidio venirent. Sed SCIPIO Lariffam legiones adduxerat; & POMPEIVS nondum Theffaliæ adpropinquabat.

Cæfar itaque, rebus omnibus ad repentinam oppugnationem paratis, eodem quo venerat die, opidum altiffimis mœnibus cinctum, & copiofum expugnavit, & diripiendum militibus conceffit.

Et moris mox indè caftris, ut nuntium expugnati opidi famamque anteverteret; Metropolim pervenit. Opidani, eodem cum Gomphiis confilio, portas claufèrant, murofque armatis compleverant. fed cognito ex captivis propinquæ civitatis cafu, portas aperuerunt. Quibus diligenter ab omni iniuriâ confervatis, & eorum fortunâ cum Gomphenfium cafu collatâ; nulla fuit Theffaliæ civitas, præter Lariffæos, quos SCIPIO tenebat; quæ non Cæfari pareret, eiufque imperata faceret.

Cæfar ex ijs locis VII. dierum iter emenfus; & fegetis pabulique, quæ iam in agris (Pharfalicis) propè matura erant, idoneum locum nactus; ibi adventum exfpectare POMPEII, & belli omnem rationem conferre conftituit.

SCIPIO POMPEIO CONIVNGITVR. HINC ANIMI VANIS SPEBVS ELATI.

Pompeius, paucis pòst diebus, in Thessaliam ad Scipionem pervenit. receptisque omnibus in una castra legionibus, suum cum Scipione & classici, & prætorij, honorem partitur. Auctis ita copijs; *pristina omnium confirmatur opinio, & spes victoriæ augetur.*

Tantaque adeò in castris fiducia; ut non quibus rationibus hostem superare possent; sed quemadmodum uti victoriâ, iam quasi certâ, deberent. Et nihil aliud, quàm de honoribus & præmijs petēdis; de consularibus in annos definiendis; de bonis domibusque perduellium vindicandis; de persequendis inimicis: quotidianis inter eos sermonibus & colloquijs, stolidissimè agitaretur.

SALVTARE POMPEII CONSILIVM, REIECTVM.

Pompeivs tamen initiò, quòd compertum haberet, Cæsarem, & pecuniæ, & commeatuum copiâ destitui; exercitumque eius, ex victûs insolentiâ, valetudine gravi infestari; sperans se, vel ipsâ morâ, hostium vireis attenuaturum; vel eos præ fame, ad se, cui abundè necessaria omnia suppeterent; brevi transituros; omninò constitutum habebat, *prælio abstinere.*

Quod quidem consilium soli ferè Catoni, qui civili parcendum sanguini censeret; probabatur. Alij verò, quidquid intercederet temporis, id morari victoriam, & reditum in Italiam, clamabant. *Vnius esse negotium diei.* Sed ducem delectari diuturno imperio; & consulareis prætoriosque viros, atque ipsos adeò reges, servorum habere numero; haud secus, quàm Agamemnon apud Troiam cæteris Græcis olim imperâsset. Quidam verò eum adversis ostentis & insomnijs territum, pugnâ abstinuisse tradidérunt.

Cæsar, quùm exercitu sæpiùs è castris in aciem educto; &, quantumvis equitum numero multis partibus inferior esset; tentatâ non infeliciter equestris prœlij aleâ; Pompeivm ad pugnam æquo loco conserendam elici non posse animadverit; castra ex eo loco movere, pluraque adire loca constituit: sperans commodiore re frumentariâ se usurum; aut aliquam in itinere dimicandi occasionem, Pompeianis insolito labore defatigatis, oblatum iri.

ACIES POMPEII AD PVGNÆ LOCVM PROGRESSA.

Dum itaque, signo profectionis dato, tabernaculisque detensis, Scotussam versùs, castra movet; speculatores præmissi animadvertunt, & nuntiant: extrà quotidianam consuetudinem, longiùs à vallo aciem Pompeii esse progressam; ut non iniquo loco dimicari posse videretur. Pompeivs namque victus suorum convicijs, & aliena secutus consilia, (licet & ipse pridie in concilio insolentiùs iactâsset; priusquam concurrerent acies, fore, ut exercitus Cæsaris loco pelleretur, ab tergo circumventus: quòd equites eius polliciti essent, dextrum se Cæsaris cornu ab latere aperto adgressuros) prœlio decertare statuerat: & ad rem strenuè gerēdam suos iam erat cohortatus.

Quod Pompeii consilium Labienvs summis laudibus efferens, adiecit; *Non adesse veteranum CÆSARI pro tempore exercitum,* quo Gallias, & Germaniam; Britanos & Hispaniam devicisset. Ex eo magnam partem tot prœlijs & morbis deperijsse; multos domum discessisse; & quod fuit roboris, duplici ad Dyrrachium pugnâ interisse. Copias, quas viderent, ex delectu proximorum annorum, in citeriore Galliâ, esse refectas; & ex colonis Transpadanis plerasque.

His dictis, iuravit: *Se nisi victorem in castra reversurum:* reliquosque, ut idem facerent, hortatus est. Id laudans Pompeivs, idem iuravit: neque quisquā ex reliquis fuit, qui iurare, atque animo victoriam præcipere dubitaret.

Hoc tamen apud amicos prolocutus esse fertur Pompeivs; *Eum diem, uterlibet eorum vinceret; funestum populo Romano, magnarumque calamitatum initium fore.*

ACIES CÆSARIS PROCINCTA.

Cæsar verò eius in Pompeio consilij nuntio accepto, quùm adhuc agmen in Portis esset; *Differendum est,* inquit, *iter in præsentiâ nobis, & de prælio cogitandum.* Si enim, ut semper depoposcimus, sumus ad dimicandum parati; non facilè occasionem posteà reperiemus. Et simul cum dicto, expeditas copias educit.

Quidam tradidére; Cæsarem, nocte proximâ Marti, & Veneri Genetrici, operatum, eidem Deæ Ædem vovisse, si victoria penes ipsum stetisset. Et postridie, quàm suos castris eduxisset, vallum ipsum solo æquari iussisse, ne spes ulla receptûs relinqueretur.

Ipse ut primum castris Pompeij adpropinquavit, eius aciem ad hunc modum instructam animadvertit.

PVGNA PHARSALICA. ET ACIErum utrimque ordinatio.

In sinistro eius cornu legiones II. erant, I. & III. transditæ à Cæsare, initio dissensionis, ex S. C. eoque loco ipse erat Pompeivs.

Mediam aciem, cum legionibus Syriacis, Scipio tenebat.

Cilicienis legio, cum cohortibus; quas nuper ex Hispaniâ Afranivs transduxerat; & Pompeivs firmissimas esse iudicabat: in dextro cornu erant collocatæ. Reliquas, inter aciem mediam, cornuaque, interiecerat.

Fuére autem in exercitu eius, auctore Cæsare, cx. cohortes; hoc est; LV. Millia: præter XI. circiter Millia Evocatorum. Alijs; universè LXX. pedit. & VII. equit. Millia.

Reliquas cohorteis VII. castris propinquisque castellis

castellis præsidio disposuerat. & cunctum equitatum, sagittarios, funditoresque omneis in sinistro cornu obiecerat; propterea quòd dextrum eius cornu rivus quidam, ripis impeditis satis muniret.

Cæsar verò, qui instructâ iam acie ipse contrà POMPEIVM constiterat; sinistro cornu ANTONIVM; dextro P. SYLLAM; mediâ acie Cn. DOMITIVM præposuit. Et in dextro quidem cornu, x. legionem; in sinistro IX. collocaverat: Eidemque Dyrrachino prœlio attenuatæ, IIX. adiunxit; ut pænè unam ex duabus efficeret.

Cohorteis in acie LXXX. constitutas habebat; quæ summa erat hominum XXII. Mill. Cohortes II. castris præsidio relictæ.

(FLORVS. *Numquam ullo loco, tantùm virium populus Rom. Tantum dignitatis fortuna vidit.* CCC. amplius Millia, hinc & illinc, præter auxilia regum & Senatûs.)

Cæsar quùm exercitum militari more ad pugnam cohortaretur; suaque in eum perpetui temporis officia prædicaret; simul & palàm professus, *Magno se semper studio pacem petiisse; neque se umquam ab iis militum sanguine; neque remp. alterutro exercitu privare voluisse*: Militibus ultrò exposcentibus, & studio pugnæ ardentibus, tuba signum dedit.

Memorant alij, antequàm classicum caneret, utrumque Imperatorem illacrymâsse; & diu dubiũ, funestum utriq; parti pugnæ initium facere distulisse. Donec POMPEIVS, ordines suos tædio moræ turbari cæptos, conspicatus; prior signa cani iusserit.

STVPOR VTRIMQVE IN EXERCITV ANTE PVGNAM: CRASTINVS PROELII antesignanus.

Alij, Cæsarianos (dum in mentem subit, quibuscum sibi certandum foret; frarri cum fratre aut cõsanguineo, aut filio cum Patre; priorem alacritatem repressisse, & silentium cum luctu aliquamdiu tenuisse. Donec CRASTINVS evocatus, qui superiore anno apud Cæsarem primum pilum in leg. x. duxerat, signo dato, inclamaret; *Sequimini me, manipulares mei qui fuistis: & vestro Imperatori, quam constituistis, operam date. Hoc confectò prœlio, & ille suam dignitatem; & nos nostram libertatem recuperabimus.* Simul respiciens in CÆSAREM; FACIAM, inquit, *hodie Imperator, ut aut vivo mihi, aut mortuo, gratias agas.*

Hoc dicto, primus ex dextro cornu procucurrit; eumque milites electi, circiter CXX. voluntarij eiusdem centuriæ, sunt prosecuti.

Erat inter duas acies tantùm spatij relictum, ut satis esset ad concursum utriusque exercitûs. Sed POMPEIVS, monente TRIARIO. suis prædixerat; ut Cæsarianorum impetum exciperent; neve se loco moverent: *ut primus excursus visque militum infringeretur*, aciesque distenderetur: & ipsi suis ordinibus dispositi, dispersos adorirentur; & denso agmine telorum impetum sustinerent.

Cæsariani, quùm ad signum infestis telis procurrissent, & non concurri à Pompeianis pariter animadvertissent; usu & peritiâ rei militaris edocti, ad medium ferè spatium, cursu repressso, constitére. quumque à priore contentione nonnihil respirâssent, cursu renovato, pila misérunt; celeriterque, ut erat præceptum, gladios strinxerunt.

Nec seciùs Pompeiani, postquàm tela missa excepissent, & conservatis ordinibus impetum legionum tulissent: pilis missis, ad gladios redierunt.

Eodem tempore, equites à sinistro Pompeij cornu intenti; ut erat imperatum, universi procurrérunt; omnisque multitudo sagittariorum unà se profudit.

Quorum impetum, Cæsaris equitatus non ferens, paullum loco motus cessit. Eoque acriùs Pompeiani instare, & turmis explicatis, aciem adversam à latere aperto circumvenire cæperant; quùm Cæsar id animadvertens, IV. aciei, quam instituerat ex cohortium numero, & post ordines collocatam, in omnem eventum equitatui opposuerat; signum vexillo dedit.

Illi celeri procursu, infestisque signis, tantâ vi in POMPEII equites impetum fecére, ut illi non solùm loco excederent, sed protinùs incitati, altissimos monteis peterent: iisque summotis, & turbantibus invicem copiis, omnes sagittarij funditoresque, destituti & inermes, cæderentur.

(FLOR. Germanorum cohortes in effusos equites impetum fecére: ut illi esse pedites; hi venire in equis viderentur.)

Eodemque impetu, eædem illæ quartæ aciei cohortes, pugnanteis etiamtum, ac resistenteis in acie Pompeianos, circumiérunt, atque à tergo sunt adorti. Eoque acriùs, quòd Cæsar eodem pænè momento, III. aciem, quæ eatenus quieta loco se tenuerat, procurrere iussisset. & interim dum alij à tergo adoriretur; hi recentes atque integri defessis succederent, & à fronte sese obijcerent. Atque ita Pompeiani, qui circumventi sustinere non poterant, universi terga verterent.

Sic initium victoriæ, ab iis cohortibus, quæ contrà equitatum hostilem in IV. acie collocatæ erant; (uti Cæsar præsagierat,) ortum est.

CÆSARIS VIRTVS: TESSERÆ VTRIMQVE DATÆ.

Cæsar toto hoc prœlio multus, non segniùs manu, quàm verbo, ducis simul & militis munus obiisse traditur: Et quùm POMPEIVS inter prœliandum subinde inclamaret; ad suósne, an ad Cæsarem incertum; *Parce Civibus*. Cæsar ex diversâ parte subiecisse, dicitur; *Miles, faciem feri*. quòd tirones istiusmodi plagas, & cicatricum deformitatem, maximè reformident.

(FLORVS & alij) utramque eam vocem Cæsari tribuunt. quarum *prior ad tallationem* fuerit composita; altera *cruenta, sed docta, & ad victoriam efficax*.

At postquàm universa Pompeianorum acie in fugam

fugam versâ, fragem à suis longè lateque promiscuam edi Cæsar cerneret; sive pietate in civeis cōmotus; sive metu, ne adversarij, sumtâ à desperatione audaciâ, ordines instaurarent; dimissis in omneis parteis præconibus, *Civibus* quidem *parci*, sed in *Auxilia sæviri* imperavit.

POMPEII FVGA.

Pompeius, ut equitatum suum pulsum vidit; cui, tamquam invicto exercitûs sui robori maximè confidebat; acie excessit: protinusque se in castra equo contulit, & ijs Centurionibus, quos in statione ad Portam prætoriam posuerat, clarè, ut milites exaudirent; *Tuemini*, inquit, *castra, & defendite diligenter*, siquid duriùs acciderit. Ego reliquas portas circumeo, & castrorum præsidia confirmo. His dictis, in prætorium se contulit, summæ rei diffidens, & tamen eventum exspectans.

CASTRA POMPEII EXPVGNANTVR. ET POMPEIVS AD MARE fugit.

Cæsar autem, ne Pompeianis ex fuga intrà vallum compulsis, & perterritis, spatium sui colligendi daretur; milites cohortatus est, *ut beneficio fortunæ uterentur*, castraque oppugnarent. Illi, etsi magno æstu, re iam ad meridiem perductâ, fatigati, imperio paruérunt.

Cohorteis quidem, quæ præsidio ibi erant relictæ, castra sua industriè defendebant; multo'q; acriùs Thraces Barbaraque auxilia: Qui verò ex acie refugerant milites; vel animo perterriti, vel lassitudine confecti; missis pleríque armis, signísque militaribus, magis de reliquâ fugâ, quàm de castrorum defensione, cogitabant.

Et qui in vallo constiterant, quòd multitudinem telorum sustinere diutiùs non possent, aut confecti vulneribus essent; locum reliquérunt: protinusque omnes, ducibus usi Centurionibus Tribunisque milit. in altissimos monteis, qui ad castra pertinebant, confugerunt.

In castris Pompeij compluria comperta, quæ nimiam luxuriem, & victoriæ fiduciam designarent.

POMPEIVS iam quùm intrà vallum Cæsariani versarentur, equum nactus, detractis insignibus imperatorijs, Decumanâ porta se ex castris eiecit; protinusque equo citato Larissam contendit. Atque eâdem inde celeritate, nocturno itinere non intermisso, cum XXX. equitibus, quos ex fugâ comites nactus erat, ad mare pervenit, navemque frumentariam conscendit: de equitatu, à quo proditus fuisse, facto ab ijs fugæ inter pugnandum initio, videretur; subinde conquerens.

CÆSAR RELIQVIAS POMPEIANI EXERCITVS PERSEQVITVR ET VINCIT: supplicesque in gratiam recipit.

Cæsar castris tàm opulentis potitus, à militibus suis contendit & imperat; ne in prædâ occupati, reliqui negotij gerendi facultatem dimitterent. & montem, in quem Pompeiani perfugerant, opere circumvenire instituit. Et quùm isti, ob aquæ in eo monte penuriam, loco relicto, Larissam versùs se recipere cœpissent; Cæsar copias suas divisit; partemque legionum in castris Pompeij remanere iussit; partem in sua castra remisit. Quattuor verò legiones secum abduxit: & commodiore itinere progressus VI. pass. Millia, obviámque Pompeianis factus, aciem instruxit.

Illi in quodam iterùm monte constitérunt, quem flumen subluebat. Cæsar, quantumvis miles fessus, & nox subesset; munitione tamen flumen à monte seclusit; & Pompeianos aquatione prohibuit.

Illi de deditione missis legatis agere cœpérunt. Sed pauci ordinis Senatorij, qui se cum ijs coniunxerant, nocte fugâ salutem quæsiérunt.

Cæsar primâ luce, omneis eos, qui in monte consederant, ex superioribus locis in planitiem descendere, atque arma proijcere, iussit. Quo facto, postquàm passis palmis, proiecti ad terram, ab eo salutem petijssent; & ipse eos consolatus cousurgere iussisset; omneis pro suâ lenitate conservavit: militibusque suis edixit; *Ne qui eorum violarentur.*

Ipse, alijs sibi legionibus è castris occurrere; & ijs, quas secum duxerat, invicem requiescere, atque in castra reverti, iussis; eodem die Larissam pervenit.

Hic fuit memorabilis illius, & fatalis inter civeis Rom. in campis Pharsalicis, inter Pharsalum urbem & Enipeum flum. pugnæ exitus. Circiter diem XIV. Kalend. Sextil. Mense, ex quo Cæsar Brundisio traiecerat, VII.

Cæsar in eo prœlio non amplius C C. milites desideravit. Centuriones circiter XXX. & in his CRASTINVM, gladio in os adversum adacto. (ASINIVS POLLIO; præter Centuriones, Mill. C C. perijsse tradidit.)

Ex Pompeiano exercitu XV. circiter Millia cecidérunt. sed in deditionem venérunt amplius XXIV. Mill. namque etiam cohortes, quæ præsidio in castellis fuerant, Syllæ se dedidérunt. Multi in finitimas civitates refugérunt. (Idem POLLIO; ex Pompeianis non plus VI. Millib. cecidisse scribit. Alij XXV. Millia. præter Senatores X. equites XL.) Signa militaria ad Cæsarem ex prœlio relata CLXXX. & Aquilæ LIX. L. DOMITIVS, qui Cæsari in Galliam successor erat destinatus, ex castris in montem refugiens, ab equitibus interfectus est.

LÆLIVS PORTVM BRVNDISINVM OBSIDET, FRVSTRA.

Eodem tempore D. LÆLIVS cum classe ad Brundisium

Brundisium venit; eádemque ratione, quâ anteà LIBO, insulam Portui Brundisino obiectam, tenuit. neque, licet à VATINIO, qui Brundisio præerat, variè terrâ marique exagitatus; antè prœlium in Thessaliâ factum, cognitumque, indè expelli potuit.

CASSIJ, CLASSIS PRÆFECTI, CIRCA SICILIAM ET ITALIAM conatus irriti.

CASSIVS quoque, cum classe Syrorum, Phœnicum & Cilicum, in Siciliam venit; & navibus ad Messanam advolavit priùs, quàm M. POMPONIVS, qui dimidiæ Cæsarianæ classis parti ibi præerat, de eius adventu cognosceret. Perturbatum que eum nactus, onerarias naveis tædâ, pice, & stupâ, alióque fomite completas, magno vento & secundo in Pomponianam classem immisit: omneisque naveis, XXXV. incendit; & in ijs rostratas XX.

Tantusque eo facto timor incessit; ut licet legio una præsidio Messanæ esset, vix opidum defenderer. Sed opportunissimè nuntijs de Cæsaris victoriâ allatis, hostis repulsus est.

Ipse indè Vibonem, ubi alteri classis parti P. SVLPITIVS ad fretum præerat; profectus, pari atque anteà ratione egit. Naveis scilicet XL. ad incendium præparatas, immisit: & flammâ ab utroque cornu comprehensâ, naves sunt combustæ V.

Quumque ignis magnitudine venti latiùs ferperet; milites, qui ex ægrorum numero, veteribusque legionibus, erant relicti præsidio navibus; ignominiam non tulérunt: & conscensis suâ sponte navibus, à terrâ solvérunt: factóque in Cassianam classem impetu; quinqueremeis II. in quarum altera erat Cassius, cepérunt. Sed Cassius, exceptus scaphâ, refugit. II. prætereà triremes deprehensæ. Cassius, accepto pugnæ Thessalicæ nuntio, ex ijs locis cum classe discessit.

CÆSAR POMPEIVM FVGIENTEM terra marique persequitur.

CÆSAR, omnibus rebus relictis, persequendum sibi POMPEIVM existumavit, quascumque in parteis ex fugâ se recepisset. Seque cum equitatu prægredientem, ut una legio minoribus itineribus subsequeretur, imperârat.

POMPEIVS, Larissâ digressus, & navem in ostio Penei amnis nactus, quùm ad ancoram unâ nocte constitisset: & Amphipoli (ubi edictum eius nomine propositum fuerat; *uti omnes eius provinciæ iuniores, Græci, civesq; Romani, iurandi causâ convenirent*) hospitibus, ad se evocatis, & pecuniâ ad necessarios usus corrogatâ; simulac Cæsarem adventare cognovit, primo statim diluculo solvisset; conscenso maiore, quod fortè prætervehebatur, navigio, in Lesbum insulam, circà Mitylenen, advectus est.

Erat Mitylenæ CORNELIA, METELLI SCIPIONIS filia, Pompeij uxor; SEXTVS item filius. hos ex opido in portum, ad se venire iussit: iisdemque cum reliquis amicis, commeatu & impedimentis, in IV. triremeis impositis, Attaliam, maritimū Pamphyliæ opidum, pervénit. Ibi triremeis quasdam è Cilicia obvias habuit. Eódemque milites quidam, & Senatorij ordinis LX. è fugâ ad eum convenére.

Inde in Ciliciam, & post in Cyprum adpulsus; cognoscit consensu omnium Antiochensium, civiumque Rom. qui illic negotiarentur, Arcem antè captam esse, excludendi sui causâ: & suos, qui ex fugâ in finitimas civitateis se recepissent, Antiochiâ omninò prohiberi.

Idem L. & P. LENTVLIS, quùm ex fugâ POMPEIVM sequerentur Rhodi acciderat. Qui opido non recepti, missisque ad eos nuntijs, è portu etiam solvere naveis iussi erant.

POMPEIVS IN ANCIPITI POSITVS, IN ÆGYPTVM COGITAT.

Quibus cognitis rebus, POMPEIVS consilium Syriæ adeundæ; & ad ARSACEM, Parthorum regem, adeundi, deponit.

Et quùm paullò pòst ad eum perlatum esset, classem sibi in Corcyrâ salvam esse; Catonemque cum valido exercitu constituisse in Africam traijcere; dubitavit num & ipse in Africam, ad Iubam regem, sibi confugiendum esset.

Sed quùm è dignitate non esse videretur, tàm parum illustri uti perfugio; ex amicorum, consilio, Ægyptum, quæ trium haud amplius dierum itinere abesset, petere constituit. ubi præter rerum omniū, ad bellum ducendum idonearum, copiam; reges pueri, paternâ necessitudine sibi coniuncti essent; &, ut rebatur, amici.

Postquàm igitur Cesarem, ad se persequendum, cum equitatu & unâ legione, quam celerrimè viam ingressum, nusquàm interquiescere intellexit; contractis undique publicè, privatim, pecunijs, & bis Mille hominum tumultuariè armatis, e Cypro Pelusium pervénit.

Eâ tempestate Ptolemæus rex, ætate puer tredecennis, cum sorore Cleopatrâ, quam paucis antè mensibus regno expulerat; magnis copijs, è propinquo bellum gerebat. Ad eum POMPEIVS misit; ut *pro hospitio atque amicitiâ* Patris, Alexandriâ reciperetur: atque illius opibus in calamitate iuvaretur: cui, Patre mortuo, *tutor à Senatu datus, regnum summâ cum fide restituisset.*

MISERABILIS POMPEII EXITVS.

Sed qui ab eo missi erant, liberiùs cum militibus regis collocuti; eosque adhortati, ut suum officium POMPEIO præstarent; (quo in numero complures erant POMPEII milites, quos ex eius exercitu acceptos, in Syriâ, GABINIVS Alexandriam transduxerat; belloque confecto, apud PTOLEMÆVM AVLETEN, Patrem pueri, reliquerat) rerum novarum suspicionem movérunt.

Amici itaque regis, (inter quos PHOTINVS Eunuchus, & THEODOTVS Samius, regis præceptor) qui propter ætatē eius, in procuratione erant regni; sive timore adducti, ne solicitato eius exercitu, POMPEIVS Alexandriam Ægyptumque occuparet; sive despectâ eius fortunâ, ut Cæsari victori gratificarentur; quùm prius legatis palàm liberaliter

liberaliter respondissent, & Pompeium ad regem venire iussissent; ipsi clàm consilio inito, ACHILLAM, præfectum regium, & L. SEPTIMIVM Trib. militum (qui bello Piratico sub POMPEIO meruerat, & ordinem duxerat) ad eum interficiendum misêrunt.

Ipse ab ijs liberaliter appellatus, quùm in naviculam, cum paucis suis, exceptus esset; & strictis de-repentè se undique mucronibus peti videret; togâ utrâque manu in caput adductâ, & nullâ præter suspirium voce emissâ; se ipse ultrò percussoribus feriendum obtulit.

L. item LENTVLVS postridie adpulsus, & à rege comprehensus, in custodiâ necatur. Navis autem, in qua erat Cornelia uxor, cum Sexto filio, Cyprum retrò se fugâ recepit.

Hic exitus vitæ Pompeio, à rebus gestis Magno, quùm annum ætatis LX. non excessisset. qui die suo natali, quo de MITHRIDATE ET TIGRANE regibus, & antè de Piratis triumphârat; pridie an postridie! Kal. Octob. interfectus est. Corpus, capite præciso, in littus ejectum, paullo pòst à PHILIPPO CODRO liberto, Cypri proquæstore, exstructo è fragmentis scaphæ rogo, concrematum, & in littore tumulatum est.

Cæsar rebus in Thessaliâ constitutis, & nonnullis suorum ad recipiendas Græciæ civitates relictis; quùm POMPEIVM in Asiam traiecisse suspicaretur, eodem tertio pòst die cursum instituit. Eo fortè itinere, quùm præmissis copijs & triremibus, modico ipse navigio Hellesponti angustias traijceret; medijs ferè freti faucibus, C. CASSIVM, qui cum parte Pompeianæ classis, LXX. triremium, ad PHARNACEM solicitandum, in pontum properabat; obvium sibi habuit.

CASSIVS SE ET CLASSEM CÆSARI dedit. Hic in Ægyptum tendit.

Eum Cæsar interritus ultrò ad deditionem urguére non dubitavit. & CASSIVS ratus CÆSAREM studio contrà se navigare, opinione felicitatis Cæsarianæ territus; supplices è triremi manus tendens, veniamque petens, se & classem eidem dedit.

Ita Cæsar præter exspectationem servatus, quùm in Asiam venisset; Æolibus, Ionibus, reliquisque Asiæ gentibus, quæ culpam per legatos deprecarentur, veniam concessit; & parte tributorum tertiâ remissâ, à publicanorum acerbitate liberavit. T. AMPIVS, qui tollere pecunias Epheso, ex fano Dianæ, conabatur, eius adventu interpellatus, re infectâ, profugit.

Cognito deinde POMPEIVM Cypri visum, conjectans Cæsar eum in Ægyptum iter habere, propter necessitudines regni, & reliquas eius loci opportunitates; Rhodum traiecit, atque indè cum legionibus II. (sed in quibus III. tantùm hominum Mill. & cc. erant) & DCCC. equitibus, & Rhodiis Asiaticisque navibus perpaucis, quùm sub vesperam solvisset, nemine è suis quò tenderet conscio; gubernatoribus tantùm ignem & signum navis prætoriæ sequi iussis; & misso posteà ad reliquos, ut quamprimum se subsequantur, nuntio; tertio die (triduo, ut quidam tradunt, à cæde Pompeij) Alexandriam pervenit.

ATHENÆ CÆSARI DEDITÆ. Megarenses durius castigati.

Intereà Q. FVFIVS CALENVS, quem Cæsar, antè pugnam Pharsalicam, ad recipiendas Græciæ civitates miserat; vastatis latè Atheniensium agris, Piræum portum ceperat. Cæterùm ipsis Athenis non antè potiri potuit, quàm Athenienses, cognito prœlij ad Pharsalum eventu, ultrò se dederent. Ijs Cæsar, non ipsorum meritis, sed maiorum gloriæ, culpam eam condonavit.

Megarenses, qui soli in Græcis obstinatiùs in sententiâ perstiterant; & non tam vi, quàm astu & proditione in potestatem venerant; magno suorum numero interfecto, & cæteris vilissimè divenditis, impudentiæ suæ pœnas exsolvêre.

RES IN ILLYRICO. GABINIVS multa passus moritur.

M. verò OCTAVIVS, qui Achaicis Liburnicisque navibus præfectus erat, ex clade Pharsalicâ, in Illyricum maximâ se cum classe contulerat. Ibique Q. CORNIFICIVS, CÆSARIS Quæstor, proprætore cum II. legionibus æstate proximâ missus, captis castellis compluribus, provinciam suâ prudentiâ hactenus Cæsari conservârat. & paucis Jadertinorum navibus adiutus, Octavium etiam cum classe ea in loca tunc venientem, parte navium exutum, provinciæ accessu prohibuerat.

Sed Cæsar, quòd profligato Pompeio, plurimos è fugâ collectos, per Macedoniam, in Illyricum se recipere intellexisset; veritus, ne dum ipse diversâ parte POMPEIVM persequitur, bellum alibi instauraretur; GABINIO, ut cum legionibus tironum in Illyricum profectus CORNIFICIO se iungeret; per litteras imperârat.

Ille verò, & cum hiberni temporis, difficultatibus, & commeatuum inopiâ, conflictatus; & dum Salonam se recipit, prœlio cum Barbaris ex itinere decertare coactus; cæsis suorum duobus ampliùs Millibus, & centurionibus XXXIIX. & Tribb. militum IV. desideratis; Salonæ, quò se cum reliquijs receperat; pòst paucos menseis, in maximâ rerum omnium egestate, morbo absumtus est.

Ex hoc Octavius, in spem potiundæ provinciæ erectus, percusso cum Barbaris fœdere, Cæsaris præsidia mari terrâque infestabat. Donec VATINIVS Brundisio arcessitus, cum tumultuariâ quidem classe, sed non pænitendâ veteranorum manu, in Illyricum venit: & receptis aliquot civitatibus, Octavium, qui Epidaurum oppugnabat, adsecutus; ab incepto discedere compulit: & victum navali

navali ad Tauridem insulam prœlio, ex ijs locis penitùs eiecit: & Sinum illum, pulsis adversariorum navibus, pacatum reddidit, atque ipse provinciâ intrà breve spatium recep â, Corniticioque restituta; & per deditionem subactâ, Issâ; Brundisium reversus est.

MOTVS IN HISPANIA, A Q. CASSII PROPRÆT. IMMANITATE & avaritia.

In Hispaniâ quoque, alioqui tum pacatâ, gravissimę seditioni caussam prębuit Q. CASSIVS LONGINVS: qui Hispaniam ulteriorem, quam proprętore obtinebat, sive insitâ sibi cupiditate; sive odio quòd Quæstor in eâ vulnus ex insidijs olim accepisset; per summam avaritiam, corrupto etiam largitionibus milite, administrabat. Et provincialium in se odia adeo exasperabat; ut nova de eius cęde consilia inirentur.

Quumque acceptis sub id fortè tempus à Cæsare litteris, quibus exercitum in Africam traijcere;& quò Iubę regis auxilia Pompeio destinata impediret, per Mauritaniam, in fineis Numidię, transire iubebatur; animo ob id elatus, omnia etiam insolentiùs impotentiusque peragere t; ij, qui in exitium eius Cordubę conspiraverant, impetu facto; & lictore, qui proximus erat, interfecto; Cassium plurimis simul plagis consauciant; & mortuum rati, alij aliò dilabuntur.

Ipse verò, postquàm vulneribus obligatis & curatis, ad se redijt; plerisque coniurationis auctoribus interfici iussis; alijs, crudelissimè excruciatis; multos ex ijs nocenteis, supplicium & mortem, pecunia redimere passus est. Quæ res, *crudelitatem, tum avaritia in eo certasse*, palàm arguit.

Aliquot pòst dies, quùm ex litteris Cęsaris cognovisset, Pompeium acie victum, amissis copijs, profugisse; *mistam doloris voluptatem* cepit.

Victoria nuntius lætitiam exprimebat; confectum bellum, licentiam temporum intercludebat. Sic erat dubius animi; *utrum nihil timeret; an omnia licere mallet*! Pecunias tamen imperatas maiore quàm anteà acerbitate exigere pergebat: habitisque novis, quasi ad Africanam expeditionem, per omneis provinciæ conventus & colonias, delectibus; transmarinâ militiâ perterritos, ad sacramenti redemtionem vocabat.

Magnum vectigal; sed maius indè odium; neque provincialium modò, sed & legionariorum quorumdam. Eoque tandem res provecta, ut legionibus inter se dissidentibus parum abesset, quin universa provincia à Cæsare alienata fuerit: & Pompeij iam nomen memoriaque in scutis & signis prætenderetur: & castra ad Cordubam, utrimque adversa, ponerentur.

CASSIVS, nihil nō hostile agitans, ad regem BOGVDEM in Mauritaniam; & ad M. LEPIDVM, in Hispaniam citeriorem, pro subsidio, litteras scribit.

M. LEPIDI ÆQVITAS, ET CONCORDIÆ STVDIVM.

Castris deinde ad Vllam, quod sibi fidele oppidum credebat CASSIVS, utrimque collatis; pòst BOGVDEM, qui cum copijs ex Africâ venerat, & CASSII adversarios oppugnabat; venit & M. LEPIDVS, cum cohortibus XXXV. & alijs auxilijs, magnoque equitatu: eâ mente, ut sine ullo partium studio, contentiones CASSII & adversariorum componeret.

Ei venienti, sine dubitatione, M. MARCELLVS, (qui legatus à CASSIO imperatore, aut voluntate, aut necessitate adductus, defecerat; & cum Cordubensibus consenserat, ab ijs dux prætorque appellatus) se credit, atque offert.

CASSIVS contrà, sive eo quòd plus sibi iuris deberi, quam MARCELLO, existimaret; sive eo quòd, ne præoccupatus animus LEPIDI esset obsequio adversarij, vereretur; suis se tenet pręsidijs.

Ponit itaque ad Vllam castra LEPIDVS, neque habet à MARCELLO quidquam divisi; & ne pugnetur, interdicit. Ad exeundum, CASSIVM fide interpositâ invitat. Quumque, eo postulante, tantum-nō inducijs factis, MARCELLI munitiones disiectæ essent, & custodiæ deductæ; auxilia regis BOGVDIS, in castellum MARCELLI, castris proximum; neque opinantibus omnibus, (CASSIONE conscio, incertum!) impetum fecêre; complureisque ibi milites oppressêrunt. maiorque clades esset accepta, nisi celeriter indignatione & auxilio Lepidi prœlium esset diremtum.

CASSIVS liberum exitum nactus, Norbam se cum suis recepit. LEPIDVS & MARCELLVS, qui castra iam coniunxerant, Cordubam sunt profecti.

CASSII DESPERATIO ET EXITVS.

Sub idem tempus C. TREBONIVS Proconf. ad provinciam obtinendā venit. De cuius adventu ut cognovit CASSIVS; legiones, quas secū habuerat, equitatumque, in hiberna distribuit. Ipse, omnibus suis rebus celeriter correptis, Malacam cōtendit: ne privatus, & provinciæ exosus, cū pecuniâ, ex infinitis rapinis confectâ, in potestatem cuiusquā veniret. Conscensisq; ibidem navibus, secundâ per hiemem tempestate progressus, quùm ab Iberū flumen, noctis vitandæ causâ, divertisset; obortaque de subitò tēpestate, propter adversos fluctus maris, & vim fluminis, navem flectere, aut directâ tenere non posset; in ipsis faucibus, demersâ navi, perijt.

3906. | Ab V. C. 707. | 44.

CÆSAR COS. DICTATOR; ET TRIbunitiæ potestatis. Antonius Mag. Equit.

Pop. Rom. audita Cn. POMPEII cæde, enixè operam dedit, ut præter statuas & coronas, aliaque eius generis decora; Cæsari victori quam honorificentissima fierent decreta. Cōsulatum itaque in V. deinceps annos; Dictaturam in annum; Tribunitiā potestatem in perpetuum ei mandavit.

Cæsar, quamvis extrà Italiam esset, Dictaturam statim

ſtatim iniit, quùm Mag. equit. M. ANTONIVM, nondum prætorium, ſibi ſubrogâſſet.

Augures ridiculè magiſterium equitum, niſi in ſex menſeis, mandari poſſe negabant; qui contrà leges, Dictatorem in annum creari ſiviſſent.

CICERO M. ANTONIVM aiebat; Cæſare ignaro, quùm ille eſſet Alexandriæ; beneficio amicorum Mag. equitum fuiſſe conſtitutum.

Cæſar verò haud aliâ cauſsâ Dictaturam invaſiſſe putetur; quàm ut eâ poteſtate, quæ ſumma erat, omne ad ſe unum ius reip. traheret, quod antè multorum erat. Idque poſteri eius, ſublato iam à M. ANTONIO Coſ. Dictatoris nomine; Imperatoris vocabulo expreſſérunt. Titulum autem Dictatoris, & Sylla antè; & pòſt, III. Viri, dominationi ſuæ prætulérunt; ut ſe *Reip. conſtituendæ, ſive rei gerendæ cauſſâ*, magiſtratum eum ſumſiſſe dicerent.

Cęterùm hoc anno ineunte, fœda ac propè miſerabilis fuit Vrbis Romanæ facies; nullis nec prætoribus, nec Conſulibus deſignatis. Nam quantumvis ANTONIVS, Mag. equit. purpureâ veſte, & VI. lictorum faſcibus, ſpeciem quamdam antiquæ libertatis præferret; quòd tamen præſidijs militum ſeptus comitia populi obibat; tyrannidem eam eſſe potiùs civitas putabat: & quùm ea à Magiſtro equit. deſignari cerneret; multò graviora à Dictatore metuebat.

Et ANTONIVS paullò pòſt, ad ſeditionem militum, qui à pugnâ Pharſalicâ in Italiam præmiſſi, compeſcendam, ab Vrbe profectus; quod numquã antè à Magiſtro equit. factũ fuerat, L. CÆSAREM ſeniorem pręfectũ Vrbis reliquit. Comitia reliquorũ magiſtratuũ in adventũ Cæſaris ad finẽ anni dilata.

Eo tempore, P. CORNELIVS DOLABELLA, CICERONIS gener, ære alieno obrutus, à patricijs ad plebem, quò Trib. pl. fieret, tranſierat; & cauſſam debitorum adversùs patricios ſuſceperat. L. TREBELLIVS contrà, Nobilitatem propugnabat, legibus binc indè promulgatis; neque à cædibus temperatum eſt. ANTONIO à Senatu permiſſum; ut exercitum intrà urbem haberet. Et S. C. cuſtodiam urbis cum reliquis Tribb. pl. ſuſcipere iuſſus eſt; & utrumque in ordinem redigere. POMPEII & SYLLÆ imagines, quæ pro Roſtris ſtabant, in eâ populi inſolentiâ diſiectæ ſunt.

CATONIS RES GESTÆ POST PVGNAM PHARSALICAM.

Diverſâ parte M. CATO, quem poſt ſatis felicem illum prælij ad Dyrrachium commiſſi eventum, POMPEIVS, qui Cæſarem indè in Theſſaliam fugientem, perſequi decreverat; Dyrrachij, cum XV. cohortibus & pecunijs commeatibuſque bellicis, præſidio reliquerat; accepto funeſtæ ad Pharſalum pugnæ nuntio, in Corcyram, ubi Pompeiana CCC. navium claſſis ſtabat; cum ijs, quas ſecum habebat copijs, traiecit.

CICERO RECVSAT IMPERIVM, ET ROMAM CONTENDIT.

Ciceronique præſenti, qui quòd æger pedibus tum eſſet, aut eſſe fingeret, pugnæ Pharſalicæ non interfuerat; exercitum tradere; & prætorius, ſcilicet, Conſulari cedere volebat. Sed ille, qui quantâ clade Pompeiani victi eſſent, animo perpenderet; imperium recuſavit. Adeò militibus in eum, uti deſertorem, concitatis; ut niſi Cato interceſſiſſet, certum vitæ periculum aditurus fuiſſe videretur. Ipſe Brundiſium tranſmittens, Romam poſtea cum aliquot Senatoribus rectà ſe contulit.

AD CATONEM RELIQVIÆ POMPEIANORVM DVCVM, VTI AD IMPER. confugiunt: Et provincias ſortiuntur.

Haud multò pòſt ad CATONEM, cui iam ſumma rerum Corcyræ erat delata; ſparſę magis, quàm oppreſſæ partium vires, alij pòſt alios, convenére. In ijs primi, LABIENVS, AFRANIVS, SCAPVLA, ET SCIPIO POMPEII ſocer. Deinde CN. filiorum POMPEII natu maior; qui poſt varios & vanos in Epiro, ad Oricum, ad Brundiſium, cũ claſſe Ægyptiâ, conatus, Corcyram ſe recepit. Et poſteà CASSIVS, pòſt Siciliam, & oram Italię vexatas, cum ſuâ tandem claſſe pervénit. Et C. OCTAVIVS ab Illyrico, & Epidauri oppugnatione depulſus, eodem delatus eſt. Quotquot denique primi nominis Pompeianorum ducum prœlio ſuperfuerant, neque in Cęſaris poteſtatem venerant; huc undique ad CATONEM confluxére.

Claſſe inter eos diviſâ, C. quidem CASSIVS in Pontum, ut Pharnacem ibi regem adversùs Cęſarem concitaret, cum LXXX. navibus miſſus eſt. (Sed quem exitum is habuerit; iàm memoravimus.)

Cn. Magni F. cum Labieno & Scapulâ, in Hiſpaniam, ad maiores copias, adparatuſque faciendos, proficiſcitur.

SCIPIO in Africam ad VARVM, non ſine ſpe auxilij à Iubâ rege impetrandi, curſum dirigit.

CATO ipſe in Peloponneſum tranſmittit; Patriſque occupatis, PETREIVM, & FAVSTVM, POMPEII generum, in cæteris, ſibi adiungit.

Sed poſtquam CALENVM, quem Cæſar in Græciam miſerat, cum copijs ad ſe accedere intellexit; relictis Patris, cum comitibus, Cyrenen petit; & in itinere, è SEXTO, altero POMPEII filio, de cæde Pompeij Patris cognovit.

Tum Berenicen, maritimum Cyrenaicę opidum, delatus; & indè Cyrenen petens, à Cyrenæis receptus eſt.

DISSENSIO INTER POMPEIANOS.

Heic inter eos, qui CATONEM huc uſque ſecuti fuerant, ſententijs aliquamdiu variatum: Vtri ſe partium, POMPEIO iam mortuo, adiungerent. Donec factâ tandem diſceſſione, hi, quibus nulla ſpes veniæ ſupererat, apud CATONEM, (mori obſtinatum potiùs, quam Cæſari ſe permittere) remanſérunt. Reliqui alij aliò, quò quemque caſus ferebat, dilapſi ſunt. Quidam rectà ad Cæſarem profecti, impunitatem obtinuére.

CATO,

CATO, cognito SCIPIONEM à IVBA rege, ad quem confugerat, amicè & honorificè acceptum; eódem & ipse iter instituit. Exercitu itaque, ob magnam passim ijs locis aquę inopiam, in parteis tributo; & asinis complutibus, qui utreis aquâ completos gestarent, secum adsumtis; VII. dies continuos, (Strab. XXX. dies) per deserta Syrtium, & profunda arenarū æstuaria, infesta feris & serpentibus loca; X. Millium agmen, pedibus & aperto semper capite iter faciens, deducebat.

SCIPIO IMPERATOR EXERCITVS RELIQVI.

Et oblatam sibi à militibus Imperij summam, vel saltim æqualem cum SCIPIONE potestatem; recusans; SCIPIONI, qui cum VARO super eâ re diu disceptârat; quique dignitate reliquos facilè antеibat; haud invitus cessit: & exercitum, quem adduxerat, eidem tradidit.

CÆSAR, infirmis quidem auxilijs, sed rerum à se gestarum famâ confisus, Alexandriam iam venerat. Ibi de cęde POMPEII certior factus, & è navi egressus; quòd clamorem militum audiret, quos rex in opido, presidij caussâ reliquerat; in litore aliquamdiu ad ancoras substitit.

CÆSARIS, AD CONSPECTVM CAPITIS POMPEII, SVSPIRIA. IPSE AB ALEXANDRINIS lacessitus, vim parat.

Haud ita multo-pòst, THEODOTVS Rhetor, quem rex Ptolemæus, circà Casium montem castrametatus, miserat; caput, & annulum POMPEII ei obtulit. ad cuius adspectum averso vultu altiùs ingemiscens, illacrymâsse traditur; *civem, generumq̃, suum* subinde appellans: *parricidas, & inhumanum facinus*, exsecratus. Tradunt quidam eo ipso loco NEMESIS sacellum ab eo constitutum: & caput POMPEII, in suburbio Alexandriæ, honestâ sepulturâ dignatum.

Dum verò quasi iam securior, & à tutoribus pręfectisque regijs deductus, Alexandriam ingredi cogitat; concursum ad se fieri videt, quòd fasceis antè se ferret. quâ re multitudo omnis, *maiestatem regiam minui*, clamitabat. Gliscente magis, magisque tumultu, ipse in regiam confugere coactus est; multique ex eius militibus à concitatâ plebe malè multati sunt.

Graviora itaque veritus, legiones sibi alias ex Asiâ adduci iussit, quas ex Pompeianis militibus cōfecerat. Intereà quærendæ in vulgus benivolentiæ per otium intentus, ut quisque ad se accederet, comiter accipiebat. Vrbem, ceu pulcritudinem eius admiraretur, obibat: sapientiæ & disciplinarū professores freqnens audiebat: POMPEII comites & amicos, si qui captivi in regis potestatem venissent; summâ beneficentiâ prosequebatur.

Sic gratiâ sibi conciliatâ, pręsentem regum controversiam, ad pop. Rom. & ad se, quòd Consul esset & Dictator, pertinere existimans: atque eo magis officio suo convenire, quòd superiore Consulatu, eum Patre Ptolemæo, & lege & S. C. societas erat facta. ostēdit sibi placere; Regem Ptolemæum, & sororem Cleopatram (qui testamento Patris heredes erant scripti; & in populi Rom. tutelam curamque transditi) exercitus, quos habetent, dimittere; & *iure apud se potius, quam inter se armis, disceptare*.

PHOTINI ET ACHILLÆ CONSPIRATIO.

Heic PHOTINVS Eunuchus, & regis nutricius, regnique procurator, primùm inter suos queri atque indignari cœpit; *Regem ad dicendam caussam evocari*. Deinde adiutores quosdam, conscios sui, nactus ex regijs amicis, exercitum à Pelusio, clàm Alexandriam evocavit: & ACHILLAM, illum POMPEII cæde imbutum, quæ fieri velit, litteris nuntijsque edocuit; omnibusque copijs præfecit.

Ipsi interim, Cæsari invidiam apud populum excitumque conflare non desistebant. & hoc in primis nomine accusare; quod is, per speciem mutui repetendi (ferebatur Ptolemæus Pater acceptam Romanis tulisse summam M. D C C L. Myriadum) expilatis regiæ thesauris, & aureâ argenteâque supellectili, atque adeò frumento publico averso; ne à sacris quidem manus temperaturus esset. Cuius rei ut fidem facerent; ipsi frumentum vetustate corruptum militibus dispertiebantur; vasisque ligneis aut fictilibus ad regis convivia utebantur.

CLEOPATRA CÆSARI SE SISTIT.

CLEOPATRA, quæ eâtenus per alios caussam suā apud Cæsarem egerat; questa se ab amicis & necessarijs desertâ; quùm tàm in formæ elegantiâ, quàm sermonis venustate, magnam haberet fiduciam, per internuntium à Cæsare petit; ut *sibi liceat coràm ius suum exponere*.

Clàm itaque à Cæsare, ex interiore Ægypti regione, arcessita, & solo ex familiaribus APOLLODORO Siculo comitata; exiguo lembo, sub vesperæ crepusculum, proximè regiam adnavigavit. Eam Apollodorus; ut custodes falleret, culcitæ oblongæ involutam, loroque constrictam, sarcinę instar, in regiæ interiora ad Cæsarem intrò ferendam curavit. Ipsaq; quasi è mari emergens VENVS; ita ex occulto prosiliens, & ad genua Cæsaris adrepens; *Partem* saltim *regni*, quod frater præripuisset; sibi *restitui postulavit*.

Cæsar puellæ astum miratus, simul, & formæ gratiâ, & orationis moremque suavitate, illectus; quasi sororem fratri reconciliare vellet; eorumque controversias, pro communi amico atque arbitro, componere; Ptolemæum etiam postridie ad se venire iussit.

Is ad Cæsarem ingressus, ubi sororem Cleopatram intùs esse vidit; rei inexspectatæ novitate attonitus; & excandescens, proiectoque diademate proditum se inclamans; ad populum prosilire parabat; quùm ij, qui tum fortè cum Cæsare aderant, veriti ne ad suos rediens tumultum concitaret; comprehensum ad Cæsarem reduxere.

CÆSAR IN REGIA OPPVGNATVR. Regna regibus distribuit.

Heic subitò Ægyptij Regiam terrâ marique invadunt: eam proculdubio occupaturi, Cæsare ab omnibus rebus imparato; ni ipse, de loco tuto, omnia se, quæ vellent, facturum promisisset. Et eum PTOLEMÆO ac CLEOPATRA in concionem progressus, Regis Patris testamentum, (cuius unæ tabulæ Romam per legatos adlatæ, ut in ærario ponerentur, apud POMPEIVM fuerant depositæ; alteræ, eodem exemplo, relictæ, atque obsignatæ Alexandriæ, proferebantur) de scripto recitari curâsset.

Quo ritè promulgato, quùm subiecisset; *omnem pop. Rom. potestatem in se*, qui & Consul & Dictator esset, *translatam*; PTOLEMÆO & CLEOPATRÆ, natu maioribus, & Coniugibus, uti regio testamento erat cautum; regnum Ægypti, adiudicavit. PTOLEMÆO verò, & ARSINOÆ iunioribus, Cyprum de suo elargitus est.

ACHILLAS CVM COPIIS VRBEM INVADIT.

Sedato vix tumultu, ACHILLAS, instigante PHOTINO, properare iussus, cum equitatu regio, & exercitu, (qui præter II. equitum Mill. vicies Mille; & ijs plurimùm militibus constabat, quos GABINIVS, confecto in Syriâ bello, cum SEPTIMIO, PTOLEMÆO regi, præsidij loco, reliquerat: & disciplinæ patriæ obliti, in consuetudinem, Alexandrinæ vitæ atque licentiæ, cum uxoribus indigenitalibus, & liberis, degenerârant: & prædones fugitivosque, ex Syriâ Ciliciâque, & finitimis regionibus collectos, secum adsciverant) adventare nuntiabatur.

CÆSAR se suis opido locis tenuit, & milites in armis esse iussit. Eoque hortante, rex, DIOSCORIDEM & SERAPIONEM (qui ambo legati Romæ fuerant, & magnam apud Patrem Ptolemæum auctoritatem habuerant) ad ACHILLAM misit, qui quid suæ esset voluntatis, ostenderent. Eos ille inauditos, alterum graviter vulneravit, alterum interfecit.

CÆSAR, ut potius privato paucorum, & quidem latronum consilio, quam regio, susceptum bellum videretur; regem, cuius nomen apud suos, erat sacrosanctum, ut in suâ potestate haberet; effecit.

ACHILLAS verò ijs, quas dixi, copijs confisus, paucitatemque militum Cæsaris despiciens; occupatâ Alexandriâ, & militibus Cæsaris ex eâ opidi parte, quam tenebant, depulsis; primo statim impetu in domum eius regiam irrupisset; nisi dispositis per vias cohortibus, Cæsar conatus eius infregisset.

PVGNA AD PORTVM VRBIS. & Bibliothecæ incendium.

Eodem tempore, & ad Portum acerrimè est pugnatum; dum hostes naveis, quæ plurimæ in portu erant, (in quibus, L. ad POMPEIVM antè missæ, & prœlio ad Pharsalum confecto, domum revectæ: & XXII. rostratæ, quæ præsidij caussâ Alexandriæ esse consueverant) magna multitudine occupare conantur. quibus occupatis, & classe Cæsari ereptâ, Portum, ac mare totum in suâ potestate haberent; & Romanos commeatu auxilijsque prohiberent.

Sed Cæsar, qui tàm latè tueri omnia tam parvâ manu non posset; & celerem in eâ re victoriam consistere videret; rem obtinuit: omneisque eas naveis, & reliquas, quæ erant in navalibus, incendit. Quumque flamma ibi fortè longiùs evecta, proxima navalibus tecta invasisset; cum bonâ urbis parte, nobilis etiam illa (CD. al. DCC. Mill. librorum) PTOLEMÆI PHILADELPHI Bibliotheca; tum horrea publica, simul conflagravère.

PHARVM OCCVPAT CÆSAR.

Veritus etiam Cæsar, ne, si Pharum insulam hostis occuparet, portu quoque intercluderetur; milites confestim navibus ad Pharum exponit: eamq; præsidio firmat. (Ea obiecta Alexandriæ, Portum quidem efficit; sed iactis in mare molibus, angusto itinere & ponte cum opido coniungitur.) Eâ re effectum, ut tutò frumentum auxiliaque navibus ad Cæsarem supportari possent.

Reliquis opidi partibus sic est pugnatum; ut ob loci angustias, æquo prœlio discederetur; & neutri pellerentur, paucis utrimque interfectis. Cæsar loca maximè necessaria complexus, noctu præmuniebat; partem scilicet regiæ, in quam ipse habitandi caussa initio erat inductus; & Theatrum domui coniunctum, quod arcis tenebat locum; aditusque habebat ad Portum & reliqua navalia. Hæc loca noctu diuque ita communijt, ut obiecto quasi hostibus muro, iuvitus ad pugnam cogi non posset.

ARSINOE REGINA AB ÆGYPTIIS SALVTATA: ET AVXILIA ADVERSVS Cæsarem conquisita.

Interim dum ea Cæsar gereret; & ex Rhodo, Syriâ & Ciliciâ classem omnem auxiliaque ad se adduci iuberet; ARSINOE, minor Ptolemæi regis filia, vacuam possessionem regni sperans, operâ GANYMEDIS, Eunuchi & nutricij sui, ad ACHILLAM Ægyptiumque exercitum se transiecit, unaque bellum administrare cœpit.

Eam Ægyptij reginam extemplò salutârunt. læti, quod uno ex liberis regijs apud se principe, maiore cum dignitate bellum gesturi viderentur.

Cæsar veritus, ne PHOTINVS de rege alumno idem moliretur, quem internuntios ad ACHILLAM militie, eumque per litteras hortatum fuisse, ne animo deficeret, neve cœpto desisteret; iam deprehenderat: hominem interficiendum curavit, & regem accuratiùs servari mandavit.

Neque verò Alexandrinis, in gerendis contrà Cæsarem negotijs, cunctatio ulla aut mora inferebatur. In omneis parteis, per quas fines Ægypti regnumque pertinebant, legatos conquisitoresque, delectus

delectûs habendi caussâ, miserant; magnumque numerum in oppidum telorum atque tormentorum convexerant, armorum officinis in urbe institutis.

In consilijs eorum & concionibus, hoc agitabatur; *Ferendum non esse, populum Rom. paullatim in consuetudinem eius regni venire occupandi.* GABINIVM, paucis antè annis, cum exercitu in Ægyptum venisse: POMPEIVM ex fugâ eòdem se recepisse. Cuius morte nihil profectum, quò minus Cæsar apud se commoretur. qui si non expellatur; *futuram ex regno provinciam.* Id maturè providendum, dum interclusus tempestatibus, propter anni tempus, recipere transmarina auxilia non posset.

ACHILLÆ CÆDES. EI SVFFECTVS Ganymedes. Eius strategema aquarium.

Ortâ interim inter ACHILLAM, qui veterano exercitui præerat; & ARSINOEN reginam, de principatu, controversiâ; magnis uterque largitionum iacturis militum sibi animos conciliare adnitebantur, & alter alteri insidiabantur.

Sed præoccupat ARSINOE: & falsò proditionis crimine, operâ GANYMEDIS nutricij, ACHILLAM interficit. atque ita sine ullo socio aut custode, omne imperium obtinuit.

Exercitus GANYMEDI traditur. Is suscepto officio, largitionem in milites auget; reliqua pari diligentiâ administrat. Et primùm quidem, intercisis specubus, sive emissarijs, per quæ aqua è Nilo in eam opidi partem, quam Cæsar tenebat, inducebatur. (Quòd namque Alexandria fonte careat; necessariò aquâ, ex Nilo, per subterraneos meatus in privatas domos derivatâ & percolatâ, puteisque exceptâ, iuvatur) aquâ intercludere est molitus. Deinde, intersceptis ijsdem specubus, aquæ magnam vim è mari, totis, alijsque machinis, exprimere contendit; eamque locis superioribus transfundere; & puteos, quibus Cæsariani utebantur, falsugine inficere, non intermittebat. ut aqua ita corrupta omninò potari non posset.

Hinc milites tantus incessit timor, ut in extremum vitæ casum deducti omnes viderentur. atque alij morari Cæsarem dicerent; quin protinùs naveis conscendere iuberet.

Sed ne ipsa quidem fuga satis tuta esse, aut Alexandrinis cælari posse videbatur; quibus è propinquo imminentibus, haud facilis in naveis receptus daretur.

Sed Cæsar confirmatis utcumque suorum animis; & consilij de fugâ, quæ cum periculo coniuncta esset, oblivisci iussis; quùm omnia litora naturaliter aquæ dulcis venas habere, eamque puteis effossis reperiri posse edocuisset; omnibus huic operi intentis, nec parte ullâ nocturni temporis intermissâ; magna brevi spatio vis aquæ reperta animos militibus restituit. Et ita operosis Alexandrinorum machinationibus conatibusque occursum est.

CÆSAR PVGNA NAVALI VICTOR.

Eo biduo, Legio XXXVII. ex deditiis Pompeianis, cum frumento, armis, telis, tormentis, in naveis imposita, à DOMITIO CALVINO, ex Syriâ, ad litora Africæ, suprà Alexandriam, delata est.

Eæ naves, Euro continenter flante, quùm portum capere prohiberentur, & aquæ inopia premerentur; Cæsar navigio actuario eâ de re certior factus. navim conscendit; atque omnem classem sequi iussit; nullo milite imposito, ne munitiones nudarentur.

Alexandrini, postquam ex remigibus, quos Cæsar aquandi caussâ ad Cherronesum Alexandrinam exposuerat; quique longiùs à navibus prædatum progressi, & ab equitibus hostium excepti fuerant; cognovissent Cæsarem quidem cum classe venisse, sed nullum militem in navibus habere; magnam sibi facultatem rei benè gerendæ à fortunâ oblatam credebant. Et navibus à propugnatore instructis, Cæsaricum legione redeunti, occurrere instituerunt.

Cæsar verò, quùm eo die, tum propter militum paucitatem; tum quòd dies post horam X. iam inclinabat; à pugnâ nocturnâ abstinendum sibi esse censeret: naveis, quas potuit, ad terram, & in locum tutum, subduxit.

Sed quùm in navim unam Rhodiam, quæ in dextro Cæsaris cornu longè ab reliquis erat collocata, hostes magno impetu, & pluribus navibus contenderent; & Cæsar coactus laboranti subsidium ferre, in pugnam descenderet; magnâ contentione & virtute Rhodiorum effectum est; ut captis, aut depressis aliquot navibus; alijs perturbatis, & epibatarum ministerio nudatis, magnâque multitudine propugnatorum passim interfectâ; nisi nox prœliū diremisset; totâ hostium classe Cæsar potiturus fuisset. Et illis eâ calamitate perterritis, naveis onerarias remulco tractas, cum victricibus suis, in Portum Alexandrinum deduxerit.

ALTERA, ET ACRIOR PVGNA navalis ad Pharum.

GANYMEDES, quò detrimentum acceptum sarciret, quidquid usquam erat navium, in unum cogit: veteribusque refectis, magnâ celeritate novas etiam ædificat. Quumque remi deessent; asseres è gymnasijs, porticibus, alijsque publicis ædificijs detracti, remorum usum præbebant. Aliud naturalis solertia; aliud urbis copia subministrabat. Paucis itaque diebus, contrà omnium opinionem, præter minores apertas complureis, classe XXVII. maiorum constratarum, quadriremium & quinqueremium, confectâ; idoneos & usu exercitatos milites imposuérunt; seque ad confligendum omnibus rebus paravérunt.

Nec seciùs Cæsar, suam XXXIV. navium classem, (quæ tamen non nisi V. quinqueremeis, & quadriremeis X. reliquas infrà hanc magnitudinem, & plerasque apertas, haberet) virtute militum confisus, ad pugnam expediebat.

Ipse Pharum insulam circumvectus, adversas naveis hostibus constituit. Factoque à Rhodijs, qui duce Euphranore dextrum cornu obtinebant; pugnæ

pugnæ initio; ijsdemque primum Alexandrinorum impetum, dum reliqui subsequerentur, sustinentibus; totis utrimque viribus concursum est: & ob angustias loci, non in arte nauticâ, sed in virtute omne certamen constitit.

Opidani intereà pariter, & Cæsariani, ab opere & oppugnatione aversi, è summis tectis, ædiumq; fastigijs, eam in mari concertationem despectabãt: & votis utrimque victoriam, suis, ab Dijs immortalibus exposcebant.

Tanto autem à Rhodijs, alijsque Cæsarianis, animo est decertatum; ut neque maritimis nauticisque solertia, aut ars, præsidium ferret; neque numero navium præstantibus multitudo prodesset; quin unâ quinqueremi, & biremi, cum defensoribus remigibusque captâ, & tribus depresis (quùm incolumes, ad unam, Cæsarianæ essent) reliquę propinquam fugam ad opidum capesserent.

PHARUM OPPUGNAT CÆSAR.

ROMANI MODO VICTORES, modo victi.

Cæsar animadverso, Alexandrinas naveis, ex molibus atque ædificijs imminentibus, à Pharitis protegi; & suos adire & persequi propiùs prohiberi; omni ratione contendendum sibi existimavit: ut Insulam, molemque ad insulam pertinentem, in suam redigeret potestatem.

Statim itaque, distinendæ manûs caussâ, Insulam duabus ex partibus oppugnare adgressus est. Et primò quidem impetum Cæsarianorum Pharitæ pariter sustinuérunt; qui uno tempore, & ex tectis ædificiorum propugnarent; & litora armati defenderent. quò, propter asperitatem loci, neque facilis oppugnantibus aditus dabatur; & ipsi scaphis navibusque longis, mobiliter & scienter, angustias loci tuebantur.

At postquam cognitis locis, vadisque pertentatis, pauci è Romanis in litore constitérunt; eosque alij sunt subsecuti; constanterque in eos, qui litore æquo instirerant, impetum fecérunt; omnes Pharitæ terga vertérunt. Et hi pulsi, custodiâ Portûs relictâ, ad litora, & ad vicum adplicaverunt; seque ex navibus ad tuenda ædificia eiecérunt.

Sed ne istis quidem munitionibus contineri potuérunt: quantumvis turres editæ & coniunctæ, muri locum obtinerent: & Cæsariani neque scalis aut cratibus, aut reliquis rebus parati, ad oppugnandum venissent.

Sed terror hominibus ignavis mentem consiliumque eripuit; & membra simul debilitavit. Qui se æquo loco ac plano pares esse erant confisi; ijdem suorum fugâ, & paucorum cæde perterriti; neque XXX. pedum altitudine in ædificijs consistere ausi; se per molem in mare præcipitavérunt; & DCCC. passuum intervallo, ad opidum enatavérunt.

Cæsariani, vico, & præter interfectos, DC. captivis, & prædâ potiti, ædificia etiam diripuérunt: & castellum ad pontem, qui propior erat Pharo, pręsidio imposito, communiérunt.

Pharitæ ponte illo relicto, alterum fortiorem & opido propiorem tuebantur. Hunc Cæsar, defensoribus iam depulsis, & in opidum redactis, adversùs hostem prævallari; fornicemque, quo pons sustinebatur, quâque Alexandrini ad repentina latrocinia naveis emittere solebant; lapidibus oppleri atque obstrui iussit.

Eo opere nondum perfecto, omnes Alexandrinorum copiæ ex opido se eiecére. Et pars e continenti ad pontem cum Romanis, operi intentis, manus conserebant; pars è navibus, cum ijs qui in molem adscenderant, dimicabant.

Et quantumvis primo congressu navigia hostium lapidibus ac fundis à mole repellerentur; postquàm tamen pauci ex Alexandrinis ausi sunt egredi è navibus, & ab latere adgredi remiges & classiarios, qui ex longis navibus in molem se eiecerant; & sine certâ signorum aut ordinum ratione ad certamen, sive studio spectandi, sive pugnandi cupiditate, prodierant; ijdem temerè etiam in naveis refugere cæpérunt.

Horum fugâ incitati Alexandrini, & plures ex navibus egressi, acriùs perturbatos insequebantur.

Qui verò Cæsariani in navibus longis remanserant; scalas rapere; naveisque à tergo repellere, ne ijs hostis potiretur, properabant. Et qui ex III. cohortibus lecti, in ponte ac primâ mole constiterant, quùm pòst se clamorem exaudirent; fugam suorum viderent; & magnam vim telorum adversi sustinerent; veriti ne à tergo circumvenirentur; & discessu navium, omninò reditu intercluderentur; munitione, quæ in ponte instituebatur, relictâ, magno cursu incitati ad naveis contendérunt.

Ex ijs pars, proximas nacta naveis, multitudine hominum atque onere depressa est: pars, dum resistit, ab Alexandrinis intersecta. Pars, feliciore exitu, expeditas ad ancoras naveis consecuti, incolumes discessérunt. Pauci, animo connixi & scutis adlevati, ad proxima navigia adnatárunt.

CÆSAR NATANDO PERICULUM EVADIT.

Cæsar, suos frustrà ad pontem & munitiones contendere cohortatus; & eodem in periculo versatus; postquàm universos cedere animadvertit, in suum navigium se recepit. At quùm eòdem multitudo hominum insecuta irrumperet; fore, quod accidit, præsagiens, sese è navigio eiecit; & ad eas naveis, quæ longiùs constiterant, adnatavit.

Traditur libellos quosdam & scedas, lævâ altiùs suprà aquam sublatâ, gestâsse; & CC. ampliùs pass. spatium natando emensus esse. Alijs; etiam hoste persequente, diu subter aquâ natâsse, & capite per intervalla elato, respirâsse. Quin & paludamentũ, ne eo hostis potiretur, mordicùs ore, inter natandum, tenuisse. quod tandem in fluctibus relictum, & exceptum Alexandrini tropæo adpenderint. Navigium, undè in mare desilierat, multitudine depressum, unà cum hominibus interijt. Sed Cæsar, laborantibus suis scaphas subsidio mittens, nonnullos conservavit. Periére eâ pugnæ & naufragij clade, ex numero militum legionariorum, circiter CD.

remiges

remiges & classiarij aliquantò plures.

Alexandrini eo loco castellum magnis munitionibus crebrisque tormentis confirmavérunt; & egestis è mare lapidibus, Ponte & fornice ubi sunt liberè postea ad emittenda navigia.

Cæsariani autem eo detrimento, tantum abfuit ut perturbarentur; ut in quotidianis etiam operum hostilium oppugnationibus, & prœlijs, deterrendi potius & continendi; quàm ad pugnandum incitandi fuerint.

ALEXANDRINI REGEM SVVM A Cæsare fallaciter extorquent; & commeatus intercipiunt.

Sub hæc Alexandrini, sive à rege ipso per internuntios subornati; sive muliebre & fiducianum puellæ Arsinoes regnum, & superbam Ganymedis dominationem, uti prætexebant, pertæsi; legatos ad Cæsarem misêrunt, ut *dimitteret regem, transireq; ad suos pateretur*. Paratam civitatem, id quod rex imperâsset, facere. Et si eo auctore in Cæsaris fidem, populique Rom. amicitiam venturi essent; nullius periculi timorem multitudini fore impedimenta, quò minus deditionem facerent.

Cæsar, etsi gentis fallaciam, & simulandi artificium, perspecta haberet; neque ijs, quæ proponebantur, satis fideret; regem tamen ipsis pro tempore dimittendum esse censuit.

Sive, quòd splendidiùs atque honestiùs sese côtrà regem, si eum ducem bello gerendo habere vellent; quàm contrà multitudinem, duce destitutam, bellum esse gesturum existimaret. Sive quòd ex regis, ætate pueri, & minus rectè instituti, præsentiâ, haud multum præsidij Alexandrinis accessurum sciret. Et eo cum subiectis debellato, liberiùs se pro arbitratu suo de regno constituturum sibi persuasisset.

Regem itaque cohortatus; ut *consuleret regno paterno*; *parceret clarissima patria*, quæ turpissimis incendijs & ruinis deformari cæpisset; *cives suos ad sanitatem revocaret*; *fidem pop. Romano sibiq; servaret*; Eum, adultâ iam ætate puerum, à se ultrò ad hosteis armatos dimittere cæperat; quùm illius animus, disciplinis fallacissimis eruditus; neque à gentis luæ moribus degener; flens contrà orare Cæsarem cæpit, ne à se dimitteret; cuius conspectus regno ipso sibi esset iucundior. Vt tantumnon Cæsari fidem faceret, sedulò & sincerè ea agi.

Ille nihilo minus, uti ex carceribus in liberum curriculum emissus, adeò contrà Cæsarem acriter bellum gerere cæpit; ut lacrymas, quas in colloquio proiecerat, gaudio videretur profudisse. Et complures Cæsaris necessarij, nimiam eius bonitatem, pueri fallacijs delusam esse, lætarentur. quasi verò id Cæsar facilitate tantum adductus, ac non prudentissimo consilio, fecisset.

Alexandrini autem, quùm rege, ceu duce, recepto, nihilo se firmiores factos; aut languidiores Romanos animadverterent; & militibus regis ætatem atque infirmitatem eludentibus, magnum dolorem acciperent; & magna Cæsari præsidia terrestri itinere, Syriâ Ciliciâque adduci, ex rumore (qui nondum ad Cæsarem permanârat) cognovissent; commeatum, qui Romanis mari supportabatur, dispositis ad Canobum in statione navibus, intercipere statuêrunt. Et ignibus, qualeis à Romanis hen soltos sciebant, ad proxima Nili ostia exstructis; primæ aliquot naves ex ijs, quæ commeatum Cæsari subvehebant, ea in loca adpulsæ, ex insidijs in Alexandrinorum potestatem venêrunt.

PVGNA ALIA NAVALIS.

Id ubi Cæsari nuntiatum est; classem iubet expediri, atque instrui; eique Tib. Neronem præficit. Eum Rhodiæ naves, duce Evphranore, comitantur.

Quùm ad Canopum ventū esset; & classe utrimque instructâ, Evphranor primus ex suâ consuetudine prœlium cōmisisset, & illic triremem hostiū perforâsset & demersisset; proximā lōgiùs insecutus, parùm celeriter insequentibus reliquis, ab Alexandrinis circumventus est. & qui unus ex omnibus eo prœlio rem benè gesserat; solus cū suâ quadrireme victrice perijt. Sed hostibus deinde prœlio superatis, tutam navibus onerarijs navigationem præstitit.

MITHRIDATIS PERGAMENI, ET Antipatri Idvmæi, praeclari, pro Cæsare, conatus.

Sub idem tempus Mithridates Pergamenus, (Menodoti, (al. Mennæi) F. ex Adobogionis, (unius è Tetrarchico Galatarum genere) filia; quæ Mithridatis Evpatoris pellex fuisse dicitur: & filio id nomen imposuisse, ut non Menodoti, sed Mithridatis ipsius filium esse persuaderet) quem Cæsar, initio belli Alexandrini, ad auxilia arcessenda in Syriam Ciliciamque miserat; magnas copias, itinere pedestri, (quo coniungitur Ægyptus Syriæ,) Pelusium versùs adduxit. Tota namque Ægyptus, maritimo accessu, Pharo; pedestri, Pelusio; velut claustris, munita existimatur.

Achillas, opidum Pelusium, propter opportunitatem loci, firmo præsidio occupatum tunc tenebat. Et quùm Mithridates, quòd Nilo molibus obstructo, navibus per ostiū perveniri Pelusium nō posset; circâ Ascalonem cum exercitu hereret; Antipater, vicarius Iudæorum rector, (qui prius Pōpeij parteis iuverat) iussu Hyrcani Pontificis, cum III. Iudææ gentis armatorum Millib. sese ei adiûxit.

Idem cum permultis Arabum Dynastis egerat, ut suppetias Cæsaris rebus venirent. quorum in numero fuêre Iamblichvs, cum Ptolemæo F. & Tholomævs, Sohemi, Libani montis incola; & universa penè vicinia.

Mithridatis itaque motis è Syriâ castris, & transportatis noctu, trans molem, quam Ægyptij flumini ostioque obiecerant, navibus; ijsque, qui ad loci custodiam relicti erant, interfectis; Pelusium classe simul & terrestribus copijs circumdedit: & perseverantiâ constantiâque oppugnandi, quo die est adgressus, in suam redegit potestatem.

Eâ in oppugnatione, præ cæteris, Antipatri virtus enituit: qui deiectâ, muri parte, succedens,

cæteris pòst se irrumpentibus aditum, in urbem, aperuit.

MITHRIDATES, re benè gestâ, & præsidio in urbe collocato, Alexandriam ad Cæsarem rectâ contendebat: omnesque eas regiones, per quas iter faciebat, auctoritate eâ, quæ plerumque adest victori, pacârat, atque in amicitiam Cæsaris redegerat.

Sed eâ quoque in re magnum adtulit momentum ANTIPATRI prudentiâ: dum Iudæos eos, qui regionem, ab ONIA nomen sortitam, quiq; Memphim accolūt, & PTOLEMÆIS regibus fidi, MITHRIDATEM hostem transitu prohibere conabantur; ostentatis palàm HYRCANI, summi Pontificis, litteris, non modò cæpto desistere coëgit; sed ut commeatibus, alijsque rebus necessarijs MITHRIDATIS exercitum iuvarent; & Cæsari, qua possent, amicè commodarent, auctor fuit.

Rex autem PTOLEMÆVS, quùm cognovisset MITHRIDATEM ei loco, cui à Figura Græcæ litteræ, DELTA, cognomen est, cum exercitu adpropinquare; & transeundum ei flumen sciret; magnas adversùs eum copias misit. Vt si non penitùs opprimere, saltim transitu prohibere, & à Cæsare disiungere posset.

MITHRIDATES, quùm castris in morem Romanum vallo communitis, impetum eorum, qui primi flumen à Deltâ transierant; & commisso obiter prœlio, præripere subsequentibus victoriæ societatem festinabant; prudenter fortiterque sustinuisset: tum eosdem incautè insolenterque munitionibus succedere conspicatus; eruptione undique factâ, magnum eorum numerum interfecit. Quod nisi locorum notitiâ reliqui se texissent; partimque in naveis, quibus flumen transierant, se recepissent: funditùs deleri potuissent. Eo quoque in prœlio, forti & fideli ANTIPATRI operâ usus est MITHRIDATES. Locus ille, circà quem pugnatum est, *Castra Iudæorum*, (& fort. Bubastis) antiquitùs dicebantur.

Quumque eâ in pugnâ, ANTIPATER sinistrum cornu; & MITHRIDATES dextrum curaret; hoc quidem primo impetu inclinatum, & cladi iam proximum videbatur, nisi præter fluminis ripam, maturè occurrens ANTIPATER, qui adversam sibi aciem profligârat; tum socios è periculo eripuisset; tum Ægyptios, iam suo iudicio victores, terga vertere coëgisset. Ipse præterea tàm acriter fugientibus institit, ut castra eorum ceperit. Vocato in partem prædæ MITHRIDATE; quem, dum hostem insectatur, longè à tergo reliquerat. Et hic quidem DCCC. ex suis; ANTIPATER verò non amplius L. desideravit.

Neque immeritò hunc ille, & salutis sibi, & victoriæ auctorem, ingenuè fassus est. Et Cæsar eo nomine tunc collaudavit; & forti eius operâ reliquis bellis usus est. Et bello deniquè finito, classe in Syriam devectus, HYRCANVM (qui eidem expeditioni interfuisse ab alijs memoratur) in pristina Pôtificatûs patrij iura restituit: & ANTIPATRVM, civitate Romanâ donatum; magnis præterea honoribus cumulavit. Ipsisque adeò Iudæis Alexandrinæ civitatis ius attribuit.

MITHRIDATES PER CÆSAREM PERICVLO LIBERATVR.

MITHRIDATES rursùs ab ijs, quos vicerat & in fugam coniecerat; ubi paullulum ab illo timore se recreâssent, una adiunctis ijs, qui subsequebātur; acriter oppugnari cæptus; nuntium Cæsari mittit, qui rem gestam periculumque perferret. Et rex pariter, ex suis, eadem hæc accidisse cognovit.

Ita pænè sub idem tempus, & rex ad opprimendum MITHRIDATEM proficiscitur; & Cæsar ad recipiendum. Et quamvis rex celeriore fluminis navigatione, in quo magnam & paratam classem habebat, uteretur; Cæsar tamen circumvectus eo mari, quod ad Africam pertinet, priùs regi occurrit, quàm is MITHRIDATEM adgredi posset: eumque ad se victorem incolumi exercitu recepit.

CÆSAR CASTRA REGIS OPPVGNAT; IISQVE REGE SVBmerso, potitur.

Rex loco excelso, & naturâ munito, castra posita habebat, ita ut tribus à lateribus defenderetur. Sed inter castra ea, & Cæsaris iter, flumen intercedebat angustum, altis & præruptis hinc indè ripis, quod in Nilum influebat; aberatque à castris regijs pass. M. VII.

Rex quùm hoc itinere Cæsarem venire cōperisset; equitatum omnem & expeditos pedites ad id flumen misit; qui transitu prohiberent, & eminus ex ripis prœlium impar inirent.

Sed postquàm Germani equites, vadis repertis; & legionarij, aggere ex arboribus cæsis iniecto, flumen transiêrunt; eorum impetum adeò hostes pertimuêrunt, ut in fugâ spem salutis collocarent. Verùm pauci ex ijs incolumes ad regem refugêrunt.

Cæsar quidem, qui tàm repentini terroris beneficio sibi utendum putaret; protinùs victor ad regis castra pertendebat. Sed quòd ea & opere magno vallata, & loci naturâ munita, armatisque adfatim insessa, videret; lassos itinere & prœliando milites, ad oppugnandum succedere noluit. Itaque non magno ab hoste intervallo, castra posuit. Postero die, castellum, quod rex in proximo vico haud longè à castris suis muniverat, brachijsque cum opere castrorum coniunxerat; Cæsar adgressus, omnibus copijs expugnat. Et eodem pænè cursu, quo refugienteis ex castello Alexandrinos in castra sunt milites insecuti; munitionibus successêrunt, & eminùs prœliari cæpêrunt.

Cæsar quùm videret, propter locorum difficultatem, à suis, acriter quantumvis prœliantibus, haud multum profici: eosque diversis telis figi; adversos, ex vallo castrorum, & aversos, ex flumine, in quo naves multæ funditoribus & sagittarijs instructæ essent: animadvertit tandem excelsissimum locum castrorum ab Alexandrinis esse desertum; quòd is & per se munitus esset;

& propu-

& propugnatores partim pugnandi, partim spectandi studio decurrissent in eum locum, in quo pugnabatur. Cohorteis itaque aliquot, præfecto Carsuleno, circuire castra, & summum locum adgredi iussit. Quò ut ventum est, paucis defendentibus munitionem; & Cæsarianis contrà acerrimè oppugnantibus; diverso à tergo clamore & prœlio perterriti Alexandrini, trepidantes, in omneis parteis discurrere cæperunt. Eorumque perturbatione, Romanorum animi adeò sunt incitati; ut pænè eodem tempore, omnibus ex partibus, primi tamen editissimum illum castrorum locum caperent; & indè in depressiora delapsi, magnam hostium multitudinem interfecerint. Quod periculum plerique ut fugerent; acervatim se de vallo præcipitavérunt in eam partem, quæ flumini erat adiuncta. Eorumque primis, in ipsâ fossa munitionis, magnâ vi oppressis; cæteri faciliorem fugam per cadavera habuérunt.

Rex ipse è castris fugiens, & in navim exceptus, multitudine eorum, qui ad proximas naveis adnatabant; demerso navigio, periit.

Corpus eius, impellentibus fluctibus, ad littus devolutum, limoque obrutum, indicio aureæ loricæ agnitum est. Eadem lorica Alexandriam, in signum & fidem rei gestæ præmissa, facilè oppidanos, omni spe amissâ, ad deditionem faciendam induxit.

Et Cæsar, magnæ victoriæ fiduciâ, proximo terrestri itinere, Alexandriam cum equitibus contendens, ea parte oppidi victor introiit, quæ præsidio hostium tenebatur. Omnisque multitudo oppidanorum, armis proiectis & veste ea sumtâ, quâ supplices victorem & dominum deprecari consuevérunt; omnibusque sacris religiosè prælatis, advenienti Cæsari occurrérunt; seque ei dedidérunt. (Circà VI. Kalend. Maias.)

Cæsar receptos in fidem consolatus, per hostium munitiones, in suam oppidi partem, magnâ cum suorum gratulatione, pervenit.

Eo bello XX. hominum Mill. cæsa referuntur; capta autem XII. Mill. Naves item longæ LXX. Ex victoribus verò D. tantum desiderari.

PTOLEMÆVS IVNIOR, ET CLEOPATRA, AVLETÆ FF. ÆGYPTI REGES. CÆSARIS amores, & luxus.

Ita Cæsar Alexandriâ atque Ægypto potitus, reges denuò constituit, quos Ptolemævs senior testamento scripserat, & pop. Rom. commendârat. Et maiore ex duobus pueris amisso, minori regnum tradidit; maiorique ex duabus filijs Cleopatræ, quæ in fide eius præsidijque remanserat; & cuius potissimum gratiâ bellum tàm grave suscipuerat.

Minorem Arsinoen, quæ transfugerat, deducere è regno statuit. ne qua nova rursùs seditio, nasceretur, prius, quàm diuturnitate novorum regum & coniugum imperia confirmarentur.

Tradunt quidam Cæsarem, rebus iam pacatis, cum Cleopatrâ assidua & intempestiva agitâsse convivia; & CD. navibus Nilo subvectum, interiora regionis, vel Æthiopiâ tenus, eâdem, cum Cleopatrâ semper navi usum, perlustrâsse. Et ne à consuetudine quidem formosulæ mulieris abstinuisse. undè natus filius, qui Patrem ore referret; quemque Ægyptij Cæsarionem appellârint.

Alij auctores sunt; Cæsarem, dum per otium in Ægypto peregrinaretur, Sacerdotum & Sapientum Ægyptiorum consuetudine atque congressu, Astronomiam ita perdidicisse; ut Fastos negligentiâ priorum Pontificum corruptos, posteà emendârit; atque Annum ad certam motuum cœlestium, temporumque formam redegerit.

CÆSAR ÆGYPTO DECEDIT.

Rebus ita in Ægypto, post novimestre bellum, constitutis, Legionem unam, VI. veteranam, secum deducit; cæteras partim ad dignitatem imperij, & securitatem reip. partim præsidio novis regibus futuras, apud Alexandriam relinquit. Ipse itinere terrestri, exortis tum patùm lætis de Pharnace nuntijs, in Syriam profectus est.

Dum enim ea, quæ memoravimus, in Ægypto geruntur; Pharnacis, Mithridatis Pontici regis F. non contentus Bosporo Cimmerio, regni paterni parte; Colchidem, & Armeniam minorem, quæ Deiotaro; & Cappadociam, quæ Ariobarzani à Senatu pariter fuerant attributæ; partim occupárat; partim etiamtum evastabat.

DOMITIVS A PHARNACE prœlio superatus.

Domitivs Calvinvs, Asiæ rector à Cæsare datus, precibus regum sociorum interpellatus, Pharnacem Armeniâ Cappadociâque decedere iubet; & propiùs eas regiones cũ exercitu accedit. Copiæ celeriter omnes legionum & auxiliorum Comana convenire iussæ.

Legati, quos Domitivs ad Pharnacem miserat, responsum referunt; Regem Cappadociâ ultrò decessisse: Armeniam minorem, quam Paterno nomine & iure obtinere debeat, retinere; eiusque regni caussam integram Cæsaris cognitioni servare.

Domitio nihilo minus in Armeniam progrediente, & regia munera pacisq; conditiones aspernante; ad Nicopolim, eius regionis oppidum, perventum

perventum est; & castra haud procul indè posita. DOMITIVS frustrà insidijs, & pacis simulatione, à PHARNACE petitus; sed in fraudem pænè pellectus, castra propius opido contulit. Et dum PHARNACES aciem suo more atque instituto instruxisset; ipse, parte copiarum vicissim pro vallo instructâ, inceptum castrorum opus perfecit.

Quùm autem PHARNACES, interceptis de nocte tabellarijs, qui litteras de rebus Alexandrinis ad DOMITIVM ferebant, cognovisset; Cæsarem magno in periculo versari; & propera à DOMITIO subsidia flagitare; iamiam victoriæ loco ducebat: Si trahere tempus & se prœlio abstinere posset, quòd discedendum celeriter DOMITIO putaret.

DOMITIVS verò, quùm salutem Cæsaris sibi non negligendam existimaret; neque se tutò discessurum arbitraretur, si conditiones, quas reiecerat, rursùs appeteret; aut sine causâ, aut cum fugæ ignominiâ discederet; rem prœlio committere statuit. Et quamquam viribus longè impar; quòd præter regia ARIOBARZANIS & DEIOTARI auxilia, unam tantum Rom. legionem, XXXVI. haberet; copias tamen instructas ex propinquis castris in aciem educit. Postquàm ad manus ventum; acriter varieque pugnatum est.

Legio Rom. impetu in equitatum regis facto, adeò secundum prœlium fecit, & adversos hosteis adgressa est; ut mœnibus opidi succederet. Auxilia vero, vel primo statim impetu partim oppressa; partim dissipata sunt.

Ita victrices regis copiæ cornu suo dextro, mediâq; acie, convertêrunt se in Rom. legionem. Et quamquam ea fortiter vincentium impetum sustineret, & præsentissimo animo in orbem pugnaret; magno tamen hostium globo circumdata, & pulsa tandem loco, ad radices montium se recepit: non amplius CCL. è suo numero desideratis; præter nonnullos equites & viros illustreis. DOMITIVS, ut reliquias dissipati exercitûs collegit; tutis itineribus per Cappadociam in Asiam se recepit.

PHARNACES, rebus secundis opidò elatus; quique de Cæsare ea, quæ optabat, speraret; Pontum omnibus copijs occupavit. Ibique, fortunam sibi paternam animo præcipiens, multa opida, & in cæteris, Amisum, aliquamdiu resistere ausum, expugnavit; & bona civium Roman. qui illic negotiabantur, Ponticorumque diripuit. Suppliciaque in eos, qui aliquam formæ atque ætatis commendationem habebant, vel morte ipsâ miseriora, constituit; impuberibus ad unum omnibus exsectis.

Et iam Bithyniæ, Asiæque occupandæ animum adiecerat; quùm intellexit ASANDRVM, cui Bosfori regnum, per absentiam, servandum commiserat; res novas domi moliri. & vereri cæpit, ne, dum alienis inhiat, proprijs ipse possessionibus excluderetur.

CÆSAR RES IN ASIÆ CIVITATIBVS CONSTITVIT.

CÆSAR, postquam ex Ægypto in Syriam venisset; & Romæ, seditionibus, ex Tribunorum pl. inter se contentione, exortis, multa malè & inutiliter administrati: & ambitione atque indulgentiâ Tribb. milit. eorumque qui legionibus præerant, multa contrà morem militarem consuetudinemque fieri, cognovisset; eaq; e omnia flagitare adventum suum videret: Tamen cæteris rebus antevertendum existimavit, ut quas in provincias regionesque venisset; ita eas relinqueret constitutas, ut domesticis dissensionibus liberatæ, iura legesque acciperent; & externorum hostium, & PHARNACIS potissimum, metum deponerent.

Commoratus itaque in omnibus ferè civitatibus, quæ maiore essent dignitate, præmia benè meritis, & viritim, & publicè, tribuit. De veteribus controversijs cognoscit: ac statuit reges, Dynastasque provinciarum: finitimosque omneis, qui ad eum concurrerant, receptos in fidem, conditionibus impositis, & sibi, & pop. Rom. amicissimos dimittit.

ANTIGONO REIECTO, ANtipatrum Iudææ præficit.

Quùm sub idem tempus ANTIGONVS, ARISTOBVLI, Iudæi nuper principis, & Cæsaris amici, F. ad Cæsarem venisset, questum de indigno Patris fratrisque ALEXANDRI casu. quorum ille à Pompeianis veneno exstinctus; hic à SCIPIONE securi percussus fuisset. oraretque, ut sui, paterno principatu, per Hyrcanum & Antipatrum, eiecti, misereretur. Et Antipater vicissim caussam suam, atque Hyrcani, tàm disertè ageret; & obiecta sibi crimina dilueret; & in ANTIGONVM, seditionis rerumque novarum studium retorqueret:

„ ARISTOBVLVM *Patrem, qui perpetuas anteà cum pop. Rom. inimicitias exercuisset; meritissimè in vinculis Romam fuisse pertractum.*

„ *Fratrem* ALEXANDRVM, *licentissimè per Syriam latrocinij meritas similiter* SCIPIONI *pœnas expendisse:*

CÆSAR eâ oratione commotus, ANTIPATRVM, qui proximo bello egregiè se adiuvisset; universæ Iudææ præfecit: & Hyrcano, præter summi sacerdotij dignitatem, concessit; ut *muros Hierosolymæ, à Pompeio disiectos restitueret*. Iudæos autem omneis, magnis prærogativis ornatos, *suis vivere legibus permisit*.

Et paucis diebus in provincijs Syriæ consumtis, & Sex. Cæsare, amico & necessario suo, legionibus Syriæque præfecto; ipse eâdem classe, quâ venerat, in Ciliciam est profectus.

IN ASIA REGNA LARGITVR.

Eius autem provinciæ civitatibus, Tarsum, nobile & munitum eâ in regione opidum, evocatis, & rebus etiam finitimarum gentium constitutis; & TARCHONDIMOTO, qui non exiguam Ciliciæ partem tenebat, & POMPEIVM re navali plurimùm iuverat;

iuverat, delicti veniâ concessâ; magnis per Cappadociam itineribus, Mazacam, & deinde Comana pervenit. Ibi vetustissimum & sanctissimum Bellonæ Templum (quod tantâ religione colitur, ut Sacerdos eius Deæ, maiestate, imperio & potentiâ secundus à rege habeatur) homini nobilissimo, NICOMEDI Bithynio, adiudicavit; qui regio Cappadocum genere ortus, iure minimè dubio, sacerdotium id repetebat. ARIOBARZANI Cappadociæ regnum attribuit; qui sub fratris Ariarathis imperio ac ditione esset.

DEIOTARVS IN GRATIAM RECEPTVS.

Quùm propius Pontum, fineisque Gallo-græciæ accessisset, DEIOTARVS, Gallo-græciæ pænè totius Tetrarches, & rex Armeniæ minoris à Senatu appellatus; depositis regijs insignibus, & quodam reorum habitu supplex ad Cæsarem venit; oratum, *ut sibi ignosceret*, quòd auxilia POMPEIO submisisset. *Se Iudicem esse controversiarum pop. Rom. non debuisse; sed parêre præsentibus imperijs.*

Cæsar contrà, quùm plurima sua commemorásset officia, quę Consul ei decretis publicis tribuisset; & excusationem imprudentiæ dissolvisset; concessit tamen id factum superioribus eius beneficijs, veteri hospitio, atque amicitiæ: dignitati ætatique hominis, & precibus eorum qui pro illo intercedebant. Et reservatâ sibi de cæterorum Tetrarcharum controversijs cognitione, regium vestitum ei restituit. Legionem eam, quam ex genere civium suorum, naturâ disciplinâque Romanâ constitutam rex habebat, equitatumque omnem, ad bellum gerendum adducere iussit.

BELLVM PONTICVM CVM PHARNACE.

Quùm in Pontum venisset, copiasque omneis unum in locum coëgisset; (erant legiones II. quæ sub Cn. DOMITIO miltrárant; & I. Sexta Veterana, quam secum Alexandriâ abduxerat; adeò deminuta, ut minus ∞. hominum in ea esset: & prima DEIOTARI.) Legati à PHARNACE missi Cæsarem adeunt; atque in primis deprecantur; *ne eius adventus hostilis esset. Facturum omnia regem, quæ imperarentur*; qui nulla POMPEIO auxilia, adversùs ipsum dare voluerit: Quod tamen fecisse, DEIOTARO impune cesserit.

Ijs respondit CÆSAR: *Se fore æquissimum PHARNACI, si quæ polliceretur, repræsentaturus esset. Neque libentius facere quidquam, quam supplicibus ignoscere. Neque publicas provinciarum iniurias condonare ijs posse, qui fuissent in se privatim officiosi. Si rex Ponto confestim discedat, familiasque publicanorum remittat; & cætera socijs civibusque Romanis restituat, quæ penes eum essent; Se iniurias civium Romanorum, qui in Ponto negotiati essent, (quoniam in integrum restituere non posset,) regi concessurum; & munera, quæ bene gestis rebus, Imperatores ab amicis missa capere consuessent, accepturum.*

(Misisse rex per legatos tum ferebatur, Coronam Auream; & filiæ coniugium Cæsari obtulisse.)

FLVXA PHARNACIS FIDES.

PHARNACES, accepto responso, omnia liberaliter pollicitus, quùm festinantem ac properantem Cæsarem, speraret libentiùs etiam crediturum suis promissis, quam res pateretur, quò celeriùs honestiusque ad res magis necessarias proficisceretur, (neque enim ignarus erat, Cæsarem maximis de caussis, tum in Italiam, tum in Africam, revocari) lentius agere; decedendi è Ponto diem postulare longiorem; pactiones interponere. in summâ, frustrari cœpit.

CÆSAR AD PVGNAM SE COMPARAT: & feliciter regem vincit.

Cæsar, cognitâ hominis calliditate, & necessitate adductus, celeriùs omnium opinione manus conserere instituit. Quùm igitur PHARNACES III. ferè pass. Millib. à Zelâ, Ponti opido, in colle editiore, circà montem Scotium (quò ferè loco MITHRIDATES Pater, TRIARIVM vicerat) castra posuisset; Cæsar, qui haud longiùs V. pass. Mill. ab eodem loco metatus erat; proximâ nocte, nec opinantibus hostibus, collem regijs castris proximum, MITHRIDATIS victoriâ nobilitatum, occupavit; ita ut Mille nō amplius passus inter utrumque castra intercederent. Eumque locum, aggere, per servitia, è superioribus castris comportari, iusso, muniri imperat.

PHARNACES, quùm id repentè primâ luce animadvertisset; copias omneis suas pro castris instruxit.

Cæsar vicissim, id fieri ab hoste ratus, vel ad opus suum munitionis tardandum; vel ad ostentationem regiæ fiduciæ; primâ tātùm acie pro vallo instructâ, reliquam exercitûs partem opus perficere iubebat.

Cæterùm PHARNACES, sive loci felicitate, sive auspicijs & religionibus inductus; sive Cæsarianorum militum paucitate atque adeò contemtu; iam dimicandi consilium inierat: & descendere præruptâ valle cœperat.

Eiusque Cæsar, velut inanem, ostentationem aliquamdiu irridebat; & eo loco militum coartatione: quùm interim PHARNACES eodem gradu, quo præruptam in prœlium descenderat vallem, ad scendere adversùs arduū collem instructis copijs cœpit.

Cæsar itaque eius vel temeritate, vel fiduciâ commotus, milites ab operibus vocat, & arma capere iubet, & acie instructâ legiones opponit.

Falcatæ regis quadrigæ trepidos adhuc & permistos Romanos perturbant. sed eæ celeriter multitudine telorum oppressæ sunt. Acie hostium mox eas insecutâ, &, clamore sublato, confligitur. Magno atque acri prœlio cominùs facto, & Cæsare cum M. equitibus procurrente, à dextro cornu, quo veterana legio VI. erat collocata; initium victoriæ natum est. Multum Romanos adiuvante loci naturâ; plurimùm Deorum benignitate. qui eis præcipuè belli casibus intersunt, quibus nihil ratione possit administrari.

Ab eâ enim parte in proclive hostes facilè detrusi. Tardiùs deinde, sinistro cornu, mediaque

acie, totæ regis copiæ sunt profligatę. Quæ quàm facilè subierant iniquum locum; tam celeriter gradu pulsæ, eàdem loci iniquitate premebantur.

Multis itaque eorum partim interfectis; partim suorum ruinâ oppressis; qui velocitate effugere poterant, armis tamen proiectis, vallem transgressi, nihil ex loco superiore, inermes, proficere poterant.

Romani, victoriâ elati, subire iniquum locum, munitionesque adgredi non dubitârunt; & deiecto cohortium præsidio, celeriter castris hostium sunt potiti.

Pharnaces cum paucis equitibus, fugiens Sinopen, maritimum opidum, se recepit.

Ferunt CÆSAREM, profligato PHARNACE, exclamâsse; *O te beatum, POMPEI, qui cum talibus viris, bello Mithridatico, decertans, MAGNI cognomen peperisti.*

CÆSAR, ob maximum bellum tantâ celeritate confectum summoperè lætus, nihil tamen aliud, neque prolixius eâ de re Romam perscripsit, quàm in hæc verba; *Veni, Vidi, Vici.* antè victum hostem esse, quàm visum, significans. Intrà quinctum namque, quàm in Pontum venerat, diem; & quattuor, quibus in conspectum venerat, horis; unâ acie regem profligavit.

Ponto recepto, prædâque omni regiâ militibus condonata, quo loco PHARNACEM fuderat, Tropæum statuit; adversum ei Tropæo, quod MITHRIDATES de TRIARIO antè erexerat. Quæque rex tàm civibus, quàm socijs per vim abstulerat, ea recepta suis quidque dominis restituit.

Amisenorum calamitatem & iniurias, libertate publicè concessâ solatus est.

Dimissis domum DEIOTARI auxilijs; & VI. legionis veteranis in Italiam, ad præmia atque honores accipiendos, præcedere iussis, II. legiones cum CŒLIO VINICIANO in Ponto reliquit. & DOMITIO, persequendi PHARNACIS negotium imponit.

REGNA CÆSAR FIDIS REGIBUS DISTRIBUIT.

Ita per Gallo-græciam Bithyniamque in Asiam iter facit: deque earum provinciarum controversijs cognoscit & statuit: iura in Tetrarchas, reges & civitates distribuit. Inter hæc, partem Armeniæ minoris, quæ priùs tota DEIOTARO parebat; ARIOBARZANI, Cappadociæ regi, attribuit. MITHRIDATEM PERGAMENVM, bello Alexandrino spectatum, regio genere ortum, (quem MITHRIDATES EVPATOR, rex Asiæ totius, Pergamo parvulum secum asportaverat in castra, & regijs disciplinis educandum curârat) regem Bospori constituit, quod sub Imperio Pharnacis fuerat: provinciasque pop. Rom. à Barbaris atque inimicis regibus, interposito amicissimo rege, munivit. Eidem Tetrarchiam, quam paucis antè annis DEIOTARVS occupârat & possederat, legibus Gallo-græcorum, iure gentis & cognationis, adiudicavit. Eumque bellum in ASANDRVM (cuius in PHARNACEM perfidiam impunitam esse nolebat) suscipere, Bospotoque eijcere, iussit.

CÆSARIS RAPACITAS IN PECVNIIS EXIGENDIS. IN ITALIAM REDITUS.

Ipse verò per Asiam in Græciam transgressus, quod tâ in sumtus quotidianos; tàm & ad promissa militibus præstâda, & ad conficiendas belli civilis in Africâ Hispaniâque reliquias; denique & ad triumphos ducendos, maximâ sibi pecuniarum vi opus fore prospiceret; per omneis passim Asiæ Græciæque civitates, quantas poterat maximas pecunias, quoquo modo côficere studiosè laboravit: exigentibus eas perquam acerbè, nec sine maximâ invidiâ, publicanis. Neque tamen usquam diutiùs moratus est, quàm necessitas urbanarum seditionum pati videbatur. Iisque rebus felicissimè celerrimeque confectis, in Italiam celeriùs omnium opinione, sub anni exitum, venit.

ANTIPATRI PRVDENTIA, ET DEXTERITAS IN REBUS GERENDIS.

ANTIPATER, postquam Cæsarem ex Ægypto in Syriam deduxisset; reversus domum, mœnia Hierosolymæ, quæ ad id usque tempus, ex quo à POMPEIO fuerant diruta, iacebant; sedulò restituit. Et obitâ passim provinciâ, homines rerum novarum cupidos compescuit; eamq; ad rem tum minis, tum suasionibus prudenter usus est.

Fore namque; *si Hyrcano principe contenti sint; ut felicissimè agant, & suis quisque possessionibus fruantur. Sin novas spes animis præcipiant; sibiq; polliceantur, & ex reip. perturbatione captent commoda; Se, pro præside, dominum; Hyrcanum, pro rege, tyrannum; Romanos deniq; & Cæsarem, pro principibus, acerbos hostes, esse habituros.*

CICERONIS CVM CÆSARE COLLOQVIVM.

CICERO, qui Brundisij substiterat, ut cognovit Cæsarem in Italiam venire, & ad Tarentum adpulisse; obviàm ei progressus est. Quem cum Cæsar vidisset, ex equo descendit & salutavit, & cum eo per aliquot stadia varijs de rebus collocutus est.

CÆSAR, CLEMENS SIMUL, ET NIMIS INDULGENS. ÆRUSCATOR. MAGIstratus & provincias distribuit.

Quumque Tribunitiæ & urbanæ seditiones ad primum Cæsaris adventum conquievissent; ipse ne factâ quidem antè actorum inquisitione, omnibus ex æquo veniam concessit. Maiorine cum laude clementiæ; an indulgentiæ & facilitatis reprehensione! incertum.

Cæterùm cogendis privatim & publicè pecunijs, avidius incubuit. Easque non modò munerum specie, utpote, *Coronarum, Imaginum, Statuarum,* & eius

eius generis aliorum, quæ partim ultrò offerebantur; partim exigebantur; sed & mutui nomine, non minus à civitatibus, quàm à privatis, accipiebat. *Nomina sibi facere necesse esse*, dictitans, *qui suas facultates reip. impedisset.*

Atque hinc plebe tum novas petere ausa tabulas, palàm & disertè recusavit; se quoque obæratum in cæteris professus. Vsuras tantum, quæ ab initio susceptæ contrà POMPEIVM expeditionis deberentur; & mercedes habitationum, remisit.

Senatoribus, sacerdotia & magistratus, tum in reliquam anni partem, tum in annum insequentem, contulit. Et prætores, in annum consequentem, X. designavit. additoque singulis Pontificum, Augurum, & Quindecimvirorum collegijs, uno, sacerdotiorum etiam numerum adauxit.

Ex Equestri ordine, & ijs, qui secum miliárant, centurionibus, complureis, qui defunctis succederent, in Senatum adlegit.

M. BRVTVM, quem pòst cladem Pharsalicam amicè ad se evocárat; cum exercitu, Galliæ Cisalpinæ: D. verò BRVTVM, Transalpinæ præfecit.

SEDITIO VETERANORVM, CÆSARIS SOLERTIA EGREGIÈ COMPRESSA.

In Campaniâ interim Veterani, qui Pharsalico bello interfuerant, præmia simul & missionem seditiosiùs flagitabant; & duos Senatorij ordinis viros, qui tum fortè prætores erant, interfecerant.

C. quoque SALLVSTIVS CRISPVS, qui & ipse tum prætor erat, Romamque ad Cæsarem monendum properabat; vix fuga iræ & cædi militari se exemit.

Postquam autem milites in suburbana venissent, & postulata sua edidissent; Cæsar, per internuntium, Mille in præsens drachmas viritim; & confecto in Africâ bello, se reliqua præstaturum pollicitus est. Illi non promissis, sed promissorum repræsentatione opus esse occlamantes; Cæsari se coràm postulata sua exponere velle respondent.

Dispositis itaque circà vias urbis, & ad ipsas Cæsaris ædeis, urbanarum M. ANTONII cohortium præsidijs; prætet gladios, quos & in urbe gestare soliti erant, inermes, intrà urbem, in Campū Martium, admissi sunt.

Ipsi coràm Cæsare, qui intrepidè ad eos prodierat, & tribunal conscenderat; expositis prolixè superiorum bellorum tum laboribus, tum periculis; non ausi Cæsarem de præmijs interpellare, missionem sibi, tamquam emeritis, dari postulàrunt. quòd sperarent Cæsarem, ob imminens Africæ bellum, ultrò potiùs præmia repræsentaturum, quàm se tàm necessario tempore dimissurum.

Cæterùm Cæsar, præter omnium eorum exspectationem; *Æquum ipsos postulare*, respondit: *seq; ijs sacramento militari solutis missionem concedere*. Addidit, ijs etiam, qui iustum militiæ tempus explessent, cum stipendijs & præmia persoluturum, postquàm cum alijs triumphâsset. Eos denique Quirites deinceps, pro commilitonibus, tamquam iam non milites, sed in communem civium ordinem redactos; appellavit.

Ad hæc, illi primùm taciti, utpote inexspectato responso attoniti; dein pudore atque æmulatione ad pœnitentiam conversi; ut sibi diutiùs sub eius signis & auspicijs militare permittatur, supplices rogant. Quod quùm Cæsar primò recusaret; promissa tamen etiam exauctoratis bonâ fide persoluturum; agrosque vel publicos, vel suos, vel suâ insuper pecuniâ coemtos, adsignaturum adpromitteret: illi magis magisque instare, & discedere parantem retinere, rogareque; ut & pœnam, si ita videretur, de se sumeret: Et Decumani, qui verbis se imperatoris perstrictos, sibique eum præ cæteris infensum, intellexerant; decimationis etiam exemplum in se deposcebant.

CÆSAR, perspectâ seriâ eorum pœnitentiâ, omneis in gratiam recepit: agrosque universis, sed longissime inter se distractis, adsignavit. Pecunias verò militibus, ad singula ferè prœlia, factaque egregia, promissas, partim repræsentaturum se pollicitus est: partim, bello confecto, vel cum fenore, persoluturum. Se autem deinceps neminem invitum ex ipsis ad militiam compulsurum. Si qui tamen sponte suâ ad belli reliquias ipsum sequi velint, non reiecturum.

Ad ea, succedente in locum prioris ferociæ, maximâ animorum mansuetudine, actis Cæsari gratijs; universi nomen dedêre.

COSS. CREATI. IOCVS CICER. IN VATINIVM.

Hic annus, quo ea, quæ commemoravimus, à Cæsare gesta sunt, maiorem sui partem sine Consulibus fuit; comitijs nimirum in Cæsaris reditum usque dilatis. Ita sub exitum anni Consules demum creati; Q. FVSIVS CALENVS, & P. VATINIVS; qui CÆSARIS, bellis superioribus, fuerant Legati.

In Consulatum VATINII, quem paucis diebus cum collegâ gessit, notabilis CICERONIS facetia; *Magnum ostentum anno VATINII factum esse: quòd illo Consule nec ver, nec æstas, nec autumnus fuerit.* Is VATINIVS tamen ex Consulatu in Illyricum missus est, undè triumphavit.

INGLORIVS LEPIDI TRIVMPHVS.

Hoc etiam anno, M. LEPIDVS ÆMYLIVS, ex Hispaniâ (quam propræt. à primâ CÆSARIS Dictaturâ administrárat) triumphavit. qui nedum ullum vicisset, sed nec omninò quidem pugnásset. Motus dumtaxat CASSII LONGINI, & MARCELLI, ibidem pacárat. Itaque in triumpho nihil aliud prætulit, quàm pecunias, quibus socios spoliárat.

3907. Ab V. C. 708. *In hunc annum CÆSAR (iam III. Dictator) se ipse, cum M. LEPIDO, Coss. III. designárat: & antè finem anni proximi (circa initium Decembris antiqui) simul magistratum inierant.* 43.

CÆSAR IN SICILIAM. AFRICÆ STATVS.

Ipse Româ digressus, ad XIV. Kal. Ianuar. in Siciliam profectus, Lilybæum pervenit. Ibi adversis diutiùs tempestatibus detentus, de copijs hostium, qui in Africâ essent, cognoscit. Præter equitatum ferè infinitum, & magnam levis armaturæ vim, regis IVBÆ legiones esse quattuor, & SCIPIONIS X. Elephantos CXX. Classeis navium complureis.

Hinc SCIPIONEM cum maiore exercitûs parte, & primarijs ferè Pompeianæ factionis ducibus, Adrumetum tenere, CATONEM indè, cum parte copiarum, & universæ classis oræque maritimæ imperio, Vticæ (ceu bellicorum adparatuum horreo) cum CCC. ad bellica consilia delectis, in præsidio esse.

Quùm namque CATO delatum sibi à militibus ducibusque in Africâ imperium, SCIPIONI cessisset; & de Vticâ, quod impensiùs CÆSARI faveret, auctore Iubâ rege, everrendâ, agitaretur; cum opidum ad preces CATONIS ab interitu servatum est; tum eius custodia eidem mandata.

BELLVM CÆSARIS IN AFRICA, varia fortuna gestum.

CÆSAR interim omnibus ad navigationem expeditis, postquam VI. omninò legiones iam collectæ essent, II. verò equitum Millia; ut prima quæque legio venerat, in naveis longas imponebatur; equites autem, in onerarias. Ita maiorem partem navium antecedere iussit; & petere Insulam, Aponianam, quæ haud longè abest à Lilybæo.

Datis deinde ALLIENO prætori, qui Siciliam proconf. obtinebat, mandatis, de rebus omnibus, & de exercitu reliquo celeriter imponendo; ipse navim conscendit, ad VI. Kalend. Ian. & eas, quæ præcesserant, statim est consecutus. Et vento certo, celerique navigio vectus, post diem quartam cum paucis longis in conspectum Africæ venit. onerariæ namque reliquæ, præter paucas, vento dispersæ diversa loca petierant.

Eâ itaque classe Clupeam, Neapolim, aliaque maritimæ Africæ castella & opida prætervectus, sub Kalend. Ianuar. Adrumetum adplicuit.

OMEN ET IOCVLARE CÆSARIS FACTVM.

Quumque è navi in terram descendens, pede in litus impacto, procidisset; reliquis exterritis, nihil turbatus, verso in mel us omine, terramque ulnis complexus; *Teneo te*, inquit, *ô terra Africa*.

Similiter, ut vel vanam hostium confidentiam rideret, vel invalescentem suis opinionem eximeret; *SCIPIONVM scilicet in Africâ nomen invictum, & fatalem victoriam sub imperatore SCIPIONE portendi*; hominem quemdam, tantumnon infimæ sortis, è SCIPIONVM tamen gente, Salutionem cognomine, sibi adscivit, & parti exercitûs præposuit: qui suis alter SCIPIO esset.

Expositis autem in litore Adrumetino, quos secum adduxerat, militibus (cuius numerus in præsentia erat, pedit. III. Mill. & equites CL.) castrisque ante opidum positis; & militibus ab omni iniuriâ & prædâ abstinere iussis; reliquarum navium adventum opperiri constituerat. Opidani interim muros armatis complent; & frequentes antè portam, ad se defendendum, considunt. Erant autem in urbe II. legiones, quibus C. CONSIDIVS præerat.

CONSIDII PRÆFIDENTIA; ET IN nuntium Cæsaris immanitas.

CÆSAR, circum opidum vectus, naturâ loci perspectâ, redit in castra. L. PLANCVS Legatus, à Cæsare petierat, ut sibi facultatem daret cum CONSIDIO, præsidij præfecto, agendi; siquâ ratione eum posset *ad sanitatem perducere*.

Captivus quidam cum litteris in opidum missus, & porrectis CONSIDIO litteris, quùm rogatus, à Cæsare Imper. se venire respóderet; & CONSIDIVS; *Vnum esse eo tempore pop. Rom. Imperatorem*, SCIPIONEM, subiecisset; interfici coràm iussus est. & litteræ, sicuti erant signatæ, ad SCIPIONEM perlatæ.

LEVIS AD ADRVMETVM PVGNA. Multæ urbes Cæsari se dedunt.

CÆSAR, qui ad opidum egregiè munitum, & accessu difficili oppugnandum, non satis copiarum haberet; & nuntiarentur prætereà magna equitum auxilia opidanis suppetias venire; castra iam movere instituerat: quùm subitò & simul multitudo ex opido erupit; & equitatus ab Iubâ missus, eis casu succurrit. castraque, undè Cæsar egressus iter facere cæperat, occuparunt; eiusque extremum agmen insequi cæperunt.

Sed legionarijs subitò consistentibus; & equitibus, quamquam erant pauci; contra tantam multitudinem audacissimè concurrentibus; ut equites minus XXX. Galli, II. Maurorum equitum Millia loco pellerent, & in opidum repellerent; Cæsar iter constitutum ire contendit.

Ad eum interim ex opidis & castellis legationes venêre, frumentum pollicentes. Paratosque esse, quæ imperásset, facere. Eo itaque die castra ad opidum Ruspinam posuit. Eâque potitus, movit indè,

& ad

& ad Leptim, liberam atque immunem civitatem, pervenit. Quâ per deditionem receptâ, & ab iniuriâ militum conservatâ; haud procul indè, secundùm litus, castra fecit.

Eódem naves onerariæ, & longæ nonnullæ casu advenérunt. reliquæ, ut est ei nuntiatum, incertæ locorum, Vticam versùs petere visæ erant. Ipse itaque à mari non digredi, neque mediterranea petere, propter navium reliquarum errorem; & equitatum in navibus omnem, aquâ non sine periculo, per remiges comportatâ, continere, ne agri vastarentur.

Neque contentus certos homines in Sardiniam, in Siciliam, & finitimas provincias dimisisse, ut sibi auxilia, commeatus, frumentum, mittenda curarent; ipse cum x. navibus longis, ad reliquas onerarias, quæ deerrâssent, conquirendas; & simul mare ab hostibus tuendum, proficisci iubet. Et C. SALLVSTIVM prætorem, ad Cercinam insulam, quam adversarij tenebant; & ubi magnũ frumenti numerum esse audiebat; recipiendam amandat.

INDIGNA ROMAN. SVB IVBA SERVITVS.

Inter hæc, Cæsar miserabilem & indignam SCIPIONIS, & qui cum eo bellum contrà se gerebant, conditionem deplorabat. quùm ex perfugis incolisque cognovisset, regium scilicet equitatum, à SCIPIONE, provinciæ Africæ impendijs, ali. Et tantâ homines esse dementiâ, ut mallent regi Barbaro esse vectigales; quàm cum civibus in patriâ, in suis fortunis, esse incolumes.

Cæsar, relicto, Lepti, vi. cohortium præsidio, cum C. SASERNA, ad III. Non. Ian. castra movit: & rursus, undè pridie venerat, Ruspinam cum reliquis copijs revertit. Ibique sarcinis exercitûs depositis, cum expeditâ manu, circùm villas, frumentatum profectus est, plaustris & iumentis ex opido insecutis. Id ab eo factum, ne maritima opida pòst se vacua relinqueret: præsidioque & commeatu firmata, ad classis receptacula, muniret.

Ruspinam, cum magnâ frumenti copiâ, reversus; relicto ibi cum legione P. SASERNA, alterius SASERNÆ fratre; cum VII. cohortibus, ad Portum, qui II. pass. Mill. ab opido abest, proficiscitur; ibique classem sub vesperum cum eâ copiâ conscendit. omnibus in exercitu inscijs; & imperatoris consilium, non sine magno metu & tristitiâ, requirentibus.

Sed ille, unâ nocte in navibus consumtâ, & cœlo iam albente, quùm proficisci ulteriùs conaretur; subitò navium pars, de quâ laborabat, ex errore, eódem conferebatur.

Navibus eis sine morâ in Portum receptis, & advectis militum equitumque copijs; rursus ad opidum Ruspinam redit: atque ibi castris constitutis, ipse cum cohortibus expeditis XXX. & CD. equitibus, & paucis sagittarijs, frumentatum est profectus.

PVGNA CVM LABIENO, ET NVMIDIS AD RVSPINAM. ET VLTERIVS, vario marte, & astu.

Et vix è castris circiter III. pass. Mill. progressus erat; quùm per speculatores, & antecessores equites, ei nuntiatum est; copias hostium haud longè à se visas. Et cum dicto; pulvis ingens conspici cæptus est. Celeriter itaque equitatum omnem, & sagittarios, arcessi iubet; atque ordinatim signa se leniter consequi. Ipse cum paucis armatis antecedit,

Hostes interim, quorum dux erat LABIENVS, & duo PACIDII, aciem dirigunt, mirabili longitudine, non peditum, sed equitum confertam: & inter eos levis armaturæ Numidas, & sagittarios pedites interposuerant. Cornua itidem magnis equitum copijs firmaverant.

CÆSAR, propter paucitatem, ut poterat, simplicem dirigit aciem; & sagittarios antè aciem constituit. Equites dextro sinistroque cornu opponit. Existimabat enim se cum pedestribus copijs, uti apparebant, acie instructâ dimicaturum.

Sed Cæsare nequedum se movente, qui artificio magis quàm viribus sibi in præsentiâ decernendum videret; subitò adversariorum equitatus sese extendere, & in latitudinem promovere; collesque amplecti, & Cæsaris equitatum extenuare, simulque ad circumveniendum se comparare, cæpérunt.

Quumque eorum multitudinem Cæsariani equites vix sustinerent; & acies mediæ concurrere conarentur; subitò ex condensis turmis, Numidæ, levis armaturæ pedites, cum equitibus, procurrunt; & inter legionarios pedites iacula conijciunt.

Heîc quùm Cæsariani in eos impetum fecissent, illorum equites refugiebant: & pedites interim resistebant; dum equites rursùs, cursu renovato, peditibus suis in tempore succurrerent. Cæsar, ne ordines suorum in procurrendo, & equitibus persequendis, turbarentur; & quàm plurimi vulnerarentur, edixit; *Ne quis miles, à signis, IV. pedes longiùs procederet.*

LABIENVS, inter hæc, equitatûs sui multitudine confisus, Cæsaris paucitatem circumvenire cónabatur. Et equitibus longinquiore prœlio defessis, aut convulneratis; puncto ferè temporis, omnes legionarij ab hostium equitatu circumventi tenebantur; atque in orbem compulsi, atque intrà cancellos coniecti, omnes pugnare cogebantur.

Hoc in congressu, LABIENVS, qui capite nudo in primâ acie versabatur; & milites Cæsaris, uti tirones, increpabat; à veterano x. legionis, pilo in se coniecto petitus; sed eodem telo, in adversum equi pectus, adacto; ipse de æquo excussus, non minimum vitæ periculum adijt.

CÆSAR autem acie suâ, quæ priùs in orbem coacta fuerat, in longitudinem quammaximam porrigi iussâ; & cohortibus alternatim conversis; hostium coronam dextro sinistroque cornu mediam dividit; perrumpit, & in fugam vertit.

Neque

Neque longius, metu insidiarum, progressus, ad sua se præsidia recipere, cum alterâ equitum peditumque parte, cogitabat; quùm M. PETREIVS, & Cn. PISO, cum equitibus Numidis MC. electis, ex itinere rectâ subsidio suis occurrêrunt. Et hi simul cum Labienianis, qui iam animos à priore terrore receperant, novissimos ex Cæsarianis adoriri, & impedire à receptu cæpêrunt.

Eâ re cognitâ Cæsar, iubet signa converti, & medio campo redintegrari prœlium. Quùm autem hostes priorem illam dimicandi rationem sectarentur; neque comminùs ad manus venirent; & Cæsar perspiceret, & equos, & equites suos, tum ex nauseâ recenti, tum ex siti, languore & vulneribus defatigatos, ad insequendum hostem, perseverâdumque cursum, tardiores; & exiguam præterea diei partem reliquam esse. (Ab horâ namque diei quintâ, ad solis occasum fuerat pugnatum) cohortibus equitibusque circumdatis, imperat; ut uno tractu contenderent; neque remitterent, donec hostem ultrà proximos colleis repulissent; eorumque essent potiti.

Quod quùm illi strenuè fecissent; leniter se ad suas recepêre munitiones. Quod idem adversarij, malè accepti, & PETREIO in cæteris sauciato, fecére. LABIENVS saucios suos imperat plaustris Adrumetium deportari.

CÆSAR CASTRA MVNIT, AD Scipionis adventum.

Vt verò cognovit CÆSAR, SCIPIONEM, quicum copias suas LABIENVS & PETREIVS iam coniunxerant, adpropinquare; eiusque copias, legionum esse VIII. & IV. Mill. equitum. castra sua accuratiùs munire; præsidia firmare; vallumque, ab opido Ruspinâ usque ad mare: & à castris, alterum eódem deducere; copias ex remigibus, alijsque classiarijs augére; frumentum, aliaque ad bellum necessaria comparare, & imperare instituit.

Et quòd pleræque ex navibus eius onerarijs, incertæ locorum atque castrorum suorum, adhuc vagæ in mari errarent; quas singulas scaphæ adversariorum complures adortæ incenderent, aut expugnarent; Ipse classeis circùm insulas, portusque disposuit, quò tutiùs commeatus supportari posset.

CN. POMPEII, F. IN MAVRITANIA CONATVS.

CN. interim POMPEIVS, MAGNI F. qui Vticæ apud CATONEM erat; quotidianis ferè hominis gravissimi convicijs; & earum rerum, quas Pater istâ ætate fortiter feliciterque, domi & foris, pro rep. gesserat, commemoratione, incitatus; cum tumultuariâ, fortuitâque minorum navium classe; & raptim collecto, maléque armato bis Mille servorum, liberorum, exercitu; profectus ab Vticâ in Mauritaniam, & in regnum BOGVDIS ingressus est.

Quumque propiùs ad Ascurum opidum, quod regio præsidio tenebatur, accessisset; & iam ad murum adpropinquaret; opidani factâ de subito eruptione, prostratos perterritosque Pompeianos, in mare passim, naveisque compulerunt. Ita, re malè gestâ, POMPEIVS naveis indè avertit; neque posteà litus attigit. seque ad Baleareis insulas convertit. Ibi postquàm Ebusum insulam vi cepisset; reliquæ sine prœlio in deditionem venére.

SCIPIO AD ADRVMETVM CÆSARIANOS PREMIT.

SCIPIO, Vticæ grandi præsidio relicto, cum ijs, quas diximus, copijs, profectus, primùm Adrumeti castra ponit. Deinde, noctu itinere facto, cum PETREIO & LABIENO se coniungit. & unis castris factis, ad IV. pass. Millia latè considunt.

Equitatus eorum circa Cæsaris munitiones vagaritatque eos, qui pabulandi aut aquandi gratiâ, extrà vallum egressi essent, excipere. ita omneis adversarios intrà munitiones continere.

Hinc Cæsariani gravi annonâ sunt conflictati, quòd nondum ab Insulis, Siciliâ & Sardiniâ, commeatus supportati essent; neque per anni tempus, classes sine periculo vagari possent: neque ampliùs VI. pass. Millia agrorum, in terrâ Africâ, tenerent. In eâ pabuli inopiâ, veterani milites, equitesque, algâ è litore collectâ, & aqua dulci elutâ, vitam iumentorum equorumque producebant.

Rex Iuba, cognitis Cæsaris necessitatibus; & copiarum paucitate; cum maximis equitum peditumque auxilijs, è regno egressus, SCIPIONI se iungere festinabat.

OPPORTVNA SITII OPERA, BOGVDE SIBI ADIVNCTO.

At P. SITTIVS quidam, (si non proprio Numini potius, quàm ei id adscribendum) Cæsari tum anxio & salutem & victoriam attulit. Is Italiâ pridem pulsus, adiunctâ sibi exsulum manu, quùm in Mauritaniam traiecisset, imperiumque militare apud BOCCHVM regem obtinuisset; manum militum ab eo petijt: & Cæsarem, tum bello, gerendo intentum, adiuvare; eiusque gratiam promereri, statuit.

Et cognito commodùm regis Iubæ egressu; coniunctisque suis cum rege BOGVDE copijs; propiùs eius regnum, sese admovere. Cirtam, opulentissimum opidum, & regiam, paucis diebus pugnando cepere. Duo præterea Gætulorum opida. Quibus quùm conditionem tulissent; ut opidis excederent, & ea sibi vacua transderent: idque facere recusassent; ab eis posteà aut interfecti, aut capti sunt omnes. Indè progressi agros, aliaque opida vastare non destitêre.

IVBA, quùm iam nõ longè à SCIPIONE abesset; ijs rebus cognitis, sibi suisque rebus timens, satiùs esse duxit, suo regno, quàm alienis subsidio ire. Itaque rursùs se recepit, atque auxilia à SCIPIONE etiam abduxit; relictisque tantùm XXX. elephantis, suis finibus suppetias profectus est.

CÆSAR

CÆSAR QVERELIS AFRORVM INSTIGATVS, SERIO AD BELlum se comparat.

Cæsar autem, quùm ipsius in Africam adventus, per maiorem ferè provinciæ partem, in dubium vocaretur; & per legatos tantùm res in Africâ gerere crederetur; literis circùm provinciam conscriptis, civitates omneis de suo adventu facit certiores.

Confestim homines nobiles ex suis opidis profugere, & in castra Cæsaris devenire; & de adversariorum eius acerbitate, crudelitateque, commemorare cæpére. Quorum lacrymis querelisque ipse commotus, quùm eatenus, per hiemem, in stativis castris constitisset; æstate iam initâ, cunctis copijs auxilijsque coactis, iusto deinceps cum adversarijs bello decertare;provinciamque ab illorum crudelitate vindicare constituit. Et literis iterùm ad ALLIENVM RABIRIVMQVE perscriptis, & per Catascopum missis; sine morâ ullâ aut excusatione, ad se exercitum reliquum transportari præcepit. Et ipse interim, dum exercitus adducatur, milites in opere exercere, castra munire, turreis castellaque facere, moles in mare iacere, non intermittebat.

ELEPHANTORVM EXERCITATIO.

Scipio alterâ ex parte quotidie adsuefacere elephantos;(qui licet multorum annorum usu, doctrinâque edocti; communi tamen utrimque periculo in aciem plerumque producuntur) ne non tàm hostium, quàm suorum periculo atque exitio, pòst, pugnæ permiscerentur, & temerè in hos aut illos converterentur.

PRÆLVDIA PVGNÆ FATALIS.

CÆSARIS PRESAGA TOLERANTIA; ET Scipionis temeritas.

Intereà à turmis equitum, quæ utrimque pro vallo in stationibus erant,crebris minutisque quotidie ferè prœlijs concursum est. Et inter Germanos, Gallosque equites, Labienianos; cum Cæsaris, eâdem ex gente, equitibus, fide datâ, colloquia instituta.

LABIENVS cum parte equitatûs,Leptim opidum, cui præerat SASERNA, cum cohortibus VI. oppugnare, ac vi irrumpere conatus; non sine dedecore & fugâ se cum suis in castra recipere coactus est.

Et SCIPIO, per singulos pænè dies, non longiùs à castris suis, passibus ccc. instruere aciem; ac maiore parte diei consumtâ, quasi Cæsare frustrà ad prœlium provocato, se recipere.

Sed Cæsar ijs, qui pabulandi, lignandi, muniendi, aut alterius rei gratiâ, è castris processerant; modestè, ac sine tumultu intrà munitiones se recipere, atque in opere consistere iussis; equitibus etiá, tum qui in statione fuerant, præcipit, ut usque eò locum obtinerent; in quo antè constitissent, donec ab hoste missum telum ad se perveniret. Et, si propiùs accederetur; quàm decentissimè intrà munimenta se reciperent. Tum alijs, qui vacabant, edicit; uti suo quisque loco parati armatique præstò essent. Ipse cũ reliquo milite intrà castra, vallo fossâq; altissimâ, alijsque maximis operibus, cincta, & ab omni telorum tormentorumque bellicorũ genere adprimè instructa, magnâ cum fiduciâ, continebat. quæ hostem numquam adoriri ausurum, ex certâ rei bellicæ scientiâ; & singulari ipsius, apud adversariorum exercitum, auctoritate, quasi præsciret.

Neque victoriæ suorum, qui pauci & tirones essent, diffidebat; sed referre arbitrabatur, cuiusmodi victoria esset futura. Turpe sibi ratus, tot rebus gestis, tantisque exercitibus devictis; ab reliquis copijs adversariorum suorum, qui ex fugâ collecti essent, *cruentam se adeptum existimari victoriam*. Itaque constituerat gloriam exsultationemque eorum pati; donec sibi veteranarum legionum pars aliqua, in secundo commeatu, occurrisset.

SCIPIO contrà, copijs in castra reductis,& concione advocatâ, de terrore suo, desperationeque exercitûs Cæsaris, prolixè verba faciens, victoriam propriam se eis daturum brevi pollicebatur.

PERFVGIA AFRORVM AD CÆSAREM.

At Numidiæ, Gætulique complures diffugere ex castris SCIPIONIS; & partim in regnum se conferre; partim, quod ipsi, maioresve ipsorum beneficio C. MARII usi fuissent, (cuius adfinem Cæsarem esse audiebant) in eius castra catervatim perfugere non intermittebant. Quorum è numero, electos, & illustriores Gætulos, litteris ad suos cives datis, cohortatus, ut manu factâ se, suosque defenderent; & ne suis inimicis æmulisve dicto audientes essent; dimisit.

Acillitani quoque, per id tempus, legatis ad Cæsarem missis; civitatemque suâ in fidem eius traditâ; frumentumque & quæcumque res eis suppeteret polliciti, præsidium sibi ab eo mitti petunt. CÆSAR C. MESSIVM, Ædilitiâ functum potestate, cum præsidio Acillam proficisci iubet.

Eo cognito, C. CONSIDIVS LONGVS, qui Adrumeti II. legionibus, & DCC. equitibus præerat, parte ibi præsidij relictâ, cum IIX. cohortibus, Acillam ire contendebat. Et quùm MESSIVM eò cum cohortibus pervenisse, ibique Cæsaris præsidium esse è propinquo cognovisset; non ausus periculo suorum rem facere; Adrumetum revertit. Idem paucis pòst diebus, equestribus copijs à LABIENO adductis, rursùs Acillitanos, castris positis & obsidione, nequidquam urguere cæpit.

Per id quoque tempus C. SALLVSTIVS CRISPVS, Cercinnâ Insulâ, quò missus à Cæsare fuerat; eiecto indè C. DECIO, Quæstorio viro, qui ibi cum grandi familiæ suæ præsidio præerat commeatui; potitus: & à Cercinnatibus receptus, magnam frumenti copiam ibi inventâ, in naveis oneratias, quæ ibi permultæ, imponit;& in castra ad Cæsarẽ mittit.

Tunc

Tunc quoque naves onerariæ, quas ALLIENVS Proconſ. cum ſecundo commeatu, & XI. legionibus, XIII. & XIV. & equitibus Gallis DCCC. & funditoribus ac ſagittarijs M. à Lilybæo ad Cæſarem miſerat; quarto pôſt die in Portum ad Ruſpinam, ubi Cæſar caſtra habuerat; incolumes & vento ſecundo uſæ, pervenêre.

Cæſar, milites recèns advectos navibuſq; egreſſos, per caſtella locaq; munita diſponit; & à nauteâ ac languore refectos aliquantiſper interquieſcere iubet.

SPECVLATORVM CASVS: ET ALIA CÆSARI SECVNDA.

SCIPIO, interim ex novâ patientiâ Cæſaris, qui ultrò hoſteis ſuos prœlio laceſſere conſuêſſet; in magnum timorem aut ſuſpicionem coniectus, Gætulos duos, quos rebus ſuis amiciſſimos arbitrabatur; propoſitis præmijs, in caſtra Cæſaris ceu perfugas, ſpeculatum dimittit.

Illi ad Cæſarem adducti; Se, cum compluribus alijs Gætulis, C. MARII clienteis; & omneis propemodùm civeis Romanos, qui in IV. & VI. legionibus illic eſſent, ſæpenumero voluiſſe ad ipſum, eiuſque præſidia confugere; ſed cuſtodijs equitum Numidarum impeditos fuiſſe. Nunc, datâ facultate, pro ſpeculatoribus à SCIPIONE miſſos, ad ipſum cupidiſſimè venire. Miſſos eius rei cauſsâ, ut perſpicerent, num quæ foſſæ, aut inſidiæ, elephantis antè caſtra, portaſque valli factæ à Cæſare eſſent. Simulque eius conſilia contrà eaſdem beſtias, pugnæque comparationem, cognoſcerent; ipſique, Imperatori, ex fide, certum quid renuntiarent.

Cuius orationis veritatem ut mòx eventus comprobavit; & ex legionibus ijs, quas Gætuli illi legati nominârant, milites permulti è caſtris SCIPIONIS, ad CÆSAREM poſtridie confugêrunt; Cæſar non modò illos collaudavit; ſed ſtipendio etiam donavit.

M. CATO intereà, qui Vticæ præerat, habitis quotidie delectibus, magnam omnis generis hominum, tam libertinorum Afrorum, quam ſervorum; omniumque qui per ætatem armis ferendis habiles eſſent, manum armârat; & in SCIPIONIS caſtra ſubmittere non intermittebat.

Legati viciſſim, ex Tiſdro opido, in quod tritici modiûm CCC. Millia comportata fuerant; à negotiatoribus Italicis, aratoribuſque ad Cæſarem venêre; qui de frumenti copiâ eum docerent. ſimulque orarent, ut ſibi præſidium mittat.

CÆSAR gratijs in præſentiâ actis, præſidium brevi tempore miſſurum ſe dixit: eoſque cohortatus, ad ſuos civeis iubet proficiſci.

P. ille SITIVS, quem eum copijs in Numidiæ fineis ingreſſum diximus; caſtellum munitiſſimum, in quod Iuba, belli gerendi gratiâ, & frumentum, & res cæteras, quæ ad bellum uſui eſſe ſolent, convexerat; vi expugnavit.

CÆSARIS AD RVSPINAM MVNITIONES.

CÆSAR, poſtquàm legionibus veteranis II. aliâque levi armaturâ, copiâs ſuas, ex ſecundo commeatu, auxerat; navibus VI. onerarijs Lilybæum, ad reliquias exercitûs transportandas, proficiſci iuſſis; ipſe VI. Kalend. Febr. legiones omneis extrà caſtra educit, & ſe conſequi ad opidum Ruſpinam verſus iubet. Indè in parvulam declivitatem digreſſus, ſiniſtrâ parte campi, propter mare, legiones perducit. Campum ibi mirabili planitie latè patentem, iugum ingens à mari ortum, veluti Theatri efficit ſpeciem. In eo iugo colles pauci excelſi; & in ijs ſingulæ turres, ſpeculæque collocatæ erant. apud quorum ultimum, præſidium & ſtatio fuit SCIPIONIS.

CREBRÆ VTRIMQVE, PROPE caſtra, velitationes.

CÆSAR, ad unumquemque collem, turribus ac caſtellis fieri iuſſis, quùm non amplius paſſuum MD. inter hoſtium aciem, ſuaſque munitiones eſſe animadvertiſſet; intellexiſſetque, ad impediendos milites ſuos, & ab opere depellendos, SCIPIONEM, cum LABIENO; cum equitum peditumque acie, propiùs accedere: neceſſeque haberet, legiones à munitionibus deducere; imperat turmæ Hiſpanorum, ut ad proximum collem properè accurrant, præſidiumque deturbent. Eôdem levis armaturæ pauci ſubſidio miſſi, & ſimul Numidas adorti, partim vivos cepêre; partim equites inter fugiendum convulneravêrunt; locoque ſunt potiti.

Id poſtquàm LABIENVS animadvertit; quò celeriùs ſuis auxilium ferret, ex acie inſtructâ equitatûs ſui propè totum dextrum cornu avertit. Cæſar verò id conſpicatus, equitatûs ſui alam ſiniſtram, ad intercludendos reditu hoſteis, immiſit. LABIENVS autem, qui non priùs viderat turmas Iulianas, quàm ſuos cædi à tergo ſenſiſſet; Numidarum equitatu eâ ex re ſubitò in terrorem converſo, rectâ in caſtra refugere compulſus eſt.

Galli, Germaniq; (qui ſub LABIENO merebant; quique partim eius auctoritatem ex Galliâ ſecuti; partim pretio pollicitationibuſque adducti, ad eum ſe contulerant; & nonnulli ex C. VRIONIS prœlio capti, conſervatique parem gratiam, in fide partiendâ, præſtare volucrant) fortiter reſiſtere ex ſuperiore loco auſi, & poſt tergum circumventi, concidêrunt univerſi. Eorum corpora, mirificâ ſpecie & amplitudine, toto campo proſtrata diversè iacuiſſe produntur.

Quum id legiones SCIPIONIS, quæ pro caſtris erant inſtructæ, animadvertêrunt; metu ac terrore obcæcatæ, omnibus Portis in ſua caſtra refugere cœpêrunt.

Poſtero die, Cæſar ex omnibus præſidijs cohorteis eduxit; ſuaſque omneis copias in campo inſtruxit. Sed SCIPIO, ob cladem recèns acceptam, intrà ſuas ſe munitiones continuit. Ad eas autem propiùs & leniter accedebat Cæſar; iamque minus M. paſſ. ab opido Vzitâ, quod SCIPIO tenebat, aberant legiones; quùm SCIPIO, veritus, ne opidum amitteret, undè aquari, reliquiſque rebus ſublevari eius exercitus conſueverat; eductis omnibus copijs, ſuppetias ire contendit.

Cæſar

CÆSAR arbitratus SCIPIONEM ad dimicandum paratum ad se certo animo venire, antè oppidum cõnstitit. Sed illo tergiversante, & cominùs congredi non auso; non est visa ratio propiùs accedendi eo die ad oppidum, quod grandi Numidarum præsidio teneretur. neque pugnandi; quùm milites à mane diei, ieiuni, sub armis stetissent defatigati. Reductis itaque in castra copijs, postero die, propiùs eorum aciem, munitiones exporrigere instituit.

IRRITA ACILLÆ PER CONSIDIVM OBSIDIO.

Interim CONSIDIVS, qui Acillam obsidebat, ubi C. MESSIVS præsidio cohortibusque præerat; diu multumque expertus; & operibus, quæ sæpè admórat, ab oppidanis incensis quùm nihil proficeret: & nuntium de equestri SCIPIONIS prœlio accepisset; frumento, cuius in castris copiam habuerat, incenso: vino & oleo, cæterisque rebus, quæ ad victum parari solent, corruptis; Acillam deseruit. & itinere per regnum IVBÆ facto, copijs cum SCIPIONE partitus, Adrumetum se recepit.

Ex secundo illo commeatu, quem à Sicilià ALLIENVS ad CÆSAREM miserat, navis una, quæ Q. COMINIVM, & L. TICIDAM vehebat, ab reuduà classe quùm deerràsset, & vento ad Thapsum delata esset; à C. VIRGILIO, prætorio, intercepta est, & ad SCIPIONEM deducta. Altera item ex eàdem classe, simili tempestate ad Ægimurum delata; & à classe VARI, & M. OCTAVII capta est. In qua milites veterani, cum uno centurione & nonnulli tirones fuére. Eos VARVS adservatos, sine contumelià, ad SCIPIONEM deducendos curavit. Scipio ijs vitam & pecuniam dare promisit; si remp. cum optimo quoque defendere vellent. quos, sceleratè scilicet Imperatoris impulsu atque imperio coacti, nefariè oppugnarent.

CENTVRIONIS CÆSARIANI MAGNANIMITAS.

Quùm Centurio legionis XIV. (Is Pontius dicitur, à VAL. MAX. lib. 3. cap. 8.) reliquorum nomine respondisset; *Se quidem, pro summo beneficio, SCIPIONI,* (quem tamen Imperatorem non appellarent, neque agnoscerent) *gratias agere; quod ipsis, iure belli captis, vitam incolumitatemq. polliceretur.* & se eo forsan beneficio usuros esse, *si non ei summum scelus adiungeretur; ut contra Cæsarem, imperatorem suum, adversi armati, consistant.*

Paratum se. cum X. commilitonibus, qui in eius sint potestate; adversùs unam ipsius cohortem, quam firmissimam putet, decertare, & periclitari; quid de alterutris copijs, bellique eventu sperandum sit.

His dictis, SCIPIO irà percitus, antè pedem centurionem interfecit; & Veteranos à tironibus secretos, ceu quosdam *nefario scelere contaminatos, & cæde civium saginatos,* extrà vallum deduci,

& cruciabiliter necari; & Tirones inter legiones dispertiri iussit.

CÆSAR eà re commotus, quos in stationibus, cum longis navibus, apud Thapsum in salo custodiæ causâ esse iusserat, ut vagis & adhuc errantibus navigijs præsidio essent; ob negligentiam, ignominiæ causa, dimittendos ab exercitu; gravissimumque in eos edictum proponendum curavit.

FOEDA TEMPESTAS.

Per id ferè tempus, sub occasum Virgiliarum, per noctem, nimbus procellosus subitò cum saxorum grandine cœlo deiectus, Cæsaris exercitum, (qui vix tentoriolis, ex vestimentis factis; atque arundinibus corijsque connectis, protegebatur) gravissimè adflixit. Quà nocte v. legionis pilorum cacumina suà sponte arsisse produntur.

REX IVBA SCIPIONI CONIVNGITVR.

Rex interim IVBA de equestri & adverso SCIPIONIS prœlio certior factus, & litteris ab eodem evocatus; (SCIPIO namque omnem Africam, quæ pop. Rom. pareret, ceu præmium societatis & auxilij, regi promisisse traditur.) Ipse, præfecto Saburâ, cum parte exercitûs, contrà Sittium relicto, cum III. legionibus, equitibusque frenatis DCCC. & Numidis infrenis, peditibusque eius armaturæ, grandi numero; elephantisque alijs XXX. è regno iterùm ad SCIPIONEM contendit: & castris seorsùm positis, haud ita longè ab eo consedit.

Milites Cæsaris, ubi castra castris conlata sunt; despectis Iubæ regis copijs, omnem terrorem, quo anteà non sine animorum suspensione, commoveri visi erant, deponunt: Et ex vicissim quam anteà absens habuerat auctoritatem; eam omnem præsens dimisisse visus est.

SCIPIO autem, cui regis adventus animum fiduciamque addiderat, postero die universas suas, tegisque copias, cum elephantis LX. productas in aciem, quam speciosissimè potuit, instruxit. Paulloque longiùs à munitionibus suis progressus, nec diu commoratus, se in castra recepit.

CÆSAR vicissim postquàm animadvertit SCIPIONI auxilia ferè, quæ exspectasset, omnia cõvenisse; neque moram pugnandi ullam fore; per iugum summum cum copijs progredi cœpit; & brachia protinùs ducere, castellaque munire, propiusq; SCIPIONEM capiendo loca excelsa occupare contendit. Adversarij contrà magnitudine copiarum confisi, proximum collem occupavérût; atque ita longiùs progrediendi facultatem Cæsari eripuérunt.

LABIENI INSIDIÆ IRRITÆ.

Eo occupato LABIENVS, quùm Cæsarem quoque ipsum eódem processurum sibi persuasisset; & convallis esset inter collem & Cæsarem media; magnâ satis latitudine, & altitudine prærupta, qua

 transgre-

transgrediendum illi antè esset, quàm ad eum collem, quem capere volebat, perveniretur; Vltraque eam convallem olivetum vetus, crebris arboribus condensum: Ipse eorum locorum peritus, illic in insidijs cum parte equitatûs, leviq́ue armaturâ, consedit: & post montem collemq́ue, quem Cæsar petiturus esset, alios equites in occulto collocârat. Vt quùm ipse ex improviso legionarios à tergo adoriretur, equitatus sese ex colle adversus ostenderet. Atque ita duplici re perturbatus Cæsar, neque regrediundi, neque ultrà procedendi facultate oblatâ, circumventus enim exercitu concideretur.

Ceterùm, quùm Cæsar equitatu antè præmisso, insciens insidiarum, ad eum locum venisset: Labieniani, sive obliti præceptorum; sive veriti, ne in fossâ ab equitibus opprimerentur; rari, ac singuli de rupe prodire, & summa collis petere cæperunt. Quos Cæsaris equites insecuti, partim interfecêrunt; partim vivorum sunt potiti. Eumq́ue collem, decusso Labieni præsidio, tàm celeriter occupârunt; ut Labienvs, cum parte equitum, vix fugâ sibi pepererit salutem.

CÆSAR CASTRA IN COLLE OPportuno ponit & munit.

Cæsar, eâ re per equites gestâ, legionibus opera distribuit: atque in eo colle, quem ceperat, castra munivit. Deinde ab suis maximis castris, per medium campum, è regione opidi Vzitæ (quod inter sua & Scipionis castra, in planitie positum erat, & Scipionis præsidio tenebatur) duo brachia ducit; & ita erigit, ut ad sinistrum dextrumq́ue opidi angulum pertingerent. Quam rem magno sibi usui fore, & ad opidi expugnationem, & ad arcana perfugarum colloquia, existimabat. Huc accedebat, quòd locus depressus puteis effodiendis, in longâ & angustâ aquatione, non inutilis iudicaretur. Volebat, præterea Cæsar experiri, quùm propiùs hostem accessisset; an dimicandi voluntatem haberet.

Dum hæc opera à legionarijs fiebant, pars aciei interim antè opus instructa adversùs hostem stabat: & equites Barbari, levisq́ue armaturæ, prœlijs minutis cominùs dimicabant.

PVGNA MEMORABILIS, ET Cæsari secvnda.

Cæsar ab eo opere quùm iam sub vesperum copias reduceret; cum omni equitatu levique armaturâ, Ivba, Scipio, Labienvs, magno incursu in legionarios simul impetum fecérunt. Et equites quidè Cæsariani tàm subitâ vi universæ multitudinis pulsi, parumper cesserant; sed ea res aliter adversarijs cecidit. Cæsar namq́ue reductis ex itinere copijs, equitibus suis auxilium tulit: & equites, resumtis adventu legionum animis, magnoq́ue impetu in Numidicum equitatum conversi, eos iam dispersos & convulneratos ad castra usq́ue regia repulérunt; multosq́ue ex ijs occidérunt. Quod ni in noctem prœlium esset coniectum; pulvisq́ue adverso vento sublatus omnium prospectibus offecisset; non tantùm equitatus omnis cum levi armaturâ deleri; sed Ivba etiam, cum Labieno, capti in potestatem Cæsaris venire potuissent.

Ad huius tàm felicis prœlij eventum & nuntium, plurimi ex iv. & vi. legionibus, à Scipione ad Cæsarem transiére; Alij, in quam quisq́ue poterat regionem diffugére. Nec pauci ex Cvrionis equitibus, diffisi Scipioni, eiusq́ue copijs, eódem se conferebant.

MILITARIS DISCIPLINÆ DOcvmentvm.

Quùm intereà legiones duæ ix. & x. ex Siciliâ navibus onerarijs profectæ, & diu multumq́ue iactatæ, ad Cæsarem pervenissent, & iam milites expositi essent; ipse memor in Italiâ pristinæ in quibusdam licentiæ militaris, ac rapinarum; documentum modestiæ & pudoris, more militari, & de suggestu in eosdem certos constituere voluit. C. Avienvm, Trib. Mil. x. legionis: A. Fonteivm, T. Allienvm, aliosq́ue, ab exercitu removit; missos fecit & abesse confestim ex Africâ, iussit.

PERFVGIA GÆTVLORVM, ALIOrumq́ue ad Cæsarem.

At Gætuli illi perfugæ, qui cum litteris mandatisq́ue Cæsaris ad eiveis suos pervenerant, & ad deficiendum induxerant; à rege Iubâ desciscunt; celeriterq́ue cuncti arma capiunt.

Ivba, triplici bello distentus, necessitateq́ue coactus, de suis copijs, quas contrà Cæsarem adduxerat; vi. cohorteis in fineis regni sui mittit, quæ præsidio contrà Gætulos essent.

Ex opido similiter Vzitâ, brachijs, quæ Cæsar instituerat, perfectis, & ad opidum usq́ue perductis; ut tuto iam inter Cæsarianos, & eos qui in opido erant, colloquia fierent; nobiliores aliquot ex regio equitatu Gætuli, equitumq́ue præfecti, quorum maiores sub Mario olim meruerant; eiusq́ue beneficio, agris finibusq́ue donati; & post Syllæ victoriam, sub Hiempsalis regis erant potestatem dati; occasione acceptâ, cum equis calonibusq́ue suis, circiter Mille, in Cæsaris castra, quæ erant in campo, proximè urbem locata; perfugérunt.

Cæsar enim tàm litteris; quàm famâ vulgaverat; *Afris quidem, qui ad se transituri essent, libertatem & facultates omneis conservaturum; civibus verò Romanis, præter impunitatem, præmia etiam daturum.*

CLADES ALIQVANTA A REGIIS eqvitibvs: et mox reddita.

Quo incommodo commoti Scipio et Ivba, viatore misso, colloqui suos cum hostibus vetuérunt. Et quùm postero die universæ omnium copiis

copiæ instructæ atque in aciem productæ, haud procul à castris Cæsaris, medio inter utrumque exercitum non amplius ccc. passuum spatio, à mane ad horam usque diei x. sub armis constitissent: neque ab alterutrâ parte pugnæ initium fieret: dum Cæsar exercitū, die iam inclinatâ, reducere intrâ munitiones cœpisset; de-subito universus equitatus ulterior Numidarū Gætulorumq; sine frenis, ad dextrâ partē se movere, & castra Cæsaris in colle posita invadere parabat. & frenati LABIENI equites, loco suo immoti, legiones Cæsaris distinebant. Tum pars equitatûs Cæsaris, cum levi armaturâ, contrà Gætulos iniussu ac temerè longius progressi, Paludemque transgressi, quùm multitudinem hostium pauci sustinere non possent: levique armaturâ deserti, ac pulsi convulneratique; uno equite amisso, multis equis sauciis, ex levi armatura XXVI. occisis; ad suos se recipere sunt coacti.

Sed postero die CÆSAR egregiè redhostivit, & SCIPIONIS gaudium imminuit. Equites namque eius Leptim, frumenti caussa, missi, in itinere prædatores equites Numidas Gætulosque ex improviso adorti, circiter centum partim occiderunt, partim vivorum sunt potiti.

MEMORABILIS INTER VARVM ET CÆSAREM IN MARI CONflictatio.

Interim VARVS, classem, quam anteà Vticæ, hiemis gratiâ, subduxerat; cognito legionum, VII. & IIX. ex Siciliâ adventu, celeriter deducit, Gætulis remigibus epibatisque complectam. Insidiandique gratiâ ab Vtica progressus, Adrumetum cum LV. navibus pervenit.

CÆSAR, eius cœpti inscius, L. CISPIVM cum classe XXVII. naviū Thapsum versùs in stationem, præsidij gratiâ commeatûs sui, mittit. Item Q. AQVILAM, cum XIII. navibus longis Adrumetum eâdem de caussâ præmittit.

Ex iis, ille, quò missus erat, celeriter pervenit: At AQVILA, tempestate iactatus, quùm promontorium superare non potuisset, angulum quemdam tutum à tempestate nactus, cum classe se longiùs à conspectu removit. Reliqua classis in salo, ad Leptim, egressis remigibus, iisque vel in litore vagantibus, vel in opidum progressis, vacua à defensoribus stabat.

VARVS, eius rei gnarus, Adrumeto ex Cothone egressus, & Leptim universâ classe vectus; naveis onerarias. quæ longiùs à Portu in salo stabant, incendit: & quinqueremeis duas, vacuas à defensoribus, nullo repugnante, cepit.

CÆSAR, ut id cognovit, nihil cunctatus, equo admisso, Leptim, (quæ VI. pass. Millib. à castris suis aberat) proficiscitur: consecutusque parvo navigio, & reliquis navibus se consequi iussis, VARVM persequi contendit. VARVS autem celeritate audaciâque CÆSARIS commotus, Adrumetum versùs, undè venerat, cum universâ classe fugam intendit.

Eum CÆSAR in Millib. pass. IV. consecutus, receperatâ quinqueremi; cum omnibus suis epibatis, atque etiam hostium custodibus cxxx. in ea nave captis; triremem prætereà proximam, quæ in repugnando erat commorata; onustam remigum epibatarumque cepit. Reliquæ VARI naves, promontorio superato, Adrumetum in Cothonem se contulérunt.

CÆSAR in salo & in ancoris eâ nocte commoratus, primâ luce Adrumetum accedit: ibique naves onerarias, quæ erant extra Cothonem, incendit; & reliquis, quæ subductæ, aut in Cothonem compulsæ erant, prœlij aleam detrectantibus; rursùs in castra se recepit.

ALTERÆ LABIENI INSIDIÆ A Cæsare oppressæ.

Haud multo-post LABIENVS, quùm intellexisset Cæsarem, ad loca quædam, subterranea, ex consuetudine regionis, frumenti receptacula, & longiùs à castris suis dissita, legiones & equitatum, subinde frumentandi caussâ dimittere; & eosdem, magno frumenti numero onustos, in castra recipere: quùm Cæsarem eòdem commeaturum existimaret, cum magno equitatu levique armaturâ insidiaturus, locis idoneis, in colle, per quem Cæsar pridie iter fecerat, consêdit.

Sed Cæsar cognito ex perfugis LABIENI consilio, quùm per dies aliquot eâ frumentatione abstinuisset; quo hostem securiorem negligentioremque redderet; posteà eductis cum parte equitatûs IIX. legionibus; & parte equitum præmissâ; subitò insidiatores in convallibus latenteis, neque opinanteis, adortus; ex levi armaturâ circiter D. concidit; reliquos in fugam turpissimam coniecit.

LABIENVS fugientibus suis cum universo equitatu suppetias occurrebat; neque eius multitudinis vim pauci Cæsariani milites iam sustinere poterant; quùm Cæsar instructas legiones hostium copijs ostendit: eoque facto, & perterrito retardatoque LABIENO, suos equites recepit incolumeis. Et postero die IVBA Numidas eos, qui loco amisso, fugâ se receperant in castra; in cruce omneis suffixit.

CÆSAR CASTRA AD OPIDVM AGAR TRANSFERT; ET OPIDO Zettâ potitur.

CÆSAR nihilo minus, quoniam frumenti inopiâ premebatur; castra sibi necessariò mutanda intelligens; præsidio Lepti, Ruspinæ & Acillæ relicto; & classe Cispio Aquilæque transditâ, ut alter Adrumetum; alter Thapsum mari obsidérent: ipse, castris incensis, IV. noctis vigiliâ, acie instructâ, impedimentisque in sinistrâ parte collocatis, ex eo loco proficiscitur; & pervenit ad opidum Agar. quod à Gætulis sæpè anteà oppugnatum, summâque vi per ipsos opidanos fuerat defensum.

Vbi in campo castris unis positis, ipse frumentatum circà villas, cum parte exercitûs, profectus, magno

magno hordei, olei, vini, fici; & pauco tritici, numero invento; atque recreato exercitu, redijt in castra.

Scipio, cognito Cæsaris discessu, cum universis copijs, per iugum, illum subsequi cœpit: atque ab eius castris VI. pass. Millib. longè, trinis castris, & dispertitis copijs, consedit. Quumque ad Zettam oppidum (quod aberat à SCIPIONE Mill. pass. X. ad eius regionem & partem castrorum collocarum; à Cæsare autem diversum ac remotum, longè XIIX. pass. Millib.) legiones II. frumentandi causâ, misisset; Cæsar, castris ex campo in collem, locaque tutiora translatis, & præsidio ibi relicto; ipse IV. vigiliâ egressus, & præter hostium castra cum copijs profectus, oppido potitur. Et Scipionem comperit longiùs in agris frumentari.

Dumque eò contendere conaretur; animadvertit magnam copiarum partem SCIPIONI, eiusque legionibus, suppetias occurrere. quæ res eius impetum retardavit.

Capti sunt in oppido C. BIOTIVS Rheginus, SCIPIONI persamiliaris, & Zettæ præfectus, cum alijs; Et cameli regis XXII. indè abducti.

CÆSAR EX ANCIPITI PVGNA equitatum suum expedit.

Præsidio ibi, cum OPPIO Legato, relicto, Cæsar ad castra se recipere cæperat; Quumque iam haud longè à castris SCIPIONIS abesset, quæ eum necesse erat prætergredi; LABIENVS AFRANIVSQVE ex insidijs adorti, agmini eius extremo sese cum equitatu offerunt; atque ex collibus primis exsistunt.

Cæsar, equitibus suis, hostium vi oppositis; legionarijs edicit; ut sarcinis in acervum comportatis, signa celeriter hostibus inferant.

Et iam primo impetu legionum, equitatus, & levis armatura hostium nullo pænè negotio pulsa erat, & deiecta de colle: & Cæsar hosteis ita deterritos finem lacessendi facturos ratus, iter cæptum pergere cæperat. quùm iterùm celeriter ex proximis collibus erumpunt; & uti prius, in legionarios impetum faciunt, Numidæ equites, levisque armatura, mirabili velocitate præditi; qui inter equites pugnare, & pariter cum equitibus adcurrere & refugere consueverant. Idemque sæpiùs conati, & singulari pugnæ genere usi, Cæsarem eò se coacturos putabant, ut loco illo castra poneret; ubi omninò aquæ nihil esset; & exercitus eius ieiunus, (qui à IV. Vigiliâ, usque ad horam diei X. nihil gustâsset) cum iumentis siti consumti perirent.

Sed Cæsar equitatu suo, propter equorum interitum, ab extremis in primam mediamve aciem revocato; per legionarium militem, quem ad postremum agmen evocârat; vim hostium, placidè leniterque procedens, commodiùs sustinebat. Et insultantibus licet dextrâ sinistrâque Numidis, & coronæ in modum multitudine suâ Cæsaris copias cingentibus; & tardiùs propterea itinere confecto; primâ noctis horâ omneis suos ad unum incolumeis; decem modò saucijs, in castra reduxit. Quùm LABIENVS, circiter CCC. amissis, multis vulneratis; omnibus nunc cedendo, nunc insequendo, defessis; ad munitiones suas se recepisset. Et SCIPIO legiones interim productas cum elephantis, quos antè castra in acie, terroris gratiâ, in conspectu Cæsarianorum, collocaverat; in castra reduxerit.

VACCÆI, IVBÆ, PRODITIONIS tentatæ pœnas luunt.

Haud multò pòst quùm Cæsar, productis in æquiora loca copijs, frustrà SCIPIONEM ad dimicandum invitasset; & legiones sub vesperum in castra reduxisset; legati ex oppido Vaccâ, quod Vzitæ finitimum erat; venêre, oratum Cæsarem; *ut sibi præsidium mittat.* se compluria, quæ bello usui essent, administraturos.

Sed IVBA rex de eorum voluntate, studioque ergà Cæsarem, per transfugam factus certior, cum copijs suis, ante quàm Cæsaris præsidium eò perveniret; ad oppidum adcurrit, eoque potitur: & omnibus incolis ad unum interfectis, idem diripiendum delendumque militibus dedit.

CÆSAR SARSVRAM EXPVGNAT.

CÆSAR factâ semel atque iterùm pugnæ potestate, quùm hostem supersedere animadvertetet; lustrato exercitu, iter ad oppidum Sarsuram, (ubi SCIPIO Numidarum habebat præsidium, frumentumque comportârat) ire contendit.

LABIENVS interim, cum equitatu levique armaturâ, agmen eius extremum iam carpere cæperat; & lixas mercatoresque, qui plaustris merceis portabant, sarcinis suis exuerat: & hinc propiùs audaciusque ad legiones, quasi sub pari sarcinarum onere defatigatas, accedebat.

Sed Cæsar, properè expeditos, ex singulis legionibus, CCC. milites in equitatum LABIENI immittit; qui fessis suorum turmis suppetias ferant. Et LABIENVS, signorum conspectu perterritus, conversis equis, turpissimè contendit fugere, multis ex eius numero aut occisis, aut vulneratis.

Postquàm Cæsar ad oppidum Sarsuram pervénit, inspectantibus adversarijs, interfecto præsidio SCIPIONIS; P. CORNELIO, SCIPIONIS evocato, qui ibi præerat, fortiter, sed frustrà repugnante, atque interfecto; oppido, & frumento, quòd mox exercitui dedit, potitus est.

Ipse postero die ad oppidum Tisdram pervenit, in quo CONSIDIVS per id tempus fuerat cum grandi præsidio, cohorteque suâ gladiatorum. Cæsar, oppidi maturâ perspectâ; atque inopiâ rerum necessariarum, ab oppugnatione eius deterritus, ad castra. quæ ad Agar habuerat, regressus est: & suas vicissim SCIPIO copias in antiqua castra reduxit.

THABEN-

THABENNENSES CÆSARI SE DEDVNT.

THABENNENSES interim, qui sub ditione & potestate Iubæ esse consuêssent, in extremâ eius regni regione maritimâ locati; interfecto regio præsidio, & legatis ad Cæsarem missis, rem domi malè gestam docent, petuntque, ut suis fortunis, qui de pop. Romano bênè meriti essent, præstò auxilium ferret. Eò Cæsar M. CRISPVM (al. Crispium) Trib. cum cohorte & sagittarijs, tormentisque compluribus, præsidio transmittit.

Eodem tempore ex legionibus omnibus milites, qui aut morbo impediti, aut commeatu dato, cum signis non potuerant antè ex Siciliâ in Africam transire, ad Millia I V. Equites, CD. Funditores sagittarijque Mille; uno commeatu, Cæsari occurrerunt.

VELITATIO AD TEGEAM.

His itaq; copijs, & omnibus legionibus eductis, sicut erat instructus, haud procul ab opido, cui Tegea nomen erat, ubi SCIPIO CD. equitum præsidium habebat, in acie constitit. Sed dum & hic, SCIPIONE uno in loco diutiùs commorante, tempus diei in otio consumeretur; Cæsar tædio victus, equitum suorum turmas, una cum levi armaturâ, & sagittarios cum funditoribus, in hostium equitatû, qui ad opidum in statione erat; impressionem facere iubet. Quod ubi cæptum est fieri; PACIDIVS præt. equites suos in longitudinem exporrigere cæpit; & Cæsarianas turmas propè circumfundere. Cæsar confestim CCC. quos ex legionibus habere expeditos consueverat, iubet equitatui succurrere.

Atque adeò, quùm LABIENVS suis vicissim equitibus auxilia equestria; & saucijs ac defatigatis, integros recenteisque summitteret: & equites Iuliani CD. vim hostium, ad I V. Millia numero, sustinere non possent; & à levi Numidarum armaturâ vulnerati, minutatim cederent; Cæsar alteram alam subsidio suis mittit. Quo facto, sui sublati, universi, factâ impressione, in fugam adversarios dederunt: multis occisis, compluribus vulneratis. Et per III. pass. Mill. insecuti, non nisi hostibus in colleis usque adactis, se ad suos incolumeis recepêrunt.

Cæsar, postquàm nullâ conditione cogi adversarios, ad æquo loco dimicandum, posse vidit: neque ipse propiùs hostem castra ponere, propter aquæ pænuriam, poterat; ab opido Agar, XVI. pass. Mill. progressus, ad Thapsum, ubi VIRGILIVS PETRONIVS cum grandi præsidio præerat, castra ponit; opidumque eo die circumvenire cæpit, & locis idoneis, ad hostem aditu intercludendum, præsidijs occupare.

SCIPIO, ne per summum dedecus fidissimos rebus suis Thapsitanos amitteret; Cæsarem per superiora loca consecutus, Mill. pass. IIX. à Thapso, binis castris consedit.

Is autem erat opidi situs, ut peninsulæ speciem præberet; quod ab unâ quidem parte mari; ab alterâ verò, palude, sive stagno salinarum, adluceretur. Et Isthmus, mare inter & stagnum, non ampliùs MD. passus, angustum admodum ad urbem accessum præberet.

PVGNA AD THAPSVM FATALIS.

CÆSAR verò ad fauceis eius Isthmi castellum communierat, & valido præsidio firmârat. Vnde SCIPIO, qui angustias eas intrare, & Thapsitanis auxilium ferre conabatur, ab incepto itinere exclusus; Mille quingentis, à castris Cæsarianis, passib. ad mare versus consedit, & castra munire occæpit. Et parte munitionum iam effectâ, quò reliqua tutiùs perficerentur, elephantos cum aliquantâ copiarum parte pro vallo, ad deterrendos hosteis, in acie constituit.

CÆSAR, ASPRENATE Proconf. cum II. legionibus, præsidio in castris relicto, cum expeditâ copiâ ad eum locum contendit: & classis parte ad Thapsum manére iussâ, reliquas naveis iubet pòst hostium tergum quammaximè ad litus adpelli. & signo, quod constituerat, dato, factoque clamore, ex improvisò hostibus aversis incutere terrorem; ut perturbati territique respicere pòst terga cogerentur.

ACIERVM VTRIMQVE ORDINATIO.

Ipse autem reliquas copias summâ cum festinatione ad hostium munitiones perducit. Ibique animadvertit, aciem SCIPIONIS pro vallo, elephantis dextro sinistroque cornu collocatis, instructam; & nihilo minus partem militum castris muniendis non ignaviter incumbere.

Triplicem itaque contrà instruit aciem; & ex legionibus, X. & II. dextro cornu; IIX. & IX. sinistro, opponit V. hostium legionibus. In quartâ acie, antè ipsa cornua, quinas cohorteis contrà bestias collocat. sagittarios funditoresque in utrisque cornibus dispônit, levi armaturâ inter equites interiectâ. Ipse pedibus circùm milites cōcursans, animos veteranorū & tironū verbis ad virtutem excitabat.

Et animadversò intereà hosteis circà vallū trepidare; (iamtum enim inopinato navium Cæsarianarum à tergo accessu turbabantur) subitò legati evocatique Cæsarem obsecrare; ne dubitaret pugnæ signum dare. *Victoriam sibi propriam à Dijs portendi.*

SCIPIO VNDIQVE CIRCVMVENTVS TRIBVS CASTRIS EXVITVR, MAGNA cum exercitûs clade.

Hîc, Cæsare cunctante, cui eruptione pugnari non placeret; tubicen à militibus coactus, iniussu Cæsaris, dextro cornu signum canere cæpit. Tum centurionibus, etiam adverso pectore frustrà obluctantibus, signa ab universis cohortibus in hostem inferri cæpta. Et postremò ipse Cæsar, quùm incitatis militum animis nullo modo resisti

do resisti posse videretur; signo *Felicitatis* dato, equoque admisso, contrà principes ire contendit.

Etiam à dextro cornu ira funditores sagittarijque concita tela in elephantos frequentes coniecerant; ut bestiæ stridore fundarum lapidumque perterritæ, sese converterent; & suos pòst se frequenteis stipatosque protererent, & in portas valli semifactas ruere contenderent. Atque ita Mauri equites, qui in eodem cornu cum elephantis erant, præsidio tali deserti, primi omnium fugiunt. Legiones autem Cæsaris, paucis, qui acriter repugnabant, interfectis, vallo hostium sunt potitæ. Et reliquos concitato in castra cursu, undè pridie egressi erant, confugere coegérunt.

SCIPIONIS copijs ita prostratis, totoque passim campo fugientibus, Legiones, ne spatium sui colligendi hostibus daretur, confestim consecutæ sunt.

Illi verò, postquàm ad ea castra, quæ petebant, è fuga pervenissent; & neminem ibi esse præsidio animadvertissent; protinùs, abiectis armis, in regia Iubæ castra fugere contendebant.

Quo usque & ea ab Iulianis teneri vidissent; desperatâ salute, in quodam colle consistunt; atque armis demissis, salutationem more militari faciunt.

Sed milites Veterani, irâ & dolore incensi, non modò, ut parcerent hosti, non poterant adduci; sed etiam ex suo exercitu, illustreis urbanos, quos auctores appellabant, compluteis aut vulnerárunt aut interfecerunt. Eoque facto multi equites Rom. Senatoresque militari furore & licentia perterriti, è prœlio se subduxére. Et omnes illi SCIPIONIS milites, quamquam Cæsaris fidem implorarent; & ipse à militibus suis, eis uti parcerent, deprecaretur; ad unum in conspectu sunt interfecti.

Sic Cæsar, tribus exercitibus uno die (qui fuit VI. Id. Apnl.) profligatis, trinis etiam hostium castris uno quasi impetu captis, occisis hostium X. (Plut. X.) Millibus, fugatisque cópluribus; quùm L. tantum è suo numero milites, præter, paucos saucios, amisisset: Elephantos etiam LXIV. ornatos armatosque cum turribus & ornamentis cepit.

Plurimi autem è Prætorijs Consularibusque, qui fugâ evaserant; alij posteà sibi ipsi manus intulére; alij capti, quòd prius veniâ impetratâ à Cæsare dimissi, arma resumsissent, interfici iussi sunt.

Tradidére quidem Cæsarem isti prœlio, ad exitum usque, non interfuisse: propterea quòd, dum aciem instrueret, subito morbo, comitiali, correptus, malumque præsentiens, antè quàm vis mali sensus occuparet, in turrim quamdam proximam deferri se iussisset.

THAPSVS OBSESSA.

Ipse quùm ex itinere ad Thapsum aliquamdiu constitisset, (cuius opidi præsidiarij, flagrante pugnę cupiditate, eruptionem Portâ maritimâ fecerant; sed à servis puerisque, qui in castris Cæsaris erant, lapidibus pilisque prohibiti terram attingere, rursus se intrà mœnia receperant) & elephantos, quos ceperat, instructos, antè portas constituisset; missoque rei à se gestæ nuntio, VIRGILIVM, & qui cum eo obsidebantur, ad deditionem leniter invitasset; ubi responsum à præfecto non dari sibi animadvertit; ab opido recessit; & CANINIVM REBILVM Proconf. cum III. legionibus in obsidione urbis manére iussit.

Postridie sacris operatus, militibus pro concione collaudatis, ex veteranorum exercitu, fortissimũ quemque ac benè merentem præmijs, pro suggestu, & in opidanorum conspectu, donavit. Et CN. DOMITIO, ad Tisdræ obsidionem, quam CONSIDIVS tenebat, relicto; præmissoque Vticam M. MESSALLA, ipse eódem cum equitatu iter facere intendit.

EQVITVM SCIPIONIS IMMANITAS.

Equites interim SCIPIONIS, qui ex prœlio fugerant, quùm itinere Vticam versùs facto, ad opidum PARADA, (Strab. Phara) pervenissent; neque ab incolis, ad quos fama de victoriâ Cæsaris præcucurrerat, reciperentur; vi loco potiti, in medio foro lignis coacervatis, omnibusque rebus eorum congestis, ignem subijciunt; & incolas, cuiusque sexus atque ætatis, vivos constrictosque in flammam cõijciunt; & acerbissimo supplicio adfectos enecant. Deinde protenus ad Vticam accedunt.

Hic quùm illi plebeiorum Vticensium (quos M. CATO, uti CÆSARI faventiores, superiore tempore opido eiecerat; & antè Portam castris, & parvulâ dumtaxat fossâ, adversùs repentinos incursus, munierat, quùm ipse Senatum opidi custodiâ teneret) castra adorti expugnare cœpissent; Vticenses extorres, additis ex victoriâ Cæsaris animis, lapidibus fustibusque equites illos reppulérunt. Et hi sic reiecti in opidum Vticam se coniecérunt; multisque Vticensium interfectis, domos eorum expugnárunt & diripuérunt.

Quùm ijsdem CATO nulla ratione persuadere quiret, ut secum opidum defenderent, & à cæde rapinisque abstinerent; ut eorum importunitatem sedaret, singulis H. S. C. divisit. Idem & SYLLA FAVSTVS fecit, ac de suâ pecuniâ largitus est: unaque cum ijs ab Vticâ profectus, in regnum ire contendit.

CATO VTICÆ, CONTRA CÆSAREM DEFENDENDÆ CONSILIVM DEPONIT. Fuga Pompeianæ factionis procerum.

Quùm permulti interim ex fugâ Vticam confluerent; CATO eos convocatos, unà cum CCC. qui pecuniam SCIPIONI ad bellum faciendum contulerant, quique à bellicis erant consilijs; hortatus est; *Vt servitia manumitterent, opidumque defenderent. se ducem rei gerendæ imperatoremq; fore.*

Quorum quùm non unam esse sententiam intelligeret; & Vticenses bellum adversùs Cæsarem detrectarent; opidi defendendi propositum omittit. Et compluteis Senatorij equestrisque ordinis, & aliàs magnos viros, qui, quod Vticensibus non

latis fidelent; & vererentur, ne ab ipsis comprehensi Cæsari traderentur; fugæ consilium iam ceperant; viatico & pecuniâ, cæterisque ad navigationem necessarijs instructos, ad Portum usque deduxit; navibus attributis, ut in quas quisque parteis vellet, proficiscerentur. Ipse se Vticæ manere constitutum habere; ibique Cæsaris adventum exspectaturum, simulabat.

CATONIS CONSTANTIA, OBSTINATIONI ADFINIS. EIVS EXITVS ET sepultura.

Quumque Vticenses se pro ipsius apud Cæsarem salute deprecaturos pollicerentur; subridens; *nullo sibi deprecatore opus fore*, respondit. Filium autem suum fiduciâ veniæ à Cæsare impetrandæ, ad eum proficisci, & de eius clementiâ benè sperare iubebat. monebatque; ut quando eo rerum statu natus & educatus esset; *Eam fortunam, quæ ipsi obtingeret, æquo animo amplecteretur. Sibi in libertate vivendi ducendâ, educato*, & iam ætate provecto, integrum non esse, *immutatâ vitæ ratione, servituti se addicere*. Sed nec filio, nec adolescenti STATILIO, qui quamvis subire fortunam cum ipso parati essent; ut se relinquerent, persuadere potuit.

His peractis, CATO, convocatis in forum Vticensium magistratibus, eisdem prolixè administrationis suæ rationes reddidit: Syngraphas omneis, cũ commentarijs, & quidquid pecuniæ in ærario publico reliquum erat, tradidit. Rebusque ita constitutis, domum reversus, nihil de quotidianâ vitæ cõsuetudine remittens, lotus etiam cum amicis, Vticensiumque primoribus, cœnavit: ut nec iucundis, & Philosophicis inter cœnandum commentationibus abstineret; neque vultu aut sermone ullum turbatæ mentis indicium præberet.

Cœnatusque, consabulatione in multam etiam noctem protractâ, & amicis benignè à se dimissis; liberisque suis L. Cæsari, ipsius Cæsaris necessario, qui tum ibi pro-quæstore erat, commendatis; intrà cubiculum, ceu dormiturus, se recepit; pugione furtim illato & subter cervical deposito.

Lectoque ad lucernam, Platonis de *Anima immortalitate* libro, postquàm aliquantum, etiam stertens altiùs, quievisset, circiter primam vigiliam, stricto ferro infrà pectus se percussit.

Qui dum, animâ nondum exspiratâ, è lecto delapsus, abacum Geometricum simul ipso casu in terram impulisset; eo strepitu, qui proximi cubabant, excitati, Filius & familiares, & id quod erat suspicati, impetu in cubiculum facto, CATONEM sanguine fœdatum, & procidentibus è plagâ intestinis singultantem, offendunt.

At postquam medicus, intestinis in suum locum repositis, vulnus fascijs obligasset; CATO ad se rediens, simulatâ facti pœnitentiâ, actisque pro sedulâ operâ gratijs, somno sibi deinceps opus esse aiebat: proinde, quando omnia rectiùs se habitura esse confideret, ipsi discederent.

Ijs itaque cum pugione digressis, foribusque iam clausis; ipse suis manibus vulnus obligatum crudelissimè divellit, atque animo præsenti se interemit. (Sunt qui tradant; inter ipsam curationem, rescisso vulnere, inter medici manus exspirasse.)

Vticenses, quamquam partium gratiâ CATONEM oderant; tamen propter singularem eius integritatẽ, & dissimile à reliquis ducibus ingenium; quodque Vticam mirificis operibus munierat; honorificentissimo funere elatum in litore sepelierunt.

VTICA CÆSARI DEDITA.

Eo mortuo, L. Cæsar, ut aliquod sibi ex eâ re auxilium pararet; populum cohortatus, ut Portis apertis Cæsarem advenientem exciperent, in cuius clementiâ magnam spem haberet; Vticâ egressus, & Cæsari imperatori obviàm profectus est. Et MESSALLA, intereà, uti erat imperatum, Vticam præmissus, omnibus Portis custodias adposuit.

Cæsar verò à Thapso progressus, Vceram pervenit: ubi SCIPIO magnum frumenti numerum, armorum, telorum, cæterarumque rerum, cum parvo præsidio habuerat.

CÆSARIS IN SVPPLICES CLEMENTIA ET MODERATIO.

Eo opido potitus, Adrumetum venit, & sine mora introijt. Hic armis, frumento & pecuniâ inventâ auctus, Q. LIGARIO, & C. CONSIDIO, filio, qui tum ibi erant, vitam concessit.

Indè, L. LIVINEIO REGVLO, cum legione ibi relicto, Vticam pergit. Ei in itinere fit obvius L. CÆSAR: cui ad genua proiecto, & vitam sibi, neque amplius, deprecanti, ille facilè, & pro suâ naturâ, ignovit. Item cõpluribus alijs, qui prius POMPEIVM, deinde SCIPIONAM secuti fuerant: CÆCINÆ, C. ATTEIO, P. ATRIO, L. CELLÆ, Patri & filio; M. EPPIO, M. AQVINIO, & CATONIS filio, DAMASIPPIQVE liberis.

Ipse circiter noctem, luminibus accensis, Vticam pervenit: eâque nocte extrà opidum mansit. Et postridie ingressus, Vticenseis quidem pro eorum ergà se studio, non sine gratiarum actione, amplissimè pro concione collaudavit; civeis autem Romanos negotiatores, & eos, qui inter CCC. pecunias VARO & SCIPIONI contulerant; & consilio contrà se iuverant; multis verbis increpavit. ita tamen, ut vitâ ipsis, metu exsanguibus, & ex suo promerito desperantibus, concessâ, multâ bis Millies Sestertiûm impositâ, (quam per triennium, sex pensionibus, pop. Romano solverent) contentus fuerit.

Et cognitâ CATONIS morte multum indoluisse fertur, atque exclamâsse; CATO; *Ego tibi mortem invideo; qui mihi gloriam vitæ salutisq́; tuæ invidisti*.

Quumque in SCIPIONIS scrinia, quibus litteræ arcanæ includebantur, incidisset; eas, ne lectas quidem, comburi iussit. magno *moderati, & à vindictâ abhorrentis* animi argumento.

Liberis Catonis, & Pompeiæ, Cn. Pompeij filiæ, quæ Fausto Syllæ enupserat; eorumque liberis, vitam & bona condonavit.

Rex interim Ivba, ut ex prœlio fugerat, unà cum Petreio, interdiu in villis latitando, tandem nocturnis itineribus in regnum pervénit. atque ad opidum Zamam, ubi ipse domicilium, coniuges, liberosque habebat; & unà cum pecuniâ res ex omni regno carissimas comportaverat, quodque initio belli operibus maximis munierat; accêsit.

CRVDELE REGIS IVBÆ, IN SE, SVOSQVE DECRETVM. ET AB EO AD Cæsarem Zamensium defectio.

Sed eum opidani, rumore anteà de victoriâ Cæsaris audito, hasce ob caussas opido prohibuêrunt: Quòd bello contrà Cæsarem suscepto, lignis congestis, maximam in medio opidi foro Pyram construxerat; ut si fortè bello foret superatus, omnibus rebus eò coacervatis, & cunctis dehinc civibus interfectis, eodemque proiectis, atque igne subiecto: tum demum se ipse insuper interficeret; & unà cum liberis, coniugibus, civibus, cunctâque Gazâ regia cremaretur.

Postquam rex antè Portas diu multumque primò minis, pro imperio, egisset cum Zamensibus; deinde precibus quoque orasset, uti se, ad suos Deos penateis, admitterent; postremò nec coniuges sibi petenti nec liberi redderentur; spe omni destitutus, ab Zamâ discedit; atque ad villam suam, cum M. Petreio paucisque equitibus, se contulit.

Zamenses interim, missis Vticam ad Cæsarem legatis, petunt ab eo, ut antè, quam rex manum colligeret, seseque oppugnaret; sibi prælidium mittat.

Cæsar legatis domum antecedere, suumque adventum prænuntiare iussis; postridie ex Vticâ cum equitatu in regnum ire contendit.

Eo in itinere, ex regijs copijs complures, ad Cæsarem veniunt; & ut sibi ignoscatur, orant. Ijs supplicibus venia data. & rumore passim perlato de eius lenitate ac clementiâ, omnes propemodum regni equites, Zamam, ad Cæsarem perveniunt; & metu periculoque ab eo liberantur.

CONSIDIVS A SVIS INTERFECTVS; THISDRA DEDITVR.

Considivs interim, qui Thisdræ cum familiâ suâ, gladiatoriâ manu, Gætulisque, præerat; cognitâ cæde suorum; Domitijque & legionum adventu perterritus, opidum deserit: seque clàm, cum paucis Barbaris, pecuniâ onustus, subducit, atque in regnum fugere contendit.

Sed eum Gætuli comites, prædæ cupidi, saucium concidunt, & in sua quisque dilapsi sunt.

C. interim Virgilivs, terrâ marique clausus, rebus undequaque desperatis; Caninio Proconsuli, qui obsidebat, fide acceptâ, seque & sua omnia, & opidum tradidit.

IVBA, ET PETREIVS MVTVIS VVLNERIBVS CADVNT.

Rex interim Ivba, suis undequaque civitatibus exclusus; & in villa suâ sumtuosè cum Petreio epulatus; quùm aliam honestæ mortis occasionem non inveniret; cæterique omnes se Cæsari iam submitterent; ut *per virtutem* interfectus esse videretur, cum Petreio ferro inter se depugnare conatus est. Quumque ipse firmior, illum imbecilliorem facilè ferro consumsisset; & sibi gladio transijcere pectus non posset; precibus à servo suo impetravit, ut se interficeret. (Alij contrà tradidérunt; Ivbam à Petreio interfectum; & hunc propriâ manu cecidisse.)

FAVSTI ET AFRANII: DEIN Scipionis cædes, duce Sittio.

P. autem Sittivs, pulso iam exercitu Sabvræ, Ivbæ regis præfecti; ipsoque interfecto; quùm iter cum paucis per Mauritaniam ad Cæsarem faceret; fortè incidit in Favstvm Afranivmqve, qui eam manum habebant, qui Vticam diripuerant: iterque in Hispaniam tendebant; numero circiter M. D. Ille itaque celeriter dispositis nocturno tempore insidijs, primâ luce eos adortus, magnam partem aut interfecit, aut in deditionem accepit. Afranivm & Favstvm vivos capit, cum coniuge & liberis. Quos dum ad Cæsarem perducere cogitaret, dissensione in exercitu ortâ, ipsi interfecti sunt.

Scipio similiter cum Damasippo, & Torqvato, & Plætorio Cæstiano, navibus longis diu multumque iactati, quùm Hispaniam & Pompeivm peterent; ad Hipponem Regium tempestate delati; ibique à classe P. Sittii, qui per id tempus ibi erat; circumventi sunt: eorumque navigia depressa. Et irrumpentibus in Scipionis navem Sittianis, atque, *ubi Imperator esset*; quærentibus; *Imperator*, inquit ille, *benè se habet*, simul ferro se traijciens, se ipse in mare præcipitem dedit. & cum comitibus interijt.

CÆSAR PRÆMIA ET SVPPLICIA promeritis decernit.

Cæsar interim, Zamæ, auctione regiæ gazæ factâ; bonisque eorum subhastâ divenditis, qui cives Romani contrà se arma tulerant; & præmijs in Zamensels, qui de rege excludendo consilium ceperant, distributis; vectigalibusque regijs abrogatis; Numidiam ex regnò novam provinciam fecit. Relictoque ibi cum imperio Procons. Crispo Sallvstio, Vticam se recepit. Ibi bona quoque eorum, qui sub Ivba Petreioqve ordines duxerant, veniérunt. Item Thapsitani, Adrumetini, Leptitani, & Thisdritani, singuli pro suâ cuiusque facultate, certo olei, frumenti, aut etiam pecuniæ modo numeroque multati. Sed civitates, bonaque eorum ab omni iniuriâ defensa.

CÆSAR ROMAM REDIT.

Cæsar, his rebus ita gestis; Idib. Iun. Vticæ classem conscendit; & post diem III. Caraleis, in Sardiniam, pervenit. Ibi Sulcitanos, quòd Nasidium, qui ad Massiliam contrà Cæsarem, rem gessit, cum classe recepissent, copiijsque iuvissent; octavas pro decimis pendere iussos, H. S. C. Millibus multavit.

Et nave ante diem III. Kal. Quinctil. iterùm cōscensâ; partem veteranorum militum, metu novæ seditionis, ante quàm in Italiam traijceret, dimisit. Reliquas autem copias, cum C. Didio, in Hispaniam, adversùs Pompeium, misit; & à Caralibus, secundùm terram provectus, duode-tricesimo die, eò quod tempestatibus in portubus cohibebatur; ad urbem Romam venit.

HONORES CÆSARI A SENATV DELATI.

Senatus, accepto statim victoriæ Africanæ nuntio, decretâ XL. dierum supplicatione, plurimis præterea amplissimisque Cæsarem honoribus, per consulta decretis, exornavit. Ipsum in primis Dictatorem in decennium deinceps creārunt. Non quidem ex more; sed quod aliud pro tempore non haberet pop. Rom. quo cum summo honore supremum simul imperium ipsi deferret.

Præfectum quoque moribus Censoriâ potestate (quod Censoris nomen, infrà ipsius merita esse videretur) in triennium constituērunt.

Et hæc quidem præ cæteris avidissimè admisit: alijs non prorsus reiectis.

„*Vt sella nimirū curuli proximus semper Cōsulibus in Curiâ & Senatu adsideret:*

„*Sententiam primus diceret: præmiaq; in equestribus certaminibus solus divideret: magistratus omneis, etiam plebeios, quibus vellet, conferret: equisque albis, & lictoribus, quos in primâ, alterâque Dictaturâ, habuerat, in triumpho uteretur.*

Quæq; humani fastigij modum excedebant; *ut Quadrigæ ipsi in Capitolio antè Iovem statuerentur:*

„*Imagóque ipsius, simulacrum orbis terrarum pedibus premens, cum titulo,* Semidei, *poneretur.*

Tertiam Dictaturam, quam M. Lepido magistro Equitum sibi adsumto, & in consulatu illius anni collegâ adscito, inierat; in pluréis insequentis anni menseis continuavit, dum annus compleretur. quod non semestris, ut anteà, sed annuus iam is magistratus esset.

TRIVMPHI IV. CÆSARIS, IN VRBE ACTI.

Postquàm in urbem pervēnit, omnibus statim, qui arma bellis præteritis contrà se gesserant, ignovit. Inter quos & M. Marcello, deprecante Senatu, & orante Cicerone, reditum concessit, & tum eidem Senatui, tum populo, moderati in posterum imperij spem bonam iniecit.

Rebus denique omnibus non minus magnificè, quàm sumtuosè adornatis, IV. egit triumphos, diverso quemque adparatu & instrumento.

Primum quidem, & celeberrimum; Gallicum, de Gallis & Germanis. Cuius adparatus ex *citro* potissimum constitit. Inter eius fercula, Rhenus & Rhodanus fuēre; & Oceani captivi, ex auro, simulacrum. Inter captivos Vercingetorix ductus est, in illum usque diem eâ fini servatus: sed pòst triumphum cum aliquot alijs necatus.

Elephantis autem XL. Lychnuchos dextrâ lævâque gestantibus, sub vesperam, ad lumina, Capitolium adscendit; eiusque gradus genibus ingressus pro more conscendit. Titulum ibi Semidei posteà sustulit.

Huius triumphi die, quùm Velabrum prætervéheretur; confracto currûs triumphalis axe, apud *Fanum Fortunæ*, quod Lucullus erexerat, pænè excussus; alio curru, ad cætera perficienda, uti coactus est.

Alter triumphus, Alexādrinus fuit, de rege Ptolemæo, adparatusque eius Testudineus. In eo Nilus, & Pharus ardens. Inter captivos, Arsinoe, Cleopatræ soror. quæ non sine commiseratione spectantium traducta; posteà precibus Cleopatræ sororis, & alterius Ptolemæi fratris, dimissa est.

Tertius Ponticus, de rege Pharnace; Acantho spectabilis. In eius ferculis fuit Pharnacis imago: & hic Titulus; *VENI, VIDI, VICI.* quo celeritas belli confecti significaretur.

Novissimus fuit Africanus; de Iubâ rege, Ebore insignis. Inter captivos, Iubæ regis filius, Patri cognominis, (qui egregiâ historiarum, & rerum Naturæ monimenta posteris reliquit.)

Eo triumpho Petreii, Catonis, ipsiusque Scipionis, aliorumque primi nominis civium Rom. qui eo bello contrà Cæsarem militaverant, imagines; *non sine maximo populi dolore & invidiâ*, in Pompâ transmissæ sunt.

SVMMA PECVNIÆ TRIVMPHALIS, SIVE POMPATICÆ.

Pecunia ex manubijs, per hos triumphos traducta, A Græcis quidem scriptoribus LX. M. talentûm, cum dimidio talento. à Romanis, amplius Sexies Millies sestertiûm traditur. Aureæ, præterea coronæ bis Mille octingentæ, Pōdo XX. M. CDXIV. E quarum pretio militibus posteà stipendium, & donativum quod promiserat, etiam cum auctario persolutum; congiariumque plebi datum.

LICENTIA

LICENTIA MILITARIS, ET IOCI IN CÆSAREM.

Observatione digna fuit, hisce triumphorum diebus, militum, qui triumphantem subsequebantur, licentia & mordacitas, æquis, an iniquis! auribus, à Cæsare accepta. Ita ut præter Cleopatræ amores, aliasque Cæsaris libidines; adolescentiam etiam parum continenter sub NICOMEDE, Bithyniæ rege, habitam exprobrare non vererentur. *Galliam Cæsar subegit: Nicomedes &c.*

EPVLVM PVBLICVM: CONGIARIVM ET DONATIVVM. Ludi, & Naumachia.

CÆSAR triumphis iam peractis, epulum toti populo in multos etiam dies præbuit sumtuosissimū, ita ut uno die XXII. Millib. tricliniorum discumberetur. Addita visceratio, & Congiarium; distributo extrà ordinem in populum, viritim, denis frumenti modijs; totidem olei libris. Et præter nummos trecentos, quos olim promiserat; centenos insuper, corollarij nomine, addidit. ut moram beneficij tardiùs præstiti compensaret. (Appian. tradit; Minam Atticam viritim distributam.)

Militibus etiam præmia, quæ pollicitus, elargitus est. Veteranis legionarijs, prædæ nomine, in singulos pedites, bina sestertia; in equites, vicena quaterna Millia nummûm. (Appian. Militibus quinquies Millenas drachmas Atticas; Centurionibus duplum; Tribunis, & alarum præfectis, quadruplum exsolutum.)

Ædem VENERI GENETRICI dedicavit. Ludos histrionios, gladiatorios, & Circenseis cum Venatione fecit. Troiam lusit, duplex turma maiorum minorumque puerorum. Pyrrhicen vero saltárunt Asiæ Bithyniæque principum liberi.

In Circo, metis sublatis, castra adversa constituit, pugnâ in duas acies divisâ: & hinc, inde, D. pedites, & CCC. equites, & XX. elephantos, inter se commisit. In campo Martio Athletæ per triduum decertárunt. Et effosso, eodem in campo, in modum cochleæ, lacu; navalis prœlij species exhibita est; ubi Tyrij Ægyptijque, vario navium genere, additis remigibus & pugnatoribus, inter se concurrérunt.

CÆSAR REMP. SERIO ORDINAT. FASTOS CORRIGIT.

Populo istiusmodi muneribus & ludis delinito; & animis, ex tristi civilium bellorum, cladiumque memoriâ, recreatis; ad componendum reip. statum se convertit.

Primùm Fastos negligentiâ, an vitio! Pontificum, per intercalandi licentiam, corruptos & turbatos; ita ut cum messium & vindemiarum; tum reliquæ anni feriæ alieno tempore inciderent; correxit. Annumque, qui ad illa tempora, secundùm Lunæ cursum æstimabatur; & CCCLV. dierum fuerat; ex Ægyptiâ disciplinâ, ad rationem Cursus Solaris digessit; & CCCLXV. dierum esse voluit. Decem scilicet in VII. menseis, qui ante XXIX. dierum fuerant, additis. è quibus Ianuarins, Sextilis, & December binos singuli acciperent: Aprilis verò, Iunius, September & November, singuli, singulos.

Et quò in posterum ex Kal. Ianuarijs ea ratio constaret, præter mensem intercalarem XXI. dierum, qui ex Numæ instituto quartò quoque anno intercalabatur, & in eum annum inciderat; alios etiam duos menseis, sive, ut Dion tradit, LXVII. dies inter Novembrem & Decembrem interposuit. sublatoque mense intercalari, constituit, ut illius loco, quarto quoque anno, deinceps ante V. novissimos Februarij dies, unus dies intercalaretur. Itaque hic annus, XV. mensium fuit.

SALVTARES REIP. CONSTIT. LEGES.

Saluberrimis legibus, *libidines compressit; maleficia compescuit; sumtus nimios cohibuit; fidem revocavit; iudicia restituit.*

Quùm namque Iudicia, præter Equites & Senatores, etiam à Tribunis Ærarijs, qui plebeij erant, administrarentur; sublatis Tribb. ea solis Senatoribus & Equitibus mandavit.

Legem Sumtuariam severè exercnit: dispositisque circâ macellum custodibus, quæ importarentur, observari; vetitaque retineri, & ad se deferri voluit. Et siquà custodes fefellissent; immissis lictoribus aut militibus, adposita è triclinio tapi iussit.

Peregrinarum mercium Portoria, quò cariùs venirent, instituit. Promiscuum lecticarum usum; vestis item conchiliatæ, & margaritarum; ad certas personas, ætates, & tempora restrinxit. Et pœnis scelerum auctis, parricidij reos omnibus facultatibus; alijs criminibus obnoxios, dimidiâ bonorum parte multari voluit.

Cumque exhaustâ bellorum civilium impendijs Rep. fides passim publica laboraret; debitoresque creditorum acerbitatem reformidarent; sublatâ omni novarum tabularum mentione, decrevit; *ut debitores creditoribus satisfacerent per æstimationem possessionum*, quanti quasque earum antè bellum civile comparâssent. deducto ex summâ æris alieni, quidquid usuræ nomine numeratum aut perscriptum fuerat. ita ut eâ ratione quartâ ferè parte æs alienum imminutum sit.

Censum autem, uti nec Censoris nomine usus, sed tamquam præfectus moribus; ita nec more, nec loco consueto, peregit; sed vicatim per Dominos Insularum. Inventumque est dimidio minus civium, quâm proximâ, antè bella civilia, recensione. Quùm namque prius CCCXX. Millia, frumentum è publico acciperent; C. & L. Millia dumtaxat reperta sunt.

Tantum sanguinis civilibus bellis exhaustum.

VASTITATIS RESARCIENDÆ REMEDIA.

Cæsar, quo eam civitatis vastitatem quoquo modo repararet; ad propagandam ſubolem, præmia ijs, qui plureis liberos procreaſſent, conſtituit. quod *Ius liberorum* dictum eſt.

Sanxit præterea; „ *Ne quis civis, ſuprà XX. annos, aut infrà X. annos, ſacramento liber, ampliùs, quàm continentis triennio, Italiâ abeſſet.*

„ *Néve quis Senatoris filius, niſi contubernalis aut comes magiſtratûs, peregrè proficiſceretur.*

„ *Neve hi, qui pecuariam facerent, minus tertiâ parte puberum ingenuorum, inter paſtores, haberent.*

„ *Omnes, qui Medicinam profiterentur; aliosq́, liberalium artium doctores, civitate donavit.*

„ *Multis exſulibus reditum per Tribb. pl. confecit.*

„ *Senatum, qui & ipſe multum erat imminutus, adſcriptis in eum pleriſq́, etiam indignioribus, ſupplevit.*

„ *In Patriciorum ordinem quamplurimos adlegit.*

„ *Repetundarum tamen convictos ordine Senatorio movit.*

„ *Qui verò ambitûs damnati fuerant, ab exilio revocatos, in Italiâ verſari permiſit.*

COMITIORVM IVRA, ET ANNVA MAGISTRATVVM.

Comitia cum populo ita partitus eſt, ut exceptis Conſulatûs candidatis, reliqui magiſtratus pro parte dimidiâ, quos populus; pro alterâ, quos ipſe vellet, pronuntiarentur.

„ *Et ne ij, qui in provincias mittebantur, quâdam imperandi conſuetudine dominationem adfectarent (quod ſibi ipſe uſu veniſſe intelligebat) prætorijs provincijs annum; Conſularibus verò biennium, nec amplius, ſtatuit. Ad honorum tamen petitionem, proſcriptorum etiam liberos admiſit.*

Atque hæc omnia, neque inconſulto, neque invito Senatu, magnam ſaltim partem, decreta.

ANTIPATER FILIIS SVIS PARTEIS IMPERII, IN IVDÆIS, DISTRIBVIT. Herodis induſtria, & celebritas. Hinc publica Optimatium invidia.

Antipater intereà, mœnibus Hieroſolymæ reſtitutis, & procuratione Iudææ à Romanis ſibi confirmatâ; quùm Hyrcanvm ſtupido ſegniqúe ingenio eſſe animadverteret; Phasaelvm, è liberis ſuis natu maximum, Hieroſolymis & toti viciniati ducem præfecit. Herodi, alteri filio, Galilæam procurandam mandavit; adoleſcenti, vix quintum & viceſimum, (Ioſeph. decimum quintum) ætatis annum egreſſo.

Is, uti induſtrius, & generoſo animo præditus, oſtentandæ virtutis occaſionē mox invenit. Quumque Ezechiam, primarium latronum ducem, qui diu multumq́ue Syriam infeſtârat, captum, cum ſocijs, ſupplicio adfeciſſet; magnam ſibi apud Syros gratiam gloriamque comparavit: & apud Sex. Cæsarem, Cæsaris magni neceſſarium, & Syriæ rectorem, non infimum notitiæ amicitiæque locum nactus eſt.

Hiſce fraternæ laudis, & æmulationis ſtimulis excitatus Phasaelvs; ut pariter apud Hieroſolymitas gratioſus eſſet; publica negotia per ſe gnaviter obire; & in ijs tractandis, cum laude, & ſine cuiuſquam iniuriâ, verſari contendit.

Quâ liberûm ſuorum virtute, ac fāmâ effectum eſt; ut Antipater, haud ſeciùs, quam rex, à totâ gente coleretur; & eo haberetur in honore, qui Dominum non dedeceret. Rebus tamen tàm ſecundis, haudquaquā, more ingenij humani, depravatus eſt; quò minus Hyrcano fidem amicitiamq́; ſervaret.

Cæterùm optimates Iudæorum, tanta eius filiorumque incrementa, quæ partim ſubito gentis favore; partim Hyrcani ipſius pecunijs, annuiſque Iudææ provinciæ proventibus parabantur; haud æquis oculis intuiti; alienari ab eo, animiſque averti iam cœperant. quem cum Romanis Imperatoribus privatim amicitiam iam contraxiſſe; & miſſæ Romam ab Hyrcano cum pecunia aliiſque muneribus legationis, ſibi ſoli gratiam uſurpaſſe; moleſtè ferrent. Et violento audacique Herodis ingenio; quod à tyrannidis cupiditate non abhorreret; maximè terrerentur. Quodque Hyrcano, præter inane regni nomen, nihil reliquum fieri cernerent.

QVERELÆ DE HERODIS FACTIS. Ipſe in Iudicium vocatur.

Herodem itaque apud Hyrcanvm hoc nomine incuſabant; Quòd Ezechiam, cum pleriſque, interfeciſſet; non ſine legum Patriarum contemtu; quæ hominem, licet ſceleſtum, indemnatum, puniri aut occidi vetant. Id tamen auſum eſſe adoleſcentem, negotiorum principis ſui ſcilicet procuratorem; à quo eam poteſtatem nondum accepiſſet.

Huc accedebant querelæ matrum, eorum, quos Herodes occiderat. quæ in dies ſingulos, in ipſo templo, ſuis obteſtationibus tum regem, tum populum obtundere non deſiſtebant; ut Herodes, coram Synedrio, ſive Iudicum conſeſſu, facti ſui rationem reddere cogeretur.

Hyrcanvs, his rebus permotus, hominem in iudicium, & ad cauſſam dicendam, evocavit. Neque ille præſtò eſſe defugit: ſed à Patre præmonitus, ne privati in morem, ſed cum comitatu ad ſe tuendum idoneo, illuc accederet; rebus in Galilæa ordinatis, & acceptis à Sex. Cæsare, Syriæ præſide, ad Hyrcanvm, Iudiceſque litteris, ſubire iudicij aleam non dubitavit.

Poſtquàm igitur in forum venit, & coràm Synedrio adſtitit; Iudices omnes attoniti ſtetere; neque quiſquam ex ijs, qui abſentem accuſaverant, in ſummâ conſilij inopiâ, hiſcere auſus eſt.

Vnus tamen ex numero Iudicum Sameas, vir iuſti tenax, & intrepidus;

SAMEÆ,

SAMEÆ, PRÆSAGA ORATIO: ET IN reum, Iudicesque invectiva.

Vos aiebat, qui hactenus ad caussam dicendam vocati, tàm severo nobilis & augusti consessûs Iudicio se stitissent; supplice habitu, atratos, & promisso capillitio squalenteis, accessisse. quùm Herodes in præsentiâ, cædis reus, alijsque criminibus obnoxius; hîc purpuratus, & benè comtus, armisque stipatus, adsistere & quidem impunè conspiceretur. Quâ id aliâ fini, quàm ut, si capitalis in eum à nobis, secundùm leges, sententia feratur, ipse, nobis mactatis, & violatis legibus, incolumis evadat?

Se tamen, non tàm Herodi succensére, qui maiorem suæ incolumitatis, quàm legũ, rationem habuisset; quàm regi, & Iudicibus, qui illum tali licentiâ, per dissimulationem, armâssent.

Scirent præterea, Deum potentem esse: & adolescentem istum, qui Hyrcani Iudicumque gratiâ, legibus supplicioque eriperetur, & regem ipsum aliquandò, & Iudices, magno infortunio mactaturum esse. (De cuius rei nõ vano vaticinio, infrà.)

FVGA HERODIS, ET METVS AB EODEM.

HYRCANVS quùm Iudices istiusmodi oratione ad damnandũ HERODEM magis inclinari animadvertit; rem in diem posterum differendam curavit: reũque clàm admonuit; *ut fugâ saluti suæ consuleret.*

Ille Damascum, quasi regis Iudicumque metu, secessit: conventoque ibi SEX. CÆSARE, & rebus velut in tuto collocatis; palàm præ se ferebat: *si denuò in ius à Iudicibus illis citaretur; se comparituRũ non esse.*

Eius contumaciæ nuntio indignati optimates, HYRCANVM edocent: in ipsius caput, regnique perniciem omnia, ni prospiciatur; brevi versura. Ille, qui vera moneri non ignoraret; neque tamen præ ignaviâ & amentiâ expedire quidquã posset; quùm tandem SEX. CÆSAR, acceptâ ingenti pecuniâ, HERODEM Cœle-Syriæ præfecisset; vehementer timere cœpit; ne novus ille alieni iuris præfectus, adversùm se confestim duceret. Neque eum sua fefellit opinio.

HERODES namque, iniuriæ molem non sustinens, quòd, ceu reus, caussam dicere iussus esset; cũ exercitu Hierosolymam properabat, ulturus adversarios.

Sed quùm Pater, ANTIPATER; & frater PHASAELVS obvij, eum rogarent; ut adversùs suæ dignitatis anctorem ulterius ne progrederetur; à quo nõ modò nihil triste ipse passus, sed etiam absolutus esset; paruit quidem. cæterùm, *magni sibi ad futuras spes momenti instar* esse existimavit, & gavisus est; quòd *suæ potentiæ specimen* regi gentique Iudæorum *ostentâsset.*

REGES ÆGYPTI ROMAM ARCESSITI.

Per idem tempus CÆSAR CLEOPATRAM, cum PTOLEMÆO, fratre marito, ex Ægypto Romam arcessitam, proprijs etiam ædibus accepit; neque id absque sinistris, ob præteritos amores, rumoribus. Eos ille maximis honoribus præmijsque adfecit; & inter reges, pop. Rom. socios atque amicos, adscripsit, atque in regnum dimisit.

BELLVM HISPANIENSE CONTRA POMPEIOS.

Rebus hunc in modum Romæ constitutis; *Cæsar*, quùm non ignoraret, haud exiguas Africanæ Pharsalicæque cladis reliquias, cum primæ notæ ducibus, in Hispaniam confluxisse: Ibiq; CN. & SEX. POMPEIOS, paternæ magnitudinis æmulos, contractis undique magnis auxiliorum copijs, provinciam vastare; plurimasque urbeis, tum Paterni nominis studio, tum vi & armis, sibi adiungere. Bellum gravius esse conflatum ratus, quàm quod facilè per legatos, se absente, confici posse speraret: Vrbis custodiâ, LEPIDO, Mag. Equit. cum IIX. (al. VI.) præfectis Vrbis, mandatâ; extremis III. sui consulatûs mensibus, III. Dictator, sed iam IV. designatus, expeditionem in Hispaniam suscepit.

Huius autem belli hæc potissimùm initia extitére. Quòd legiones, quæ sub CASSIO LONGINO & MARCELLO (quâ de re suprà) seditionem concitaverant, & cum plerisque Hispaniæ civitatibus ad res novas se erexerant. (Licet tumultus, tum eiusdem LONGINI morte; tum C. TREBONII, quem Cæsar miserat, superventu, sedatus videretur) Veritæ, nequid gravius in se à Cæsare victore statueretur, missis clàm ad SCIPIONEM in Africam legatis, eiusdem fidei se permisissent: & CN. POMPEIVM, adolescentem, qui tentatâ infeliciter Mauretaniâ, ad Baleareis Insulas adpulerat; pro recẽte adhuc POMPEII Patris, sub & pro quo nuper militaverat, memoriâ, è Balearibus ad se evocâssent.

Verùm quùm ille morbo prohibitus in Hispaniã traijcere non posset; & SCIPIO perijsse nuntiaretur; Legionarij, cognito, C. DIDIVM, cum classe, à Cæsare missum contrà se venire; veritique, ne antè POMPEII adventum opprimerentur; QVINCTO APONIO, & T. QVINCTIO SCAPVLA, ex equestri ordine, Viris; ducibus sibi adscitis; eiectoque TREBONIO, Bæticam universam ad defectionis societatem pertraxerant. Neque ita multo-pòst POMPEIVM, è morbo restitutum, uno pænè omnes consensu, Imperatorem sibi legerant.

Quorum animos quùm POMPEIVS sibi pro re natâ conciliâsset; alij quamplurimi, qui sub SCIPIONE militârant, eòdem sese adiunxére. Frater item SEXTVS, cum VARO & LABIENO, & cum classe, ex Africâ, eòdem pervenére.

Quibus

Quibus virium incrementis, & populis certatim se dedentibus, POMPEIVS iam ipso CÆSARE latiùs in Hispaniâ imperare videbatur. ut Q. PEDIVS,& Q. FABIVS MAXIMVS, legati Cæsaris, qui tum Hispaniam administrabant, Cæsarem hisce de rebus per litteras certiorem facerent; & ut ipse quam-primùm illuc accederet sedulò monerent.

POMPEIVS itàque, postquam Cæsarem confestim eos, quos præmiserat, subsecuturum cognovisset:neque eum universâ Hispaniâ prohiberi posse speraret;totam statim Bæticam occupare contendit. quod consideret, se cum ijs, quas brevi habiturus esset,copijs,eum reliquâ posteà Hispaniâ facilè expulsurum.

Et quùm ab eius discessu, omnis ora maritima mox ad Cæsarem defecisset; mediterraneas nihilominus civitates, præter Vllam, sui habuit fidas & studiosissimas.

CÆSAR, POMPEIIS DIVERSA PARTE DISTRACTIS, IN HISPANIAM VENIT.

Etiàm-tum SEX. POMPEIVS, frater, Cordubam, provinciæ caput, cum præsidio tenebat: & ipse CNÆVS, menseis aliquot in Vllæ oppugnatione distinebatur. quùm Cæsar confectis maximâ celeritate itineribus, XVII. postquam Româ decesserat, die, Saguntum; & post X. deinde dies, omnium opinione citiùs, in conspectum & suorum,& hostium, venit.

Legati Cordubensium, Cæsari in itinere obviam facti, nuntiant: *Si de-subito accedere properaret; Cordubam per noctem ex-improviso, & ignaris hostibus, capi posse.*

Deinde Vllenses legati, clam stationes Pompeianas prætergressi,ad Cæsarem accesserunt: & ut subsidium civibus suis quam-celerrimè mittat, orârunt.

Ad hos Cæsar confestim cum L. IVNIO PATIECO, homine illius provinciæ prudente & callido, VI. cohorteis, cum totidem equitum turmis, secundâ vigiliâ proficisci iubet. Hi beneficio perobscuræ tempestatis usi, per medias adversariorum stationes, magno astu ad opidi usque portam, perdeuntur. Et signo dato ab opidanis recepti; subitòque, unde venerant, converti, sublato clamore, in ipsa hostium castra irruptionem faciunt; magnumque ignaris, & deceptis terrorem incutiunt.

Cæsar, quò magis Cnæum ab Vllæ, quam iam præsidio ipse firmâsset, oppugnatione abduceret; Cordubam, præmisso equitatu, profectus, opidum obsidione cingit.

Cnæus itaque, SEXTI fratris litteris accitus, relictâ Vllâ, cum toto exercitu, ad Cordubam contendit.

Cæsar partim morbo, partim hiemis incommodis, suprà commeatuum & rei frumentariæ angustias,conflictatus,solutâ Cordubæ, quæ opidò validis præsidijs teneretur, obsidione; Atteguam versus (quam frumento abundare audierat) copias abduxit.

Quo in itinere, quùm sibi Bætim, flumen altum, non sine molestiâ, transeundum intelligeret; corbeis lapidibus confertos in aquam demisit; pontéque eum in modum superiniecto,copias traduxit.

Eôdem quùm POMPEIVS pervenisset,& pro ponte occupando variè, sed levioribus & minutis prœlijs, diu decertatum esset; tandem maioribus viribus concursum, & cominùs ad manum ventum est. Et alijs ferro cadentibus; alijs ex ponte & ripâ in flumen præcipitatis; maxima hinc & inde clades accepta.

CÆSAR ATTEGVAM OBSIDET, ET TANDEM CAPIT.

CÆSAR autem, quùm POMPEIVM nullis conditionibus induci posse videret, ut ad pugnam æquo loco descenderet; copijs Bætim traductis, Atteguam vallo & munitionibus cingere constituit.

POMPEIVS verò, satis opido ipsi, naturâ & operæ præsidijsque munito, fidens; quùm suos hibernis frigoribus confici nollet; & Cæsarem eisdem de caussis diutiùs in obsidione perduraturum non crederet; omisso Atteguæ adversus Cæsarem defendendæ proposito, Cordubam se recepit.

Verùm, quùm Cæsarem munitionibus operibusque perfectis obstinatiùs cœpto incumbere cognovit, Atteguam reversus est: factoque per nebulam densam, in cohorteis & equestreis Cæsaris excubias, impetu, magnam ex ijs partem concîdit. & L. MINVTIVM FLACCVM ad opidanos mittit; quo duce ipsi uterentur.

Is se à Cæsare ad opidum per proditionem recipiendum mitti simulans, cognitâ tesserâ, per medias hostium excubias, ad opidum pervenit; & dato signo ab opidanis intromissus est.

POMPEIVS autem prioribus castris nocte insequenti incensis, trans Salsum flumen, castra XIII. legionum, inter duo opida, Atteguam & Vcubim, in monte collocavit. Sed Cæsar, omnibus, quæ ad Atteguæ oppugnationem opus erant, comparatis, turreis vineasque agere non desistebat, Quùm post varias in tantâ castrorum propinquitate, pro, & in muris concertationes; opidani, inter cætera, operibus Cæsaris flammas aliquando iniecissent; ventus ex-adverso coortus, incendium ab operibus in proxima opidi ædificia reiecit. Atque ita bonâ urbis parte flammis consumtâ, & prospectu per fumum intercepto, plurimi opidanorum, crebris tum lapidum, tum telorum iactibus periérunt.

Hinc ortâ inter præsidiarios & civeis dissensione; his deditionem fieri postulantibus; illis reclamantibus, & extrema quæque pati obstinatis; Pompeiani, complureis ex civibus in conspectu Cæsarianorum, crudeliter iugulârunt, & è muris præcipitârunt.

Quæ res effecit, ut plurimi quotidie ex opido ad Cæsarem transfugerent. atque adeò MINVTIVS ipse, salutem & incolumitatem sibi per litteras depactus, opidum se CÆSARI tradere paratum, nuntiaret: & posteà opidani generatim, missis legatis, quæ imperarentur, facere similiter paratos; & si vita concedatur, postridie se unà cum opido dedituros, significarent.

Sic, simul ac CÆSAR respondit; *Se CÆSAREM esse, fidemque præstaturum:* postridie a. d. XI. Kal. Martij, At-

tij, Ategua dedita est: & CAESAR, ob rem prosperè gestam, IMPERATOR appellatus.

POMPEIVS, cognitâ opidi deditione, & castris propiùs Vcubim admotis, suis se tutum munitionibus tenebat. Sed CAESAR, castra castris conferens, quùm POMPEIVM in æquum pugnandi locum deducere non posset, levibus subinde prœlijs ita eum lacessebat, ut uno tempore ampliùs CD. & X Pompeianis conciderit.

PRODIGIA ANTE PVGNAM MVNDENSEM

Quùmque plerqque aliæ civitates, exemplo Ateguanorum, per legatos Cæsari se dederent; eiusque passim præsidia reciperent; POMPEIVS veritus, ne si bellum diutiùs traheretur, omnis tandem provincia à se ad Cæsarem deficeret; rei summam prœlio committere constituit. quanrumvis plurima ostenta essent adversa; & haud dubiam alteri partium perniciem portendere crederentur.

Inter quæ, præ cæteris, observatione dignum visum est, quòd Aquilæ in Pompeianarum legionum signis, fulminibus aureis, quibus insistebant, proiectis, montisque alis, a POMPEIO ad CAESAREM avolantes; certum Pompeianis exitium denuntiare videbantur.

Et POMPEIVS quidem, haud procul ab urbe Mundâ, castra posita habebat: & Cæsar, eòdem profectus, civitatibus aliquot ex itinere in potestatem receptis, castra, adversa POMPEIO, constituit. ita ut media inter utrumque exercitum, V. pass. mil. patens, planities, magnam dimicaturis loci æquitatem præbitura intercederet.

COPIARVM VTRIMQVE NVMERVS, ET AVXILIA. ACERRIMVM AD MVNDAM prœlium.

Copiæ POMPEII, præter equitatum, & VI. mill. levis armaturæ, erant XIII. legiones; Auxilia verò alterum tantum efficiebant. Cæsari autem aderant LXXX. cohortes, & IIX. equit. mill.

BOCCHVS quidem POMPEIO filios suos subsidio miserat: BOGVD verò suppetias impersonatus Cæsari advenerat.

Postero die Cæsar, cognito, Pompeianos à tertiâ vigiliâ in acie stetisse; & ipse dimicare paratus, omnes mox copias instructas in mediam planitiem producit; quod & hostem propiùs in æquum processurum speraret.

Cæterùm quùm POMPEIVS, haud longiùs M. passib. à munitionibus urbanis, suos progredi pateretur, usque ad rivum quemdam; qui in extremâ planitie, ad partem castrorum eius, solo palustri & prærupto fluens, difficilem admodùm præbebat accessum; Cæsariani ad rivum usque progressi, perspectâ loci iniquitate, non sine gravi indignatione, coacti substitere.

Sed quùm Pompeiani, animis inde aucti, & Cæsarianos timore impediri rati, illos è loco tuto iam ultrò ad pugnam provocarent; & hi, superatâ tandem ea loci iniquitate, & clamore utrimque sublato concurrere auderet. quùm illi loco superiores essent; & hi rei bellicæ usu longè vincerent; pari utrimque contentione & impetu ad prœlium se comparabant.

Et Cæsariani quidem, hunc potissimùm diem diuturnæ militiæ, & tot annorum laboribus finem impositurum credebant; Pompeiani verò, in solâ victoriâ spem sibi salutis reliquam statuebant. maximè quòd plerique ex his cum AFRANIO & VARRONE, antè in eâdem Hispaniâ superati, vitaque donati; armis resumtis, veniam ab offenso Cæsare ne sperare quidem auderent.

Primo statim congressu, sociorum auxiliorumque copiæ, hinc & inde, terga vertére. At Romanæ acies, ubi cominùs congressæ incaluére, totis in prœlium utrimque viribus incubuére; nemine vel cedente, vel faciem avertente; sed quo quisque loco constiterat, vel vincente, vel cadente.

Ita diu ancipiti Marte, & quasi deliberante fortunâ, in utram potissimùm partem inclinaret, acerrimè pugnatum est.

Tradunt quidam, Cæsarem intereà, & POMPEIVM, in equis, ex loco edito, suorum studia & labores despexisse; interque spem & metum dubios, quò se inclinaret victoria, observâsse: donec suæ uterque partis metuentes; & præsentiam suam non parum ad victoriam momenti allaturam arbitrati; & constituto, vel simul vincere, vel simul occumbere; ex equis desilientes, & in mediam aciem recepti; studia quidem suorum, exemplo excitârunt; sed ad victoriam parùm profuére. quin sicuti pari animorum contentione, ira & æquo Marte, quemadmodum prius prœlium utrimque committeretur. & vel universi simul utrimque casuri, vel nox sola prœlium diremtura videretur.

BOGVD VICTORIÆ, LABIENVS FVGÆ AVCTOR.

Nisi BOGVD, qui cum suis extra aciem stabat, ad capienda POMPEII castra conversus, LABIENVM è medio prœlio, ad castra defendenda, cum V. cohortibus, subitò ex acie excedere compulisset.

Is quùm & à suis, & ab adversarijs fugere crederetur; horum quidem animos, dum se vincere putant, plurimùm erexit; illos verò, dum se vinci credunt, abiectis animis, ad fugam ex aliâ parte tam trepidè capessendam impulit; ut ne intellecto quidem aliquanto-pòst LABIENI instituto, acies restitui potuerint. sed insistentibus eodem tenore Cæsarianis, non priùs fugæ finem fecerint, quàm pars Mundam, pars in castra pervenissent; tuta fugientibus receptacula.

ANCEPS CÆSARIS EO PROELIO FORTVNA.

Hæc aliter ab alijs tradita. CAESAREM ipsum, ante prœlium mæstiorem fuisse, & de successu solicitum. milites eius metu perculsos, & cunctantiùs in aciem progressos: & tam remissè primo statim congressu rem gessisse; ut CAESARI etiam Deos palam obstanti,

ſtanti, ne unius diei & conflictûs ignominiâ, tam inſignes præteritorum annorum victoriæ abolerentur; nunc minis, nunc precibus, apud eoſdem milites, opus fuerit. Et quùm ne ſic quidem multum proficeret; arrepto proximi cuiuſdam ſcuto, Tribuniſque graviter increpitis, inclamâſſe; *Hic mihi vitæ, ô milites; vobis militiæ finis erit.* Eoque dicto, in aciem ante omneis perrumpentem, ut x. tantùm pedes ab hoſte diſtaret; univerſam ſuorum aciem pòſt ſe traxiſſe. tela ad ducenta, in ſe conjecta, partim clypeo excepiſſe; partim corporis flexu declinâſſe.

Alij auctores ſunt; Medio ferè prœlio, ſubitum utrimque extitiſſe ſilentium, quaſi conveniſſent.

Alij; poſt aciem & longam dubiâ fortunâ dimicationem, veteranos etiam Cæſaris, quaſi violentiæ hoſtium impareis, retroceſſiſſe. Atque hinc Cæſarem, furenti ſimilem, primò etiam de morte ſibi conſciſcendâ cogitâſſe; deinde equo relicto, in primam aciem proſiliſſe; ſuoſque cedenteis voce & manu confirmâſſe, ac repuliſſe. addito; *Se veſtigio non receſſurum. viderent* proinde, *quem quo loco Imperatorem desererent, & quem quibus proderent; Senem ſcilicet quinquagenarium, pueris.* Eum in modum aciem verecundia magis, quam virtute militum reſtitutam.

Eaque propter, & poſteà, ad amicos dixiſſe ferunt; *Pro laude & gloria ſæpiùs; tum demum pro ſalute & vitâ decertâſſe.*

Eo prœlio xxx. & eo amplius hominum M. cæſa traduntur; inter quos LABIENVS, & ATIVS VARVS. Equitum item Romanorum III. millia. Captæ, cum XVII. primi nominis ducibus, Aquilæ legionum XIII. præter ſigna & faſceis. E Cæſarianis, præter D. ſaucios, M. tantùm deſiderati.

His, eo prœlio, pro teſſerâ, VENVS, fuit: Illis, PIETAS. Hæc victoria incidit in ſacrum Liberalium diem, qui Romæ agebatur ad XVI. Kal. Aprileis.

Quo loco prœlium commiſſum eſt, ſtatim à victoria Palmam enatam eſſe memorant. Quod oſtentum non tam Cæſari, quàm OCTAVIO, Cæſaris ex ſorore nepoti, qui tum fortè cum avunculo militabat; felicitatem, & fauſtos rerum in poſterum ſucceſſus, portendiſſe putatum eſt.

MVNDA EXPVGNATA; ET RELIQVIÆ EXERCITVS CONFECTÆ.

Ex Pompeianis ij, qui in caſtra confugerant, non ſine magnâ Cæſarianorum clade debellati. Qui verò Mundam ſe receperant; non ita ſtatim in poteſtatem venere.

Quùm namque Cęſar opidum obſideri imperâſſet; cadaveribus mortuorum pro ceſpite aggeſtis; ſcutiſque & pilis ſuperimpoſitis, vallum effectum: capitaque occiſorum, gladijs & mucronibus infixa, ad terrorem obſeſſorum ordine diſpoſita ſunt. Et quùm Cæſariani crebris oppugnationibus parum promoverent; per continenteis poſteà eruptiones, omnibus pænè, qui eò confugerant, paullatim amiſſis, Munda in Cęſaris poteſtatem venit.

FVGA POMPEIORVM.

SEX. verò POMPEIVS, qui Cordubę erat, accepto Mundenſis cladis nuntio, veritus ne Cæſari traderetur; perſuaſis opidanis ſe ad Cęſarem de pace acturum proficiſci; cum c. circiter equitibus egreſſus, in Celtiberiam profugit, ibique diu latitavit.

CNÆVS frater, qui cum equitibus aliquot peditibuſque fugiens, Carteiam verſus, (quæ à Cordubâ milib. paſſ. CLXX. diſtat) ſpe claſſis, quæ ibi in ſtatione erat, potiundæ, iter inſtituerat; quùm æger, neque pedibus, neque equo ulterius commodè progredi poſſet; lectica clanculùm in opidum delatus eſt.

Cæſar quùm plurimos ex Pompeianis Cordubam ſe contuliſſe intelligeret, & SEXTVM ibi etiamnum eſſe crederet; eòdem exercitum ducit: & poſt prœlium in ponte, qui à Pompeianis tenebatur, commiſſum, tranſmiſſo flumine, caſtra ad opidum ponit.

SCAPVLÆ MORS SINGVLARIS.

SCAPVLA totius ſeditionis caput, qui eodem ex prœlio confugerat; urbem defendi poſſe diffidens, lautè cœnatus; nardumque & vinum ſibi infundi iuſſo, ab uno ſervorum ſe iugulari; ab altero in pyram præparatam conijci ſe iuſſit.

CORDVBA MAGNA CVM CÆDE CAPTA, ET DEIN HISPALIS.

Exortâ inde inter opidanos, & fugitivos Pompeianos, diſſenſione, quùm hi muro & maiore parte turrium occupatâ, opidum invitis etiam opidanis, adverſus Cæſarem defendere pergerent; opidani diverſâ parte Cæſarianos intromiſere.

Pompeiani dum opidum incendere parant, tandem ſuperati ad XXII. M. intra urbem contrucidati interiere. Servi opidanorum, quoſomneis SEXTVS manumiſerat, partim venumdati, partim & ipſi interfecti ſunt.

Inde Cæſar Hiſpalim caſtra movet, ubi magnum Pompeianorum erat præſidium. & deprecâtibus ultrò Hiſpalenſium legans, ſuum etiam ipſe præſidium cum CANINIO legato, in opidum mittit. Eâ re indignatus PHILO, POMPEII acerrimus defenſor, clam ex opido egreſſus, & in proximam Luſitaniam profectus eſt. atque inde cum Cæcilio Nigro, & magnâ Luſitanorum manu, rediens, noctuque in opidum receptus, vigiles præſidiumque Cæſaris trucidavit.

Cæſar veritus, ſi per vim opidum capere contenderet, ne Cordubæ exemplo, idem opidum à Pompeianis incenderetur; remiſſiùs agens, & diſſimulans, opidanos cum Luſitanis eruptionem facere permittit.

Sed dum illi navibus, quæ in Bæti flumine erant, incendendis diſtinentur; & ab equitatu quem Cęſar in inſidijs collocârat, circumventi conciduntur; idem opido potitur.

Postillà, pleraque alia opida, quædam vi, quædam voluntate, in Cæsaris potestatem venére.

CARTEIA SE DEDIT. CN. POMPEII CÆDES.

Carteienses, qui Cæsari anteà portas præcluserant; eidem gratificaturi, nuntiant se imperata facturos; &, simul POMPEIVM, quem in potestate haberent, traditurus.

Orto inde inter opidanos, alterutrius partis adsectatores, dissidio, non exigua cædes est consecuta.

Interea POMPEIVS, humero & crure sinistro saucius, occupata XXX. navium, quæ in portu erant, classe, in fugam se cum suis dedit. Quùm quarto die ad terram appulisset, & simul è navi egressus, suos aquandi caussâ in terram exposuisset; C. DIDIVS, qui fugientem à Gadibus, cum classe fuerat consecutus, naveis ipsius partim cepit, partim incendit.

POMPEIVS, iam mari prohibitus, cum paucis in loca mediterranea perfugiens, præter duo vulnera, talo intorto & luxato ad fugam impeditior, lecticâ in turrim, locum quemdam munitum, defertur. Quò postquam cohorteis, ad ipsum persequendum missæ pervenére; ipse defatigatus, inter avias solitudines, quâdam in speluncâ se occultârat. Sed captivorum indicio proditus, à CÆSONIO quodam. (al. CESENNIVS LENTO est) postquam diu & strenuè se defendisset, tandem occisus est.

DIDII EXITVS.

DIDIVS verò, qui se in proximum castellum receperat, naveisque nonnullas, reficiendi caussâ, subduxerat; quùm Lusitani quidam, ex Pompeianâ factione, navibus suis igneis injecerent; castello egressus, & eruptione ad naveis defendendas facta, in Lusitanorum insidias delapsus, & ab ijsdem cum suis cæsus est.

CÆSAR interea ab Hispali Gadeis profectus, ubi celeberrimum HERCVLIS Templum erat; ne à sacris quidem ibi donarijs, ut pecunijs quo iure, quàque iniuriâ conficiundis intentus; abstinuisse fertur.

Perlato Romam, ad XII. Kal. Maias, ipsis scilicet Parilibus, (qui dies natalis Vrbis Romæ) Hispanicæ victoriæ nuntio; in ceteris honoribus, L. dierum supplicatio Cæsari decreta: institutumque posteà, ut quot-annis eodem die Dijs sacrificaretur.

CÆSAR ROMAM REDIT, COS. ET DICTATOR IV.

CÆSAR, totâ iam Hispaniâ subactâ, rebus ibidem constituendis aliquamdiu immoratus, & bellis civilibus planè defunctus; sub mensem Octob. Romam reversus est.

Hinc Æra Hispanica initium duci volunt. Vid. BARON. Martyrol. 22. Octob. *Alij meliùs triennio priùs.* Vid. Petav.

3908. Ab V. C. 709. *Ipse, qui absens, à LEPIDO, suo Magistro equitum, populo eam ad rem convocato; IV. Consul creatus, sine Collegâ, fuerat; eum Consulatum etiam ante-quàm in urbem veniret, servis quidem, & elapsis iam pluribus anni mensibus, mijt. Atque ita reliquo anni tempore respubl. sine Consulibus fuisse censeatur.* 42.

Hoc eodem anno idem IV. Dictaturam, cum M. ANTONIO Magistro equitum, inijsse videatur; quam per plureis insequentis anni menses, usque ad annum expletum, continuârit.

TRIVMPHVS EX HISPANIA.

Romam reversus V. ex Hispaniâ triumphum egit; cuius adparatum ex rasili argento fuisse tradunt. Hic triumphus, qui non tam de extero hoste, quàm de civibus victis, agi videretur; non sine magno populi dolore & invidiâ spectatus est. Post triumphum etiam prandium populo dedit; primò parcius, deinde sumtuosius, Chio & Falerno præbitis.

Q. FABIO MAXIMO, & Q. PEDIO, Legatis, Pro-prætoribus, quos adversus POMPEIVM cum exercitûs parte multo-antè præmiserat; ut tres triumphi de civibus Romanis in Hispaniâ victis, agi viderentur; secundum se triumphandi potestatem concessit. qui ligneis opidorum simulacris risum populo Romano, eâ licet indignitate exulcerato, movisse produntur.

CONSVLES SVFFECTI, SIVE HONORARII.

Peracto iam triumpho Cæsar, Dictaturæ honore contentus, Consulatum deposuit: & Q. FABIVM MAX. & C. TREBONIVM ASPRVM, novo & inusitato anteà exemplo, in reliquos anni menseis sibi suffecit. Hinc deinceps Suffecti sive Honorarij Consules primùm creati cæpti. Quorum vix ulla, nisi memorabile fortè aliquid gessissent; servata memoria: & ij soli, qui Kal. Ianuar. inibant, nomen anno suo dederunt. Reliqui autem magistratus, quos populo permisisse videri volebat, re verâ & ij per ipsum creabantur. Quibus enim favebat, eosdem per libellos aut literas Tribubus commenda-

mendabat, eorumque suffragia quodammodò stipulabatur.

CLEMENTIA IN CÆSARE.

Hic tamen, uti rerum gestarum claritate ac magnitudine omneis facilè ante se principes superavit; ita clementiâ animique moderatione (in summâ etiam felicitate; & pronâ, ad arbitrium de omnibus rebus statuendi, iniuriasque ulciscendi, facultate) cæteris antecellere studuit. Vnde Templum postcà, ipsi & CLEMENTIÆ commune, decretum est; in quo utriusque simulacra dextras iungerent.

IDEM NIMIVS IN PRÆMIIS TRIBVENDIS: MAGISTRATIBVS augendis, &c.

Vt verò ijs, quos suæ dignitatis fautores habuisset; quorumque operâ fideli, bellis superioribus, usus fuisset, gratificaretur; & ceu debitorum à se præmiorum exspectationi satisfaceret; quorumdam magistratuum numerum auxit. Quæstores XL. Prætores XIV. constituit. ut horum numerus numerum provinciarum excederet: & in eas non fortitò, sed extra ordinem, quos ipsi visum erat, mitteret: & interdum loco provinciæ vacuæ pecuniam donaret.

Idem fecit in sacerdotijs. Nam uti priùs collegio XV. Virûm, sacris faciundis, unum; ita & VII. Viris Epulonum, treis adiecit.

Senatorum quoque cœtum ad nongentos usque ampliavit: & quosvis etiam milites, & libertinos, nullo ferè discrimine, dum is numerus expleretur; in Senatum adlegit. & in his plerosque barbaros, peregrinos, & Gallos, civitate paullo-antè à se donatos.

Item & inter Patricios & Consulares, quamplutimos, etiam qui magistratum numquam gessissent, & prorsus indignos, adscripsit. Monetæ quoque & vectigalibus publicis, servos peculiares præposuit.

Multis, quibus honores impertiri non posset, numeratâ pecuniæ summâ satisfecit: divenditis etiam sub hastâ, locis quibusdam publicis & sacris. Quosdam etiam gravissimorum criminum reos, & convictos absolvit.

Sed hæc ferè, omnia viris bonis & cordatis, minùs grata, varijs de CÆSARE sermonibus; & libellis, sine auctore, in publicum spargendis, occasionem dedêre.

HONORES CÆSARI DELATI.

Postquam autem in Senatu CICERO de primarijs quidem honoribus, qui tamen intra humanæ conditionis terminos consisterent, CÆSARI deferendis, rogationem tulisset; quamquam CASSIVS, & pauci aliquot ei iniquiores, fiduciâ clementiæ ipsius, liberiùs refragarentur; à reliquo tamen universo Senatu, maximi & eâtenùs inusitati, decreti sunt. Hi potissimùm.

1. *Consulatus continuus in decennium.*

2. *Dictatura & Censura, etiam sine collegâ, perpetua.*

3. *Tum ut Imperatoris prænomine uteretur.*

4. *PARENS etiam patriæ & Liberator diceretur, & eo nomine in Fastos referretur.*

5. *Ædes Libertatis, tamquam libertate per ipsum reipublicæ restitutâ; publicè exstrueretur.*

6. *Veste triumphali, in ludis & sacrificijs, & quandocumque vellet, etiam intra urbem, uteretur.*

7. *Lauream semper gestaret: fasces & lictores semper laureatos haberet.*

8. *Sellâ curuli & eburneâ semper sederet.*

9. *Si quis ei filius nasceretur, is summus Pontifex esset.*

10. *Summum in milites & exercitus pop. Rom. imperium haberet.*

11. *Dies maximè insignium victoriarum ipsius, quotannis festi haberentur, & solennibus sacrificijs celebrarentur.*

12. *Pecunia ipsius nomine & imagine signaretur.*

13. *A ferijs Latinis, ex monte Albano ovans urbem ingredi liceret.*

14. *Templum novæ CONCORDIÆ erigeretur; in quo dies festus quot-annis celebraretur; ob mutuam inter cives pacem, & concordiam, confectis bellis civilibus, per eum resp. restitutam.*

Hæc, aliaque ampliora, ei ex S. C. decreta, & in tabulis perscripta, Consules & Prætores, subsequente universo Senatu, ad ipsum, pro Æde VENERIS GENETRICIS sedentem, (al. pro Rostris ius dicentem) detulêre.

ARROGANTIA ODIOSA.

Sed quòd ille, dextrâ licet perhumaniter præbitâ, nec accedentibus, nec coram se stantibus adsurrexisset; ea in homine arrogantia, pro insigni in Senatum contumeliâ, non modò à Senatoribus, sed ab universâ etiam plebe iniquissimis animis accepta; primam invidiæ, sive sinistræ, de affectatâ dominatione, suspicioni caussam præbuit.

Tradunt quidam CÆSAREM, perspectâ patrum populique indignatione, detractâ domi per desperationem à collo veste, ad familiares exclamâsse: *Se cuicumque volenti iugulum feriendum prabere.*

Alij id factum aliter excusant: vel præ subitâ capitis vertigine, quo minùs adsurgeret; vel alvi profluvio, & deiectionis metu, prohibitum.

Alij, dum is adsurgere conaretur; à CORNELIO BALBO, qui tum forte adstabat, his verbis increpitum: *Non te CÆSAREM esse meministi!*

Hæc eius anni exitu gesta sunt, quo CÆSAR alijs Consulibus, in locum suum suffectis, quartùm, ut dixi, Dictaturam inierat. Quo etiam anno, quia ante CÆSARIS ex Hispaniâ reditum nullus Quæstor creatus fuerat; Ærarij administratio penes II. Ædileis fuit. E quibus alter, sumtibus CÆSARIS, ludos Apollinareis fecit; quum Megalenses ex S.C. ab Ædilibus pleb. celebrati fuissent.

3938. Ab V. C. 710. | *Consules in hunc annum* CÆSAR *seipse, & M.* ANTONIVM, | *iis n suum Mag. equitum, designavit.* | 42.

M. autem LEPIDVM, qui per id tempus Hispaniam, sed per amicos, administrabat; io locum M. ANTONII Consulis, ipse iam v. Dictator, Magistrum equitum sibi allevit.

RIDICVLVS CANINII CONSVLATVS.

Extremo autem anni die, quùm Q. FABIVS, alter Consul, repentinâ morte sublatus esset; C. CANINIVS REBILVS, CÆSARIS, bellis superioribus, legatus, in campo Martio (Comitijs Quæstorijs pro tempore institutis.) horâ septimâ, & quidem petens Consul est renuntiatus; qui usque ad Kal. Ianuar. esset, quæ essent futuræ manè postridie.

Eo Consule nemo prandit, ipse mirificè vigilans; qui toto suo Consulatu somnum non viderit.

Vno die Consul, Rostra quùm adscendisset, honorem pariter Consulatûs inijt, & eieravit. *Consul dialis.* (Hi CICERONIS ioci.)

NOVI MAGISTRATVS INSTITVTI.

Anno insequenti, CÆSAR XVI. Prætores constituit. Inter quos P. VENTIDIVS, postea de Parthis triumphavit. M. item BRVTVS & C. CASSIVS; hic peregrinus, ille urbanus.

Sex item Ædileis creati; duobus à CÆSARE additis, qui Ceriales dicti. & hi patricij, quùm reliqui IV. plebeij essent.

TRIBVNAL, ET STATVÆ, LEGES.

Tribunal suum, quod eatenus in medio foro fuerat; in Rostra transferri iussit. Iuxta quod, statuas SYLLÆ & POMPEII, quas populus ad Pharsalicæ cladis nuntium deiecerat, restitui iussit, operis inscriptione & laude ANTONIO concessâ.

Eodem loco duæ & ipsi statuæ S. C. decretæ, vario habitu sunt constitutæ: Vna cum Quercea, seu civicâ coronâ, *ob civeis, scilicet, servatos:* Altera, cum obsidionali; *quasi Vrbem obsidione liberâsset.*

Leges multas & salubreis promulgavit. Ius civile ad certum modum, sive methodum redigere; & ex immensâ legum silvâ, optima quæque & necessaria delibare & in paucos conferre libros, constituetar.

CARTHAGO ET CORINTHVS RESTITVTÆ, COLONIÆ ALIÆQVE PLVRES.

Inter ceteras urbeis, quas tam in Italiâ, quàm extra, partim novas condidit, partim instauravit; Carthaginem & Corinthum, in eum usque diem desertas, missis eò tum civibus libertini generis, tum pluribus è militibus suis; colonias populi Romani constituit; & pristinis nominibus restitutas, novis operibus exornavit.

Id populus Romanus, tempore Gracchanæ seditionis, de Carthagine efficere erat conatus, missis eò propter inopiam VI. civium millibus: sed quùm Lupi fuleum murorum coloniæ, aratro in solo dirutæ urbis ductum, confudissent; ostento territi destitére.

Iliensis, quos anteà SVLLA plurimis beneficijs adfecerat, ipse propter necessitudinem, & cognationis vinculum, per IVLVM; agris, libertate & immunitate donavit.

Coloniæ intra Italiam deductæ; Hispella, Lanuvium, Calatia, Veij, & Casilinum. Extra Italiam; Pola in Istriâ, quæ postea PIETAS IVLIA dicta; & in Galliâ, FORVM IVLII; in Syriâ Beirytus. Deductis præterea, ut quidam collegére; in transmarinas colonias ampliùs LXXX. civium millib.

CONATVS CÆSARIS, ET EXPEDITIONES ANIMO PRÆSVMTÆ.

Ipse maior se fieri cupiens, vix ullâ amplificandæ gloriæ materiâ reliquâ, expeditionem adversus Dacos & Getas, qui in Pontum & Thraciam irrupisse dicebantur; iam facere constituerat. Inde per Armeniam adversus Parthos, quasi CRASSVM, & amissas cum eo legiones aquilasque ulturus; exercitum ducere. Ab his per Hyrcaniam, iuxta mare Caspium, in Scythas proficisci, eosque ultrò bello lacessere.

Et converso ab ijs ex Asiâ in Europam itinere, per Sarmatiam in Germaniam transire: Inde per Galliam, facto quodam gyro, in Italiam reverti.

(*Paria quædam immoderati animi tentamenta, scriptores Græcia,* ALEXANDRO MAGNO *adfinxisse censeantur, post res in Oriente, victo iam* DARIO, *constitutas.*)

Ne tamen nihil Senatui deferre videretur; non modò bellum Parthicum, sed alia pleraque, quæ animo & cogitatione præsumserat; tamquam provinciam, sibi à Senatu decerni voluit. Vt, *Pontinas paludes, emisso lacu Fucino, & iniecto aggere, complanare; & campos uliginosos ad culturam reducere: Isthmum Corinthiacum perfodere,* &c.

Quæ omnia, medio expeditionis & belli Parthici tempore, per alios quidem perficere cogitabat. præmisso interim ad bellum Parthicum, trans Hadriaticum Sinum, C. OCTAVIO, suo ex sorore nepote, cum X. equit. millib. & XVI. legionibus.

Sunt auctores; bellum Parthicum ab eo valetudinis potissimùm caussâ susceptum; quòd repentinis animi deliquijs, & comitiali morbo, maximè in otio, infestaretur.

MAGISTRATVS DESIGNATI IN ANNOS CONSEQVENTEIS

Ceterùm, quùm ad eam expeditionem unius anni

spatium

ſpatium minimè ſuffectūrum intelligeret; ne tranſlatâ in ſe omnium comitiorum poteſtate atque arbitrio, magiſtratuum ſe abſente in urbe eſſet ſolitudo: aut ne, uti priùs, ſi à populo magiſtratus crearentur, res ad contentiones & motus inteſtinos rediret; magiſtratus omneis in annum ſequentem deſignavit.

In his; Conſules, C. VIBIVM PANSAM, & A. HIRTIVM.

In annum ſecundum, præter Conſules D. ALBINVM BRVTVM, (al. ÆMILIVM LEPIDVM II. qui BRVTO ſuffectus) & L. MVNATIVM PLANCVM; Tribunos plebis dumtaxat conſtituit.

E provincijs, Galliam Narbonenſem, cum Hiſpaniâ, LEPIDO attribuit: & in eius locum C. OCTAVIVM Nepotem, eo anno Magiſtrum equitum ſuffecit: & in conſequentem annum, CN. DOMITIVM CALVINVM.

P. quoque DOLABELLAM, vix dum XX. annos natum, & legibus à petendâ eâ dignitate prohibitum; ſibi in Conſulatu ſubrogavit: ut poſtquam ipſe paludatus ex urbe exiſſet, iniret; Conſulatumque illius anni cum M. ANTONIO gereret.

AMBITIOSA SENATVS DECRETA.

Senatus CÆSARIS ambitioni, velificari & blandiri iam inſuetus, nonnullis ægrè id ferentibus, longè ampliores honores decrevit. 1. *Vt deinceps ipſe ſacroſanctus, hoc eſt, inviolabilis eſſet: ſive, Si quis ipſum vel dicto, vel facto læſiſſet, is ſacrilegio & piaculo ſe obſtrinxiſſe cenſeretur.* 2. *Vt ſingulis Senatûs decretis, Tribunorum plebis inſtar, intercedendi poteſtatem haberet.* 3. *Vt eius acta omnia, rata & firma eſſe iuberentur. & magiſtratus inituri iurarent; ſe decretis ipſius nequaquam refragaturos.* 4 *Vt ſatellitio, ex Senatoribus & Equitibus, ad corporis cuſtodiam uteretur.* 5. *Tribus una, mutato nomine, ab eo IVLIA deinceps vocaretur: & menſis Quinctilis, qui ei ad IV. Idus, erat natalis; IVLIVS diceretur.* 6. *Vt ſingulis luſtris (al. quot-annis) per Veſtales & ſacerdotes publicè pro ſalute eius vota fierent. & iuſiurandum per Fortunam ipſius conciperetur.* 7. *Vt ſella eius aurea, cum coronâ aureâ, gemmis fulgentibus radiata, in Theatrâ & Circum à multitudine inferretur. qui honor ſolis Dijs tribui ſolebat.* 8. *Vt certamina quinquennalia ipſi, tamquam Heroi, conſecrarentur.* 9. *Vt imago ipſius cum titulo DEI INVICTI in Templo Quirini poneretur: & IOVIS cognomentum ipſi imponeretur. & Flaminem, quaſi Dialem, peculiarem, cum Aris & pulvinaribus, haberet: eique ſacerdotio M. ANTONIVS primus præeſſet.*

Et hæc tam abſurda decreta, aureis litteris, in argenteis tabulis, perſcripta, Senatus ſub pedibus IOVIS CAPITOLINI deponi curavit. Quæ ille, præ Satellitium & pauca, lubentiſſimè admiſit. ſolis enim contentus lictoribus, Prætorias etiam cohortes à ſui cuſtodiâ removit.

HIRCIO autem & PANSA, inter cetera monentibus; ut principatum armis quæſitum, armis & ſatellitibus tueretur; negavit ſe facturum; *Malle ſemel mori, quàm perpetuâ formidine cruciari.*

Et quamquam hæc omnia, longè ſupra mortalitatem, divinæ maieſtati, quàm regio propiora faſtigio, ei à Senatu tributa eſſent;

REGII NOMINIS ADFECTATIO.

Neque tamen tam inimici eius, quàm amici ceſſârunt; quò minus utrique operam darent; ut *ſupremo, Regis inſuper nomine honeſtaretur.*

Illi quidem; ut maiore invidiâ illum apud populum onerarent, & in tyrannidis ſuſpicionem adducerent: Hi verò; ut regium nomen, ceteris eius amplitudini & poteſtati, ceu colophonem, adderent.

Et quamquam aliàs CÆSAR, id nomen tamquam infauſtum, auerſatus, eos, qui ita cenſuiſſent, ab eiuſmodi conatu in poſterum ſuperſedere iuſſiſſet; quòd tamen id non tam ex animo, quàm metu indignationis publicæ, recuſare videretur; non deſtitêre, quin id nomen, & adfectatæ dominationis ſuſpicionem, in vulgus ſpargerent.

Sed huic rei alius acceſſit rumor; *Libris ſcilicet, Sibyllinis contineri, Parthos non niſi regis ductu & auſpicijs, Romanorum imperio ſubijci poſſe. alioqui invictos fore.*

Et quùm quidam, ex eo adulatorum numero, lauream albâ faſciâ prælìgatam, pro diademate, ſtatuæ eius, quæ pro Roſtris ſtabat, clam impoſuiſſent; & duo Tribb. pl. detractâ coronæ faſciâ, eum, qui impoſuerat, deprehenſum abreptumque in vincula duci iuſſiſſent; collaudatâ apud plebem Cæſaris modeſtiâ; Ipſe, licet id Tribunorum factum haud ſatis æquo animo ferret; dolorem tamen animi in præſens diſſimulavit.

Quùm verò paullo-pòſt ex Albano monte, à Latinarum ſacrificijs, ovans urbem ingrederetur; & rex à quibuſdam, iiſque paucis & ſubornatis, ſalutatus eſſet; ubi eam ad vocem, ſequutum totius ferè populi gemitum ſenſit; quaſi in nomine erratum eſſet; *CÆSAREM* ſe, *non regem vocari*, argutè reſpondit. Factoque mox universè cunctorum ſilentio, mæſtior ſolito prætervectus eſt.

Sed quùm hic iterùm C. EPIDIVS MARVLLVS, & L. CÆSETIVS FLAVVS. Tribb. pl. primos iſtius ſalutationis auctores ad cauſſam dicendam, per apparitores, ad tribunal ſuum pertrahi iuſſiſſent; & univerſa multitudo adplaudens BRVTOS, eo nomine & tacto, illos ſubinde appellaret; CÆSAR graviter indignatus vix ſe continuit, quin acerbius aliquid in eos ſtatueret. Dilatâ tamen ultione, Tribunos & populum ſeveriùs increpuit: & ipſos vicißim, *homines brutos & turbulentos*, appellavit.

Verùm poſtquam iidem Tribuni rogationem promulgâſſent; *Non licere ſibi tutò ac libere de rep. loqui, aut agere*; haud ultrà ſibi temperavit, quin apud Senatum conquereretur; *Se à Tribunis dolo malo apud populum in invidiam adfectatæ tyrannidis vocari:* Eoſque in iudicium citatos accuſavit, ſententiamque de eorum pœnâ rogavit.

Et quùm non deeſſent; qui ipſos vel capite plectendos cenſerent; ipſe vitæ eorum parcens, operâ HELVII CINNÆ, collegæ ipſorum, magiſtratu privatos, Senatu movit. *Tribunitiam poteſtatem, hactenus ſacroſanctam, violare potiùs auſus, quàm in eos animadvertere, qui non ſine crimine eum regem nominaſſent.*

Quùmque hic amici itèrum monerent; ut ex Hispanicis cohortibus corporis sui stipatores adsciscere; negavit se facturum; *Nihil esse enim miserius perpetuâ custodiâ. Inimicis maiorem invidiæ materiam præberi non oportere; qui vel iam ansam nocendi nactos se arbitrarentur.*

ADVLATORIVM ANTONII COS. FACINVS.

At quùm Lupercalibus idem, aureâ coronâ, triumphalique veste exornatus, & in aureâ sellâ sedens, pro Rostris ludos spectaret; M. ANTONIVS, ipsius in Consulatu Collega, qui & ipse inter Lupercos nudus unctusque discurrebat; conscensis rostris, supplex genibus eius advolutus; CÆSAREM, Regem salutavit: & diademate capiti eius imposito surgens; *Hoc*, inquit, *pop. Rom. tibi per me exhibet.*

Hîc postquam paucorum, qui in id subornati erant, minimè illustris adplausus; & manifestus plurimorum bonorum gemitus, (inter quos M. LEPIDVS, aversâ facie, nec à lacrymis abstinuisse perhibetur) subsequutus esset; CÆSAR diadema ita reiecit, ut tantâ ANTONII audaciâ minimè offensus videretur. Id Cæsaris factum, sequutus statim totius populi adplausus. Atque iterùm ANTONIO imponente, pauci uti priùs adplausêre: Cæsare denuò repudiante; universi.

Id quùm iterùm atque iterùm ab utroque fieret; populus interim tacitus, quò res tandem evaderet, spectabat. Donec Cæsar, cedente ANTONIO, diadema in Capitolium deferri iussit. addito; *Solum IOVEM Romanorum regem esse.* Quo viso; universus populus cum gaudio acclamavit, omniaque ipsi fausta comprecatus est.

Ille nihilo minus in acta publica referri voluit: *Regnum sibi per Consulem à populo delatum non accepisse.*

Sed quùm ne sic quidem adfectati regij nominis infamiam à se amoliri posset: & nullam esse ampliùs rempublicam; sed nudum sine corpore & specie nomen esse, palam pronuntiaret; totiusque ferè multitudinis animos alijs factis dictisque, Tyranno adfinibus, à se alienâsset; omnes statim conversis in M. BRVTVM, Prætorem urbanum, oculis atque animis, eum quasi vindicem publicæ libertatis expetebant.

M. BRVTVS VINDEX PVBLICÆ LIBERTATIS DESIGNATVR.

Hic BRVTI illius, qui Sullanâ Seditione est interfectus, filius; & à Q. SERVILIO CÆPIONE, avo materno, adoptatus, Q. CÆPIO BRVTVS dicebatur; à primo illo BRVTO, qui pulsis Tarquinijs, regibus, consul creatus fuerat, paternum genus ducere credebatur: & quasi ex gentilitio munere, *ad remp. in libertatem, ex regiâ CÆSARIS dominatione, adserendam*, clam litteris, convicijs, publicis inscriptionibus, instigabatur.

Et Cæsaris statuæ hi versiculi subscripti legebantur.

BRVTVS quia reges eiecit, Consul primus factus est:
Hic, quia Consules eiecit, rex postremò factus est.

BRVTVS itaque, his rebus incitatus, tum quòd M. CATONIS, qui Vticę sibi manus intulerat, ex SERVILIA sorore nepos; & ductâ in uxorem PORCIA, etiam gener esset; quamquam non tam dominantem, à quo honores & beneficia, atque adeò vitam acceperat, odisset; quàm dominationem ipsam graviter ferret; ad insidias Cæsari parandas animum convertit. solâ diu PORCIA uxore propositi eius conscia.

C. CASSIVS SOCIVM FACINORIS SE BRVTO ADIVNGIT; ALIOSQVE solicitat.

Aliâ ex parte C. CASSIVS, BRVTI in Præturâ collega, qui IVNIAM eius sororem in matrimonio habebat: quique prȩter insitum à puero tyrannidis odium, privatas etiam cum Cæsare simultatum caussas habebat; amicorum animos contra Cæsarem assiduè solicitabat.

Sed ij, qui id factum non tam manuum, quàm maturi consilij & auctoritatis esse scirent; ita demùm operam suam CASSIO polliciti sunt; si BRVTVS, qui dignitate reliquos facilè anteibat; isti facto ducem se præberet.

CASSIVS itaque, licet BRVTO, ob contentionem de Præturâ urbanâ, offensus esset; prior ipse ad eum iam reconciliatum se contulit.

Et præcrebuerat constans tum fortè fama; L. COTTAM XV. Virum, proximo Senatu, ex libris Sibyllinis, relaturum; ut *CÆSAR belli Parthici caussâ rex diceretur*: quòd aliter Parthi à Romanis subiugari non possent.

Quæ res vel in primis Cæsari cædem maturavit. quùm metuerent adversarij; ne si à frequenti Senatu in eam sententiam itum esset; & ipsi adsentiri cogerentur.

Interrogante igitur BRVTVM CASSIO; *Num Idib. Martijs* (in quem diem Senatus indictus erat) *in Curiam venturus esset?* negavit BRVTVS se iturum. Tum CASSIVS: *Quid si*, inquit, *vocemur, ut Prætores!* Tum meæ erunt partes, respondit BRVTVS; *vel ad mortem usque pro reip. libertate contendere.*

CASSIVS hominem complexus, ulteriùs quærit: *Num quos ex optimatibus in tam pulcri facinoris societatem admissurus esset!* quando plurimi essent, qui idem suo cum animo agitarent. quique, uti à cȩteris Prȩtoribus venationes, munera, aut alia spectacula; ita ab ipso, Tyrannidis eversionem, tamquam maioribus suis debitam, exspectarent.

CONIVRATIO IN CÆSAREM; DIES ET LOCVS CONSTITVTI.

Ita quæ dudum singuli in animo habuerant, tum demum tentatis antè amicorum voluntatibus, inter se patefacere & communicare; & in unum omnes consilia conferre cæpérunt.

Inter cæteros, ex intimis & familiaribus Cæsaris, D. BRVTVM ALBINVM, Cos. designatum sibi adiungunt. Hi principes fuere coniurationis. qui & alios aliquot,

aliquot, ut fidos, ita manu promtos, in partem facinoris vocârunt. ut LX. ampliùs eum Equites, tum Senatores, conspiràsse dicerentur; nullo tamen sacramento aut religione inter se adstricti.

Ex iis præcipui, CN. DOMITIVS, SER. GALBA, P. SERVILIVS CASCA, L. TVLLIVS CIMBER, PONTIVS AQVILA, Q. LIGARIVS, RVBRIVS rex, SEXTIVS MASO.

Quùmque CÆSARE propediem in Parthos profecturo, temporis brevitas urgêret; Diem quidem cædi, ipsas Idus Mart. ante quam Senatus sententiam, de Rege ipso nominando, rogaretur. Locum autem, Curiam Pompeianam, in qua tum Senatus habendus esset; constitui placuit.

Ferunt, quùm quidam ANTONIVM & DOLABELLAM apud CÆSAREM criminarentur, tamquam rebus novis studerent; *Minimè sibi ab obesis illis ac comatis metuendum*, respondisse; *sed à pallidis potiùs illis & macilentis*; BRVTVM & CASSIVM designando.

PRODIGIA ET PRÆSAGIA CÆDEM ANTEGRESSA.

Cædem eius compluria denuntiâsse perhibentur cùm prodigia, tum præsagia.

Pridie quàm cæsus est, Regulum avem, qui cum ramo laureo in Curiam Pompeianam volatu se receperat, aliæ diversi generis aves, ex proximo nemore insecutæ, in eâdem Curiâ discerpsêre.

VXOR CALPVRNIA, quam arto somno oppressam CÆSAR offenderat voces obscuras & suspiria intermistas edere, & quasi lamentari; sub diluculum excitata, narrâsse traditur: Visum sibi per quietem domûs fastigium collabi; & ipsum maritum plurimis confossum vulneribus, in sinu suo iacentem lugere. Rogavit itaque, ut eo die, publico abstineret; & Senatum differret.

Et quùm pluribus hostiis, ad menteis Deorum exquirendas immolatis, vates renuntiaret, non litari; neque aves ipsæ addicerent; Curiâ abstinere, & Senatui, per ANTONIVM, missionem dare, constituerat.

BRVTVS verò & CASSIVS, Pretores, quùm eo mâne in porticu, ant. theatrum POMPEII, magnâ animorum tranquillitate ius petentibus redderent; & Cæsarem, propter adversa sacra, eo die in Curiam non venturum intelligerent; veriti, ne *dilato negotio insidiæ patefierent*:

D. BRVTI SVBORNATIO AD CÆSAREM INDVCENDVM.

D. BRVTVM subornant, qui ipsum quoquo modo in Curiam adduceret: & expromta diceret omnium ferè Senatorum suffragia; quibus *ipse cunctarum, præter Italiam, gentium rex diceretur*.

Si eum diem rebus gerendis minùs idoneum iudicaret, vel alio nomine suspectum haberet; ipse saltim in Curiam procederet: & appellatis patribus, Senatum iam opperientem, in aliud tempus dimitteret.

His ille dictis, simul Cæsarem manu apprehensum foràs deduxit. Et is sub horam diei quintam, simulato morbo, lecticâ in Curiam se deferri iubet, Senatum quamprimùm dimissurus.

Multis de coniuratione, & cæde suâ, indiciis in itinere neglectis; & quùm in Curiâ ipsâ, ex more, sacris operatus, nullis victimis litare potuisset; contemto cum religione, quod exsta prædicebant, periculo; inimicisque amicorum specie urguentibus, ne Senatum diutiùs remoraretur; in Curiam ingressus est.

ANTONIVM Collegam eius, comitemque, C. TREBONIVS, uti inter coniuratos convenerat; quæsitâ colloquii occasione, extra Curiam detinebat.

CÆSARIS CÆDES.

CÆSARI verò iam ingresso universus Sunatus honorificè adsurrexit. Et postquam in sellâ consedisset, coniurati, qui breveis sub veste gladios occultârant, frequenteis undique sellam ipsius, alii officii caussâ; alii aliquid ab ipso petituri; circumstêrunt: & propiùs accedentes, importuniusque complexi, quàm vellet & ferret; signo cædis à TVLLIO CIMBRO dato, & CASCA iugulum petente; alii mox strictis undique gladiis adgressi sunt.

Quod ut ille animadvertit, dexirâ togam in caput adducens; sinistrâque sinum ad ima crura deducens; & ad Basim statuæ POMPEII, quæ in Curiâ erat, prolapsus, XXIII. se vulneribus confodiendum præbuit; statuamque eamdem suo sanguine respersit.

Paucis mensibus antè quàm CÆSAR trucidaretur, CÆCILIVS BASSVS, unus ex Pompeianis, SEX. CÆSAREM Præsidem Syriæ occiderat. Eo facto, reliqui Cæsariani Basso se opponunt, & pœnas de eo sumere contendunt. quibus ANTIPATER sua auxilia misit, Bellum id circa Apameiam gestum est; donec M. SEXTI successor adveniret, anno ineunte.

INTERREGNVM.

Senatores, Cæsare ita prostrato, dum sibi quisque metuit, certatim quò poterant, è Curiâ diffugiunt; nonnullis etiam præ turbâ elisis. Et totâ passim urbe ita trepidatum est, ut foribus clausis, & relictis tabernis atque officinis, veluti amentes, hàc illàc discurrerent.

CÆSAR solus in Curiâ relictus, à tribus servulis, qui & ipsi remanserât, lecticæ impositus; & dependente brachio, domum relatus est. Quo minus interfecti corpus in Tiberim proiiceretur, ANTONII & LEPIDI metus obstitit.

ANTONIVS interim, qui & se cum Cæsare neci destinatum haud vanè credebat; proiectâ veste Consulari, fugiens habitu plebeio, in latebras sese abdiderat.

CONIVRATI CAPITOLIVM OCCVPANT.

Percussores duce BRVTO è Curiâ egressi, spe ac fiduciâ gestientes, in forum processêre: populoque ad liber-

ad libertatem convocato, multisque optimatium congratulantibus; Capitolium, quò tamquam Deos comprecaturi adscenderant; occupavère. quod neque à plebe, neque à veteranis Cæsaris militibus, neque à LEPIDO, Prætorianæ cohortis præfecto, satis tuti sibi fiderent.

Eòdem tamen & alij ex primarijs aliquot, nec conscij facinoris, nec socij, sed eiusdem cum cæteris laudis æmuli, arreptis gladijs, se contulére. In his LENTVLVS SPINTHER; C. OCTAVIVS, & alij. Et multi è populo, recepta inde fiduciâ, quòd nulla præterea cędes subsecuta esset; ad percussores eòdem adscenderunt. Quos BRVTVS partim blandis, & rei præsenti accommodatis verbis; partim largitione demulcens, haud mediocrem mercenariorum manum contraxit.

CINNÆ PRÆTORIS INGRATITVDO, ET DOLABELLÆ PROCACITAS.

Et quùm illi pacem percussoribus à magistratibus exposcerent; primus CINNA, adfinis Cæsari, & Prætor ab eo factus, reliquos audaciâ superans, proiectis magistratus insignibus, tamquam à Tyranno datis, Cæsarem ipsum, ut tyrannum, convicijs insectatus est; & percussores ut tyrannicidas collaudavit: eosque ad præmia rei gestæ capienda è Capitolio descendere iussit.

P. DOLABELLA, deinde, quem Cæsar sibi in reliquam anni partem, in Consulatu substituerat; vacantem eiusdem cæde magistratum invadens, sumtisque Consulatûs insignibus progressus; pari cum CINNA, in Cæsarem, dignitatis suę auctorem, oratione invectus; addito; *Vt is dies interfecti tyranni, Natalis Vrbis deinceps haberetur.* Et ipse multis comitantibus, in Capitolium adscendit, & percussores, ut inde descenderent, cohortatus est.

Qui quùm descendissent; neque satis multitudini, quæ frequens convenerat, adhuc confiderent; in Capitolium reversi, ijs, qui facinoris conscij non fuissent, amicè dimissis; ibidem, ceu suis munitionibus, per noctem, à cæde proximam, non sine obsidionis metu, se continuère.

LEPIDI ET ANTONII PRO CÆSARE CONTRA PERCVSSORES STVDIA.

Interea M. LEPIDVS, uti Mag. equitum, in castris Prætorijs extra urbem erat. Re autem cognitâ, cum militibus sub noctem ingressus forum occupavit, in percussores pro concione acerbissimè invectus.

Eius in urbem adventu confirmatior ANTONIVS, & ipse è latebris prodit. Primò, & aliquamdiu, inter ipsos dubitatum est; *An Capitolium cum parricidis incenderent.* Tamen tum propter amicos percussorum, & consanguineos, qui ab ijs missi legati intercedebant; tum propter Senatûs in eosdem studia; sed vel in primis metu D. BRVTI, qui Galliam Cisalpinam cum valido exercitu tenebat; dissimulato in præsens vindictæ proposito; ANTONIVS tem Senatui se permissurum respondit. & nocte insecutâ commentarios actorum Cæsaris, & pecuniam, ad IV. talentûm millia, in ædeis suas, CALPVRNIA adsentiente, transferendam curavit: Et Senatum in diem proximum, ante lucem, in Ædem TELLVRIS, domui suæ proximam, convocavit.

CINNA Prætor, dum eò, primo diluculo, veste, quam proiecerat, resumtâ, properat; à multitudine agnitus, iactisque in eum lapidibus, in domum quamdam compulsus; aggestis eò lignis, quo minus unà cum domo deflagraret; interventu ANTONII servatus est.

Cæterùm postquam Senatus iam convenisset; ANTONIVSQVE tam de summâ reip. quàm de percussorum caussâ, egisset; & alijs aliter, prout quisque adfectus erat, consentientibus;

LEX AMNESTIÆ, AVCTORE CICERONE. ET PVBLICA RECONCILIATIO.

CICERO (quem coniurati patrato facinore inclamârant; & in communis cæpti suspicionē vocârant) in'cæteris, gravi oratione, auctor fuit Senatui; *Vt veteri Atheniensium instituto, Amnestia decerneretur: utq; omnis discordiarum, & cædis factæ memoria perpetua oblivione deleretur. atque a civibus, depositis mutuis odijs & contentionibus, in gratiam hinc inde rediretur.*

Additum est; *Vt leges CÆSARIS, aliaq; eius acta & decreta, quæcumque vel ad honores & Magistratus, vel ad militum præmia commodaq; pertinerent; decreto Senatûs rata esse iuberentur.*

In eam CICERONIS sententiam, reliquis adsentientibus, factum S.C.

Item decretum, ita postulante L. PISONE, socero Cæsaris; *Vt testamentum eius publicè recitaretur; utq; corpus publico funere efferretur.*

Percussores interim, habitâ è Capitolio ad milites oratione, se nulla Cæsaris acta, quæ maximè ad præmia ipsorum & commoda pertinerent, abrogaturos, polliciti fuerant: & litteras ad eos, qui in foro erant, in eam sententiam miserant.

M. ANTONII INDVSTRIA IN PROCVRANDA RECONCILIATIONE.

Sic res à maximo tumultu statim ad pacificationem conversa est; auctore potissimùm ANTONIO. qui & DOLABELLAM, quem antea statuerat ad Consulatum minimè admittere; depositis simultatibus, sibi Collegam adsumsit.

Et LEPIDO, quem sciebat fiduciâ exercitûs, animum ad res novas adiecisse; ne solus ferè omnibus alijs refragari pergeret, persuasit.

Sic tandem missis in Capitolium, loco obsidum, ANTONII LEPIDIQVE liberis, percussores è Capitolio descendêre. eodemque die BRVTVS apud LEPIDVM, propinquum suum; & CASSIVS apud ANTONIVM cœnati sunt.

Postridie frequenti Senatu, ANTONIVS, ex sententiâ SER. SVLPITII, decrevit; *Ne qua tabula ullius beneficij, aut decreti CÆSARIS, post Id. Mart. figeretur.*

BRVTVS ibi maximis laudum præconijs ornatus est: &

est: & percussoribus provinciæ, iam antè à Cæsare decretæ, S. Consulto confirmatæ sunt: D. BRVTO scilicet Gallia Cisalpina, cum III. legionibus: TREBONIO Asia: CIMBRO Bithynia.

Nam M. BRVTVM & CASSIVM; id temporis Prætores Cæsar in annum consequentem hunc Syriæ, illum Macedoniæ Pro-prætoribus præesse iusserat. ita omnia deinceps pacata tranquillaque, in repub. tamquam libertate restitutâ, sperabantur.

TESTAMENTVM CÆSARIS. NOVA POPVLI CONSTERNATIO. FVNVS eiusdem.

Sed testamento CÆSARIS (quod ipse Idib. Septemb. proximis, in Lavicano suo fecerat; & Virgini Vestali maximæ custodiendum tradiderat) aperto, & recitato. & palam cognito heredes ab eo institutos, tres ipsius ex sorore nepotes, C. OCTAVIVM ex dodrante; L. PINARIVM, & Q. PEDIVM ex quadrante: reliquos in ima cerâ. Et ex iis OCTAVIVM, (ex ATTIA, sororis suæ IVLIÆ filiâ, nepotem) in nomen familiaeque IVLIAM, atque adeò in filium adoptatum. DEC. BRVTVM etiam inter secundos heredes scriptum; & plerosque ex percussoribus, inter tutores filii, si quis ei nasceretur; nominatos. populo autem hortos circa Tiberim, publicè; & virium, centenos vicenos sestertios ab eo esse legatos; Hinc maxima statim civium, mistâ indignatione, commiseratio; tum propter populi legatum; tum ob BRVTVM, primis heredibus substitutum; consecuta est.

Post hæc funus ei amplissimum, prosequentibus cum universo ferè Senatu magistratibus; frequentique cùm civium, tum militum etiam armatorum, ad corporis custodiam, multitudine, deductum est. corpusque in forum delatum, & pro Rostris depositum.

POMPA FVNEBRIS.

Ædes ibi aurata, ad instar Templi GENETRICIS VENERIS, collocata erat: intraque lectus eburneus, auro & purpurâ stratus; & ad caput Tropæum, cum veste, in quâ occisus fuerat.

Alii tradiderunt, corpus ipsum sanguinolentum, vulneribusque deforme, populo inspectanti palam expositum fuisse: Alii ceream ipsius effigiem, in quâ XXIII. vulnerum notæ expressæ erant, machinâ versatili, eodem in lecto, elatam.

Loco funebris orationis, ANTONIVS, S. Consultum, quo in eum omnes tum humani, tum divini honores collati fuerant: & iusiurandum, quo se omnes pro salute ipsius obstrinxerant, pronuntiavit.

Ludi etiam funebres facti, in quibus illud PACVVII, ad invidiam cædis, decantatum: *Men' men' servâsse, ut essent qui me perderent!*

TVMVLTVS POPVLARIS, EX MISERABILI CRVENTÆ VESTIS ADSPECTV.

Posteà idem ANTONIVS oratione, non tam ad CÆSARIS laudes, quàm ad commiserationem, & ad concitandos in cædis auctores multitudinis, animos accommodatâ, in deplorandâ Cæsaris morte, ususque intermistis interim, cum lacrymis & fletu, suspiriis, dum inter orandum vestem Cæsaris laceram, & multo sanguine cruentatam, hastili altiùs è lecto sublatam explicat. & alius quidam simul ceream, quam dixi, effigiem, eodem ex lecto, ut ab omnibus conspici posset, in sublime extollit; ita multitudinis animos non ad commiserationem provocavit, sed in rabiem potiùs vertit. ut omnis ordinis & decoris obliti, ad persequendos homicidas (qui perspecto periculo, maturè se subduxerant) furibundi discurrerent. Senatum quoque ipsum, qui talem virum interfici passi essent, uti periturum, accusarent.

ROGVS FVNEBRIS, ET LVCTVS.

Corpus autem eius, non quidem in Campo Martio, ubi rogus iuxta IVLIÆ fil æ tumulum exstructus erat; sed alii in ipsâ Curiâ POMPEII, ubi cæsus est; alii in Capitolio, atque adeò in ipsâ cellâ IOVIS CAPITOLINI, cremare parabant.

Sed metu vicini incendii, ab eo conatu destitum est. Et milites, congestis extemplò subselliis, tribunalibus & mensis; subiectisque aridis virgultis, tumultuarium in foro rogum exstruxerunt: & lecto in eum imposito, cereis facibus succenderunt.

In eundem statim tibicines, scenicique artifices, qui ludos funebreis fecerant; vestem, quam ex instrumento triumphorum in eum usum induerant, detractam sibi, discissamque, cum reliquo pompæ adparatu, iniecére.

Milites quoque dona militaria & arma, quibus exculti funus celebrârant: alii civium, coronas & ornamenta, quę gestabant; puerorum bullas & prætextas, eódem congerebant.

Exteræ in urbe nationes, suo quæque more & patrio ritu, luctum testabantur. & in his Iudæi, pluribus continenter noctibus, bustum eius frequentârunt.

Quùm autem plebs arreptis ex semiusto rogo titionibus, ad percussorum ædeis, BRVTI in primis & CASSII: pars ad Curiam, in quâ Cæsar cæsus fuerat, convolarent; tumultus hic, militibus maximè obsistentibus; & aliquot ex seditiosissimis de rupe Tarpeiâ præcipitatis, vix sedatus est.

HELVIVS CINNA, Trib. pl. Cæsari amicissimus, obviam factus, quem CORNELIVM CINNAM, illum Prætorem, esse crederent; à furentibus discerptus est: caputque eius, ad aliorum terrorem, hastâ circumlatum. Hinc Consules omnibus armorum gestatione interdixére, præter solos milites.

ARA, ET DEIN TEMPLVM, CEV DEO POSITVM.

Quo locus rogus fuerat, in Rostris, Aram populus (al. AMATIVS quidam, qui se MARII filium credi volebat; & quem ANTONIVS occidi iussit) posuit; cui posteà ANTONIVS columnam XX. pedum,

dum, ex Numidico solidam, cum inscriptione: PARENTI PATRIÆ *optimè merito.* apud quam populus aliquamdiu sacrificare ipsi, tamquam Deo: vota suscipere, & controversias etiam, concepto per CÆSARIS nomen iureiurando, dirimere perseveravit.

AVGVSTVS enim postea cum in Deorum numerum rettulit, & pro Arâ illâ, & columnâ, quam DOLABELLA disturbârat, & solo æquârat; Templum in foro, eodem ferè loco, constituit: Et simulacrum CÆSARIS, cum stellâ crinitâ in vertice, (quæ, dum ludi Latini ab AVGVSTO ederentur, per VII. dies continuas fulserat; & Anima CÆSARIS cœlo recepta vulgò credebatur) in eo dedicavit. Versoque in locum & tempus cædis opprobrio, CVRIA POMPEII, tamquam locus infaustus & sceleratus, obstrui iussa. Idusque Martias PARRICIDIVM appellari placuit: cautumque, ne die tam nefasto posthâc Senatus haberetur.

VITÆ, ET RERVM GESTARVM EPITOME.

Obijt CÆSAR annos LVI. natus, summâ in rep. potestate usus, à primo secundi Consulatus die, usque ad diem cædis, annos IV. menseis II. & dies V. Quarto antè, quam in Parthos proficisci constituerat, die.

Ipse quinquagies signis collatis dimicâsse, felici ferè semper eventu: & præter eos, qui bellis civilibus interiêre, (quos adnotari noluit) undecies centum, nonaginta duo hostium millia cecidisse, memorantur. mille urbes vi captæ, regiones CCC. subactæ.

Vxores habuit IV. Prima fuit COSSVTIA, quam pubes adhuc dimisit. 2. CORNELIA, CINNÆ IV. Consulis filia, ex quâ IVLIAM suscepit, POMPEII MAG. uxorem. 3. POMPEIA Q. POMPEI filia, L. SVLLÆ neptis: quam ob adulterium cum CLODIO, in Templo BONÆ DEÆ, repudiavit. 4. CALPVRNIA L. PISONIS filia.

Natus Romæ, C. MARIO VI. & L. VALERIO FLACCO Coss. Patre C. IVLIO CÆSARE, viro Prætorio; matre AVRELIA, C. AVRELII COTTÆ filiâ.

INFELICES PERCVSSORVM EXITVS.

Percussorum nemo ultra triennium à cæde Cæsaris vixit; violentâque morte omnes periêre: pars naufragio, pars prœlio: nonnulli & eodem pugione, quo Cæsarem violârant, sibi vim & manus intulêre.

ANTONII AVCTORITAS.

ANTONIVS, qui se ab optimatibus stare, & Pompeianis partibus favere simulabat: quùm ad Senatum rettulisset; ut SEX. POMPEIVS, MAG. F. revocaretur; eique pro paternis bonis, quæ in ærarium fuerant relata; H. S. bis millies de publico redderentur; & sicuti priùs patri, maris imperium classisque ei decerneretur: Quò à plebis impetu tutior foret; stipatores, ex veteranorum copiâ, sibi deligendi facultatem à Senatu obtinuit: & in his lectissimos quosque etiam ordinum ductores; ut securiùs iam regnaret; ad VI. M. sibi adiungit. quos, scilicet, compresso plebis furore esset dimissurus.

PERCVSSORVM FVGA, AVT EX VRBE DECESSIO.

Percussores, qui non modò à seditiosâ plebe, sed ab ANTONIO ita armato metuerent; in provincias sibi decretas, tamquam fugâ dilapsi sunt. In Galliam Cisalpinam D. BRVTVS: TREBONIVS in Asiam: & L. TVLLIVS CIMBER in Bithyniam.

BRVTVS & CASSIVS, Prætores, quos Cæsar in annum sequentem Syriæ & Macedoniæ præesse iusserat; Senatui præ cæteris grati, ut ea, quæ sui muneris essent, procurarent, ad urbem remanserant: milites que, quibus Cæsar agros adsignaverat, metu novi tumultûs, in colonias diviserant.

Sed iam vulgò in dies contentiores, quod nondum exacto Præturæ anno in provincias honestè proficisci possent; neve fugientium specie, metu adversarij, urbe decedere viderentur; uti annonæ, convehendoque in urbem frumento Præfecti, ab urbe in Campaniam secessêrunt.

Quùmque ANTONIVM, ex commentarijs actorum Cæsaris, quæ penes ipsum erant; nihil non pro suo arbitrio gerere; & alijs alia tribuere vel adimere: regibus & dynastis, provincias & regna; populis libertatem; peregrinis, ius Civitatis; (contra S. Consultum; de Tabulis decretorum aut beneficiorum post Id. Mart. non figendis) impertiri.

Et M. LEPIDVM, quò sibi illum devinciret, Pont. maximum in locum Cæsaris, translatis populi ad Pontificum collegium suffragijs, cooptâsse; & filium eius sibi generum adscivisse, intellexissent; Remp. non nisi ipso oppresso, salvam liberamque fore diffisi; socios, qui in provincias iam proficisci parabant, per litteras, ut de exercitu & pecuniâ prospicerent, & res bello necessarias, in suâ quisque provinciâ compararent, sunt cohortati.

Sed ut hîc quoque ANTONIVS spem illorum infirmaret; DOLABELLÆ, collegæ suo, auctor fuit, ut vel inconsultis Patribus, *rogatione ad populum latâ*, provinciam Syriam, sibi dari peteret: unà cum legionibus ad Parthicum bellum à Cæsare comparatis, & in Macedoniam præmissis. Ipse vicissim Macedoniam à Senatu sibi impetravit.

Patrum interim precibus hoc dedit, ut BRVTO Creta; CASSIO Libya, sive Cyrene, provinciæ decernerentur.

C. OCTA-

C. OCTAVIVS, SIVE OCTAVIANVS, AVGVSTVS CÆSAR, 2. ROMANOR. IMPERATOR.

C. OCTAVIVS intereà, annos plus minus XIIX. natus, à Cæsare, magno avunculo, ad bellum Parthicum cum legionibus anteà præmissus, & ab eodem, ante quàm Vrbe excederet, in LEPIDI locum, Mag. equitum creatus; Apolloniæ (quæ ad Mare Ionium est) dum bello necessaria comparantur, litteris & scientiæ militari operam dabat.

Ibi, sexto demùm, postquàm eò adpulerat, mense, de cæde Cæsaris factus certior, quùm id facinus privatorum hominum fuisse intellexisset; & complures nihilo minus Tribuni, qui ex Macedoniâ ad eum confluebant, ad cædis ultionem instigarent; L. tamen PHILIPPO vitrico, & Attiâ matre suadentibus, dilato vindictæ proposito; (maximè quòd & testamenti, & eorum quæ cædem consecuta erant, ignarus esset) in Italiam traiecit.

Brundisium profectus, ab universo exercitu, de cuius voluntate dubitârat; tanquam Cæsaris Filius, exceptus est; & ipse Cæsar exinde dici cœptus. (Alij Neapolim XIV. Kal. Maij venisse tradunt.) Inde magno cum comitatu, quòd novi in horas è colonijs veterani ad eum confluerent, ad Vrbem proficiscitur.

Cæterùm quùm Tarracinam, ad L. ab Vrbe lapidem, pervenisset; intellecto rerum urbanarum statu: atque hinc paucis comitatus, habitu privati, quasi hereditatis solùm adeundæ gratiâ, Vrbem ingressus est; amicis, ut postero die sibi præstò essent, rogatis.

Ingrediente in urbem, arcus Iridis, colore variegatus, liquido & sereno cœlo, & Solem circumdedit, & veluti coronam Octavij capiti imposuit.

OCTAVII CVM ANTONIO CONgressus: & mòx dissensio.

Postridie in forum progressus, C. ANTONIVM, MARCI fratrem, (qui BRVTO absente, prætoris urbani munia administrabat) ex more adiens, adoptionem se Cæsaris ratam habere, & nomen accipere professus est. Et quantumvis vitricus & mater dehortarentur; M. ANTONIVM (qui se quoque filium Cæsaris, & heredem iactabat) oratione modestâ, adgressus; & Patrem appellans; tantum sibi pecuniæ ex hereditate paternâ, quæ universa penes ipsum esset, repræsentari petijt; quantum ad præstanda populo legata satis esse existimaret. Se reliqua, quæ maioris pretij essent, ipsi haud illubenter cedere.

Quâ adolescentis libertate offensus Antonius, quùm durius respondisset; nihil apud se pecuniæ reliquum esse: Et ab adeundâ, tam gravi & invidiosâ, hereditate absterruisset: Legem etiam Curiatam, de adoptione Octavij, ne rogaretur; per quosdam è Tribb. pl. impedire conatus est. Quâ quidem lege, Adoptivi idem iuris adsequebantur, quo legitimi filij uti solent. *Vt nimirum propinquos, gentem, familiam & libertos adoptantis obtineant.* Eamdem Cæsar tandem proximo anno, in Consulatu suo, pertulit.

Neque eâ contumeliâ contentus ANTONIVS; prensationi quoque Cæsaris, ut in locum Helvij Cinnæ Tribuni plebis, per errorem cæsi; à collegio cooptaretur, petentis, obstitit. Et L. ANTONIVM fratrem in Tribunatum suffecit.

OCTAVII AMBITIO: ET VANA DE EO OPTIMATIVM SPES. SATAGENTE rerum suarum Antonio.

His contumelijs accensus OCTAVIVS; & populi auxilio ac benivolentiâ, adversùs Antonij iniurias, sibi opus esse ratus; neque in promptu esset, unde legata populo persolveret; bona Cæsaris venum proposuit.

Deinde, quùm ea non sufficerent; universum etiam patrimonium, materna, & PHILIPPI vitrici bona; atque adeò hereditarias Pedij Pinarijque portiones, venire iussit: & pecuniam inde confectam tributim erogabat, non sine spe maiorum in posterum donationum. Neque minore cum liberalitatis laude, quàm Antonij invidiâ.

Hanc inter eos simultatem multi ex Optimatibus ultrò accendebant; qui Antonij dominationem, Cæsaris adolescentis, ut acris, ita & magnanimi, consilio atque armis, aliquandò opprimendam; CICERONIS auctoritate, & L. PHILIPPI, & C. MARCELLI, eius necessariorum, commendatione subnixi, licet falsò, præsagirent.

ANTONIVS, namque ipse ob Consulatum; & quia C. Antonium, prætorem urbanum, & L. Antonium Trib. pl. fratres habebat; in provincijs mandandis, vel invito Senatu, solius populi suffragijs fretus, nihil non audebat, & poterat.

C. fratri, Macedoniam, BRVTO ademtam, impetrat: Sibi Galliam citeriorem, quam D. BRVTVS administrabat, vindicat. Cæsarem, cuius nullam rationem habuerat, veluti vitæ suæ insidiatorem, apud Optimateis & milites traducit. cui contrà, vel immissis percussoribus, exitium ipse moliebatur.

TREBONII, VNIVS EX PERCVSSORIBVS, EXITVS.

BRVTVS & CASSIVS, spe demerendæ plebis per ludos & spectacula, quos D. BRVTVS absens per C. Antoniū profusissimè ediderat, frustrari: quū in provincias

provincias sibi decretas proficisci cōstituissent; Dolabella prior in Syriam properat.

Is dum per Asiam, quam TREBONIVS tunc obtinebat, in Macedoniam pergeret; captâ per noctem Smyrnâ, TREBONIVM per fucs, in cubiculo deprehensum, obtruncandum, curavit. & caput eius in sellâ prætoriâ, in quâ ius dicere solebat, ludibrio exposuit: & corpus reliquum nullis non contumelijs adfecit.

Hic primus ex percussoribus Cæsaris, parricidij, pœnas luit.

ANTONII ARTES ET MOLITIONES.

ANTONIVS verò, quod Getæ Macedoniam provinciam suam incursare vulgò nuntiarentur, vt legiones Macedonicas, cum equitatu & sagittarijs, à Senatu sibi concedi postulavit. Vtque omnem adfectatæ dominationis suspicionem ex Senatorum animis eximeret; de Dictaturâ, quæ regiæ potestatis instar obtinebat, funditùs & æternùm è rep. tollendâ, rettulit: & Senat. Consulto, à se descripto, & domo adlato, in posterum sanxit.

Eodemque Senat. Consulto, à Patribus, quasi regni timore iam liberatis, Macedonici exercitus Imperator appellatus, C. fratrem statim in Macedoniam præmittit.

SEX. quoque POMPEIO impunitatem, de quâ suprà, Senatûs decreto confirmandam curavit. Vtque pecuniæ in ærarium collatæ. ex bonis paternis, (cuius prædia & fundos ipse ANTONIVS vili redemtos occupabat) eidem restituerentur.

Et SEXTVS quidem ijs conditionibus à LEPIDO, qui Hispaniæ citeriori præerat, & ASINIO POLLIONI bellum faciebat; acceptis; & dimissis, quas maximas in Hispaniâ contraxerat, copijs, inde in Siciliam decessit.

ANTONIVS, exolescente Getici belli, aut futuræ in Macedoniam incursationis, rumore; ut anquisito colore exercitum è Macedoniâ in Italiam transportaret; in Senatu egit: *Vt provincijs permutatis, pro Macedoniâ, Gallia Cisalpina, D. Bruti provincia, ipsi decerneretur.*

Sed Senatus, astu Antonij cognito, quasi in câdem Galliâ arcem belli, traductis eò legionibus, constituere vellet; BRVTVM; *ut provinciam, milite & pecuniâ munitam, constanter retineret*; admonuérunt.

ANTONIVS, qui Senatui diffideret; rogationem de Galliâ ad plebem tulit. & ut Patribus terrorem incuteret, C. fratrem cum legionibus è Græciâ Brundisium traijcere iubet.

Et factâ, post multas altercationes, quùm nihil alter alteri de suo iure concederet; inter ipsum & Cæsarem per Tribb. militum reconciliatione; ANTONIVS, Tribb. plebis, ne intercederent, corruptis, & silentibus; Galliam citeriorem, invito Senatu, per plebiscitum à populo impetravit. eâ lege, ut BRVTVS pro Galliâ Macedoniam acceptorus esset. Et ni ille provinciâ confestim decedar; fas esset ANTONIO, bello ut persequatur: & Getis nihil molientibus, exercitum in Italiam adversùs illum transportet.

APERTÆ SIMVLTATES, ET OFFENSÆ INTER VTRVMQVE. MILITARES prehensationes.

CÆSAR verò quùm intellexisset Antonium, (cuius licet reconciliati vafritiem oderat) Brundisium ad legiones esse profectum: veritus ne ab eo cum exercitu supervenìente opprimeretur; cum magna pecuniarum vi, in Campaniam, ad veteranos, (qui in colonias paternas missi fuerant; & Cæsaris Iulij cædem inultam remanere indignè ferebant) properavit. Plerosque ibi colonos, è Calatiâ potissimum & Casilino, ad se pertraxit: & tumultuariam ad x. Mill. evocatorum manum, sub uno signo, coëgit. Eorum operâ, út videri volebat, & Antonio reconciliandus, & cædem Patris ulturus.

Ipse, qui prior cum exercitu ad urbem venit, (licet ab utroque metus publicè esset) operâ Canutij Tribuni pl. à plebe animis lætus exceptus est.

Sed veterani, qui adversùs Antonium, suum olim Imperatorem, nunc etiam Consulem, arma capere detrectarent, plerique domum se recepérût. Ita ut ex x. Millibus, Mille tantum; sive, ut alij tradunt, III. Millia remanserunt.

Sed ij qui recesserant, partim spe præmiorum & prædarû illecti; partim tædio insolentis agriculturæ; mutatâ sententiâ, cum armis, (quorum petendi scilicet gratiâ domos regressi essent) ad CÆSAREM redierunt: qui tum novos ex Etruriâ, Ravennâ, & locis propinquis delectus, copiasque coactas, Arretium convenire iusserat.

ANTONIVS, inventis Brundisij IV. è Macedoniâ legionibus, militem, quem in Galliam ductutum se prouuntiârat, donativi parcitate, & crudelitate, (quâ in CCC. suspectos capitaliter in castris usus fuerat) prorsùs à se alienavit.

Contrà, Cæsaris liberalitate illectæ, Martia & Quarta legiones, (quæ ex Macedoniâ ab ANTONIO revocatæ adpulerant) signa ad OCTAVIVM, uti CÆSARIS filium, transferunt. Quorum exemplum complures alij secuti sunt. Elephantis etiam ANTONII ex itinere interceptis.

ANTONII CONTRA D. BRVTVM EXPEDITIO.

Ijs ad ANTONIVM perlatis, quò reliquas legiones in officio contineret; largius donativum ad eas misit. & deducentibus, cum universo ferè Senatu & maximâ Equitum parte, è plebe præstantissimis; cum ijs, quas secum habebat, copijs, Tibur profectus est. Tiburc Ariminum, secundùm oram maritimam, ad legiones venit. Inde in Galliam Cisalpinam, contrà BRVTVM, qui provinciâ cedere nollet, exercitum ducturus.

Quùm CÆSAR, digresso ANTONIO, Senatui, quod copiarum suarum robur esset, significâsset;

Senat. consultum de rebus gerendis polliciti sunt, facturos, quàm primum Consules designati magistratum inijssent.

Sed intereà milites ipsi Cæsari imperium Proprætoris, cum securibus & lictoribus, ultrò obtulerant. quem honorem non modò recusavit; sed & legatos eà de re ad Senatum, ab exercitu mitti noluit; quòd eadem mox minore cum invidiâ à Senatu acceptum iri speraret.

CÆSAR BRVTVM SIBI CONCILIAT.

Et quamquam D. BRVTVM, ex percussoribus Patris unum, meritò odisset; Antonium tamen prius armis opprimendum, quàm sibi de ultione cogitandum, existimavit. Et ad illum misit, qui studium ipsi & operam suam, bellique societatem offerrent; modò is Antonium non recepisset.

MVTINENSIS OBSIDIO.

BRVTVS, qui Senatûs auctoritate fretus, Antonio cedere nollet; & se nihilominus peti videret; ad Vrbem aceiri, & properare simulans, Mutinam ex itinere occupat; à commeatu & rebus necessarijs instructam: seque ibi circumvallatum ab Antonio obsideri patitur. Romæ, Tribunis pl. potissimùm suffragantibus, tum Mutinensibus, qui Brutum, Antonio excluso, admisissent; tum militibus, qui ad Cæsarem transierant, honores & præmia decreta.

39 9. Ab V. C. 710. | *Et exeunte iam Consulatus ANTONII anno, Kalendis Ianuar. C. VIBIVS PANSA, & A. HIRTIVS Coss. designati, & inito magistratu sacris operati sunt.* | 41.

CÆSARIS PRÆROGATIVÆ: ET SENATVS CONTRA ANTONIVM decreta.

Et habito per triduum Senatu, post varias inter CICERONEM, qui ut ANTONIVS hostis iudicaretur, contendebat; & inter SALVIVM Trib. pl. Cæsaris studiosum; & L. PISONEM, FVSIVMQVE CALENVM, qui pro ANTONIO stabant; altercationes. Sen. Cons. factum est, quo & D. BRVTVS, ob constantiam, laudatus; & æquatum Cæsari, cum HIRTIO & PANSA Coss. in legiones & reliquas copias imperium.

CÆSARI prætereà. quod privato consilio arma adversùs Antonium sumsisset, aurea equestris statua decreta. Eidem concessum; *ut Proprætore bellum gereret: Senator esset, & sententiam loco prætorio diceret. Decennio tempestivius, quàm per legem annalem liceret; quosvis magistratus petere & capere posset.* Vtque legionibus, quæ transierant, *donativum*, quod pòst victoriam de suo CÆSAR erat pollicitus; *id ex ærario publico persolveretur*. Et ne imperij dignitas minueretur; additum decreto; *Ne quis ipsum deinceps puerum nominaret*.

Legati nihilo minùs, ex CICERONIS sententiâ, ad ANTONIVM missi, L. PISO, L. PHILIPPVS, & SER. SVLPITIVS. *qui ipsum à Mutina obsidione desistere; Galliâ ad præstitutum diem, cedere; & dimisso exercitu, in Macedoniam provinciam sibi decretam proficisci*, iuberet.

Militibusque ipsis edicerent; *Nisi intra diem certum domum quisq; suam discederent, hostium loco habendos.*

Interim, quibus ab ANTONIO provinciæ datæ erant; ijs ademtæ sunt: & DOLABELLA, ob TREBONIVM interfectum, hostis à Senatu iudicatus.

Ad hæc, Importunis CICERONIS, & CANVTII Trib. pl. contentionibus effectum est; nec dum exspectato, dum legati ab ANTONIO responsum referrent; ut Senatus censeret: *Iustitium in Vrbe indici; tumultum decerni; pro togis saga sumi.*

Vtque M. LEPIDVS, qui in Hispaniâ erat; & L. MVNATIVS PLANCVS. qui in Galliâ Transalpinâ; se cum Cæsare & Consulibus coniungerent.

ANTONII A SENATV POSTVLATA INIQVA. NEC ÆQVIORA Senatûs decreta.

ANTONIVS postquàm multa de Senatu sibi iniquiore; & de CICERONE, mandatorum auctore, cum legatis expostulâsset; protestatus se AMNESTIAM, sive Actorum oblivionem, nuper decretam; (quādo eâ ipsi contenti esse nollent) pro irritâ esse habiturum. Ne Senatûs auctoritatem contemnere videretur; utque in eum caussam belli reijceret; missis vicissim legatis, nuntiat: ijs se conditionibus paratum Senatui parére, quas sibi certò persuadebat Senatum non esse accepturum.

Quæ ubi ad Senatum perlata; statim hostis iudicatus est: & custodiâ Vrbis Coss. traditâ, factum Senat. Consult.

„ *Darent operam Coss. ne quid detrimenti resp. caperet*.

BRVTO ET CASSIO PROVINCIÆ decretæ cum Imperio.

Simul Macedonia M. BRVTO iterùm decreta, & CASSIO Syria, *donec resp. constitueretur*. Additumque; ut quidquid provinciarum exercituumque, ab Ionio mari, ad Ortum usque esset, id duorum illorum subesset imperio: ipsique, DOLABELLÆ bellum facesserent.

Quidam tamen & Tribb. pl. & prætores, quibus decreta ea minus grata essent; ad Antonium transiérunt. Quidam veste non mutatâ legatos iterùm ad Antonium mittendos, & in his CICERONEM, censuérunt.

Sed quùm is, metu Antonij, eam provinciam defugeret; alij quoque proficisci recusârunt.

COSS. BELLVM ADPARANT CONTRA ANTON.

Tum PANSA Coss. habitis per Italiā delectibus, auxilia & copias parabat: Hirtius verò Paludatus ab Vrbe ad Cæsarem, (qui hactenus Foro Cornelij

ſub armis hiemaverat; & à rebus gerendis, bello nondum decreto abſtinebat,) profectus, partitis cum eo copijs, & duabus legionibus, quæ nuper tranſierant, (ita mandante clàm Senatu) ab illo vel diſſimulante, vel non invito, acceptis, in ſua uterque hiberna conceſſêre.

CICERONIS AVCTORITAS, & metus.

In urbe autem, abſentibus Coſſ. CICERO omnia pro ſuo arbitratu adminiſtrabat: & quotidianis apud populum concionibus arma, pecunias, reliquaque bello neceſſaria haud ſegniter imperabat, & comparabat: & Antonianos maximè graviſſimis exactionibus vexabat.

Verùm is ad P. Ventidij adventum, qui duas veteranas legiones è proximis Iulij Cæſaris colonijs deduxerat, ut Ciceronem comprehenderet; urbe profugere coactus eſt.

Præcipitatâ iam hieme, HIRTIVS ET CÆSAR, veriti ne BRVTVS Mutinæ obſeſſus, & commeatuum inopiâ preſſus, aut vi expugnaretur, aut deditionem facere cogeretur; eidem ſe quamprimum cum auxilio adfuturos nuntiârunt. Et coniunctis iam copijs profecti, Bononiam præſidio deſtitutam, ex itinere recipiunt: atque indè ad Mutinam accedere pergunt.

PRÆLIVM AD MVTINAM.

Antonius, relicto ad Mutinam L. Antonio fratre, ipſe HIRTIO & CÆSARI obviàm progreſſus eſt. Sed quòd illi conſtitutum haberent, tantiſper iuſto prœlio abſtinere, dum Panſa cum copijs, & rel quis auxilijs adveniſſet; levibus tantùm per equites prœlijs concurſum eſt. E quibus uno Antonius, non ſine aliquantâ adverſariorum clade, ſuperior evaſit; quòd Germani equites, paullò antè cum elephantis intercepti, converſis ex acie ſignis, ad Antonium rurſus tranſiſſent.

ALTERVM IN ITINERE PROELIVM.

Eâ victoriâ elatus Antonius, cognito, Panſam, cum Carfuleio, (quem HIRTIVS ET CÆSAR, cum legione Martiâ, Panſæ obviàm miſerant) appropinquare; parte copiarum ad defenſionem caſtrorum relictâ; cum reliquo exercitu contrà illos de nocte profectus eſt. Inſidijſq; loco paluſtri diſpoſitis, magnam partem Vibiani exercitus cecidit. Reliquis verò, vel intrà vallum, quod Torquatus, Hirtij Quæſtor, infelicem prœlij eventum proſpiciens; perfecerat; vel in fugam compulſis; ipſe PANSA Coſ. ferro ilia traiectus, Bononiam ex fugâ delatus eſt. (Hæc circiter 17. Kal. Maij.)

TERTIVM PROELIVM.

Sed HIRTIVS, eâ ſuorum ſtrage acceptâ, relicto ad caſtra tuenda CÆSARE, cum legione alterâ, & parte exercitûs, Antonianis, itinere & prœlio feſſis, & ſolutè ſecureque ad caſtra redeuntibus, inopinus occurrit. & non ſine magnâ ſuorum clade ANTONIVM fudit; & intrà vicū proximū, (quod Forum Gallorum dicitur) fugere coëgit.

Ob eam victoriam, præter Conſules, CÆSAR etiam, tam à Senatu, quàm à militibus, Imperatores appellati ſunt. quamvis PANSA malè; CÆSAR ne pugnâſſet quidem. Et decretum, ex CICERONIS ſententiâ; ut *qui eo prælio cecidiſſent, publicè ſepelirentur; eorumq; liberis præmia debita redderentur.*

QVARTVM PROELIVM.

ANTONIVS, quùm imminuto exercitûs ſui robore, à prœlio abſtinere conſtituiſſet; qui BRVTVM ſolâ fame ad deditionem faciendam brevi coactum iri ſperaret; Et côtrà HIRTIVS & CÆSAR, auctis indè animis, caſtra Antonij prætergreſſi, copias propiùs ad Mutinæ mœnia admoviſſent, vimque intentare pararent; ipſe veritus ne Mutinâ adverſarij potirentur; legiones duas in pugnam producit.

Ita converſo Cæſarianorum à Mutinâ in Antonianos agmine, & reliquis Antonij copijs tardiùs adcurrentibus; diu acre atque anceps prœliū commiſſum eſt. Ex quo Cæſariani tandem ſuperiores diſceſſêrunt.

HIRTIVS tamen factâ in caſtra Antonij irruptione, & circà eius prætorium fortiter pugnans, cæſus eſt. At Cæſar è veſtigio cum ſuis adcurrens, corpore Conſulis ſimul, & caſtris Antonij potitur. Inde verò, eodem penè numero, ab Antonio repulſus, haud ſecus atque ille in armis pernoctavit.

Eo in prœlio PONTIVS AQVILA, unus ex percuſſoribus Cæſaris, cæſus eſt: eique, tamquam qui pro patriâ cecidiſſet, ſtatuam Senatus decrevit.

MVTINA OBSIDIONE LIBERATA. CONGRESSVS BRVTI CVM OCTAVIO, & ſimultas.

ANTONIVS autem, exercitu penè & caſtris exutus, metuens ne Cæſar, quod pridie tentârat, Mutinam irrumperet; aut ipſe circumventus in diſcrimen adduceretur; ſpe auxiliorum fretus, tum à P. VENTIDIO, qui cum III. legionibus in Piceno; tum à LEPIDO & PLANCO, qui in Galliâ erant; relicta Mutinâ, iter Alpeis versùs inſtituit, & cum paucis profûgit.

D. BRVTVS, metu obſidionis liberatus, quùm ſibi à Cæſare, qui altero ex Conſulibus ſublato; altero ex vulnere Bononiæ moribundo, ſolus ſupererat; non immeritò ob cædem Patris, metueret: miſſis ad eum è ſuo numero, trans flumen, quod Mutinâ præterfluit, certis hominibus: primum illi, tamquam ſui & Mutinenſium liberatori, gratias egit; deinde colloquium, arbitris civibus, ubi coràm de cæde ſe expurgaret, poſtulavit.

At Cæſar colloquium, quòd præter pietatem eſſe videretur, admiſſurum negavit. paſſurum tamen ipſum incolumem, quamdiu Senatui videretur; qui ſolum Antonium hoſtem iſto bello ſibi perſequendum cenſuiſſet.

BRVTVS cõtrà, ad adversam fluminis ripam progressus, inclamato Cæsaris nomine, clarâ voce, professus se ad ANTONIVM, ex S. Consulto, quo Galliam acceperat, persequendum, per se parem esse; ne Cæsar, transito flumine, provinciam suam intraret, denuntiavit.

SENATVS INGRATITVDO IN Octavium: Et ab eo metus.

CÆSAR Bononiam ad PANSAM profectus, (qui ipsum de Senatûs in se malevolentiâ, & de necessariâ Antonij reconciliatione, quò Patris cædem cõmodiùs ulcisceretur, monuisse moribundus, traditur) ea quæ contrà Antonium gesta erant, scriptis ad Senatum litteris, nuntiavit.

Romæ ex S. C. *vestis mutata; decreta LX. dierum, ob profligatum Antonium, supplicationes.*

Qui cum Antonio militârant, *hostes iudicati, bonisq́, multati, Consulum mortuorum corpora publicâ sepulturæ honore honestata.*

Senatus, qui prius, in timore, profusus benignusque fuerat; in victoriâ & rebus prosperis ingratus; quò Cæsarem, (quem velnti legitimum dominationis Cæsarianæ successorem, suspectum habere & odisse cæpissent) magis magisque deprimeret; cuncta quæ ipsi meritò tribuenda erant, ea omnia uni BRVTO (qui pugnam eminùs è Mutinæ mœnibus otiosus spectarat, & alieno beneficio vivebat) tamquam victori, cum triumpho, decrevit.

OCTAVII exercitum, suo alioquin Imperatori fidissimum, mutuis suspicionibus & dissidijs involvere; & iniquâ militarium præmiorum inter victores distributione corrumpere, an alienare, conati sunt.

Soli BRVTO imperium, & bellum adversùs Antonium, decernunt. Et votis publicè pro ipsius victoriâ nuncupatis, cum alias, tum PANSÆ ipsius legiones (quas à moribundo ille acceperat) eidem BRVTO attribuunt.

LEPIDVM simul, PLANCVM & ASINIVM, quos etiamnum fides sibi existimabant; Antonio bellum inferre, unà cum BRVTO, per litteras iubent.

CÆSAR tot tantisque iniurijs irritatus, de caussâ optimatium, & CICERONE ipso deserendo, cogitabat.

Dissimulatâ tamen in præsens indignatione, quò Pattum animos tentaret, triumphum à Senatu, ob rem feliciter & suis auspicijs, bello Mutinensi, gestâ; petijt. Sed Senatus, quòd maiora quàm pro ætate, & *contrà leges* postulare videretur; quodque bellum non ipsius, sed *Consulum auspicijs gestum* & confectum esset; & ipse *extraordinarium modò imperium administrâsset*; negato triumpho, ne nihil eius postulatis tribuere censeretur; ornamenta consularia, & ius locumque sententiæ inter Consulareis dicendæ, ei attribuit. Ad hæc, ut legibus solutus, proximo anno præturam, & biennio pòst consulatum caperet.

CÆSAR CONSVLATVM PRO TRIVMPHO PETIT, FAVTORE Cicerone.

Ea Senatûs decreta, quia vastum, & ad maiora grassantem Cæsaris animum non explebant; Consulatum, quod resp. Consulibus orbata esset, & ipse lege Annali per S. C. solutus; tum per alios, tum per CICERONEM, pro triumpho, cuius repulsam proximè passus fuerat; enixè petebat. Et CICERO certè, qui se ei in magistratu collegam futurum, ex pacto, sperabat; id studiosè, nec sine ambitionis nota, Senatui persuadere conatus est.

Sed quod plerique metuerent, ne Cæsar, Consulatu auctus, cædem Patris ulcisceretur; dilatis in alıud tempus, & variè excusatis, comitijs; neuter Consul creatus est. Ita Cæsar, qui se à Patribus eludi prodeique videret; Coosulatũ vi & armis occupare; & ut ad id tentandum firmior esset, Antonium sibi reconciliare, aut aliquâ fœderis societate omninò coniungere, constituit.

ANTONIUS CVM LEPIDO CONIVNCTVS: QVIBVS, AVCTORE CÆSARE, PLANCUS Asiniusque. dein & ille, Senatu deserto, se coniungit.

ANTONIVS namque fugâ interim post prœlium Alpeis transgressus, connivente CVLEONE, quem LEPIDVS custodiæ Alpium præposuerat, in Galliã descendit: & in adversâ fluminis, ubi LEPIDVS erat metatus, ripâ, castra fecit.

Ipse à colloquio LEPIDI, id detrectantis, primùm repulsus; deinde propensis utrimque in mutuam reconciliationem militum animis, & paullatim corruptis; per aversam castrorum partem, proruto vallo, in castra receptus est. Atque ex eo tempore imperij quidem nomen penes LEPIDVM fuit; at rerum summa & potentia penes Antonium.

CÆSAR interim, ut Antonij quoque gratiam demereretur; ex eius militibus, aut etiam ducibus, quos captivos habebat, alios in suorum numerum adlegebat; alios ad Antonium abire permittebat; per quos ipsius in se animum cognosceret.

Posteà per internuntios, expositis Senatûs in se contumelijs, LEPIDVM etiam ASINIVMQVE, ut propriæ securitati consulant, hortatus; si eum Antonio conspirarent, se non defuturum pollicetur.

Dum itaque ANTONIVS cum x. legionibus in D. BRVTVM moveret; statim L. MVNATIVS PLANCVS, qui ulteriori Galliæ cum III. legionibus præerat; & mox C. ASINIVS POLLIO, qui Hispaniam cum II. legionibus administrabat; BRVTO, cuius parteis hactenus secuti fuerant, deserto; ad Antonium signa transtulére.

Eâ re Romæ cognitâ, magna rerum atque animorum insecuta est commutatio. Senatus metuens, ne Cæsar, quem hactenus contemtui habuissent, se ANTONIO ET LEPIDO iungeret; duobus ex suo ordine, clàm in Græciam, ad M. BRVTVM ET CASSIVM dimissis, Cæsarem, pari cum DECIMO potestate bellum adversùs ANTONIVM administrare iubent: LEPIDVM, haud seciùs quam anteà ANTONIVM, hostem iudicant.

ARMATA CÆSARIS POSTVLATA.

CÆSAR itáque, ſimul ans ſe ad bellū Antonio inferendū proficiſci, adactis priùs ſacramento militibus, ipſos contrà nullum exercitū, qui ſub IVL. CÆSARE meruiſſet, arma ſumturos; C D. è ſuis, cum Tribunis aliquot & Centurionibus, in Vrbem ad Senatum mittit; qui tum pecuniam, ſibi, initio belli contra ANTONIVM decreti, promiſſam, (v. Mille ſeſtertia) tum Conſulatum Cæſari, Imperatori ſuo, peterent.

Hic cunctante Patrum Concilio, CORNELIVS Centurio, Princeps legationis, reiecto ſagulo, oſtentans gladij capulum, auſus eſt dicere; *Hic faciet, ſi vos non feceritis.*

Militibus itáque, re infectâ ad ſe reverſis; & monitis priùs ANTONIO & LEPIDO, ut & ipſi quàm primùm accederent; motis caſtris, traiectoque Rubicone, VIII. legiones hoſtiliter, Vrbem versùs, ducere cæpit.

Senatu præ cæteris, inter hunc Vrbis totius pavorem & tumultum, conſternato; Legati ad Cæſarem mittuntur, qui eidem etiam abſenti Conſulatum deferrent; & legionibus amplius donativum, quàm promiſſum fuerat, repræſentaretur.

Dum legati cum mandatis ad Cæſarem proficiſcuntur: & ſimul duæ legiones ex Africâ accitæ in Portum adpulcuiſſe nuntiantur; ſumtâ inde de novo fiduciâ. Patres omnia armis priùs experiunda, quàm patriæ libertatem prodendam, mutato Sen. Conſulto decernunt. Et, auctore CICERONE, qui à primo adventûs Cæſaris die eátenus latuerat; ſaga, depoſitis togis, iterùm ſumunt.

CÆSAR VRBEM OCCVPAT. Cos. CREATVS NOVAS LEGES PERrogat, & cum Antonio paciſcitur.

Atque diſtributis per urbis regiones præſidijs; eiuſque cuſtodiâ prætoribus mandatâ, militibus Cæſaris, *ne ad urbem propius XCIII. paſſ. Millib. accederent*, interdicunt.

CÆSAR offenſus tàm ſubitâ & indignâ Senatûs inconſtantia; dimiſſis non ſine pudore legatis; equites, certos, ut *populo ſe pacatum advenire, nuntiarent*, præmittit. Admotiſq; propiùs legionibus, primū ea quæ circà collem Quirinalem eſſent; & deinde Vrbem, ſine certamine occupat. Et non modò fauſtis officioſiſſimæ plebis acclamationibus; ſed inſigni Patrum etiam, qui maiorem partem animos deſubito mutárant, adgratulatione, & nullo non officiorum genere, acceptus, introducitur. adeoque, ut tres legiones, quæ ad Vrbis cuſtodiam erant admiſſæ, ad ipſum confeſtim tranſirent.

Ipſe, exercitu in Campum Martium adducto; & comitijs centuriatis; per duos proconſules, (qui in id, loco Interregis, à prætore urbano creati erant) habitis; vixdum XX. annos natus, (pridie natalis ſui, x. Kalend. Octob.) cum Q. PEDIO coheréde, Conſul creatus, ſive ſuffectus eſt.

Conſul itaque iam factus, primùm DOLABELLAM, quem Senatus, ob interfectum TREBONIVM, hoſtem iudicárat; *lege latâ, & populi ſuffragijs abſolvit.*

Legem deinde per PEDIVM collegam perrogavit; de *quæſtione in eos habendâ; quorum operâ & conſilio Pater IVLIVS occiſus fuiſſet. Omnibuſq; qui CÆSAREM interfecerant; vel eius facinoris conſcij fuerant, damnatis, aquâ & igni interdictum eſt.* Poſtulatique eâ lege in primis, M. & D. BRVTI, C. CASSIVS, P. CASCA, & in cæteris, SEX. POMPEIVS, quòd eidem hoſtis fuiſſet.

His ita conſtitutis, quia vireis ſuas longè imbecilliores videret, quàm ut ſolus Caſſij Brutique copijs (qui iam XVII. (al. XX.) legiones ſub ſignis habere ferebantur) reſiſtere poſſet; ſeriò de ANTONIO ſibi firmius iungendo cogitare cæpit. Et Senatui per eumdem PEDIVM perſuadet; ut antè quàm factionum ſtudia invaleſcant, cum LEPIDO & ANTONIO publicè in gratiam rediretur.

Antiquato itaque priore Sen. Conſulto, litteræ à Senatu & Cæſare, benivolentiæ plenæ, ad ANTONIVM perſcriptæ ſunt; & fedus paullo-poſt ſancitum.

D. BRVTI EXITVS.

D. BRVTVS, cum IV. veteranis, & ſex tironum legionibus, quas contrà ANTONIVM ex S. C. ducebat, fame rerumque inopiâ preſſus, & à ſocijs deſertus; conſtituerat ad M. BRVTVM & CASSIVM, in Macedoniam, perfugere. Sed legiones tædio & difficultate itineris, inſueti & pedeſtris, quod traiecto Rheno per Germaniam, & Illyricum, facere propoſuerat; deterritæ: VI. tironum ad Cæſarem; IV. veteranæ, (inediâ Mutinenſi extenuatæ) ad ANTONIVM deficiunt. Ipſe, dum Aquileiam, habitu Gallico, & cum X. dumtaxat corporis cuſtodibus, peteret, à latronibus in itinere captus; & ad CAPENVM Sequanum, qui regioni illi præerat, deductus, & primò humaniter acceptus; ſed poſteà ANTONIO ab eodem proditus eſt. & huiuſdem iuſſu, ſubmiſſo percuſſore FVRIO, occiſus; caputque præciſum, & ad Antonium perlatum.

Ita D. BRVTVS, ſeſquianno poſt caſum CÆSAREM, parricidij pœnas dedit. Nec multo-poſt MINVCIVS BASILLVS, è percuſſoribus unus, à proprijs ſervis, quos per iram caſtraverat, interemtus eſt.

TRIVMVIRATVS ET PROSCRIPTIO.

D. BRVTO eum in modum ſublato; paceque inter Cæſarem, & Antonium Lepidumque, ex Galliâ in Italiam arceſſitos, confectâ, locum congreſſui colloquioque deligi placuit, ad confluenteis, Peruſiam inter & Bononiam.

Præmiſſo LEPIDO, qui locum & inſidias, ſi quæ eſſent, exploraret; Cæſar & Antonius, cum V. hinc indè legionibus, ex pacto, eò convenére: & comitibus amiciſque extrà inſulam relictis, tres ſoli in inſulam tranſgreſſi; protractoque in biduum ferè de ſummâ reip. & imperij, colloquio; iunctis tandem dextris (a. d. VIII. Kalend. Decemb.) *ſub ſpecie tollendæ inter civeis diſſenſionis, & Reip. rite conſtituendæ,*

feralis

feralis funestissimique federis societatem ineunt.

PROVINCIARVM INTER III. VIR. PARTITIO. TABVLÆ FERALES.

Populi Rom. imperium, quasi *privatam possessionem*, *partiti* ita ut Cæsar utramq; Libyam, cū Sicilià & Sardiniâ; LEPIDVS, Hispaniam & Galliam Narbonensem; reliquas Antonius, obtineret Gallias. (De Asiâ & transmarinis provincijs, quòd tum ab adversarijs tenerentur; nihil pro tempore actum.)

Placuit præterea; ut ipsi III. Viri *Reip. constituendæ* dicerentur; idque cum summo imperio, & consulari potestate, in quinquennium: *Magistratus omnes, nec Senatu, nec populo consulto, quibus ipsi vellent, mandarent.*

Additum; ut Cæsar, deposito consulatu, Vendidium sibi sufficeret. Antonius & Cæsar, M. BRVTVM & CASSIVM bello persequerentur. LEPIDVM verò, in D. BRVTI locum, in insequentem annum, Consulem designant; & interea, Romam, reliquamq; Italiam, cū III. legionibus, tueri iubent.

Et ne quod ad bellum longinquum profecturis domi ab adversarijs, aut æmulis potentiæ ipsorum periculum esset; placuit, *pessimum Syllanæ proscriptionis exemplum revocari, & civium inimicorum cædem tabulis edi.*

Præmium eorum percussoribus, quique caput proscripti ad III. Viros deferrent; *ingenuis quidem* XXV. Millia H. S. in singula capita: *servis*, dimidiū eius, & ius civitatis cum libertate. totidem, *indicibus* illorum, qui proscriptos celassent aut protexissent.

Militibus, præter cætera donativa post victoriā, *missionem & colonias XIIX. urbium Italicarum*, opibus & fertilitate præcipuas, cum prædijs tàm urbanis, quàm rusticis, promittunt.

Huius tàm exsecrandæ coitionis crimen, sustinebant ANTONIVS & LEPIDVS; quorum *crudelitas optimis cædem; reliquis servitutem moliebatur.*

CÆSAR diu pro naturæ lenitate, ne qua præter Patris sui percussores, proscriptio fieret, intercedebat. Sed frustrà. sanguinarijs collegis *studio ultionis inflammatis, quos neque à nefario furore, necessitudinum aut propinquitatis vinculum; neque pietas aut religio revocabat.*

Sic ANTONIVS L. CÆSAREM, avunculum suum, Cæsari proscribendum permisit; ut ipse in locum eius Ciceronem acciperet, pro cuius salute Cæsar diu contenderat. LEPIDVS similiter fratrem suum PAVLLVM ANTONIO, impiè trucidandum proposuit.

Feruntur Senatorum quidem primùm CXXX. deinde CL, Equitum verò bis Mille, nomina, in hasce tabulas relata.

L. tamen Cæsarem, Iulia, Antonij mater, utpote fratrem, precibus à filio extorsit: & PAVLLVM, dissimulante fratre LEPIDO, Centurionum pietas servavit.

Nec pauci è proscriptis ad BRVTVM & CASSIVM, in Græciam: ad Cornificiū, in Africam se recepere. Certissimum autem, uti & brevissimum, perfugium fuit Sicilia, ad Sex. Pompeium; cuius tunc singularis in miseros cives pietas exstitit. quique dimissis Romam, & ad alias urbes præconibus, & ad oras maris, navibus; proscriptos omneis invitârit, tutum hospitium, & res necessarias pollicitus.

Neque enim in Vrbe solùm tàm tristis rerum facies; sed in agris, & omnibus penè per universam Italiam municipijs, obversabatur: & passim vel fuga, vel cædes.

CICERONIS EXITVS.

CICERO, tot nominibus de patriâ optimè meritus, nunc desertus & proditus; quùm post fugam (sub adventum namq; III. Vir. urbe cesserat, ab Caietâ navim cōscensurus) & latebras, angoribus & tædio vitæ cōfectus, quod fors iniqua; & maior iniquitas Antonij, cogebat, fortiter ferendū duxisset; immotā cervicem M. Popilio Lænati, militi legionario, (quē ipse parricidij reū, manifesto mortis debitæ periculo, olim patronus, eripuerat) feriendā præbuit. in Formiano, villâ, haud procul à mari.

Capite præciso, tàm stolida fuit militum crudelitas, ut manum quoque dexteram, quæ acerbè scilicet in Antonium scripsisset, cum pari exprobratione, præciderint.

Antonius Tribuno percussori coronato; præmiū H. S. decies exsolvit: capitis manûsque, dum comitia in foro habet; eminùs ostentatæ, spectaculo oblectatus.

Fulvia verò eius uxor, arreptum utrâque manu caput, & genibus impositum, conspuens, & atrocibus opprobrijs illudens; linguam etiam ex ore extractam acubus crinalibus compunxit.

Demùm post eiusmodi ludibria, idem caput, cum manibus, pro Rostris, undè ille toties in Antonium fuerat concionatus; loco illustri defixum est.

Sic CICERO, VII. Id. Decemb. quùm vixisset annos ferè LXIV. naturæ & fato satisfecit: vir magnus ac memorabilis, (si quis vitia virtutibus pensarit.) summâ cum Antonij invidiâ & infamiâ exstinctus. (Eius frater Q. CICERO, cum filio, pari fato, paucis antè diebus fuerat defunctus.)

CÆSAR, paternæ æmulus clementiæ, non paucis ex ijs, quos proscripserat, ignovit; multos è reliquis servavit. graviter in eos statuens, qui dominos atque amicos prodidissent; & vicissim in eos, qui eosdem protexissent, beneficus.

Compertum tum fuit, magnam fuisse in proscriptos uxorum fidem; egregiam filiorum in parenteis; libertorum mediocrem, servorum in dominos raram. variam tamen universorum: & ut aut præmiorum spes, aut sceleris licentia invitabat, infidam.

Ad Antonij furiosi & temulenti hominis in proscribendo libidinem, Fulviæ uxoris occæcata rapiendi aviditas, faceis & furias accedebat; ut numerus proscriptorum in incertum semper augeretur. Et quos per armorum licentiam, inimisi percussores, vel per errorem, vel propter privatas inimicitias, vel etiam ob alienas simultates, trucidaverant; eos, uti iure cæsos, in Tabulas illas sanguinarias adscribi, patiebantur.

NOVI COSS. TRIVMPHI. EX HISPAN. ET GALLIA.

Sub id tempus mortuo in magistratu Q. PEDIO, collegâ Cæsaris, & ipso Cæsare consulatum, quem tàm impotenter paullo-ante expetierat, abdicante; Consules in eorum locum suffecti sunt, P. VENTIDIVS BASSVS, (depositâ prætura, quam gerebat) & C. CARINAS.

Item, ex Hispaniâ, LEPIDVS, III. Vir. (qui Hispaniam & Galliam Narbonensem priore anno à IVL. CÆSARE obtinuerat; & SEXTVM POMPEIVM, cum POLLIONE belligerantem, ut Hispaniâ decederet, spe de bonis paternis reciperandis iniectâ, induxerat.) Et L. MVNACIVS PLANCVS, ex Galliâ (al. ex Rhætis) (ubi, iussu Senatûs, Lugdunum opidum, ad confluenteis Araris & Rhodani, condiderat, (al. & Rauricam,) deductis eò civibus Romanis, qui ab Allobrogibus olim Viennâ Narbonensi expulsi fuerant) finguli antè Kal. Ianuar. triumphârunt.

Et quòd LEPIDVS fratrem suum, PAVLLVM, proscripsisset; quod que PLANCVS in fratris, Plotij, proscriptionem consensisset; milites currum triumphalem comitati, inter iocos, & civium exsecrationes, hunc versum usurpâsse traduntur;

De Germanis, non de Gallis, duo triumphant Consules. Designati scilicet in annum sequentem Coss.

BRVTI ET CASSIJ IN TRANSMARINIS PROVINCIIS, MOLITIONES, & copiarum adparatus.

Intereà, dum ad hunc, quem diximus, modum Italia per Triumviros convellitur; M. BRVTVS & C. CASSIVS, alijque federati, rerum suarum in Europâ ulteriore, Asiaque, & alibi, satagebant.

Illi quidem, specie procurandæ annonæ, ex Vrbe in Campaniam egressi; ibique aliquamdiu, nondum finitâ præturâ, commorati, è Veliâ solventes, & in Græciam navigantes, Italiâ cesserant: præter cæteras civitates, in Pyreéum adpulsi, ab Atheniensibus, statuis etiam æreis, honorati sunt: quæ ipsis, tamquam tyrannicidis, ob facinoris adfinitatem, iuxta HARMODIVM, & ARISTOGITONEM, Hipparchi olim Pisistratidæ, tyranni, percussores, positæ fuére.

Ipsi Cretâ, & Cyrene, (al. Bithyniâ) uti minoris momenti provincijs cōtemtis, ad Syriam & Macedoniam, sibi anteà decretas, adspirabant. Et dum CASSIVS Syriam, sibi à Parthico bello spectatam atque obnoxiam, petit; BRVTVS de Græciâ & Macedoniâ, cum Illyrico, tenendâ, cogitabat.

Et universâ mòx Græciâ nullo ferè labore occupatâ; & accepto in contubernium M. CICERONE, Oratoris filio, qui Athenis sapientiæ studijs operam dabat; ad Macedoniam sibi adiungendam conatus convertit.

Quò postquam C. ANTONIVM, ut Q. HORTENSIO succederet; eamque provinciam, M. fratris auspicijs, occuparet; properare intellexisset: M. CICERONEM, industrium tum adolescentem, cum equitatu eò præmittit. Ipse ab ANTISTIO Vetere, C. TREBONII Quæstore, HS. quadringenties conficit: & collectitium, tum ex eo milite, qui à clade Pharsalicâ superstes oberrabat: tum qui DOLABELLAM, caussis certis impeditus, consequi non poterat; exercitum conscribit; & sub signa cogit.

M. CICERO, ubi in Macedoniam pervenit, legionem unam à L. PISONE, C. ANTONII legato, recepit. Et ex equitatu, qui ad DOLABELLAM ducebatur, Quingentis; qui duce CINNA per Thessaliam iter faciebant, eo relicto, ad Brutum sese contulérunt. reliquos in Macedoniâ, Cn. DOMITIVS AHENOBARBVS... à legato Syriæ abduxit.

BRVTVS in Demetriadem profectus, infinitam variorum armorum vim, quæ mandato IVL. CÆSARIS ad Parthicum bellum erant comparata, quæq; ad Antonium deportabantur, occupavit. Et summâ celeritate usus, eodem tempore in Macedoniam, quo C. Antonius in Illyricum; pervénit. Ibique Q. HORTENSIVS, & M. APPVLEIVS, qui exercitum in Macedoniâ comparaverant; se cum BRVTO coniungunt.

BRVTI PROGRESSVS, ET INCREMENTA.

ANTONIVS, ut VII. P. Vatinij legiones præoccuparet, Dyrrachium & Apolloniam summâ festinatione contendebat; quùm Brutum loca aspera & prærupta, & nives, frigidaque in montibus tempestas, retardarent. Legiones tamen, Antonio per Vatinium, quem etiam oderant, repulso, ad Brutum, cum Apolloniatis, defecére.

ANTONIVS, multis frustrà ad Buthrotum & Bulidem tentatis, à CICERONE, BRVTI legato, victus, & in loca paludibus intercisa, depulsus; & equitatu undique, velut indagine, einctus, se cum cohortibus aliquot in Bruti fidem potestatemque tradidit.

Tenebat itaque Brutus treis, quas dixi, provincias, & VIII. legionum exercitum, cum equitatu.

Quumque ea omnia, missis Romam litteris, S.P.Q. Romani potestati permitteret; S. C. factum est; *quo BRVTO Macedonia provincia, Illyricum, & Græcia, cum Proconsulari imperio, quoad ipsi, ex alio S. C. succederetur; sunt decreta.*

Ita copijs auctus, & imperio confirmatus BRVTVS, de gratiâ quidem cum Cæsare sarciendâ, & de societate adversùs Antonium, communem hostem, iungendâ cogitabat; sed certior factus Cæsarem in consulatum invasisse, & fedus cum Lepido Antonioque percussisse: C. CÆSARIS, ad hæc, percussores Lege Pediâ condemnatos, abiectâ reconciliationis spe, omni sibi ope adnitendum censet, ut armis se suamque dignitatem ab inimicis tueretur.

C. ANTONII EXITVS

C. ANTONIVS, quem licet captivum, benignè & liberaliter

liberaliter Apolloniæ BRVTVS habebat, & cum prætorijs ornamentis in ullo vivere permittebat; corruptis Tribunis & Centurionibus aliquot, exercitum Bruti ad seditionem, concitare, atque ita per tumultum evadere, primùm tentárat. Deinde, M. Frater, qui eum è custodia eriperent, clàm submiserat; unde Q. CLODIVS, cuius ille curæ fideique erat commissus; sive proprio consilio, sive occulto BRVTI iussu, eum interficiendum curavit.

BRVTVS ut à turbidis consilijs, rerumque novarum studio, exercitum retraheret; relicto in Macedoniâ Proprætore Q. HORTENSIO, ipse in Thessaliam movit. & ut sociorum opibus copias suas aleret, in Asiam traiecit.

DEIOTARVM, Gallogræciæ regem, qui Cassio, ob senium, se excusaverat; in parteis suas traducit. auxilia undique pecuniasque cogit.

Sed certior factus de maximo belli adparatu, & Cæsaris Antonijque conatibus, qui mòx terrâ marique in Macedoniam incubituri esse timerentur; in provinciam suam, ad subita belli occursurus, properabat.

Quùm in Thraciam adpulisset, XII. cohorteis P. DOLABELLÆ, quæ in Chersonneso vagabantur, ad se traducit. regnumque SADALIS, cuius ipse moriens pop. Rom. heredem testamento instituerat, occupavit.

Inde in Bessos, Æmi montis accolas, movit. quos postquàm, RASCVPOLIOIS reguli operâ adiutus, imperata facere coëgisset; Imperator ab exercitu salutatus est.

Ibi & POLEMOCRATIAM viduam, cuius maritus eâ in regione regulus ab inimicis cæsus fuerat, ad se, cum ALMO F. confugientem, in suam pop.que Romani fidem ac clientelam, una cum infinitâ auri argentique copiâ, suscepit. & Cyzicenis puerum, quuusque eius iniurias opportunè ulcisci posset; educandum commendavit. Ex auro autem & argento, quod rude acceperat, pecuniam signari fecit. quæ *adversâ parte, ipsius imaginem; aversâ, Pileum inter duos pugiones, & Idus Martias exprimeret. Monimentum adserta eo die, occiso Cæsare, Libertatis.*

Ipse, quùm CÆSAREM & ANTONIVM tardiùs, quàm nuntiatum fuerat, bellum moliri intelligeret; in Asiam redijt, ut Lycios, adhuc cunctanteis, ad societatem adigeret.

Nunc ad res à Cassio gestas veniamus.

PAR BRVTI CASSIIQVE FORTVNA. HVIVS PROGRESSVS.

Admirandum sanè ab omni sæculorum memoriâ: haud temerè duos reperiri potuisse, & quidem eiusdem facinoris necessitudine coniunctos, quos aut fortuna, diversis licet locis, pronius comitata fuerit; aut rursus veluti fatigata, celeriùs, propè uno momento & loco, quam quos dico, BRVTVM & CASSIVM, deseruerit.

CASSIVS itaque à BRVTO digressus, dum in Syriam, provinciam sibi attributam, ut P. DOLABELLÆ conatibus anteverteret, propetandum sibi statuisset; Smyrnæ C. TREBONIVM, Asiæ Proconſ. convénit. ab eo, atque P. LENTVLO, Proquæstore, pecuniâ, milite atque armis instructus, in Syriam accelerat. præmissum à P. DOLABELLA equitatum, operâ Lentuli occupat, & ad se transducit.

Ciliciæ regulum, TARCHONOIMOTVM; & Tarsenseis, Iuliorum clienteis, etiam invitos, ad societatem compellit. Inde in Syriam transit, quam Q. Cæcilij Bassij audaciâ scelereque turbatam repperit.

SEDITIO ET INSANIA MILITARIS; Basso auctore, Ignavia Sex. Iulij Cæs.

BASSVS ille, eques Romanus, è clade Pharsalicâ elapsus, qui Tyri negotiatorem se esse diu simulárat; præsidia quæ eâ in urbe erant, ad defectionem pellicere, & inducere cœpit.

Præerat tunc Syriæ, Proquæstore, SEX. IVLIVS CÆSAR, quem Dictator, gentilis, dum contrà PHARNACEM per Palæstinam moveret; illi provinciæ, eum imperio & unâ legione, præfecerat.

Is in voluptates proiectus, disciplinæ militaris severitatem remiserat. adeò ut dum seditione, per factiosos, in præcipitem amentiam erumpente, SEXTVS obsistere nititur; iaculis à Principibus tumultûs confixus sit. ijdemque promissis impleti, & donis à BASSO corrupti, signa ad eumdem, sui furoris ducem, transtulerint.

Ex ijs plerique, pòst facti etiam pænitudinem, insanabiles, quòd ob cædis atrocitatem de veniâ & clementiâ Cæsaris, propinqui, desperarent; fide datâ acceptâque coniuraut. & Q. BASSVM, quem Prætorem salutárant, sacramento etiam obstringunt; *nisi deprecantibus ipsius infamia gratia à Cæsare condonetur; armis suam salutem tutaturos.*

L. STATIVM MVRCVM, ut de flagitiosis pœnas sumeret; cum III. legionibus à CÆSARE missum, acriter repellunt. Sed iam MVRCO, Q. MARCIVS (al. M. MINVTIVS) CRISPVS, cum totidem legionibus è Bithyniâ accesserat.

BASSVM itáque, qui conscriptâ & alterâ legione in Apaméam, Cœles-Syriæ urbem, se receperat; Cæsariani illi duces cum sex legionibus obsidione cingunt.

CASSII INCREMENTA.

Supervénit intereà C. CASSIVS, qui MVRCO & CRISPO amicè salutatis, eosdem de miserabili rerum Romanarum statu, & de Senatûs voluntate edocet. Vireis pro tempore sociandas esse, quibus Resp. à servitute & crudelitate Triumvirorum vindicetur.

Illi persuasi, exercitus tradunt; & constantibus animis, unà cum ipso, reip. & Senatûs caussam suscipiunt. Milites quoque BASSI, missis ex obsessâ urbe ad CASSIVM legatis, eius se voluntati permisêre.

Prætereà A. ALLIENVS, DOLABELLÆ legatus, IV. quas ex Ægypto in Syriam deduxerat, legiones, eidem CASSIO transdidit.

Ita CASSIVS, Suriâ provinciâ constitutâ, & XII. iam legionum Imperator, de tam prospero rerum suarum

rum suarum successu ad Senatum perscribit: & BRVTI exemplo; *se, sua, & exercitum in S. P. Q. Rom. potestatem permittit.*

TREBONII EXITVS.

P. DOLABELLA, intellecto, Syriam à CASSIO esse occupatam: ut copias suas confirmaret; in Asiâ (quam deiecto C. TREBONIO, Proconf. armis facilè occupaturum confidebat) substitit. Et licet priùs per eumdem TREBONIVM, Pergamo atque Smyrnâ exclusus fuerat; ipse de nocte reversus, de improviso Smyrnam invasit, eamque ex insidijs occupavit.

TREBONIVS in cubili suo deprehensus, & servilem in modum, omni cruciatu à SAMARIO, DOLABELLÆ ministro, per biduum, ut de pecuniâ publicâ profiteretur; laceratus, tandem interficitur. Cadaveris trunco in mare proiecto, caput ipsius pilo præfigi & circumferri iussum est. quod milites deinde, per vias silice stratas, pro pilâ in vicem & per ludibrium sibi iactantes, ita contrivere, ut nulla facies appareret.

Senatus his de rebus certior factus, DOLABELLAM hostem iudicavit; & ad eumdem bello persequendum, CASSIO imperium detulit. Eique, censente CICERONE, Suria, Asia, Bithynia, Pontus, provinciæ decretæ: *ut ijs, & ora omni maritima, classiq, cum imperio Proconsulari; & optimâ lege, quoad ipsi ex S.C. succedetetur, præesset.*

Ipse similiter, atque BRVTVS, de Lege Pediâ certior factus, reconciliationis, quam cum Cæsare per litteras tentarat, curam deposuit; & ad belli adparatum se convertit.

DOLABELLÆ CONATVS: ET EXITVS.

DOLABELLA, Interim, præmisso cum unâ legione OCTAVIO MARSO; Asiam, quasi TREBONII cæde vacuam, diripiebat; pecuniâ, classe, armis acerbissimè imperatis.

L. LVCILIVM LVSCINVM, classis suæ præfectum, in Syriam cum navali adparatu præire iussit: atque ipse in Ciliciam profectus, deiecto ab Ægis Cassij præsidio, Tarsum, Cassij ante fidam, & ultrò deditam, recepit.

In Syriam ingressus, & ab Antiochiâ repulsus, à Laodicensibus, qui & ipsi rebus Cæsaris studebant; in urbem, Lyco flumini impositam, & totius Phœniciæ munitissimam, admissus; & partem muri demolitus, castra opido coniungit.

Dumque is ex eius urbis Portu, cum classe, in Aradum traijcere pararet; CASSIVS, ex Palæstinâ, cum X. legionibus, & XX. auxiliorum cohortibus, IV. equitum Millib. eòdem movet: & Laodicéam, à continente artissimâ obsidione cingit. Et Isthmû, (quem ibi tres fluvij, Lycus, Asopus, & Caper, factâ peninsulæ formâ, CCL. passibus latum in continente relinquunt) ne quâ hosti eruptio pateret, aggere & vallo circumcludit.

DOLABELLA, classe Ægyptiâ, & SERAPIONE duce usus, prælium navale, variâ fortunâ, committit: & tandem à STATIO MVRCO, classis Cassianæ præfecto, fusus, Laodicéam refugere cogitur.

Ibi mari terrâque circumsessus, & subinde oppugnatus, & prælio navali semel atque iterû victus: & tentatâ frustrà eruptione iterûm in opidum côpulsus; ad extremam inopiæ famisq; necessitatem (ut panis libra L. sestertijs veniret) adductus est.

Quumque corruptis, per munera DOLABELLÆ Centurionibus; & in primis Quinctio Quæstore adnitente; & Octavij Marsi, spectatæ in tuendâ urbe, & hoste repellendo vigilantiæ, insidiante; Cassij miles, per portas minores, admissus. in opidû invasisset; DOLABELLA, ne vivus in potestatem adversarij veniret; satellin sese feriendum præbuit, (al. suâ manu se transfixit. quod & Marsus fecit.)

CASSIVS tamen Dolabellæ cadaver sepeliri permisit: eiusque milites sacramento suo adegit. In Laodicenos, & eos maximè, quorum consilio Dolabella receptus fuerat; severiùs animadvertit. & civitatem publicâ privatâque pecuniâ multatam, militum direptioni concessit.

CASSIVS AB EXPEDITIO NE ÆGYPTIA REVOCATVR. EIVS RAPACITAS.

Iamtum CASSIVS expeditionem in Ægyptû mohebatur; ut reginam CLEOPATRAM, quæ classe DOLABELLAM iuverat, & ad Cæsarem Antoniumque navigare constituerat; ulcisceretur. regnumq; eius, deducto iam inde, per Allienum, legionû præsidio, pænè vacuum, occuparet. Verùm ab illo incepto, crebris BRVTI litteris avocatur; ut sibi adversùs Antonium Cæsaremque, iamtum mare traiecturos, auxilio venire properaret.

Quùm intereà Tarsenses TVLLIVM CIMBRVM, qui ex Bithyniâ copias ad CASSIVM deducebat, portis exclusissent; & contumelijs in iratum insultassent; eam iniuriam ut CASSIVS ulcisceretur; tributû ijs centies & ter sestertiûm imperavit.

Milites ad eam pecuniam cogendam missi, non modò civeis iniquâ collatione ad inopiam redigebant; sed libera etiam corpora, nullo ordinis, sexûs aut ætatis discrimine, ad servitutem vendebât. Donec CASSIVS superveniês, & civiû vicem miseratus, eosdem liberos esse iuberet.

IVDÆA TRIBVTIS ADFLICTA. HERODIS INDVSTRIA.

IOSEPH. lib. 14. memorat; CASSIVM, præ cæteris, Iudæam tributorum gravitate adflixisse; & ampliùs DCC. argenti talenta imperasse. Cuius quidem pecuniæ, præproperâ exactionem, quùm minas Cassij veritus, ANTIPATER, partim filijs, partim MALICHO partim sibi fido, alijsque commisisset; primus HERODES ex Galilæâ, quãtum imperatum erat, adtulit: maximamque eo nomine à CASSIO gratiâ iniit. Quòd ille in posterum conducibile fore sibi existimaret; alieno sumtu, & debiti repræsentatione, Romanorum benivolentiam sibi comparare.

Aliorum procuratorum ea fuit, in colligendis pecunijs, incuria; ut civitates ipsæ, Gophna, Emaus, Lydda & Thamna, cum incolis, venum proscriberentur, & à CASSIO hastæ subijcerentur.

MALCHI ARABIS MALIGNITAS.

CASSIVS in MALICHVM etiam eo in negotio cûctatorem, aut infidû, ita exarserat; ut eum interfe- ctum

cturus fuisset; nisi Hyrcanus, per Antipatrum, C. talentis de suo missis, iram eius lenijsset; & civitates eo, quod dixi, periculo liberâsset.

At MALICHVS beneficij immemor, digresso Cassio, non destitit insidias ANTIPATRO, suo servatori, moliri; cuius morte, dominatus Hyrcano & sibi securior esset futurus.

Et ANTIPATER eius consilia subodoratus, copijs ultrà Iordanem, tum ex indigenis, tum ex Arabibus, collectis, ad se ab eius insidijs defendendum comparabat: quùm ille, novâ impudentiâ usus, cum Phasaëlum, Hierosolymæ præsidijs præpositum; tum HERODEM, custodiæ armorum destinatum, obtestationibus & sacramentis inductos, eò impulit; ut sui, tamquam innocentis, cum Patre ANTIPATRO, reconciliandi auctores essent. Et MVRCVS, Syriæ tum præses, SEXTI CÆSARIS succidaneus, qui MALICHVM, rebus novis in Iudæâ studentem, interficere constituerat; ab ANTIPATRO exoratus, incolumitatem ei præstaret.

HERODES COELE-SYRIÆ PRÆFECTVS. ANTIPATRI PATRIS exitus.

Idem autem MVRCVS, & CASSIVS, exercitu è Syriâ conflato; & adornatâ in Cæsarem Antoniumque expeditione; HERODEM qui sibi magno ad res gerendas usui fuisset; toti Cœle-Syriæ, classe, & equitum peditumque manu attributâ; procuratorem dedêre. regnum Iudææ etiam, finito bello, polliciti.

Sic spes, & fortuna filij, Patri ANTIPATRO exitium properavêrunt. MALICHVS namque futuram utriusque amplitudinem metuens, corrupto Hyrcani, apud quem ambo epulabantur, Pincernâ, missum veneno poculum Patri præbendum curavit; & adscito in parteis milite, civitatis gubernacula capessivit.

Hic finis ANTIPATRI, viri strenui, & ad res administrandas idonei; qui reciperatum HYRCANO regnum conservârit.

HERODES PATRIS MORTEM VLCISCI STVDET.

Homo quidem ille sceleratus, & veneficus, Herodem & Phasaëlum filios, detectis in Patrem insidijs, indignanteis, facti inficiatione cludere tentabat; & armatorum interim manu se muniebat; quùm HERODES Patris mortem confestim ulcisci, & percussorem cum exercitu adgredi iam paratus esset; ni Phasaëli consilio inductus, & vulgaris seditionis aut civilis inter se belli metu deterritus; cædem, eiusque auctorem, demisse se purgantem, pro tempore dissimulare; & ad solvendas Patri inferias se convertere, fatiùs duxisset.

Ipse nihilo minus rebus Samatiæ, quæ seditione tùm fluctuabat, compositis; & civium controversijs, iure æquabiliter reddito, diremtis; quùm die festo ad urbem Hierosolymam, cum militibus, accessisset; & ab Hyrcano (qui nefas esse, sanctis populi cerimonijs profanam turbam superinduci, prætexebat) ingressu prohibitus esset; contemtâ obnuntiatione, de nocte introijt: & MALICHVM tanto terrore perfudit; ut ad se veniret: & simularis lacrymis, ANTIPATRI, tamquam amici, mortem deploraret.

HERODES, quamvis vix animo dolorem premeret; vitandæ tamen suspicionis causâ, hominem comiter tractat: & hoc interim spatio apud Cassium, de indignâ Patris nece, per litteras, conqueritur.

Ille vicissim non modò ad ulciscendam Patris mortem, & pœnas de MALICHO, homine sibi inviso, sumendas, cohortatus est; sed Tribunis etiam, qui apud Tyrum agerent, mandavit, ut iustis HERODIS conatibus adessent.

MALICHI SVBDOLÆ MOLITIONES; ET EXITVS.

Quumque captâ à CASSIO Laodiceâ, Optimates quique pecunias, cum Coronis, ad CASSIVM victorem adferrent; & ipse HERODES, unà cum HYRCANO & MALICHO, eòdem iter facerent; & locus ille ultioni destinatus commodusque visus esset; MALICHVS suspicione fraudem, circà Tyrum, adsecutus, maiora animo moliri adgressus est.

Filium itaque, qui obses eâ in urbe servabatur, furtim eripere, & secum in Iudæam abducere; & dum Cassius civili contra Antonium bello distinetur, gente Iudæorum ad defectionem concitatâ, deiectoq; Hyrcano, Principatum patriæ invadere cogitabat.

HERODES, homo non minus callidus, & MALICHI institutum quasi subodoratus; ipsum, & Hyrcanum, ad cœnâ vocârat. Et famulo quasi ad instruendum convivium præmisso, Tribunos Cassianos arcessit; monetque; ut cū pugionibus venienti MALICHO occurrant.

Illi verò ex urbe egressi, & hominem in litore, propè urbem, nacti, multis vulneribus confodêrūt. Hyrcanus eo facto attonitus, & intelligens tādem è Tribuno, Cassij iussu id esse perpetratum; facinus auctoremque laudavit, qui se, & Patriam, à communi scilicet insidiatore, incolumem servâsset.

NOVA HIEROSOLYMIS SEDITIO.

Vix è Syriâ excesserat Cassius, quùm nova Hierosolymis orta est seditio. Felix namque, qui ibi cū militibus erat relictus, populo etiam ad arma corripienda, cōcitato; in Phasaëlum impetū fecit; fratris pœnâ, scilicet, Herodem, ob Malichi necē, ulturus.

HERODES tum cum Fabio, duce Romano, apud Damascum distinebatur, ne fratri succurrere posset, morbo impeditus.

Sed Phasaëlus superato per se Felice, & in turrim quamdam compulso; unde cum, incolumitatem priùs pactum, abire passus est; graviter cum Hyrcano expostulavit; qui Patris, & suorum beneficiorum oblitus, hosti faveret; & à fratre MALICHI multa castella, &, in cæteris, Masadam longè munitissimam, occupari permisisset. Sed & hunc Herodes, simulatque convaluit; ijs, quæ ceperat, castellis exuit; & supplicem incolumemque ex pacto dimisit.

ANTI-

ANTIGONVS RES NOVAT; ET VINCITVR.

ANTIGONVS, ille ARISTOBVLI F. à PTOLEMÆO MENNÆO, ob adfinitatem, adoptatus, conciliato sibi, pecunijs soceri, FABIO, exercitum iam cõparaverat. Eumque MARION, Tyrannus Tyrijs à CASSIO impositus; & iam aliquot in Galilæâ conterminâ arcium potens, enixè adiuvabat.

HERODIS GRATIA: ADFINITAS CVM HYRCANO, DVCTA MARIAMME.

Verùm HERODES eò profectus, & castella recepit; & Tyrannum totâ Galilæâ expulit. Antigonum verò, vix extremos Iudææ limites ingressum, & prœlio superatum, inde profligavit.

Eam ob rem cum tot victoriarum insignibus Hierosolyma revertentem, tam HYRCANVS, quàm populus, coronis muneribusque honoravit.

Eo autem nomine, utrisq; iam carior erat; quòd gener, per sponsionem, in HYRCANI familiam adscitus esset; & ducturus, MARIAMMEN, ALEXANDRI ARISTOBVLO geniti filiam; HYRCANI ex filiâ neptem.

Ille autem ex ea uxore mares treis, & filias duas suscepit, quùm ex DORIDE populari, quæ ei priùs nupserat; ANTIPATER natus esset, è filijs maximus.

CASSII ET BRVTI EXPEDITIONES, IN LYCIOS ET RHODIOS. ET HORVM calamitas, & Romani ducis rapacitas.

CASSIVS cum omnibus copijs è Syriâ in Ioniam profectus, cum M. BRVTO, Smyrnæ, de summâ rerum colloquium habet. Et licet BRVTVS, quia DECIDIVS SAXA, & NORBANVS FLACCVS, partium legati, Ionium mare traiecisse nunciabantur; coniunctis copijs in Macedoniam properandum contenderet; CASSIVS tamen, prius quàm in Europam traijcerent, Lyciorum & Rhodiorum (qui soli, cũ ARIOBARZANE Cappadoce, societatem suam detrectabant) contumaciam (ne quid hostile aut infestum à tergo relinqueretur) armis contundendam evicit: ut Brutus Lycios; Cassius Rhodios debellandos sibi sumerent.

Rhodij, rei navalis peritiâ confisi, & concurrere cum Cassianâ classe ausi; priùs apud Myndum; iterumque apud Rhodum ipsam, à Statio Murco superantur.

Et Cassius Rhodum urbem terrâ per P. LENTVLVM; & mari, per eumdem Murcum, LXXX. navibus obsessam, & aliquamdiu oppugnatã, brevi se ad deditionem adacturum confidebat. quùm operâ, sive proditione quorumdam, qui eius erga civeis clementiam eo pacto demereri studerent; spe citiùs, intrò in urbem receptus est.

Ille nihilo minus in dedititios, & suos quondam alumnos, inclementiùs consuluit. Quinquaginta, quos nominatim citari iusserat, capitali sententia damnatis: & XXV. alijs, quòd ad præconis vocem non adparuissent; exsilio mulctatis. Etiam ARCHELAO, (quo in Græcis litteris & disciplinis, dum ibi olim degeret, præceptore usus fuerat; quemque cives pro se deprecatum miserant) immodestiùs reiecto.

Contentus tamen, ut præferebat, paucorum supplicio, militem à direptione & vexatione civitatis abstinere iubebat.

Cæterum Rhodios, tamquam fœderis, quod M. MARCELLO, & Ser. SVLPICIO Coss. pridẽ renovatũ erat, violatores: qui Dolabellam, hostẽ à Senatu iudicatum, navibus militeque iuvissent; cõdemnat. Et mox per præconem, quidquid auri argentique, sive id rude sive signatum foret; privatim publicèque, cuiquam in urbe, aut in fanis esset; ut id omne ad diem constitutum repræsentaretur; severissimè imperavit. Et despoliatis tantâ & lictorum exactorumque, & iudicum acerbitate Rhodijs; cæteras ipsis fortunas Cassius iubet esse liberas; amicitiamque pop. Rom. communiter servare.

ARIOBARZANEM, Cappadociæ regem, quia nullam cum eo societatem inire voluerat; per equites, quos in Cappadociam præmiserat, derepentè oppressum captumq; occidi iussit. ex quo immensa pecuniæ, reliquique adparatûs copia ad eũ relata.

Asiæ, universè X. annorum tributum extrà ordinem, idque ex censu conferendũ, & usque ad H.S. octogies millies, sine morâ repræsentãdũ, imperavit.

Relictoque ibi ad præsidium L. VARO; STATIVM MVRCVM, cum legione unâ, & sagittarijs, navibusque LX. adversùs classem, quam fama erat ex Ægypto à Cleopatrâ instructissimam ANTONIO & CÆSARI subsidio navigare, ad Tænarum, Peloponnesi promontorium, una opperiri atque observare iubet; & si intercipere non posset; eius saltim navigationem impedire.

BRVTVS LYCIOS DOMAT, XANTHIORVM CLADES.

BRVTVS intereà in Lyciam, Rhodiorum provinciam, profectus, gentem turbulentis Naucratis præfecti concionibus ad arma concitatam; & aditus monteisque præsidijs militum insessos; repperit.

Circumducto itaque per occultas semitas equitatu, Lycios ad curam corporum dispersos, à fronte & à tergo opprimit, non paucis cæsis. & quod populareis beneficio potiùs, quàm metu, ab armis ad fidem societatemque revocare cuperet; captivis impunè & gratis dimissis. Fugientibus verò reliquis, tutum in urbem suam receptum, Xanthij præbuere.

Vrbs ea opulenta; & libertatis usque ad perniciem, & olim, & tum quoque studiosa; nec minùs fossis undique altis munita. Sed postquàm muri crebris Romanorũ arietum ictibus pulsati, urbem frequentibus ruinis nudâssent; & Xanthij, pro nudatâ mœnibus patriâ, corpora armata opponerent; anceps diu inter utrosque certamen, vix superveniens nox diremit.

Et opidani

Et opidani noctu cum facibus ex urbe erumpentes, incendium operibus hostium machinisque, quibus oppugnabantur, inijcere contendunt. Quibus dum incautiùs BRVTVS occurrit, non minimum vitæ suæ discrimen adijt.

Sed Brutiani proximo die facto in Xanthios per ruinas & medias flammas impetu, cum ipsis, repulsis & fugientibus, simul in opidum irrumpunt.

Xanthij, ne præda militum fierent; plura in seipsos victi facinora ediderunt; quàm victores, etiam crudelissimi, facturi fuerant.

Vrbe iam captâ, in suas quisque ædeis dilapsi; coniuges, liberos, necessarios omneis, qui ultrò etiam se iugulandos præbebant; interficiunt. ut urbe totâ gemitus, eiulatusque morientium exaudiretur.

BRVTVS eam à militibus carnificinam ratus; per præcones suis denuntiari iussit; ut *ab omni vi & direptione abstinerent*. mòx ubi Xanthios, veluti in rabiem actos, immodico libertatis tuendæ studio, ita sævire cognovit; illacrumavit. & oblatâ per præconem libertate, omnimòque incolumitate; milites insuper incendium, quod Xanthij proprijs tectis passim totâ urbe excitaverant, restinguere iussit.

Sed illi efferatiores facti, omnibus suis contrucidatis, atque in rogos compositis flammas subijciunt: & vi sibi postremò illatâ, moribundi se ipsi, ut unà cremarentur, super suorum cadavera prostravérunt.

Centum & quinquaginta tantùm (al. mulierculæ) præter mancipia, ex eâ clade reliqui fuisse traduntur: BRVTI ipsius beneficentiâ (qui militibus, si quem Xanthiorum conservâssent; & à voluntario facinore avertissent, præmia proposuisse perhibetur) conservati.

(Fatale huic urbi fuisse curiosi observárunt: ut tertiâ iam conversione, intra annos D. busta Civium suorum, pro libertate suis ipsorum manibus morientium, contegeret.

CYRO rege, duceque eiusdem HARPAGO, simili clade Xanthios fuisse confectos, constat: qualem post annos CCXLIV. ab ALEXANDRI MAGNI ducibus experti. quàque iam post annum D. à BRVTO adfecti.)

BRVTVS, eos ex Xanthijs, qui conservati erant, libertate donatos consolatus, in spem meliorem inductos, comiter à se dimittit. quò Patarensibus, Myrijs, cæterisque, eiusdem fortè ferociæ contagione imbutis, clementiæ & salutis exspectationem, ex victoris lenitate, confirmaret.

Lycios itaque partim vi edomitos; partim ostentatâ veniâ in fidem societatemque receptos, BRVTVS auro argentoque signato mulctat: totique Lyciæ H.S. ter millies imperat: & provinciam legibus datis optimè in præsentiâ constituit.

In THEODORVM Chium, (qui ante quadriennium de POMPEII M. capite rogatus in aulâ PTOLEMÆI sententiam dixerat; *Mortuos non remordere*; postquam omni cruciatûs genere, ut *Manibus POMPEI parentaret*, enecâsset,) crucis supplicio animadverti iussit.

CONSVLES SVBSTITVTI.

3910. Ab V. C. 709. *In hunc annum Consules iam antè à IVLIO CÆSARE designati fuerant D. BRVTVS ALBINVS, (è Brutis forte in Albinos adoptatus, ut patet è veteri nummo; A. POSTVMIVS A. F. ALBINVS BRVTI F. COS. DES.) & L. MVNATIVS PLANCVS.* 40.

Verùm BRVTO priore anno lege Pediâ damnato, & pòst occiso; & Rep. à Triumviris occupatâ, placuit M. ÆMILIVM LEPIDVM, (unum ex III. Viris; quiq; ante etiam, IVL. CÆSARIS in III. Consulatu collega fuerat) cum L. PLANCO; qui & ipse secutus ANTONIVM à rep. & Senatu desciverat; consulatum administrare.

Censores eo anno fuisse putantur, nullo licet lustro facto; L. ANTONIVS, & P. SVLPITIVS QVIRINVS. Quùm tamen, postquam I. CÆSAR, repudiato Censoris nomine, censoriam potestatem sibi arrogavit; vix ulla censura fuerit.

IRRITVS MVRCI CIRCA BRVNDISIVM CONATVS. CÆSAR ET ANTONIVS in Græciam traijciunt.

BRVTVS Lyciorum classe, quam ipsis imperaverat, in Hellespontum, Abydum versùs, præmissâ; eòdem universas copias, terrestri itinere, ducturus, Sardeis ex itinere ad Cassium proficiscitur. ut coniunctis copijs, traiectoque simul Hellesponto, in Europam transmitterent.

STATIVS MVRCVS interea, cognito, CLEOPATRÆ classem, vi tempestatis, nec sine naufragio, in Laconicam, reiectam esse; à Tænaro solvens, Insulam, quæ portui Brundisino ex adverso est, occupavit: unde M. ANTONIVM, legiones in Græciam transportare parantem, prohiberet.

Erat eo tempore ANTONIVS Brundisij; qui virtuti militum confisus, naveis aliquot cratibus, pluteisque constratas, milite armato complet, & in MVRCVM immittit.

Facto congressu, quùm Veterani primo statim impetu unà ex MVRCI quadriremibus, cum remige & defensore, cepissent; & reliquas fugere turpiter coëgissent; MVRCVS præterea per equites ANTONII, orâ maritimâ dispositos, ab aquatione prohibitus, à Brundisio discedit, & circa Corcyram subsistit.

CÆSAR, qui præmisso, cum classe, SALVIO SALVIDIENO, contra SEX. POMPEIVM in Siciliam erat profecturus; quique iam Rhegium pervenerat; ab ANTONIO evocatus, eòdem cursum dirigit.

Vt Brundisium venit; & suo, & ANTONII exercitu in naveis imposito, inde solventes, & ventum nacti idoneum, impeditis, pro re natâ, MVRCI navibus & remigibus, Corcyram superant, illiusque custodias & stationes prætervecti, Dyrrachium adpellunt.

Hic quùm gravi valetudine adfectus CÆSAR decumberet; ANTONIVS exercitum in Macedoniam rapit. & Amphipoli, quam NORBANVS præsidio munierat; ex itinere occupatâ: relictoque ibi PINARIO, Philippos, Macedoniæ urbem, pervenit. Cæsar x. pòst diebus, utcumque à morbo recreatus, eodem se deferri iussit.

BRVTVS ET CASSIVS EODEM CONTENDVNT. SPECTRVM BRVTI.

BRVTVS & CASSIVS, in Lydiâ, apud Sardeis, mutuâ faustâque exercituum adgratulatione excepti, & Imperatores salutati; & depositis sincerè offensionibus, inter se reconciliati; copias ex Asiâ in Europam transportare constituunt.

BRVTO nocte concubiâ adhuc in summis euris, & ad lumen pervigilanti, immane Spectrum in cubile intr ire visum est. & se *malum ipsius esse Genium* respondit, *quem apud Philippos iterum visurus esset*.

CASSIVS, qui Epicureus esset, dicebat; *Ludibrium id esse, ex vi imaginatrice conceptum*, ab eo; cuius sensus, immoderato curarum æstu vexati, mentem usque adeò turbâssent; ut eiusmodi Visa sibi obijci aluciaretur.

Sed ijs super eâ re differtantibus, litteræ à MVRCO redditæ sunt: *CÆSAREM & ANTONIVM, mare cum legionibus traiecisse; reliquáque in Macedoniam contendere.*

Sibi opportunè CN. DOMITIVM AENOBARBVM accessisse: Et navibus longis CL. triumque legionum exercitu, confidere se, ne qua deinceps hostibus auxilia aut commeatus ex Italiâ subvehantur; facilè prohibituros.

Illi itaque classem ad Abydum convenire iubent: eódemque omneis equitum pedítumque copias terrestri itinere contrahunt. Milites in naveis, ordine, ac sine tumultu, conscendere; & gubernatores Seston adversam cursu petere iussi.

Copijs tum omnibus ad Chersonnesum expositis, primò Lysimachiam, inde ad Melanis Sinum pervenére, & copias suas recensuére.

EXERCITVS VTRIMQVE SVMMA. CASTRORVM SITVS.

CASSIVS IX. BRVTVS VIII. comparaverant legiones. Duæ aliæ valdè attenuatæ, supplementi nomine, inter alias erant conscriptæ. Atque ita LXXX. legionariorum millia numerata sunt.

Equitum, ex socijs & mercenarijs, VI. millia BRVTVS; totidemque CASSIVS habebat.

Ad hæc, ab amicis socijsque regibus, V. millia acceperant. Auxiliarium præterea peditum numerum infinitum coegerant.

Hinc extemplò in Macedoniam movére, ut castra cum hostium castris conferrent.

Insederant iam octo cum legionibus, DECIDIVS SAXA præruptas Tuipilorum; & C. NORBANVS, Sapæorum (al. Salapæorum) fauceis; quibus Philippici campi, ad mare Ægæum, clauduntur. Ratiti fore; ut BRVTO CASSIOQVE itinera aditusque omnes, in Macedoniam, præcluderent.

Earum regionum reguli fratres duo erant; RHASCVPOLIS, qui BRVTI; & RASCVS, qui ANTONII CÆSARISQVE partibus faveret.

Cæterum BRVTVS & CASSIVS, longiore usi circuitu, superatis, duce RASCVPOLIDE, maximis itinerum locorúmque angustijs ac difficultatibus, ad Philippicos tandem campos pervenére. Et castra locis editis, XVIII. à Philipporum opido, stadijs inter se divisa, valloque & fossâ contra se munita, (sic tamen ut uno ambitu cōprehenderentur) metati sunt, ijsque TVLLIVS CIMBER se commodùm coniunxit. DECIDIVS & NORBANVS, qui viribus impares pugnam detrectarent, & à tergo interclusi, quid à fronte patiendum esset, prospicerent; eâ de re per RASCVM commoniti, deflexo ad lævam itinere, secundum Strymonis ripas: postquam ex itinere pulverem, primósque Cassiani exercitûs antecursores prospectâssent; ad Amphipolim se subduxére.

Quò ubi ANTONIVS venit; & suo adventu legatos, eorumque milites erexit, quùm castris haud procul ab hoste positis, frumentatores eorum ex insidijs adortus, prœlium infeliciùs commisisset: CÆSAR eo audito, veritus, ne se absente ANTONIVS aut vinceretur, aut vinceret; (quorum alterum si evenisset, CASSIVM & BRVTVM, contra se solum, viribus auctiores fore. sin alterum; ANTONIVM, uti victorem, neque alienæ opis indigentem, sibi contumaciùs insultaturum providebat) corpore nondum satis confirmato, ex Amphipoli, magnis itineribus ad eum ire contendit.

Neque ipsis, ad versariorum exemplo, castra diversis inter se locis, quod id minùs tutum videretur; habere placuit: sed uno loco, & unis munitionibus treis exercitus circumsepsérunt.

Eo tamen utriusque partis castrorum situ; ut Cæsar quidem & Antonius, cum aquatione & lignatione difficiliore, (locis scilicet planis, & à flumine remotis) tum commeatibus etiam minùs expeditis, uterentur. quòd tum SEX. POMPEIVS, tum cum MVRCO AENOBARBVS, universum mare, quod Siciliam, Italiam, & Epirum interiacet; classibus suis obsiderent: & commeatus in eorum castra comportari prohiberent. Neque ab Ægypto, quæ & ipsa tum à fame laborabat; spes ulla subsidij esset: Et Macedoniâ iam exhaustâ, Thessalia ad tantum exercitum alendum suffectura, non videretur.

IN CASTRIS VNIS, PÆNVRIA: IN ALTERIS MAIOR COMMEATVVM copia. Pugnæ tentamenta.

BRVTVS contrà & CASSIVS, qui locis editioribus considérent; ob silvarum, fluminúmque, Strymo-

nis & Gangetis, vicinitatem, & aquati, & lignari commodius poterant.

Huc accedebat maris Ægæi, quod sibi à tergo imminebat, opportunitas: In quo & portum Neapolitanum, Sinumque Strymonium, & Thasum Insulam, haud procul à continente distitam, in suâ potestate haberent. Et tam inde, veluti ex horreo quodam, quàm ex universâ Asiâ, commeatus abundè subministrarentur.

Quę res uti CASSIO BRVTOQVE ducendi belli occasionem dabat; qui hostem etiam sine sanguine, tantis annonæ difficultatibus fatigatum, brevi in potestatem venturum sperarent; ita è contrario, Cæsarem & Antonium, à maioribus firmioribusque instructos copijs; ut rei summam quam-primùm prœlio committerent, incitabat. Qui metuerent; ne si bellum in longum protrahi contingeret; ipsi & commeatibus destituerentur; & à suis prę inopiâ, desererentur. Simul etiam ne SEX. POMPEIVS, post occupatas Siciliam & Italiam, mari transmisso, adversarijs ducibus sese coniungeret.

Vt igitur id quod audaciter commiserant, pertinaciore audaciâ, quæ ipso exitu subinde prudēs esse solet; corrigerent, & exercitum suum in dies confirmatiorem redderent; continentibus aliquot diebus, copias ad castra hostium usque, iniquis etiam locis, subjiciunt, quò eos ita ad pugnam elicerent.

Quibus pugnam prudenter detrectantibus; ANTONIVS, ut eos à commeatu, qui Neapoli subvehebatur, prohiberet; & pari secum conditione decertare cogeret; subductis ex acie aliquot legionariorum centurijs, paludem, quę à CASSII castris, ad mare pertinebat, aggere consternit: & loca profundiora pontibus coniungit. tantâ industriâ, ut decimo die, in ulteriorem ripam, castella aliquot erecta cohortium suarum præsidijs confirmârit.

Eo deprehenso, CASSIVS transversam paludem exaggerare cœpit, ut transeuntium commercia coerceret; & cohorteis præmissas, omni auxilio interseptas, opprimeret.

Duplicem interea aciem, ne quid ex quotidianâ consuetudine desiderari videretur; ANTONIVS producit, & æquo loco pugnandi potestatem facit.

PVGNA PHILIPPENSIS. INSTRVCTÆ VTRIMQVE ACIES. BRVTVS CÆSAREM vincit: CASSIVM ANTONIVS.

Eâ in acie sinistrum cornu CÆSAR regebat; ANTONIVS dextrum. CASSIO ANTONIVS; CÆSARI BRVTVS, & MESSALLA, opponebantur.

Brutiani milites, quùm hostis castris operibusque eorum tantum non insultaret, ultrò ut in prœlium educerentur, rogabant; & se vel discessuros, vel invitis Imperatoribus pugnam capessituros, minitabantur.

Duces itaque eâ militum alacritate perspectâ; partim etiam metu defectionis; signum pugnę, quamquam inviti, proponunt. Ordinibusque instructis, suos utraque pars, hinc & inde, ad conflictum educit.

Brutianis, pro tesserâ, LIBERTAS, fuit.

CÆSAR, quantumvis à valetudine minùs firmus esset; insomnio medici, quo castra ipsius capi visa fuerant, territus; castris excesserat; lecticâque elatus, pro viribus, ducis munia obibat.

Vbi ad manus ventum; acriterque ancipiti diu Marte dimicatum; tandem dextra BRVTI acies, impulsis atque in fugam versis Cæsarianis acriùs instans, eodem impetu, non sine magna tam fugientium, quàm eorum, qui castris præsidio relicti erant, cæde; ipsis etiam CÆSARIS castris potitur.

CÆSARIS lectica vacua, iaculis pilisque ita confixa erat; ut milites, gladios cruentatos ostentantes, BRVTO adsęverarent, CÆSAREM à se confectum esse.

Ex eius exercitu x. fermé millia; Tribb. militum XVI. & notæ virtutis XX. Centuriones; equites M. cecidisse memorantur.

Aliâ ex parte ANTONIVS, factâ in Cassianos, hactenus immotos, impressione, quùm spatium circumagendi signa, aciemque vertendi non haberet; felici audaciâ, vallo proruto, fossaque impletâ, in Cassianos, contra adversum tumulum, armatis undique infestum, irrumpit: & magnâ ferociâ, militumque ardore, obvijs quibusque prostratis, ad aciem CASSII perrumpit.

Hic cunctis tam audacis cœpti admiratione perculsis, dum alij trepidè cedunt; alij segniùs signa sequuntur; tota perturbatur acies; & vincente pudorem metu, terga vertere cœperant.

Dum fugienteis Antoniani persequuntur; pauci ad castra; complures ad BRVTI stationes se recipiebant.

Castra itaque CASSII, eodem impetu, & cæsis subitâ hostium irruptione præsidiarijs, capta sunt.

Qui ex Cassianis in palude opera faciebant, dum dato sibi armandi spatio, infestis signis Antonianos invadere parant; simulac castra sua capta, hostemque victorem ferociter in se irruere, vidérunt: & concitatam vim soli sustinere nequeunt; partim in medio cæsi; partim fugâ dilapsi, aut in paludem profligati sunt.

Ex CASSII acie ad IIX. M. equitum sociorumque ad II. M. cecidére. Vtrique tamen, quasi exæquato pugnæ periculo, victos & victores se pariter credidére.

CASSIVS, qui rem inclinatam; seque castris exutum videret; cursu in proximum tumulum se subduxit: & de BRVTO sollicitus, TITINNVM evocatum, qui de eventu cognosceret, mittit.

Is quùm in itinere in equites BRVTI, quos ille vicissim ad CASSIVM mittebat, incidisset; & ab ijs agnitus, & cum gaudio, mutuisque amplexibus acceptus esset, unà cum ijs gressu composito ad CASSIVM revertebatur.

CASSII EXITVS.

Quod ubi ex loco superiore CASSIVS vidit; ratus hostilem equitatum esse, qui intercepto TITINNIO, ad se pergeret: in interius tabernaculum se recepit; sagoque caput involvens, PINDARO liberto (quem in eiusmodi necessitatis eventum à Crassianâ clade secum habebat) cervicem feriendam prębuit.

Sunt qui putent ab inuisso & ultrò cæsum; quòd

PINDARVS ille, nec inventus, nec alibi posteà conspectus sit.)

TITINNIVS autem reversus, & tabernaculum ingressus, ut lætum de BRVTI salute nuntium adferret; conspecto CASSII capite, tarditatis pœnas ab se exigens, ipse quoque in gladium incubuit.

BRVTVS A NOVA PVGNA ABHORRET.

BRVTVS, intellecto CASSII interitu, casum tanti viri non sine lacrymis deplorans, & nobili elogio, *Vltimum Romanorum*, subinde appellans; cadaver eius, (ne ob præcipitatam ducis sui mortem, militum animi conciderent) clanculùm in Thasum insulam, per amicos, honesto funere sepeliendum, transmisit.

Inde in castra Cassiana transgressus, quòd eò loco opportuniore sita esse crederet: & milites eius verbis, & donativo consolatus: simul & increpans; quòd non exspectato ducis sui imperio, temerè ad prœlium provolâssent. fertur Lacedæmonem & Thessalonicam, urbeis opulentas, in prędam ijs pollicitus esse, si proximo prœlio victores reverti contigisset.

Constitutum tamen habebat à iusto prœlio deinceps abstinere; propterea quòd adversarios cum summâ rerum necessariarum penuriâ conflictari non ignoraret. licet subinde castris suos eduxerit; damna de nocte intulerit; & flumine Zygaste averso, castra hostilia mundârit.

CÆSAR & ANTONIVS, nuntio interfecti CASSII erecti; ex utrisque castris copias educunt; acieque instructâ BRVTO pugnandi potestatem faciunt.

BRVTVS contrà, ut famam & opinionem intrepidi ducis retineret; quùm castra in colle haberet, aciem ad infimas montis radices instruebat: ibique hostem ludificaturus suos continebat. Qui existimaret in casum universæ dimicationis sibi necessariò deveniendum non esse; tam quòd sibi à tergo commeatus abundè subveherentur, locoque munito & salubri consideret: quàm quòd adversarijs, inter arenas Philippicas, stagnaque gelu horrentia, hibernandum esse prospiceret. posse itaque se, vel *sedendo vincere, bellumq; conficere, & civium incolumitati clementer consulere.*

PVGNA NAVALIS AD CORCYRAM BRVTIANIS PROSPERA. BRVTVS AD pugnandum à suis urguetur.

Eius prætereà hosteis, quibus desperationem inopia acuebat; consumtis longè latèque frumentis, & hieme impendente; nuntius cladis, Ionio mari acceptæ, maximè perterruit.

STATIVS scilicet MVRCVS, & DOMITIVS AENOBARBVS, eodem die, quo prœlium in campis Philippicis commissum est; DOMITIVM CALVINVM, classemque, cui deducendæ prǽerat; expugnâsse, atque adflixisse nuntiabantur.

CALVINVS qui sevverioribus CÆSARIS litteris urgueretur; Martiâ & Quartâ legiones, Prętoriamque II. (al. X.) millium cohortem, alasque equitum quattuor, & evocatos aliquot, à Brundisio supplementum CÆSARI subvehebat.

Brutiani, quos dixi, duces, qui ad Corcyram in statione erant; è speculis conspicati; cum CL. navibus longis toto impetu in eam classem invehuntur & partim deprimunt, partim incendunt; & triremeis XVII. cum vectoribus capiunt.

CÆSAR & ANTONIVS, qui in diem ex rapto vivebant; neque aliunde auxilia exspectabant; antequàm ad BRVTVM tam sinistræ sibi cladis nuntius perferretur; aciem iterùm producunt, locoque æquissimo pugnandi potestatem faciunt. Qui scilicet ex perfugis didicissent, BRVTVM, militari propè seditione, ad faciendam prœlij aleam, urgueri. dum milites otium; socij moram; principes ducis ambitionem, increparent.

Illi namque, simulatque hostium aciem sub signis proximè stare conspexérunt; legati, Centuriones, & Tribuni militum, BRVTVM, ut campo patenti cum ijs congrediendi potestatem faceret, non sine convicijs flagitabant.

BRVTVS, qui præoccupatis vanâ fiduciâ militum animis, tuta consilia contemni videret; veteranosque, qui sub CÆSARE Dictatore olim meruerant, transitionem ad CÆSAREM meditari, si res lõgiùs differretur, per indicium intellexisset: neque suos imperij maiestate à præcipiti ferociâ cohibere posset. Victus tandem multitudinis consensu, cessit: signoque pugnæ proposito cum omnibus copijs in Campum descendit. hoc tantùm deprecatus: *Ne qui casus consilium suum laudabile efficeret.* Et sedulò monens; ne longiùs à tumulo quodam proximo, quem pręsidio munierat, progrederentur: quò & receptus esset facilior; & hostem è superiore loco impeterent.

INFAVSTVM BRVTIANIS PVGNÆ AVSPICIVM.

Dumque hortando consulendoque tempus extrahitur; diei haud multum supererat. Et commodùm sub horam diei nonam, Sole iam inclinante, duę Aquilę; medio inter utrosque spatio, infestis rostris unguibusque inter se concertavére. & milites solicitis pendentibusque animis augurium utrimque magno cum silentio captare, & eventum duelli exspectare visi. Donec aquila, quæ à BRVTI parte advolârat, victa cederet, & fugâ dilaberetur.

Hinc Cæsariani auspicio tam secundo confirmati, magnâ alacritate procurrunt. Prœlium, ut quod maximum umquam, pari spe & fiduciâ sui, ęquis utrimque viribus, committitur. Quod illo die ita anceps stetisse dicitur; ut aliquamdiu in nullam partem acies inclinârint; donec in Cassianos, turbatis ordinibus dissipatos, Antoniani, renovato clamore concitati signa inferrent, trepidanteisque funderent ac fugarent.

Brutiani quidem constanter adhuc & pertinaciter prœliabantur; sed dispari animorum adfectu. Antoniani namque, quod ferro famem expugnaturi viderentur; spe, irâ, atque aviditate victoriæ concitati, in hostem rapiebantur. Brutiani verò necessitate & pudore inviti magis resistebant, quàm manus conferebant: & strage fugâque sociorum

ciorum Cassianorum attoniti, segniùs repugnabant.

Ibi dum ANTONIVS propè vecors cum equitatu suo irruit; & simul DECIDIVS atque NORBANVS instant & perculsos sternunt; pudore iam pavori cedente, funduntur & fugantur Brutiani. Iisque ita perturbatis, equitatus Cæsaris continenter insecutus, nullum neque respiciendi, neque respirandi spatium dedit.

CATONIS IVNIORIS EXITVS.

Aderat in BRVTI partibus CATONIS filius; qui ubi nullâ vi perculsos fugienteisque cohiberi posse vidit; equum in confertissimam hostium aciem concitat: seseque inferens, & patrem CATONEM nomine inclamans, infestis undique telis obrutus est.

BRVTO etiam, inter pugnandum, Tribunos militesque, qui vel iniussu imperatoris arma poposcerant, & prœlium inierant, increpante; præ strepitu ac tumultu, nec consilium, nec imperium audiri aecipive poterat. donec universa simul multitudo effuso cursu consternata ad castra ferretur.

Sed quòd ea Cæsariani iam occupâssent; ab iisdem facilè deturbati sunt. ut iam nec locus, nec flumina pavori obstarent: & arma ac viri, alij super alios, præcipitarentur.

Postremò, voce unâ per totam aciem perlatâ, quâ victores arma poni iuberent, & perterritis vitæ beneficium offerrent; omnes abiectis armis in fidem Cæsaris Antonijque venére.

BRVTI EXITVS, ALIORVMQVE SOCIORVM CÆDES AVT FVGA.

BRVTVS intereà superato Gangetis fluvioli alveo, in tumulum quemdam munitum, denique arboribus consitum, cum amicis Centurionibusque aliquot, se receperat; fortunam universæ pugnæ exspectaturus.

Sed postquam castra capta, & milites hostium fidem secutos cognovit; omni prorsus spe salutis aut veniæ abiectâ, ingemuit: *Virtutemq;, quæ se sanctum & assiduum sui cultorem, tam fœde deseruisset; uti turpiter fortunæ ancillantem, incusavit.*

Et ne quidquam sibi à victoribus deinceps metuendum haberet; STRATONEM Ægeatem, ex Epiro, Rhetorem familiarem, ut manum sibi morituro commodaret, exoravit: & pectore nudato, mucronem gladij, quem STRATO oculis aversis, ne morientem amicum videret; subijciebat, lateri, sive mamillæ sinistræ, quâ parte cor emicat & palpitat; suâ ipse manu admovit; impulsoque per se corpore transfixus exspiravit. Anno ætatis suæ VII. & XXX.

Cadaver eius purpureâ veste honoratum ANTONIVS cremandum; cineresque SERVILIÆ matri, PORCIÆQVE eius uxori, Romam transmittendos curavit.

(*SVETON. tradit; caput eius à CÆSARE Romam missum, ut Dictatoris statuæ subijceretur. DION verò; obortâ in traiectu tempestate, cum cæteris rebus in mare proiectum.*)

BRVTI exemplum secuti sunt ex principibus Romanis circiter XL. Inter quos, LIVIVS DRVSVS, LIVIÆ AVGVSTÆ Pater; QVINCTILIVS VARVS, & ANTISTIVS LABEO, celebrantur.

Neque aliud bellum cruentius cæde clarissimorum civium fuit, quàm hoc Philippense. In quo cæsi L. CASSIVS, imperatoris CASSII fratris filius, & CN. LICINIVS LVCVLLVS. Q. HORTENSIVS, & M. FAVONIVS; ANTONII iussu iugulati.

L. LVCILIVM LVSCINVM, qui persequentibus BRVTVM RASCI equitibus, ut BRVTVM servaret, BRVTVM se mentitus, ultrò obtulerat: & ut ad ANTONIVM, non ad CÆSAREM, captivus deduceretur, enixè petierat; Antonius in numerum amicorum recepit. uti Cæsar M. MESSALLAM (sub quo exercitus BRVTI fugâ dissipatus se denuò, sed frustrà, collegerat) & Stratonem Ægeatem.

STATIVS MVRCVS, cum classe LXXX. navium, & II. Legionibus, ad SEX. POMPEIVM in Siciliam perfugit.

CN. AENOBARBVS, occupatis LXX. navibus & III. legionibus, cum magno factionis suæ comitatu, fugæ fortunæque se commisit: & aliquamdiu Ionium mare, magno cum adversariorum damno, infestavit. donec fidem Asinij Pollionis secutus, paullo antè fœdus Brundisinum, ad Antonium sponte suâ deficeret.

VICTORES INTER SE PROVINCIAS PARTIVNTVR. LEPIDVS SVSPECTVS.

Debellatis, & è medio sublatis, potentissimis adversarijs, sacrisque pro tantâ victoriâ perfectis, & actis multi gratijs; placuit: ut Antonius in Orientem, ad res Asiæ ordinandas; & militibus pecuniam, quam ad H.S. vicena millia viritim promiserant, cogendam; proficisceretur. Cæsar verò a perturbata valetudine relevandus, in Italiam reverteretur: & colonias militibus emeritis adsignaret: Italiæ motus, quos collega ipsorum LEPIDVS excirâsset; (quem & cum SEX. POMPEIO societatem inijsse rumor erat) aut præoccuparet, aut opprimeret. Etsi ille eius criminis convictus esset; ut abdicare cogeretur; & provincijs, quæ fœdere Triumvirali ipsi attributæ erant, spoliaretur. easque ipsi sibi ita compararent, ut Antonius Galliam & Africam, Cæsar Hispaniam & Numidiam obtineret.

De reliquis provincijs; quæ nondum pacatæ essent, nihil decretum. & Italia, tamquam exsors, in medio relicta.

Cæsar, morbo Brundisij, ex nimiâ in traiiciendo defatigatione, ingravescente, aliquamdiu usque adeò adfectus est, ut rumor de eius morte passim increbesceret. Sed confirmatâ paullatim valetudine Romam ingressus est.

3911. Ab V.C. 712. | *L. ANTONIO (qui ex singulari in M. fratrem Pietate cognomen traxit) & P. SERVILIO ISAVRICO, Consulatum iam ituris.* | 39.

Hic SERVILIVS, filius eius est, qui ISAVRICI cognomen invenit; quique biennio antè mortuus erat: & cum Cæsare, II. Consule, Consulatum gesserat. (His Consulibus, genitus putatur TIBERIVS CÆSAR.)

FVLVIÆ AVCTORITAS, MOTVVM NOVORVM AVCTORIS. SIMVLTAS inter eam, & CÆSAREM.

L. ANTONIVS. cùm triumphare cuperet de quibusdam Inalpinis, quasi eos subegisset; quamdiu FVLVIA restitit, nemo adsensus est. ut verò ipsa placata concessit; omnium consensu triumphus ei decretus est. Adeò ut L. ANTONIVS verbo de ijs triumphare, quos se devicisse prædicaret; (neque enim quidquam dignum triumpho gesserat; neque omninò imperium ijs in locis babuerat) re-verâ autem FVLVIA eo honore adfici, ac triumphare videretur. Egit autem triumphum Kal. Ian. quo die Consulatum erat initurus.

FVLVIA illa, M. ANTONII uxor, & CÆSARIS socrus, (eius enim filia CLODIA ei enupserat) contemto ISAVRICO Cos. cum L. ANTONIO lævito Consulatum administrabat.

CÆSAR rebus ex præscripto, cum ANTONII legatis, compositis; M. LEPIDVM, qui sive metu suî; sive ignaviâ, à rebus novis abstineret; & proinde criminibus, de absente oblatis, teneri non crederetur; suâ sententiâ absolvit: & Africam ex convento babere permisit.

Verùm, quùm ipse emeritos, quorum operâ illi vicerant; in militareis colonias deducere, ut ANTONIO receperat, adgrederetur; in odium acerbissimum, motumque belli, seditione, & periculo suo gravissimum, incidit. dum possessores se agris eijci; veterani, spe præmiorum frustrari, quererentur.

Eam acerbitatem FVLVIA, nihil muliebre, præter corpus, gerens, augebat: L. verò ANTONIVS, fiduciâ fraternæ potestatis, & Consulatûs, quem gerebat, res novas moliebatur.

MANIVS AQVILIVS, M. ANTONII procurator, herum, CLEOPATRÆ amoribus captum irretitumque, motu belli Italici à CLEOPATRA in Italiam avelli & revocari posse, Fulviæ ostendebat. (Is tam infelicis consilij & audaciæ pœnas postea ANTONIO dedit.)

Et hæc mariti fratrem, Consulem, suis consilijs incitabat, ut modò apud veteranos, Cæsarem criminando; modò eos, qui agros amiserant, ad arma conciendo, exercitum ingentem conflaret; & bello Cæsarem lacesseret. Ipsa Præneste sibi belli sedem delegerat: ibi non militis solùm, sed & Imperatoris munera usurpans. Cæsar, optimum ratus se militibus credere, eos arbitros facit controversiæ inter se, & Consulem.

Quùm verò legatis, qui exercituum duces potissimi erant, de concordiâ ultrò citróque missis, nihil ob Fulviæ contumaciam proficeretur; Cæsar, simultate iam in apertum bellum erumpente, CLODIAM, Fulviæ filiam, sibi Triumvirali fœdere desponsam, virginem, & adhuc intactam repudiat. & in Nursinos Sentinateisque (al. Fontinateis) qui Lucij & Fulviæ parteis sequebantur, exercitum ducit.

L. interea ANTONIVS, nocte celeriter ad Vrbem contendit: eamque, per NOVIVM quemdam admissus, hostiliter invadit; M. LEPIDO, qui custodię urbis, cum exercitu, sive II. legionibus præerat, profligato. & ipse Imperator à populo est salutatus.

CÆSAR L. ANTONIVM SIBI SVBIICIT: ET BELLVM SOPIT.

CÆSAR, Q. SALVIDIENO ad Sentinateis obsidendos relicto, Romam profectus, ANTONII conatus oppressit; ipsumque Vrbe eiecit. Et, dum illinc in Galliam contenderet, ex itinere intercepit: & Perusij mœnibus se includentem, varijs operibus & munimentis cinctum, diu obsedit; & fame tandem ad deditionem coëgit: veniamque petenti dedit.

Ita tantus motus, qui diu Italiam vexaturus videbatur; cæque odiorum acerbitates, sine prœlio & sanguine sopitę sunt.

3912. Ab V. C. 713. | *CN. DOMITIO CALVINO, & C. ASINIO POLLIONE, Consulibus.* | 38.

Perusia incensa est: cuius quidem incendij initium fecit CESTIVS Macedonicus, eius loci princeps. qui subiecto rebus & penatibus suis igne, transfixum se gladio flammę intulit: quę paullatim totâ urbe pergrassata est.

Tradunt quidam, Cæsarem in dedititios aliquot Decuriones crudeliter consuluisse; & eosdem ad aram DIVO IVLIO sacram, Idib. Martijs, hostiarum more, esse mactatos.

Nursinis in deditionem acceptis grandem pecuniam imperat. Quam quia péndere nequirent, extorreis urbe suâ & agris expulit.

TIBERII NERONIS CONATVS OPPRESSI.

TIB. CLAVDIVS NERO, Prætorius, TIB. CÆSARIS pater, manens in partibus Fulviæ, & retentis Prętorijs insignibus, primò Pręneste; deinde Neapo-

Neapolim evasit: professus eorum, qui agris pulsi erant, patrocinium. Et servis ad pileum vocatis, novum exarsisset bellum; nisi id Cæsaris celeritate, & subitâ in Neapolim irruptione, oppressum sepultumque fuisset.

CLAVDIVS fugâ elapsus, unà cum uxore LIVIA, ad SEX. POMPEIVM, in Siciliam pervenit. sed ab eo fastidiosè acceptus; ad M. ANTONIVM in Achaiam traiecit.

Cæsar, mortuo tum fortè FVSIO CALENO, qui cum legionibus aliquot (XI.) Galliam, nomine ANTONII, tenuerat; eas legiones ad se transducit: Galliam, ANTONII provinciam, simul & Hispaniam, occupat. Et pacatâ iam universâ Italia, ut & remp. tot factionibus laceratam ordinaret, motusque componeret, Romam reversus est.

FVGA FVLVIÆ ET IVLIÆ. L. ANTONIVS ET LEPIDVS IN PROVINCIAS amandantur.

FVLVIA & ipsa, cum suis & communibus ANTONII liberis, Puteolos, & inde Brundisium fugit. & unà cum PLANCO fugæ comite, Athenas versùs navigavit.

IVLIA etiam ANTONIORVM mater, ad Sex. POMPEIVM, confugerat: & comiter ab eodem habita. deducentibus L. SCRIBONIO, & SENTIO SATVRNINO, ad filium transmissa fuerat; sollicitationis ergò. ut ANTONIVS, sociatis cum POMPEIO viribus, bellum Cæsari, multis nominibus iniurio, moveret

Cæsar contrà, ut à turbulentis consilijs, conspirationibusque remp. purgaret, L. ANTONIVM Hispaniæ, Hispanicisque legionibus præfecit; atque ita specie honoris ablegavit; adiunctis ei legatis, SEX. PEVCEIO, & C. LVCEIO, qui eius consilia observarent, & novis conatibus maturè obsisterent. M. verò LEPIDVM III. Virum, qui de collegarum iniuriâ, & iniquâ provinciarum inter se divisione, conquerebatur; cum VI. M. ANTONII legionibus, sibi suspectis, in Africam amandat.

Ibi L. SESTIVS Numidiam, ANTONII nomine præoccupatam, tenuerat; & Africam, pulsis inde primùm CORNIFICIO & D. LÆLIO; & deinde FVSIDIO FANGONE, in eiusdem potestatem redegerat. Sed ille LEPIDO accedenti, utramque provinciam, ex ANTONII Cæsarisque comparatione ei attributam, haud gravatim cessit & tradidit.

M. ANTONIVS ASIÆ GRAVIS, ET ODIOSVS.

ANTONIVS intereà Græciam, cui L. Censorinum præfecit, transgressus, Asiæ provincias obibat; easque gravissimis tributis & direptionibus indignè vexabat.

Ut Ephesum venit; à mulieribus Baccharum; à viris puerisque, Panum & Satyrorum habitu exceptus, urbe ederâ & thyrsis passim exornatâ, DIONYSIVS, ab omnibus ridiculè salutatur.

Tarsum Ciliciæ ingressus, cum CLEOPATRA, quam priùs ex Ægypto evocârat, de præbitis hosti CASSIO auxilijs expostulare cœperat; quùm cultu eiusdē lugubri, (quæ tamen Veneris habitu, & Cupidinum comitatu, & navi ad omnem lasciviam instructâ, eò advenisse traditur) tum sermonis ac morum venustate captus; non modò iustas eius excusationes, (quę neglecto CASSIO, IV. DOLABELLÆ legiones submisisset: & instructissimam classem, pro fide, quâ Cæsaris filio obnoxia esset; ad ipsum adducere, ni morbus & repens in mari tempestas remoram intecisset; parata fuisset) æquis ipse auribus admisit.

ANTONII ET CLEOPATRÆ AMORVM FÆDITAS.

Sed uti erat iuveniliter in Venerem præceps, ita in eam exarsit, *ut ad vilissimi mancipij obsequia se demiserit*, & omnia quasi ex præscripto CLEOPATRÆ agere cœperit. Et externo regioque more usus, nunc cunctâ militum indulgete licentiæ; nunc in eosdem præter disciplinam, sævire.

Denique CLEOPATRAM in Ægyptum secutus, PLANCO in Asiâ, & DECIDIO SAXA in Syriâ relictis; Alexandriæ hiemem securè libidinoséque transigebat. ut iam veluti *in homine turpissimo omnia dignitatis imperijq; insignia obsolescerent.* Donec clades aliquot acerbę, à fronte, à latere; ex Syriâ, & ex Italiæ motibus, obstreperent; quæ veluti *faces admota*, tantis vitijs indormientem *expergefacerent.*

STATVS IVDÆORVM. ANTONII IN EOS BENIGNITAS. HERODEM TVEtur, & regno pręficit, reiectis acerbè accusatoribus.

Ut autem & Iudæorum res attingamus, quæ tum quoque sub Antonio mirificè mutarunt. Inter cæteras omnium ferè gentium legationes, quas Antonius, ex Europâ in Bithyniam adpulsus, obviam habuit; adfuére & Iudæorum primates, PHASAELVM & HERODEM accusare parati. apud quos scilicet tota pænè regni patrij potestas esset; HYRCANO precariò, & in speciem regnante.

Sed Antonius, pecuniâ corruptus, qui HERODEM magno in honore haberet; adversarios neque in conspectum suum, neque ad colloquium admisit.

Postquam autem idem Ephesum progressus est; legatio altera publico Hyrcani Pontificis, & gentis Iudaicæ nomine, missa, coronam auream ad eum adtulit; & rogavit; *Ut quos ex Iudais CASSIVS, præter ius belli, captivos abduxerat, scriptis ad provincias litteris in libertatem vindicaret; & agros, quos idem CASSIVS ademerat, genti restitueret.*

Quę postulata quùm Antonius æqua esse existimaret, amicè respondit, & curæ sibi fore eam rem declaravit. Edictumque per opida proposuit; ut *quotquot vel liberi, vel servi, sub hastâ à CASSIO, eiusve administris venumdati essent; liberè dimitterentur. Quaq; & suâ; & DOLABELLÆ benignitate Iudais* Aaa 4 *concessa*

concessa fuissent; ea perpetuum rata essent.

Tyrios quoque iussit inuitiam omnem à Iudæis abstinere: & quidquid ex eorum ditione & finibus occupando sibi illi vindicâssent; id totum restituere. Eodem ferè exemplo ad Sidonios, Antiochenos, & Aradios perscripsit.

Quùm verò Tarsi in Ciliciâ ageret, iam-tum CLEOPATRÆ amoribus implicitus; centum iterùm è Iudæorum gente potentissimi & disertissimi ad eum venérunt; qui HERODEM, cum suâ factione, accusârent.

Sed Iuvenum fratrum caussam tuebatur MESSALA; iuvante in partem HYRCANO ipso, qui desponsâ in matrimonium nepte, socer HERODIS iam factus esset.

ANTONIVS, utrisque apud Daphnen auditis; & sciscitatus ex HYRCANO; Vtri meliùs remp. administrarent? Quùm ex eodem intelligeret; HERODEM eam ad rem maximè esse idoneum: quodque prius Iuvenes, (ob paterni hospitij, & amicitiæ, iam tum ex eo tempore, qua cum GABINIO agebat, contractæ, memoriam) familiariter diligeret; ambos Tetrarchas constituit, & reip. Iudaicæ gubernaculis præfecit.

Quindecim ex adversarijs in vincula coniecit. occisurus etiam, nisi HERODES deprecator intercessisset.

Sed ne sic quidem, itrito legationis eventu, conquievérunt. Mille iterùm, Tyrum, præstolatum ibi ANTONIVM, venerant. ANTONIVS verò, magnâ à fratribus pecuniâ corruptus, eius loci magistratui imperavit; ut in Iudęorum legatos, ceu seditiosos, & rerum novarum cupidos, animadverteret: & HERODI, in parando confirmandoque principatu, adiutor esset.

HERODIS IN ADVERSARIOS BENIGNITAS, ET ANTONII CRVDELITAS.

HERODES ad populateis suos, cum quibus & Hyrcanus ipse aderat, & in littore ante urbem diversabatur; accedens, comiter monet; ut *maturè certo se periculo subducant.* Quod cum illi contemnerent; Iudæi, cum indigenis, in eos ex urbe erumpunt; & partim trucidant, partim sauciant. Reliqui, quibus tutò domum refugere contigit; in posterum quievére.

At quùm populus HERODEM, ceu facti auctorem, clamoribus exagitaret; Antonius irâ incensus, quos vinxerat, interfici iussit.

Nunc ad alterum Parthicum in Syria bellum veniamus.

BELLVM PARTHICVM IN ASIA ET IVDÆA, DVCIBVS LABIENO, ET PACORO.

TITVS LABIENVS (Labieni, qui sub I. Cæsare in Gallijs militavit F.) à BRVTO & CASSIO, paullo-antè Philippensem pugnam, ad ORODEM, Parthorum regem, missus, ut eum ad armorum societatem sollicitaret; ibi neglectus, & aliquamdiu metu victorum, qui nemini parcerent; commoratus, regi tandem auctor fit, ut ipse in Asiam cum exercitu mitteretur: & Syriam vicinasque regiones à Romanis alieniores sibi subigeret. Dum hic Antonius fœdis Cleopatræ amoribus impeditus, omnia boni Imperatoris officia corrumperet: inde Cæsar domestico & laborioso bello distineretur.

Vtendum eâ, quæ se ultrò offerret, Asiæ invadendæ, occasione, Rex tanti viri auctoritate inductus, eidem communem cum PACORO filio exercitum & imperij potestatem tradit.

Ipsi itaque in Syriam ingressi, Phœnicen subigunt. Et SAXA, quem Antonius ibi reliquerat, profligato, Apaméam per deditionem capiunt; & dein Antiochiam, ab ipso SAXA desertam

SAXA, dum in Ciliciam fugeret, ab insequente Labieno, occiso; PACORVS universas mox Syriæ urbes, præter Tyrum, occupavit. Et Labienus Ciliciam omnem, & Asię civitates in continente sitas, nullo ferè negotio subegit. Solæ Mylissa & Alabanda, per vim in potestatem venére.

Labienus, multis pecunijs, ingentique etiam è locis sacris prædâ, ditatus, novo more Parthorum se Imperatorem appellari passus est.

ANTIGONVS OPERA PARTHORVM IN REGNVM RESTITVTVS. PHASAELI casus & exitus.

ANTIGONVS, ARISTOBVLI F. (quî-cum tunc commodùm Lysanias, Ptolemæi Mennæi filius & successor, in gratiam amicitiamque, conciliante Barzapherne, Satrapâ, & PACORI commilitone, rediérat) mille talenta, & D. lectę nobilitatis feminas, Parthis se daturum pollicitus erat; *Si regnum ab HYRCANO in se transferrent; & HERODEM and cum suis interficerent.*

Quę promissa quamvis non præstarentur; Parthi nihilo minus, regnum Antigono adserturi, exercitum in Iudęam; PACORVS per maritima; Pharnabarzes per mediterranea, duxére.

PACORVM, à Tyrijs repulsum, Sidonij & Ptolemaidenses, intrò admisére. Ipse alam equitum, duce Pincernâ regio, cognomine, speculatum in Iudæam præmisit, & Antigono subsidio esse iussit.

Cui quùm se Iudęi, Carmeli montis incolæ, adiunxissent, & simul in hosticum invadere parati essent; regione Drymęâ in potestatem redactâ, ad Hierosolyma usque pervasérunt.

Et aucti numero, ipsam regiam oppugnare iam erant adgressi; quùm fratres, Antipatri filij, factionis suæ auxilijs stipati, consertâ in foro pugnâ, hostem animosè reppulérunt: Eoque in Templum compulso, armatos ex suis quosdam in propinquas ædeis pręsidio misérunt. Sed coortus in eos populus unà cum ipsis ædibus concremavit. (Cuius facti auctores, HERODES, multis ex eo numero interfectis, posteà ultus est.)

Quùm quotidianę ferè in tantâ propinquitate velitationes utrimque fierent; & instantibus Pentecostes ferijs, multa hominum armatorum, incre-

mium

mium, è totâ regione millia, circa Templum, ut solet, convenissent; ipsi & Templum, & urbem occupavêrunt. solam regiam HERODES cum paucis militibus servabat. Atque inde, custodiâ mun PHASAELO concreditâ, in hostem, qui in suburbio agebat, cum aliquot cohortibus erupit; & pugnâ egregiè editâ, multa millia partim in urbem, partim in Templum, aut vallum propinquum, fugere coëgit.

PACORVS autem, Parthorum dux, rogante Antigono, in urbem ingressus est. causâ quidem compescendi tumultûs; sed qui re verâ Antigono principatum adstruere cuperet.

Quûmque ille à PHASAELO, qui obviam se dederat, hospitio exceptus esset; hospiti subdolè suasit, ut legatus ad Barzapharnem proficisceretur.

Is nihil mali suspicatus, statim paruit. sed HERODES, cui barbarorum perfidia suspecta esset, non modò id consilij non probavit; verùm etiam hortatus est fratrem, ut potiùs PACORVM, eiusque comites, apud se divertenteis, opprimeret.

Profecti itaque sunt in eam legationem Hyrcanus & Phasaelus. eosque Pacorus, relictis apud HERODEM CC. equitibus, & X. quos illi vocant, liberis, honoris causâ, deduxit.

Vt verò in Galilæam ventum est; opidorum in eâ regione præsidiarij, comiter eis occurrunt: & Barzapharnes, quò dolum tegeret; amicè acceptos muneribus etiam donat.

PHASAELVS, cum suo comitatu, in propinquum mari diversorium deductus; cognito, Antigonum M. talenta & D. mulieres ex pacto Parthis esse pollicitum: &, noctu ipsis insidias parari, & custodiam clam adhiberi; doli à barbaris suspicionem habere cœpit.

Neque certè ab ijs palam violandis aut capiendis Parthi cessâssent; nisi eventus alterius consilij sollicitos habuisset; ut HERODES priùs ab equitibus, qui Hierosolymis relicti erant, comprehenderetur. neve fratre sublato, PHASAELVS dolum præsentiens, effugeret.

Nec defuêre, qui PHASAELVM hortarentur, ut sine morâ conscenso equo sese inde proriperet. Et OFILIVS in primis, qui ex SARAMALLA, Syrorum tunc ditissimo, id arcanum cognoverat; naves etiam ad fugam offerebat.

At ille, qui Hyrcanum, & fratrem HERODEM periculo obijcere nollet; ad Barzapharnem accessit, & eâ de re expostulavit: *Turpe esse, legatos, qui fidem filij regij secuti sint, insonteis interficere.* Et si pecunijs opus habeat; ampliores à se, quàm ab Antigono, accepturum.

Licet barbarus, ea quæ delata erant, vera esse deierando inficiaretur; & inani suspicioni legatos indulgere diceret; simulatque tamen ille ad PACORVM digressus est; ex Parthis quidam vincula, & Hyrcano, & Phasaëlo, tantum periurium detestantibus, iniecêrunt.

Iamque Eunuchus præmissus in mandatis habebat, ut HERODEM quoque extra muros productum comprehenderet. & PHASAELVS ad eumdem, de Parthicâ perfidiâ nuntios frustrà miserat; quòd ab hostibus intercepti essent.

HERODES itaque, re cognitâ, ad PACORVM, & ad Parthos arcanorum herilium conscios, accessit. qui subdolâ dissimulatione eum hortati sunt, ut secum extra regiam progrediens, tabellarijs occurreret; qui de felici PHASAELI & legationis successu nuntium adferrent.

Sed ille, cùm ex alijs de fratre capto iam certiora audierat; tum monitis socrûs suæ, Hyrcani filiæ, cui arcana hostium consilia suboluerant, obtemperare constituerat.

HERODIS FVGA, ET DE PERSEQVENTIBVS VICTORIA.

Et interim dum Parthi, quibus virum tantum apertè adgredi non placeret, quid faciendum sibi esset, consultant; & rem totam in proximum diem differunt; perspectâ eorum trepidatione, decrevit vespertini temporis opportunitate ad fugam utinêque rebus tam dubijs, inter hosteis diutiùs cunctari.

Adsumto igitur, armatorû, quos apud se habebat, præsidio; & mulieribus, matre & sorore, sponsâ & socru, in iumenta impositis; cum fratre minore, & domesticorum comitum servitiorumque turbâ, clam hostibus, in Idumæam iter instituebat. Et inter eundum, iacenteis suorum animos, ne mærori, & calamitatis magnitudini succumberent, comiter erigebat.

Ipse tamen matris casu, quæ everso vehiculo humi secum fuerat adflicta, territus, vix à morte sibi consciscendâ se continuit.

Idem dum ad castellum Massadam, quam-maximis viarum compendijs pergeret, à Parthis, qui persequebantur, oppugnatus, victor discessit. Iudæos quoque, qui LX. ab urbe stadijs illum adgressi in pugnam pertraxerant, ita profligavit; ut eodem in loco, postquam regni potitus est, regiam cum-primis memorabilem condiderit, opido adiuncto, quod à se HERODIVM vocari voluit.

Posteaquam ad Ressam, Idumææ vicum, perventum est; ex consilio IOSEPHI fratris, qui ei occurrerat (quoniam Massada, quò iter & perfugium erat institutum, tantam comitum multitudinem capere non posset) maiore quidem parte, ad IX. millia, dimissâ; & alijs per Idumææ avia salutem, cum viatico, quærere iussis; expeditos tantùm, & intimâ necessitudine coiunctos secum in castellum introduxit. Ibique mulieribus, cum suo comitatu, ad DCCC. loco tuto, & à rebus necessarijs instructo, depositis; ad Petram Arabiæ properavit.

VRBIS HIEROSOLYMÆ DIREPTIO.

Ceterùm ubi dies à fugâ regis nocturnâ proximus illuxit, omnia Hierosolymitanorum civium bona, unà cum regiâ ipsâ, ita à Parthis direpta sunt; ut sola Hyrcani pecunia, ad CCC. talenta, intacta remanserit. supra eas facultates, quas HERODES maturè in Idumæam transportandas curaverat.

Vrbe direptâ, Parthi agrum quoque latè populati sunt: & Marissam, urbem opulentam, evastârunt.

HYRCA-

HYRCANVS MVTILATVS, ET PHASAELVS AD MORTEM ADACTVS.

Atque ita ANTIGONVS in Iudæam regnumque à rege Parthorum restitutus, HYRCANVM & PHASAELVM & vinctos ab eis accepit. hoc unum dolens, mulieres effugisse; quas unà cum pecuniâ traditurum illis promiserat.

Et veritus, ne præ veteri populi studio HYRCANVS, qui à Parthis etiamdum adservabatur, in integrum restitueretur; aures ei dentibus detruncavit: & recipiendo Pontificatui inidoneum, mutilato corpore, reddidit.

PHASAELVS verò, ubi se neci destinatum cognovit; quùm manus sibi propter vincula inferre non posset; ne pro inimici arbitratu aut lubidine caderet; adlisoad saxum capite, vitam abrupit.

ANTIGONVS tamen, submissis medicis, pro remedio venenum vulneri capitis indidisse traditur. Et ipse PHASAELVS, audito, HERODEM ex hostium manibus elapsum esse; valde tranquillo animo mortem tulisse: qui fratrem mortis suæ ultorem post se relinqueret.

FVGA HERODIS IN ARABIAM, IN ÆGYPTVM, IN ITALIAM.

HERODES intereà, à malis, quæ undique circumstabant, infractus, ad MALCHVM, multis beneficijs obstrictum, proficiscitur: pecuniam, quâ maximè opus haberet, vel munere, vel fenore ab eo accepturus: quâ vel ccc. talentûm summâ, fratrem PHASAELVM, quem interijsse ignorabat; à Parthis redimeret, eâque causâ fratris filium, circiter septennem, ceu fidei pignus apud Arabas futurum, secum ducebat.

At quùm ei, qui à MALCHO missi erant, denuntiarent; ut ea *finibus regni eius excederet*: (hoc enim Parthorum iussum ille prætexebat; ne pecuniam debitam, & quæ ANTIPATER apud ipsum olim deposuerat, HERODI redderet) Ipseque contrà & comiter respondisset: *Se venisse, ut sine cuiusquam molestiâ, cum rege de rebus necessarijs colloqueretur*: satius tamen esse duxit, inde prorenùs decedere; &, licet molestè, in Ægyptum abire.

Vt postridie Rhinocolura pervénit, ibi de fratris interitu certior factus est. & MALCHVS, qui sibi tam incivilis facti pœnitendum putâsset; frustrà HARODEM eousque insecutus est, quùm ille Pelusio iam adpropinquaret.

Ibi à nautis, qui Alexandriam petebant, reiectus; sed ab eius loci magistratu, ob pristinæ fortunæ reverentiam honorificè Alexandriam usque deductus, à CLEOPATRA (quæ idoneum sibi ad ea, quæ animo agitabat, ducem militiæ fore existimaret) detinebatur.

Ea tamen efficere non potuit, ne Romam, licet hibernâ tempestate, & rebus Italiæ parùm tranquillis, properaret.

Inde Pamphyliam versus solvens, ægrè, nec sine sarcinarum in mare iactu tà, per gravem tempestatem, Rhodum evasit. Eamque civitatem, bello Cassiano graviter adflictam, pro præsenti rerum inopiâ, liberaliter recreavit: conscensâque cum amicis triremi, in Italiam, Brundisium adpulsus.

ANTONIVS IN ITALIAM VENIT, ET BELLVM CÆSARI FACESSIT, SOCIO POMPEIO.

Iam enim ANTONIVS tot Asiæ Syriæque cladibus, ab amoris vesaniâ, & ebrietate expergefactus, Vere ineunte, Alexandriâ solvens, Tyrum adhuc fidam, classe petierat. Sed illinc tumultuosis FVLVIÆ suæ de Italiæ statu litteris revocatus, mari Cyprio & Rhodio Asiam prætervectus, Athenas adnavigaverat.

Ibi præter uxorem, IVLIAM etiam matrem reperit. Et instituto cum utrâque colloquio, cum FVLVIÆ, Cæsari infestissimæ, persuasionibus; tum IVLIÆ, aliorumque pro SEX. POMPEIO deprecationibus, victus, & eidem POMPEIO reconciliatus, unà cum illo bellum Cæsari inferre constituit. Et relictâ, ob morbum, apud Sicyonem FVLVIA, ipse cum cc. navibus (iam enim AENOBARBVM cum classe eò loci occurrentem, in amicitiam receperat) Corcyrâ solvens, Brundisium adpulit.

Sed civibus portas præcludentibus, urbem statim vallo & fossâ à reliquâ continente intercludit: & relictâ ad obsidionem exercitûs parte, ex itinere Sipuntem capit.

POMPEIVS, Siciliâ excitus, & littora adversa infestare iussus, misso cum duabus legionibus in Sardiniam, quam Cæsar tum tenebat; MENA liberto; ipse Thurios & Consentiam obsidebat.

Cæsar, qui sub id tempus è Galliâ redierat, cognitis ANTONII conatibus, P. SERVILLIVM RVLLVM, ad Brundisium tuendum; M. AGRIPPAM, ad recipiendam Sipuntem, mittit.

Quę dum utrimque pari contentione fiunt, & coloniæ veteranique in parteis ambitiosè *sollicitantur*: in tanto rerum, totiusque adeò Italiæ tumultu, opportunè de FVLVIÆ morte nuntiatum est.

FVLVIÆ EXITVS. CÆSAR ET ANTONIVS RECONCILIANTVR. PACIS LEGES; SEU FEDVS BRUNDISINUM.

Face itaque belli iam exardescentis per mortem FVLVIÆ exstinctâ; & erectis ad pacificationem omnium animis: non priùs, aut ab amicis alterutrius (inter quos ANTONIORVM mater IVLIA) neque à militibus, ipsorumque ductoribus cessatum est; quàm Cæsar & Antonius depositis armis, in gratiam redirent.

Quę pax ut artiore necessitudinis vinculo confirmaretur; OCTAVIA, CÆSARIS soror consanguinea (ex Ancharia) & natu maior, MARCELLI, non ita pridem defuncti, vidua, fausto omnium adplausu, à Cęsare Antonio despondetur.

Ipsi itaque amicitiam & pacis federa, per conventionem, interprete M. COCCEIO NERVA, utriusque partium necessario. CILNIO MÆCENATI, CAIA-

CÆSARIS; ASINIO POLLIONE, ANTONII legatis, præsentibus, in hæc verba, & his legibus scripserunt.

„ M. ANTONIVS, C. CÆSAR, *Imperatores, amicitiam pacémque inter se comiter servanto, & sine dolo malo coluntо.*

„ M. ANTONIO *ius, imperium, arbitriúmque in omnibus provincijs insulísque, terrâ maríque, versùs Orientem, ab Hadriatico Sinu usque ad Euphratem:*

„ C. CÆSARI *iisdem legibus, ius imperiúmque, versùs Occidentem, usque ad Oceanum esto.*

„ *Vterque in Italiâ liberum, sed pari legionum numero, delectum habento.*

„ *CÆSARI contrà* SEX. POMPEIVM; *(quem communem hostem inter se declarârant)* ANTONIO, *contra Parthos belli ius esto.*

„ *Africam* M. LEPIDVS, *æquo, uti data est, federe habeto.*

Adscriptum summæ federis, (quod BRVNDISINVM dictum est) ut *Consulatus mandandi, abrogandi, in abdicatorum, vel non ineuntium locum sufficiendi, quem vellent, potestas utrique æqualis esset.*

His ita constitutis; ob tam insperatam reconciliationem, ambo, militibus deducentibus, triumphali veste ovantes in Vrbem equis sunt invecti.

POMPEIVS ORAM MARITIMAM INFESTAT. POPVLI IN IMPERATORES procax seditio.

CÆSAR eâ adfinitate fretus, Antonium impellit, ut initæ nuper cum POMPEIO amicitiæ prorsus renuntiet, si ab eiusdem ille provincijs bellum non abstineat.

Cæterùm POMPEIVS eâ Antonij denuntiatione neutiquam deterritus, sed ferocior factus, mare Tyrrhenum, oràsque Italiæ maritimas, littoraque omnia latrocinijs infestare; artis commeatibus Vrbem vexare; & frumenti commercia, occupatâ per MENAM libertum Sardiniâ, vastatâque nuper Corsicâ, impedire & avertere.

Cives itaque, velut obsidione clausi, vociferari; & de ultimâ inopiâ quiritari. POMPEIVM per æqua, per iniqua, in partem publicæ pacificationis vocandum.

Et gravioris famis metu, in furorem rabiemque acti, in Antonium Cæsarémque impetum facere; & disiectis eorum statuis, In publicum prodeuntes lapidibus incessere. Neque priùs à tumultu desistere; quàm legati de pacis conditionibus ad POMPEIVM mitterentur. cum quibus mater eiusdem MVCIA, ad demulcendum filij animum, profecta est.

CÆSAR etiam & ANTONIVS, ad SCRIBONIVM LIBONEM, SEXTI socerum, (cuius etiam sororem Cæsar duxerat) mandata per amicos dedére; ut gratiâ suâ & auctoritate ad pacis conditiones generum inflecteret: locumque ipsis & tempus colloquij cum eodem peteret.

PAX CVM POMPEIO FACTA. PROSCRIPTI RESTITVTI.

Hic POMPEIVS, STATIO MVRCO potiùs quàm MENÆ liberto, dicto audiens; postulatam à populo Romano pacé cum Cæsare & Antonio, qui Baias venerant; instituto circa Misenum colloquio, fecit. Sic ut illi in continenti; ipse verò in aggere circumfluo, præsente hinc universo exercitu, hinc totâ classe, consisterent. & his legibus inter se paciscerentur.

„ *Vt* POMPEIVS *Siciliam, Sardiniam, & Achaiam, per quinquennium haberet: maria à piratis liberaret; commeatum in urbem immitteret; præsidia ex omnibus Italiæ locis deduceret.*

„ ANTONIVS *vicissim &* CÆSAR *proscriptos, (nisi si qui ob* CÆSARIS *cædem damnati essent) restituto bonorum quadrante, in gratiam reciperent.*

His ita compositis, & dextris inter se datis, quùm POMPEIVS in navi suâ CÆSAREM & ANTONIVM cœnâ exciperet; falsè & facetè illudens, *se in Carinis suis cœnam dare* dicebat. (Eo enim loco Romæ paterna eius domus ab ANTONIO possidebatur.)

Hoc pacis federe clarissimi viri, M. SILANVS, SENTIVS SATVRNINVS, L. ARVNTIVS, M. TITIVS, & CLAVDIVS NERO, ex ANTONII beneficio reip. restituti sunt.

At STATIVM MVRCVM, qui adventu suo, classéque validissimâ POMPEII vireis duplicaverat; falsis MENÆ & MENECRATIS, libertorum, criminibus insimulatum, POMPEIVS per insidias, Syracusis, interfecerat. *homo, ut litterarum rudis & sermone moribúsq; barbarus; ita libertorum suorum ipse quasi mancipium.*

PERFIDVM MENÆ CONSILIVM.

Quùm inter hæc MENAS illi auctor esset; *Vt hospites suos, CÆSAREM & ANTONIVM, ex insidijs adoriretur, quos in potestate & in navibus habebat. Rempublicam à dominis liberaret: patris fratrisq; Mânibus, eorum nece, parentaret.*

POMPEIVS contrà, scelestam liberti perfidiam generoso dicto retorsit: *Vtinam, inquiens, sine me, ô MENA, hoc efficere posses! Poterat enim MENÆ; non POMPEII proprium.*

Consulatus deinde in quadriennium ita ex fœdere compararunt. ut M. Antonius & Scribonius Libo, in annum V. C. DCCXIX. *designati essent:* ANTONIVS *in suum locum, quem vellet sufficere posset.*

Proximè CÆSAR *&* SEX. POMPEIVS.

Tertio deinde anno DOMITIVS AENOBARBVS, *&* C. SOSIVS.

Quarto, CÆSAR *&* ANTONIVS *iterùm coss. essent.*

Eas leges ità consignatas, Vestalium custodiæ commiserunt. Et SEXTVS quidem in Siciliam; ANTONIVS verò & CÆSAR in Vrbem reversi sunt; faustis acclamationibus, & incredibili omnium lætitiâ excepti.

Exitu anni ASINIVS, & DOMITIVS (ex quibus hic ex Consulatu Hispaniam obtinuit) abdicarunt: alijque in paucos dies suffecti sunt; L. CORNELIVS Balbus Gaditanus, & P. CANIDIVS CRASSVS.

HERODIS QVERELÆ: IPSE REX A SENATV APPELLATVS.

HERODES interea Brundisio Romam profectus, ANTONIO, antè omneis, ea quæ sibi in Iudæâ contigissent, enarravit. *Fratris* PHASAELI *cædem, &* HYRCANI *apud Parthos captivitatem.* ANTIGONVM *ab ijs in regnum restitutum: Se, cum mulierum & domesticorum comitatu, vix ex eorum manibus fugâ elapsum: Familiam in extremo periculo relictam undique oppugnari: se per medias maris ventorumq́ tempestates,* ad unicum subsidium, *quod in ipso positum haberet*, perfugisse.

ANTONIVM statim mutatæ in HERODE fortunæ, quæ ab excelso fastigio principem virum deiecerat; commiseratio subijt. Huc accedebat, tum paterni hospitij memoria; tum magnitudo pecuniæ, quam, si rex à Senatu appellaretur; illi HERODES, ceu operæ-pretium, promiserat; cuius potissimùm beneficio Tetrarchiæ dignitatem paullo antè fuerat consecutus. Sed & Antigoni odium, turbulenti, & Romanis infesti hominis, ad iuvandum enixus exsulem incitabat.

Neque in Cæsare ipso, partim propter militiam, cum patre ipsius in Ægypto toleratam, & hospitalis tura benivolentiæ; partim ut Antonio, quem HERODIS studiosum sciebat, gratificaretur; minus in tuendâ ipsius dignitate exsistebat studium.

Convocato itaque Senatu, MESSALLA & ATRATINVS, HERODEM in medium productum, commemoratis patris, ipsiusque erga Romanos meritis, commendârunt. Et simul Antigonum, quòd supra veteres offensas, contemtis Romanis, imperium à Parthis accepisset; accusârunt, & hostem declararunt.

Quibus caussis, quùm Senatus offensus esset; & Antonius adiecisset; ad Parthicum bellum, quod adornabat, HERODIS regnum fore in primis conducibile; omnium suffragijs rex declaratus est.

Quâ in re Antonij studium, spem ipsius excessit: qui numquam futurum sperâsset, eum honorem, qui regio generi servari & deferri à Romanis solet, sibi à Senatu concessum iri. Ideoque nullum eum iustiùs petiturus videbatur ALEXANDRO, coniugis suæ fratri; Nepoti ex patre, ARISTOBVLI, & ex matre, HYRCANI. Quem adolescentem ipse posteà nefariè in piscinâ interfecit.

Cæterùm, dimisso Senatu, HERODES inter Antonium & Cæsarem medius, Consulibus, cæterisque magistratibus deducentibus, in Capitolium conscendit: ubi illi sacra facere, & Senatûs-consulta deponere de more constituerant. Rex novus, primo regni sui die, ab Antonio exceptus est convivio.

(IOSEP. *regio fastigio auctum esse tradit*, CLXXXIV. *Olymp. ijs, quos suprà nominavi, Consulibus. & intra dies VII. tam insperatâ felicitate ornatum, ex Italiâ dimissum.* (*Dupliciter tamen anni* HERODIS *computari solent. Vel ab hoc anno; qui fuit IV. Olymp.* 184. *& regnârit ann. XL. Vel ab eo tempore, quo cepit Hierosolymam, Coss.* VIPSANIO AGRIPPA, *&* CANINIO GALLO, (*aut* STATILIO TAVRO) *& regnarit XXXVII. annis.*)

Illo autem diutiùs absente, Antigonus familiam eius, quæ erat Massadæ, acriter oppugnabat, cum aquarum inopiâ conflictantem. Eâ de caussâ cùm IOSEPHVS frater, cum cc. familiaribus, inde in Arabiam, ad MALCHVM, neglecti erga HERODEM officij palam pœnitentem, fugere decrevisset; imbre noctu de cœlo demisso, qui cisternas aqua replêrat; id consilium mutavit. & magno cum suis animo excurrens, manus cum Antigonianis non infeliciter conseruit.

3913. AbV.C.714.	*Quo tempore* L. MARCIVS CENSORINVS (*qui ipsis Kal. Ian. ex Macedoniâ, cui præfuerat, triumphâsse traditur*) *&* C. CALVISIVS SABINVS, *Consulatum inierunt; Triumvirorum Resp. constituendæ acta, agendaq́, à Senatu populoq́ Romano pro ratis habita sunt.*	37.

Eâque auctoritate fretus ANTONIVS, inter cæteros, DARIVM, PHARNACIS F. MITHRIDATIS N. Ponti; & HERODEM, præter Iudæos, Idumæorum etiam Samaritarumque reges constituit.

CÆSAR ET ANTONIVS ROMA DIGRESSI.

Postquam autem CÆSAR & ANTONIVS Romæ in otio, summâ inter se concordiâ, aliquamdiu egissent; ille in Galliam, nonnihil turbatam, profectus est; hic comitante OCTAVIA, in transmarinas provincias, ad bellum Parthicum, ex Vrbe discessit: & Athenis hiemare constituit.

ANTO-

ANTONII VANITAS ATHENIS.

Ibi, uti priùs Alexandriæ, relicto Imperatoriæ dignitatis cultu, in merâ communi solitudine, professoribus disciplinarum, alijsque audiendis operam dabat: convivia Græcorum more agitabat: solennibus ferijs epulisque, magna cum OCTAVIÆ voluptate, intererat. Et Gymnasiarcha à civibus creatus, BACCHVM se alterum appellari passus est. & desponsâ sibi ab ijs MINERVA stipulatus dotem H.S. quadragies, (178000. flor.) matrimonium adprobavit. hoc est; *Stultæ adsentationis ab Atheniensibus multam exegit.*

VENTIDII EX LABIENO ET PARTHIS VICTORIÆ; ET CVM IVDÆIS prævaricatio.

Interim P. VENTIDIVS, quem ANTONIVS, ante fedus Brundisinum, dum in Græciâ ipse hæreret, contra Parthos ex Asiâ cum exercitu præmiserat; LABIENVM, ex Asiâ in Syriam repulsum, Tauro monte tenùs persecutus est. Et in agro Cyrrhestico supervenientem Parthorum exercitum magna strage cecidit: captoque Labieno, Ciliciam universam recepit.

Inde per Amani montis angustias, sive portas, in Syriam transgressus; PHARNABATEM ORODIS regis præfectum, & PACORI legatum, qui fauceis illas custodiebat, ex-improviso, & numero longè impari adgressus; & cæso duce, prœlijs secundis usus, universam Syriam, à Parthis desertam præter Aradum, iterùm subegit.

Hostibus ità è Syriâ repulsis, ipse in Iudæam venit quasi IOSEPHO, HERODIS fratri, auxilium laturus; quùm pecuniæ ab Antigono extorquendæ caussam quæreret. quam positis propè Hierosolyma castris, satis magnam ab eo exegit; & cum maiore copiarum parte mòx recessit. Atque adeò, ne fraus deprehenderetur; Silonem ducem, cum aliquantâ militum manu, ibi reliquit.

Sed & is muneribus ab Antigono placandus fuit; ne dum Parthorum auxilia exspectantur; gravis & molestus ei esse pergeret.

HERODES REDVX BELLVM ANTIGONO FACESSIT: HIEROSOLYMAMQVE obsidet propugnante ANTIGONO.

HERODES simulatque ex Italiâ Ptolemaidem adpulsus est; collectâ militum, partim mercenariorum, partim indigenarum, manu, per Galilæam adversùs Antigonum contendit.

Antonius Gellium, cum mandatis, ad Ventidium Silonemque miserat, ut HERODEM in regnum suum deducerent. Sed quùm Ventidius tum fortè componendis civitatum ex Parthicâ irruptione tumultibus distineretur; & SILO ab Antigono corruptus in Iudæâ hæreret; HERODES nihilo minus, totius penè Galilææ potens, novis in dies copijs augebatur.

Verùm quùm ei Masadam versùs ducenti, Ioppe, ab hoste infesta, remoram injiceret: eamque primùm capi necesse esset, ne quid infestum a tergo, Hierosolymam petiturus, relinqueret; SILO, eâ occasione usus, exercitum movit.

Quem quùm Iudæi Antigoniani persequerentur; HERODES modicâ manu obvius persequenteis profligavit; & Silonem ægrè repugnantem servavit. Capta deinde Ioppe, & receptis è Masadâ domesticis; comite Silone, ad Hierosolyma contendit.

Hic castris ad occiduum urbis tractum positis, & alteris alteros hostiliter utrimque infestantibus; HERODES misso circa mœnia clarigatore, denuntiat: *Se publico gentis urbisque bono advenisse. nec modò iniurias a quoquam suas non persecuturum; sed veterum etiam offensarum memoriam perpetuâ oblivione deleturum,*

Ad ea ANTIGONVS, verso ad SILONEM, militesque Rom. sermone: *Iniquam rem vos facere,* aiebat; *qui HERODI, homini privato & Idumæo, regnum, quod gentis more, Iudæo, & regiæ stirpis successori debeatur, detulissent. „ Si quid ipse Parthicæ societatis commercio offendisset; superesse ex veteri regum genere permultos, etiam sacerdotes, qui nihil unquam de populo Romano male sint promeriti.* deinde à convicijs ad vim conversus, hosteis à mœnibus omni telorum genere arcere cœpit.

Dum hic milites Siloniani, ducis familiares, commeatum ampliorê & pecuniam, non sine clamore à rege flagitarent; aut abduci se in hiberna locis commodioribus postularent; HERODES vix precibus, & largioris annonæ spe, ne se desererent, impetravit. Et mox suis per agros dimissis, magnam necessariarum rerum copiam in castra invexit. Et ex Samariâ, ingentem frumenti, vini, & pecorum vim, Hierichuntem, velut in horreum, comportari iussit.

Ea res quùm ANTIGONVM non falleret; submissâ circa eam urbem armatorum multitudine; & insidijs per agros monteisque positis, frumentatores intercipere moliebatur.

HIBERNA ROMANIS DISTRIBVTA.

Neque HERODES segnior, adscitis secum x. tam Romanorum, quam popularium cohortibus, & modico equitatu, Hierichuntem petit. Et vacuam incolis, qui ad montium cacumina confugerant, urbem nactus; ipse quidem, quos potuit, captos ad D. gratis dimisit: Romani urbem, opibus, & rebus pretiosissimis refertam, diripuêrunt.

Rex relicto ibidem præsidio, reversus, Rom. exercitum, in regiones, recenti deditione sibi obnoxias; Idumæam, Galilæam, & Samariam; hibernatum deduxit.

ANTIGONVS itidem, à SILONE, per largitionem obtinuit; ut Rom. exercitûs pars Lyddæ collocaretur.

Ita quiescentibus, & armorum curâ solutis Romanis. HERODES, otij impatiens, misso in Idumæam IOSEPHO fratre, cum M. peditibus, & CD. equitibus; ipse in Samariam profectus, matre ibi depositâ, alijsque necessarijs, quos è Masadâ receperat; in Galilæam duxit, loca præsidijs ANTIGONI infessa expugnatum.

Sephori, quò ningue è cœlo pervenerat; & unde Antigoniani diffugerant, potitus; magnam ibi rerum necessariarum copiam nactus est.

Deinde prœlio haud procul Arbelis, (is vicus est) commisso, quum sinistro aciei suæ cornu laborari cœptum esset; hostes iam quasi victores terga vertere coegit. Eosque pellentes, ad Iordanem usque, persecutus, omnem Galilæam, præter latrones montanis speluncarum recessibus tutos, ditioni suæ adiecit.

Quùm verò SILO, cum suis ducibus, qui apud ANTIGONVM in hibernis fuerant, ad regē venissent; quòd non modò illos, exacto iam mēse, alere diutiùs nollet ANTIGONVS; sed circum-vicinos etiam, sublatis secum rebus ad victum necessarijs, in aviâ montium refugere iussisset, quò Romani inopiâ & fame affligerentur; HERODES, PHERORÆ e fratribus minimo, militaris annonæ curam commisit: & simul Alexandrium castellum, quod priùs desertum fuerat, instaurare & muro cingere iussit.

HERODES LATRVNCVLOS PERSEQVITVR

Et SILONE ad Ventidium, à quo ad bellum Parthicum repetebatur, dimisso; ipse adversus latrones, qui in speluncis & præruptis montibus, cum totis familijs degebant, exercitum perducit. eosque, immissis in cavernas milite, partim iugulavit; partim veniā per præconem pollicitus, ad deditionem coëgit.

Et PTOLEMAO ei regioni præposito, in Samariam cum DC. equitib. & III. pedit. M. profectus, armis cum ANTIGONO rem decernere constituerat.

Sed PTOLEMAO, quem domitæ latronum vastitati præfecerat, per eos, qui Galilæam antè turbaverant, occiso; latrones, qui à cæde in paludes & loca inaccessa se receperant, totum eum tractum rapinis iterùm, & excursionibus infestare cœpérunt.

HERODES verò eòdem revertens, ex defectoribus alios mòx interfecit; alios è locis munitis extractos & conquisitos supplicio tradidit: & arcibus ipsis funditùs evertis, sublatisque rerum novarum auctoribus, civitates c. talentis multavit.

RES GESTÆ AB ASINIO POLLIONE.

Sub idem tempus C. ASINIVS POLLIO Proc. de Parthinis, (quem populum PLIN. in Macedoniâ: STRABO, supra Dyrrachium & Apolloniam, in Epiro: STEPHANVS, Parthum opidum, (unde Parthini dicti) in Illyrico, collocârunt) triumphavit.

(Alij, Salonâ, Dalmatia urbe, captâ, (unde filio, quem eodem anno susceperat, SALONINI cognomen) triumphâsse aiunt. Et FLORVS; Dalmatas, inquit, MARCIVS, incensâ urbe Delminio, quasi detruncaverat. postea ASINIVS POLLIO gregibus, armis, agris multaverat. Et VELL. POLLIO, inquit, cum VII. legionibus, diu retentâ in potestate ANTONII Venetiâ, magnas res & speciosas circa Altinum, aliasq; eius regionis urbes, ediderat. &c. & DOMITIVM AENOBARBVM, BRVTO caeso, propria classis factum ducem, fide datâ, ANTONIO iunxerat.)

ANTONII IN VENTIDIVM INVIDIA.

Idem ANTONIVS, dum Athenis adhuc subsisteret, laureatas de VENTIDII adversùs Parthos victorijs & legionum incolumitate litteras accepit. Eo autem nuntio ille non tam recreatus, quàm invidiâ æmulationeque cruciatus esse dicitur.

Postquam litteræ illæ in Senatu recitatæ sunt; patres, quòd ANTONII auspicijs VENTIDIVS rem benè & feliciter gessisset; Crassianamque cladem ultus esset; supplicationes ANTONIO & VENTIDIO, & utrisque triumphum decrevérunt. Quos honores, VENTIDIO, secum, communicatos ægrè ferens ANTONIVS, imperium VENTIDIO abrogavit: & exercitu eius accepto, ipsum collaudatum ad Vrbem remisit; postea, ut videtur, eiusdem operâ usurus.

ANTONIVS ob tam felicem rei gestę nuntium, epulum Græcis dedit, ludosque publicos instituit.

RES GESTÆ M. AGRIPPÆ.

CÆSAR verò in Galliam, bellico tumultu inquietam, profecturus, M. AGRIPPAM, virum impigrum, cum imperio, & exercitu, eòdem præmiserat.

Is Aquitanos imperata facere coëgit; rebusque prospere gestis, secundus à IVL. CÆSARE Rhenum belli caussâ transmisit: honore triumphali à CÆSARE decoratus, quem postea, re cum SEX. POMPEIO infeliciùs gesta, neglexit.

DECIMATIONIS EXEMPLVM.

CN. CALVINVS. Procons. Cæretanos in Hispaniâ domuit: cladem que à P. DVCENIO, CÆSARIS legato, sive militum pavore, sive contumaciâ acceptam, correxit: & acerbissimâ concione in exercitum, legati desertorem, militarisque disciplinę proditorem, invectus, veteri & nobili exemplo, decimum quemque è duabus centurijs, sorte ad supplicium delegit: & IVBELLIVM, (al. VIBVLLIVM) primipili Centurionem, ob turpem ex acie fugam, fuste percussit.

CÆSAR LIVIAM DVCIT.

CÆSAR intereà, ne otio, certissmâ disciplinę militaris pernicie, miles corrumperetur; eumdem crebris in Dalmatiâ, Illyricoque expeditionibus, patientiâ periculorum, & bellorum experientiâ, confirmabat.

Idem, repudiatâ, ob morum, quam culpabat, perversitatem, SCRIBONIA; LIVIAM (DRVSI CLAVDIANI filiam; TIB. CLAVDII uxorem, iam sexto mense gravidam) despondente etiam NERONE marito; auspicatis reip. ominibus, sive veriùs consultis quasi per ludibrium Pontificibus; *An LIVIA concepto, neque dum edito partu, ritè in alienam domum nuberet!* ad se traduxit.

Ea, post

Ea, post treis menseis, peperit Drusum Neronem; quem infantem AVGVSTVS patri suo remisit. Et NERO paullo-pòst moriens, eundem AVGVSTVM liberum suorum tutorem fecit. Proverbium hinc Romæ ortum: *Fortunatis, trimestreis nasci pueros.*

POMPEIVS PACEM VIOLAT, MVLTA EXCVSANS. HINC BELLVM SICVLVM.

Intereà crescente in dies, & classe, & famâ POMPEI, qui rupto pacis fœdere, mare vicinum subinde latrocinijs vexaret; & Italia artis commeatibus premeret: caussam belli prætexens, tum quòd CÆSAR quidem Mænam, libertum suum, (qui pactâ cum eo transitione, classem suam, & insuper Sardiniam, Corsicamque cum III. legionibus CÆSARI prodiderat) in amicitiam receptum, ingenuitati adseruisset; & in equitum censum adscripsisset: CALVISIOQVE legatum esse iussisset: & sibi, repetenti fugitivum, remittere recusâsset.

Tum quòd Antonius Peloponnesum & Achaiam, provincias ex fœdere, sibi nuper concessas; vexare & exhaurire non cessaret.

Vnde quùm CÆSAR molem eius belli suscipere statuisset; Antonium ex Græciâ; Lepidum ex Africâ, in consilium & auxilium accivit.

Antonius Cæsari obsecutus, Athenis Brundisium navigavit; sed subitò, ne salutato quidem, aut non invento Cæsare; (Sive lupi, aliquot milites in Prætorio suo dilaniantis, prodigio territus; sive bellum Parthicum caussatus) cursum in Græciam retroflexit. Lepidus autem ob longiorem cunctationem inutilis fuit.

CÆSAR CLASSEM ADPARAT, PRÆFECTO AGRIPPA.

CÆSAR itàque ab utroque collegâ, contra pacta, desertus, ædificandis navibus, contrahendoque milii ac remigi, navalibusque adsuescendo certaminibus, M. AGRIPPAM præfecit. Qui in Averno, ac Lucrino lacubus, speciosissimâ classe fabricatâ, quotidianis exercitationibus militem, remigemque, ad summam & militaris, & maritimæ rei perduxit scientiam.

MENA ad CÆSAREM transgresso, POMPEIVS, rei navalis summâ Menecrati & Apollophani, libertis itidem suis, commissâ, in Italiam traijciens, eam diripiebat, & hostiliter omnia gerebat.

3914. | *Consulatum iam inibant* APPIVS CLAVDIVS PVLCER, & | 36.
AbV.C.715. | C. NORBANVS FLACCVS.

Quùm CÆSAR, C. CALVISIVM SABINVM Consulatem classi suæ; & Q. CORNIFICIVM terrestribus copijs præfecit. Ipse verò à Tarento adversùs POMPEIVM navigare instituit.

PVGNA NAVALIS AD CVMAS.

POMPEIVS CALVISIO & MENÆ, Cęsarianis iam ducibus; MENECRATEM libertum cum validâ classe opponit.

Pugnatum est, è regione Cumarum, acriter; MENA, & MENECRATE, ob privatas inimicitias, infestissimè inter se concurrentibus: & MENECRATE cæso, prætoriam eius navem MENAS expugnavit.

Contra CALVISII classem, DEMOCHARES, alter MENECRATIS collega, diu vexatam adflictamque scopulis adlisit: & CALVISIVS ad Cæsarem, qui Tarento Rhegium venerat, vela fecit. Ita ut dubio Marte eo die pugnatum esse censeretur, nisi classem Cæsaris, iuxta Scyllæum, gravissimâ tempestate disiectam Apollophanes, quem POMPEIVS è Messanâ immiserat; vario impetu lacerâsset. Quùm CORNIFICIVS, aliique duces, strenuè quidem se gererent; sed angustijs locorum, scopulorumque metu, impetus eorum, virtusque tardaretur. CORNIFICIVS tamen in DEMOCHAREM invectus, impetum ipsius, prætoriâ expugnatâ, repressit.

CÆSARIS PERICVLVM.

CÆSAR, nave suâ depresâ, ægrè in proximum saxum adrepens, per devios tramites fugit. & paullum abfuit, quin à servo ÆMILII PAVLLI, qui in comitatu ipsius erat; quique proscriptum à Cæsare heri sui patrem dolebat; per insidias interficeretur.

Saluti fuit; quòd legio XIII. per devia obrepens, opportunum suo imperatori subsidium attulerit: quòdque primâ luce CALVISIVS, & MENAS, cum reliqua classe incolumes adpulisse nunciarentur. Ipse nihilo minus sævitiâ tempestatum deterritus; mari abstinere, orasque maritimas præsidio munire, satis habuit.

POMPEII VANITAS.

POMPEIVS in eam Cæsaris cladem impotenter insultans, & supra humanum genus sese efferens; NEPTVNI se filium vanè iactabat; & cæruleo paludamento utebatur. equis etiam, virisque vivis, in Fretum, piaculi vicem, coniectis.

Et dum ipse novis incursionibus Italiam vastat; MENAS, APOLLOPHANEM, quem ille in Africam cum classe præmiserat, adsecutus, magnâ clade castigatum repressit.

CÆSAR, ad novæ classis adparatus, in Campaniam recedens, misso MÆCENATE, ANTONIVM iterum ad belli contrà POMPEIVM gerendi societatem evocarat.

VENTIDII ALTERA DE PARTHIS VICTORIA. EIVS FORTVNA.

Et VENTIDIVS, iterùm contrà Parthos profectus, egregiáque funditorum manu instructus, PACORO cæso, eos vicerat: & ut anteà Syriâ; ita tum Armeniâ expulerat.

Observatumque est, eodem die victum PACORVM cecidisse; quo & XV. ante annis Crassiana clades fuerat accepta. PACORI caput VENTIDIVS opidatim circumferri iussit; ut tum M. & P. CRASSORVM; tum SAXÆ, nuper cæsi, mánibus eo modo parentaret: & Syriam, quæ ob eiusdem principis æquitatem, in eum erat propensissima; eiusdem clade ad deditionem compelleret.

VENTIDIVS autem tum hisce rebus gestis; tum ipsius fortunæ inconstantiâ (bis enim ipse captivus in triumphum, bello sociali, quod POMPEIVS STRABO, MAGNI Pater, gessit, ductus fuerat) insignis: postea primus & solus (sed mortuo iam Antonio) de bellicosis Parthorum gente triumphavit: post præturam Pontificatum, & Consulatum; morte obitâ, funere publico elatus.

NOVA ANTONII CVM CÆSARE, RECONCILIATIO.

ANTONIVS, auditâ Cæsaris clade, ut præ se ferebat; permotus; ad belli, adversùs communem hostem, societatem, & quasi auxilium ex pacto adlaturus; rebus utcumque in Syriâ compositis, cū ccc. navibus Tarentum adpulit.

Sed quùm obortis caussis, suspecta alterius alteri fides esset; per OCTAVIAM, ceu sequestram, in gratiam his legibus rediére.

,, *Vt ANTONIVS CXX. naveis CÆSARI ad Siculum bellum traderet. & vicissim CÆSAR XX. legionariorum militum Millia in bellum Parthicum eidem attribueret.*

3915.
Ab V. C. 716.

TÆDIVS AFER, Cos. designatus, ut sufficeretur CLAVDIO, minis AVGVSTI territus, prius quàm magistratum iniret, se ipse de saxo præcipitavit. Et Coss. facti sunt M. VIPSANIVS AGRIPPA (ignobili loco natus, sed spectatus militiâ) & L. CANINIVS GALLVS.

35.

Converso quoque, sive exeunte, tunc primo Triumviratûs quinquennio, Cæsar & Antonius, sibi, & LEPIDO absenti, in alterum quinquennium eamdem potestatem prorogârunt. & Pompeium, hostem iudicatum, Consulatûs & Auguratûs prærogativâ privârunt.

ADVLTERIVM ANTONII.

Quibus ita constitutis, Antonius ad bellum Parthicum, in Syriam, comite OCTAVIA, profectus; hanc mox è Corcyrâ remittit: & apud Cæsarem, fratrem, unà cum liberis, deponit.

Et misso ex Syriâ, in Ægyptum, Fonteio Capitone, pro OCTAVIA ablegatâ, CLEOPATRAM arcessit; venientemque ad se magnâ cum benivolentiâ, magnificoque adparatu excepit.

MACHÆRÆ LVBRICA FIDES.

VENTIDIVS, cæso in pugnâ, uti diximus, PACORO, & Parthis profligatis; HERODI, qui difficili bello erat implicatus; & SILONIS auxiliarii perfidiam expertus; iussu Antonii, MACHÆRAM quemdam cum II. legionibus, & M. equitibus subsidio miserat.

Ille ex itinere ab Antigono vocatus, & donis corruptus, ad eum, HERODE reluctante, quasi negotia eius inspecturus, sese contulit.

Antigonus, hominem cuius adventus ipsi suspectus esset, non modò non admisit: sed maligno etiam animo, glandibus per funditores impetitum, longè arcuit.

Ille errore agnito, qui HERODI monenti non obtemperâsset, in urbem Emmauntem se quidem recepit; sed rei indignitate exacerbatus, quotquot in itinere Iudæorum in manus ei incidérunt; nullo amici, hostisve discrimine, trucidavit.

HERODES vicissim, eo facto vehementer offensus, in Samariam iter contendebat; certus ad Antonium accedere, & quiritari: *Sibi ijs auxiliarijs opus non esse, qui se magis, quàm hostem, læderent.* alioqui solum se Antigono opprimendo parem esse.

HERODES QVIRITANS AD ANTONIVM ACCEDIT; ET AVXILIVM impetrat.

Relicto tamen apud Machæram, ita rogantem, cum exercitu IOSAPHO fratre; & istis mandatis; ut *neque cum MACHÆRA contenderet; neque rei summam in discrimen adduceret*; ad Antonium, qui Samosatam, & conclusum in eâ ANTIOCHVM Comagenæ regem, tunc oppugnabat; cum aliquanto peditum equitumque auxilio, ire pergebat.

Quùmque Antiochiæ magnum numerum repperisset eorum, qui iter ad Antonium variis de caussis adsectarent; neque se in viam dare, ob barbaros, passim insidiis & cædibus grassanteis, auderent; ducem se iis præbuit: & cæsis aperto prœlio, & in planitie latronibus, iumentisque sarcinariis, & mancipiis receptis, incolumeis omneis non sine publicâ SERVATORIS appellatione, in tutum perduxit.

Ei iam ad urbem adpropinquanti, ornatissimas copias obviam misit ANTONIVS, qui de adductis auxiliis, deque cęsis barbaris ei congratularetur: & collaudatâ eius virtute, comiter virum complexus, Regem, uti erat recèns à se declaratus, salutavit.

Dedi-

Deditâ deinde per Antiochum Samosatâ, & bello finito; ANTONIVS SOSIO provinciam, cum exercitu, tradidit; & caussâ HERODIS ei commendatâ, in Ægyptum profectus est. SOSIVS verò præmisso cum duabus legionibus in Iudæam rege, ipse cum reliquo exercitu mox consecutus est.

IOSEPHI FRATRIS EXITVS; CVIVS MORTEM VLCISCITVR HERODES. Multa eius secunda prœlia.

At fratre interim absente, IOSEPHVS, mandatorum eius immemor, quùm adscitis à MACHÆRA v. tironum, è Syriâ ferè, cohortibus, Hierichuntem versùs, ad demetendas eius agri segetes, profectus, castra in montibus posuisset; circumventus ab hoste ANTIGONO fortiter licet pugnans, occubuerat; & VI. cohortes desideratæ.

ANTIGONVS, cadaverum potitus, præcisum IOSEPHI caput, L. talentis PHERORÆ fratri addixit.

Eo casu elati Galilæi, & à Præfectis suis deficientes, quam-plurimos ex factione HERODIS in lacum demersos necavérunt; magnique in Iudæâ rerum novarum motus erupere: Et MACHÆRA, tutelæ suæ caussâ, Gittham castellum operibus munire coactus est.

HERODES verò apud Daphnen, Antiochiæ suburbium, de morte fratris certior factus; itinere accelerato, præter legionem Românam, quam ductabat, adsumtis ad DCCC. è Carmelo monte accolis, Ptolemaidem petit.

Vnde quùm in Galilæam progredienti hosteis occurrissent; ipse prœlio victos in castellum, unde pridie exierant, reppulit. eosque primo mâne oppugnare adortus, ob vim repentinæ tempestatis, re infectâ, exercitum in proximos pagos abducere coactus est.

Verùm simulac obsessi alteram ab ANTONIO legionem ad HERODEM supervenisse cognovérunt; noctu, deserto castello, effugérunt.

Rex inde, ulciscendi fratris cupidus, Hierichuntem venit. ubi cœnâ cum honoratissimis quibusque, quos invitârat, peractâ, quùm se in cubiculum recepisset; triclinium, in quo cœnati fuerant, iam vacuum, sine cuiusquam noxâ, concidit. ut rex *Deo carus, & divinâ ope servatus* esse censeretur.

Postero autem die, quùm hostes, ad sexies mille, è montium verticibus, ad pugnam procincti, procurrissent; non modò Romanos terruérunt; sed regios etiam, per velites, iaculis & saxis ita infestárunt; ut rex ipse vulnus in latere (al. ventris abdomine) acciperet.

ANTIGONVS, qui copijs abundare videri vellet; ducem PAPPVM in Samariam immisit. Cui dum MACHÆRA se opponit; HERODES interim, præsidiarijs quinque opidorum, ad bis mille, circiter interfectis, & opidis incensis; adversùs PAPPVM, qui castra ad vicum, Isanas, habebat, reversus est. Et auctus confluente ad se, ab Hierichunte & Iudæâ, multitudine; hostem, qui temerè ad manus veniebat, collatis signis egregiè vicit: & ultionis studio abreptus, sævâ strage in vicum fugientibus instabat.

Quùmque illi in ædium tecta confugerent; tectis dirutis delapsi, acervatim conficiebantur; & innúmera cadavera cæsorum intra parietes cumulata conspiciebantur.

Quo facinore ita fracta est hostium audacia, ut omnem in posterum lætioris fortunę spem abijcerent. & agminatim ita diffugerent; ut nisi repentè valida tempestas intervenisset; regij victores confestim Hierosolyma petituri, & bello finem impositurì viderentur. Iam enim ANTIGONVS de fugâ, & urbe deserendâ, cogitabat.

At rex, iam vespere iussis cœnam parare militibus; diurnæ pugnæ labore fatigatus, quùm in conclave quoddam lavatum abijsset; & ijsdem in ædibus, armati quidam ex hostibus, præ metu, latitarent; dum ille nudus, & unius pueri ministerio se abluit; primus ex ijs, stricto gladio prodiens; deinde alter & tertius armati, per fores sese proripuérunt. attoniti; & illæso rege, quem non agnórant; fugâ sibi salutem quærere contenti.

Rex postero die præcisum PAPPI, inter reliquos, reperti, caput, veluti quoddam vindicati fratris monimentum, (is namque fratrem IOSEPHVM, manu suâ interemisse ferebatur) ad PHERORAM transmisit.

HERODES HIEROSOLYMAM OBSIDET. DVCIT IN VXOREM, MARIAMNEN.

Et tempestate eâ desæviente, exercitum ad Hierosolyma admovit, castra proximè metatus; anno iam tertio, postquam Romæ rex fuerat declaratus.

Ipse POMPEI MAGNI exemplo, fixis ex adversùm Templo tentorijs, eam murorum urbis partem, uti faciliori oppugnationi obnoxiam, sibi designavit: turreis aggeresque, cæsâ circumquaque materie, circumdedit: & commissâ viris idoneis operum machinarumque militarium curâ, dum diceitur obsidio; Samariam ad nuptias, quibus MARIAMMEN, ALEXANDRI filiam, Aristobuli & Hyrcani neptem, sibi multo-antè desponsam, ducturus erat; profectus est.

Intereà SOSIVS, qui aliquantam copiarum partem per mediterranea præmiserat, è Phœnice magnum peditum equitumque numerum in castra adduxit. & rex, nuptijs peractis, è Samariâ, haud mediocre supplementum, circiter XXX. virorum millia, veteri exercitui adiunxit. Vt iam Boreo urbis Hierosolymæ lateri, ad XI. peditum legiones, & V. equitum M. preter auxiliareis Syrorum copias, adsiderent.

His universè copijs, & summæ rei, duo cum imperio præerant, Sosius & Herodes: ille ab Antonio in auxilium missus; hic pro se bellum gerens. ut ANTIGONO, qui hostis pop. Rom. iudicatus erat; delecto, regnum, ex S. C. caducum acciperet.

Quùm autem Iudæi, è totâ regione collecti, & intra mœnia conclusi, certatim resisterent: & fausta populo usque ominati, TEMPLVM DOMINI, qui ipsos in periculo deserturus non esset, iactarent: & direptis extra urbem equorum hominumque alimentis, per clandestina latrocinia, annonæ difficultates obsidentibus incenderent:

HERODES loca opportuna præsidijs præoccupando, & commeatu è longinquo convehendo, effecit; ut rerum necessariarum copia in exercitu esset.

Sed post multa hinc inde tentata, quòd Antigoniani arcè obsessi, iam famè simul & inopiâ, ob annum Sabbaticum, laborarent, paucis primùm è Sosianis in mœnia evadentibus, & muris deinde interceptis; porticus etiam quædam circa templum exustæ sunt; quas Herodes ab Antigono ipso incensas, quò populi in ipsum invidiam concitaret; calumniatus est.

HIEROSOLYMA EXPVGNATVR, ET DIRIPITVR.

At postquam Iudęi exteriorem Templi partem, cum imâ urbe, captam vidêre; in interiora Templi, & urbis superiora refugerunt. Et veriti, ne ab hostijs quotidie DEO immolandis,arcerentur;ut eæ tantùm introduci sinerentur, per legatos, rege annuente, impetrarunt.

Verùm, quùm nec sic quidem ab obstinatione desisterent; rex totis viribus urbem adortus expugnavit: & Romani, longæ oppugnationis molestijs exacerbati, omnia cædibus compleverunt.

Et Herodiani, adversam factionem funditùs exscindere conati, parique cædis rabie incitati, passim, nullo ætatis aut sexûs discrimine, ita sæviebant; ut nec supplices TEMPLI RELIGIO tueretur; nec rege deprecante, à manibus temperaretur.

ANTIGONVS, neque prioris,neque præsentis fortunæ satis memor, è Turri descendens, SOSIO ad genua provolutus est. Is homini ignavo insultans, & ANTIGONAM appellitans, vinctô custodes addidit.

HERODES multò plus, quàm in vincendis hostibus, in auxilijs alienigenarum, qui se in sanctissimi Fani adyta ingerebant, compescendis; negotij habuit. quorum alios precibus, alios minis, quosdam & armis ægrè repressit. Qui *victoriam clade molestiorem existimaret; si, quæ nefas inspici, in profanæ multitudinis conspectum venirent.*

Et rapinas ab urbe abstinere moliens, SOSIVM identidem rogitabat; *Regėmne solitudinis se Romani facere vellent! Exiguum sibi ex tantâ civium cæde operæpretium videri; etiamsi totius orbis principatus contingeret.*

Quùmque SOSIVS referret; urbis per vim expugnatæ direptionem militi esse permittendam; promisit ille de suo mercedem singulis adnumeraturum. Et honorarijs militi ducibusque liberaliter exsolutis; & SOSIO regijs muneribus donato, an delinito! omneis benè nummatos è se dimisit.

Hæc Hierosolymorum clades incidit, in eorum, quos suprà dixi consulatu: CLXXXV. Olympiade; mense tertio; solennibus ieiunij ferijs. post annos XXVII. quàm Vrbs, eâdem die, à CN. POMPEIO capta fuerat.

ANTIGONI EXITVS, ET ASSAMONÆI IMPERII FINIS.

SOSIVS, aureâ coronâ DEO, in Templo, consecratâ, Hierosolymis digressus, ANTIGONVM ad ANTONIVM adduxit. HERODES verò veritus, ne adservatus ANTIGONVS, & Romam ab ANTONIO perductus; iure secum apud Senatum contenderet; quòd HERODES plebeio; ipse regio sanguine prosatus esset. Et, si quidem, ob populi Romani offensam, qui regnaret, indignus esse censeretur; *filijs certè insontibus regnum avitum iure deberi.* Eapropter multis ille pecunijs ANTONIVM induxit, ut ANTIGONVM è medio tolleret, & iusto se metu liberaret.

Eum in modum ASSAMONÆORVM iam præclaris maiorum in republ. propugnandâ facinoribus illustris; quàm ob continentem in eâdem Sacerdotij honorem, celebrata familia, tandem intestinis dissidiis seditionibus, amisit imperium. annis XXVI. suprà C. (al. CXXIIX.) post Encænia IVDÆ MACHABÆI.

ANTONIVS cupiebat quidem ANTIGONVM triumpho suo servare; sed rerum novarum metu, quòd plebes ANTIGONO impensè favere; & peregrini principatûs odio, ne tormentis quidem adigi posset; ut HERODEM appellatione regis dignaretur. visum est, ignominiosâ morte eius memoriam obscurare; & publicum HERODIS odium lenire. Illum igitur Antiochiæ securi subiecit; & primus Romanorum, Regem eo supplicij genere adfecit.

RES IN AFRICA, INTER REGES INDIGENAS ADVERSARIOS.

Paullo antè BOGVDES, Mauritaniæ rex, in Hispaniam, sive suâpte voluntate, sive ANTONII iussu, navigârat; clade ibi, & fortunâ alternâ, exercitus. Et deficientibus ibi à se Tingitanis, ex Hispaniâ digressus, regno suo exciderat.

Qui namque CÆSARIS in Hispaniâ factioni studebant; BOCCHI, adversarij regis, auxilio, BOGVDEM profligârunt. Quo ad ANTONIVM abeunte, BOCCHVS regno eius, CÆSARE favente, potitus est: civitate etiam Tingitanis datâ.

BELLVM SICVLVM CVM POMPEIO RECRVDESCIT. CLADES ET CÆSARIS periculum.

ANTONIO vix dum ex Italiâ digresso; MENAS, eâdem levitate, quâ ad CÆSAREM transierat; indignè ferens, se minùs honorificè haberi, & legatum CALVISII esse; cum VII. navibus ad POMPEIVM, veniæ facilem, transfugit.

CÆSAR itàque comparatâ classe, cui M. AGRIPPAM præfecit, è portu Baiano in altum provectus, gravissimâ iterùm fortunâ adflictus est. Maior namque navium pars, quùm circa Veliam, & Palinuri promontorium, vi tempestatis lacerata & disiecta;

tum

tum vexationibus MENÆ direpta est, aut incensa.

M. LEPIDVS intereà ex Africâ, cum XII. legionibus, & Numidarum equitum v. millib. Lilybæum Siciliæ tenuit; PLEMMINIO, quem ad prohibendum cum unâ legione POMPEIVS miserat, repulso.

Illum dum Lilybæo inclusum frustrà diuque LEPIDVS circumsidet; aliquot opidula interim partim vi, partim deditione recepit.

Et CÆSAR navibus iam refectis, & aucto remigum supplemento; velam Liparam fecit. Et MENA, dubiæ fidei viro, iterum à POMPEIO ad CÆSAREM deficiente; pluribus prœlijs, varioque eventu pugnarum est. donec tandem M. AGRIPPA, apud Mylas, cum DEMOCHARE & PAPIA, POMPEII Præfectis, congressus; depressis xxx. hostium navibus, & in his ipsius PAPIÆ prætoriâ; victor evasit.

Altera verò classis, quam ipse CÆSAR ducebat, inopinato Pompeianorum superventu, circa Tauromenium deleta est: & socij navales, militesque eius, in terram expositi, paullùm abfuit, quin à POMPEIO opprimerentur. Et CÆSAR ipse, hoste urgente, territus; à PROCVLEIO, uxoris Mæcenatis fratre, petijsse dictus est: *Vi sibi morituro manum commodaret.*

Postquam verò salvus & incolumis ad exercitum pervasit; CORNIFICIVM, qui iam sustinendo hosti par erat, spe auxilij confirmatum, copijs terrestribus præfecit. ipse, vijs undequaque obseptis, acatio, velocissimo navigio, Pompeianorum præsidia prætervectus, MESSALLÆ & ALBIO CARINATI se coniunxit.

CORNIFICIVS intereà, ob commeatuum inopiam, per campos ariditate squallenteis, ad M. AGRIPPAM, qui Mylas & Tyndarida, deiectis Pompeianis, occupaverat; se cum exercitu recipere coactus est. Eoque in itinere, infestantibus undequaque Pompeianis, illos per triduum variè, neque inultè tamen, vexatos, M. LVRIVS, AGRIPPÆ legatus, qui cum III. legionibus adcurrerat; conservavit; omniumque rerum copiâ recreavit.

Sed intereà PAPIAS, IV. legionum supplementum, quod M. LEPIDO ex Africa veniebat, adortus; partim captis, partim depressis, unà cum I. legionibus, aliquot navibus, vehementer adflixit: & si qui enatando ad litora evaserant; eos TISIENVS GALLVS, oræ maritimæ ad prohibendum exscensione hostem, à POMPEIO, Præfectus, confecit.

CÆSAR, collectis tandem undique copijs, LEPIDO se coniungit; & coniunctis viribus ambo Messanam obsidione cingunt.

STATILIVS TAVRVS, ut commeatus POMPEIO terrâ intercluderet, omniaque populando ageret ferretque; cum II. legionibus à Cæsare dimissus: est, qui POMPEIVM eâ difficultate ad conferendum cogi posse spectaret.

TACITA LEPIDI CVM POMPEIO SOCIETAS.

LEPIDVS interim à Cæsare alienior; quòd ipso, non ut Collegâ, sed tamquam legato uteretur; occulta cum POMPEIO pacta fecisse per indicium cognoscitur.

CÆSAR pro tempore dissimulandum ratus, quò maturiùs se iam infidæ societatis metu liberaret; omni curâ industriâque urguendum POMPEIVM putavit, ut pugnandi potestatem faceret.

PVGNA AD NAVLOCHOS, POMPEIO FATALIS. IPSE VICTVS AD ANTONIVM fugit.

Ille itaque, partim extremæ inopiæ; partim transitionis, militibus stipendia in diem procaciter postulantibus, mòx futuræ metu; ad ultimam prœlij navalis aleam se comparabat.

Explicatâ igitur, ad Naulochos, (qui locus est inter Pelorum & Mylas) navium utrimque acie, post acerrimum, diuque ancipitem conflictum, tandem M. AGRIPPÆ fortitudine & strenuâ operâ, victoria pro Cæsare stetit. hostesque, depressis XXIX. navibus; cæteris ferè omnibus, aut fractis aut corruptis, profligati sunt.

Ex Præfectis POMPEII, Demochares captus, sibi manus intulit: APOLLOPHANES, victoris sese fidei permisit.

Ipse Pompeius, paullo-antè CCCL. navium potens, nunc cum XVII. dumtaxat elapsus, Messanam profugit. & præcladis magnitudine ita mente concidit, ut omni spe abiectâ, copijs terrestribus neglectis, nullo etiam prosequente, Corcyram primò; inde Cephalleniam continenti cursu pereret: Ibique animo à pavore recepto ad ANTONIVM respicere cœperit. (TISIENVS GALLVS, ad LEPIDVM, à Græcis; ad Cæsarem, à Latinis scriptoribus, cum copijs POMPEII terrestribus, transitionem fecisse traditur.)

MESSANA DIREPTA.

PLEMMINIVS, qui pulso iam POMPEIO, cum IIX. legionibus Messanam adhuc tenebat, deditionis pacta LEPIDO obtulit. Et quamvis AGRIPPA absentis tum quidem Cæsaris rationem eâ in pactione habendam contenderet; LEPIDVS à PLEMMINIO, Messanę receptus, ipse Plemminium vicissim in suam fidem recepit; & suis simul, PLEMMINIIQVE militibus diripiendam civitatem dedit.

LEPIDI VANITAS; ET MOX SVBMISSIO, AVGVSTO PRÆVALENTE.

Et iam Pompeianorum accessione, usque ad XX. legionum numerum, auctus, & Messanæ potens; de universâ Siciliâ, (quæ sibi iure deberetur, in quam prior descendisset: & cuius plureis civitates in fidem recepisset) sibi vindicandâ retinendâque cogitabat.

Cæsar, eo cognito, postridie ad urbem accedens, facilè milites à direptione abstinere, ipsumque Lepidum ex urbe excedere, collemque proximom castris suis occupare compulit.

Et postquam multos è Pompeianis, qui pridie ad

ad LEPIDVM transierant, corrupisset; cum equitibus ad vallum usque castrorum LEPIDI progressus; castraque ipsa, cum paucis, ingressus, & milites adlocutus est.

Posteà cum universis accedens copijs, castra LEPIDI obsedit: & post leve prœlium, milites tam Pompeiani, quàm Lepidiani, paullatim, alij post alios, LEPIDO nequidquam obtestante, ad CÆSAREM deficiunt: parati etiam ipsum interficere, ni CÆSAR vetuisset.

Ita LEPIDVS ab omnibus desertus, pullatus ad CÆSAREM adiens, se genibus eius submisit. Sed Cæsar adsurgens, dextrâ porrectâ sublevatum, supplicem sibi fieri passus non est: imperioque ademto, relicto tamen Pontificatu maximo, ad Vrbem remisit.

CÆSARIS VIRTVS ET CONSTANTIA.

(Alij, Circeios in perpetuum relegatum tradunt. & CÆSAREM rem tum maximè memorabilem adgressum, qui inermis & lacernatus in castra LEPIDI venerit: ibique declinatis, quæ iussu hominis ignavissimi tela in eum contorta fuerant; lacernâque perforatâ; aquilam legionis rapuerit: eumque inermem, milites armati, deserto Imperatore suo, sint secuti.)

In locum C. CANINII abdicantis, Consul sub finem anni suffectus putatur T. STATILIVS TAVRVS. qui biennio pòst Proconsul ex Africâ triumphârit: & iterùm Consul fuisse dicatur.

3916.
Ab V. C. 717. *In hunc autem annum Consules facti, L. GELLIVS POPLICOLA, (Is M. VALERII MESSALÆ frater. POPLICOLA autem, nomen est adoptionis: neque enim GELLII, sed VALERII, POPLICOLÆ cognomen tulerunt) & M. COCCEIVS NERVA. GELLIO posteà abdicante, in eius locum suffectus est L. MVNATIVS PLANCVS.* 34.

SEDITIO MILITARIS REPRESSA.

Quùm subita in exercitu CÆSARIS seditio erupisset; militesque præter stipendia, missionem, agros, donativa, tumultuosè, apud tribunal, postularent: eam tumultûs procellam, ipse partim severâ in auctores animadversione; (Decimam namque legionem, quæ contumaciùs ad iussa responderet, totam cum ignominiæ notâ exauctoravit. Alias, missionem petulanter flagiranteis, citra Emeritorum cōmoda dimisit) partim liberalitate, sedavit; quâ viritim II. M. sestertiûm repræsentari iussit.

RECENSIO MILITARIS.

In recensione copiarum, repertæ feruntur legiones XLV. equitum XXV. millia: levis armaturę milites ad XXXVI. millia.

HONORES AGRIPPÆ ET CÆSARI DELATI.

CÆSAR confecto ad hunc modum bello Siculo, M. AGRIPPAM, cuius strenuâ fidelique operâ, eo bello usus fuerat; novo, & ad eum usque diem inaudito, honoris genere, Rostratâ, eaque aureâ, ob victoriam navalem, *Coronâ, & vexillo cæruleo* donavit.

Compositisque Siciliæ rebus, tributoque H. S. millies imperato; STATILIVM TAVRVM in Africam, ad recipiendas LEPIDI provincias, dimisit.

His rebus Romæ nuntiatis, magno omnium consensu CÆSARI statuæ & currus triumphales decreti; simul uti ovans urbem iniret, laureâque perpetuò uteretur, concessum est.

HERODIS MERVM IMPERIVM: ET TYRANNIDIS INITIA.

Postquam totius Iudææ potitus est HERODES, qui ex urbanâ plebe, eius, antè regnum, conatibus faverant; eosdem ad honores provehebat: Qui in adversâ fuerant factione; quotidianis supplicijs atterebat.

SAMÆÆ PHARISÆI PRÆSAGIVM.

In præcipuo autem apud eum honore erant, POLLIO Pharisæus; eiusque in disciplinâ adsectator, SAMAIAS. Hi namque in urbis Hierosolymæ obsidione, civibus usque suasores fuerant; uti HERODEM in urbem reciperent.

Idemque SAMÆAS, HERODE tum adolescente, apud Hyrcanum, cæterosque Synedrij iudices, capitis reo, & pro se caussam dicere iusso; non sine exprobratione prædixerat; *Fore, ut quorum sententijs ille tunc absolutus esset; ab ijsdem omnibus, idem iniquitatis illius pœnas postmodò exigeret.*

Ipse, captis iam Hierosolymis, regiam omnem supellectilem in unum congessit: & magnam auri argentique vim, à locupletioribus extortam, ANTONIO, eiusque amicis elargitus est.

Quinque & quadraginta factionis Antigonianæ primates interfecit; custodibus ad portas adpositis, qui & cadavera scrutarentur, ne quis vivus pro mortuo efferretur.

Bona quam-plurimorum publicata in ærariũ regis refere-

referebantur. Agri ob annum Sabbaticum, inculti, inopibus & exhaustis civibus famem etiam minabantur. *Hac Herodianæ tyrannidis initia.*

HYRCANVS INSIDIOSE AB HERODE REVOCATVR.

HYRCANVS autem, quem à PACORO & BARZAPHARNE captum, & ad se perductum, PHRAHATES, Parthorum rex, ob generis claritudinem, comiter habebat; & vinculis solutum, Babylone, in magnâ Iudæorum inquilinorum frequentia, degere permiserat. Quemque ob honorem, quo à Iudęis, non modò Babylonijs, sed Trans-Euphratensibus etiam, haud aliter, quàm rex & Pontifex, colebatur: præsentis fortunæ non magnoperè pœniteret: postquam HERODEM in regiâ dignitate constitutum cognovit; novas spes animo præcepit, qui patriæ & suorum desiderio flagraret; & gratiam à novo rege exspectaret. quòd eum olim de capite periclitantem in publico iudicio servâsset.

Atque adeò HERODES ipse litteris eum cohortatus est; rogaret Phrahatem, & regni inquilinos Iudæos; *Ne sibi communem cum genero futuram inviderent potestatem.* Et misso cum multis muneribus ad Phrahatem legato, eblanditus est; *Ne quid rex sibi remora adferret*; cupienti, gratiam suo olim servatori, & viro optimè de se merito, referre.

Neque hæc tamen à rege ex animi benivolentiâ agebantur. Sed quòd gravis invisúsque populo rex futurus esset; & rerum animorúmque in regno conversiones cavendas sibi esse duceret; HYRCANVM, aut de medio tollere, aut in potestatem habere contendebat.

Eumque tunc à Partho remissum;& viatico à Iudæis illis, Assyrię colonis, honorificè adiutum, quùm excepisset, in summo honore habere visus est: & primum illi in conventibus;honoratiorem in convivijs locum cedens; patremque subinde appellans, omnem insidiarum suspicionem avertere; & principatum sibi interim ijsdem artibus stabilire moliebatur. Nihilo minus domesticæ mòx seditionis enata est occasio, hoc initio.

ANANELVS PONTIFEX: CVI MOX ARISTOBVLVS SVFFICITVR. DOMESTICA seditio, auctore ALEXANDRA.

Rex dum cavet: *Ne quis ex illustribus Pontificatum capesseret*, ANANELO, non obscuri generis, sed peregrino sacerdoti, quem ob veterem familiaritatem Babylone acciverat; summum sacerdotium tradidit.

Sed ALEXANDRA, HYRCANI filia, quæ ex Alexandro, Aristobuli regis patrui sui filio, (quemque POMPEIVS Antiochiæ securi multo antè percusserat) formosissimos liberos, ARISTOBVLVM alterum; & MARIAMNEN, HERODIS uxorem, susceperat, iniquè ferens, filio superstite, à peregrino Pontificatum usurpari; CLEOPATRAM, per fidicinem quemdam, litteris solicitat, ut ab Antonio, Pontificatum filio suo Aristobulo petat.

Dum ea res ab Antonio negligitur; Gellius, eius amicus, fortè in Iudæam profectus, & cum Alexandrâ collocutus, quam, tam pulcrâ prole felicem, prędicabat; suadere cæpit: ut mater expressas amborum effigies ad Antonium mitteret. Fore, ut ijs conspectis, nihil non à se impetraturus ille patiatur.

ANTONIVS verò, indecorum planè ratus, puellam, HERODI nuptam, peregrè arcessere: & CLEOPATRÆ suspiciones vitans; Herodi scripsit: ut *adolescentem honesto nomine, ni molestum, ad se transmitteret.*

HERODES, qui tutum non putaret, Aristobulum, ætate florentem & puberem, & genere tam illustri procreatũ, Antonio, homini tam licenter impotenti, & in libidines proclivi, tradere; rescripsit: *Si adolescens pedem è regno suo efferret; Iudæis rerum novarum tam cupidis, regnum tumultibus mox bellicis completũ iri.*

ANTONIO ita pacato; & Mariamne assiduis precibus regem maritum interpellante; ut *fratri, quasi iure debitum, Pontificatum redderet*; & adolescenti, per eum honorem, peregrinandi facultatem adimeret; Rex Alexandræ socrui, quæ immoderatâ ambitione tantum-non regnum in maximos motus præcipitâsset; recõciliatus; eius F. cui ANANELVS hactenus ob immaturam scilicet ętatem, prælatus fuisset; Pontificatum, magnâ cum mulierum voluptate, restituit; & domesticæ discordię remedium attulisse putavit.

ALEXANDRAM tamen, quæ oblatâ rerum novandarum occasione, quietura non videbatur, intra regiam se continere, iussit; & nihil pro potestate agere permisit. Quùmque illa præ muliebri superbiâ, suspectam se observari indignissimè ferens; litteris iterùm ad CLEOPATRAM datis, *præsentem rerum suarum statum deploraret.* & ut aliquam sibi opem adferret, rogaret. Et CLEOPATRA, ut unà cum filio in Ægyptum, clam ad se confugeret, suasisset; ALEXANDRA in sandapilas, eum in usum comparatas, se & filium suum conclusit; quibus noctu, per famulos conscios, efferrentur; & navigio in Ægyptum deveherentur.

HERODES, per Sabbionem quemdam, de eiusmodi conatu, & insidijs edoctus; socrum, in ipso fugæ tentatę articulo, deprehensam, retraxit. Et tamen; metu CLEOPATRÆ, simulatâ clementiâ, erroris ausique veniam dedit: de adolescente nihilo minus quovis modo è medio tollendo iam-tum cogitans.

ARISTOBVLI PONTIFICIS GRATIA; ET HINC REGIS INVIDIA; ET IN EVNDEM insidiæ.

Et iam fortè SCENOPEGIA, celebres apud Iudęos feriæ, instabant; quas ille, unà cum populo, per hilaritatem exigere & concelebrare decreverat; quùm adolescens, annum ętatis septimum-decimum supergressus, sacris de more operaturus, ornatu Pontificio ad altare adscendit: & ceremonijs ritè decenterque defungens, & raro formæ Naturæque decore, totâque adeò facie & ore, eximiam veteris prosapiæ dignitatem præferens; multitudinis oculos, simul & studia in se convertit. & Avi Aristobuli, pręclarorumque eius facinorum memoriam in eorum animis quasi refricare cæpit. Neque illi, gaudio nimio perfusi, à faustis vocibus, & gratię testandę significationibus, sese abstinere poterant. Quæ omnia HERODEM maiore adolescentis odio inflammârunt.

Peractis itaque ferijs, rex ab Alexandrâ convivio acceptus, adolescentem, in locum insidijs destinatis oppor-

opportunum, pertrahit. ibique iuvenili lusu æstuantem, ad spectaculum domesticorum & famulorum, in magnis circa Aulam piscinis natantium, perducit: & ut nudato corpore cum ijsdem se permisceat, comi provocatione inducit.

Tum amici regij, quibus id negotij datum, petulantis licentiæ specie, natantem non priùs mergere & deprimere destitérunt; quàm faucibus oppletis animam exhalaret.

Hic casus non modò mulieres insolabili luctu consternavit; sed urbem etiam totam incredibili mœrore adfecit.

ALEXANDRA in primis, quam generi dolus non fallebat; vix ab inferendâ sibi manu se continuit. Sed impetu animi represso; si fortè exstincto per summum nefas, filio superesse posset, donec aliquando ultionis offerretur facultas; nullam procuratæ per regem necis suspicionem præ se ferebat.

HERODES, qui se ab eo crimine alienum videri vellet; non luctum tantùm, sed & lacrymas, veris proximas, effingebat: & quod ad magnificentissimi funeris adparatum attinet; nihil sibi ad summam liberalitatem reliquum faciebat. (*Hæc apud Hierichuntem gesta fuisse alij memorant.*)

HERODES CÆDIS CRIMEN A SE AMOLITUR.

ALEXANDRA, quæ nullâ ratione emolliri posset; & in dies magis magisque luctu animum exacerbante, in vindictæ desiderium exardesceret; CLEOPATRAM de HERODIS insidijs, & miserabili filij sui interitu, per litteras edocet.

Illa mulieris, cuius pridem iuvandæ cupida fuisset; infortunium miserata; ANTONIUM, ad ulciscendam Iuvenis nobilissimi necem, incitare non destitit. *Indignum facinus; HERODEM, qui eius operâ, alieni iuris regno potitus sit; tam insolenter & impunè in legitimam regum subolem grassari.*

ANTONIUS, quùm Parthico bello intentus, Laodiceam venisset; HERODEM, ut de obiecto indignæ necis crimine caussam coram se diceret, arcessivit; facti, quod detestabatur, si quidem is auctor esset; supplicium exacturus.

Ille, etsi caussæ suæ non satis fideret; & CLEOPATRÆ tamen, maritum, in se, irritantis, odia metueret; necessariò parendum sibi quidem esse duxit. sed regni curâ fratri IOSEPHO traditâ, ei, inter cætera, clam mandavit;

HERODIS UXORIUS ADFECTUS.

Ut, si quid gravius ANTONIUS in se consuluisset; MARIAMNEN extemplò interficeret. (ANTONIUM scilicet, ratus, formosæ mulieris, quàm pridem famâ cognitam haberet; potiundæ cupidum, hæc in se moliri.) *Se verò pati non posse, atque adeò iniuriæ adfine existimare; si quis, ab ipsius excessu, tam pulcra & generosa mulieris, tamq; caræ sibi uxoris, amplexibus frueretur.*

Quùmque ea mandata imprudentiùs IOSEPHUS mulieribus prodidisset; quibus coniugalem in HERODE amorem confirmare & testari vellet: quòd neque ille, sine MARIAMNE vivere sustineret; neque vel morte ipsâ ab eâ disiungi. mulieres cōtrà, id non tam quasi contestati in HERODE amoris argumentum interpretatæ sunt; quàm dirissimum Tyranni animum, qui mortuus in ipsarum capita sæviret; exhorruérunt.

Rumor intereà incertis auctoribus, sed regis inimicis, per urbem increbuerat; HERODEM excruciatum ab ANTONIO, & morti deditum esse. Et regiâ mirum in modum eo nuntio perturbatâ, ALEXANDRA IOSEPHUM hortata est; ut se, ipsasque, ad signa legionis Romanę, quę tum ad regni custodiam, circa urbem, sub Tribuno IULIO, tendebat; velut in tutum, transferret. MARIAMNEN, si in conspectum ANTONII venerit; quidvis, etiam regnum, eaque quæ generi regio debentur, facilè consecuturam.

HERODES CRIMINE ABSOLUTUS.

Dum ea trahitur consultatio; litteræ ab HERODE supervenére: *ANTONIUM muneribus, quæ eâ fini Hierosolymis secum attulerat; placatum iam esse.* Qui negaret; *regem, quà talis est, sui facti rationem reddere oportere. Honore semel dato; liberæ eum esse potestatis.*

Neque CLEOPATRÆ, quæ in contraria instigabat, & regni Iudæi cupidine, perditum HERODEM volebat; *conducibile esse; alienis se imperijs multum immiscere.*

CLEOPATRÆ nempe iam ANTONIUS Cœle-Syriam eâ lege concesserat; ut HERODI molesta esse desineret: neque posthàc Iudææ regno inhiaret. Ita rege mòx redituro, perfugiendi ad Romanos voluntas, in mulieribus, refrixit.

ANTONII CUM PARTHIS, MEDIS, ET ARMENIIS BELLA.

Nova tum Parthici belli occasio ANTONIO oblata est. PHRAHATES scilicet, PACORI, â VENTIDIO nuper cæsi, frater, patrem suum, ORODEM, (de quo Iustin. lib. 42. Qui fratrem MITHRIDATEM interfecerat) aquâ intercute turgidum, quùm præbito aconito è medio tollere non potuisset, spiritu intercluso strangulárat. & xxx. fratribus (quos pater ex ANTIOCHI filiâ susceperat) pariter interfectis; regnum, quod parricidio occupárat; crudelissimè iam vexabat. Dilabentibus, ob tyrannidem, in diversa Parthorum optimatibus; Monæses, primæ inter cæteros nobilitatis, ad Antonium transfugerat.

Eo recepto Antonius, quùm is se ducem belli fore, bonamque Parthiæ partem facilè occupaturum, polliceretur; adiunctis sibi Phamabazo, Iberorum; & Zibere, Albanorum, regibus; quos P. Canidius Crassus paullo antè subegerat: expeditionem contra Phraatem parabat.

Cęterùm Phrahates, defectione suorum turbatus, missis ad Monæsem legatis, & datâ fide, ad se reverti iubet. Antonius, unà cum Monæse legatos vicissim mittit: qui si signa sub M. Crasso amissa, & cives Rom. captivi redderentur, societatem offerant, & pacem cum Partho conficiant.

Ipse interim validis instructus copijs, (XIV. legionibus; XL. auxiliarium, & XII. equit. millib.) CLEOPATRA, quæ tum illi aderat, in Ægyptum remissâ,

missa; regem hostem, spe pacis securiùs agentem ex-improviso oppressurus, ad Euphratem usque & ad Zeugma, processit.

Quem transitum ubi validis teneri præsidijs intellexit; ab ARTAVASDE, maioris Armeniæ reg, sibi fœderato, accitus, monitusque; quoniam Artavasdes, alter, Medorum rex, quem pessimè oderat; longiùs, ad præstanda Parthis rebellibus auxilia, profectus esset, Mediam facilè posse occupari: Statio Oppiano, post se cum impedimentis, machinis, & bonâ exercitûs parte, relicto; & se quam-primùm subsequi iusso; ipse per avios montium itinerumque anfractus, ad D. passuum millia; à versuto Armenio, qui æstatem eundo & morando extrahi cuperet; circumductus est: & vix tandem ad Phraaspa, Medorum regiam, (in quâ uxor regis erat, cum IV. liberis) pervenit: opidumque arte & milite munitum, frustrà oppugnat.

Medus, qui cum suis auxilio Parthis occurrerat; ab Antonio in Oppianum conversus, eundem cum X. militum millib. oppressit. capto Polemone, Ponti rege, impedimentis omnibus, machinisque bellicis potitus.

ARTAVASDÆ ARMENII PERFIDIA. ANTONII A MEDIS CLADES.

Quod ubi Artavasdes Armenius intellexit; magnâ fraude, & abruptâ armorum societate, domum se cum suis copijs, quę XVI. equitum millia erant, recepit.

Ita Antonius, & à socio desertus; & in commeatuum difficultates, Parthis undequaque infestantibus, coniectus; oblatâ per fraudem pacis spe, legatos mittit; *qui signa & captivos,* uti priùs, *à Partho repeterent.*

PARTHUS vicissim, reiectâ earum rerum mentione; si ANTONIUS Medorum finibus excedat, & exercitum deducat; pacem se concessurum respondit.

Eoque responso ille securior, solutâ Phraâsporum obsidione, dum pacis conditiones exspectat; ad reducendum exercitum se comparabat: Quùm hinc Medi, eruptione ex urbe factâ, machinis operibusque negligenter custoditis flammas inijciunt; aggeres & vallum disturbant. Inde Parthi, Antonianos inopinanteis adorti, haud exiguam cladem intulerunt.

Antonius, qui se fraude circumventum, neque ulteriùs sibi de pace cogitandum videret; duce Mardo quodam (qui à Crassianâ clade illic captivus, mores consiliaque Parthorum callebat, & itinerum erat peritus) instituto per montium & locorum angusta itinere, (ne exercitum suum, armis gravem, per loca plana, & patentia, sagittarijs Parthis obijceret) post varias itinerum, prœliorumque difficultates & vices; post infinitas ex panis aquæque inopiâ ærumnas (octies namque & decies intra octavum vicesimum diem, prœlia ex itinere commiserant; & per æqua, iniqua, CCC. pass. millia erant emensi) desideratis è suis ampliùs IV. & XX. millibus, superato Araxe fluvio in Armeniam pervenit.

ANTONIVS EX ARMENIA IN ÆGYTUM REDIT.

Hic, dissimulatâ sui in Artavasdem desertorem animi acerbitate, & ulciscendi cupiditate; quòd in summâ pecuniæ, rerumque necessariarum inopiâ, humanitatem atque hospitium Armenij sibi perquam necessaria esse intelligeret; blandè benignèque hominem adlocutus, impetravit; *ut sibi cum exercitu, tot laboribus cladibusq; fracto, in ipsius regno hibernare liceret.* Primo Vere, alteram sibi in Medos expeditionem suscipere constitutum esse.

Cæterùm postquam aliquamdiu in Armeniâ commoratus se suosque ex proximis incommodis recreasset; hieme necdum exactâ, CLEOPATRÆ desiderium non ferens, quò ea propinquior ei esset, per Cappadociæ montana, nivesque hibernas, (ut IIX. militum millia eo itinere amisisse prodatur) exercitum in Phœniciam reduxit. & medio inter Berytum & Sidonem, loco, ad mare consedit.

Ibi veste & pecunijs, quas CLEOPATRA secum attulerat; sive ab Antonio subministrata sibi imputari patiebatur; in milites, centenis & quadragenis sestertijs, virìtim distributis; alijsque rebus constitutis, unà cum eadem in Ægyptum reversus est.

ZELOTYPIA HERODIS; ET SALOMES SORORIS CALVMNIÆ.

HERODES verò, postquam ANTONIVM, contra Parthos abiturientem, aliquousque deduxisset; in Iudæam reversus; ex matre, & sorore SALOME cognovit, quid ALEXANDRA cum suis moliri tentasset.

Soror insuper, cui regina, excelsi animi femina, inter muliebria convicia, generis obscuritatem subinde exprobraret; IOSEPHVM maritum suum eò dictâ eius cum Mariamme consuetudine, in crimen vocare ausa est.

HERODES, qui uxorem perditè deamaret, eam seorsim percunctatus, ecquid cum IOSEPHO habuisset commercij? Et dein cordatâ eius insontis purgatione placatus, quùm gratijs ei pro servatâ pudicitiâ actis, suum vicissim erga ipsam amorem sidemque commemoraret, & illa subijceret; *Verè amantis non esse, mandare; si quid ipsi humanitùs quandóque accidat; uxorem innoxiam addi fati comitem:* Eo verbo rex veluti fulmine præstrictus; & capillis præ dolore dilaniatis amens; eam è complexu reiecit: quasi stupri manifestè convictam. Cui, non alia conditione, IOSEPHVS sua privatim mandata prodidisse censeretur.

Quùm tamen amore victus, ægrè licet, ab eius cæde se cohiberet; IOSEPHVM ne in conspectum quidem admissum, & inauditum, interfici iussit: & ALEXANDRAM, velut omnium malorum auctorem, vinctam custodiæ tradidit.

CLEO-

CLEOPATRÆ AMBITIO, ET IMPOTENTIA. CVI HERODES VECTIGALIS.

Res intereà in Syriâ turbabant, præ impotenti CLEOPATRÆ cupiditate; quæ adeintos, quo iure, quâque iniuriâ, regibus principatus, sibi contribui ab ANTONIO postularet.

Illa non contenta; primùm fratrem, cui regni successio debebatur, annos XV. natum, veneno sustulisse: Deinde ARSINOEN sororem; Ephesi, in Æde DIANÆ supplicem, per ANTONIVM interfecisse; undecumque etiam spes lucri & pecuniarum affulgeret, nullum neque templum, neque Asylum, neque sepulcrum violare dubitavit. Mulier & sumtuosa, & voluptatibus dedita: cuius cupiditates vix totius orbis opibus expleri possent.

Quæ cum ANTONIO in Syriam ingressa, eius quoque regionis possessionem spe & animo devorârit: PTOLEMÆI MENNÆI F. LYSANIAM, quasi Parthicis rebus studentem, interficiendum curarit: Iudæam simul, & Arabiam, regibus suis, HERODI & MALICHO, ereptas, sibi vindicare contenderit. Et quùm ANTONIVM; (quantumvis ille non modò illecebris, sed veneficijs etiam eius mulieris irretitus videretur) tantæ iniquitatis puderet; neque omnia pernegando tristem illam à se dimittere vellet; parteis ex utriusque regno delibatas; & urbeis omneis, quæ intra fluv. Eleútherum, usque ad Ægyptum, interiacent; (præter Tyrum, & Sidonem, omni ætate liberas) ei elargitus est.

Illa, Antonio in Armeniam cum exercitu profecto, ab Euphrate reversa, postquam Apaméam & Damascum, quæ Lysaniæ paruerant; obiter adijsset; in Iudæam venit. Et ab HERODE magnificè accepta, partem propinquæ Arabiæ, sibi attributam; & annuos Hierichuntini agri (qui balsamum, unguentorum longè pretiosissimum, tunc ferè solus progignere putabatur) proventus ei elocavit.

Quumque intemperans mulier, & in libidines proiecta, familiariùs regis, sibi parum amici, utcumque amorem prætexeret; & forté, per stupri speciem, insidias strueret) concubitum appetisset; ille non modò uti à tam prostratâ impudentiâ abhorrens, renuit; sed re cum amicis agitatâ, etiam consultavit: Num, quam in suâ potestate haberet, mulierem, omnibus ex æquo infestam, nec marito suo satis fidam, occidere oporteret. Cæterùm sanioribus amicorum consilijs; & periculi in posterum magnitudine, à tanto facinore cohibitus; placatam muneribus reginam in Ægyptum deduxit.

Et earum, quas dixi, regionum vectigalia, CLEOPATRÆ addicta, ipse quidem quot-annis iustè pendebat: Verùm Arabs, exactore eorum HERODE, initiò, pro ratâ portione, CC. talenta; deinde vix, & malignè parteis, ac ne quidem integras, exsolvebat. *Vnde belli origo.*

ANTONIVS ITERVM IN PARTHOS; ET ARMENIOS PROFICISCITVR.

ANTONIVM, per Phœnicen, uti diximus, in Ægyptum, cum CLEOPATRA, reversum, legati ab ARTAVASDE, Medorum rege, comite POLEMONE Pontico, erant consecuti.

POLEMONEM illum, qui bello superiore Antonij signa secutus; & in prœlio, quo STATIVS OPPIANVS cladem accepit, captus; benignè habitus à Medo fuerat. ut suis promissis gratiam fidemque præstrueret; tamquam gratum Antonio munus, sine pretio, rex ille remittebat: & orabat; ut quoniam sibi, cum PHRAHATE, Parthorum rege, novæ belli caussæ obortæ essent; (contentio erat, de prædâ, & spolijs Romani exercitûs, inter se dividendis) sociatis inter se copijs opibusque, ipse recenteis; Antonius præteritas iniurias in communi hoste ulciscerentur.

Antonius, cui oblatâ opportunitate ad vindicandam ARTAVASDIS Armenij perfidiam, uti placuerat; fœdere cum Medi legatis percusso; in Armeniam, (quasi ad Araxem fluv. (qui Mediam ab Armeniâ dispescit) copias suas cum Medo coniuncturus) profectus, Artaxata, Armeniorum regum *sedem*, pervenit.

Ibi ARTAVASDEM, Armeniæ maioris regem, multis antè artibus tentatum, nec subdolæ versutiæ hactenus obnoxium, ex propinquiore loco, per ingentia promissa, (cuius filiam, filio suo Alexandro, in uxorem expetere simularet) quamvis ambigentem, & scelera sua æstimantem, perpulit; ut in castra sua intraret.

Tum regem astu captum, ne quid regio honori deesset; argenteis catenis vinctum per Armeniam circumducit: opibusque regijs, coniuge, liberisque (præter ARTAXAM, primæ ætatis filium, qui patre iam captivo in regnum suffectus, & prœlio mòx victus, ad Parthos profugerat) potitus; omisso, quod in Parthos susceperat, bello, ARTAVASDEM ipsum cum omni prædâ ac necessitudinibus, in Ægyptum trahens, aureis oneratum catenis, Alexandriæ, ritu Romano, in triumphum duxit: ipsique CLEOPATRÆ, reginæ, aureo in solio considenti, *supplicem* fieri iussit.

OCTAVIA REPVDIATA.

Inter has Parthicæ expeditionis vices, OCTAVIA in Asiam advenisse memoratur: & ab Antonio, qui se ad bellum Parthicum proficisci caussaretur, vel Athenis subsistere; vel, si ita videretur, domum redire iussa. Illa, quantumvis facilè suspicaretur, se non tam propter Parthicam expeditionem, quàm CLEOPATRÆ amores, remitti; munera tamen, quæ splendidissima Româ secum attulerat (in quibus præter vestem, pecunias, & iumenta, II. erant selectorum militum millia) ad Antonium misit.

(Creditur OCTAVIA à fratre CÆSARE ad Antonium missa; ut aliquam iusti belli occasionem captaret. qui non ignarus amorum eius & consuetudinis cum CLEOPATRA, præferendam coniugi pellicem non dubitaret.)

SEX. POMPEII EXITVS, CÆSARI GRATVS.

Inter hæc SEX. POMPEIVS, post bellum infeliciter

ter in Siciliâ gestum, variâ incertâque fugâ in Lesbum insulam delatus, Mitylenæ, (ubi olim eum matre, dû Pater adversùs C. CÆSAREM bellum in Græciâ gereret, in tuto, degerat) substitit. Quumque primùm, missis ad Antonium legatis, eius se fidei permittere decrevisset; cognito deinde infelici rerum eius adversus Medos successu, animum ad transmarinas provincias sibi adiungendas adiecit. & classiarijs, navibusque interim comparatis, Parthis etiam se iungere studebat. Et Thraciæ, Pôtique reges, aliosque Dynastas, ad auxilia & societatem contrà ANTONIVM, uti prius LABIENVS, solicitare cæperat.

ANTONIVS, qui priùs POMPEIVM in amicitiam recipere constituerat; cæptorum contrà se gnarus, M. TITIVM, qui à POMPEIO servatore suo, ante ad se defecerat, cum classe adversùs eumdem proficisci iuber. eo mandato; *ut si quidem se classemq́, ille dederet, honorificè ad se deduceretur. secus, bello ipsum persequeretur, & quoquo modo oppressum interficeret.*

TITIVS Pompeium Nicomediæ adhuc imparatum deprehendens, qui pacem quidem per legatos iterùm ab Antonio peteret; neque se tamen, aut classem, tradere paratus esset; dum per mediterranea Bithyniæ, in Armeniam cogitat; Mindaj circumventum, & in potestatem redactum, Antonij iussu, (ut fama tenet) interficiendum curavit.

Alij à MVNATIO PLANCO eam cædem (cuius posteà Antonium pænituerit) procuratam, aut acceleratam, tradidérunt.

CÆSAR, ob id factum, ludis equestribus, Antonio currum apud Rostra, & in Templo Concordiæ statuam posuisse proditur. TITIVS verò ex hoc facinore tantum sibi odium concitâsse; ut ludis in theatro factis, pop. Romani exsecrationibus, è spectaculo, quod præbebat ipse, pelleretur.

3917. Ab V. C. 718. | *Iam L. CORNIFICIO, & SEX. POMPEIO (qui alterâ Pompeiorum familiâ fuit) Consulibus, CÆSAR in Siciliam traiecerat. inde in Africam alternis Bocchi & Bogudu, Mauritaniæ regum, motibus turbatam, cogitans.* | 33.

BELLVM CVM ILLYRIIS ET IAPYDIBVS; ET DALMATIS.

Sed tempestatibus, quò minus cò navigaret, impeditus; ne miles otio licentiâque corrumperetur, in Illyrios, sive Iapydes & Dalmatas, movit.

Iapydes, qui à tergo Istrorum in Alpibus habitabant, dum Cæsar bello Siculo distineretur; finitimos latrocinijs infestârant: nec indicta vectigalia persolverant.

Hos itaque, quod citrà Alpeis, haud procul à mari habitarent, facilè in ditionem compulit. Eos verò, qui iuga & latera montinm incolebant; gens fera & aspera; non sine maximo labore perdomuit.

Ibi Cæsar, in Metuliæ opidi obsidione, dumè ligneâ quadam turri, in murum, per pontem conscendere conaretur; Ponte ob multitudinem oppugnatorum, labante, dextro crure & utroque brachio adflictus est.

At quùm nihilo minus oppugnatio undique infesto militum concursu urgueretur; Barbari, qui de pace se agere velle simulârant, præsidium, in arcem acceptum, noctu ex insidijs trucidârunt: & tectis domorum incensis, alij se, alij uxores & liberos secum occidérunt. Eoque civium furore Metulia, nullâ militi prædâ, neque exercendæ sævitiæ materiâ, relictâ, ferro igniqne consumta est.

Reliquæ Iapydum gentes, Albij montis, urbiumque Arupini & Monetij, incolæ, metu paris cladis in deditionem venére. Vendiani quoque, omnibus ad sui oppugnationem paratis, quùm tentati amicitiam Cæsaris, quàm vim experiri mallent; in fidem potestatemque accepti sunt.

IAPYDES, PANNONII, DALMATÆ, ET SALASSI DOMITI.

CÆSAR victis Iapydibus has leges dixit; *Ut à latrocinijs & mari abstinerent: vectigales essent: ius magistratusq́, à conventu Scardonitano peterent.* Tedanium civitas, quòd nihil hostile patrâsset, iure Italico donata est.

Inde eum exercitu in Pannonios, nullâ satis iustâ de caussâ; sed ne otio miles difflueret, profectus; & nihil adhuc hostile molitos; postquàm ipsi, exercitû Sisciæ urbi propinquantem, hostilem in modum vexare cæpissent; populari eorum agros iussit. Ipsamq́; Sisciam, hinc à terrâ, inde à Savo Colopeq́; fluvijs, obsessam; & aliquantâ suorum clade perterritâ, leges pacéque, cû reliquâ Pannoniâ, accipere coêgit.

Ibi relicto eum parte exercitûs FVSIO GEMINO; in Dalmatas, quos aliquot iá prælijs M. AGRIPPA fregerat, proficiscitur; insidijs eorum, ex silvarum & viarum ambagibus, tentatus.

CÆSAR eos, velut indagine clausos, captosque, oppressit & profligavit: fugâque in Setoviam opidum delatos, obsidione cinxit.

Dalmatæ, dum in urbem irrumpere conantur, duobus prælijs profligati sunt.

CÆSAR, qui genu lapide sauciatus aliquot diebus decumbere necesse habuerat; VII. cohorteis, quòd loco cessissent, decimatas hordeo pavit.

Hosteis iterùm rebellanteis, ac subinde victos, tandem datis obsidibus, imperata facere; & tributum in eum usque diem, à C. CÆSARIS temporibus debitum, persolvere coêgit. relictoque ad reliquos perdomandos STATILIO TAVRO, Romam profectus, triumphum ob res bene gestas decretum, in aliud tempus distulit.

Salassos, gentem Inalpinam, qui vicinos & viatores per latrocinia quotidie magnis damnis adficiebant: & VALERIVM MESSALLAM, quem Cæsar eò in hiberna dimiserat; ad lignorum pretia, quæ partim ad naveis, partim ad hastas conficiendas, ex ipsorum silvis rapuerat; persolvenda adegerant; idem MESSALLA varijs gravibusque prælijs attritos, imperata facere coêgit.

3918. Ab V. C. 719. | *Dum hæc in Illyrico, & apud Dalmatas geruntur, M. interim* ANTONIVS, *cum L.* SCRIBONIO LIBONE, *secundum inierat Consulatum, (absens haud dubiè) ex pacto.* | 32.

Sed postquàm eodem die abdicâsset, L. SEMPRONIVM ATRATINVM sibi suffecit; quem ideò hoc anno Consulem multi profitentur.

In parte etiam anni suffecti inveniuntur; Kal. Iul. P. ÆMILIVS, (qui Porticum suis sumtibus ædificavit, & in Consulatu dedicavit) & C. MEMMIVS. Deinde Kal. Nov. C. HERENNIVS.

ANTONII TRIVMPHVS DE ARMENIIS. ET REGNORVM VANA elargitio.

Quidquid eius est; hoc Consulatu, Armenia, capto ARTAVASDE, in provinciæ formam ab eodem Antonio redacta fuisse censetur. Et ipse triumphum, de quo dixi, Alexandriæ egisse.

In quo, populo Alexandrino epulum & viscerationem, uti Romæ fieri consuêrat; dedit. Et habitâ ad populum concione, CLEOPATRAM (iuniorem) reginam regum; PTOLEMÆVM verò CÆSARIONEM, regem regum appellâvit.

Et his quidem CLEOPATRÆ, ex C. IVLIO liberis; Ægyptum & Cyprum, uti prius C. CÆSAR, iterùm addixit.

Suis autem ex eâdem Cleopatrâ liberis, gemellis, Alexandro & Cleopatræ, (quibus vana Solis & Lunæ cognomenta addiderat) illi quidem Armeniam, aliásque trans Euphratem, usque ad Indiam, regiones, (haud secus ac si eas suæ ditionis fecisset.) huic verò CYRENAICAM. PTOLEMÆO PHILADELPHO, qui tertius & postremus; Syriam, cæteraque cis Euphratem, usque ad Hellespontum, regna, attribuit.

Nec veritus hæc Romam etiam perscribere; & à Senatu, ut eadem decreto suo sanciret, postulare.

Addiditque; *Paratum se magistratu decedere, omniaq́; Senatui populoq́; Romano permittere.* Quòd sperâret eâ se ratione effecturum, ut Cæsar, qui ad urbem erat, prior arma deponere cogeretur: aut si id facere recusaret, publicè in invidiam adduceretur.

ANTONII CVM MEDO FEDVS ET ADFINITAS.

Posthæc ad Araxem usque flumen progressus, quò & Medus è suo regno processerat; fœdere sociali, (illi contrà Parthos; sibi contrà Augustum) cum eo rege inito, Armeniæ, quam nuper occupârat, parte concessâ, filiam vicissim IOTAPEN, filio suo Alexandro desponsam: signáque cæso OPPIANO nuper amissa, à rege recepit. Rex Medus, Antonij auxilijs, & Parthos & Armenios egregiè vicit. Sed revocante auxilia Antonio, victus in hostium potestatem devênit. Atque ita Armenia & Media amissæ.

POLEMONEM, item, Ponti regem, à Medo, eodem prœlio captum, & sibi remissum, Armeniâ minore donavit.

Hoc anno STATILIVS TAVRVS, ex Africâ, quò, victo in Siciliâ LEPIDO, ab Imp. Cæsare missus fuerat, quamque sine prœlio obtinuerat: & C. SOSIVS ex Iudæâ, & C. NORBANVS FLACCVS, ex Hispaniâ, triumphâsse produntur.

3919. Ab V. C. 720. | CÆSAR *postquàm ex Illyrico Romam venit, secundum Consulatum, novem annis post primum, cepit; eumq́; paucissimis horis gessit.* | 31.

Nam postquàm Kal. Ianuarijs inijsset; & mânè pro Æde Iovis Capitolini aliquamdiu in sellâ curuli præsedisset, abdicavit; L. ANTONIO PÆTO, in locum suum suffecto.

Comparatus fuerat CÆSARI, in eius anni Consulatu, collega, Sex. POMPEIVS, Mag. F. uti inter eos pòst pacem factam convenerat: sed illo iam & hoste iudicato, & occiso, in eius locum factus L. VOLCATIVS TVLLVS.

In parte anni, multi alij suffecti inveniuntur. Et in ceteris, Kal. Maij, L. FLAVIVS: Kal. Iul. M. ATTILIVS, & C. FONTEIVS. Kal. Sept. L. VINVCIVS, Kal. Octob. L. LÆNONIVS.

AGRIPPA Ædilis Tepulæ rivum intercepit: & aquæ ductus Appiæ, Anienis & Martiæ, pænè dilapsos, restituit. aquísque compluribus salutaribus urbem instruxit.

TIBERIVS, puer tum novennis, Patrem TIBERIVM mortuum pro Rostris laudavit.

Boccho rege defuncto, Augustus Mauritaniam, & quidquid possederat, provinciam fecit.

Quùm iam Sex. POMPEIO occiso: LEPIDO, in privatorum ordinem redacto: & hinc Parthis, inde gentibus, Italiæ vicinis, perdomitis; penes ANTONIVM & CÆSAREM rerum omnium summa esset; atque ita pacato pænè toto terrarum orbe nullum aliundè gravius bellum imminere videretur; bellum subitò Civile inter eosdem Principes exarsit.

BELLI CIVILIS FOMITES. ANTONII VANITAS.

ANTONIVS, crescente in dies amoris in CLEOPATRAM impotentiâ: & vitiorum, (*quæ semper nimiâ facultatum copiâ & licentiâ; & adsentatorum indulgentiâ, aluntur*) magnitudine; bellum patriæ inferre constituerat.

Iam ille se, LIBERVM PATREM, appellari iusserat; & hederis redimitus, aureâque coronâ velatus; Thyrsum manu gestans, & Cothurnis succinctus, curru BACCHII instar vehebatur. Et CLEOPATRA, ad vilissimi

ad vilissimi mancipij obsequia, sese submittens, totus in regem Barbarum degenerárat. &, quod *in amente extremum*, Cleopatræ suæ imperium Romanum promittere non dubitárat.

3920. Ab V. C. 721. | *Inimicitiæ itaq́, & simultates, quæ inter utrosq́, pridem increbescere cæperant; anno demùm insequente, CN. DOMITIO AENOBARBO, & C. SOSIO NEPOTE Coss. eruperunt.* | 30.

Ex ijs Cn. DOMITIVS, filius est eius Domitij, qui in Cæsarem coniurárat. Et C. SOSIVS, Antonij in Syriâ ante legatus, & Herodis amicus, qui paullo ante triumphárat.

In parte anni suffecti inveniuntur, hi Kal. Iul. L. CORNELIVS: Et Kal. Nov. N. VALERIVS.

PRINCIPES CRIMINA ET CONVICIA alterna dilacerabant.

Ante quàm illi, quos dixi, rerum Principes in apertum bellum prorumperent; criminibus & convicijs alter alterum per litteras, publicè & privatim: Et Antonius quidem Cæsarem hisce nominibus criminatus. *Quòd Lepido collega, se inconsulto, magistratum abrogasset: eiusq́, & Pompeij cum provincias, tum exercitus, (quæ communia ex pacto esse debuissent) suâ auctoritate sibi vindicâsset. Quòd naves, quas ipsi commodatò dederat, non restituisset. Quòd universos ferè per Italiam agros militibus suis, nullâ habitâ Antonianorum ratione, divisisset.*

Cæsar vicissim Antonio crimini dabat; *Quòd Ægyptum sine sorte obtineret:* quòd Sex. POMPEIVM, *cui ipse ultrò ignovisset, interfecisset: quòd ARTAVASDEM Armeniæ regem, fraude circumventum, magnâ cum pop. Rom. ignominiâ, in vincula coniecisset; & prædam spoliaq́, solus usurpasset.*

Huc addebat; CLEOPATRAM, in sororis suæ Octaviæ contumeliam, pro uxore palàm haberi; & liberos ex eâdem susceptos, reges appellari. Cleopatræ, ex Cæsare filium, Cæsarionem nominari; & in gentem IVLIAM traductum esse.

BELLVM ANTONIO CLEOPATRÆque indictum. Factiones partium.

Ob hæc igitur, aliaque; & in primis, quòd nec ad urbem venire; neque exacto quinquennalis Triumviratûs tempore, imperium deponere velle videretur: & remisso Octaviæ, Cæsaris sorori, repudio; contractis iam undique terrâ marique copijs, Vrbi, totique adeò Italiæ bellum moliretur; pop. Romanus, tantis contumelijs irritatus, bellum Cleopatræ, per fecialem; *Quòd mulier Ægyptia, Romanum imperium adfectaret*, indixit.

ANTONIVS itaque, cum Cleopatrâ, universum pænè Orientem contrà Cæsarem armat; Cæsar verò Occidentem in parteis trahit.

C. SOSIVS, alter è Consulibus Antonij caussam magno studio & contentione ita defendebat; ut edictum etiam contra Cæsarem propositurus esset; ni Tribb. plebis vetuissent.

Is posteà cum collegâ DOMITIO, & permultis Senatoribus, ad ANTONIVM transijt; excusans; *Consulibus, liberè de rep. agere non licere;* quòd Cæsar satellitio stipatus; amicisque, qui pugiones sub veste occultarent, comitatus; in Senatum venirer.

TESTAMENTVM ANTONII.

Sed Cæsar, Antonij testamento, quod apud Vestaleis invenerat, palàm recitato, quo, inter cetera; Cæsarionem, de quo dixi, *legitimum CÆSARIS filium & heredem testabatur: suis autem ex eadem CLEOPATRA liberis maxima regna legabat:* Et ubi decessisset; *Alexandriæ, communi cum CLEOPATRA monimento condi iubebat:* Effecit; ut ea quæ de ipso vulgò spargebantur, de imperio orbi Alexandriam transferendo; deque Româ ipsi Cleopatræ tradendâ, facilè crederentur.

Et pop. Romanum usqueadeò in ANTONIVM exacerbavit; ut Consulatu, quem in proximum annum cum CÆSARE, ex pacto, erat initurus; unà cum imperio ipsi abrogato, hostem prætereà iudicârit. Animique ferè omnium, etiam eorum, qui priùs eius rebus studuissent; ab ipso alienarentur. Et M. TITIVS, unà cum PLANCO avunculo, alijsque, ad Cæsarem, ab illo transirent.

3921. Ab V.C. 722. | *CÆSAR & ANTONIVS, ambo III. in hunc annum Coss. comparati fuerant; tùm, quùm pace cum SEX. POMPEIO factâ, Consules in annos octo consequenteis designârunt. Quoniam verò ANTONIO Consulatus, priore anno, à populo esset abrogatus, eiq́, bellum una cum CLEOPATRA, indictum; in eius, à quo proscriptus fuerat, locum, Consul factus est. M. MESSALLA CORVINVS, & collega C. CÆSARI OCTAVIANO III. Consuli datus.* | 29.

Suffecti hoc anno Coss. inveniuntur, Kal. Maij. M. TITIVS. Kal. Octob. Cn. POMPEIVS.

HERODIS CVM MALCHO ARABE BELLVM.

Quùm HERODES, dilato in MALICHVM Arabem bello, & habito per Iudæam militum delectu, magnoque adparatu, ANTONIO bellaturienti auxilia expediret; ille, qui copijs abundaret, hanc ei operâ remisit. sed in Arabem, (cuius perfidiam tam ex ipso, quàm ex Cleopatrâ cognitam haberet) bellum vertere iussit. Et è re suâ esse regina existimabat; reges, haud satis amicos, inter se committi, & alterum ab altero mutuis cladibus adflictari.

HERODES itaq; probè ab equitatu & pedestribus copijs instructus, Diospolim petit, qua Arabes, quos eius expeditionis consiliû nô latebat; erât occursuri.

Ipse primo certamine victor; iterùm ad Cana, (locus

(locus est in Cœle-Syriâ) magnâ militum alacritate usus, ingentem Arabum exercitum fudit, & maiore ex parte in fugam vertit.

Actumq; de hoste fuisset; ni ATHENIO, ex-improviso, Herodianos invasisset. Is Cleopatræ eâ in regione præfectus, & Herodem exosus, pugnæ eventum tacitus immotusque exspectabat. si Arabes vincerent; quieturus.

Quos ubi vinci ab HERODE conspexit; cum collectitiâ indigenarum manu, fessos iam Iudæos, & quasi victoriæ securos, de-subito adortus, magnam stragem in locis asperis edidit. Atque adeò Arabes resumtis animis in prœlium reversi, iam loco motos, & fugienteis impunè ita trucidârunt; ut pauci in castra evaserint. Et dum rex suos à fuga sistit; & adversùs hostem, longè viribus imparem, in pugnâ frustrà revocat; eodem impetu castra capta sint.

Ex eo tempore HERODES, non ausus summam rei, certaminis fortunæ committere; latrocinijs & excursionibus, positisque in edito castris, Arabiam infestare instituit: suosque militari labori adsuefacere, & continenter exercere; quò tandem confirmatiores eam ignominiam abolere possent.

ANTONIVS CVM CLEOPATRA AD bellum proficiscitur in Græciam.

Postquam actis magno utrimque conquisitionis studio delectibus, CÆSAR & ANTONIVS, ea quæ ad tantum bellum necessaria videbantur, cōparâssent; ANTONIVS paratior, priùs cū Cleopatrâ, Ephesum venit, quò copias maritimas convenire iusserat.

Et quamquam à DOMITIO, alijsque moneretur; ut CLEOPATRAM ibi relinqueret: victus tamen eiusdem precibus & lacrymis; & CANIDIO, quem illa subornârat, instante; cum eâdem, omnibusque copijs, Samum; & inde, diebus aliquot in summo illic luxu exactis, Athenas venit.

Quumque paullo-pòst Corcyram pervenisset; cognito speculatorias Cæsaris naveis apud Actium, & monteis Ceraunios in statione esse; suspicatus universam Cæsaris classem eò convenisse, in Peloponnesum revectus est. omnique exercitu in hiberna distributo, ipse Patris hiemavit.

Idque magno Cæsari commodo vertit; qui ab omnibus rebus imparatior, intellectâ Antonij celeritate & copiarum magnitudine, magnoperè metuebat, ne ante hiemem pugnare cogeretur.

CÆSAR EODEM TRAIICIT. VARIÆ MINORVM DVCVM VELITATIONES, & transitiones.

Ipse itaque, vere ineunte, Brūdisio solvens, occupatâ, quæ nullis Antonij præsidijs tenebatur, Corcyrâ, in Epirum cum exercitu traiecit.

Intereà M. AGRIPPA, quem classi Cæsar præfecerat; Methone expugnatâ, deprehensum ibidem BOGVDEM, Mauritaniæ regem, qui parteis Antonij sequebatur, interfecit. Hinc in conspectu hostilis classis, Leucadem insulam vi occupat. & victo navali prælio L. NASIDIO, Patras, ubi Antonius hiemaverat: deinde Corinthum, bis inde deiectis Antonianis, expugnat.

M. verò TITIVS, & STATILIVS TAVRVS, qui terrestribus præerant copijs, cum Antonij equitatu congressi, strenuè vicére. & PHILADELPHVM, Paphlagoniæ regem, ut ad Cæsarem transfugeret, impulére.

CN. autem DOMITIVS, qui solus ex Antonianâ factione, numquàm CLEOPATRAM reginæ nomine dignatus erat; non sine maximo & præcipiti vitæ periculo, ab ANTONIO ad CÆSAREM transmisit, paullo-pòst morbo absumtus.

AMYNTAS quoque Galatiæ, & DEIOTARVS Gallo-græciæ, reguli, in eiusdem parteis, cum DELLIO, transiére.

SOSIVS intereà, absente AGRIPPA, L. TAVRESIVM, ipsius legatum; necopinantem, iam pænè opprimere sperabat. neque spe irritâ; ni AGRIPPA maturè superveniens, victis occisisque SOSIO, & THARCONDIMOTO, Ciliciæ rege, cladem avertisset.

ANTONIVS itaque, ijs prœliorum offensionibus, & crebrâ suorum ad Cæsarem defectione, permotus; & Cleopatra quibusdam prodigijs consternata; quùm ad hæc, commeantibus terrâ mariq; interclusis, à fame periculum esset; prœlio navali rem committendam censuérunt. Idque vel eo potissimùm consilio; ut si eventus pugnæ votis minùs respondéret, ANTONIVS & CLEOPATRA, vel inter prœliandū, fugâ (quæ mari, quàm terrâ, facilior futura esset) elaberentur.

SANVM CANIDII CONSILIVM.

Et quùm variantibus sententijs, P. CANIDIVS CRASSVS, qui legionibus Antonij præerat; censeret; *classe non experiundum*: quod Cæsaris classis, & à milite socijsque navalibus, & ab armamentis remigioque esset instructior; Consultius fore; *si à CLEOPATRA, eiusq; consilijs, se expediret; exercitumq; in Macedoniam vel in Thraciam deduceret*. Cui, miles esset fidissimus, & terrestri prœlio invictus. Qui-cū Getarum rex, DICOMES, ex locorū propinquitate, copias & equitatum, uti promiserat, esset sociaturus.

Sed consilium tam salutare, Cleopatræ gratiâ & auctoritate elusum, aut neglectū est. Et ANTONIVS, *urguente fatali ipsius clade, & Rep. ad unius consilium imperiumq; præcipiti; quantò altius erat elatus; eò fœdiùs, occæcante animum fortunâ, & sana quæq; monita corrumpente, corruit.*

Multa per L. MESSIVM, (quem speculatorem Antonius præmiserat: & à vigilibus exceptum, perque castra circumduci iussum, Cæsar dimiserat,) de fiduciâ Cæsaris, & militum eius alacritate; de secundis pullariorum auspicijs, perlata; Antonium de summâ rerum perquàm sollicitum habuére.

PVGNA ACTIACA.

CÆSAR CCL. navium classem, à triremibus in senos remorum ordines agilem, nauticoque instrumento armatam, IIX. legionibus, & V. cohortibus impositis instruxerat.

Dextrum cornu M. LVRIO; sinistrū ARRVNTIO cōmiserat. Præfectoq; universo certamini Agrippâ, ipse ei se parti reservârat, in quâ à fortunâ vocaretur.

STATILIVM TAVRVM terrestribus copijs, quæ LX. pedit. Millia erant; & M. TITIVM equit. XII. Millib. præesse iusserat.

ANTONIVS

ANTONIVS CLX. navium classem habebat; à quaternis in denos remorum ordines; adhæc, turribus, à prorâ & à puppi, instructam. Ita ut in mari, veluti è muris, pugnaretur.

Sed quùm maior classiariorum pars, per hiberna dispersa, nondum advenisset; & plurimi vel interiissent, vel ad Cæsarem defecissent; reliquis omnibus navibus, flammâ, studio iniectâ, concrematis; LX. optimas ex omni numero elegit, quæ vastitate suâ arcium potiùs, quam navium speciem præberet. His XX. pedit. & II. sagittatiorũ Millia imposuit.

Dextrum cornu ipse, cum L. GELLIO POBLICOLA; sinistrum C. CÆLIVS CALDVS; mediam aciem M. OCTAVIVS, & M. IVSTEIVS regebant. CANIDIVS exercitum terrestrem; qui erat LXX. pedit. & X. equitum Mill. ducebat.

Quin & vela Antonius in naveis suas, in omnem eventum, expedita, collocari iusserat; tanquam tacitâ divinatione ad fugam se, non ad pugnam, præpararet. Id tamen se iubente factum interpretatus est; *Ne quis hostium fugâ elaberetur.*

Fertur & Antonij prætoria, inauspicato certè omine, ob echeneidem cohesam, aliquamdiu immota stetisse: ipseque Antonius, dum milites exhortari festinat; in aliam transcendere coactus fuisse.

CLASSIS VTRIMQVE AD PVGNAM PROCINCTA.

Stabat itaque procincta Antonij classis intra Sinûs Ambracij fauceis, quæ IV. in Austrum stadijs patebant: Ab Ortu, præcingebantur promontorio, APOLLINIS ACTII Templo eâ tempestate nobili.

Hic quùm diu constitissent Antoniani; sævique imbris & grandinis procellâ exagitarentur; demum ubi lenita esset vis venti, vix tandem superatis faucibus, tardissimè, nec sine maximo labore, naveis in altum moliebantur: ut mole suâ segneis; ita ab epibatis socijsque navalibus, ceu claudas, malèque instructas.

Ipsa CLEOPATRA, cuius prætoria purpureis velis erat insignis, cogere agmen visa est.

CÆSAR verò, in hàc Antonianorum tarditate, quùm iam meridies instaret, nec hostis adpropinquaret; ipse occasione pugnandi lætus, & in altum provectus, quantâ potest celeritate cornua diducit.

Postquam concurri, & prœlium misceri cæptũ; res minimè navali pugnæ, sed urbium oppugnationi similis visa est. Antoniani namque ob altitudinem navium, quâ Cæsarianas superabant; graviores, ac pondere ipso libratiores, ictus supernè ex turribus ac propugnaculis inferebant. Contrà, vana pleraque Cæsarianorum tela, ut potè supino iactu in locum superiorem; mittebantur.

Sed quùm CÆSAR nusquam non instaret: mox porrigente, ad circumdandos hosteis, dextrum cornu AGRIPPA; POBLICOLA idem facere, susque extendere coactus, à mediâ acie divulsus est. Et ARRVNTIVS, qui sinistrum Cæsaris cornu regebat, acerrimè ubique occurrit.

FVGA CLEOPATRÆ, ET MOX ANTONII. MILITES EIVS, CVM CLASSE, CÆSARI se dedunt.

Iamque totis simul viribus, ab omni parte, pugna conserta erat: & neutrò adhuc inclinabat victoria; quùm CLEOPATRA, quæ post eas naveis, quæ primæ prœlium capessebant, hâctenus in ancoris steterat, spem inter metumque dubia, dato signo, passis velis, directoque Peloponnesum versùs cursu, cum LX. navibus fugam occupare visa est.

ANTONIVS, qui non tam metu periculi, quàm acceptâ iam clade, eos fugere crederet; ipse quoque attonitus, nec plura percunctatus, in quinqueremem insilijt, & paucis comitantibus, desertâ classe; vela iam dantem CLEOPATRAM insecutus est. ventoque usus secundo, eodem; quo regina præcesserat, cursum intendit.

Et ab eâ in navim receptus, sive pudore, sive irâ, mœsto per triduum silentio ita obtorpuit; ut ne oculos quidem attolleret: neque se in faciem inspici à CLEOPATRA pateretur. Donec tertio pòst die ad Tænarum promontorium adpulsi, per mulieres, reginæ comites, in colloquium reducti, simul & cœnarent, & cubarent.

Antoniani interim ab imperatore suo tam turpiter deserti, per se adhuc pertinaciter, desperatâ iam victoriâ, ad mortem, etiam inter fugiendum, dimicabant.

Quos quùm Cæsariani, velis destituti, adsequi non possent; & propter molem navium expugnari posse diffiderent; faceis, ignitaque iacula navibus iniecére. Tum demum quùm ad incendium magis, quàm ad prœlium trepidaretur: & bona pars navium flammis absumta medijs in fluctibus miserè perijsset; Antoniani, protracto in serum usque diei certamine, ægrè tandem summissis animis victos se fassi sunt. Ita tamen, ut prius veniam vitamque Cæsar ijs obtulerit; quàm illis, ut ea supplices peterent, persuaderi potuerit.

Cæsa eo prœlio, ex Antonianis ad V. Millia naves ferè CCC. in potestatem venére.

Qui ad Antonium Cleopatramque persequendos submissi fuerant, remigibus iam lassis, & velis destituti; prætoriâ Antonij captâ, & aliquot navibus depressis, incolumes ad Cæsarem reversi sunt.

ANTONII STVPOR.

ANTONIVS, quùm Tænari in statione esset, cognito, classis suæ ita profligatæ, & simul maris imperio potiri iam Cæsarem: ceterùm XIX. legiones, & X. equit. Millia, quibus CANIDIVS præerat, incolumeis fidem non mutâsse: & iam septimum diem, ad eius imperium paratos, obdurare: errorem quidem suum, & fugæ turpitudinem agnovit: sed vinum, & quibus sese immerserat, voluptates, Cleopatræque amores, usqueadeo dementem hominem enervâtunt; ut præteritæ victoriæ magis, quam præsentes

præsentes tutarentur vires. *Quando simul parta, ac sperata decora, unius diei clades, in perpetuum evertisset.*

Ipse litteris ad CANIDIVM scriptis, iubet eum, per Macedoniam, in Asiam exercitum transmittere. Et amicis navem, multo auro argentoque refertam, largitus; eosdem, quà quisque posset, salutem quærere hortatus est. Et THEOPHILO cuidam, qui Corintho præerat; eos commendavit: ut donec veniam à CÆSARE impetrâssent, tutum ipsis perfugium, aut latebras præstaret.

AVGVSTVS MONARCHA.

CÆSAR ab eo die, qui IV. Non. Septembr. erat; & in quem victoria Actiaca inciderat, Singulare in Rep. imperium accepit. Paullo-pòst AVGVSTVS cognominatus.

Milites Canidiani, postquàm sacramento, quo ducibus fugitivis & desertoribus obstricti erant, solutos se vident; in Cæsaris se fidem clementiamque tradidére. Eosque ille pro suâ lenitate consolatus, omneis conservavit: suisque militibus, ne quis ex ijs violaretur, edixit.

LVDI ACTII, ET NICOPOLIS CONDITA.

Ipse APOLLINI ACTIO triremeis, naveisque, usque ad X. remigiorum ordines, captivas, consecravit: Temploque ampliore construi iusso, Ludos scenicos ac Circenseis, & Sacrum Quinquennale, quod Actium dictum, instituit. Opidumque; in Occiduo Sinûs Ambracij littore, ubi castra habuerat; exædificari; & à victoriâ suâ, NICOPOLIM, vocari iussit.

Vtque novam urbem colonorum frequentiâ ornaret; civeis vicinarum VII. urbium, quæ olim floruissent; sed pro tempore bellicis cladibus prostratæ iacebant; in eam coloniam deduxit. Et Nicopolitas inter Latij, & libertate donatos, in Amphictyonum (quo nomine antiquitùs commune totius Græciæ Concilium vocabatur) numerum referri, haberique iussit.

TERRÆ-MOTVS IN IVDÆA: BELLVM HERODIS CVM ARABIBVS.

Quo tempore ad Actium est pugnatum, (qui VII. Herodiani regni annus erat) Iudæa, maximo ab omni hominum memoria, terræ-motu concussa, magnam toto eo tractu pecorum iacturam fecit. ædium ruinis oppressa, circiter X. (al. XXX.) hominum Millia; militibus, qui sub divo agebant, intactis.

Ea clades in maius aucta rumoribus, immanè quantum extulit Arabum animos; quasi subversis Iudæorum opidis, & incolis unà ruinâ exstinctis, vetera odia impunè, rapiendo ferendoque omnia, exsatiare possent.

Legatos itaque gentis, qui rebus adflictis pacem petituri venerant; comprehensos trucidârunt: Et sine morâ ad hostium castra advolârunt.

At illi, ob calamitatem animis deiecti, paullulùm à desperatione aberant; nisi HERODIS, ducibus comiter compellatis, & generosis quibusque in meliorem spem erectis; militum universè animos prudenti oratione ad prœlium capessendum, & Arabum perfidiam iusto Marte ulciscendam, accendisset: & sacris de more perfectis, ac Iordane transmisso, properè in hostium fineis ad Philadelphiam eduxisset.

Ibi contracto circà castellum, quod [illegible] & ad pugnandum, & ad castra-metandum, idone[illegible] visum erat; certamine: primùm tel[illegible] eminus [illegible] velitati; deinde manus conseruérunt. Et [illegible] utrimque cadentibus, victi tandem Arabes [illegible] decessérunt.

Iudæi eâ victoriâ elati, quòd hostes certamen detrectare viderentur; vallum eorum divellere ausi sunt, & in castra impetum facere.

Arabes, eâ necessitate adacti, acie incondite instructâ, lacessenti quidem hosti restitére; post aliquantam verò cõflictûs moram, non paucis utrimque cæsis, in fugam versi sunt.

Quibus semel ita impulsis, tanta strages edita est; ut non hostili modò ferro conficerentur; sed præ fugæ impetu alij ab alijs proculcarentur: alij suis ipsorum telis sese induerent. Et quinque Millibus eo cõflictu amissis, cæteri intrà castra, nulla ob cõmeatûs, aquæque pænuriam, certæ salutis spe refugerunt.

Iudæi autem, qui unà cum fugientibus irrumpere non potuissent, obsidione eos cinxérunt, & auxilijs aditus, fugamque obsessis, interclusérunt.

In câ rerum difficultate Arabes legatos ad HERODEM mittunt; qui primùm pacem; deinde præsenti sitis necessitati remedium peterent.

Ille nec legatos, nec pecuniam pro captivis; nihil denique æquum admittebat: quòd enixè cuperet, patrati in suos legatos facinoris, pœnas ab auctoribus exigere.

Coacti itaque siti, inter cætera mala, prægravante, & è castris progressi; se vinciendos, & in captivitatem abducendos, intrà quinctum diem, ad [illegible] Millia, ultrò præbuérunt.

Sexto verò die, reliqui, quibus satius visum fuisset, confertos in aciem prodire, & hostem adgredi, quam minutatim carpi & ignominiosè [illegible]; quantumvis fractis iam viribus, ad prœlium pa[illegible] idonei, è castris in-certam veluti mortem, eru[illegible]runt: Et primo conflictu circiter VII. Millia cecidérunt. *Domitâ per hanc cladem gentis ferocia,* vi[illegible] quique in HERODIS clientelam se dedidérunt.

Eâ felicitate, & suæ existimationis, ob rem bene gestam incremento, rex elatus, domum quidem c[illegible]

gloriâ

gloriâ reversus est: sed dum quam-maximè res suas constabilisse sibi visus est; ANTONIO, apud Actium victo, in summum discrimen adductus non immeritò sentiebat. Cui tàm intimam, quæ cum ANTONIO intercesserat, familiaritatem, non impunitam fore, iuxtà cum ipso omnes augurarentur.

HERODIS DE HYRCANO TOLLENDO CONSILIA; AVT CALVMNIÆ anquisitæ.

Ipse verò, quùm de HYRCANO, qui solus è regio genere supererat; de eodem tollendo cogitare cœpisset: (quòd, sive periculum æmuli Augusti, & suspectæ societatis evasurus esset; tutius arbitraretur neminem imperio præ se digniorem exstare; sive à Cæsare, Antonianorum hoste, opprimendus; successionem illi invideret.) Regi ea secum iu animo volutanti, ab ipsius HYRCANI familiâ præbita est maturandi facinoris occasio.

HYRCANVS quidem, miti vir ingenio prædimis, toto vitæ suæ tempore à gerendis negotijs abhorruerat: & quamcùmque conditionem fati aut fortuna attulisset; in eâ probè constanterque acquieverat.

Verùm ALEXANDRA, ambitiosa mulier, quæ mutationis spem modestè ferre nesciret, Patrem sollicitabat; *ne ulterius HERODEM, perniciosum regiæ familiæ perduellem & insidiatorem ferat. Sibi potiùs caveat, seq; speratæ pro re natâ fortunæ reservet.*

Suadebat prætereà; ut MALCHI, Arabum Dynastæ, fidei hospitioque se permitteret.

Imperium patria, ob certam regij generis claritatem, & prærogativâ, & populi studium (si Herodes ab offenso Cæsare malè mulcetur) *ad ipsum rediturū.*

HYRCANVS filiæ importunitate victus, scriptas ad Arabem litteras, (quibus petebat, ut equitibus ad se inde submissis ad Lacum Asphaltiten tutò deduceretur) DOSITHEO cuidam, (HYRCANI, & filiæ clienti; IOSEPHI, ab Herode necati cognato: & eorum, qui aliquanto-ante apud Tyrum ab ANTONIO interfecti fuerant, fratri) concredidit.

Sed iste, clusâ HYRCANI fide, quam præsenti regis gratiæ posthaberet, cum eo epistolam communicat: eandemque obsignatam MALCHO reddere, & responsum ab eo accipere, iubetur.

Rescribit Arabs; se & HYRCANVM, & eius familiam, & factionis conscios Iudæos in fidem clientelamque suam accipere paratum.

Quo responso accepto, & HYRCANO ad se accito, HERODES, (quùm ille, prolatis etiam in consistorio litteris, fœdus cum Arabe initum inficiaretur) occidi eum imperavit. (Alij hæc, & alia crimina ab HERODE conficta; & HYRCANVM nullū facinus inīdiarū, à naturâ suâ alienissimū, in regem, cuius opes in tuto sitas esse sciret, molitum esse adfirmârunt.)

HYRCANI CASVS, ET EXITVS.

Hic finis vitæ HYRCANI, variâ fortunæ & rerum, dum vixit, vicissitudine defuncti. Matre ALEXANDRA, adhuc vivente, Pontifex creatus, annis novem cum honorem gessit. Quumque matri demortuæ in regnum successisset; trimestri pòst, ab ARISTOBVLO fratre pulsus est: ac deinde Pompeij ope restitutus, in utràque dignitate, regiâ ac Pontificiâ, annos XL. exegit.

Iterùm ab ANTIGONO pulsus, & corpore mutilatus, apud Parthos captivus vixit. Inde aliquantopòst domum reversus, & nihil eorum, quæ de HERODE sibi pollicebatur, consecutus: demùm in extremâ senectute, octogenarius, indigno isto exitu exstinctus est. Cuius bonitate & indulgentiâ, ANTIPATER & HERODES ipse, ad tantas opes fuerant provecti: dum amore otij, degener, & imperitiæ sibi conscius, principatum per alios administrari pateretur.

HERODES RES SVAS CONSTITVIT, ANTE PROFECTIONEM.

Sublato HYRCANO, HERODES, dum ad Cæsarem properaret; neque ob artam veteremque cum ANTONIO amicitiam, æqui bonive quidquam ab eo speraret. Et suspectam interea haberet ALEXANDRAM, ne istâ tempori m opportunitate abutens, populo ad defectionem concitato, regnum perturbaret; regni curâ PHERORÆ fratri demandatâ, matrē CYPRON, & sororem SALOMEN, totamque cognationem, in Masadâ deposuit: Et siquid durius sibi accidisset, fratrem iussit regni habenas retinere.

MARIAMNEN uxorem, quæ, ob simultates, cum matre ipsius & sorore concorditer degere non poterat; in Alexandrio, cum matre ALEXANDRA, collocavit: eiusque castelli custodiam, quæstori suo, Iosepho, & Sohæmo Ituræo, hominibus sibi semper fidissimis, concredidit.

Iisque in mandatis datum; *Ut siquid, quod nollent, sibi accidisse cognoscerent; extemplò ambas interficerent, regnumq; liberis eius, ac PHERORÆ fratri, pro viribus, conservarent.*

CÆSAR ATHENIENSEIS RECREAT: ET DE PATRIS PERCVSSORIBVS pœnas exigit.

CÆSAR à victoriâ Actiacâ M. AGRIPPAM, cum veteranis selectis, in Italiam, ne qui novi motus exsisterent, præmiserat. Ipse Athenas profectus, Græciam, fervilier ab ANTONIO vexatam & exhaustâ, recreavit, & libertate donavit.

A Cassio Parmensi, qui fractis ad Actium ANTONII opibus, Athenas profugerat, sibique proditus erat: & mòx à P. TVRVLIO etiam, quem eodem ex Cô insula ipse pertrahendum curârat, ultimas parricidij, sive cæsi I. Cæsaris pœnas exegit; uti ante XII. annos C. TREBONIVS, à Dolabella oppressus in Asiâ, primus dederat.

Fertur & ipse AQVILIOS NIGROS, Patrem & filium, quùm pro vita deprecarentur, sortiri iussisse, ut ea gratia alterutri concederetur. Et utrumq; morientem spectâsse, quùm filio, qui se obtulerat, occiso, Pater, præ dolore, voluntariâ morte occumberet.

Interea AGRIPPÆ litteris, de seditione veteranorū, præmia & missionem cōtumaciter poscentium, turbatus; Italiam mediâ hieme repetere instituit.

3922. Ab V. C. 723. I. Ann. Aug. ab Act. pugnâ.	*Idem paullo-ante, quartum Consulatum, cum M. LICINIO CRASSO ceperat. Hic CRASSVS, & si cum ANTONIO & SEXTO senserat; tamen tum, ne prætorius quidem, & reconciliatus, consulatum gessit. Verùm quum CÆSAR hunc magistratum annuum per se gessert; eidem LICINIO hi Consules suffecti reperiuntur. Ex Kal. Iul. C. ANTISTIVS. Idib. Sept. M. TVLLIVS (CICERONIS F.) Kal. Nov. L. SÆNIVS.*	28.

CÆSARIS PERICVLVM. ET NOVI belli in Anton. adparatus.

CÆSAR in traiectu, dum Italiam repetit, bis sævâ; & atroci tempestate conflictatus est. Priùs inter Rhion & Antirrhion, Ætoliæ & Peloponnesi, in Sinu Corinthiaco, promontoria. Iterùm, ad Ceraunios monteis: ita ut non nisi vexatam vehementer & laceratam classem Brūdisiūm adpulerit. Ibique VII, & XX. haud amplius dies, donec militum desideria ordinaret, commoratus; cursum in Græciam, ut ANTONIVM continenti bello prosequeretur, reflexit.

Et ne durissimo anni tempore, tempestatibus, circà Peloponnesum sævientibus, iterùm cōflictaretur: naveis per Isthmum, Corinthiacū, ad Schœnuntem, (quæ cervix, V. pass. Millia patet) plaustris transduci iussit: ut emenso Asiæ Syriæque circuitu maturiùs, in Ægyptum penetraret.

ANTONIVS, dux altoqui segnis admodùm, eâ adventantis CÆSARIS famâ excitatus, è Tænaro Laconiæ solvens, classe Cyrenen versùs vela facere iussâ, CLEOPATRAM, à quâ ægrè divellebatur; in regnum præmittit: ne quid Ægyptij, gens aliàs ad omnem occasionem mobilis, turbarent.

CLEOPATRÆ IMPOTENS IN SVOS DOMINATVS; ET PRÆMEDITATÆ fugæ conatus.

Illa postquàm in Ægyptum venit, victoriā mentita; & coronatis navium proris, & insigni tibiarum concentu, Alexandriam invecta, dominationem in suos acerbissimè exercére cœpit. In nobilitatem direptionibus & cædibus grassata, popularibus maximam pecuniarum vim imperat: & depositas in fanis opes, & donaria tollit: copias undique & auxilia comparat.

Vtque Medorum regem, in novam belli contrà CÆSAREM societatem privato officio pertrahat; præcisum ARTAVASDIS Armenij caput eidem dono mittit.

Denique, ut nihil, quod aut ad securitatem, aut ad fugam viam aperiret, intentatum relinqueret; arduum sanè opus, adgressa fertur: Isthmum scilicet illum, inter mare Ægyptium, & Sinum Arabicum, quâ tanquam cervice quâdam Ægyptus Asiæ cōmittitur; quique CCC. stadijs, sive XXXVI. pass. Millib. patet; perfodere instituisse: atque ita classem è mari Ægyptio, in Sinum Arabicū, sive mare Erythræum, cū universo thesauro, & validis copijs, traducere; seq; ita, per fugam, bello & hostis ludibrio subducere.

NOVA ANTONII TENTAMENTA.

ANTONIVS intereà, quùm ad littus Cyrenaicum in statione esset, & novas, per deserta regionum, sedes quæreret; ad L. PINARIVM SCARPVM, Africæ suo nomine præfectum, certos præmisit, qui adesse imperatorem nūtiarent: proinde cū copijs ad ipsum properaret. Sed PINARIVS, qui iam fidem cū fortunâ mutârat; missos ad se, ab ANTONIO, occīdit.

Eâque præfecti perfidiâ ille consternatus, velis subductis, Alexandriam versùs cursum reflectit. Ibi in ancipiti spe & metu omnem belli adparatum instruit: Parætonium in Africâ; Pelusium in Ægypto; firmissimis præsidijs præoccupat.

EIVSDEM LVXVS ET IGNAVIA.

Verum, relictâ Timoniâ domo, quam haud procul Alexandriâ struxerat; & naturâ ad damnatam ignaviam recurrente: omissaque iterùm rerum omnium curâ, in summo luxu, reciprocâ inter Commorientes amicos mutilatione, per convivia & voluptates; ac deinde; ex fastidio eorum magis quàm satietate, in somno & desidiâ, hiemem traduxit. Præfectis itidem ipsius, & militibus, in eādem luxuriem, ad ducis sui exemplum, penitùs effusis.

Sic igitur otio ac luxu diffluens, amore præterea & voluptatibus ebrius, ANTYLLVM, sive ANTONIVM, suum ex FVLVIA; & CÆSARIONEM, CLEOPATRÆ ex CÆSARE, Filios, positâ prætextâ, togam virilem sumere; & iam emancipatos, *reges regnīq; heredes salutari* curat. *Quod tunc intempestivè & præmaturè acceleratum; ijsdem haud multo post exitio vertit.*

Hinc cum CLEOPATRA consilium fugæ capit, ut, si quæ vis gravior urguéret, classe in Hispaniam fugerent. Neque id, temerè; quod LVCIVS ANTONII frater, qui Hispanienseis exercitus nomine CÆSARIS ante rexerat; ijs persuasisset: illos pecuniâ & muneribus; & militari, quâ ANTONIVS pollebat, facūdiâ, haud difficiliter ad transitionem solicitari posse.

LEGATIO CLEOPATRÆ AD CÆSAREM.

Vtque intereà CÆSARIS animum ab omni suspicione averterent; legatos misére. quos CLEOPATRA arcanis mandatis; & ut fidem præstrueret, etiam muneribus; *Aureo Sceptro, Coronâ & Sellâ regiâ*, quæ CÆSARI ipsius nomine donarentur; instruxit.

Legationis summa fuit; „ *Antonium pacem à CÆSARE illis legibus petere; ut sibi Athenis privato vivere; CLEOPATRÆ cum filijs in Ægypto regnare, liceret.* Mandatum ad hæc legatis, ut CÆSARIS militem muneribus solicitarent.

CÆSAR nihil quidem ANTONIO respondit; sive quod legatos, qui liberti erant, contemneret, sive quòd fraudem subesse suspicaretur. CLEOPATRAM

verò

verò, per THYRSVM libertum, quem & ipse cum secretis miserat mandatis, bono animo esse iussum, in Antonij perniciem solicitat.

CORN. GALLI RES PRO CÆSARE AD PARÆTONIVM.

Intereà CORNELIVS GALLVS, CÆSARIS legatus, qui exercitum IV. legionum à SCARPO acceperat; Paratonium, eiecto Antonij præsidio, occupâsse nuntiatur. Antonius eò, cum exercitu classéque properàs, & ad muniũ accedens, Gallum, eiúsq; milites, adloquio & pollicitationibus tentare cæpit.

GALLVS contrà, ut sensum aurium vocésque confunderet, classicum canere iussit. Deinde subità eruptione Antonianos, incomposito agmine palatos, adortus, multà cum clade persequitur, & usque in castra profligat. quo tumultu ad II. Millia de Antonij exercitu ceciderunt.

Tertiâ indè luce Antonius, urbem navali oppugnatione adgressurus, classem, in Parætonico Portu, nautico instrumento armabat.

Sed GALLVS Portu, iuxta opidum, catenis altissimè demersis præsepto, & præsidio intrà muros recepto; classiarios Antonij in locum insidijs præparatum pertraxit: & in naveis, mutis catenarũ nexibus impeditas, impetum ex urbe fecit. Tum verò militum pariter ac nautarum trepidatio coorta est; qui se terrà marique simul circumventos cernerent: & naves mutilæ partim deprimerentur, partim igne iniecto consumerentur.

CÆSAR ÆGYPTVM INVADIT.

ANTONIO interim, nova & gravior clades per tumultum nuntiatur. Pelusium à Cæsare captum: ipsum tettà marique cum infesto exercitu in Ægyptũ invadere: federatos reges, Herodemque in primis, socium sibi pridem, & amicum, fidem cum fortunà mutâsse. His ille rerum adversarum tumoribus excitatus, ad extrema tentanda sese accinxit.

HERODES CÆSARI RECONCILIATVS.

Quod ad HERODEM pertinet; Ille è Samo Rhodum, ubi Cæsari occurrere constituerat, adpulsus; cætero regiæ dignitatis adparatu nihil mutato, diadema tantùm deposuit: & ad Romani Imperatoris colloquium admissus, nullis adhibitis rogádæ veniæ precibus, facti sui rationem intrepidè reddidit.

„ *Magnam sibi cum* ANTONIO *intercessisse amicitiam; illique supremum rerum imperium animo devovisse. Et quùm pro illo, tam bene de se merente, non opes tãtùm, sed caput etiam & salutẽ periculis obiectare debuerit; non armis quidem coniunctis, quòd bello tum Arabico distineretur; sed quà potuit, frumento atque pecunijs, amicum adiuvisse.*

Et laudi sibi vertendum, quòd ne post Actiacam quidem victoriam illum deseruerit; neque mutatâ apertè fortunâ, ad novas se spes transtulerit.

Se nihilo minus eo tempore, quùm auxilio non posset; consilio hominem adflictũ adiuvisse. & suasorem ei fuisse; ut si salvus esse, neque omninò in ordinem cogi vellet; CLEOPATRA *interfectâ, in eius opes succederet: eoq; facto faciliores pacis conditiones ab hoste Cæsare impetraret. Quod consilium quùm ille per imprudentiam sit aspernatus; Cæsari magis, quã sibi consuluisse censeatur.*

Quod si, O Cæsar, inquit, *odio Antonij, meum quoque, amici, studium damnas; inficias certè non iuim, quæ feci: neq; ingenuè fateri verear, quanto eũ sim amore studioq; prosecutus.*

Sin detractis personis, id tantùm expendis, qualis amicus, & quàm beneficiorum memor exstiterim; eius tibi rei in me periculum facere, integrum est. Mutato solum nomine, amicitia fidésque permanebit; & suam laudem promerebitur.

His generosi hominis verbis, Cæsar, vir liberalis iuxtà ac magnificus, inductus; & diademate HERODI restituto, eum ad amicitiam, secum pari sinceritate colendam, cohortatus, in summo deinceps hunore habuit: regnumque ei Senatûs-consulto cõfirmandum curavit. Ipse vicissim Cæsarem amplissimis muneribus donatum, in Ægyptum perduxit; & pari liberalitate, animique celsitate, eius amicos sibi conciliavit.

HERODIS ERGA CÆSAREM MVNIFICENTIA. DOMESTICÆ EIVSDEM DIFficultates, & suspiciones.

Inde in regnum reversus, nec sine subiectorum suorũ stupore; qui nõ modò incolumem, sed maiori etiã quàm antea potestate auctũ cernerent; Cæsarem redeuntem, regià magnificentià, apud Ptolemaidẽ, ubi exercitus eius recensebatur, accepit; & milites universe omneis hospitaliter tractavit. Et per loca arida, sitive squalentia trãseuntibus, necessaria omnia, vinum, & aquam (cuius potus militi tùm vino gratior) largiter commodèque subministravit.

Sed domum regressus, familiã vehementer perturbatã offendit; & MARIAMMEN uxorem, socrumque Alexandram, sibi novis de caussis, infensissimas, quæ haud immeritò suspicatæ essent, se non securitatis caussâ, in castellum Alexandrium; sed quasi in carcerem, concludi iussas; ubi nec suis bonis, nec alienis, frui potuissent.

Et MARIAMME præcipuè; quæ marito, licet amorem ex commodo simularet, sublato, aut defuncto, nullam sibi vitæ spem reliquam fore præsciret: Et SOHÆMVM, sui custodem, ita munusculis & muliebribus blãdiiijs esset demerita; ut Herodis mãdata, de se

de se in eventum interficiendâ, ex eo cognoverit; Dum sibi ille, uxori, præ cæteris scilicet carissimæ, novam amicitiæ Cæsaris, & fortunæ regiæ accessionem, non sine adplausu, commemoraret; mulier, minimè fucatis moribus, intimum turbati & abhorrentis animi adfectum celare non potuerat; & ad blandas eius appellationes, subinde ingemuerat. Vnde ille, amorem inter & odium suspensus, neque sibi ipse satis constans; puniret ne fastidiosæ mulieris malevolentiam; an cum eâdem in gratiam rediret, in incerto habebat.

His æstuantem curis, soror eius SALOME, & mater CYPROS, nactæ, quam diu optarant, odij in nurum explendi opportunitatem; assiduis calumnijs in uxoris sibi invisissimæ, & nobilitate prætumentis, exitium ita accendebant; ut ille quantumvis ijs fidem non temerè adhiberet, magis tamen in dies magisque in MARIAMMEN exasperaretur. Et dum illa, magnanima quidem, sed nec satis modesta; curas suas non occultat; amorem pænè in odium converteret.

Et gravius forte-an iamtum in eam consuluisset; nisi commodùm nuntiatum esset; exstinctis pari fato, ANTONIO & CLEOPATRA, CÆSAREM Ægypti esse potitum. Cui dum gratulari, & obviàm ire properat; familiam eo, in quo erat, statu reliquit.

CÆSAR PELVSII POTITVS, CVM Antonio variè confligit.

CÆSAR Pelusium, digresso iam ANTONIO, non tam vi, quàm proditione Cleopatræ, (quæ à Thyrso; Cæsaris liberto, splendidis promissis & vanâ spe ita erat præoccupata; ut eum sibi quoquo modo, proditis etiam suis Antonijque rebus, demereri studeret) tradente SELEVCO, regij præsidij præfecto, iam receperat: quùm ANTONIVS, à mortis sibi cōsciscendæ consilio, per L. LVCILIVM, revocatus, relicto Parætonio; & deductis, quæ supererant navibus; Alexandriam repetijt. sperans se navalia ibi Cæsaris castra, levi præsidio munita, facilè oppressurum; eiusdemque militem, longo itinere exhaustum, & onere fessum, carpi aut deleri posse.

Et iam Pharum classe tenebat; quùm Cæsarem, ex viâ fessum, ad Hippodromum stativa habere cognoscit. Ipse itaque infesto agmine provolans, & in Cæsarianos equites, sudore adhuc & pulvere squalenteis, invectus, prosperam pugnam facit; & in fugam effusos usque in castra persequitur. Et in cæteris C. MÆVIVM Centurionem capit.

MÆVII CENTVRIONIS CONSTANTIA. ANTONIVS CÆSAREM AD DVELlum provocat; & prœlio profligatur.

Hunc, ut captivum ostenderet, coràm Cleopatrâ adducit; & interrogat; *Quid de se statui velit!* Tum ille; *Iugulari me*, inquit, *iube*. quia *neq; salutis beneficio, neq; mortis supplicio, adduci possim; ut Cæsaris miles esse desinam, & tuus esse incipiam.* Eâ in milite constantiâ miratus Antonius, incolumē abire permisit.

Et priore ex equitibus victoriâ elatus, copias mòx educit. Cæsarem etiam ad singulare certamen provocat; *ut durum scilicet periculo, & alterutrum eventu de Imperio decerneretur.*

Ad id Cæsar aliud nihil respondit; quàm ANTONIO, *si desperet, multas satis ad interitum vias patere.*

A virtute itaque ad dolum relapsus, sagittis libellos circumvolvit: eosque in Cæsaris castra eiaculatus, militem oblatis, mercedis nomine, senis H.S. Millib. ad transitionem sollicitabat.

Cæsar iisdem libellis pro concione recitatis, invectus acriter in insanabile Antonij ingenium, quo militum suorum animos, *tamquam ad omnem proditionem, perfidiamq; venaleis*, concitaret:

Irent, inquit, *Dijs auctoribus, & tàm sceleßam* ANTONII *de seipsis opinionem ultore ferro vindicarent; fidémque suam, insigni hostium clade, Imperatori suo liberarent. Alia longè præmia & militiæ commoda, ex fide sua habituri, quàm quæ* ANTONII *perfidia ex vano iactaret.*

Hinc postquàm ille iustâ irâ suorum animos ad vindictam stimulari cerneret; præsenti in ijs ardore utendum ratus, legiones in aciem producit. Neque pugnam detrectat ANTONIVS.

Sed dum Cæsarianos *ira & spes in prælium rapetet*; Antonianos verò, maximam certè partem, *necessitas & pudor invitos resistere* potius, *quàm pugnam inire* cogeret:

Hi primò ferè impetu fusi, dum partim in urbem, partim in castra, alij aliò dilaberentur; ANTONIVS in tumulum quemdam, fugâ cum paucis delatus, unde pugnæ eventum prospectaret: ubi classem ipsam, quæ ad navale prœlium instructa, parataque in altum contrà hostem provehebatur, ad Cæsarem ultrò transire; omnemque unà spem fugæ, quam in Hispaniam destinaverat; intercisam vidit; proditum se à Cleopatrâ clamitans, eique malum minatus; furens frendensque, citatis equis, in urbem decurrit.

CLEOPATRÆ FRAVDES. ET ANTONII DESPERATIO.

CLEOPATRA, sive furorem Antonij verita; sive ut in gratiam Cæsaris eum, qui in ipsam quoque durius consulturus metuebatur, præcipitem, & in certum exitium impelleret; in Mausoleum, quod sibi illa, iuxta ISIDIS Templum, sumtuosissimè exstruxerat; cum Eunucho, & duabus ancillis, sese abscondit. simulque ad ANTONIVM mittit, qui heram voluntariâ morte servitutem effugisse nuntiarent.

Eo nūtio fractus ANTONIVS, laudatâ interim mulieris fortitudine; in cubiculum irrumpens, deposito thorace, EROTEM servum, ut sibi ultimam manum, ex fide datâ, commodaret; urguebat.

Sed dum ille Dominum suum violare veritus, in gladium ipse suum incubuisset; & ad pedes heri moribundus procidisset; ANTONIVS mancipij fortitudinem

fortitudinem æmulatus, rapto itidem ferro ventrem sibi non segniter confodit. Sed quùm levior fuisset ictus, quàm ut statim exspiraret, sese in lectum demisit.

ANTONII EXITVS: ET CÆSARIS DEPLORATIO.

Orto inde statim per totam urbem tumultu, quùm CLEOPATRA è monimenti fastigio despiciens, id quod acciderat, intellexisset. & simul populus ad conspectum CLEOPATRÆ, quæ mortua credebatur, altiùs inclamâsset; tum DIOMEDES ab eàdem missus, Antonio, inter maximos vulneris cruciatus anhelanti, & decumbenti, supervénit, & reginam Mausoléo inclusam etiamnùm superesse nuntiavit.

Ipse itaque cruore adhuc & sanguine fœdatus, ad Mausoléum se deferri imperat. Cui quùm CLEOPATRA fores aperire vel nollet, vel non posset; funibus & catenis per fenestram, ab ipsâ, duabusque eius ancillis, sublimè attractus, & intrà Mausoléum receptus est.

Et potu vini hausto utcumque recreatus, ægram animi mulierem verbis demulcet, & solando erigit: monetque, ut sibi rebusque suis, in eo rerum cardine, cum dignitate consuleret: fidemq; C. PROCVLEII, inter cæteros Cæsaris amicos, potissimùm coleret. Et cum ijs dictis, inter eiulatus, & muliebres lamentationes, defecit & exspiravit. anno ætatis L. (al. LIII. al. LVI.)

CÆSAR, ubi id ei nuntiatum est; obortis lacrymis, in tabernaculum secessisse traditur: & suis convocatis, velut *insigne rerum humanarum exemplum* proposuisse ANTONIVM.

Qui collega nuper & adfinis, & tot victoriarum curarumque socius; Ægyptiæ deinde mulieris delinimentis à se alienatus, & libidinum intemperantiâ effrenatus, fas, fidem, dextras datas, necessitudinem, ipsos denique Deos, federum testeis, fefellisset. & iusta in se sua, & pop. Romani arma, pro libertate tuendâ, commovisset. Et dum soli fortunæ fidit; quantò altiùs erat elatus, eò fœdiùs corruisset.

His ita peractis, Cæsar curam funeris; & CLEOPATRÆ custodiam, ne quid ferox mulier gravius in se consuleret; néve regios thesauros, quos recondiderat, corrumperet; C. PROCVLEIO demandavit.

PROCVLEII INDVSTRIA.

Hic, ubi vivam eam præoccupavit, Cæsaris mandata pro foribus monimenti, exponens, primùm ægrum mulieris animum tentare; in spem, mentemque meliorem erigere; & suadere, ut seséque omnia Cæsaris clementiæ arbitrioque committeret.

Quùm is re infectâ ad Cæsarem reversus esset, alio, qui simileis sermones cum Cleopatrâ protraheret, submisso; ipse rursùm subsecutus, & admotis scalis, per eam fenestram, quâ ANTONIVS receptus fuerat, cum EPAPHRODITO liberto, in monimentum ingressus est.

Quem quùm altera ex ancillis, quæ intùs erant, conspicata, subitò exclamâsset; *Infelix CLEOPATRA, viva cáperis*. Illa exterrita, arrepto cultro, se ipsam interfectura erat; ni PROCVLEIVS eam in tempore continuisset.

PROCVLEIVS & EPAPHRODITVS reginam intentissimâ quidem curâ vivam custodire iussi erant; cæterùm, ut eam interea, quàm benignissimè blandissiméque haberent, ac colerent.

Dumque illa, inter cætera, de filijs in reges recipiendis, spem à Cæsare fieri cuperet; respondent ei, à Cæsare concessum; *uti ANTONIVM regio patrióq; more conditet ac sepeliret*. licet complures tàm reges, quàm privati, eiusdem corporis sepulturæ officium sibi deposcerent.

CLEOPATRA CÆSARI SVPPLEX.

Quumque illa posteà in regiam traducta, & solito cultu comitatuque usa, Cæsaris colloquium petijsset; ipse ut eam ab animi ægritudine, quâ contabescere dicebatur, reficeret; tandem ultrò accessit. (metuebat, namque si illa sibi manus inferret, aut inediâ se ipsa conficeret; ne funere ipsius, præcipuum sui triumphi ornamentum subtraheretur.)

Ingredienti ipsum cubiculi vestibulum Cæsari, illa pullata, & luctum habitu testata, occurrit. Et Cæsar plorantem, seque ad pedes submittentem, sustulit; neque attingere sibi genua permisit.

Tum illa: *Omnia tibi*, CÆSAR, inquit, *ut in nos posses, Dij, virtusque tua & felicitas dedére. Sed si captivæ, apud te vitæ necisque dominum, vocem supplicem mittere licet; per Genium Patris tui, qui nos in isto fastigio rerum, in quo paullo-ante fuimus, collocárat. Per eius, quas hîc iuxtà positas conspicis, quásque semper colui, Imagines. per huiusce regiæ Deos, (qui te melioribus omnibus accipiant, quàm* ANTONIVM *hinc misérunt) precor quæsóque. hanc supplici veniam da; ut ipse quidem, quodcúmque fert animus, de me captivâ statuas: filios tantùm meos regnare patiaris. Neque me in pop. Romani superbum ac crudele spectaculum, ludibriúmve traduci patiaris. Si nullâ aliâ re id facere potes; morte me*

te me saltim à tam crudeli servitute vindices.

Versa dehinc ad solitas arteis, illecebris & blanditijs Cæsaris continentiam percellere conatur. Cæsar verò eam bono animo esse iubens, quæ in eius potestatem venisset, qui *beneficio quàm metu obligare* homines malit; curâ eius impensiùs custodibus mandatâ, discessit.

CLEOPATRA ubi animadvertit Cæsarem, nec proiectis usqueadeò lacrymis; nec miserabili oratione emollitum; seque ad ludibrium, & ad triumphum, rem omni morte acerbiorem, reservari; impetum moriendi cepit.

Et mox per internuntium CORNELII DOLABELLÆ, qui CLEOPATRÆ amore captus erat, certior facta; Cæsarem triduo pòst in Syriam profecturum; ipsam que cum liberis in Italiam classe amandandam; haud ulteriùs cunctandum sibi putavit.

Quum que iam minus se artè custodiri, observarique videret; (simulârat enim se & vitæ longioris, & Romæ visendæ cupidam. eiusque rei iam ferè Cæsari & custodibus fidem fecerat) & à Cæsare impetrâsset; ut sibi, Antonio parentare liceret; iterùm in sepulcrum ingressa est.

Ibi persolutis viro inferijs, & balneo sibi adparari iusso; lota, vestemque elegantissimam cum regio cultu induta, prandium sumsit.

A prandio, tabellas obsignatas, quibus communi se cum ANTONIO sepulcro condi postulabat, ad CÆSAREM, per EPAPHRODITVM, mittit. Liberto digresso, & reliquis etiam à se dimissis, Ianuam sepulcri occlusit.

CÆSAR perlectis tabellis, id quod evenerat, suspicatus; mittit extemplò, qui quod gestum esset, inspicerent.

CLEOPATRÆ EXITVS. ET COMMVNIS CVM ANTONIO SEPVLTVRA.

Illi valvis apertis introgressi, offendunt CLEOPATRAM aureo in lecto, & cultu regio iacentem, & exanimem. Et ex ancillis unam, ad pedes dominæ mortuam: alteram, quæ diadema capiti reginæ, adaptabat, semianimem. Quæque à quodam rogata, *Pulcra ne ea essent, quæ faceret!* responderit; *Pulcerrima; quæq, tot regum prolem maximè decerent.* & cum dicto, exspirarit.

Mortis genus, aut ratio in CLEOPATRA in incerto est.

Sunt qui aspidem, ab ipsâ lacessitam, mordicùs brachium eius vulnerâsse: cuius vulneris notæ apparuerint: & eius serpentis virus, contactos, sopore ac sudore in mortem solvere.

Alij venenum, quod ad incerta fortunæ, talium que casuum, multo-ante præparaverat; hausisse scribunt. quæ tum undequadragesimum ætatis annum ageret.

CÆSAR quamvis eius decessum molestè ferret adeò ut Psyllos admoveri iuberet, qui more so virus è corpore exsugerent; animum tamen eius tam generosum admiratus; & quod id ipsum per literas fuerat obtestata; corpus eius iuxtà Antonium splendidè regaliterque condi; & tumulum, ab ipsis inchoatum, perfici iussit.

LIBERVM CLEOPATRÆ, ALII INTERFECTI, ALII SERVATI.

ANTYLLVS, ANTONII filius, per THEODORVM, CÆSARION, per RHODONEM, pædagogos, proditi quia in regni successores cooptati erant; ne quid ipsorum caussâ, novi in posterum oriretur, interfecti sunt. Reliquos Antonij ex eâdem Cleopatra liberos; Alexandrum, Cleopatram, Ptolemæum benignè liberaliterque habitos, pro cuiusque conditione & captu educavit; & curâ omnium Octaviæ sorori commissâ, fovit.

P. CANIDIVM, semper infestissimum, & ipsi Antonio non satis fidum; & Q. OVINIVM, qui Senator Romanus, ad vilissimi mancipij obsequia Cleopatræ se submiserat; occidi iussit.

Alexandriam ingressus, Civibus, ALEXANDRI conditoris caussâ, & in gratiam Arij Philosophi ignovit. Et Antonij statuis deiectis; ne CLEOPATRA pari iniuriâ adficeretur; Archibius, vetus reginæ cliens, H.S. quadringenties redemisse traditur.

PTOLEMÆO urbis conditore contemto, ALEXANDRI MAGNI corpus, quod aromatis conditum huc usque per CCC. ferè annos perduraverat; sibi ostensum, coronâ aureâ, floribus & veneratione prosecutus est. Et qui semper, per bella civilia SPHINGIS imagine signârat; deinceps ipsius ALEXANDRI imaginem in gemmâ exprimi iussit, eâque in signando usus est.

LAGIDARVM gens, Ptolemæorum prænomine, quæ annis plus minus CCXCV. (al. CCLXXXV.) in Ægypto regnavit) L. anno ab excessu ALEXANDRI, amicitiam sociali federe, cum pop. Romano iunxerat: eamque comiter conservavit; & in summo fortunæ culmine, ad ultimum usque in CLEOPATRA finem, CL. & amplius annis, varijs licet casibus, Ægypti regnum obtinuit.

Primus ex ijs, PTOLEMÆVS PHILADELPHVS, anno V. Cond. CDLXXX. C. FABIO DVRSONE, & C. CLAVDIO CANINA Coss. eam societatem inierat.

HOC

HOC QVOQVE LOCO REGVM ÆGYPTI, LAGIDARVM, SERIEM, PRO RE NATA, SVBVNVM CONspectum damus. (cum nuperâ Petavianâ annorum supputatione, quam cum superioribus conferat lector)

Nomina.	Anni quibus regnârunt.	Ann. Period. Iulianæ.
1. Prolem. Lagi F.	40.	4390.
2. Pt. Philadelphus.	38.	4429.
3. Pt. Evergeres.	26.	4467.
4. Pt. Philopator.	17.	4493.
5. Pt. Epiphanes.	23.	4510.
6. Pt. Philometor.	35.	4535.
7. Pt. Evergetes, II. Physcon dictus, Philomet. fr.	29.	4568.
8. Ptol. Larhurus, F.	17.	4597.
9. Pt. Alexander, Lathuri frater.	10.	4614.
o. Pt. Lathurus, iter.	8.	4624.
10. Pt. Alexander, II. Alexandri F.	D. 19.	4632.
11. Pt. Alexander, III. Alexendri primi F.	17.	4632.
12. Pt. Auletes, Nothus.	13.	4649.
13. Pt. Dionysos.	5.	4663.
14. Cleopatra: perijt anno V. C. 724.	17.	4667.

Regnatum à Ptolemæis 285. annis.

ÆGYPTVS PROVINCIA VECTIGALIS

Eâ gente exstinctâ, CÆSAR, ceu suæ præmium victorię, Ægyptum ordinavit, atque in provinciæ formam redegit: stipendiariamque & vectigalem esse iussit.

Legiones duas, & totidem equitum turmas, novemque cohortes, victæ urbi imposuit. iisque omnibus stipendium. populo autem Romano, tributi nomine, præter vectigal. H. S. octies millies; frumentique centies millia modiûm, in singulos annos, pendere iussit.

ÆGYPTVS SENATORIBVS INTERDICTA. EQVESTRIS PRÆFECTVRA.

Cavit prætereà: ne Senatum; nec plebis concilium; neque ullum omninò magistratum de suis civibus haberent, aut crearent.

Et quoniam prospiceret, quisquis eam provinciam, claustraque terræ ac maris, vel levi præsidio insedisset; posse facilè eam adversus ingenteis exercitus tueri, edicto cavit: *Ne quis Senator, aut Eques Romanus, nisi se conscio, in Ægyptum ingrederetur.*

Statuit quoque, *non nisi ex Equestri & medio ordine Præfectos, eosque annuos*, Ægypto dari. qui provinciæ præsiderent: apud quos lege ageretur: quorum decreta parem cum magistratu Romano vim haberent. Eique primus provinciæ Pręfectus datus est Cornelius Gallus.

Cæsar, ut victoriæ suę in Ægyptum etiam monimentum exstaret; Nicopolim alteram, IV. ab Alexandriâ millib. ad Canopicam fossam condidit:

quo loci & castra habuerat; & ANTONIVM supremo prœlio fregerat. Civitatemque libertate donatam, & ludis eisdem, cum Actiacâ Nicopoli, decoratam; magnificè splendidéque excoluit.

M. CICERO F. COS. PATREM VLCISCITVR.

Morte ANTONII per Vrbem nuntiatâ; eâ parte anni, quâ Cæsar M. CICERONEM, Oratoris F. ex Idib. Septembr. collegam in Consulatu sibi cooptaverat; filius, patris percussorem, ita ultus est.

Senatus ANTONII statuas, CICERONE Cos. referente, convelli deijcique iussit. & ne quis ex gente Antoniâ, MARCI prænomen sibi sumeret, utque dies mortis eius facer esset; decrevit.

Cæsari contrà, victori, supplicationes, & de reginâ CLEOPATRA triumphū; coronas quoque, Obsidionalem & Civicam, sive Querceam, decreverant: *cuius consilio, operâ & virtute, unà cum Libertate & Salute, restituta civitati esset Concordia: Pax terrâ mariq; parta; Imperium Vrbis & Orbis à servitute vindicatum.*

Cæsar itáque primùm cum M. ANTONIO, & M. LEPIDO; dein tantùm cum ANTONIO, per XII. ferè annos; novissimè per XLIV. solus remp. tenuit. Et à IV. Nonar. Septemb. quo die navalis ad Actium pugna contigit, & universum Rom. reip. imperium ad ipsum recidit; plerique cum DIONE, annos eius dominationis enumerant.

LEPIDI IVNIORIS CONATVS: EIVSQVE VXORIS CONSTANTIA.

Dum absente interea Cæsare; & belli Actiaci Alexandrinique victoriam prosequente, M. LEPIDVS, Ex-Triumviri filius, IVNIA, BRVTI sorore, natus, res novas moliri; & de Cæsare, simul in urbem reversus esset, occidendo, agitâsse consilia, delatus esset; ipse C. CILNII Mecœnatis, urbis Præfecti, operâ & vigilantiâ, ac celeritate; sine magnâ hominum rerumve perturbatione, in ipso articulo oppressus est: & maturam malè consultorum pœnam exsolvit.

Sed eius uxor, Servilia, PORCIÆ BRVTI exemplum secuta; quia ferrum non dabatur; vivo igni devorato, præmaturam in se mortem, immortali castissimi sui erga maritum amoris desiderijque, & nominis sui memoriâ pensavit.

HERODES AB AVGVSTO AMPLIFICATVS.

Ordinatâ provinciâ, Cæsar in Syriam cum exercitu proficiscitur. Eò venientem HERODES rex (qui in Ægypto liberiùs cum illo congressus, & magnis beneficijs ornatus, præter CD. Galorum Cleopatræ satellitium; regni patrij non exiguam portionem, Tyro propinquâ; quam priùs Ægyptiæ uxori ANTONIVS donâsset, receperat) magno & regio apparatu accepit: magnâque comitate proficiscentem ad Antiochiam usque prosecutus est.

Cum eo Cæsar, uti cum socio atque amico, fœdus iunxit; eiusque regnum amplificavit. Gadara scilicet, Hippon, & Samariam; & in maritimis, Gazam, Anthedonem, Ioppen, Turrimque Stratonis, attribuit. quæ ei non mediocris ad regium splendorem foret accessio.

RES TVRBIDÆ IN PARTHIS.

TYRIDATES sub hæc, qui res novas in Parthiâ molitus, bellum intestinum moverat. (Illum namque Parthi, PHRAHATE ob crudelitatem in exsilium pulso; regem sibi constituerant. & ipse audito Scytharum, à quibus rex exsul in regnum reducebatur, adventu, cum minimo Phrahatis filio profugerat) Apolloniam (fort. Antiochiam) supplex ad Cæsarem venit.

Eo cognito, Phrahates, legatis eódem missis, servum suum Tyridatem; & filium (quem ille negligentiùs custoditum rapuerat) remitti sibi postulabat.

Sed Cæsar, legatis cum benigno responso remissis, neque TYRIDATEN deditùrum se Parthis; neque ei adversus Parthos, reciperandi regni, auxilia daturum adfirmavit.

Et Tyridati quidem, quoad apud Romanos, sive in Italiâ, sive in Syriâ, manere vellet; opulentum sumtum præberi iussit. Filium verò Phrahatis, ab eodem acceptum, Romam secum velut obsidem duxit; quoad Parthi signa, quæ Crassi Antonijque cladibus cepissent, cum captivis, redderent.

3923. Ab V. C. 724. Ab Act. pug. 2.	*CÆSAR Antiochiâ solvens in Samum vela fecit; Ibiq; V. Consulatum, Collegâ SEX. APPVLEIO Nepote iniit.*	27.

Cæsari iam sextùm Consuli designato, (Al. ipsi APPVLEIO) suffectum tradunt (ex Kal. fort. Iulijs) L. Valerium Potitum Messallam; à quo primùm honorifico, *PATRIS PATRIÆ, sive REIP. CONSERVATORIS*, Titulo auctus fuerit.

CÆSARIS IN AMICOS REGES, ET CIVITATES, BENEFICIA.

CÆSAR, Asiæ ordinandæ intentus, Amyntam, Galatiæ; Archelaum, Cappadociæ; Philadelphum, Paphlagoniæ, reges; qui ante Actiacam pugnam ad ipsum transierant; socios & amicos salutavit. LYCOMEDE verò, Cappadociæ Ponticæ regno exuto; eius in locum, MEDEVM, qui Mæsios, ne cum ANTONIO coniungerentur, distinuerat, regnare iussit.

Artavaldi, Medorum regi, qui à Partho victus ad Cæsarem confugerat; filiam IOTAPEN, quam ANTONIVS filio suo ALEXANDRO, ingratijs desponderat, gratis reddidit.

ARTAXÆ verò, qui patri ARTAVASDÆ in regnum Armeniæ successerat; fratres, quos ANTONIVS, velut obsides, detinuerat, quantumvis peteri, non remisit.

misit. quòd is milites Romanos, qui post ANTONII fugam, in Armenia remanserant, trucidari iussisset.

Ephesijs & Nicæentibus, ita petentibus, ut DIVO IVLIO, & VRBI ROMÆ: & Pergamenis similiter, Nicomediensibus ac Bithynijs ut AVGVSTO & VRBI, Templa conderent; permissum est. Samij quoque libertate donati.

CÆSARIS GRATIA; ET POPVLI IN EVM BENIVOLENTIA. EIVSQVE largitiones.

Cæteris rebus per Asiam Græciamque ritè constitutis, in Italiam revertens, CÆSAR, quùm Brundisij exscensionem fecisset; incredibile dictu, quàm faustis omnium ordinum acclamationibus; quanto civium militumque favore, votis gratijsque, exceptus fuerit.

Nihil enim optare à Dijs homines; nihil Dij hominibus præstare potuisse videntur. Nihil voto concipi; nihil felicitate consummari; quod non AVGVSTVS, post reditum in Vrbem, reip. populoque Rom. atque adeò ipsi terrarum orbi, repræsentârit.

Finitis, XX. anno bellis civilibus, (ait VELL.) & sepultis externis: &, sopito vbique armorum furore; Pax revocata. Vis legibus; iudicijs auctoritas; Senatui maiestas restituta. Redijt cultus agris; sacris honos; securitas hominibus.

POTITVS VALERIVS, quo die magistratum inijt, (Consul ex Kal. Quinctilib.) ex S. C. S. pro Imperatore CÆSARE operatus, vota solvit; *quòd Dij, fausto ipsius reditu; felici belli eventu: maturâ ex hostibus victoriâ, remp. conservâssent.*

Sacris peractis, CÆSAR triumphali habitu ornatus, è suggesto militibus dona militaria, pro cuiusque meritis, elargitus est. Quæque in beneficijs ad ærariũ deferrẽtur, adsignavit. ijsdemque pecuniam ex prędâ & manubijs distribuit: Singulis ducenos quinquagenos denarios; duplum Centurioni; triplum equiti. Stipendium quoque militare, & frumentum duplex, post triumphum datum.

Populo verò, congiarij nomine, quadringenos nummos divisit. ne præteritis quidem, in gratiam MARCELLI, OCTAVIÆ sororis filij; minoribus: qui aliàs non nisi ab undecimo ætatis anno accipere consuêssent.

TRIVMPHI CÆSARIS: EORVMQVE POMPA. PRÆTEREA CARINATIS, MESSALLÆ, ET TAVRI.

Treis deinde triumphos, per triduum, egit. Et primo quidem die, de Pannonijs, Dalmatis, Iapydibus, Illyricis, Salassis (quos ipse partim per se; partim per legatos domuerat; & triumphum de ijs à Senatu sibi decretum in aliud tempus distulerat.)

Item de Morinis Galliæ, & Suevis Germaniæ populis, (quos C. ALBIVS CARINAS; CÆSARE ex Galliâ, & ab expeditione Britannicâ, per Pannoniorum aliorumque, quos dixi, rebellionem, revocato; prœlijs aliquot profligârat; & imperata facere coëgerat) CÆSAR ornatissimo pompæ adparatu Vrbem invectus, IIX. Id. Sextiles, triumphum duxit.

Nec longo pòst intervallo, CARINAS Proconf. (licet pater eius Sullanâ proscriptione interfectus fuisset; eâque clades filium iure honorum, ex lege latâ, privâsset) ob rem bene in Galliâ gestam, communem triumphi cum Imperatore suo honorem habere meruit.

Inter cæteros, MESALLA CORVINVS, qui Salassos; & STATILIVS TAVRVS, qui Dalmatas domuerant; equis in veste triumphali vecti, omnium oculos in se convertebant.

Contra vetus tamen institutum, VALERIVS, ipsius in Consulatu collega, cum reliquo magistratu & Senatoribus, currum CÆSARIS, hoc triumpho, & duobus insecutis, pone secuti sunt; aliàs in pompæ ordine anteire soliti.

Eos legati & Tribuni in equis; & exercitus laureatus peditus; cum cantu, & incónditis de more vocibus, adsectabantur.

Imperator eâ pompâ per urbem in Capitolium vectus, & sacris perfectis, donisque dedicatis; Senatum cum magistratibus, splendido epulo accepit.

Secundo autem die, Actiacum triumphum peregit; quo Navalis ad Actium pugnæ Simulacrum, inter pompæ fercula, transvectum; & ALEXANDRVM Arabiæ Petreæ regem, inter captivos, ante currum ductum, legimus.

(Hunc ALEXANDRVM, HERODES nullis à CÆSARE precibus impetrare potuit. quòd is ANTONIO, ut in CÆSAREM contumeliosè petulanterque declamaret; linguam semper venalem habuerat: itaque post triumphum in carcerem compingi & necari iussus est.

Eodem triumpho Cæsaris currum comitari, Marcellus, OCTAVIÆ; & TIBERIVS, LIVIÆ Filij, iam puberes; & hic quidem sinisteriore equo funali; ille dexteriore, vehi, observati sunt.

Sed omnium, præ reliquis, in se oculos convertebat M. AGRIPPA. qui Coronâ Rostratâ insignis vexilloque cæruleo à Cæsare donatus, equo sublimi vectus eminebat: & magno eum populi adplausu, haud multò infra Cęsarem, in Capitolium deductus est.

Tertio die, ex Ægypto, de reginâ CLEOPATRA, omnium ornatissimus splendidissimusque triumphus actus est: Vipore Nili capti; oppidorumque, Alexandriæ, Pelusij, Parætonij, &c. simulacris conspiciendus. Spolijs prætereà, auro & argento; signis partim ex auro & argento, partim ex ebore & marmore; & tabulis pictis, instructissimus.

Ante currum, in cæteris captivis, ducti liberi gemelli Cleopatræ, ALEXANDER & CLEOPATRA: ex quibus, illi Solis; huic Lunæ, cognomenta parentes indiderant.

Eodem triumpho, ipsius Cleopatræ Imago, ad vivum expressa; cuius sinistro brachio aspis mordicùs adfixa hæreret; transvecta fuisse proditur.

Et gaza regia, eodem triumpho in urbem invecta, tantam rei nummariæ copiam fecisse existimatur; ut statum quoque civitatis, angustâ fide laborantis, moneret; res inter se contrahendo, vendendo & emendo; mutuum dando, & creditum solvendo; ut fenore, à dextantibus ad trientem, diminuto, plurimùm agrorum pretijs adscresceret.

Et ut tantæ victoriæ fructum cum omnibus universè communicaret, CÆSAR; quidquid tributorum, belli civilis necessitas, imperaverat; remisit. Æs alienum & circumforaneum, quod gravissimum assiduis bellis conflatum erat, dissolvit. Aurum coronarium, cumulatè ab Italiæ civitatibus post victoriam oblatum, honore & gratâ voluntate contentus, non accepit.

Dedicatâ deinde CVRIA IVLIA; eâdem Ægyptij; spolijs opulentissimè exornatâ; auream CLEOPATRÆ imaginem, in Templo VENERIS GENETRICIS consecravit.

Ludos deinde Circenseis & scenicos; munera gladiatoria: & inter varia insuetatasque spectacula, Troiæ ludum, Tiberio & Marcello, illo maiorum; hoc minorum puerorū, ductoribus, edidit atque exhibuit.

Quùm Amphitheatrum STATILII TAVRI (quod suis ille sumtibus, in Campo Martio, XC. M. spectatorum capax substruxerat) dedicaretur; præter c. gladiatorum paria, variasque venationes; Crocodilos etiam exhibuit, magnitudine & miraculo immaneis. uti antea in Circo, Rhinocerotem & Hippopotamum.

RES IN DACIA GESTÆ; ET EX IIS TRIVMPHVS.

Inter hæc spectacula, & publicas ludorum voluptates, litteræ, à M. LICINIO CRASSO, laureatæ adferuntur.

Bellum quippe fuerat inter Suevos, & Dacos, (quorum illi Germani; hi Scythæ sunt. Illi trans Rhenum; hi circa Danubium incolunt. Ex quibus alij Mysi, alij Daci appellati.) Hi Daci, sive Getæ quidam, sive Thraces ex Dacico genere; eo quod Rhodopen olim incoluit. quùm prioribus ante temporibus, legatis ad Imp. CÆSAREM missis, nihil ex ijs, quæ peterent, impetrâssent; ad ANTONIVM se contulerant.

M. autem CRASSVS, tum Consul, in Macedoniam & Græciam missus, Dacis illis & Bastarnis bellum intulit. Ex ijs Bastarnæ, Scythæ esse putantur, qui transito Danubio Mysiam invaserūt: & postea Triballos, & Dardanos, Mysiæ finitimos, adorti sunt, sine ullo adhuc Romanorum detrimento.

At posteaquam superato monte Æmo, in Thraciam Dentheletarum, Romanis federatam, (quæ SITÆ, sociu pop. Rom. regi, oculis orbato, tum parebat) irruperant; CRASSVS, suppetias iens Thracibus, eos è regione expulit: fugienteisque persecutus, Segeticâ ex itinere in potestatem redactâ; factoque in Mysiam impetu; tum agrum eorum vastavit, tum opidum etiam munitum obsidione cepit.

Bastarnæ, quùm Mysis victis CRASSVM in se exercitum adducere viderent; legatos quidem miserunt, qui à se omnem iniqui in Romanos belli culpam removerent; at CRASSVS nihilo minus factâ irruptione, & simul pugnandi potestate; Bastarnas cecidit; & DELDONEM, eorum regem, manu suâ interfecit. (Dignus qui IOVI FERETRIO spolia opima ferret, nisi Cæsaris auspicijs rem gessisset.)

Complureis ex ijs, qui munitum opidum occupârant, socio & adiutore RHOLE, Getarum rege, in potestatem adduxit.

Mysis iterùm victis, & Bastarnis, qui Dentheletas vexaverant, pulsis; Thracas Odrysios, qui ex Mœsiâ redeunti infestum iter sibi fecissent; armis eduxit.

Arcessitus deinde ab eodem RHOLE, ad alterum Getarum regem, DAPYGEM, qui hostilia moliretur, reprimendum; hunc, congredi ausum, immisso equitatu profligavit. & in castro quodam obsessum, rebus opibusque ad desperationem fractis, vim sibi inferre coëgit.

Alij præterea Getæ, qui sub ZYRAPTE imperio erant; eodem belli impetu devicti: eorumque opidum, Genucla, magnâ militū pertinaciâ expugnatū.

Signa militaria, quæ victo ad Istrum C. ANTONIO Procos. Bastarnæ eo in opido hactenus servârant, recepta. Cæsa Getarum XXXV. & Odrusiorum X. millia.

Milites, qui CRASSO duce, peragratâ Mœsiâ, Daciâ, ac Thraciâ universâ, incolumes supererant; petebant: ut ob res benè & fortiter gestas, Dijs honos haberetur; & suo Imperatori, triumphantis specie, urbem inire, liceret.

Litteris in Senatu recitatis; utrique, Cæsari & Crasso, supplicationes cum triumpho decretæ. Et CRASSVS quidem nomen Imperatoris, quo milites eum salutâranticuius & Patres auctores facti erant; non accepit: Cæsar verò, cuius & auspicijs & imperio ea victoria parta esset, id usurpavit, Imperator VII, à Senatu salutatus. CRASSVS tamen Procos. ex Thraciâ, sive de Getis, Nonis Iul. anni insequentis triumphavit.

Sed L. ANTRONIVS CRASSVS, etiam Procos. hoc an. post CÆSAREM, ad XVII. Kal. Sept. triumphâsse ex Africâ obscurè proditur. qui post STATILIVM TAVRVM in eâ provinciâ, quæ post M. LEPIDVM quievisse non videtur; rem fortè gesserit.

IANVS CLAVSVS. CENSVS ACTVS. SENATVS LECTVS. SALVTARIA REIP. constituendæ decreta.

Relatum deinde in Senatu à VALERIO MESSALA Consule, de IANI Templo claudendo: pacatis toto terrarum orbe gentibus, & pace terrâ marique, CÆSARIS virtute, pop. Rom. partâ. Ex S. C. itaque intra DCLXXXII. annos, IANVS tertiùm ab Imperatore CÆSARE clusus est; postquam CC. ampliùs annis patuisset.

Hoc eodem anno, & Consulatu, postquam CÆSAR morum legumque regimen in decennium accepisset; sine censuræ tamen honore, censum populi Rom. longo intervallo desitum, egit; & lustrum LXXII. fecit; adscito sibi collegâ, M. AGRIPPA.

Senatum quoque, ut non asperè, ita severè legit, eorumque numerum (erant suprà mille, & in his improbi complures, qui post cædem Cæsaris, per gratiam & præmium, in eum ordinem irrepserant;

rant;

rant: & ABORTIVI vulgò dicebantur; quòd vitiorum turpitudinem Senatoriâ dignitate, velut fuco velarent) ad modum, decusfque pristinum redegit. Moviisque Senatu cc. Equit. L. præ verecundiâ sponte suâ cessere. quibus ille nihilo minus insigne vestis Senatoriæ, sive lati clavi; aliaque Senatoribus publicè usitata permisit. cæteros. qui in culpâ hærerent; neque moniti ultrò cederent; è Senatu eiecit.

C. FVRNIVM, & C. CLVVIVM, quòd Consules designati, alijs locum occupantibus magistratum capessere, aut gerere non licuisset; inter Consulareis adlegit.

Et quùm quidam Equites, qui attrito bellis civilibus patrimonio, censu equestri ornamentisque excid rant; metu pœnæ theatralis,ex lege ROSCIA, in quattuordecim, Ludos spectare non auderent; censuit eâ lege non teneri; quibus ipsis, vel parentibus eorum, census Equester aliquando fuisset: & quibus locum ordinis eius, & usum annuli, retinere permisisset.

Quibusdam etiam, qui Senatoriæ originis essent; H.S. quadraginta (is sub Iul. Cæsare census Equester fuerat) supplevit;& publicum equum adsignavit: & ad Tribunatum plebeium, comitijs, & plebis suffragijs, viam patere voluit.

Quosdam præterea ex eodem ordine notavit; qui æs circumforaneum levioribus usuris mutuati, gravioribus fenerâssent.

Censum deinde populi, Cæsaris Dictatoris exemplo, vicatim, & per dominos Insularum, egit.

Quùmque, (ne plebs, frumentationis caussâ, à negotijs frequentiùs avocaretur) ter anno, tesseras quaternûm mensium distribuere constituisset; plebi menstruam, usuque receptam consuetudinem desideranti,concessit; ut sui quisque mensis tesseram à Præfecto annonæ acciperet.

Et quoniam isto censuræ tempore, proventuum angustia, ac proinde annonę difficultas erat; frumentum plebi gratis, aut certè viliore pretio, vel duplicatis etiam tesseris nummarijs, admetiri iussit.

Tabulas veterum ærarij debitorum, veluti pręcipuam calumniatorum & criminatorum materiam; concremavit.

Cavit pręterea edicto: *Ne quis Senator, nisi se conscio, extra Italiam proficisceretur.* ne quid ambitiosuli peregrè novatum rerum molirentur; aut ne ob Senatûs infrequentiam, sententię eorumdem in censendo desiderarentur.

Antonianæ factionis conscios; litteris, quas occupatis ANTONII scrinijs in potestate habuerat;ante lectionem, concrematis; perpetuo in posterum metu aut suspicione liberavit.

Publicanis, qui vectigalia nimium magno conduxissent; trientem mercedum remisit.

Ærarij inopiam, ut publica fides constaret; privatis & amicorum opibus sustinuit. auctorque fuit,ut cura Ærarij,à Quæstoribus Vrbanis,ad Prętores,Prætoriósve transiret.

SALVTIS AVGVRIVM.

Inde SALVTIS AVGVRIVM, (quod ex antiquis cæremonijs præcipuum, vel in oblivionem; vel ob bella continentia, per XXXII. annos,in religionem, an oblivionem! venerat) instauravit. Diem scilicet unum aliquem quot-annis observare soliti, in quo neque ad bellum isset exercitus; neque quisquam contra Romanos movisset, aut pugnâsset: tum eo die, ab ijs rebus puro, Augures, ex auspicio,Deos consulebant: *An fas esset pop. Rom. salutem à Dijs poscere!*

Sopitis itaque bellis, tam civilibus, quàm externis,talem diem CÆSAR, quatenus auspicia addiecerent; neque de cœlo obnuntiaretur; observate iussit. Idem autem Augurium POMPEII MAGNI triumpho, quod vitiosè captum esset; inutile fuerat atque impeditum.

Eodem Consulatu, ob singularia in remp. merita, magno populi Senatûsque consensu, PATRIS PATRIÆ cognomen accepit; à M. VALERIO collegâ ita consalutatus.

Tradunt quidam eodem anno novos colonos Carthagini à CÆSARE adscriptos esse; quod M. LEPIDVS, eorum, quos aliquot inde deduxerat, infrequentiâ,ius auspiciumque Colonię turbâsse videretur.

(Alij auctores sunt; nunc primùm Carthagini coloniam, ex lege CÆSARIS, ad III. M. civium deductam. Alij instauratam; quæ ante annos XVI. CÆSARIS DICTATORIS auspicijs, militaris colonia fuerat deducta.)

IVLIÆ quoque TRIBVI nomen, in gratiam IVLIÆ gentis datum; & ea inter XXXV. Tribus relata.

Multos etiam ex Consularibus,in Patricios adlegit; qui Interregem, Flamines maiores, aut Regem Sacrorum, aut Sodaleis Titios legere ritè possent: quos omneis ex gente plebeiâ creari, nefas esset.

3924.
Ab V.C.725.
Ab Act. pug.3.

Hoc anno, Imperatore CÆSARE, VI. & M. AGRIPPA, iterùm Coss. Rep. pacis artibus & legibus firmatâ; comitijs amussiq. magistratibus, & quâdam imperitandi vicissitudine,populo restitutis, versare animo cœperat CÆSAR: 26.

PRÆCLARA DE IMPERIO RETINENDO, AN DIMITTENDO, CONSVLTATIO.

Imperiúmne, quod in manibus habebat, retineret, sub nomine principis,pro Rep. salutarium; An verò Reip. redderet, honestius atque utilius.

Convocatis itaque in consilium,amicorum fidissimis, AGRIPPA & MECÆNATE; Quùm ille *reddendâ sibi,suaq. libertati aliquando remp. sed interea,* dum eadem optimè constituta esset, imperium, quod possideret ipse, *benignitate & clementiâ temperandum: & militum iniuriam acriore disciplinâ coercendam esse; suaderet.*

Hic contrà: *Remp. numquam, aut plebeia tyrannidi, aut popularium factioni propinandam esse censebat.*

Et salubrius constantiusque publicum statum esse habiturum; si principatus ita legibus firmaretur, ut ius omne earumdem legum & magistratuum; belli ac pacis, atque adeò provocationis, in unius potestate esset. Isq, status, Dijs benignis, & armis, & bonorum votis quæsitus; armis quoque, ne qua vis ab ingratis civibus Imperatorem incautum opprimati ab eo defenderetur.

Hanc MECÆNATIS sententiam CÆSAR secutus, animum ad imperium lege, legumque moderatione firmandum, adiecit.

Quoque sibi plura potentiæ præsidia compararet; AGRIPPÆ MARCELLAM, OCTAVIÆ sororis suæ filiam, in matrimonium collocat; cumque eodem, ex maiorum instituto, fasceis communicat.

CENSVS POPVLI. CÆSAR PRINCEPS SENATVS.

Censu deinde, ex more, peracto, lustrum LXXII. conditum est. Quo censa sunt civium Romanorum capita, qui arma ferre possent, (ni mendum sit apud EVSEBIVM) quadragies centena, centum sexaginta quattuor millia. Quod vix, post tot prœliorum conflictus, & lanienas militum, credibile videri possit.

CÆSAR præterea, etsi *Censoria potestatis* esset, Princeps tamen Senatûs à Collegâ lectus est, neque id supra civilem modestiam; quod eiusdem rei, & lectionis exempla exstarent. Lustro XLVI. & L. in SCIPIONE AFRICANO, & M. LEPIDO, qui à collegis ita lecti fuerant.

CÆSAR, EX OMNIVM VOLVNTATE ET VOTO IMPERIVM SOLVS continuat.

CÆSAR, omnium ordinum voluntatibus variè sibi conciliatis; & Senatoribus, quorum operam fidemque spectatam haberet, priùs instructis, atque ad aliorum animos permovendos præparatis; Senatu frequentissimo, & oratione ad tempus accommodatâ, variè de magnitudine imperij, & de suâ modestiâ locutus: *Solam Deorum mentem tanta molis capacem esse, Se, qui per aliquot annos eius procurationem sustinuisset, experiundo didicisse; Quàm sit arduum onus; quamq, fortuna obnoxius, multorumq, insidijs opportunum Principatus.*

Petere; ut in civitate, tot illustribus viris florente: *Ne ad unius curam omnia referrentur. plures faciliùs munia reip. sociatis laboribus, expleturos.*

Se proinde, *quod felix faustumq, sit*; vindicatâ iam omnium libertate; *Remp. Senatui populoq, Romano reddere.*

His à Cæsare peroratis, varius in Senatu animorum motus fuit: quùm plerisque eius oratio *plus dignitatis*, quàm *fidei* habere visa esset. Et saniores quique, *Remp. plurium potestati, arbitrioq, temerè non esse committendam*, iudicarent. Et maxima pars, tam qui eiusdem favore, opibus honoribusque florerent; tam qui ex rebus novis aucti essent; *tuta & præsentia, periculosis & veteribus ante-ferenda censebant.*

Nonnulli & metu, ne si à cæteris dissentirent, offenderent; pedibus in aliorum sententiam ibant.

Omnes itaque fortuito magis adsensu, quàm communi consilio, ad preces conversi, obtestantur: *ut Imperij eius, cuius tam felicia prosperaq, iecisset fundamenta; caput, auctorq, esse perseveraret.*

SATELLITIVM CÆSARIS, ET DECENNALE IMPERIVM. Provinciarum inter CÆSAREM, & populum Romanum, distributio.

Ac statim ex S. C. Satellitibus eius, stipendium duplicatum. Exauctoratâque Calagurritanorum, quorum operâ & fide diu ad corporis custodiam usus fuerat; cohorte: Germanos, qui in eâ corporum vastitate, minùs callidi aut maligni essent; ex Agrippæ sententiâ, ad idem præsidium delegit.

Et his initijs, Reip. constituendę, provinciarumque ordinandarum potestatem, in decennium accepit. Sic tamen ut continenti decenniorum successione perpetuò Imperium administrârit.

Et quùm solus Remp. constituendam suscepisset; alteram de provinciarum curatione partem, cum Senatu populoque ita comparavit; ut ex ijs paeatiores, ipsis tuendas relinqueret. Sibi verò, eas, quæ necdum satis ordinatæ; neque armis satis edomitæ erant, quæve exercitus haberent; administrandas depoposcerit.

Ita Senatui populoque. Africam, Numidiam, Cyrenen cum Cretâ, Bithyniam, Pontum, Græciam, Macedoniam, Epirum, Dalmatiam, Siciliam, Sardiniam, & Hispaniam Bœticam, concessit.

Sibi verò sumsit reliquam utramque Hispaniam, Lusitaniam, & Tarraconensem. Galliam universam, Narbonensem scilicet, Aquitanicam, Lugdunensem & Belgicam; eorumque colonias, & Germaniam. In Oriente verò, Cœle-Syriam, Phœniciam, Ciliciam, Cyprum & Ægyptum.

Ex ijs tamen posteà Cyprum, & Narbonensem, ut & alias alio tempore, provincias, acceptâ Dalmatiâ, cum populo permutavit.

Susceptis itaque ijs provincijs, ad quas administrandas exercitu opus esset, quasque annuis magistratuum imperijs regi nec facile, nec tutum esset; cæteras Proconsulibus sortitò permisit: suas autem per legatos, aut præfectos, sive præsides, administravit.

PRÆSIDVM PROVINCIALIVM CAVTIONES.

Et his quidem leges constituit, quibus inter cætera cautum erat: „ *Ne pecuniam, nisi ex suâ aut Senatûs auctoritate, imperarent.*

„ *Ne militum delectum agerent, aut exercitum conscriberent.*

„ *Neve provinciæ alicui bellum inferrent.*

„ *Ut successore dato, intra tertium mensem, relictâ provinciâ, ad urbem reverterentur.*

Procon-

Proconsulibus verò, ad mulos & vehicula, quæ publicè locari solebant; certam pecuniam constituit. Eamque legem restituit, quâ vetitum erat: *Ne quis Consularis aut Pratorius, nisi post quinquennium à gesto magistratu, in provinciam, (quam vel forte, vel comparatione obtinuisset) proficisceretur; quoad repetundarum convicti, multave pecuniamve, quanti essent damnati, socijs restituissent. Taliq́; iudicio condemnatos, honorum & ordinum iure privavit.*

Procuratoribus autem suis, *omne ius*, præterquam in serviria, & pecuniarum in provincijs suis collectionem; *adimebat.*

OPERA IN VRBE MAGNIFICA.

Et ut Vrbem quoque pro maiestate imperij exornaret; opera publica quædam partim ipse condidit: partim ab alijs priùs exstructa restituit.

In his TEMPLVM APOLLINIS, in Palatio; idque in eâ parte domûs Palatinæ, quæ fulmine icta fuerat. In eo Templo aureas coronas APOLLINI PALATINO dedicavit; conflatis in eum usum statuis argenteis, quæ ipsi passim positæ fuerant.

Addidit & Templo porticum, cum Bibliothecâ Græcâ & Latinâ; & sub basi APOLLINIS, libros Sibyllinos recondidit.

Mausoléum quoque, inter viam Flaminiam, ripamque Tiberis, ex lapide candidissimo, cum viridario, exstruxit.

Agon Actiacus institutus Kal. Augusti. qui quinto quoque anno, instar Olympiadum, celebraretur; posterioribus etiam sęculis in usu fuisse videtur, ad an. usque CHRISTI nati CDXXXIX.

TVRBA IN HERODIS REGIA.
MARIAMMES ET ALEXANDRÆ INTERitus. Regis ex desiderio morbus; & sævities.

HERODES intereà, anno ferè toto post reditum à CÆSARE, domesticâ seditione, an suspicione ob implacabilis sororis suæ, matrisque, cum MARIAMME uxore, dispar in ijs genus sæpiculè exprobrante, simultates, exagitatus; tandem in apertum odium erupit.

Ipse quidem legitimo, sed nimium quantum immoderato, coniugis amore flagrabat. Ea verò, mulier ut pudica, & fidei tenax, ita morosa; obnoxij mariti patientiæ nonnumquam improbiùs illudebat; & quàm regem oporteret, contumeliosiùs habebat. Neque modò concubitum rogata abnuebat; sed patris insuper fratrisque sui necem, ceu probrum, obijciebat.

Quo iniuriæ & doloris sensu quùm fratrem commotiorem SALOME sensisset; famulom à poculis subornat, qui se à MARIAMNE fingeret largitione sollicitatum; ut ei in miscendo regi amatorio poculo operam commodaret.

Eo audito, HERODES magis etiam exasperatus, Eunuchū MARIAMNES, quem fidissimum heræ & consiliorum omnium conscium putaret; quęstioni & tormentis subiecit.

Qui cruciatuum impatiens, ad quæsita nihil quidem respondit; sed hoc tantùm prodidit: *Mulierem graviter esse offensam, ob ea, quæ SOHÆMVS nuper ipsi aperuisset.*

Hic rex confestim exclamaus; SOHÆMVM, & sibi antehàc, & regno fidissimum, ea quæ in mandatis habebat; non temerè fuisse proditurum; nisi quid occultioris commercij inter ipsos intercessisset. SOHÆMVM extemplò comprehensum interfici imperavit.

Vxore autem caussam suam agere iussâ, & advocatâ intimorum concione; delatum ad se veneficij crimen, tam accuratè, & suprà iudicij decorum, iracundè, intentare adorsus est; ut quùm ita velle videretur; omnium, qui aderant, suffragijs rea statim ea sit condemnata. sic tamen, ut supplicio minimè præcipitato, in aliquem regiæ carcerem concluderetur.

At SALOME, cum suâ factione, quę vivâ illâ motum in populo cóoriturum, aut certè formidandum esse ingeminaret; regem perpulit: ut sine morâ ream ad supplicium rapi iuberet.

Id conspicata ALEXANDRA, quæ parem sibi exitum ab HERODE exspectandum præciperet; pristinam illam animi ferociam indecorâ adsentatione mutavit. Vtque se eiusdem criminis culpâ & conscientiâ liberaret; filiam indignis convicijs incessere cæpit. *Scelestam, & erga virum ingratam, taliq́; exitu dignam*, clamitans: & tantum-non in miserę capillos involatura. Adeò ut, quùm cæteri ineptam eius simulationem meritò damnarent; tum ipsa rea, & obstinato ad intemperias eius silentio; & intrepido ad casum præsentem animo, satis arguebat.

Eâ peremtâ, rex, qui non vulgari coniugum more amâsset; sed penè ad insaniam usque ei cupidini indulsisset; impotentiùs etiam tum flagrare cępit; & irato DEO, sibi visus MARIAMNEN necâsse.

Eumque dolorem, nec exquisitis oblectamentis; neque conviviorum adparatibus, aut compotationibus levare; aut mortuæ desiderium lenire poterat.

Quùmque lues pestilis, subitò exorta, maiorē plebis & optimatium partem sustulisset; omnesque eam plagam, ob iniustum reginæ supplicium, ab irato DEO immissam interpretarentur: aucta adeò in rege ægritudo est; ut omisâ quasi regni curâ in solitudines sese abderet; ibique ex sui adflictatione, in gravem morbum, & mentis denique impotentiam incideret.

Quâ occasione dum ALEXANDRA, quæ Hierosolymis tum degebat, arceis, unam Templo adiacentem; alteram in urbe sitam; in suam potestatem redigere conatur, & Præfectos tentat; ut sibi, suisque nepotibus, HERODIS ex MARIAMNE liberis, earum custodiam tradant: rex eâ de re, per fidos Præfectos certior factus, socrum sine ullâ morâ interfici iussit.

Superatoque tandem morbo, & adfectis inde corporis animique viribus, ita efferatus est; ut quâvis ex caussâ sæviret: & in quamdam naturæ immanitatem degeneraret: & ne ab intimis quidem amicis sanguinarias manus abstineret.

3925. Ab V. C. 726. Ab Aċt. pug. 4. | CÆSARE iam VII. & M. AGRIPPA III. Coss. | 25.

CÆSAR NON ROMVLVS, SED AVGVSTVS DICTVS.

Quùm quidam in Senatu censerent; CÆSAREM, propter patriam à se conservatam, quasi alterum Vrbis conditorem, ROMVLVM appellandum. & ipse Cæsar eam appellationem defugeret; quòd cum regij nominis invidiâ & offensione videretur esse coniuncta: obtinuit MVNATII PLANCI sententia; ut novo & amplissimo cognomine, AVGVSTVS diceretur.

AVGVSTI VOCIS ETYMON.

(Quasi homine maior. quòd omnia, quæ maximo honore digna, ac sacra sunt, Augusta appellentur, in quibus auguratò aliquid consecratur. Vel ab augendo; vel avium gestu gustuve. Sive, quòd remp. auxisset, ei fides, reverentia, & pietas, ab omnibus bonis, tamquam PATRI PATRIÆ, deberentur.)

Id alij Idib. Ianuar. Alij triduo pòst, agitatum tradidêre.

CÆSAR REMP. NOVIS LEGIBVS, CONSTITVIT. IVDICIA CORRIGIT. Vrbem Italiámque exornat.

AVGVSTVS, quò tanti nominis decus personamque tueretur; neve quem novi status pœniteret: leges antiquas quidem utiliter emendavit; novas verò salubriter condidit. Comitiorum ius pristinum, populo: Senatui auctoritatem: Iudicum decurijs, dignitatem restituit.

In legibus retractandis Concilium sibi ex Senatoribus, & præcipuè Consularibus, sortiebatur. ut populus Romanus eas leges haberet, non quas ipse solus pro suo arbitrio sanxisset; sed quas eorum, quos in partem adsciverat, consensus adprobâsset.

Inde ad Comitia, quæ vi, ambitu, pecuniâ, turpiter corrumpi solebant: corrigenda; conversus: populo plebique ius creandorum magistratuum, per suffragia, restituit.

Candidatorum nomina, ut ambitum coërceret, recipi vetuit; præterquam eorum qui magnam pecuniæ vim pignori dedissent, quâ ambitûs convicti multarentur. Adiecta ignominiæ nota; ut tali iudicio condemnati, ab omni honorum iure per quinquennium arcerentur.

Magistratibus imperia reliquit: sed ea ut in Vrbe tantùm exercerent, permisit. Ei adlectis in Senatorium numerum sexcentis, iisque selectissimis: ordini amplissimo, cuius ipse princeps esset, splendorem auctoritatemque pristinam redhibuit.

Ad hæc, ut ærarium, atque omnia populi Romani vectigalia, in Senatûs potestate essent; sumtusque publici ex eiusdem arbitrio fierent. utque de proditione, coniuratione, maiestate, & insidijs, cognitionem, haberent, constituit.

Iudicum quoque decurias recognovit: & quùm ex lege ANTONIA, Senatores, Equites, Centuriones, iudicandi potestatem haberent, & ex ijs decuriæ Iudicum tres legerentur; ipse quartam adiecit, quam ducenariorum appellavit: quæ de summis pecuniarum levioribus iudicaret. Quæ quidem decuria, ex inferiore censu adlecta videtur; qui cum Equestri collatus, eiusdem dimidius esset.

Itidem constituit, ut X. Viri litibus iudicandis, Hastam, sive Concilium centum-virale cogerent; quàm Quæstorij priùs cogere consueverant.

Ne quod autem facinus aut flagitium, aut aliud negotium, impunitate vel procrastinatione, elaberetur; xxx. dies, qui ob honorarios ludos feriati erant, cognitioni, agendisque caussis attribuit.

Inter opera publica, quorum curationem, magnâ cum Vrbis utilitate susceperat; ad prohibendas Tiberis exundationes, ædificijs agrisque infestas; alveum eiusdem ruderibus impeditum, ædiumque ruinis artiorem, repurgavit, & laxavit.

Flaminiam viam, quâ exercitus ducendus esset; ipsaque urbs faciliùs adiretur: per CCXXXII. millia, Ariminum usque, instauravit. Reliquas Triumphalibus Viris, ex pecuniâ manubiali, sternendas, muniendasque distribuit.

PRÆFECTVS VRBIS.

Ipse in Galliam profecturus, MESSALLAM CORVINVM Vrbi Italiæque Præfectum creavit. Quumque is, intra sextum diem, eo se honore abdicasset; M. AGRIPPAM in eius locum subrogavit. qui octavo demùm pòst anno, STATILIVM TAVRVM, eo in magistratu, successorem habuit.

CÆSAR NOVAS EXPEDITIONES SVSCIPIT. BRITANNIA VLtrò vectigalis.

Rebus ita in Vrbe & Italiâ compositis, quia Britaniam intestinis seditionibus turbatam, & Hispaniam citeriorem in armis esse; & Galliam malè quietam ad res novas solicitari, nuntiatum erat: IANI portas iterùm aperuit: votisque in Capitolio nuncupatis, Viâ Flaminiâ cum exercitu profectus est.

Britanniam IVLIVS CÆSAR aliquot ante annis cum copijs & classe ingressus, quamquam prosperâ satis pugnâ, litore potitus, incolas terruisset, & obsides dare coëgisset; eamdem tamen posteris ostendisse tantùm, non tradidisse visus est.

Mox per bella civilia, conversis in temp. princi-

pum Roman. armis; longa Britannorum oblivio fuerat. Dum in præsens verò pacem illi per legatos, qui Arimini occurrerant, ultrò peterent; consultiùs AVGVSTO visum, bello non esse lacessendos. itaque in fidem per legatos recepti, & vectigales facti sunt.

Ipse in Galliam Narbonensem, ut Hispaniæ tumultuanti exercitum propiùs admoveret, iter convertit. conventuque Narbonæ indicto, trium Galliarum censum tali formulâ egit; ut singuli nomen fundi sui, cum attributis, profiterentur; omniaque ipsi, qui referrent, æstimarent.

GALLIA QVADRIPARTITA.
VECTIGAL VNIVERSE IMPOSITVM.

Gallias autem ipsas, ob diuturnos bellorum civilium motus, nondum satis compositas; pacatis inter se populis, eorumque ordinibus; datisque legibus, ordinavit. & in IV. parteis suis quamque fluminibus distinctas, divisit.

Narbonensem, quæ à Varo flumine ad Pyrenæos monteis protenderetur: Aquitaniam, quæ inde ad Garumnam usque: & Lugdunensem, quæ ad Sequanam: inde Belgicam, quæ Rheno terminatur. Vniversæ verò Galliæ vectigal H. S. quater millies imperavit.

Inde in Hispaniam, superato Pyrenæo, profectus est, Tarracone hibernaturus; quam coloniam, in sinu maris Balearici, SCIPIONES olim condiderant.

MESSALLÆ TRIVMPHVS.

Sub idem tempus, M. VALERIVS MESSALLA CORVINVS ex Galliâ triumphâsse traditur. Is Salassos, aliosque, qui cum eis res novas moliti fuerant; iamrum ANTONIO & LIBONE Coss. quùm CÆSAR Imper. bellum Dalmaticum gerebat, bello vicerat.

TIBVLLVS Poët. ab eo Aquitanos, Tarbellos ad Pyrenen, & Santonas, Carnotos, ad Ligerim usque debellatos, cecinit Eleg. VII.

3926. Ab V. C. 727. Ab Act. pug. 5.	CÆSAR, Tarracone, VIII. Consulatum, cum T. STATILIO TAVRO II. inijt.	24.

Hic TAVRVS anno DCCVI. in parte anni primùm Cos. fuerat. Eiusque abneptis STATILIA MESSALLINA posteà NERONI Imper. nupsit.

BELLVM CANTABRICVM. PVGNA AD SIGESANAM.

In Hispaniâ, multo mutuoque sanguine, per annos pænè CC. à Romanis certatum fuerat: totaque in treis provincias divisa possidebatur.

Cantabri tamen & Astures, qui Oceani, ad Septētrionem vergētis, littora; & editissimos eius regionis monteis, incolebant, non modò imperata non faciebant; sed socios etiam pop. Rom. minis, terrore, & vastitate, ad defectionem solicitabant. Nec suâ libertate contenti, etiam ad alienam oppugnandam armis grassabantur. magnâque manu Vaccæos, Autrigonasque crebris incursionibus infestabant.

Quùm itaque legati à Vaccæis Tarraconem ad AVGVSTVM venissent, de Cantabrorum iniurijs conquestum; qui parentibus, uti in pace, portis, ex-improviso Segesamam oppidum primo impetu occupâssent: & oppidanos, cum coniugibus ac liberis, in arcem confugere coëgissent. ubi clausi, & fame inediâque pressi, externa quæque, nisi tempestivè succurratur; exspectarent. CÆSAR, legatis bono animo esse iussis, & præmissis, qui Vaccæis præsidio essent; alijsque quinque millibus, qui hostem distinerent. Ipse composito agmine, itineri non magis, quàm prœlio intentus, decimis castris Sigesamam venit.

Postquam oppidani, per aversam portam, Cæsarianos intrà arcem recepissent; Cantabri utrimque urguentur. Et dum simul, nec impetum ex arce & superiore loco decurrentium sustinere; nec Romanos, qui urbem coronâ circumdederant, in mœnia iam subeunteis, & claustra obicesque portarum, molienteis; arcere valent: Romani undique in oppidum irrupére. Atque ita Cantabri, hostibus, à fronte, & à tergo instantibus; neque viâ ad fugam patente; ad unum omnes, non impunè tamen, in medio cæsi.

COLONIA IVLIA. CANTABRI TANDEM DOMITI TRIPERTITO EXERCITV.

Receptâ ex hostibus Sigesamâ, quòd ciuitas ea opportuno alioqui loco sita, ab civium infrequentiâ non satis coleretur; ex Veteranis, II. colonorum millia, AVGVSTVS eò deduxit; agrosque ijs è publico adsignavit: & urbem, cognomine IVLIAM, Cluniensium conventui, cum Italico iure, adscripsit.

Inde tripartito exercitu, per legatos C. FVRNIVM, T. & P. CARISIOS, totam complexus Cantabriam, gentem ad omnia contumacem, per annos IV. fractam, V. demum anno, per AGRIPPAM, edomuit.

Tanta locorum asperitas, & corporum in incolis ad omnia audentia, contra Romanum, armis gravem, & planis locis adsuetum, agilitas. Ipsa regio inops, quæ parcimoniâ milites adstringeret; & exiguàm prædæ spem præberet.

Hic CÆSAR varijs curis anxius, animique dubius, quùm per Vasconum magistratus, qui tum fortè aderant, de naturâ & situ locorum montiumque, qui tunc Cantabrorum insidijs occupabantur, edoctus esset; classem, quam ad Sinum Aquitanicum in statione habebat, expediri iubet.

Peditum expeditorum X. millia P. CARISIO, & TIBERIO NERONI, privigno suo, tradit: mandatque, ut ijs copijs in naveis impositis, Cantabrorum littora confestim petant; atque inde, quà duces

duces viam monstrafsint, irent.

His copijs ita dimissis, AVGVSTVS ex adversùm instare, & lacessere Cantabros, & velut indagine concludere instituit. Relictóque ad eius rei curationem T. CARISIO; C. FVRNIVM cum parte exercitûs, per Auttigonas, ad Vellicam, Cantabrorum opidum, ducere iubet. sic ut per obliqua montium ad hostem deflecteret; seséque in planitie aliquâ, contineret, dum copias cum P. CARISIO coniungere posset.

FVRNIVS itaque, per montis Vindij saltum, ad hostem pergit. Cæterùm, qui præmissi ab eo fuerant, confecto ægrè, per biduum, locis constagosis itinere; ad Camarigam (al. Camaricam) castra posuére: & septimis demùm castris, ad Iberi fluminis fonteis, (loco Iuliobrigæ numen erat) progressi, proximè ad hostem pervenére, & opportuno ad omnia loco consedére.

FVRNIVS, cui rei eius nuntius, ad Nervæ fluminis fonteis, occurrerat; suos per summam itineris difficultatem adsecutus; coniunctis tandem copijs in tumulo acclivi, quem sui præmissi occupárant, castra locat.

Inde patente in omnem partem prospectu, non hostium modò sedes, quæ paullò plus II. millibus aberat; sed & omnis ad Vellicam, & Cantabricum Oceanum, scopulosque Vardulorum, regio, oculis subijciebatur.

Inter hæc, P. CARISIVS & TIBERIVS oram Cantabriæ legebant: exscensioneque ad ostia Nervæ factâ, primò agros vastant: mox hosteis procurrenteis, secundis aliquot prœlijs fusos, in monteis compulérunt. Ita omnis hostium multitudo, unâ eâdemque nocte, locis campestribus & castellis desertis, in Vellicam opidum, vicinosque saltus dilapsa est.

Vellica, prædonum receptaculum; quòd in tumulo excelso sita esset, nec scalis, nec operibus capi poterat. Dum tandem illis, ex frequenti certaminum usu, egredi, & in opidum se recipere adsuetis, Romani fugientibus permisti, facto in portam impetu, simul irruerent.

TIBERIVS, urbe potitus, de prædonibus supplicium sumit: cæteri sub coronâ venditi: & opidum militi diripiendum cessit.

Intereà C. FVRNIVS, superatis faucibus, deiectóque inde barbarorum præsidio, Satyrorum colleis occupárat. Monetur is à TIBERIO, Vellicâ iam captâ; hostium ut castris à tergo, & à lateribus, insultet, eosque acriter urgeat: dum CARISIVS, parte aliâ, Cantabros, qui iuga saltúsque insederant; ad opem suis ferendam, eliceret. Eâ fini Vellicam incendere; ignémque vicis passim inijcere; & latè omnia flammâ ferróque vastare iubet.

Cantabri, ad fumi conspectum, & promiscuos mulierum puerorumque, ad castra usque, ex incendio & vastitate, obrepentium, eiulatus; dum sine consilio, & sine imperio, velut cæci furentésque, ad sua tuenda decurrunt; in Romanorum præsidia, idoneis passim locis collocata, delapsi; & pars magna cæsi sunt. Alij in præcipitia; alij super alios ruentes obtriti. Deleri omnes poterant; nisi equitem, angustiæ locorum; pedites armorum gravitas, impedijsset.

Cantabri ea clade dispersi, cum liberis, coniugibus & necessarijs, in Vindium montem, eius regionis editissimum; se recipiunt: ubi vel confidenter, solo tædio hostem fatigarent.

Romanis, quibus loca tam iniqua superare arduum aut periculosū videretur; placuit: subiectos tumulos fossâ loricâque, per IV. pass. millia, circumdare: & ipsos tumulorum vertices, præsidijs castellisque munire: & hostem à fame rerumque inopiâ brevi laboraturum, circumsedendo ad deditionem cogere.

Quūque diu ea gentis durissima obsidio tenuisset; tandem victa pertinacia est. postquam siti faméque enecti, eò tandem necessitatis & inopiæ prolapsi essent; ut filij parentes; matres, liberos suos; iuniores & validi, senes imbelleis, trucidarent; eorumque corporibus famem tolerarent.

Huc accessit ipsorum inter se discordia. his deditionem; alijs mortem & mutuos inter se ictus, parantibus. Erant & qui vim ad eruptionem; pars clementiàm Romanorum experiundam, censerent.

ASTVRES CANTABRIS AVXILIARES ET SOCII; CADVNT PLERIQVE, AVT SE dedunt. Gentis etiam captivæ obstinatio.

Inter has contentiones, Asturum X. millia, à Cantabris, quibus cum illi se coniunxerant; cum liberis atque uxoribus eijciuntur. Qui quùm ad Romanorum munitiones accedentes, flentesque orarent: *Vt se, in servitutem receptos cibo iuvarent*; TIBERIVS, dispositis in vallo custodibus, eos recipi prohibebat. ut eorum vitâ cæterorum vitam oppugnaret; sedendoque bellum conficeret.

Postremò non cibo solùm, sed spe etiam defecti; pars maxima utriusque sexûs, & imbellis; ne quid inviti ulteriùs paterentur, sumto, quod ex herbâ quâdam, apio persimili, miscuerant, pharmaco; mortem præoccupant. Iuventus verò ferro inter se concurrens, mutuis cædibus concidit. Reliqui, ad III. & XX. mill. miserabili & fœdo agmine, e montium iugis delapsi, arbitrio se Romanorum permisére.

Ex ijs selectissimum quemque CARISIVS & FVRNIVS, ad X. M. secernunt; ijsdem, in bello, quod contra Astures parabatur, usuri. cæteri sub coronâ duris conditionibus venumdati.

Vellicenses urbem instaurare permissi; sed arma omnibus adempta. Quam rem usque adeò ægrè & molestè tulérunt; ut multi mortem sibi ipsi conscisceret: *Nullam, sine armis, vitam esse rati.*

Memorant, puerulum quemdam, parenteis ac fratres captivos, vinculisque adstrictos, patre ipso iubente, gladio universos confecisse. Et mulierem quamdam pariter captivos, necessitudine sibi iunctos, trucidâsse. Et prædonum plerosque, quùm in crucem agerentur; cantu etiam & carminibus animi præsentiam, atque adeò alacritatem, in morte testatos.

Dum hęc in Cantabriâ aguntur, AVGVSTVS, valetudinis curandæ caussâ, Tarraconem profectus; dum noctu, ut æstum vitaret, iter facit; fulgur fortè lecticam eius perstringens, servum cum face prælucen-

prælucentem, exanimavit. Ipse eo periculo liberatus, Ædem Iovi TONANTI vovit.

CALAGVRITANI PRÆMIIS DONATI. NOVÆ IN HISPANIA COLONIÆ.

Ibi & Calaguritanorum cohortem, quàm Romæ anno superiore exauctoraverat; quorumque fideli operâ diu ad corporis custodiam usus fuerat; missione & præmijs donavit: opidumque ipsorum, municipium, Calaguritanum, cum iure militandi in legionibus Romanis, constituit.

Deinde Cæsaréam Augustam, coloniam liberam in Edetanis, ad Iberi fluminis ripam, ex veteranis deduci; atque unum ex VII. citerioris Hispaniæ Conventibus esse iussit.

Neque procul inde Celsam, civium Romm. coloniam collocavit; & incolas Conventui Cæsaraugustano adscripsit. Easque duas colonias Celtibericis tumultibus opposuit: & flumen Iberum ponte lapideo stravit.

INDI ET SCYTHÆ SOCIETATEM EXPETVNT.

Memorant quidam, Seres, Indiæ populos, solo anteà nomine cognitos, legatos cum muneribus misisse: eosque post quadriennium demùm, ab extremo Oriente, in ultimum Occidentem, Tarraconem ad AVGVSTVM pervenisse, qui amicitiam ipsius, populique Romani peterent. Idem & Scythas, barbaram gentem, fecisse. Quo tempore & POLEMON, rex Ponti, socius amicusque populi Rom. appellatus est.

CORNEL. GALL. CASVS, ET EXITVS.

Romæ, sub id tempus, CORNELIVS GALLVS (quem, uti insignem poëtam, sibi à MECÆNATE & VIRGILIO commendatum; AVGVSTVS, ex infimâ fortunâ, ad Ægypti præfecturam evexerat) à contubernali suo, VALERIO LARGO, in Senatu accusatus est: *Multa proterve in suâ provinciâ designasse: acta sua pyramidibus inscripsisse; & aliquot sibi statuas posuisse: ipsum CÆSAREM, maledictis & contumelijs lacerâsse.* Eoque nomine AVGVSTVS ei domo, & provincijs suis interdixerat.

Ipse itáque, quùm partim CÆSARIS indignationem veritus; partim supplicij metu, (quòd, inter cętera, adfectati regni accusatus erat) sibi ipse manus intulisset: fertur AVGVSTVS ob eius casum illacrymâsse; & vicem suam conquestus; *Quòd sibi soli non liceret, amicis, quatenus vellet, irasci.* Et GALLO P. PETRONIVM TVRPILIANVM, ex Equestri ordine, successorem dedit.

INCENDIIS IN VRBE OBVIAM ITVM.

Ædilibus tum quoque mandatum; *Caverent ne incendia existerent in Vrbe.* Si fierent, attributis è publico co. servis, ea confestim extinguenda curarent.

Idque ob M. EGNATIVM RVFVM, hominem flagitiosum. qui quòd in Ædilitate pleb. incendia, privatæ familiæ ministerio, extinxisset; populari aurâ præturam adeptus, animum ad Consulatûs etiam spem attollebat: & ipsum AVGVSTVM insectari iam audebat. Sed hic se ipse publicâ auctoritate, ut infanabilis, postmodò evertit.

HERODES autem ab excessu MARIAMMES & ALEXANDRÆ furorem suum perseverans, in amicos, quos intimâ necessitudine coniunctos habuerat; ex levi occasione desævijt.

COSTOBARI IN HERODEM CONATVS, ET CONSPIRATIO.

Erat COSTOBARVS, inter Idumæorum primates haud infimus; ijs natus maioribus, penes quos olim COZÆ, patrij numinis, sacerdotium fuerat: quod ab eâ gente religiosè coli solitum antè, quàm HYRCANO principe, in Iudaicos ritus abijsset.

Illum HERODES, regni iam potens, Idumæę Gazęque præfecit, traditâ in matrimonium SALOME sorore, cuius priorem maritum IOSEPHVM interfecerat. Ipse eâ felicitate inflatus, & insolentior, regis imperata iam detrectare: & indignum arbitrari, Idumęos ijs servire hominibus, quorum sacra religionemque accepissent.

Et missis ad CLEOPATRAM, tum superstitem, legatis, docere Idumæam, maioribus Reginę, semper paruisse. eamdem ut regionem ab ANTONIO sibi ipsa impetraret; cui & ipse, & cæteri Idumæi, obsequi sint parati.

Hæc ille; non tam CLEOPATRÆ studiosus, quàm ut accisis Herodis opibus, rerum apud Idumæos potiretur: cui cupiditati, & generis claritas, & pecuniarum, quo iure quâque iniuriâ partarum, copia, suffragabatur.

Cæterùm, quùm id CLEOPATRA ab ANTONIO impetrare non potuisset; HERODES, re cognitâ, Costobarum erat interfecturus; nisi mater & soror pro eo intercessissent. Sed orto deinde inter coniuges dissidio; SALOME marito libellum repudij, inauditâ licentiâ, remisit: & fraternam quidem benivolentiam coniugali federi se prętulisse; & maritum, ad res novas moliendum, cum LYSIMACHO, ANTIGONO, & DOSITHEO, conspirâsse, propalam iactabat.

BABÆ LIBERI DETECTI, ET INTERFECTI.

Eique rei fidem ex BABÆ liberis adstruebat: quos ille, clam rege, per annos XII. incolumeis servâsset. De quibus, quòd suis conatibus semper adversati essent, è medio tollendis, ipse pridem cogitârat.

Res ea, cuius memoriam depsuetat, præter opinionem audita, vehementer HERODIS animum perculit. qui commeminisset, eo tempore, quo regnante adhuc ANTIGONO Hierosolyma obsidebat; & populus, maiorem certè partem; rebus tum angustis, & difficultatibus fessus, in ipsum, animis inclinabat; illos BABÆ liberos, auctoritate opibusque pollenteis, & ANTIGONO fidos, maximoperè,

quo

quo minus intra mœnia tunc victor acciperetur; obstitisse.

Acciderat autem, ut captâ tum urbe. COSTOBARVS portarum custodiæ, ne quis ex adversâ factione elaberetur; destinatus: eosdem BABÆ liberos, (quos imagnâ in vulgum grâtiâ valere sciret; & mutato alquando rerum statu, suis fortè conatibus ex usu fore opinaretur) è præsenti clade subtractos, in suis agris clanculū & liberaliter haberet. Et non modò tum ille regem suspiciosum, periurio fefellit; sed ne quidem quæstione postmodò institutâ, & propositis indici præmijs, ut latitanteis proderet; in animum induxit.

Postquàm verò rex, sororis indicio, id factum comperisset; missis qui latebras scrutarentur; & illos, & omneis eiusdem criminis participes, interfecit. Et exstinctâ universè ANTIGONI cognatione; ijsque, qui dignitate excellebant, è medio sublatis; pro arbitratu, & impunè omnia gerere instituit. Hinc ea sunt consecuta, quæ & magnam reip. cladem, & Iudaicæ religioni labem intulerunt.

REX IN GENTILEIS RITVS DEGENERAT: HINC NOVA CONSPIRATIO.

Rex ipse in dies magis magisque à patrijs ritibus discedere; & sacrosancta veterum instituta peregrinis studijs corrumpere.

Athletica certamina & spectacula, à Iudæorum moribus abhorrentia, exstructo Hierosolymis Theatro, & in campis Amphitheatro; in honorem CÆSARIS AVGVSTI, quinto quoque anno, instituta.

Magnis præmijs evocat Athletæ, Musici, Thymelici, equorum curruumque agitatores. Theatrum undequaque titulis CÆSARIS, & devictarum ab eo gentium Tropæis, auro argentoque collucentibus, exornatum. Choragiorum vestiumque scenicarum, ac gemmarum adparatus exquisitus. Leones, aliæque feræ cum damnatis commissæ.

Cuiusmodi rerum spectaculis, cum peregrini, oblectarentur; tum Iudæi ea omnia in patriæ disciplinæ exitium vergere iudicabant.

Quûmque nihil ęgrius indigniusq́ oculis usurparent, quàm Tropæa; quæ contectas esse imagines, tem legibus interdictam, putarent: & uno ore exclamare cæpissent: *Vt cætera ferre oporteat; se tamen* (quod nefas sit) *humanas imagines*, hoc est, Tropæa, *in Vrbem introferri non esse toleraturos*: Rex accitis ad se & in theatrum adductis ex illo numero præcipuis; adscititium ornatum Tropæis detraxit; & nudos truncosque stipites ostentavit.

Eo facto, quûm in risum vertisset indignatio, & tumultus in plebe sedatus esset; multi nihilo minus externos mores abominati, sui muneris esse putarunt: labanti ita publicæ disciplinæ, vel capitis sui periculo, obviàm ire. Neque pati HERODEM, pro lege, hostem agere; aut præter receptos ritus, quidquam novum inducere.

Ex ijs decem cives conspirant; & Cæco quodam duce animantur; ut tectis sub veste sicis in theatrum ingressi, regem cum aulicis & stipatoribus obtruncent. vel, quod mortis sibi solatium foret; illum in publicam violatæ religionis invidiam adducant.

Rex per indices eâ de re edoctus; neque è regiâ egressus; quûm nominatim coniuratos ad se arcessijsset; & illi intrepido vultu, & sicis palam ostentatis, pium, ut rebantur, facinus confessi essent; per omneis cruciatus extemplò necari iussi sunt.

Neque ita multo-pòst, quûm eorumdem delator, omnibus invisus, palam interfectus; & frustatim à furenti plebe concisus, canibusque obiectus, fuisset; & auctores vicissim eius cædis, cum totis familijs plexi: plebes nihilo minus, ni vi maiore cohiberetur; leges armis defendere obstinârat.

SAMARIA, SEBASTE DICTA, ET INSTAVRATA: ALIÆQVE ARCES CONDITÆ.

HERODES verò, ne istâ fortè rerum novitate Iudæi rebellarent; quantumvis arces duas, benè munitas, in urbe haberet; unam in ipsâ regiâ; alteram Templo propinquam, ANTONIAM cognomento; de tertiâ, loco opportuniore ædificandâ, tamtum consilia agitabat.

Et ad Samariam, quæ unius diei itinere ab Hierosolymis distat; (cen frenum, non modò compescendis Vrbanorum tumultibus, sed toti etiam viciniæ in officio fideque continendæ, accommodum) magnis & novis munimentis firmandam, se convertit; & SEBASTEN, hoc est, AVGVSTAM appellavit; quæ circuitu suo XX. stadia complecteretur.

In cuius meditullio Fanum sesquistadij amplitudine esse voluit: loci firmitate pro arce usus. & Templi ornatissimi pulcritudinem, ceu quoddam suæ magnificentię, ac liberalitatis monumentum, posteris relicturus.

Annis deinde consecutis, in maritimo tractu Turrim Stratonis, quam CÆSAREAM appellari maluit: & in Magno, quem vocant, Campo, delectis ad id forte equitibus, castellum condidit. In Galilæâ, Gabalam; & in Piræo Esthmonitim.

Quibus arcibus, ad regni tutelam opportunè dispositis: vulgo, levibus ex caussis plerumque mobili, tumultuandi audendique materiam adimere visus est.

3927. Ab V.C. 728. Ab Act. pug. 6. | *AVGVSTVS iterùm, Tarracone, IX. Consulatum, cum M. IVNIO SILANO, inierat:* | 23.

Quûm eiusdem legati, durissimâ anni parte, circa Conisco, Cantabriæ populos, ex Gallis oriundos, hibernarent; artoque admodum commeatu premerentur.

Conisci namque, latrocinijs omnia passim vastantes, Romanos frumentatores, locis asperis deprehensos, intercipiebant: & quidquid in vicinis civitatibus frumenti, (præter cladem à muribus illatam

illatam; fuperarat) id omne in Arracilium, munitum opidum, convexerant; quò præcipua Cantabrorum iuventus, & militum robur, fefe incluferat.

ARRACILIVM, IN CONISCIS, captum, & everfum.

Placuit ab ijs perfidiæ, & crudelitatis pœnas expetere; qui frumentatores, & commilitones nefandâ nece excruciâssent; Callæcos vexâssent; & Afturibus, ad arma folicitatis, auxilia mififfent.

Romani, quibus Portæ claufæ effent; tripartito exercitu, & tribus fimul locis, ancipiti undique terrore, opidum adgreffi funt. Hinc metu certi fupplicij, non viri tantùm; fed feminæ quoque & pueri, ad omnia munia præftò fuére.

Repulfi Romani, nec fatis honefto prœlio trepidavére; donec P. CARISIVS, & TIB. NERO, increpitâ militum ignaviâ, fcalas adferri iuffére: & fe ipfos, fi cæteri cunctentur, adfcenfuros comminati funt. Ijfque haud mediocri periculo in mœnia fubeuntibus, foliciti vicem Imperatorum milites; clamore fublato, & fcalis erectis, rursùs ad oppugnationem, T. CARISIO & C. FVRNIO ductoribus, fefe accinxére.

Tum victâ opidanorum contumaciâ; & deiectis propugnatoribus, mœnia occupant; tantâ irâ & odio; ut neque vivos capiendi; neque prædandi, quamvis cuncta ad direptionem expofita paterent; memores. feminas pariter ac viros, atque adeò infanteis, fine difcrimine, contrucidarint: & igne in tecta inicto, omnia everterint.

BELLVM ASTVRICVM.

Parte aliâ, C. ANTISTIVS, & Q. ÆLIVS LAMIA, Legati, in Aftures profecti, pòft agrorum vaftitatem, hofteis ingenti agmine ad Intercatiam opidum obvios habuére. Ex viginti armatorū Millib. ad XII. Millia cæfi traduntur. Intercatia recepta; & puberes omnes interfecti.

Inde ad Medullium montem, qui Minio flumini imminet; caftra mota. In eum montem, Afturum multitudo, Cantabris permifta, fe conglobaverat. Eumdemque Romani, ut hoftem à pabulatione & fubitâ eruptione arcérent; vallo fofsâque circumdedére, XV. paff. Millia munitionibus amplexi.

Poftquàm gens efferata, ita undique obfeffa, extrema inftare videt; certatim igne, ferro, immò & veneno, inter epulas, metu fervitutis, in libertate, mortem quæfiérunt.

DEVOTI, QVI?

Afturibus, fe maxima pars Devotorum, è Cantabriâ, finitimifque populis, coniunxerat. Quorum ea eft conditio; *ut omnibus in vitâ commodis unà cum his fruantur, quorum fe amicitiæ dediderint. Si quid ijs adverfi per vim accidat: aut eumdem cafum unà ferant, aut mortem fibi confcifcant.*

His omnibus perditi quidam homines, & latrones acceffèrant: *quos ab agriculturâ, & quotidiano labore, fpes prædæ, aut belli ftudium, avocârat.*

Eiufmodi copijs confirmati Afturės, & è montibus fuis degreffi, caftra ad Afturam flumen metantur. ut eodem tranfito, C. ANTISTIVM, T. CARISIVM, & P. SILIVM, AVGVSTI Legatos, qui trinis caftris incuriofiùs confederant: tripertito agmine, & de-improvifo adgrederentur. Et certè clades accipi potuiffet: nifi Brigæcini, è Tarracone, hoftium caftra prodidiffent.

ANTISTIVS itaque, copias cum cæteris coniungit. fimulque hoftibus obviàm profecti, ipforum confilia armis oppreffére. Acrior hîc concurfus, quàm cædes fuit: quòd nox prœlium diremerit. & pari clade difceffum.

Poftero die iterùm, pari utrimque fpe, æquis viribus, concurfum. Et iamdiu pugnatum erat. atroxque circà Afturum figna cadentium ftrages; quùm necdum ex ullâ parte fugâ. Donec tandem Romani, quùm effulcere iam præ lafsitudine hoftium vires fentirent, neque diei multum fupereffe; irâ accenfi fefe in hoftem concitant.

Acie hoftium in fugam inclinatâ; & multis tum capi, tum occidi cæptis; reliquiæ fufi exercitûs Lanciæ, Lufitaniæ opido, exceptæ funt. Ad quam oppugnandam poftquàm eft admotus exercitus; tantâ militum contentione & irâ certatum eft; ut Afturibus ad internecionem cæfis, Lanciam ipfam ferro flammâque delendam fibi depofcerent.

ASTVRICA AVGVSTA; ET ALIA AVGVSTA, EMERITA, COLONIÆ.

Sed ANTISTIVS clementiæ Romanæ apud pofteros monimentum exftare voluit. Et AVGVSTVS, ne gens fera, & montium receptibus freta, iterùm rebellaret; caftra fua, quæ eò loci, in plano erant, habitari & incoli iuffit: opidumque ad Minium fluv. condi, cui nomen factum, ASTVRICA AVGVSTA.

Bello iam confecto, Cæfar veteranos emeritofque miffione donavit; opidumque ijs ad Anam fiu. in Lufitaniâ condere iuffit: coloniamque de fuo nomine Auguftam; & ab ipforum miffione, Emeritam cognominavit.

Tradunt quidam, eodem tempore Auguftobrigam in Pelendonibus: & in Arevaccis, Auguftam Novam. Itidem Toletum ad Tagum; colonias, eafque militareis; deductas effe, & iure Veteris Latij donatas.

SALASSI DOMITI. AVGVSTA Prætoria, ibidem Colonia.

Dum hæc in Hifpaniâ geruntur, A. TERENTIVS VARRO, ab AVGVSTO contrà Salaffos, gentem Inalpinam, miffus, rem bene gefiffe nuntiatur. Eos ille primùm fparfo, miftoque variè bello, diftinuit: Deinde diftractos carpfit; demùm profligavit:

imperatâque pecuniâ, pacem petentibus dedit.

Cæterùm, quùm subinde rebellarent; quò eos arte caperet, & in potestatem redigeret; militibus, quos prætextu pecuniæ cogendæ eò mittebat, clam mandat: ut omneis puberes ad se captivos deducerent. Quos ille, ceu belli iure captos, sub coronâ vendidit, eâ lege: *ut ne quis eorum ante XX. annos manumitteretur.*

Ad hæc; arma omnibus Salassis ademit; ne pacem sæpiùs solicitarent. agrosque præcipuæ fertilitatis, ex parte, militibus Prætorianis adsignavit; coloniamque Augustam Prætoriam ibi condidit.

Quùm Germani, negotiatores aliquot Romanos, qui commerciorum gratiâ illuc erant profecti, iniuriosiùs vexâssent; eam iniuriam ulturus M. VINICIVS, contrà eos movit: & re prosperè gestâ, bellum pluribus in locis feliciter sustinuit.

Quumque ob hæc, & res in Hispaniâ gestas, triumphus Augusto decretus esset; ipse IIX. Imperatoris cognomine contentus, recusavit. Id quoque ad honores additum; *Vt primo quoq; anni die, Laureâ & veste triumphali uteretur.*

TEMPLVM IANI CLAVSVM.

Ipse ex Hispaniâ in urbem reversus, Templum Iani, quod horum bellorum causâ aperuerat; iterùm clausit.

IVBÆ CVM CLEOPATRA CONIVGIVM.

IVBAM, historiæ & rerum Naturæ scriptorem, IVBÆ eius, quem IVLIVS CÆSAR, sibi semper infestum, regno exuerat, & ad mortem adegerat; filium; collocata ei in uxorem CLEOPATRA, ANTONII & CLEOPATRÆ filiâ, in Mauretaniâ, & Gætuliæ parte, regnare iussit.

Res memoriâ dignâ; IVBAM illum à D. IVLIO; & hanc CLEOPATRAM, ab AVGVSTO, in triumphum ductos fuisse, & utrumque posteà & simul regnâsse.

Sub idem ferè tempus, AMYNTÆ Galatarum regis mors nuntiata est. Cuius regni successionē, regis eiusdem liberis AVGVSTVS nō permisit; sed Gallogræciâ & Lycaoniâ, per M. LOLLIVM, in provinciæ formam redactis; opida quæ in Pamphyliâ attributa regi illi paruerant; libertati restituit.

Quumque ob valetudinis incommoda, IVLIÆ suæ nuptias, quam MARCELLO, OCTAVIÆ sororis filio, desponderat; ipse Romæ celebrare non posset; eius rei curam AGRIPPÆ commisit.

Ab eodem Agrippâ, Pantheon, (Templum, formâ convexâ, ad cœli similitudinem fastigiatū) hoc anno absolutum & dedicatum fuisse proditur.

3928. Ab V. C. 729. Ab Act. pug. 7. | *Iam AVGVSTVS, cum C. NORBANO FLACCO, X. Consulatum ceperat.* | 22.

Quumque, propter invaletudinem, necdum ad Vrbem rediisset; primo ipsius anni die Senatus in eius acta iuravit: Et quo absolutam ipsi in imperio potestatem tribuerent; legibus cum solvérunt.

Postquàm restitutus sibi ille, in urbem rediisset; & congiarium populo, CD. sestertios, viritim, distribuisset; vota & à Senatu, & à pop. Rom. pro eius *Salute* & *Reditu* soluta sunt: Aræ, & Statuæ ac Coronæ ex *Voto* positæ.

Tributum & hoc eius honori, ac decretum; ut MARCELLVS gener, & TIBERIVS privignus, lege annali soluti; hic Quæstor; ille Ædilis, ante tempus, crearentur.

REBELLIO CANTABRORVM ET ASTVRVM.

Dum hæc Romæ geruntur; Cantabri & Astures, digresso iam longiùs AVGVSTO, iterùm rebellant. simulatoque per fraudem obsequio, ÆLIVM LAMIAM, quem CÆSAR iis gentibus cum imperio præfectum reliquerat; rogant: uti milites ad frumentum, quod imperatum ipsis fuerat, cogendum, mitteret. Illi verò missos ad se, & per insidias interceptos, iugulárunt.

Eam iniuriam ÆLIVS flammâ ferroque ultus est: agroque ipsorum latè vastato, urbibusque incensis; & venditâ maximâ captivæ iuventutis parte, iterùm eos imperata facere coëgit.

ÆLII LARGI EXPEDITIO IN ARABIAM FELICEM. SYLLÆI fraudes.

Sub idem tempus, ÆLIVS LARGVS, (al. *Gallus*, Straboni, eius expeditionis comiti) qui Ægypto præerat; in Arabiam Felicem, ut regnum auro, gemmis & aromatis locuples, exploraret; X. militum Mill. auspiciis Augusti, educit. quibus HERODES, Iudæus, D. è suo satellitio lectissimos adiunxit. Et SYLLÆVS, præcipuorum in Arabiâ regulorum legatus, Nabathæorum nomine, MD.

Nabathæi namque, gens eâ in regione celeberrima, societatis & amicitiæ, quam petebant, prætextu; ÆLIVM magnâ susceptæ expeditionis spe; & Syllæus maiore, impleverant.

Hic in primis ÆLIO persuaserat, si secundùm litora, Arabiam classe legeret; fore, ut crebris opportunè excensionibus, situm eiusdem regionis commodiùs tutiusque exploraret. Et interim ab itinere terrestri eum deterrebat; fingens, invias & perpetuas, à Petrâ, usque in Sabæorum regionem, solitudines pertinere: ubi siti & fame, exercitus, solo sterili, adfligi posset.

Placuit itaque, exædificatâ, ad Cleopatridem, CXXX. navium longarum classe; impositoq; exercitu, maritimas Arabici litoris oras explorare.

Eâ in navigatione, Romani, per XV. dies, magno cū discrimine vexati, tertiâ insuper naviū parte, vel

convulsâ,

convulsâ, vel cum milite ipso depressâ; tandem ad Argancomen, maximum apud Nabathæos Emporium; exscensionem fecerunt.

Et ipsa cœli tempestas, quæ ab Aquilone sæviebat; tegendæ SYLLÆI fraudi subservire videbatur. Ipse namque; qui & regiones locorum, & naturam Situmque Sinûs Arabici, importuosi,& procellis obnoxij, cæcisque scopulis asperrimi; probè perspecta haberet: pro actuarijs, militi transportando idoneis, naveis longas armatasque, tamquam eæ ad prœlium instruerentur, ædificandas curârat. quò scilicet mole suâ ac magnitudine graviùs, ad cauteis ac vada, reciprocis æstibus, adliderentur.

ÆLIVS, ut exercitum à nauseâ, marisque incommodis, atque adeò à morbis reficeret; id quod reliquum erat æstatis, ipsamque adeò hiemem, Argancomæ exegit.

SYLLÆVS, ut ad reliqua, quæ deinceps Romanis cum perfidiâ moliebatur, fidem sibi viamque præstrueret; ÆLIVM, OBODÆ regi, cuius erat procurator & legatus; commendatum; & ipsum simul militem, benignè habuit, hospitaliterque accepit.

Quumque inde se ad ARETAM, Arabiæ Petrææ regem, viæ ducem fore pollicitus esset; per squalenteis ariditate campos, maximo cum militum labore, iumentorumque molestiâ, camelis aquam supportare coactis; per varias itinerum ambages, circumduxit.

ARETAS nihilo minus, Augusti amicus, Romanos benignè acceptos, multis privatæ publicæque hospitalitatis officijs, ex ijs molestijs, recreavit.

Cæterùm illinc digressos, ÆLIVS, pari viarum asperitate, & pabuli inopiâ, per integrum mensem vexatos; vix tandem quinquagesimis castris ad Sabæos perduxit. Quumque ibi primùm armati occurrissent hostes; cæsis eorum x. Millibus, Romani duos dumtaxat è suis desiderârunt.

Inde Mariabam, urbem, VI. Millium circuitu patentem, cepit,& præsidio firmavit. Sex alia ibidem opida diruisse traditur.

Ira paucis admodùm, ex ijs, quæ animo conceperat, exploratis; totum iter sexagesimis inde castris remensus est; quod sex anteà mensium spatio, cum maximâ militum clade, dolo fraudeque SYLLÆI, parum secundâ fortunâ, confecerat.

Hic SYLLÆVS posteà; quòd OBODAM, regem suũ, ex insidijs interemisset, regnumque adfectâsset; NICOLAO, HERODIS legato accusante, convictus; & huius quoque in GALLVM perfidiæ, Senatûs iudicio condemnatus, & securi percussus est.

IVDÆA CALAMITATIBVS ADFLICTA. HERODIS LARGA BENIGNITAS; & hinc gratia atque auctoritas.

Eodem anno, (qui regni HERODIS XIII. fuisse IOSEPHO memoratur.) magnæ in Iudæam, sive ab irato Deo; sive ex fortuitâ aëris cœlique intemperie, calamitates incubuérunt. *Diuturna siccitas, & sterilitas*: & mutatâ, per inopiam, victûs ratione, *morbi cum pestilentiâ. Et ex continenti terra malignitate, frugum*, ad vitam necessariarum, PÆNVRIA.

Neque HERODI; qui veterem pecuniam in insanas arcium urbiumque substructiones absumserat; nihilq; ex annuis sterilium diu agrorũ proventibus perciperet; amplæ ad largiendum facultates suppetebant. Huc accedebat, populare in regem odium; quòd publicarum calamitatum culpa, in eos, penes quos reip. est regimen, reijci ferè soleat.

Ipse itaque rex, collatis ad opem præsenti necessitati ferendam consilijs, quidquid in regiâ sive aureæ, sive argenteæ supellectilis esset; totũ concidit: & pecuniâ inde cõflatâ, atque in Ægyptum missâ, à PETRONIO præfecto, sibi amico, frumentum liberaliter coëmit,& ad se advehendum curavit.

Quâ diligentiâ, non modo in gratiam, cum ijs, qui aversi fuerant, redijt; sed eximiam etiam beneficentiæ, & providentiæ laudem rettulit. Nam & gratis frumentum egentioribus distribuit; & senibus atque infirmis etiam pistores addidit.

Neque in tanta lanigeri pecoris strage, & lanitij egestate; vestium, quibus adversùs acris hiemisque iniurias, nudi tegerentur; curam remisit.

Tàm benigna regis sollicitudo non intrà limites regni modò constitit; sed distributis ad sementem faciendam, frugibus, finitimas etiam Syrorũ urbeis tam largiter sublevavit; ut in exteros, ad decem cororum frumenti Millia; (corus x. Medimnos Atticos capit.) Et intrà regni Pomœria, ad LXXX. eius mensuræ Millia, expensa, & relata in regijs rationibus reperirentur.

Quæ gratia tàm opportunè collata, & omniũ sermonibus celebrata, tantum apud Iudæos pondus habuit; ut positis odijs, quidquid ille hâctenus, sive in regni administratione, sive in patriorum rituum cõtemtu, peccaverat; haud gravatè condonarent, aut oblivisc erentur.

Nec minor apud exteros eius facti gloria. ut *quantùm damni domi acceptum esset; tantùm foris ad eius nominis celebritatem accrevisse censeretur.*

Rebus ita in pristinam regiæ existimationis felicitatem restitutis; HERODES, Regiam alteram, in superiore urbis loco, ædificavit. & amplissimas, auroque & marmoribus, & subsellijs, ornatissimas, domos adiecit: Quarum unam Cæsaris; alteram Agrippæ cognomine insignivit.

ALTERÆ HERODIS NVPTIÆ. Regni firmamenta.

Tum animum, *ne vagis voluptatibus distraheretur*; ad litteras nuptias adiecit. Erat SIMONI cuidam, inter civeis Hierosolymitanos, BOETHI Alexandrini filio, sacerdoti cum-primis nobili, filia; omnium eius ætatis puellarum pulcerrima. Cuius amore captus rex, & de eâ in legitimum torum adsciscendâ cogitans: quùm Pater SIMON, nec adfinitati tali par, nec contemtu dignus videretur, primarij honoris accessione eum amplificare cõstituit.

Mox igitur IESV, PHABETIS filio, Pontificatum abrogat; & SIMONEM subrogat; cumque eo adfinitatem paciscitur.

Peractis deinde nuptijs, novum Castellum condidit: quo loco Iudæos olim, se persequenteis, dum Antigoni armis pelleretur, profligârat: In quo nihil,

quod ad commodam habitationem, & ſtructuræ magnificentiam pertinet, deſiderari poſſit. Id circiter LX. ſtadijs ab Hieroſolymis diſtabat: Et quæ circùm planities; magnæ urbis ad-inſtar, ædificijs erat conferta.

His præſidijs ille fiſus; nullos deinceps in regno ſuo motus reformidabat. qui præterea, ſubiectos omneis duobus quaſi retinaculis in officio continebat; *metu ſuppliciorum*, quæ nemini ſonti remittebat: & *inſigni*, quùm publica neceſſitas poſceret; *liberalitate*.

Ambitio nihilo minus, & immodicum demerendi Cæſaris, aliorumque potentiorum, ſtudium, effecit; ut à patrijs inſtitutis paullatim decedere; & leges divinas violare cenſeretur. dum Vrbeis, & in ijs Templa conderet; illorumque memoriæ, licet peregrè, non ſine ſtatuis & imaginibus, conſecraret.

3929. Ab V. C. 730. Ab Aď. pug. 8. | AVGVSTVS XI. *Conſulatum, cum A. TERENTIO VARRONE, ceperat. qui ambo paullo-poſt abdicârunt.* | 21.

Fuitque is annus ab externis quidem bellis quietus; verum gravi cœlo, & peſtilentiâ; & præcipiti Tiberis inundatione, funeſtus. quo, in cæteris, Côſul ipſe VARRO, & M. MARCELLVS, Ædilis Curulis, abſumti ſunt.

PESTILENTIA ET MORBVS CÆSARIS. MVSÆ, MEDICI, LAVS.

Ipſe quoque AVGVSTVS, cum difficili morbo côflictatus, non tàm arte, quàm ancipiti ANTONII MVSÆ, Medici, experientiâ curatus eſt. Hepate namque ex deſtillationibus vitiato, quòd calidis fomentis non relevaretur; frigidis, eſuque lactucæ eum ſanavit.

MVSÆ ſtatua, iuxta Æſculapij ſignum, à populo poſita: Eidemque libertate, & civitate donato, non equeſtria tantùm ornamenta; ſed & ingenuorum iura Senatus attribuit. Et omnibus deinceps Medicis immunitas, in artis eius honorem, data. Et *Vota* pro *ſalute Cæſaris* publicè privatimque *ſoluta*.

CONSVLES SVFFECTI. PISONIS FEROCIA.

Auguſtus, in locum TERENTII VARRONIS, (Murænæ) Cn. CALPVRNIVM PISONEN Conſulem ſubrogavit: & ut magiſtratum accipere vellet, ultrò exoravit.

Piſo namque ferocis vir ingenij, qui Pompeij prius in Africâ, contra IVLIVM CÆSAREM: Inde in Græciâ BRVTI & CASSII parteis, contrà ipſum Auguſtum, acerrimè ſuſtinuerat; licet pòſt bella conceſſus ſibi in Vrbem reditus fuiſſet; hâctenus ab honorum petitione abſtinuerat.

Ipſe quoque Auguſtus, in Albanum profectus, Conſulatu ſe abdicavit. Idque extrà Vrbem; ne populi ſtudio impediretur, & annuum magiſtratum gerere cogeretur: qui contrà, cum pluribus eum honorem in poſterum communicari vellet.

Suffecit autem ſibi L. SESTIVM: qui, uti anteà ſemper, BRVTI ſtudioſiſſimus, eiuſdem etiamnum imagines, laudeſque non obſcurè colebat; neque fidem cum fortunâ mutaverat.

NOVI DIGNITATVM HONORES, CÆSARI DELATI.

Senatus itaque tantam Auguſti modeſtiam ſimul & leuitatem, in offenſis condonandis, admiratus; eidem Proconſulare imperium perpetuum, Tribunatumque plebis; & Senatum, quotieſcumque vellet, cogendi poteſtatem tribuit.

Quumque & populus Dictaturam magnâ contentione offerret; genu nixus, detectâque ab humeris togâ, & nudato pectore, odioſi magiſtratûs invidiam, deprecatus eſt. Tribunitiam tamen poteſtatem, eamque perpetuam; cæteraque, quæ Senatus detulerat, accepit: & ſimul frumentariam curationem, in ſummâ tum annonæ difficultate.

Hinc cæptum deinceps, ut Conſules quidem nomina Faſtis darent; annique, ab Vrbe Conditâ, in ordinem ſeriemque, ſub eorum nominibus, digererentur. Cæterùm Principes, à Tribunitiâ poteſtate acceptâ, veluti ab Imperij tunc demùm conſtituti initio; ſui quiſque principatûs & Imperij annos, numerarent.

ANNONÆ PROCVRATIO.

TIBERIVS interim NERO, iam XIX. agens annum, Quæſtor creatus, curâ annonæ, in anguſtiore proventu, Oſtiæ, atque in Vrbe ex mandato Auguſti, quam-maximâ potuit diligentiâ, adminiſtravit.

M. autem MARCELLVM, AVGVSTVS ſocer, Pontificatu & Ædilitate curuli ornaverat; ſuâque operâ & ſumtu ludos adparatu magnificentiſſimo dederat, Kal. Sextilibus, (qui menſis ab ipſo *Auguſto* nomen accepit.) Ita ut ludorum diebus, intercætera, forum velis purpureis inumbraretur.

MARCELLI LAVS: ET EXITVS.

Hunc MARCELLVM (uti iuvenem ingenuis artibus inſtitutum, *& virtutum indole præſtantem*; animo ingenioque, *tantæ, in quam alebatur, fortunæ capaciſſimo*) ſiquid humanitùs ipſi Cæſari accidiſſet, potentiæ eius ſucceſſorem fore omnes ferè augurabantur.

Sed idem haud multo-poſt, incertum, morbóne, an veneficio Liviæ, (utrumque enim proditur) maximo cum omnium dolore, & in adoleſcetiæ flore, exſtinctus eſt. Eius defuncti reliquias Auguſtus Mauſoléo ſuo inferri iuſſit. De eo Virgil. l. 6. Æn.

LIVIA VENEFICII SVSPECTA.

Qui LIVIAM veneficij culpabant; ita ſuſpicati ſunt. Mulierem ſcilicet ambitioſam, quæ Auguſti favore, MARCELLVM, ſuprà NERONEM & DRVSVM, filios ſuos, eminere, iniquo animo ferret; ad amovendam ambigui ſceleris invidiam, opportunitate morbi peſtilentis, per nota ignotaque

raque capita tùm grassantis, usam fuisse. ut ille fortuitâ potius contagione; quàm dolo alicuius, aut veneno exhaustus crederetur.

AGRIPPÆ SIMVLTATES.

Fama quoque fuit; paullo-ante quàm MARCELLVS morbo tentaretur, AGRIPPAM, ob taeitas cum eodem offensiones, abdicatâ Vrbis præfecturâ, & impetrato à Cæsare commeatu, veluti Legatum, ad res Syriæ componendas, in Asiam profectum. qui MARCELLO ad publiea munera admoto, quasi loco suo, & usurpatâ diu, secundi à Cæsare gradûs possessione, ultrò cedere voluerit; & æmulationis suspicionem à se avertere.

AVGVSTVS verò, in AGRIPPÆ amicitiâ constantiorem patientiam desiderâsse dicitur; quàm ut ex levi rigoris suspicione, aut æmulatione, domo relictâ in Lesbum insulam & Mitylenas, tamquam in voluntariam exsilium, concederet.

Alij autem mutuæ illius inter utrosque æmulationis occasionem ex ipsius AVGVSTI iudicio obortam opinati sunt. Quòd quùm exiguâ in spe valetudinis animam traheret; corâm Senatu & amicis, AGRIPPÆ, tamquàm designato sibi successori, annulum suum tradidisset; præterito, ob ætatis imperitiam, MARCELLO.

RATIONARIVM IMPERII.

AVGVSTVM scilicet, tam dubiæ valetudinis tædio affectum, iterùm de reddendâ Rep. cogitâsse: & Senatu, cum reliquis magistratibus, domum suam convocato, Rationarium Imperij tradidisse.

Quo quidem libello opes publicæ comprehendebantur: quantum civium Sociorumque in armis esset; quot classes; quæ regna vel provinciæ, tributa aut vectigalia, & quantum eo nomine populo Rom. penderent. Quæ necessariò eroganda; quæ donanda essent. Sed ipse à morbo deinde recreatus; ob caussas, imperium retinuit.

Sub id tempus, Parthorum Legatis Senatus ab AVGVSTO datus est. TYRIDATES scilicet, de quo suprà; PHRAATE (al. Phraharte) ob tyrannidem à popularibus pulso, Parthiam occupaverat. Et is iterùm à Phrabarte Scythisque pulsus; ad AVGVSTVM, in Hispaniam, profugerat. Quæ consecuta sint; superiùs memoravimus. Ad ann. V. C. 724.

3930. Ab V. C. 731. Ab Act. pug. 9.	*Anno insequente, Coss. erant* M. CLAVDIVS MARCELLVS; & L. ARRVNTIVS NEPOS:	20.

Quùmq; ob neglectos agros, caritas & fames annum pestilentem excepisset; illi malo ut mederetur AVGVSTVS, (quantumvis unà cum TIBERIO, coemto undique frumento, tempestivè providisset) in tam artis tamen commeatibus, venalitias lanistarum familias, omnesque peregrinos, (præter Medicos, & Præceptores) magnamq; servitiorum partem, urbe exegit.

FRVMENTATIONVM CVRA.

Et tum secum constituisse traditur; ut frumentationes publicas in perpetuum aboleret; quod earum fiduciâ agrorum cultura negligeretur. Quod quùm minùs placuisset; eius rei curam ita temperavit; ut deinceps non minorem Aratorum, & frumentariorum; quàm populi rationem habuisse constaret. Binos scilicet è Senatu prætorios creavit, quibus ea cura, per quinquennium, committeretur.

TRIBVNITIA POTESTAS.

Hoc demum anno, repulsâ à se Dictaturæ invidiâ; ad d. v. Kalend. Iulij, Tribunitiam potestatem admisisse; & inde imperij initium inchoâsse, à DIONE traditur. ut XXXVI. eius principatûs, sint anni, ad eius excessum.

CENSVRÆ MVNVS.

Eodem quoque tempore, Censura, (quæ per annos XXIIX. intermissa fuerat) eaque perpetua, populi itidem studio delata ei fuisse videtur. quam etiam repudiârit. Et in suum locum, L. MVNATIVM, (Planci proscripti fratrem) & PAVLLVM ÆMYLIVM LEPIDVM, (è proscriptis unum) Censores creavit.

Verùm ea Censura, utpote inter discordeis acta; uti neque ipsis honori fuit; ita neque reip. salutaris. Quùm alter Censoriam auctoritatem non satis tueretur; alteri, vita flagitiosè & per dedecus acta, opprobrio esset. Atque ita Lustrum non fecêrunt.

Cæterùm AVGVSTVS, ne Censoria dignitas, (*cuius severitate in tantam amplitudinem creverat resp.*) imminueretur; aut in posterum, malo exemplo dissolveretur; ipse multa Censorum munia sustinuit. Et illi certè ultimi, privati, Censuram obtinuêrunt. Idque prodigio etiam confirmatum tradidere. tribunal namque, quod ipsi adscenderant, repentè collapsum est, ac dissipatum.

LEGES VESTIARIÆ. ET DE GLADIATORIBVS.

Quumque Augustus habitum etiam, & vestitum pristinum reducere vellet; Ædilibus curulibus negotium dedit; *Nequem post-hàc in foro, circóve, nisi positis lacernis, Togatum consistere paterentur.*

Etiam Sen. Consult. interdixit; *Ne quis Patricius, aut ex Equestri ordine ingenuus; aut ex iisdem prognatus; servilem in modum, ad scenicas aut gladiatorias operas produci se pateretur; vel in Orchestrâ saltaret, aut in arenam descenderet.*

COLLEGIA SVBLATA.

Et quoniam plurimæ factiones, sub titulo & iure Collegij, ad res novandas, & ad cuiusvis facinoris societatem, coibant; omnia Collegia, præter antiqua & legitima, dissolvit.

Vetuit prætereà; ne gladiatores fine missione, ederentur. néve munus tale, nisi S. C. concessum, præberetur: néve frequentiùs, quàm bis anno; nec pluribus, quàm LX. paribus.

DOMITII PROFVSIO, ET FIDVCIA.

Id, ob DOMITIVM NERONEM, correctum traditur; qui Ædilis tantùm, in contumeliam Censoriæ potestatis, L. PLANCVM, censorem, viâ sibi decedere per vim coëgerat: Et Equites prætereà Romm. ac matronas, ad Mimum agendum, produxerat. Munus verò gladiatorium tantâ cum sævitiâ dederat; ut AVGVSTO necessum fuerit, clàm anteà, sed frustrà monitum, edicto eiusmodi coercere.

Idem eo tempore Ædem IOVIS TONANTIS, quam Cantabrico bello voverat; consecravit. Tum quoque Cyprum, & Galliam Narbonensem, uti pacatas provincias, populo reddidit.

MODERATIO AVGVSTI.

Nec minimum suæ moderationis documentum præbuit, in iudicio M. ANTONII PRIMI. Is quòd Macedoniæ præfectus, Odrysiorum genti in Thraciâ bellum, nullâ iustâ de caussâ, sed prædandi lubidine, movisset; repetundarum reus deferebatur.

Et quùm artiùs ab adversarijs premeretur; huc ille deflexerat; ut modò AVGVSTI auspicijs; modò ex MARCELLI auctoritate, eam se adversùs Odrysios expeditionem suscepisse adseveraret.

AVGVSTVS, ad Prætoris tribunal accedens, palam negavit, M. PRIMVM, neque ex suo, neque ex MARCELLI imperio, quidquam fecisse. Hinc à L. LICINIO MVRÆNA, qui reum defendebat; convicijs, atque acerbâ percunctatione perstrictus; *Ecquid in foro ageret? aut à quo vocatus adesset!* æquissimo animo respondit; *Se reip. caussa, & ultrò venisse.*

CONIVRATIO IN CÆSAREM DETECTA.

Et erant nihilo minus, qui tantam Principis æquitatem; tamque felicem reip. statum, odissent. FANNIVS CÆPIO quippe, dux & auctor coniurationis; & idem L. MVRÆNA, consilia de AVGVSTO occidendo inierant. Sed ante quàm coniuratio invalesceret; per CASTRICIVM indicem ea res detecta, & mòx oppressa est.

TIB. NERO utrumque reos maiestatis fecit: condemnatisque aquâ & igni interdictum est. Ijdem posteà ex fugâ retracti, & in carcerem conditi, decreto Senatûs à III. Viris capitalibus necati sunt. Neque Terentiæ, (cui, uti uxori, MECÆNAS copertam coniurationem prodiderat) pro fratre Murænâ, apud Augustum preces; neque C. PROCVLEII, fratris eiusdem, apud Iudices pro reo sordidati, prensationes; reum supplicio eximere potuerunt.

CANTABRI ET ASTVRES ITERVM rebellant, & coërcentur.

Dum hæc in Vrbe geruntur; ASTVRES, propter CARISII superbiam & sævitiam, rebellârunt: Cantabrique iterùm in societatem defectionis solicitatis; C. FVRNIO, AVGVSTI Legato, veluti rerum cum ipsis gerendarum imperitiori, contemtiùs insultârunt.

Verùm FVRNIVS, coniunctis cum CARISIO copijs, Cantabros, acie congredi ausos, fudit, fugavitque. Pauci ex ijs capti, sub coronâ venierunt. ferocissimi quique, ne vivi in hostium potestatem venirent; tum veneno, tum ferro & igne, se susque confecere.

Astures, depopulato Brigæcinorum agro, ipsum quoque opidum oppugnare adorti sunt. Caussati, ab ijs, consilia subinde ipsorum, Romanis prodi.

Inde tamen non fine magnâ clade repulsi, dum incompositi aut inermes, castris locum capiunt; à CARISIO & FVRNIO, qui compositum agmen adducebant; oppressi sunt: ijsque, qui cladi superfuerant, in deditionem acceptis, arma omnibus adem ta.

BELLVM ÆTHIOPICVM.

Eodem anno, quo, ut suprà dictum; ÆLIVS Gallus (al. Largus) Arabicam expeditionem susceperat; Æthiopes, ex occasione, quòd præcipua militum manus, quorum præsidio limites Ægypti ab eâ parte defendebantur; cum Ælio, in Arabiam, profecta esset; in propinquam Thebaidem cum XXX. Millium exercitu, excursionem faciunt. Oppressâque III. cohortium statione, quæ Syene, ultimâ Ægypti urbe, præsidio relicta erat; Syenen, Elephantinam cum Nili Insulâ, & Philas, opida, occupant, deturbatisque AVGVSTI statuis, agunt feruntque omnia.

P. PETRONIVS (al. C. Trebonius) Ægypti præfectus, Æthiopum latrocinia repressurus, ad X. Mill. militum veteranorum, & DCCC. equites, coëgit: hostemque ad Pselchim, Æthiopiæ Vrbem, adsecutus, fusum fugatumque, intrà eiusdem opidi munitiones se concludere compulit.

Quùm Legatis PETRONII, qui ad res repetendas, & caussam belli inquirendam, missi fuerant, responsum esset; *Se iniuriam, ab Ægyptijs regibus ante acceptam, ulcisci; non autem novam Romanis inferre voluisse.* Et Legati contrà docerent; eam excursionem in AVGVSTI ditiones esse factam, qui antegressorum regum noxâ non teneretur: neque intereà tamen repetita, post tridui deliberationem, redderentur; PETRONIVS in illos hostiliter movit: opidoque Pselchi per vim potitus, Æthiupas suis etiam finibus expulit.

Ipsique per deserta & inculta elapsi; & præcipui ex ijs rei bellicæ præfecti, qui enatando in proximam Nili insulam evaserant; à PETRONIO vivi capti; secundo flumine Alexandriam præmissi sunt.

Ipse,

Ipse, deletâ Pselchi, per loca arenis squalentia, tumulisque inæqualia; (quo loci, fama tenet, CAMBYSIS, Persarum regis, exercitum, arenis vento ac turbine aggestis, mersum obrutumque iacere) profectus; Primin, in eâ parte locum, naturâ munitum, adgressus, capit ac diripit. locique eius situm contemplatus, mœnibus eumdem inclusit; præsidioque CD. militum, & biennij commeatu instruxit.

Regnabat in eâ tum Æthiopiæ parte CANDACE regina, virilis animi mulier; sed altero oculo capta.

Ea ubi PETRONIVM, expugnatâ Attenâ, totâ vi versùs Napata oppidum, in quo regiam, & filium regni heredem habebat; contendere intellexit: de filio solicita; Legatos ad PETRONIVM mittit: qui deiectas AVGVSTI statuas, captivosque redderent: etsi ab armis abstineretur, pacis conditiones acciperent.

Eâ legatione nihil commotus PETRONIVS, Napata oppidum, coronâ circumdatum, admotis scalis, expugnat. Sed filius reginæ fugâ elapsus est.

Inde Scadisim, ad Catadupa; (ubi Nilus, ex arduis præcipitatus rupibus, fragore ac sonitûs immanitate, accolas proximos non tàm obtundit, quam audiendi in ijs sensum penitùs adimit.) Et mox Aboceim, Phthurim, & Cambusim, opida capit; & captivos, Vrbiumque sectiones vendit.

Mille ex toto numero delectos, qui ad AVGVSTVM mitterentur, Alexandriam, cum reliquâ prædâ, & victore exercitu, deducit.

Eo longiùs digresso; CANDACE totis viribus ad Primin, præsidiumque in eâ relictum opprimendum, contendit.

Eâ de re Romanus celeriter certior factus; & citato ad solvendam obsidionem agmine profectus; CANDACES exercitum maximâ ex parte delevit; & urbem ampliore præsidio operibusque munivit.

Quùm verò ab eâdem reginâ Legati, ad leges pacis accipiendas, venissent; respondit PETRONIVS; ab AVGVSTO eas esse petendas. Se, duces ignoti itineris, ad ignotum, uti aiebant, hominem, daturum.

Legati itaque posteà ad AVGVSTVM, in Samo per id tempus hibernantem, profecti; & benignè ab eo auditi sunt. Ipse hortatus tantùm; ut regina populi Rom. amicitiam comiter conservaret; tributa eisdem à PETRONIO imperata, remisit.

(Hæc ferè Strab. lib. 17. quem istî sub Gallo expeditioni comitem fuisse constat.)

CÆSAREA CONDITVR.

HERODES AVGVSTI gratiæ velificari iam adsuetus, Locum in maritimo tractu, urbi condendæ valde opportunum, cui pridem Stratonis Turris nomē fuerat; ædificijs marmoreis, tàm regijs palatijs, quàm privatorum domibus, exornavit. Et quod fuit omnium operosissimum; Portum à tempestatibus tutum, magnitudine Piræeo parem, stationibus & diversorijs instructum, adiecit. Sita ea est in Phœnice, quà in Ægyptum præternavigatur; Doram inter, & Ioppen.

In tumulo, circà Portum, Templum Cæsari extruxit, quod à navigantibus procul conspici posset. Et in eo statuas, Romæ ceu Deæ, unam; alteram Cæsaris, collocavit. unde nomen novum, Cæsareæ.

Construxit præterea theatrum è saxo; & ab Austrino Portûs latere Amphitheatrum capacissimū; unde latè in maria prospectus. Sed hæc omnia vix annor. XII. spatio sunt absoluta. Vid. infr.

HERODES FILIOS ROMAM MITTIT. IPSE NOVIS DITIONIBUS augetur.

Tùm HERODES filios suos, quos ex MARIAMNE susceperat, ALEXANDRVM & ARISTOBVLVM, salutandi CÆSARIS ergô, Romam mittere decrevit; ut Romanis simul motibus adsuescerent. quibus, præter Augusti Aulam, paratum esset apud POLLIONEM, veterem Patris amicum, hospitium.

Eos summâ cum humanitate Cæsar accepit: & Patri potestatem fecit; heredis regno, utrùm è filijs vellet; designandi. Eumdem quē novâ regionum, Trachonitidis, Batanéæ, & Auranitidis, accessione amplificavit.

XENODORVS scilicet quidam, annuâ mercede LYSANIÆ ditionem redemerat: & compendij sui causâ, in Trachone latrocinia impunè fovebat.

Damasceni, & propinqui coloni, ab ijs vexati, apud VARVM, provinciæ præsidem, querelas deplorârunt. Et AVGVSTVS ijsde rebus à VARO commonitus; expugnari iussit latronum receptacula; eamque ditionem HERODI attribui.

Postquàm ille provinciam à Cæsare accepit, speluncis, in quibus prædones latitabant, per duces militesque suos indagatis, maleficia in posterum coërcuit: & viciniæ toti securitatem comparavit.

ZENODORVS verò, partim invidiâ, partim possessionis, sibi ademtæ, dolore commotus: Romam, accusandi HERODIS, profectus, nihil profecit.

AGRIPPÆ CVM HERODE CONGRESSVS.

Intereà M. AGRIPPA in Asiam missus est, qui transmarinas pro Cæsare provincias administraret. Quumque HERODES, illo, uti amico, apud Mitylenen, salutato, in Iudæam reversus esset; & Gadarensesquidam, HERODEM accusaturi, ad AGRIPPAM accessissent; illos, ne auditos quidem, ad HERODEM in vinculis remisit.

3931. Ab V. C. 732. Ab Act. pug. 10. | *Intereà quùm sub veris initium AVGVSTVS ad res Orientis Asiaq; ordinandas profecturus esset; principio anni M. LOLLIVS consulatum iniret; Augusto autem, uti, Collega futuro, alter locus à populo servabatur.* | 19.

Eo verò magiſtratum recuſante; Q. LEPIDVS, & L. SILANVS, candidati & competitores; vi, ambitu, & factionibus Comitia perturbant.

Illos AVGVSTVS, priùs verbis caſtigatos, & ciuilis modeſtiæ commonitos, dum populi ſuffragia perferrentur, ab urbe abeſſe iubet. Et tandem, licet ægrè, Q. ÆMYLIVS LEPIDVS Conſulatum cum M. LOLLIO obtinuit.

Ex eâ ſeditione Cæſar, & urbe tam corruptâ; immoderatas hominum cupiditates artioribus legum vinculis coercendas ſibi putavit: eaque omnia prudenti, & integro Gubernatori, Dictatoriâ ferè poteſtate armato, committenda.

AGRIPPA GENER AVGVSTI, ET VRBIS PRÆFECTVS.

Suadet ei MÆCENAS, ut M. AGRIPPAM, virum cum auctoritate gravem, & rerum geſtarum gloriâ clarum; tum à ſtudijs ambitionis alienum; ad Vrbis præfecturam revocet, & ultrò in generum adſciſcat. Qui eò iam amplitudinis progreſſus ſit; ut vel Auguſto ipſi metuendus; vel artiore, per filiam, neceſſitudinis vinculo retinendus videatur.

AVGVSTVS itaque, exoratâ ſorore, Octaviâ, ut generum ſibi cederet, (AGRIPPA namque tunc MARCELLAM, & ex ea liberos habebat) eidem IVLIAM filiam nuptum elocavit.

AGRIPPA in Vrbem reverſus, ſeditionem inter candidatos coortam, qui armis adhuc, & vi contendebant; compreſſit: & remp. motibus liberavit.

Sacris Ægyptijs, (quorum ſpecie, nocturni cœtus ad omnia flagitia audenda aut patienda, invaluerant) in Vrbe interdixit; & D. à Pomærio paſſibus ſemovit. intrà quos, *Ægyptias, aut peregrinas cerimonias, cuiquam colere nefas eſſet.*

AVGVSTVS RES SICILIÆ ORDINAT: ET IN GRÆCIAM NAVIGAT. IN SPARTANOS benignus; in Athenienſeis durior.

AVGVSTVS intereà, Siciliâ legibus ordinatâ; & Catanâ, Tauromenio, Syracuſiſque colonijs, cum iure Latij veteris, deductis; in Græciam navigavit.

Ibi Lacedæmonios, quòd olim LIVIAM, cum marito CLAVDIO, (in cuius gentis clientelâ erant) fugientem, benignè hoſpitaliterque habuiſſent; omni beneficiorum genere proſecutus; libertate, & propinquâ Cytherorum inſulâ opidoque, donavit.

Athenienſibus verò, ſuâ licentiâ ſemper ad exitium præcipitibus; quòd Antonium immodicè fouiſſent; interdixit; *Ne quem, niſi utroq; parente ingenuum, iure civitatis ſuæ donare poſſent: neve peregrinum, aut manumiſſum in ius civitatis reciperent.* Inſulas prætereà, Æginam & Eretriam, Athenienſium hactenus vectigaleis, immuneis liberaſque deinceps eſſe iuſſit.

Inter hæc, Regum Aſiæ legati, Templum IOVIS OLYMPICI, antiquitùs à DEVCALIONE inchoatum; communi ſumtu exædificandum locârunt: abſolutumque, GENIO AVGVSTI dedicandum decreverunt.

Ipſe verò Auguſtus, ſacris ELEVSINÆ CERERIS, Athenis initiatus; uti aliarum, peregrinarum præſertim, cerimoniarum, contemtor; ita iſtarū cultor obſervantiſſimus fuit: quarū Arcana evulgari haud facilè pateretur. Inde in Samum traiecit: ibique legatos, de quibus diximus, CANDACES, Æthiopum reginæ, audivit.

3932. Ab V. C. 733. Ab Act. pug. 11.	*Roma Conſules non ſine tumultu, partiumq; ſtudio creati,* M. APPVLEIVS NEPOS, & P. SILIVS NERVA.	18.

ASIÆ RES ORDINANTVR.

Exactâ iam penè hieme AVGVSTVS in Aſiam profectus, tàm ſuas, quàm pop. Romani provincias, legibus & inſtitutis emendavit atque ordinavit.

Cyzicenos, qui antea bello Mithridatico, ab operam Romanis fideliter præſtitam, amicitiam ſocietatemque populi Romani promeruerant; nunc, quia, ſeditione apud ſe cooriâ, civeis Romm. ſervilem in modum necâſſent; libertate privavit.

Tyrijs itidem, & Sidonijs, quòd nimiâ licentiâ in factionum ſtudia, ſociorumque iniuriam præcipites eſſent; vectigal imperavit; ipſoſque in provinciæ formam redegit.

Alias civitates, fide & meritis ergà Romanum nomen ſpectatas, Latinitate; alias civitatis iure donavit: alias ære alieno levavit.

Laodicenorum & Thyatirenorum opida, terræmotu ſubverſa, inſtauravit. Chios, pari clade adflictos; conceſſâ in ſexennium vectigalium immunitate, ſublevavit.

Regna aliquot, quibus belli iure potitus erat; aut iiſdem, quibus ademerat, reddidit; aut novis regibus attribuit.

In his MALICHO, filio, Arabiam, quâ Patrem eiecerat, reſtituit. TARCHONDIMOTVM, filium eius, qui bello Actiaco occiderat; in Ciliciam, paternum regnum, reduxit. ARCHELAVM, Medone rege defuncto, Armeniæ minoris regno donavit.

NOVVS AB ARABIBVS MOTVS. HERODES ABSOLVTVS, ET DITIVNculis auctus.

Arabes iamdudum HERODI, Iudæorum regi, infenſi, tandem apertas ſimultates, hâc de cauſsâ, exercére cæperant. ZENODORVS ille, de quo ſuprà; rebus ſuis diffiſus, Auranitidem, ditionis ſuæ partem, L. talentis annuis, illi elocârat. Eam, quamvis Cæſaris donatione cōprehenſam, & Herodi attributam;

butam; modò vi & incursionibus; modò legitimâ apud iudices contentione, vindicabant. Et Herodes, ne novis motibus materia præberetur, moderatione quàm armis rem componi malebat.

Septimo & decimo regni eius anno, (Iuxta Ioseph.) venit in Syriam Augustus. Gadarenses, ZENODORI partim criminationibus, partim promissis, instigati; (quibus ille iure-iurando pollicitus esset, effecturum se; ut ipsi, dominatu regio liberi, reliquæ Cæsaris provinciæ attribuerentur) de vi, & rapinis, Templisque ab Herode violatis, querelas deferunt. Neque rex caussam pro se dicere, & iure disceptare, detrectabat.

Sed adversarij, perspectâ Cæsaris ergà regem comitate, & amicorum studio; veriti ne irato HERODI dederentur; nocte consecutâ, alij se ipsi iugularunt; alij se in rupeis aut flumen præcipitarunt. Atque ita quùm se ipsi prædamnâsse visi essent, Cæsar sine morâ regem absolvit.

Quumque & ipse, totius tumultûs auctor, ZENODORVS, ruptis præcordijs, & sanguinis per alvum profluvio, apud Antiochiam Syriæ, interijsset; eiusdem ditiunculam, (quæ Galilæam inter & Trachonem sita; Vlatham, Paneadem, agrosque finitimos complectebatur) Herodi attribuit. Et Syriæ ipsius rectoribus iniunxit: ut omnia ex Iudæi regis sententiâ constituerentur. Sic ut ille ab AVGVSTO, & AGRIPPA, toto Romano imperio potentissimis, pæne secundus haberetur. Et ab ijsdem facilè Tetrarchiam fratri PHERORÆ impetraret.

Cuius res ut in posterum tutæ essent: neque ille, etiamsi humanitus, aut fato quid ipsi accidisset, filiorum suorum imperio subijceretur; centum talentorum Millia de regno suo decidi passus est.

Deducto inde ad mare Cæsare, in regnum reversus, in ditione ZENODORI, propè Panium, ad fonteis Iordanis, elegantissimum è candido marmore, in Cæsaris honorem, Templum construxit.

HERODES POPVLVM PLACAT: AVT MINIS COERCET.

Et quoniam eiusmodi operibus, quæ & religioni, & patrijs moribus perniciem, aut labem saltim invehere censebantur, suorum offendi animos perspiceret; & publicis sermonibus materia esset: tertiam tributorum partem ijs remisit, ceu quoddam diuturnæ sterilitatis levamentum.

Cui rei & aliud remedium adhibuit; vetitis per urbem conventiculis, & crebrioribus convivijs: vt tandem maior civium pars metu obsecundaret. Qui verò liberiùs stomachabantur; delati, confestim è medio, vel clam, tollerentur.

ESSENI CVIVSDAM DE REGNO HERODIS PRÆSAGIVM.

Quumque à POLLIONIS Pharisæi, & Sameæ sectatoribus, iusiurandum fidelitatis exigeret, neque impetraret: & illis, & ijs, qui Esseni tum audiebant, eam necessitatem remisit. Propterea quod à MANAHEMO quodam Esseno, sibi puero, & litterarium ludum adhuc frequentanti, regnum Iudææ, cum summâ felicitate, (quantumvis ob iura divini, humanique, in regni administratione, neglectum, graviter, & divinitùs, extremâ ætate, castigandus foret) præsignificatum esse meminisset.

REGVM OBSEQVIA. ALTERNÆ IN ARMENIA REGVM ET RERVM VICES.

Intereà dum Augustus Syriæ finitima peragrat & lustrat: multi reges, relictis regnis, & absque regijs insignibus, quotidiana ei obsequia, more clientium, præstitere.

Cæterùm, quòd Armenij ARTAXIAM, ARTAVASDÆ F. de impotenti dominatione, & de eiusdem in Romanos perfidiâ, atque iniurijs, apud Augustum incusarent: & TIGRANEM, eiusdem fratrem, qui tunc in Vrbe obses erat, in regnum deduci postularent: AVGVSTVS TIBERIVM, unà cum TIGRANE in Syriam evocavit. Et ille quidem cum exercitu Armeniam ingressus (quòd tunc commodum ARTAXIAS, suis invisus, & à propinquis per dolum oppressus, interijsset) TIGRANI pro tribunali diadema imposuit.

Verùm neque TIGRANI, neque liberis eius, diuturnum imperium fuit. Qui ob tyrannidem, à proceribus mòx regno pulsi sunt: rege Parthorum coniuratis opitulante.

TIBERIVS itaque, ad Orientis provincias visendas, ab Augusto, in Cappadociam & Pontum missus, & cum legionibus in Armeniam regressus; ARTAXATIS, urbe regiâ, per vim occupatâ, eiusdem mœnia solo æquavit. Et Artageris, obsidione fameque captis; Barbarsam & Olonam, in quibus regij thesauri erant; AOR, quidam præsidiorum præfectus, pactâ salute, eidem tradidit.

Ita redactâ in potestatem Armeniâ, TIBERIVS, iussu AVGVSTI, ARTAVASDI regnum reddit. Qui & ipse posteà, discordiâ suorum, odioque adversùs Romanos simul, & invidiâ regis Parthorum, non sine gravi Romanorum clade, regno iterùm depulsus est.

PARTHVS CAPTIVOS, ET SIGNA AD AVGVSTVM REMITTIT; ET pacem petit.

PHRAATES verò, Parthorum rex, Augusti & Tiberij, sibi cũ exercitibus ad propinquantium, metu; ne tota belli moles in ipsum verteretur: conscius sibi præterea, suâ potissimum operâ & consilio res in Armeniâ turbâsse; & metuens, ne ob procerum suorum odium, vel regno eijceretur, vel Augusto proderetur: captivos ex Romanis, & Crassi Antonijque exercitu, magnâ curâ per regnum conquisitos; signaque insuper militaria, ad AVGVSTVM remittit: amicitiam cum ipso, & pacem cum populo Romano, maximo etiam pignore, (filijs nimirum, & nepotibus aliquot, obsidum loco, missis, & in his VONONE, primæ ætatis filio) confirmat.

AVGVSTVS

AVGVSTVS compofitis Syriæque Afiæque rebus; & pace cum PHRAHATE per legatos factâ; Samum petit: Et TIBERIO, ut Rhodum quoque malis inteftinis adfectam, & tributorum magnitudine exhauftam, recrearet; conceffit.

CORINTHVS, ET PATRÆ, COLONIÆ.

Sub id tempus AVGVSTVS, Corinthum coloniam, ex Libertinis, quàm frequentifsimam deduci, & iuris Italici effe iuffit. Patras quoque coloniam ex veteranis deductam, iure Latij donavit.

SOCIETAS ET PAX CVM INDIÆ REGIBVS.

Intereà Legatos, qui à PORO & PANDIONE, Indiæ regibus, cum litteris & indigenitalibus donis, venerant; ut pacis, quam anteà in Hifpaniâ petierant, conditiones acciperent; AVGVSTVS benignè auditos, comiter hofpitalitèrque habuit: fœdus & amicitiam cum ijfdem, regum nomine, pactus, ad Senatum fcripfit: *Vt ea rata effe vellent; & reges illos amicos focioſq; S. P. Q. R. renuntiarent.*

Intereà exoptatum nuntium, de Caio Nepote, fibi ex Agrippâ & Iuliâ nato, accepit.

3933. Ab V. C. 734. Ab Act. pug. 12. | *Romæ Comitijs Confularibus iterùm tumultuatum eft. quùm C. SENTIO SATVRNINO, AVGVSTVS abfens, Collega in Cõfulatu, populi ftudio, defignatus effet: neque ille honorem per legatos delatum acciperet.* | 17.

SENTIVS Conful, M. EGNATIVM RVFVM, quòd tumultuofiùs contenderet: & publico favore fretus, uti priùs præturam Ædilitati; ita & nunc Confulatum præturæ iunctum, fperaret; profiteri vetuit. Eumque, etiamfi fuffragijs populi Confulatum obtineret, fe tamen non effe renuntiaturum iuravit.

Quumque nihilo minus certamen, & contentiones invalefcerent; S. C. factum eft; *Daret operam SENTIVS Conful, nequid detrimenti Refp. acciperet.*

Sed Conful, ut invidiam vitaret; legatos potiùs ad Auguftum mittendos cenfuit: ut Confulem, quem ipfe vellet, in locum fuum fufficeret.

Ille Q. LVCRETIVM VESPILLONEM, unum ex Legatis (qui olim inter profcriptos, THVRIÆ uxoris fingulari fide fuerat fervatus) fuffecit.

CONIVRATIO IN AVGVSTVM DETECTA, ET PVNITA.

EGNATIVS verò, ob repulfam, furore ardens, gladiatori per omnia, quàm Senatori fimilior; & re familiari adflictâ, audére quidvis paratus: adiunctis fibi fimillimis, M. GENVCIO, & PLAVTIO RVFO, coniuratis; Auguftum interficere conftituerat. Verùm coniuratione maturè detectâ, in carcerem detrufus; & ex S. C. cum confcijs fupremo fupplicio adfectus eft.

NOVI HONORES AVGVSTO DELATI.

AVGVSTO, in Vrbem reverfo, eximij honores decreti. E quibus, præcæteris, Aram *Fortunæ Reducis*, confecrari; diemque reditûs fui inter feftos referri, Auguftaliaque nominari paffus; cæteros, ut immodicos, afpernatus eft.

Et ne quem officij causâ inquietaret; primis iam tenebris in Vrbem invectus, (quod & in cæteris Italiæ opidis obfervârat;ut non nifi vefpere, aut noctu, ingrederetur aut egrederetur) poftero die, TIBERIO, ob res in Armeniâ geftas, Prætorios honores decerni; Drufoque, fratri eius, ut annali lege folveretur: & quinquennio priùs quàm legitimum effet; magiftratus petere poffet, permifit.

Ipfe verò morum legumque regimen folus, cum poteftate Cenforiâ, in quinquennium, à populo accepit; uti priùs in decennium. Ad hæc; Confularem poteftatem, ornamentaque Confularia in perpetuum.

BALBI TRIVMPHVS EX GARAMANTIBVS.

Et ut bellicam virtutem in alijs honoraret; L. CORNELIO BALBO triumphum ex Africâ, in Senatu impetravit, qui folus alienigena (is Gadibus natus, & unà cum Balbo, Patruo maiore, Civitate donatus fuerat) Romæ triumphavit.

Hic ad Garamantas, qui ultrà Gætulos habitant; iter haĉtenus inexplicabile aperuit. quod perpetuis arenis fquallére crederetur; & latrones eiufdem gentis, puteos, non altè tamen arenâ obruerent. Traditur BALBVS nomina & fimulacra Vrbium viginti; gentium fex; & montium fluminumque bina; eo in triumpho transvexiffe.

AGRIPPA GERMANOS, ET CANTABROS REBELLEIS DOMAT.

Intereà M. AGRIPPA in Galliam, Germanorum incurfionibus turbatam, profectus, eorumdem impetus compefcuit. Inde in Hifpaniam, Cantabrorum rebellione inquietam, exercitum duxit.

Cantabri namque, qui bellis fuperioribus domiti fub coronâ venierant; dominos quifque fuos per coniurationem interfecerant. Hinc fugâ, domos, atque in patriam dilapfi, cæteros ad defectionis focietatem pertrahunt: loca munita occupant; & Romanorum præfidia oppugnant.

Contrà hos profecturus AGRIPPA, militem fuum côtumaciorem expertus eft. five quòd emeriti iuftam miffionem flagitarent: five quòd, ob fpectatam hoftium ferociam, metu obtorpefcerent.

Primo itaque congreffu parum feliciter prœliatus; tandem, quùm fuos, qui malè pugnârant, ignominiâ

ignominiâ notatos, partim hordeo pavisset; partim ad rem strenuè gerendam verbis acuisset; Cantabros ferè omneis, qui militari ætate essent, concidit; reliquos exarmavit, & ex montibus in plana deduxit.

Cum AVGVSTVS ob ea, quæ ab AGRIPPA gesta erant, Imperator IX. salutatus est; tum ipse AGRIPPA triumphum, sibi à Senatu ex AVGVSTI voluntate decretum, magnâ cum animi moderatione neglexit.

AQVÆ-DVCTVS AGRIPPÆ.

Sed hoc eodem anno, Aquam Virginem, (ita appellatam, quod à Virgine quâdam, venæ eius fontis militibus, aquam quærentibus, olim commonstratæ essent) in agro Lucullano collectam; & viâ Collatinâ, ad IIX. ab Vrbe lapidem, conceptam, in Vrbem deduxit.

Idem præterea, ante annos XIII. Aquam Iuliam, ex agro Tusculano, per XV. Millia, & CDXXV. passus, eòdem perduxerat.

Appiam quoque, & Anienem veterem, & Marciam, pænè collapsas, aut obstructas, instauraverat. Quæ omneis magnâ salubritate & copiâ aquam Vrbi submiuistrarunt.

PANNONII REPRESSI.

Tum quoque Pannonij, quos AVGVSTVS ad Sisciam urbem superatos, in ditionem acceperat; relictum cum parte exercitûs FVSIVM GEMINVM, è Sisciâ exturbarunt.

FVSIVS, quà ad Savum, quà ad Dravum, fluvios, prœlijs aliquot feliciter gestis; arma victorum, non ex more bellico cremari; sed capta in fluvios proijci iussit. ut cæteri rebelles cladem suorum, per arma secundo flumine ad se delata cognoscerent. At quùm ijdem pacem identidem violarent; per M. tandem AGRIPPAM varijs cladibus sunt repressi.

VIRGILII MORS.

(*VIRGILIVS Poëta, eo anno Brundisij mortuus est: ossa eius Neapolim translata; ubi altero ab Vrbe Milliario sepultus est*)

De bello Pannonico, sic VELLEIVS. Bellum Pannonicum inchoatum, AGRIPPA, MARCOQVE VINVCIO Coss. quod atrox, & perquam vicinum imminebat Italiæ; per NERONEM gestum est. (Vnde colligi possit MINVTIVM istum, SENTIO SATVRNINO Consulem suffectum fuisse, collegâ Agrippâ.)

TEMPLVM HIEROSOLYMITANVM AB HERODE INSTAVRATVR. EIVS fabricæ planior descriptio.

HERODES verò tot præclaris facinoribus, & admirandis operum substructionibus, cumulû quemdam addere cogitans; quod maximè vel ad patriæ religionis cultum; vel ad regionis ornatum pertinere iudicabat; animo præcipere, & mòx opere exsequi cæpit.

Templum scilicet Hierosolymis de novo; & ambitu ampliore, & conveniente celsitudine construere. Id opus fore rarus ad sempiternam posteritatis memoriam celeberrimum.

Templo illi, quod Maiores à captivitate Babylonicâ, ceu postliminiò reversi, ædificârant, ad Priscam Salomoniæ structuræ altitudinem, LX. cubiti deerant. quod eam mensuram CYRVS, & DARIVS HYSTASPIDES, Persarum reges, sub quorum dominatu tum illi degebant; præscripsissent.

Ipse itaque, qui tum solus rerum latè in Iudæâ potiebatur: cui otium; & pecunia in numeraro; magnique in annos reditus suppetebant: Et quod vel maximum; Romanorum, gentis totius orbis dominæ, amicitia: Id, quod desiderabatur, suppleturum; & Deo, à quo tot beneficia accepisset, gratè pieque persoluturum, pollicitus est. Sic tamen ut non ante, vetus ædificium funditùs demoliretur; quàm omnis materia, ad futuram fabricam necessaria, esset comparata.

Mille in primis plaustra compegit; quibus lapides lignaque undique convehenentur.

Et Decem peritissimorum artificum Millia; & Mille sacerdotes, partim cæmentariæ, partim lignariæ fabricæ non imperitos, selegit: omneisque operi, convectâ iam materiâ, adhibuit.

Sublatis itaque veteribus fundamentis, novisque repositis; Templum desuper exstruere cæpit: quod C. cubitis longum; & totidem, sed XXV. ampliùs, altum esset.

Structura omnis è candidis, ijsque firmissimis, lapidibus constabat: qui longi XXV. cubitis; alti IIX. & XII. lati.

Ianua, ipsi pænè Templo pat. Et Superliminare, aulæis variegatis ornatum; quæ flores purpurei, intextis columnis, distinguerent. Et sub columnarum capitellis, Aurea Vitis, dependentibus botris, & corymbis expansa.

Totum denique Templum, amplissimis porticibus cingebatur: quæ reliquæ magnificentiæ pares essent. Earumque duæ validis muris fulciebantur.

Tumulum, in quo situm Templum; quique è rupe totus, & arduus, à vertice sensim, versùs Eôum urbis latus, resupinabat; rex SALOMON primus muro circumdederat. HERODES, radices eiusdem alio muro circumsepsit, è saxis grandibus, plumbo inter se commissis. qui & interius spatium complecteretur; & in profundam vallem, ad Austrum subiectam, declinaret. Atque ita admiranda magnitudo, & altitudo structuræ, quadrangulari undequaque formâ existeret.

Id opus postquàm cum Tumuli vertice fuit coæquatum; & lacunæ, quæ murum inter & tumulum patebât, oppletæ; omnibus iam complanatis, Area Templi adeò ampliata est; ut IV. stadia in circuitu comprehenderet: & singula Porticuum latera, inter duos angulos, per singula stadia protenderentur. Atque ita tam longitudo, quàm latitudo, in eo monte, unius esset stadij. hoc est; passuum CXXV. sive DCXXV. pedum.

Deinde interiùs, vertex ipse altero lapideo muro ambiebatur. Cuius ad Ortum latus, quam longum, duplicem Porticum habebat; Templi, in meditullio

meditullio ſiti, Ianuæ obverſam.

Eam Porticum reges priores adornárant; & circùm Templum ſpolia è Barbaris adfixerant. HERODES eadem omnia, additis Arabum recentibus, denuò dedicavit.

Ad Septemtriones Arx erat, firma & bene munita; opus Aſſamonæorum Principum, BARIS dicta; Stolæ Pontificiæ cuſtodiæ deſtinatâ. Eam Arcem, ſive Turrim, poſtquàm HERODES, quaſi ad tutelam Templi, communiſſet; ANTONIAM vocavit: & id M. ANTONII, è Romanis ſibi ante amiciſſimi, memoriæ dedit.

Ad occaſum, Porticus, IV. Portis erat inſtructa. A quarum unâ, tranſitus erat in regiam HERODIS, per vallem interiectam. Duæ ferebant in ſuburbia; & poſtrema in urbem. Idque per gradus, ad imam uſque vallem, declive is: ſed alijs inde ſurſum per acclivia tendentibus, quibus in Templum adſcendebatur. Vrbs enim, è regione Templi ſita, Theatri in ſpeciem, toto ad Auſtrum tractu in profundam vallem deſinebat.

Quartum ad Meridiem latus, Portam quoque habebat, quæ ab utroque angulo æqualiter diſtaret: Et triplicem Porticum Baſilicam; quæ longitudine, ab Eoâ Valle, ad Occiduam uſque pertineret.

Hîc quùm Vallis immenſùm dehiſceret; & deſpicientium oculi caligarent; ſiquis tecto porticus præaltæ, quæ deſuper extructa erat, conſcenſo, oculos in utramque altitudinem ſimul deijceret; id non ſine periculo vertiginis fiebat, prius, quàm ad imum pertingeret.

In eis porticibus pari intervallo ſtabant, IV. columnarum ordines: ex quibus quartus, lapideum parietem intermedium habebat.

Columnæ cuiuſque craſſitudo; quantam tres homines, conſertis inter ſe brachijs, amplecti poſſint: hoc eſt, XII. cubitorum. Longitudo XXVII, pedum; ſpirâ duplici ſubiectâ.

Numero univerſè centum ſexaginta duæ; capitellis, opere Corinthio ſculptis exornatæ: Et ſexaginta pedum intervallo diſpretæ.

Ex his quaternis ordinibus, ternæ exiſtebant per intervalla porticus; ita ut in quóque latere duæ pariles, triginta pedum latitudine; & amplius quinquaginta altitudine, ſtadijque longitudine, mediam inter ſe concluderent. Cuius latitudo ſeſqualtera; altitudo verò duplicata; tanto amplius utramque exſuperabat.

Lacunaria earum lignea, varijs ſignis erant inſculpta. Mediæ verò convexitas altiùs ſurgebat, excitato ſuper epiſtylia pariete ex lapidibus politiſſimis; qui columnis inſertis ita erat diſtinctus, ut commiſſuræ oculos fallerent. *Eo ſe modo primus habebat ambitus.*

Interiùs verò, nec longo interſtitio, ſecundus, paucis gradibus ſcanſilis, Septum è lapide habebat, cum inſcriptione, & pœnæ capitalis interminatione; *Ne quis alienigena id tranſgrederetur.*

Id Septum, tàm ab Auſtrino, quàm ab Arctôo latere, ternis Ianuis, æquo ſpatio, patebat. Ab Ortu verò, unâ, eaque permagnâ; per quàm caſti, unà cum uxoribus, ingrederentur. *Sed in Templi interiora ingredi; mulieribus nefas erat.*

Tertium, & quidem intimum ſpatium, ſolis ſacerdotibus ſubire licebat. In quo Templum, & Altare, hoſtijs Deo immolandis dicatum.

HERODES in interiora, à quibus profani lege arcebantur; ingredi non auſus, intimarum porticuum fabricam per ſacerdotes perficiendam curavit. Et quùm octennium in reliquo ædificio columen eſſet; Templum ipſum, eiuſque interiora, à ſacerdotibus ſeſqui-anno ſunt perfecta.

NATALIS HERODIS.

Inciderat tum fortè, in hanc inſtaurati & abſoluti celebritatem Templi, etiam Natalis regni, quem HERODES anniverſariâ hilaritate ſolitus erat colere. Regem, qui CCC. boves Deo tum mactarat; alij, pro ſuis quiſque facultatibus certatim ſunt imitati.

(*Natalis autem ille regni dies, neceſſe in vernum tempus inciderit; ſi initium quo Roma HERODES rex eſt declaratus, inſpicias. In aſtatem verò, ſi à captis SOSIO adiutore, Hieroſolymis, annos numeres.*)

Ferunt Iudæi, toto eo tempore, quo Templum conſtruebatur; numquam interdiu pluiſſe; ſed noctu tantum, ne opus interrumperetur. Ea fama, quaſi per manus tradita, ad poſteros perveniſſe proditur.

3934. Ab V. C. 735. Ab Act. pug. 13. | *P. CORNELIO LENTVLO MARCELLINO, & Cn. CORNELIO LENTVLO, Conſulibus; Getæ & Daci, à L. LENTVLO antè edomiti, domeſticis ſeditionibus laborabant.* | 16.

Hâc occaſione utendum ratus LENTVLVS, AVGVSTO per litteras ſuadere conatus eſt; ut barbaros inter ſe diſcordeis oppreſſum iret.

GETARVM ET DACORVM DISSENSIO. ÆQVITAS AVGVSTI, ET ſalutaria reip. in omnem partem decreta.

AVGVSTVS, qui nulli genti bellum, niſi iuſtis de cauſſis, inferendum cenſeret; etiamſi maior emolumenti ſpes, quam damni metus oſtenderetur; barbaros ſuis calamitatibus obnoxios relinqui oportere putavit: modò ne pop. Romani imperiũ laceſſerẽt. *Civili inter ſe ſanguine, ſatis pœnarum Romanis daturos.*

Ipſe, quà domeſticæ dominationis ſubſidia confirmaret, AGRIPPÆ genero Tribunitiam poteſtatem, in quinquennium, conceſſit. ipſamque Reip. cõſtituendæ poteſtatem, quam in quinquennium acceperat, cum eodem communicavit.

Et quòd moribus, cũ Cẽſoriâ poteſtate, præfectus eſſet; Senatũ deformi & inconditâ turbâ adfluentẽ, (erant enim ſuprà Mille, & quidam indigniſſimi; & poſt necem Cæſaris, per gratiam & prœmium adlecti, quos Abortivos vulgus vocabat) duabus lectionibus ad ſexcentos redegit.

Primâ

Primâ quidem ipsorum Senatorum arbitratu, quo vir virum legit. ex lege LIVIA, quam DRVSVS Trib. pl tulerat: *Vt singuli Senatores*, qui tunc vix ccc. erant, *viritim sibi quisque Senatorem ex equestri ordine deligerent.* Alterà verò, suo & AGRIPPÆ iudicio.

Censum prætereà Senatorium ampliavit: & pro octingentorum millium summá, duodecies H.S. taxavit. supplevitque egentioribus de suo. Et impetratis è Senatu x. adiutoribus; *unumquemque Equitum vitæ suæ rationem reddere coëgit*: & si qui aliquâ in culpâ hærerent; alios pœnâ, alios ignominiâ notavit. Equitum turmas, reducto more transvectionis, recognovit. Liberis Senatorum, quò celeriùs reip. adsuescerent; protinùs virilem togam, & latum clavum induere, & Curiæ interesse; etiam impuberibus, permisit. militiamque auspicantibus, non Tribunatum modò legionum, sed & Præfecturas Alarum dedit.

SPECTACVLORVM PVBLICORVM ORDINES.

Morem atque ordinem spectandi ludos, valde confusum, correxit ordinavitque. Et factum decretum; *Vt in publicis spectaculis, primus subselliorum ordo Senatoribus vacaret.* militem itidem à populo secrevit. Maritis plebeij generis propios ordines. prætextatis cuneũ suum, & proximũ pędagogis adsignavit.

Feminis ne gladiatores quidem, (ut verecundiæ consuleret) nisi ex superiore loco, spectare concessit. Virginibus Vestalibus locum in theatro solis separatim, & contrà Prætoris tribunal, dedit. Histrionum licentiam severè compescuit: & adversùs eosdem, coërcitionem magistratibus, in ludis & scenâ, ex veteri lege, reliquit.

DECRETA DE MORIBVS; CENSIBVS; MARITANDIS ORDINIBVS; NVPTIIS; adulterijs.

Ad mores quoque corrigendos conversus; de ambitu convictos, magistratibus, in quinquennium, prohibuit. Omnibus, qui sestertiùm quadraginta in censu possiderent, quibusque per leges liceret; legitimum magistratum petendi potestatem faciebat.

Quùmque legem de maritandis ordinibus severiùs emendare conaretur; præ tumultu recusantium eam perferre nõ potuit; nisi ademtâ demùm, lenitâve pœnarum parte; auctisque præmijs; & vacatione insuper triennij concessâ.

Cœlibes decimâ bonorum multabat. Iis verò, qui uxores ducerent, filiosque alerent; magna præmia proposuit. & interdum, qui id adprobâssent, singula nummum millia per singula capita divisit.

Et inter cæteros, M. HORTENSIVM HORTALVM, ne clarissima Hortensiorum gens exstingueretur; liberalitate x. H. S. ut uxorem duceret, induxit.

Atque ut matrimonia frequentarentur, constituit libertinas plebeijs, sine probro, posse enubere. Et ne legi fraus, aut vis fieret; quùm ex usu receptum esset, virgines septenneis desponderi, sanxit: *Ne minores X. annorum, pro sponsis haberentur; cum quibus post biennium legitimæ ac iustæ nuptiæ esse possent.*

Statuit, ut qui in adulterio deprehensi essent, impunè occidi possent: in iudicio convictis, pœna exsilium esset. In adulteram, maritus & cognati, uti vellent, animadverterent. Qui nefandà aut præposterà Venere tenerentur; capitali supplicio punirentur.

M. LEPIDVM, qui Pontificatum maximum gerebat, multis quidem contumelijs adfecit. sed licet eius dignitatis cupidissimus esset; vivente tamen illo, abstinuit.

HERODES ROMA LIBEROS REDVCIT, INVIDIÆ PROPINQVORVM OBNOXIOS.

Per idem tempus HERODES in Italiam navigat, CÆSAREM salutaturus; & ad liberos suos, qui liberalibus disciplinis ibi instruebantur, visurus. Ipse à CÆSARE humanissimè acceptus, liberos domum reduxit. Illos, ut in patriam sunt reversi; multitudo omnis singulari animorum studio excepit. qui ut staturâ corporis conspicui; ita multis animi ornamentis præstantes, regium quiddam prę se ferrent.

Sed ea res, SALOMEN, cæterosque, (quorum calumnijs, mater MARIAMME, oppressa fuerat) invidiâ metuque complevit, qui maternæ necis ultores non defore prospicerent.

Patrem itaque in partem metûs, per novas calumnias, vocandum putârunt. cuius consuetudo filijs parum esset iucunda; qui se materno sanguine polluisset. Et ęmuli quidem eiusmodi rumores in vulgum spargebant; qui tandem ad regem perlati, naturalem eius adfectum odio inexpiabili mutarent.

Sed rex integrâ adhuc pietate. nihil sinistri suspicans, in honore, quo par erat, eos habuit; & iamium adultis uxores dedit: ARISTOBVLO BERENICEN; SALOMES; & ALEXANDRO, GLAPHIREN, ARCHELAI, Cappadocum regis, Filias.

3935. Ab V.C. 736. Ab Act. pug. 14. | *CAIO deinde FVRNIO, & C. IVNIO SILANO* Coss. | 15.

CÆSAR constituit: *Ne Acta Senatûs publicarentur.* Et quò religiosiùs suo quisque munere fungerētur; sanxit: *Vt prius quàm consideret quisquam, ture ac mero supplicaret apud aram eius DEI; in cuius Templo coiretur.*

Iis, qui in Senatum non convenissent; (nisi iustâ de caussâ) multam irrogavit. Vel si frequentes illi essent, ne impunè elaberentur; statuit, ut quinctus quisque sorte multandus educeretur. Neve deinceps minore quàm CD. Senatorum numero, Senatûs Consultum fieri posset.

Et quò populum Rom. sincerum ab omni peregrini, aut servilis sanguinis contagione servaret; civitatem parcissimè dedit: & modum licentiamque manumittendi servos præstituit.

Adiecit præterea: *Ne vinctus aliquando, aut tortus; censu, vindictâ aut testamento, civitatem adipisceretur.*

Colonias, quas XXIIX. totâ Italiâ deduxerat; preter vectigalia, & opera publica, insuper iure ac digni-

dignitare, Vrbi quodam modo adæquavit. excogitato suffragiorum genere, quæ de magistratibus urbanis decuriones colonici, in suâ quique coloniâ, ferrent; & sub diem Comitiorum, obsignata Romam mitterent.

CARMINA SIBYLLINA.

Sub id tempus AVGVSTVS, CARMINA SIBYLLINA (post Capitolij deflagrationem) deperdita, ex alijs provincijs; è Samo, Ilio, &c. per Africam & Siciliam, Italicasque colonias, conquiri iussit; & per xv. Virr. recognita, ac purgata, ad APOLLINEM PALATINVM custodiri.

Ea sub TARQVINIO SVPERBO Romam quidem à Sibyllâ Cumanâ fuerant adlata; sed Syllanis temporibus, SCIPIONE & NORBANO Coss. Olymp. 153. Anno V. C. 671. simul cum Capitolio conflagrarant.

Post septem verò à Capitolio restituto annos, sub Consulatu CVRIONIS, ex S. C. tres legati, P. GABINIVS, M. OCTACILIVS, & L. VALERIVS, Erythras missi; qui eadem SIBYLLARVM carmina, conquisita, Romam deportarent. Illi mille circiter versus, à privatis descriptos, adtulérunt.

Ex ijs neque aliunde, Cic. pridem lib. de Din.) de Rege Venturo vaticiniū recitat, eiusque interpretationem: *Alter homines salvos esse non posse, nisi eumdem regem exciperent*. Licet id, ut humanum commentum, ad invadendam remp. detestetur. Quodque eius rei certum tempus non esset definitum; eam latebram obscuritatis, ad decipiendum, fuisse adhibitam existimet. Tamen ipsa adesse tempora, ex ijsdem carminibus, ore multorum iactari solitum; manifestum facit.

Ex ijsdem LENTVLVS Prætor, qui se CATILINÆ iunxit, regnum sibi deberi, (uni, scilicet, ex tribus Cornelijs) portendit; & adsciscere conatus est. Et M. ANTONIVS, Lupercalibus, IVL. CÆSARI, ceu Regi designato, coronam regiam imposuit.

VIRGILIVS denique, mysteriorum nescius, quæ de CHRISTO, ex VIRGINE nasciturо, erant prædicta; tribuit SALONINO, POLLIONIS F. tunc recèns nato. Cuius hospitio rex HERODES Romæ usus; multa eius generis mysteria, exteris significare & prodere potuerit.

DE SIBYLLIS GENERATIM.

Hoc loco, & pro renatâ, de Sibyllis, earumque carminibus, aliquid dicere visum est. M. Varro (ut est apud Lactantium lib. 1. Divin. Institut.) Sibyllinos libros, ait, non fuisse unius Sibyllæ. sed appellari uno nomine Sibyllinos, quòd omnes feminę vates, Sibyllæ sunt à veteribus appellatæ: vel ab unius Delphidis nomine; vel à consilijs Deorum enunriandis. Σιοὺς enim, non Θεοὺς, Deos; & consilium, non βουλὴν, sed βυλὴν, appellabant Æolico genere sermonis. Atque ita Sibyllam dictam esse, quasi Θεοβούλην. Cæterùm Sibyllas decem numero fuisse. Primam de Persis (cuius meminerit Nicanor, qui res gestas ALEXANDRI Maced. scripsit.) Secundam Libyssam. (meminit Euripides prologo Lamiæ.) Tertiam Delphicam. (de quâ Chrysippus libro de divinatione.) Quartam Cumæam, in Italiâ (quam Nævius libris belli Punici, & Piso Annalibus nominat.) Quinctam Erythræam. (quam Apollodorus Erythręus civem suam fuisse adfirmat. eamque Græcis, Ilium petentibus, vaticinatam; & perituram esse Troiam; & HOMERVM mendacia scripturum.) Sextam Samiam (de quâ Eratosthenes in antiquis Samiorum Annalibus scriptum se reppertisse restatur.) Septimam Cumanam, nomine Amaltheam, quæ alijs Demophile, vel Herophile nominatur.

(De hâc Agell. c. 19. lib. 1. Anus hospita atque incognita ad TARQVINIVM SVPERBVM (al. Priscum) regem, adijsse proditur, novem libros ferens, quos esse dicebat Divina oracula. eosque velle venumdare. Rege pretiū percontante, illa nimiū atque immensum poposcit. (Lact. 300. Philippéos) Rex quasi anus ætate desiperet, risit. Tum illa foculum coram eo cum igni apposuit; & treis libros ex novem deussit. &, Ecquid reliquos sex an eodem pretio emere vellet! regem interrogavit. Sed enim TARQVINIVS id multò risit magis: dixitque anum iam procul dubio delirare. Mulier ibidem statim treis libros alios exussit. atque id ipsum denuò placidè rogavit; Treis reliquos eodem ille pretio emat. TARQVINIVS ore iam serio, atque attentiore animo fit: eam constantiam confidentiamque non insuper habendam intelligit. & libros treis reliquos mercatur nihilo minore pretio, quàm quod erat petitum pro omnibus. Sed eam mulierem tunc à TARQVINIO digressam, posteà nusquam loci visam constitit. Libri tres in sacrarium conditi, Sibyllini appellati. Ad eos quasi, ad oraculum, xv. Viri adeunt, quùm Dij immortales publicè consulendi sunt. Hactenus ille.) Lactantius 300. aureis emtos eos libros asserit: quorum posteà numerus sit auctus, Capitolio refecto. Quod ex omnibus civitatibus, & Italicis, & Gręcis, & præcipuè Erythręis coacti, adlatique sunt Romam, cuiuscumque Sibyllæ nomine fuerint.)

Octavam Hellesponticam, in agro Troiano natam, vico Marpesso, circa opidum Gergithium. (quam scribit Heraclides Ponticus, Solonis & Cyri fuisse temporibus.) Nonam Phrygiam, quæ vaticinata sit Ancyræ. Decimam Tiburtem, nomine Albuneam, quæ Tiburi colitur, ut Dea, iuxta ripas amnis Anienis. cuius in gurgite simulacrum eius inventum esse dicitur, tenens manu librum. cuius sacra Senatus in Capitolium transtulerit. Harum omnium Sibyllarum carmina & feruntur, & habentur, præterquam Cumææ. cuius libri à Romanis occuluntur. nec nisi à xv. Viris inspici fas est. Hæc Lactant.

Vid. B. Aug. l. 18. de Civ. Dei de Sibyllâ præsertim Erythræâ: quam nonnulli, inquit, non Romuli, sed belli Troiani tempore fuisse scripserint. Ibidem Lud. Vivem, accuratè de ijsdem disserentem.

B. VIRGI-

B. VIRGINIS DEIPARÆ ORTVS.

Iisdem Coss. B. Virgo Maria, Christi Iesv, veri Dei & hominis, futura mater, in Nazaretho nata prodiτur.

Baron. quidem colligit Natalem eius incidisse in

Consulatu Fvrnii Nepot. & Ivnii Silani. Anno ab V. C. 737. Avgvsti, à III. Viratu, 36. Anno 3. Olymp. 190.

Nata autem hâc generis serie. (ex Hippolyto Martyre.)

Mathan Sacerdos, (Aaronic. stirpis) ex Maria, Tribûs Iudææ muliere, in Bethlehemo, genuit

- I. Mariam: quæ nupsit Cleophæ. & ex eo genuit
  - Mariam,) quæ Ioan. 19. c. dicitur Maria Cleophæ; & soror, cõsobrina, Beatissimæ Virginis.) Et ex Alphæo, viro suo, genuit
    - Iacobvm Minorem, Iosephvm, Simonem, & Ivdam. (qui dicuntur, fratres, .i. consobrini, Domini.)
  - Sorores eius,
    - Maria altera: & Salome: alijs viris enupsere.
- II. Soben: quæ ex alio sacerdote, Aaronicæ stirpis, genuit
  - Elisabetham: quæ ex Zacharia Sacerd. genuit.
    - S. Ioannem Baptistam,
- III. Annam: quæ ex Ioachimo, viro Tribûs Iudææ, genuit
  - Beatissimam Virginem Mariam quæ de Spiritu Sancto concepit, & peperit
    - Iesvm Christvm, Dei Fil. Servatorem Generis Humani, Regem cœli & terræ.

Vide infrà Iosephi Genealogiam, ad annum ab O. C. 3949.

LVDI SÆCVLARES. PVDICITIÆ PVBLICÆ CVRÆ.

Hoc eodem anno, à Communi Asiæ, Templum Romæ, (ceu Deæ) & Avgvsto decretum est, communi utriusque nomine.

Et idem Avgvstvs Ludos sæculares, eosque quinctos, ingenti adparatu, cum M. Agrippa, ex S. C. per triduum fecit. C. & x. anno, à postremis: qui Man. Lepido, & L. Avrelio Oreste, Coss. facti fuerant.

Iis ludis, ne iuvenes, utriusque sexûs, ullum nocturnum spectaculum, nisi cum aliquo, ex propinquis, maiore natu, frequentarent; prohibuit.

Et quoniam in Templo Apollinis Palatini, ter noveni pueri prætexati, totidemque puellæ patrimi & matrimi omnes, interdiu Apollini, & noctu Dianæ, Carmen Seculare (ab Horatio, Lyrico Vate, tum conscriptum) alternis concinebant; observari iussit: *Ne, quia nox tegendis & audendis sceleribus opportuna esset; ipsorum pudicitiæ detrimenti quidquam accideret*. gentilesque ijs, veluti custodes, adposuit. Iisdem ludis multâ severitate contra histrionum licentiam usus est.

AVGVSTI MODESTIA, ET LIBERI ADOPTIVI.

Domini appellationem, quâ inter scenicos ludos, populo adplaudente, compellari auditus esset; ita, uti maledictum & opprobrium, se exhorrescere professus est. ut postero die populum acerbè corriperet; & se posthâc Dominvm appellari, ne à liberis quidem suis aut nepotibus, pateretur.

Ludis confectis, Caivm, & Lvcivm, (& hunc quidem tunc recens natum) Agrippæ ex Ivlia liberos, per æs & libram à patre, veluti emancipatione coëmptos, domi adoptavit.

SICAMBRORVM, ALIORVMQVE EXCVRSIONES.

Dum hæc Romæ geruntur; Sicambri, Vſipetes, Tenctheri, Germanicæ nationes, quùm quoſdam Romanos, in territorio ſuo deprehenſos, in crucem egiſſent; Rhenoque tranſmiſſo Gallias popularentur; equitatum contra ſe miſſum per inſidias circumvenerant. Quùmque fugientibus inſtarent, uſque ad M. LOLLIVM, Galliæ tunc finitimę Proconſulem, citato curſu effunduntur: hominem pecuniæ quàm rei benè gerendæ, cupidiorem; ipſumque eodem impetu, & raptâ V. legionis aquilâ, profligant. Ea clades infamiâ, quàm detrimento, maior, AVGVSTVM ab Vrbe in Galliam excivit.

DACI COERCITI.

Parte aliâ CORNELIVS LENTVLVS, ab AVGVSTO miſſus, Dacos, Gens à Ponto in Occaſum, ad Iſtrum proximos, cæſis tribus eorum ducibus, magnis cum copijs delevit. Et ut gentem ferocem, ab incurſionibus, flumine maximo arceret; Iſtri ripam citeriorem præſidijs munivit.

CÆSAR IN GALLIAM MOVET.

3936. Ab V. C. 727. Ab Act. pug. 15. — 14.

AVGVSTVS, quia Galliam commotam, & Panmoniam in armis iterum eſſe intellexerat; ſolenni ob imperium, Quinquennali (quod AGRIPPA unus ex XV. Viris curavit) ex voto peracto, poſtquam eumdem AGRIPPAM in Syriam miſiſſet; & STATILIVM TAVRVM Vrbi Italiaq; præfeciſſet (quod onus MESALLA CORVINVS defugerat) ipſe L. DOMITIO AENOBARBO, & P. CORNELIO SCIPIONE Coſſ. in Galliam profectus eſt; TIBERIO in expeditonem ſecum adſumto.

Priùs tamen Templum QVIRINI, Romæ, de novo ædificâſſe proditur; quod LXXVI. columnis exornârit. Caſu autem pòſt factum eſt; ut annos idem totidem vivendo exegerit: & columnæ, pro omine vitæ AVGVSTI, habitæ ſint.

Eam expeditionem ſuſcepiſſe opinantur quidam; ut TERENTIA, MÆCENATIS uxore, quæ ipſum in comitatu LIVIÆ, ſequi ſolita erat; liberiùs potiretur. Alij; ad tempus ab Vrbe decedere voluiſſe; ut vitaret aſſiduitatis faſtidium: ubi vel ſeveriùs iudicare; vel cum pudore reis indulgere, traduceretur.

EXPEDITIONES VARIÆ, IN PANNONIOS, NORICOS, SCORDISCOS, DELMATAS.

Pannonij interim, adiunctis ſibi Noricorum copijs, Iſtriam depopulabantur. quos P. SILIVS aliquot prœlijs fractos ad imperium coëgit: Eâque iniuriâ Noricos ad arma adverſus Romanos movenda provocavit.

Parte aliâ Scordiſci Macedoniam infeſtabant; & Beſſi Thraciam. Horum rex, BVLOGÆSES, finitimis callidè in ſocietatem pellectis, & factâ à Romanis defectione; RASCVPOLIM, COTYOS F. pop. Rom. amicum & federatum, acie victum, interfecerat: eiuſque patruum RHYMETALCEN, copijs exutum, in Cherſonneſum Thraciæ compulerat.

L. ASINIVS eò profectus, & Beſſos domuit: & Scordiſcos, cum Sauromatis, qui arma ſociârant, ultra Iſtrum ſubmovit.

Dalmatæ quoque commoti, Mœſiorum ſocietatem, cum Scordiſcis, ad vim Romanorum cohibendam ſibi coniunxerant. Sed & ij à legatis AVGVSTI, per agrorum depopulationem, ad ſua tutanda revocati, pacem ſupplices petiére.

GALLIA EXPILATVR: ET MOX PACATVR LICINII RAPACITAS.

Gallia per id tempus non tam Germanorum incurſionibus, quàm propriorum diſcordiâ principum, inquieta erat. Eamque LICINII ENCELADI, AVGVSTI liberti & procuratoris, avaritia, magis quàm obſequij impatientia, ad nova conſilia irritaverat. Gallis namque ut tributum CÆSAR certum in ſingulos menſeis imperaverat; ita Licinius rapiendi licentiâ uſurus, pro XII. menſibus, XIV. quot-annis inſtituerat.

Is igitur repetundarum apud Auguſtum poſtulatus, & iuſtiſſimis ſociorum oneratus querelis; iudicium magnâ aſtutiâ eluſit. Pecuniam omnem, tam acerbè coactam, Auguſto fruendam obtulit. Et ut honeſtâ præſcriptione rem turpiſſimam tegeret ſubiecit: *Se imperatis pecunijs Gallos emungere & enervare voluiſſe; ne tantâ freti opulentiâ rebellarent.*

AVGVSTVS tamen ut Galliam pacaret; LICINIO revocato; TIBERIO, qui Præturam tunc gerebat, Galliam regendam, & à tributis acerbiùs imperatis recreandam, dedit.

Frater eius DRVSVS, Pręturam urbanam, ex S. C. ad finem uſque anni adminiſtravit

AGRIPPA IN ASIAM VENIT: CVI SE SOCIVM, DOMI BELLIQVE, HERODES adiungit. Huius in civitates beneficentia.

HERODES, audito M. Agrippam, ex Italiâ in Aſiam rediſſe; eò profectus, & Mytilenis ſubſiſtētem nactus, comiter hoſpitaliterque in regnum ſuum invitavit. Quo impetrato; nihil prætermiſit ex ijs, quæ voluptatem illi adferre poſſent eumque per opida, recèns in AVGVSTI gratiam honoremque condita, circumduxit; omnique deliciarum & magnificentię genere excepit.

Primùm

Primùm apud Sebasten,quam in Samariæ regione,cognomine, Metropolim,bis mille & quingentos passus ambitu complexam,pulcerrimis validissimisque mœnibus cinxerat: & deductis sex colonorum millibus;Temploque AVGVSTI,exornarat.

Deinde, apud Cæsaream, quam ex Stratonis Turri, portu amplissimo & stupendis ædificijs magnificentissimè instaurarat.

Postremò apud Panium,sive Iordanis fonteis; ubi & alterum Augusti Templum ex candido marmore exstruxerat. In arcibus denique Alexandrio,Herodio,& Hyrcanio,regio luxu à se exædificatis.

Inde AGRIPPA in urbem Hierosolymam à reg: perductus, faustisque civium acclamationibus, & festo cultu populariter exceptus;Hecatomben DEO immolavit,& populo epulum præbuit.

Longiorem ibi moram belli Bosporani fama abrupit:& AGRIPPA, ad rumultus gentis illius compescendos, in Iöniam abnavigavit.

Rex nihilo minus,hyeme domi exactâ , vere iam appetente,ad eumdem,quem cum exercitu Bosporum petere intellexerat , contendit. Iamque Rhodum & Côn prætervectus, Lesbum petebat . ibi hospitem subtitisse ratus : quùm adverso Boreæ flatu apud Chium aliquot diebus hærere coactus,multos ex ijs, qui privatim salutatum venerant, regijs muneribus honoravit. Et urbis porticum , quæ bello Mithridatico diruta adhuc iacebat, collatâ pecuniâ, ad pristinæ amplitudinis instar,erigendam curavit.

Vento deinde mutato; Mitylenen,atque inde Byzantium delatus;ubi cognovit Agrippam ultra Cyaneos scopulos provectum;quam-maximâ potuit côtentione,& classe secutus,apud Sinopen , Ponticam urbem,offendit. Gratus eius , tempore tam opportuno,fuit adventus: & ipse Romano duci laborum sociùm,consiliorumque participem;& rebus difficilibus iuxtà ac iucundis, commodum se præbuit.

Rebus autem in Ponto confectis , terrestri simul uterque itinere per Paphlagoniam, & Cappadociâ, Phrygiamque maiorem, Ephesum pervenerunt. atque inde Samum,& postea in Lesbum navibus traiecerunt. Toto eo itinere rex multis publicè & privatim,partim pecuniâ largiter adpensâ; partim amicâ apud Romanum deprecatione , gratificatus est.

Principem Iliensibus , quòd socios navaleis , uti imperatum,mittere neglexissent; subiratum reconciliavit. Chijs & Coïs,non modò immunitatem impetravit ; sed & pecuniam, quæ CÆSARIS procuratoribus debebatur , exsolvit.

AGRIPPA IVDÆORVM PRIVILEGIA CONFIRMAT.

Postquàm in Iöniam perventum est; Iudæi , qui regionis eius, Asiæque urbeis incolebant;magno numero ad Agrippam accesserunt ; questum,de indigenarum iniurijs.qui nec legibus eos suis vivere sinerent; & festis diebus ad tribunalia pertraherent ; & sacram è collectis pecuniam Hierosolyma mittere vetarent. Et contrà privilegia, sibi à Romanis indulta, se ad expeditiones,aliaque publicè munia ;& pecuniam in eiusmodi sumtus convertendam, adigerent. Ipsi,rege adnitente, benignè auditi sunt. Et Græci,qui cetera non inficiati , id tantùm prætexerent ; *Oneri sibi esse inquilinos Iudæos.* ab iniurijs ulteriùs desistere iussi. Et AGRIPPA , quoniam Iudæi ea tantùm postularent,ut quæ priùs concessa essent, sibi rata manerent ; populi Romani beneficium se confirmaturum ; operamque daturum promisit : *Ne quis ipsis,ex patrio ritu viventibus,in posterum sit molestus.*

Rex verò è Lesbo in patriam reversus ; & suis in Asiaticos Iudæos beneficiâ ; & salutarem subiectis universè sui principatûs felicitatem ,pro concione, commemoravit. Et quò multitudinem maiore hilaritate perfunderet ; tributorum quadrantem se remittere professus est. Illi vicissim regi fausta omnia comprecati.

L. TARIVS RVFVS , infimâ natalium humilitate, Consulatum militari industriâ meritus;antiquę aliàs parcimoniæ , circiter millies H. S. liberalitate D. AVGVSTI congestum, usque ad detractionem heredis , exhausit ,agris in Piceno coëmendis colendisque. Is CORNELIO SCIPIONI Cos. sub Kal. Augusti suffectus fuerat.

3937. Ab V.C. 738. Ab Act.pug.16. | *Consulibus verò M. LIVIO DRVSO LIBONE , & L. CALPVRNIO PISONE CÆSONINO.* | 13.

BELLVM CVM RHÆTIS, VINDELICIS, NORICIS.

Rhæti . qui supra Comum,ad Alpium Tridentinarum usque crepidinem , proximi Vennonibus & Lepontijs, Stænisque , habitabant ; in Galliam Cisalpinam infestis armis incurrebant , prædasque ex Italiâ agebant.

Hi locis ipsis usque adeò efferati fuisse produntur; ut quamquam olim à Tuscis conditi , nihil tamen ex antiquo, præter sonum linguæ eumque valde corruptum,retinerent:& victores, per opida aut vicos, non solùm in impuberes cædibus grassarentur; sed & quùm de sexu fœtûs , qui utero matrum gerebatur,vates consuluissent, si masculum responderent,ipsam quoque gravidam secarent & conficerent.

Eam immanitatem, barbariemque, quùm CÆSAR inultam nollet: DRVSVM.privignum suum,cô ra eos misit. Qui prœlio,apud Tridentinas Alpeis,fusos,ab Italiâ submovit. hinc imperatoria ornamenta promeritus. Eo prœlio , tanta in mulieribus ipsis feritas fuisse scribitur;ut deficientibus telis, infanteis humi adflictos in adversa militum ora côiecerint. DRVSVS ex eâ victoriâ pretorios etiam honores adeptus, anno ætatis 33.

Cæterùm Rhæti ex Italiâ pulsi , in Galliam irrumperant. quibus TIBERIVS, DRVSI frater,sese obiecit , eorumque impetus repressit. Post hæc fratres, coniunctis copijs & signis conversis ; impetuque in Rhætorum agros facto ; tam ipsi , quàm legati ipsorum,tantum universæ genti terrorem incussére,ut singulos populos , iam dissipatos , facilè deleverint: reliquos,pręde speratione,in suam potestatem redegerint. Vindelicos & Breunos,qui inter Rhætos ferocissimi habebantur; TIBERIVS prœlijs aliquot navalibus,

vallibus, in Brigantino, seu Veneto lacu, superavit.

Et quùm ex eiusdem Lacus Insulâ, quæ arcis instar erat, subitos in omneis undique impetus faceret lateque omnia vastaret, eosdem tandem ad deditionem compulit. Colonia eò deducta, quæ Augusta Vindelicorum appellata est.

Nec multò-pòst, alios Inalpinos, qui latrocinijs viatores infestabant, aut delevit, aut facere imperata coëgit.

Noricos, qui cum Pannonijs Istriam invaserant; P. SILIVS in servitutem redegit. quo nomine ille eodem hoc anno triumphavit.

COLONIÆ IN GALLIA, ET ALIBI.

Eodem tempore, in Narbonensi Galliâ, Nemausum colonia deducta, iureque Latij donata: *Vt qui, apud Nemausenses, Ædilitatem & Quæsturam adepti essent, ij cives Romani censerentur. neve Prætoribus pop. Romani parerent: ipsiq; XXIIV. Viris sua gentis, ius dicerent.*

Tunc & Arelaten, ex Emeritis VI. legionis; & Arausionem, ex Secundanis, coloniæ deductæ putantur. Et Cyzicenis, postquàm Senatui probassent, se à furente plebe oppressos, in civeis Rom. iniquiùs consului, se libertas restituta est.

Paphijs, in Cypro Insulâ, terræ-motu adflictis, AVGVSTVS immunitatem decrevit: & quidquid ex provinciæ formulâ debebant, in sexennium remisit. Atque adeò Paphos ipsa ex S. C. Augusta cognominata est.

INAVDITA VEDII POLLIONIS CRVDELITAS, ET GVLA.

P. VEDIVS POLLIO, libertini generis, Eques Romanus, crudelitate in servos, & opulentiâ nobilis, eo anno in fata concessit. Invenerat ille nova, per Murænam piscem, sævitiæ documenta. Vivarijs earum mancipia, ob minimum etiam delictum condemnata, immiserat; ut humanâ carne pastas ad gulam suaviores haberet.

Ea POLLIONIS licentia, publicum odium; opulentia, invidiam moverat. Et CÆSAR ipse male audiebat, quòd hominis impotentiam non refrenasset. Vivum quidem illum AVGVSTVS frequentârat; sed mortuo, quamquam ex dodrante heres scriptus; nullum honorem habuit. Immò & ædeis ipsius diruit. *Ne quod eius sævitiæ monimentum exstaret.*

3938. Ab V. C. 739. Ab Act. pug. 17.	*M. LICINIVS CRASSVS, (filius M. CRASSI, qui AVGVSTI in IV. Consulatu collega fuit) & C. CORNELIVS LENTVLVS AVGVR, (qui postea Gætulicus dictus, ex eâ gente devictâ: habuitq; in censu, AVGVSTI beneficio, quater millies H. S. sive 18. milliones) tam erant creati Consules.*	12.

BELLVM CVM BOSPORANIS. IISQVE REX POLEMON DATVS.

Quùm Bosporani Cimmerij, quibus AVGVSTVS regem, ASANDRVM, dederat; eo mortuo, à SCRIBONIO, qui se MITHRIDATEM genus suum falsò referebat; ad defectionem solicitati sunt.

Is namque DYNAMIN, ASANDRI viduam, PHARNACIS filiam, (cui maritus moriens regnum, sive hereditate, sive testamento, reliquerat,) uxorem duxit; & Bosporum occupavit.

Eâ re cognitâ, AGRIPPA, qui tunc Mitylenis erat; POLEMONEM, Ponti regem, socium & amicum pop. Romani, cum exercitu mittit; ut SCRIBONIO bellum moveat, eumque regno eijciat: Cæterùm is SCRIBONIVM à popularibus suis, qui generis ementiti ignobilitatem ulti erant, oppressum occisumque invenit. Quùm nihilominus Bosporani POLEMONEM, quem oderant, pro rege accipere, ut AGRIPPA iusserat, recusarent, armisque obsisterent; & ne prælio quidem victi, ad imperata cogi possent; AGRIPPA classe, cum exercitu, ad Cyaneos scopulos adpulsâ, unà cum HERODE, in Bosphoranos, ex adverso ad Sinopen littore, impetum minatus; eos in ditionem venire; & POLEMONEM, DINAMI reginæ iam eidem in uxorem collocatâ, agnoscere, accipereque coëgit. *Cætera anno superiore commemorata.*

AGRIPPÆ, ob res in Bosporo & Ponto feliciter gestas, triumphus, eum supplicatione, à Senatu decretus est. & AVGVSTVS, cuius auspicijs res gestæ erant, x. Imperator salutatus. Sed AGRIPPA triumphum iterùm neglexit. sive quòd ad Senatum de victoriâ, ut legibus erat receptum, non scripsisset; sive quòd res eas triumpho indignas arbitraretur.

Et nemini posthàc, qui dignitate cum Agrippâ pari esset, triumphus in posterum; sed ornamenta tantùm triumphalia decreta sunt.

PANNONII ITERVM ET LIGVRES DOMITI.

Intereà Pannonij, COTISONIS, Getarum regis, auxilio freti; arma iterùm cæperant. sed mox per legatos Augusti, motus eorum celeriter compressi; & ipsi in deditionem recepti sunt.

Maritimæ etiam Alpes, quæ à Liguribus Capillatis tenebantur; hactenus liberæ & iure Italico fruentes; eiusdem Augusti auspicijs in servitutem redactæ sunt.

Vagienni quoque Inalpini, & Taurini Ligures, in deditionem adducti. Et apud eos victoriarum monumenta ab Augusto condita: Apud illos, Augusta Vagienorum; apud hos, Augusta Taurinorum.

BERYTVS COLONIA.

Eodem tempore in Berytum, maritimam Phœniciæ urbem, coloni ex veteranis ab Agrippâ adscripti; & urbs ipsa iure Latio donata, & Iuliæ Felicis cognomine illustrata est.

Tarsensibus quoque in Ciliciâ libertas & ius civitatis Romanæ, quibus ab Antonio Triumviro olim fuerant donati; ex Augusti imperio, & S. C. sunt confirmata.

Augustus, sedatis Gallorum motibus, & repressis Germanorum excursionibus: composita Hispaniæ rebellione; Drusoque, in Germania, cum imperio & exercitu, ad Rhenum relicto; ipse in Vrbem reversus est. Et morum legumque regimen in tertium quinquennium accepit.

3939 | *Paullo antè TIBERIVS CLAVDIVS NERO (post Imperator,*
Ab V. C. 740. | *quinque paucis diebus Consulatum gessit) & P. QVINCTILIVS VA-* 11.
Ab Act. pug. 18. | *RVS Consulatum inierant. Et Theatrum BALBI fuerat dedicatum.*

TEMPVS MISSIONI MILITARI PRÆSTITVTVM. AGRIPPA PODAgram lenit.

Quùm Augustus, paucis pòst diebus, militibus iustæ missionis tempus præstituit. Prætorijs quidem annum x. Reliquis annum xvi. Emeritis autem, non agrum ut antea; sed pecuniam dari mandavit. ne veteres coloni sedibus usque suis pellerentur; & milites passim tumultuarentur. (Quâ de re, paullò plenius infrà.)

Mòx & M. Agrippa Romam ex Asiâ rediit. Qui dum gravi pedum morbo conflictaretur, neque doloris satis patiens esset; ignaro quidem Augusto, sed audaciore medici consilio usus; demersis in acetum calidum cruribus, acerrimum morbi impetum pro tempore evasit. *Tanti putavit, usu pedum, sensúq; adeò omni carere; dummodò & dolore illo levaretur.*

LEPIDI EXITVS.

Mortuus est & tunc, qui longâ inertiâ consenuerat, M. Lepidus, Trium-vir nuper, & Pont. maximus. Pontificatum, quem vivo auferre, populo etiam rogante, Augustus noluerat; eo mortuo, Pontificum operâ, & populi suffragijs, prid. Non. Mart. suscepit: ludósque Pontificaleis magnificentissimo adparatu edidit: & Tigrim omnium primus Romæ ostendit. Iis ludis, ab Athletarum & pugilum spectaculis muliebrem sexum omnem submovit.

FATIDICI LIBRI CONCREMATI.

Quidquid fatidicorum librorum, Græci Latinique nominis, nullis, vel parùm idoneis auctoribus vulgò ferebatur; supra bis mille undique contractos, concremavit. Solos Sibyllinos retinuit; & quidem habito eorumdem delectu. quos duobus forulis inauratis, sub Apollinis Palatini basi recondidit.

ANNVS ORDINATVS.

Annum à D. Iulio patre ordinatum, sed posteà Pontificum negligentiâ conturbatum; (quia inter xxxvi. annos, quùm ix. tantùm dies intercalandi fuissent; xii. interseruerant) rursùs lege præscriptâ, ut xii. anni proximi, sine intercalatione, defluerent; atque ita tres illi dies, qui plus iusto inserti fuerant, consumerentur; ad pristinam rationē redegit. Vt annus ccclxv. dierum, & quadrantis, esset: & quarto quoque anno, non ineunte, sed desinente; dies unus intercalaretur.

In eius anni ordinatione, è suo cognomine, Sextilem mensem passus est Augustum nūcupari; quòd eo mense primus ei Consulatus; & insignes aliquot victoriæ, cum tribus triumphis, obtigissent. Licet mense Septembri, x. scilicet Kal. Octob. natus esset. *Hæc & S.C. sanctita, & plebiscito confirmata.*

RATIONARIVM AVGVSTI.

Eodem anno Augustus, ex Austrinis tempestatibus; gravedine laborans; convocato Senatu de rep. relaturus; Quæstori libellum recitandum dedit: quo res ab ipso gestæ comprehendebantur: & quidquid ubique militum esset, ad certam stipendiorum premiorumque formulam adstringebat: definitis, pro gradu cuiusque, temporibus & commodis missionum: ne aut ætate, aut inopiâ, post missionem, ad res novas solicitari possent.

Posthæc P. Quinctilius Varus Pontifex, cum Tiberio collegâ, ludos votivos Iovi, pro reditu Augusti, ex S.C. fecit.

Theatrum Marcelli eodem anno ab Augusto dedicatum: Ludíque eius rei gratiâ facti. (Troięque ludicro, & minorum puerorum delectui, Caius, nepos eius, præfuisse, traditur à Gręcis scriptoribus: Latini id biennio posteriùs factum prodidére.)

LVDI NATALITII.

Natali ipsius Augusti, ludos, quos equites Romani quotannis sponte faciebant, atque ipso consentiente per biduum celebrabant; Iulus Antonius, M. Antonii F. tum Prætor, equestri certamine, & venationibus magis solenneis fecit: epulumque ex S.C. Augusto & Senatoribus dedit. Eodemque natali, Ordines, in Lacum Curtii quotānis stipem, ex voto, pro salute Augusti, iacere consuetant.

XX. VIRATVS INSTITVTVS.

Tum & xx. Viratus, novus magistratus ex Equitibus, S.C. institutus est. Ita tamen, ut qui eo honore functi essent, idcirco in Senatum ne legerentur, nisi & aliū magistratum, eo ordine dignū, cepissent.

Ex his xx. Viris, Tres erant, iii. Viri capitales: Tres monetales; qui Auro, Argento, Ære, Flando, & Feriundo, præessent. Quattuor, qui vias urbanas curarent: Decem, qui hastam Centum-viralem cogerent. Augustus præterea Senatum recensuit. omneisque, qui censum Senatorii haberent, & xxv. ætat. annum attigissent, corporeque integro neque deformato essent; in Senatum adlegit.

Agrippam autem, exacto iam primo Tribunitiæ potestatis lustro; in proximum iterùm quinquennium Tribunitiâ potestate donatum, Constituendæ etiam Reip. collegam retinuit.

3940. | *Consulatum hoc anno M. VALERIVS MESALLA BARBATVS,* | 10.
Ab V. C. 741.
Ab Act. pug. 19. | *& P. SVLPITIVS QVIRINVS inierunt.*

Illius filia, VALERIA MESSALLINA, CLAVDIO Imp. posteà nupsit: Hic verò ortus apud municipium Lanuvium, nihil ad veterem & patriciam SVLPITIORVM familiam attinebat.

Iisdem, in Consulatu mortuis, suffecti produntur: C. VALGIVS, cognomine SATVRNINVS; qui tamen magistratum non iniit: & C. CANINIVS REBILVS, qui pariter in eo magistratu mortuus est.

AGRIPPÆ EXITVS.

AVGVSTVS, AGRIPPAM, cum maximo imperio & exercitu in Pannonios, qui iterùm, Getis auxiliantibus, rebellarant; adultâ hieme misit. Sed ij, cum ipsius adparatu territi; tum ducis famâ consternati; ab armis dilabuntur, & pacem petunt. AGRIPPA inde in Campaniam reversus, in fatalem morbum incidit

AVGVSTVS, qui tum fortè Quinquatribus (XIV. Kal. April.) nepotum suorum, CAII & LVCII, nomine, munus dabat; quam-celerrimè eò adcurrit. quem ut mortuum repperit; tam suâ, quàm reipub. caussâ gravissimè indoluit. funusque Romam delatum, atque in foro positum, laudavit; & in suum Mausoléum condidit.

(*AGRIPPAS ab agro partu, quòd in pedes nascantur; dictos putárunt antiqui. quùm hominem capite oriri, ex lege natura, sit conveniens: contrà pedibus antrorsum efferri, sit insuetum.*)

EIVSDEM FELICITAS; MAXIMIS INCOMMODIS CVMVLATA, EIVS desiderium.

Hunc AGRIPPAM tam præpostero exortu natum ferunt; unico felicitatis exemplo. Quamquam, & aliàs, eiusmodi exortûs augurium, AGRIPPAM fatis luisse constet. Adversa nimirùm pedum valetudine, perpetuisque podagræ cruciatibus: tum miserâ iuventâ, & reliquâ vitâ inter arma hostesque exercitâ.

Adhæc vitę brevitate; qui anno quinquagesimo, per magnum corporis cruciatum, sit exstinctus.

Qui in tantis, ob uxoris adulteria, anxietatibus, animam traxerit; perpetuo ferè soceri servitio oppressus. Denique, infelici orbi terrarum, posteritate, per utrasque potissimùm AGRIPPINAS. filiam, quæ CAIVM CALIGVLAM: Neptem, quę DOMITIVM NERONEM; principes genuere: *totidem generis humani exitia & pesteis.*

AGRIPPÆ morte in Vrbem nuntiatâ, luctus omnibus universè incessit. Lati clavi, & annuli aurei, depositi; vestemque omnes mutárunt. Et longinqua fuit in populo, tantarum in homine virtutum, recordatio, ac desiderium. cui levamenti pro tempore aliquid adferre visum, quòd IVLIA filium pepeꝛisset, qui Agrippa Posthumus, è re natâ dictus.

TIBERIVS GENER AVGVSTI, DVCTA IVLIA.

AVGVSTVS, ut domum suam aliquo iterùm subsidio firmaret, anxius cui filiam collocaret: C. Proculeium, Equitem Romanum; Terentiæ, Mecænatis uxoris, fratrem, ob insignem moderatæ vitæ tranquillitatem, cæteris præferre, apud se constituerat. sed tandem Tiberium, privignum suum, elegit. eumque coëgit, Agrippinam, Agrippæ filiam, tum ex ipso prægnatem, & ex quâ iampridem Drusum genuerat, dimittere. Quod quidem facere, non sine magno animi angore, tum ob iucundam Agrippinę consuetudinem; tum ob improbos Iuliæ mores, (quam sub Agrippâ etiam marito, sui appetentem sensisset) induci passus est.

Cum eâ primò concorditer, & mutuo amore vixit: sed mox ab eâ discessit: & aliquantò gravius, ut etiam perpetuò secubaret. postquam mutui adfectûs pignus, Aquileiæ natus infans exstinctus fuit.

PANNONII ITERVM REBELLES DOMANTVR.

Illum AVGVSTVS in Pannoniam, ad arma iterùm, auditâ Agrippæ morte, commotam, cum summo imperio mittit. Rebellabant potissimùm Breuci & Colapiani; populorum, qui cis Savum degebant, facilè principes; quibus Pinnetes: Item Desitiatæ, & Amantini, trans Savum; quibus duo BATONES imperabant. Hic TIBERIVS egregiâ Scordiscorum, qui se cum Romanis iam coniunxerant; fide operâque usus est. Qui, ut ad Claudium montem habitabant, hostium tergo obversum; ita subitâ inde incursione populationeque, ingentem cum terrore cladem, superaris Dravo & Batuncio fluminibus, in Amantinos circumtulére. Sic ut fumus, ex villarum agrorumque incendijs, in oculos & ora hostium ferretur; & omnia tumultûs plena essent.

BATO itaque, quasi ad sua defendenda cū copijs digressus; TIBERIVM, quem impeditis & devijs saltibus excercitum in Breucos ducētem, locis tam iniquis, sistere aut perdere etiam poterat; passus est cū omnibus copijs incolumē evadere. (quo beneficio pacem posteà sibi, suisque; & ingentia insuper præmia à TIBERIO adsecutus est.) Tota itaque belli moles in Breucos, omnium ferocissimos, versa.

Et hi clade Dæsitiatarum, quibus alter Batonum imperabat; ex armis (quę proiecta Savo flu. deferebātur, magnæ stragis indices) intellectâ; præ terrore & desperatione, à ducum suorum imperio dilapsi, in deditionem venére. Ex ijs qui arma ferre poterant; magnam partem Tiberius sub coronâ venire iussit. eâ lege: *Vti ne in Pannoniâ, aut vicinis regionibus, à pop. Rom. imperio alienis, servirent.* PINNETES eorum princeps, in Pirustarum ditionem fugâ elapsus est.

P. Corn. Dolabella, ut eosdē Pannonios, qui nōdū perdomiti erant, sub ius ditionemq; redigeret, submissus

missus est. Et TIBERIVS, à victoriâ, in Segesticam, Savi insulam, traijciens, ibi Syscium coloniam ex veteranis, cum iure Italico, deduxit: opidumque, haud longè à confluentibus, Colapis & Savi, situm, validis mœnibus propugnaculisque firmavit. Eâ deinceps, tanquam arce, contra Pannoniorum & Dacorum incursiones, usus.

Senatus TIBERIO, ob res feliciter gestas, triumphum decreverat. verùm AVGVSTVS, ne eum ageret, intercessit; & triumphalibus solùm ornamentis donandum censuit. Qui honor, secundum AGRIPPAM, ei primùm obtigerit.

ALTERA IN SICAMBROS EXPEDITIO: IN BRVCTEROS, FRISIOS, CAVCHOS

Sub hæc, Sicambri, duce MELONE; simul & Vsipetes, Galliam iterùm incursionibus vastabant. Multique ex Gallis, ob continua tributa, & fenoris gravitatem; quibus coactorum sævitia ac superbia accesserat; Germanis sese adiunxerant.

Hinc DRVSVS, TIBERII frater, qui tum Galliam pro-Prætore regebat; provincialium primores evocat; & leniter verbis castigatos ad imperium reducit. & coactis undique copijs, socios navales, Batavorum insulam, cum classe, petere iubet.

Ipse contra Germanos, quàm-maximis potuit itineribus, profectus, ne Rhenum traijcerent, repressit.

FOSSA DRVSIANA. MARIS SEPTEMTRIONALIS EXPLORATIO. FRISII ROMAN. AMICI.

Fossamque novi & immensi operis, quà ex Mosâ in Rhenum, & ex Rheno per Lacus in Oceanum navigaretur, fecit: cui Drusianæ ab auctore nomen fuit.

Hinc in Amisiam flumen deflectens; Bructeris navali prœlio superatis, Frisios etiam in deditionem accepit, varijs prœlijs edomitos: & tributi vicem, in usus militareis, coria boum pendere iussit.

Oceanum inde Septemtrionalem, primus ex Romanis, ingressus, classe ad Cimbrorum usque promontorium (quæ fortè hodie Scagia est) circumvectâ, explorari iubet.

Inde prospecto immenso mari, aut famâ saltim cognito; ad Scytharum littora, & loca extremo frigore horrentia, atque inculta; idem mare, importuosum atque inaccessum, pertingere intellexit.

Inde in Cauchos celerem, prosperamque expeditionem facit; & acie secum congredi ausos superat. Ex illis, qui fugâ elapsi fuerant; pars maior ad suas se paludes, Romanis incognitas, ceu in tutum, recepére.

Quùmque DRVSVS classem in ea æstuaria incitari iussisset; atque ob æstuum violentiam, & brevium vadorumque difficultatem, magnum periculum esset aditurus; Frisij, paullo-antè in societatem adsciti, tempestivè ipsum de loci vitio præmonuérunt.

DRVSVS itaque Sicambris, qui Rhenum transiérant, cæsis: & Vsipetum agro longè latéque vastato: Frisijs denique in pop. Rom. amicitiam acceptis; in Vrbem reversus est: Et licet prætorijs anteà ornamentis donatus; præturam tamen accepit.

DOMESTICA, IN HERODIS REGIA, MALA, ET DISSIDIA: FRATRIBVS INTER SE COMMISSIS.

Interim HERODES cum novis domestici dissidij malis, miserandum in modum, conflictatus est: quùm soror SALOME, cum aliquot conscijs, tamquam hereditario odio, adolescenteis, MARIAMNES filios, ceu futuros aliquádo maternę necis ultores, metuerent, & insectarentur: & ipsi partim eâdem ex causâ malè erga patrem animati; partim iuvenili dominandi cupidine incitati, vix sibi à convicijs in adversarios, & insidiatores, temperarent. Et matris immeritę mortem impatientiùs ferentes, neque iram dissimulantes, suam quoque sortem miserabantur; quibus necesse esset, cum parentis suæ interfectoribus vitam degere; atque eorum se quasi contagione inquinare.

SALOME itaque & Pheroras, irritatâ subinde adolescentium ferociâ, quam mox apud patrem in suspicionem essent vocaturi; Herodem, iam ex Asiâ reversum, monent, magnum ab illis sibi, & ipsi impendére periculum: Qui palam iactarent: *Haud impunè laturos, quotquot materna necis auctores fuissent.* Et huic calumniæ adfingunt; ARCHELAVM, Cappadociæ regem, spem ijs facere: cuius ope ad Cæsarem accederent, patrem accusaturi.

His auditis, quæ & ab alijs convenienter renuntiarentur; rex turbatus: & anteacta, memoriâ repetens, atque ex ijsque futura præcipiens; ne maior ex eo dissidio calamitas consequeretur, reformidabat.

Atque ita ille, qui foris, fortunâ supra omnem spem propitiâ uteretur; cuique domi omnia præter opinionem, pessimè cederent; ambiguum fecit: *Possetne externâ felicitate, domestica eius calamitas, pensari! An satius, utroque, ex æquo carere, & intra privatam sortem consistere.*

ANTIPATRI MALIGNITAS.

Inter has animi curas, visum est; alium filium, ex DORIDE, ANTIPATRVM, tum privatum, in regiam arcessere, & in honore habere. Eo sortè pacto minuendam adolescentium spem & ferociam ratus; quùm sibi solis tanti regni successionem minimè servari animadverterent.

Sed id longè aliter evenit. Illi namque iniuriosum factum patris interpretati sunt. & Antipater, ampliore libertate non contentus, hoc unum studebat; *Ne primo apud patrem loco fratribus cederet;* eumque ab illis per calumnias alienaret. Quas quidem non per se, sed per consiliorum socios, regi minimè suspectos, & fidem dictis adstruere edoctos, intentaret.

Iam enim & complures ad eum, quem nova regni spes inflârat, colendum, se contulerant; & alij Herodem fucatâ benivolentiæ specie, captabant; & criminibus, undequaque conquisitis domesticum dissidium fovebant.

HERODES FILIORVM INNOCENTIVM ACCVSATOR.

Rex autem ægrè ferens publicos suorum ex Mariamne filiorum questus, & deplorationes, quò ma-

gis eos deprimeret, maioribus semper honoribus augebat Antipatrum: eiusque matrem iam in regiam induxerat.

Agrippæ denique, qui post decennalē Asiæ administrationē, Romam iam cogitabat; solum hunc ex filijs, itineris comitem adiunxit; à quo multis cum muneribus ad Cæsarem perduceretur, & unicè cōmendaretur. ut quasi repulsis à principatu adolescentibus; per illum omnia agi genque viderentur.

HERODES ab eodem ANTIPATRO filio etiam absente, per litteras & calumnias, in filios exacerbatus; ne quid temerè per iram in eos consuluisse censeretur; Romam navigare constituit; & eosdem coram apud CÆSAREM accusare. Quem quùm Romæ non invenisset; Aquileiam usque est persecutus.

Ibi coram Cæsare, insolentiæ, veneficij, & adfectati regni, alijsque ex suspicione criminibus, innoxios adolescenteis onerabat. quibus neque decorum videretur contra patrem hiscere, aut liberè dicere; neque tutum caussam suam deserere. Eorumque modestia & iuvenilis consternatio, Cæsaris prudentiam non latuit; & quotquot aderant, misericordiam omnibus commovit.

Et postquàm ALEXANDER, alter ex filijs, cordatè patris accusationi respondisset; rex ipse pater excusationis egere visus est: qui sine certis ullis argumentis eam criminationem tam temerè adgressus esset. Et Cæsar ipse patrem rogavit; ut suspiciones eiusmodi ex animo aboleret, & filijs reconciliaretur: *& mutua utrimque pietas in posterum coleretur.*

3941. Ab V. C. 742. Ab Aſt. pug. 10.	PAVLLVS FABIVS MAXIMVS, & Q. ÆLIVS TVBERO, Coſſ. creati.	9.

SENATVS RESTITVTVS, ET TRIBVNATVS PLEB.

AVGVSTVS, ut res urbanas componeret; Senatum rursus legere instituit. Quùm namque amissis per bella patrimonijs, census Senatorius, c. millibus esset præfinitus: pòst autem, magnis iam partis divitijs, usque ad cc. millia esset perductus; nemo erat, qui spontè Senator esse vellet. quin & filij nepotesque Senatorum, adflictâ re familiari, ultrò etiam Senatoriâ dignitate se abdicabant; nedum ut appeterent.

Et quoniam nec Tribunatum plebis quisquam ultrò petebat; uti ex Quæstorijs, & nondum annos XL. natis, aliqui fierent; omneis ipse perquisivit. Et qui supra XXXV. annos nati erant, præterijt: qui verò infra eam ætatem essent, & censum Senatorium haberent; Senatores esse coëgit. nisi qui manco aut mutilo corpore essent.

Et ne infrequentia candidatorum, Tribunatus pleb. negligeretur; sanxit: *Ut tot ex Equitum numero, aut suffragijs crearentur, aut à designatis cooptarentur; quoad legitimus Tribunorum numerus expleretur.* Eâ lege; ut quùm Tribunatu abijssent, ipsis liberum esset, in Senatorio ordine censeri; vel in Equestri manere, si mallent.

DRVSI EX GENTIBVS GERMANICIS VICTORIÆ.

Interim DRVSVS, iam Prætor, iterùm in bellum reversus, superato Rheno, Vsipetas perdomuit. Lupiâque fl. ponte instrato, incursionem in Sicambros fecit. Inde Tencteros adflixit: & Cattos Sicambrorum armis antea fractos, quia societatem cum cæteris Germanis coire noluissent; varijs cladibus adtrivit.

Post hæc validissimas Chærusccorum, Suevorum, & Sicambrorum copias, magno difficilique prœlio superavit.

Qui, quòd victoriam animo præcepissent; spolia, prędasque ex Romanis, pactione inter se erant partiti: & Chærusci equos, Suevi opes, Sicambri captivos præelegerant. Atque ut aliquâ sceleris necessitudine mutuam inter se societatem, velut auctoramento aliquo, obstringerent; XX. centuriones, ex hostibus à se interceptos, concremaverant. Ita non nisi magno labore & militum Romanorum virtute victa est earum gentium pertinacia.

DRVSVS equos, pecora, torqueis, ipsosque captivos, ceu prædam militi suo distribuit; & sub coronâ vendidit. Nec incruenta Romanis victoria fuit. Ab horâ diei sexta, ad noctem usque, cæsi hostes, sex passuum millia cadaveribus, aut armis opplevere. Repertis, inter spolia eorum catenis, quas in Romanos, uti non dubio victoriæ eventu, secum adportarant. Miles in ipso pugnæ loco DRVSVM Imperatorem salutavit: & tropæa erexit.

Inde DRVSVS, per Mosam flumen, per Visurgim, & per Rheni ripam, L. amplius castella, coërcendis hostium incursionibus, condidit.

Quùm ob eas res, DRVSO, triumphales honores essent decreti; & ut ovans urbem iniret: AVGVSTVS eidem Proconsulare quoque Imperium, postquam præturâ, quam tum gerebat, abijsset; concessit. sed Imperatoris nomen, quo ab exercitu fuerat salutatus; negavit.

TIBERIVS intereà Delmatas, qui eo absente cum Pannonijs arma rursus moverant, iterùm etiam in potestatem redegit: & eosdem cum DRVSO honores adeptus est.

AVGVSTVS ob tot victorias, suis auspicijs partas, XII. Imperator à Senatu appellatus est. DRVSI ovationem, præmatura mors prohibuit.

BELLVM IN THRACIA.

Dum ea per AVGVSTI privignos, in Germaniâ, Pannoniâque geruntur; atrox in Thraciâ bellum exortum est. BVLOGÆSES, Bessorum rex, RHASCVPOLIM, COTYCS F. pop. Rom. socium, interfecerat; eiusque patruum RHYMETALCEN, copijs exutum, in Thraciæ Chersonnesum compulerat, (ut suprà memoratum) L. PISO, ex Pamphyliâ, cui præerat; motis castris in Bessorum regionem venit: cladem que ab ijs acceptam, insigni victoriâ correxit.

DRVSVS Romam reversus, Natalem AVGVSTI magno adparatu celebravit. Et tum S.C. decretum est; ut Augustalia, festus dies, ipso Natali AVGVSTI, à Præt. Vrbano quot-annis celebrarentur.

Coſſ.

3942. Ab V. C. 743. Ab Act. pug. 21. | Cos. inde creati IVLVS ANTONIVS, AFRICANVS M. ANTONII ex FVLVIA F. & Q. FABIVS MAXIMVS. | 8.

DRVSI DE SVEVIS, CATTIS, MARCOMANNIS, &c. TROPÆA.

Quùm DRVSVS, ineunte Vere, in Germaniam profectus, Suevos magnâ clade profligatos, in ditionem recepit: iisque VANNIVM regem dedit; initio sui principatûs popularibus non ingratum.

Inde etiam Marcomannos congredi ausos, non sine maximâ strage, prœliis & populationibus, ad imperata facienda coëgit, quorum similiter spoliis tumulum quemdam, in tropæi modum, exornavit. Inter flumina, Alisonem, & Lupiam, castellum, ad arcendos Cattorum impetus, condidit: præsidiaque & custodias, ad provinciarum tutelam, disposuit. Easque ob res, simul & ob PISONIS adversùs Bessos victoriam, AVGVSTVS XIII. Imper. salutatus est.

OCTAVIÆ MORS, ET HONORES FVNEBRES.

Sub hæc, mortua est OCTAVIA, AVGVSTI soror, cui ille, quùm præcipua officia vivæ præstitisset, defunctæ etiam maximos honores tribuit, & mortuam laudavit, eamque non modò Senatores, latis clavis & annulis publicè positis, sed matronæ etiam omnes luxêrunt.

DRVSVS quoque, Cos. designatus, pro rostris vestem mutavit: iidem & L. DOMITIVS, uterque OCTAVIÆ generi, qui & funus extulêrunt, & in AVGVSTI mausoléo condidêrunt.

SENATVS CONSVLTA RESTITVTA.

Tum quoque AVGVSTVS permisit, ob infrequentiam Senatorum qui ad edictum conveniebant, ut ex ccc. sententiâ Senatus-Consulta perscriberentur; & ad ærarium perferrentur. Eademque Quæstoribus custodienda tribuit: quòd Tribuni pleb. & Ædiles, quibus ante id negotij datum erat, per apparitores suos negligentiùs ea curâssent.

FLAMEN DIALIS.

Eodem anno quidam prodidêre SER. CORNELIVM MVLVGINENSEM, Flaminem Dialem esse creatum; LXXIV. annis post L. CORNELIVM MERVLAM, qui bello civili Mariano Consul, quùm se magistratu abdicâsset; incisis venis sponte vitam finierat. & tunc ex Pontificum decreto fuisse constitutum; ne Flamen Dialis plus quàm biennio ab Vrbe abesse posset; idque valetudinis tantùm causâ, & ex Pontificis maximi decreto. Neve iis, etiamsi magistratum capere poterant; provinciarum administrationes concederentur.

NOVÆ DRVSI, TIBERIJ PISONIS VICTORIÆ.

Haud multo-pòst DRVSVS in Galliam, motibus Germanorum turbatam, cum AVGVSTO profectus, eidem ARAM Lugduni dedicavit; idque Kal. Augusti, quo die ipsi TIB. CLAVDIVS DRVSVS, qui posteà imperavit; natus est.

TIBERIVS verò, in Pannoniam, quam COTISONIS regis iussu, Daci opprimebant, ab AVGVSTO missus, Delmatas, qui ob tributum iniquissimè imperatum, & acerbiùs exactum, rebellaverant; sìque cum Dacis sociaverant; partim acie profligatos, partim ultra Danubium summotos, ad impetium coëgit; eiusque fluminis ripas ulteriores præsidiis castellisque firmavit. Quod itidem suprà factum memoravimus.

L. verò PISO, Mæsios & Bastarnas, qui armis Æminontanos, & vicinos uerùm infestabant, magno prœlio vicit. qui in ipsâ etiam captivitate, catenas moribus impotentes, barbariem suam prodidêre.

DRVSVS, postquam Cattos, qui Sicambris iuncti rebellarant; aliquot cladibus adfectos, ad deditionem coëgisset; Lugdunum victor reversus, unà cum AVGVSTO in Italiam rediit. & AVGVSTVS XIV. Imperator salutatus.

CÆSAR VRBEM STATVIS EXORNAT.

Pro statuis autem, quas ipsi Senatus ob victoriam decreverat; SALVTIS, CONCORDIÆ ac PACIS, signa poni imperavit. In restitutionem DOMVS PALATINÆ, quæ incendio erat consumta; Decuriæ, Tribus, Veterani, & sigillatim quamplurimi ex cetero hominum genere, libenter, & pro suâ quisque facultate, pecunias contulerant. Cæterùm CÆSAR, delibans tantummodò summatim acervos, haud plus denario ex singulis abstulit.

Et quùm Kal. Ianuar. absenti etiam, omnes ordines strenam in Capitolio offerrent, similiter & in Lacum Curtium stipem, pro salute ipsius, ex voto, conijcerent; eâdem modestiâ & continentiâ usus; ex eâ summâ, pretiosissima Deorum simulacra mercatus, eadem vicatim dedicabat. Et in his APOLLINEM SANDALIARIVM, à vico; & IOVEM TRAGOEDVM, ab habitu, dictos.

AVGVSTI MVTVA IN HERODEM LIBERALITAS.

HERODES, ex Aquileiâ, AVGVSTVM, cum liberis Romam secutus; quùm is munera ederet, & congiarium populo divideret; ccc. talentis adiuvit. & CÆSAR haud ingratus, ei vicissim semissem redituum è Cypriis metallis donavit: & reliquum eiusdem procurationi commisit; aliisque regiæ hospitalitatis officiis honoravit.

Erque liberam, regis, quem vellet cumque è filiis, in successorem designandi; aut regni, in singulos partien-

partiendi, poteſtatam permiſit. Idque quùm facere pararet,& mox pœniteret;negavit ſe commiſſurum; quin, *dum viveret,tam regnum, quàm filios in poteſtatem haberet.* Iſque Romę peractis, in Iudæam reverſus eſt.

Ipſo abſente, Trachonitæ, non exigua ditionis pars, ab eo deſceceranr. Sed operâ induſtriâque ducum, quos in regno reliquerat;perdomiti, & imperata facere coacti ſunt.

Rex ad Eleuſam, Ciliciæ Inſulam & opidum, (quod & mutato nomine Sebaſte,ſive Auguſta,dictum eſt) adpulſus, ARCHELAVM Cappadocem oſfendit: haud mediocriter de patris, eum filijs,reconciliatione; & ALEXANDRI generi,in refellendis apud Cæſarem patris criminibus,cõſtantiâ, gavisum.

HERODES FILIOS, REGNI, SIBI MORTVO, SVCCESSORES DESIGNAT.

Poſtquàm verò Hieroſolyma rediit; in Templo pro e oncione, peregrinationis ſuæ cauſſam,& ſummam; ac perſpectam Cæſaris erga ſe humanitatem,expoſuit. Et oratione ad filios aulicoſque conversâ;eos ad concordiam fovendam adhortatus, pronuntiavit tandem:

Filios poſt ſe regnaturos: Et primò quidem loco ANTIPATRVM; deinde ALEXANDRVM & ARISTOBVLVM. Sic ut interim tamen ſe unum omnes reſpiciant; & pro rege dominóque habeant.

Senectutem ſibi, longinquo rerum uſu exercitatam, ad regendum non eſſe inidoneam; cui tot aliæ facultates ſuppetant, quibus & ſubiecti, & liberi, in fide officióque contineantur.

Milites, ducéſque militares, ſi ſibi dicto audientes ſint; feliciter, & extra omnem perturbationum aleam, eſſe victuros.

3943. Ab V.C.744. Ab Act.pug.22. | *Conſulatum inierunt* NERO CLAVDIVS DRVSVS, *& T.* QVINCTIVS CRISPINVS. | 7.

SPECTRVM DRVSO OBIECTVM. EIVSQVE EXITVS, AC DESIDERIVM. Honores funebres.

Idem DRVSVS repetitâ in Germanos expeditione, Cattos multis cladibus profligat. & facto cum Suevis prœlio,victor, ad Albim uſque,quem traiicere moliebatur, iam magnâ ex parte Germaniæ domitor,penetraverat;quùm ſpecies incognitæ mulieris, voce humanâ ampliore, & Latino ſermone, eum compellans; *Vlteriùs tendere* vetuit; & *vita ipſius terminum iam adeſſe prænuntiavit.* Quo ille prodigio, ſive omine, territus; converſo ſtatim itinere ad Rhenum reflexit. Ibi ſupremam ex morbo diem in caſtris æſtivis obiiſſe; quùm annum ageret ætatis XXX. memoriæ proditum eſt. quæ caſtra ex eius morte, SCELERATA, dicta ſint.

LIVIVS; ex fracturâ, equo ſuper crus eiuſdem collapſo,triceſimo quàm id acciderat die, mortuum ſcribit. Et STRABO; mortis locum, inter Salam & Rhenum circumſcribit.

TIBERIVS frater, nuntio valetudinis eiuſdem evocatus; raptim duobus ſolùm vehiculis cc. millia paſſuum emenſus adcurrerat. Mortuoque in vento, corpus eiuſdem, prægrediente pedibus toto itinere ipſo TIBERIO, per municipiorum coloniarumque primores, ſuſcipientibus obviis ſcribarum decuriis, ad Vrbem delatum; & in Campo Martio, in AVGVSTI Mauſoléum (al. in C. IVLII tumulum) illatum eſt.

Exercitus verò, honorarium ipſi tumulum excitavit; circa quem deinceps,ſtato die, quorannis miles in armis decurreret: atque adeò ipſæ Galliarum civitates publicè ſupplicarent.

Senatus autem, inter alia complura, DRVSO Arcum marmoreum, cum tropæis, iuxta Viam Appiam, decrevit: & novo exemplo, GERMANICI, cognomen ipſi, à provinciâ; poſteriſque eius, attribuit.

LAVS DRVSI.

Hic,non minus excelſi, quàm civilis animi fuiſſe fertur. adeò ut non diſſimularet, ſe quandocumque poſſet, priſtinum reip. ſtatum eſſe redditurum. Vnde ſuſpectum AVGVSTO fuiſſe quidam falsò putârunt; & è provinciâ revocatum: & quia cunctaretur,veneno interceptum.

Quùm contrà Auguſtus tantoperè vivum dilexerit; ut coheredem, unà cum filiis, inſtituerit: & defunctum ita pro concione laudaverit; ut Deos precatus ſit; *Similes ei Cæſares ſuos, CAIVM & LVCIVM, facerent: ſibiq; tam honeſtum vitæ exitum darent; quàm illi dediſſent.*

Neque contentus elogium tumulo eius, verſibus à ſe compoſitis,inſculpſiſſe; vitæ eius etiam memoriam ſolutâ oratione proſecutus eſt.

Ipſe novas iterùm, de Senatu habendo, & Senatuſconſultis faciendis, leges promulgat: & multas, negligentibus conſtituit. Sanxit præterea; Ne plus, quàm bis menſe, legitimus Senatus cogeretur; Kalendis ſcilicet,& Idibus. Sibi concilia trimeſtria ſortitus; cum quibus de negotiis ad frequentem Senatum referendis,antè,quàm referretur, tractaret.

PRÆTO.

PRÆTORIBVS IVS DICENDÆ SENTENTIÆ DATVM.

Prætores eâ tempestate quoad magistratum gererent; in Senatum quidem venire; sententiam verò loco senatorio dicere, (si nondum, vel à Censoribus; vel ab ijs, qui Senatûs legendi potestatem haberent, adlecti essent) nondum poterant. Atque eâ potissimum conditione, Prætura Tribunatui plebis cedebat; quòd Tribuni plebis, ex ATINIO plebiscito, etiam sine Censoriâ lectione, Senatores essent; & sententiam in Senatu, loco Senatorio, dicendi potestatem haberent. Hinc fortè DION adserit; hoc demum anno Prætoribus locum dicendæ in Senatu sententiæ datum, factumve fuisse.

Memoriæ proditum est; CASSIVM SEVERVM, sordidæ aliàs originis, & vitæ probrosæ, vehementem eo tempore oratorem, & improbum accusatorem fuisse, usqueadeò ut multi, accusante eo, absolverentur. Et per immodicas inimicitias eousque contendisse, ut iurati Senatûs iudicio in exilium, in Cretam insulam, ablegaretur. Sed quoniam & illic eodem morbo animi laboraret; veteraque & recentia odia auxisset; quùm bonis exuto, aquâ & igni interdictum fuisset; in saxis Seriphijs consenuisse, aut extabuisse.

TIBERIVS MAGNAM PARTEM GERMANIÆ DOMAT.

Tiberium, qui honorem ovationis, ex rebus in Pannoniâ Dalmatiâque gestis, decretum, ob publicum fratris demortui luctum, distulerat; belli Germanici molescuraque excepit. Id magnâ ipse fortunâ gessisse, & consilio maiore patrâsse traditur.

Omneis pænè Germaniæ parteis, sine ullo exercitûs sibi commissi detrimento, pervagatus; plura artibus & calliditate, quàm vi peregit.

Et distractâ, per mutua odia, & suspiciones, in diversa partium factionumque studia, Germaniâ; singulos bellis inter se attritos haud difficiliter oppressit; quos coniunctos anteà metuisset. Iisque fraudibus usus, magnam regionis illius partem, inter Albim & Rhenum, perdomuit; & quasi in provinciæ formam redegit.

HERODES, CÆSAREA PERFECTA, Ludos instituit.

Per idem tempus, perfectâ tandem Cæsaréa Palæstinæ urbe, duodecim & ampliùs annis, quàm ædificari cæpta esset; HERODES, (regni sui anno IIX. suprà vicesimum; & Olympiade CXCII. ut putat IOSEPH.) magnâ celebritate, & sumtuosissimo adparatu, eiusdem Encænia, sive Initialia peregit.

Ad certamen Gymnicum exciti undique artifices, Musici, & Athletæ: & cum ferarum copiâ, gladiatores. Romanorum, cæterarumque gentium, oblectamenta. Idque Cæsaris memoriæ consecratum, quod singulis quinquennijs recurreret.

Ipsa CÆSARIS uxor, LIVIA, multa ex Italiâ, quæ ad certaminis splendorem facerent, ex Italiâ submisit. quòd DRVSVM quoque filium, recens mortuum, in partem eius honoris venire: & Turrim, in novâ civitate ipsius memoriæ ab HERODE dicatam, cognovisset. Sumtus in eam rem facti, ad D. talenta accessisse putantur.

IDEM ANTIPATRIDEM CONDIT, ET CYPRON.

Idem rex, aliud opidum in Campo, qui CAPHARSABA dictus, agro irriguo & plantis idoneo: quem & amnis circumflueret, & pulcerrimus lucus cingeret, condidit. & à Patre ANTIPATRO, Antipatrida nominavit.

Et suprà Hierichuntem, castellum CYPRON, quod matris nomen referret: communijt, & amœnissimis domicilijs instruxit. Et præter Turrim in ipsa Vrbe, Pharo non minorem, fratri PHASAELO cognominē; & opidum, circà Vallem Hierichuntinā, ædificavit: & locum anteà desertum, incolis tectisque frequentem reddidit.

Præterea alia paris ab homine isto munificentiæ, quæ per plerasque Græciæ & Syriæ civitates, Rhodios, Chios, Neopolitas, & Antiochenos, exstare voluit monimenta; Vnde aut in præsens laudi, aut in posterum memoriæ velificaretur.

IDEM SVMTVI, ET QVÆSTVI, sed ex alijs, deditus.

Sed idem suprà facultates sumtuosus, gravis & molestus subiectis suis esse, & qui plurimum pecuniæ in alios erogaret: malè eamdem, & cum publico quidem odio, aliunde quærere cogebatur.

NOVÆ IVDÆORVM QVERELÆ: & ipsi in integrum restituti.

Quùm iterum Iudæi, qui Asiam & Cyrenen incolebant, multis incommodis iniurijsque adfici se putarent, ab earumdem regionum civitatibus: in quas ipsi, pari cum alijs iure, à priscis regibus aut Dominis adsciti essent: quasi reliquis civibus graves & incommodi, magnam pecuniæ vim aliò exportarent, per legatos, eâ de re apud Cæsarem gravissimè sunt conquesti.

Is. suis ad provincias rescriptis, placere sibi significavit; *Vt æquale cum alijs ius Iudæis passim servaretur. Vtque ij proprijs ritibus legibusque, vivere sinerentur: Fanis eorum ius Asyli integrum maneret: Sacram pecuniam Hierosolyma mittere, nemine prohibente, liceret: cuius procuratio & tutela penes Iudæos esset.*

HERODES RAPAX, ET Τυμβωρύχος:

HERODES, vanâ & inutili, domi forisque, pecuniarum profusione exhaustus: & certior factus HYRCANVM, qui ante ipsum regnárat: recluso DAVIDIS, regis, sepulcro, III. talentûm argenti

Millia

Millia inde exportâsse: & multo plura superesse, quæ quantumvis magnis sumtibus sufficerent.quod multo-ante animo præceperat, adgredi clanculum, & tentare instituit. Et adscitis amicorum fidissimis, in apertum sepulcrum noctu ingressus; depositæ quidem pecuniæ nihil repperit: sed mundi pretiosi, & aureorum ornamentorum vim ingentem inde sustulit.

Quùm his quasi escis invitatus, ad scrutandum interiora procederet, ubi DAVIDIS & SALOMONIS, regum, corpora condita iacebant; erumpente, ut fertur, ex adytis flammâ, duosè satellitibus suis amisit: Eoque casu territus, properè exsiliit. Vēque animum religione exsolveret; in ipso sepulcri aditu, sumtuosum è candido marmore monimentum exstruxit.

Cæterùm HERODIS domus, licet malè adfecta, ex eo tempore, in deterius labi cæpit: DISSIDIO in aulâ exorto, *quòd bello civili adsimile esset; ubi & odia mutuis inter se calumnijs concertarent.*

3944. Ab V. C. 745. Ab Aċ. pug. 23. | C. MARCIO CENSORINO, & C. ASINIO GALLO, *Consulibus.* | 6.

DE SACERDOTIIS: ET VIRGINIBVS VESTALIBVS, ET IMPVBERIBUS, cura.

Quùm AVGVSTVS Sacerdotum dignitatem simul & commoda auxisset; & maximè Virginum Vestalium. Quumque in demortuæ cuiusque locum, aliam capi oporteret; multique ambirent, ne filiæ eorum in sortem darentur; adiuravit AVGVSTVS: *Si cuiquam neptium suarum ætas competeret; se ultrò oblaturum eam fuisse.*

(Virgines illæ Pontificis maximi manu apprehensæ, ab ijs parentibus, in quorum potestate erant; quæ non minores annis sex; nec maiores quàm decem erant; viginti capiebantur: è quibus una sortitò, pro concione, quæ in demortuæ locum surrogaretur; legebatur.)

Posthæc, Lupercalibus (quibus nudi discurrere soliti) vetuit imberbeis, aut impuberes, decurrere; ut eorum pudicitiæ, contrà impudicorum insidias, consultum esset.

STATVÆ, MONIMENTA: ET EXEMPLARIA VIRTVTVM.

In operibus publicis, proximum à Dijs immortalibus honorem, memoriæ veterum Imperatorum præstitit; qui Imperium pop. Rom. ex minimo maximum fecissent. Itaque opera cuiusque, manentibus titulis, restituit; & statuas omnium triumphali effigie dedicavit.

Professus edicto; Id se commentum: *Vt ad illorum velut exemplar, & ipse, dum viveret; & insequentium ætatum Principes, à civibus exigerentur.*

POMPEII quoque statuam, è Curiâ, in quâ C. IVLIVS CÆSAR fuerat occisus, translatam, contrà Theatri ipsius Basilicam, marmoreo IANO superposuit.

MÆCENATIS MORES; ET OBITVS.

Iisdem Coss. C. CILNIVS MÆCENAS vitâ excessit. Vir ut atavis regibus ex Etruriâ oriundus; ita eruditorum sui sæculi hominum fautor cultorque eximius. Qui angusto clavo, & Equestri ordine cōtentus, nullos umquàm honores petierat.

Fertur idem, ubi res curam & vigiliam exigeret; exsomnem prorsus providumque actiones omneis peritè procurâsse. E diverso: simulatque aliquid ex negotio remitti posset; otio atque mollitiâ diffluxisse. Augusto carus, eoque tam familiariter usus; ut auctoritate suâ frequenter animi eius impotentiam represserit; multisque saluti fuerit.

FONS OLEI: ET IRIS.

Eodem anno tradunt nonnulli; trans Tiberim, de tabernâ meritoriâ, in Vico Iudæorum, fontem olei è terra erupisse; ac per totum diem largissimo rivo fluxisse. Et circulum Iridis, circà Solem, aliquot diebus apparuisse. Alij id ad annum tertium Triumviratûs referunt. (Vid. Baron. Apparat.)

TIBERIVS ITERVM CVM GERMANIS ET SICAMBRIS PVGNAT: & triumphat.

Quùm Augustus accepto in alterum decennium Imperio, adversùs Gallos exercitum eduxisset; ipse quidem in provinciâ mansit; TIBERIVS verò, traiecto Rheno, Germanos ad conditiones accipiendas compulit. Quas quùm illi repudiarent, magnis mox eosdem cladibus, sed victoriâ non incruentâ, confecit. sic tamen, ut consilio & astu plura, quàm vi & armis, perficeret.

Sicambrorum, Suevorumque XC. Millia, qui se dediderant; in Galliam, inter Rhenum & Mosam, Wahalimque, fluvios, transduxit.

Cæteras Germaniæ genteis, posteaquàm Romanæ ultioni ex ijs factum esset satis, internis discordijs inter se conflictanteis eo consilio reliquit; ut securiùs tandem, faciliusque ita fracti confectique à Romanis devincerentur.

AVGVSTVS itaque quùm TIBERIVM Imperatorio nomine ultrò ornâsset; eumdem Consulem iterùm designavit. Et litteras, more maiorum, de rebus ab se gestis ad Senatum mittere; atque ante quàm magistratum iniret, de iisdem in Senatu disserere; ac tum demum triumphare voluit.

TIBERIVS è Germaniâ reversus, Senatu in Ædem OCTAVIAM, quæ extrà Pomœrium erat, convocato: facta sua exposuit, & triumphum petivit.

Senatus res gestas triumpho dignas censuit: Augustoque, cuius auspicijs ea gesta erant, triumphū; itidemque, & ex Augusti voluntate, TIBERIO decrevit. Sed Augusto triumphum reijciente; TIBERIVS Kal. Ianuar. de Germanêis solus triūphavit.

TROPÆVM

TROPÆVM AVGVSTO ERECTVM.

AVGVSTO verò Tropæum hâc formâ dicatum. " *Imper. Cæsari, Divi Filio, Augusto, Pont. Max. Imper. XIV. Tribunit. potest. XVII. S. P. Q. R. Quòd eius Ductu, Auspicijsque, gentes Alpinæ omnes, quæ à Mari Supero, ad Inferum pertinebãt; sub Imperium pop. Rom. redactæ sunt.*

Itidem P. SVLPITIVS QVIRINVS, licet non ex veteri Patriciaque Sulpitiorum gente; ob rei tamẽ militaris scientiam, & operam reip. fortiter navatam, Consulatum ante adeptus; nunc quinquennio exacto in provinciam profectus, per Ciliciam, Homonadensium XLIV. castella, locis asperis posita, expugnavit: eamque ob victoriam triumphalia ornamenta iussu Augusti accepit.

3945. Ab V. C. 746. Ab Act. pug. 24. | *TIB. CLAVDIVS NERO, Consulatum II. Kal. Ianuar. init, cum C. CALPVRNIO PISONE, II. Sed Tiberius eum Consulatum per treis solum menseis gessit. (Hic annus DION. HALICARNASSEO putatur ab V. C. 745. & Olympiadis 193.)* | 5.

CAIVS. AVGVSTI fil. quùm XIV. tantùm ageret annum; populi studio, aut adulatione, Consul designatus est. sed Consulatum non inijt, auctoritate & intercessione AVGVSTI prohibitus. (TACITVS tamen auctor est; AVGVSTVM, CAIVM & LVCIVM Cæsares, nondum positâ puerili prætextâ; *Principes Iuventutis* appellatos, Consules etiam designari, speciê recusantis, flagrantissimè cupivisse.)

COGNITIO FAMOSORVM LIBELLORVM.

Ipse cognitionem de famosis libellis, sub specie læsæ maiestatis, primùm tractavit. commotus CASSII SEVERI, de quo suprà, libidine, quâ viros feminasque illustreis procacibus scriptis infamaverat. Quantumvis ipse scommata & dicteria, etiam in se iacta, vel contemnere, vel patienter ferre solitus. Et nequid de inhibendâ scommatorum licentiâ Senatus constitueret, intercesit. Id modò censuit, cognoscendum posthâc de his; *qui libellos, aut carmina ad infamiam cuiusquam, sub alieno nomine, ederent*.

TIBERIO quoque, eâdem de re violentiùs conquerenti, rescripsit; *Ne ætati suæ eâ in re nimis indulgere vellet. Neve indignaretur, si quisquam de se male loqueretur. Satis esse; si hoc saltim haberent: ne quis ipsis male facere possit*.

POMÆRIVM PROLATATVM.

Et quoniam Vrbs in maximam amplitudinem excreverat, spatium eiusdem, quod SERVIVS TVLLIVS, quùm Pomœrium ampliâsset, in Regiones IV. diviserat: ipse quidquid etiam collium, aut convallium Pomœrio & mœnibus includebatur, complexus; in Regiones XIV. vicosque CCX. distribuit.

REGIONES VRBIS.

Earum regionum ordo seriesque ab antiquis ita memoriæ prodita est.

Vt I.a regio, Portâ Capenâ terminaretur.
2 Cœlimontio.
3 Isidis, Serapidis, & Iunonis Monetæ Templis.
4 Viâ sacrâ, sive Templo Pacis.
5 Esquilino & colle Viminali.
6 Altâ semita.
7 Viâ Latâ.
8 Foro Romano.
9 Circo Flaminio.
10 Palatio.
11 Circo maximo.
12 Piscinâ publicâ.
13 Aventino.
14 Transtiberinâ; definirentur.

NOVI REGIONVM VICORVMQVE MAGISTRATVS.

Instituit adhæc, ut annui Magistratus Regiones sortitò tuerentur. Vicos autem Magistri è plebe cuiusque viciniæ electi: qui IV. per singulos Vicos, erant.

Et ut Magistri Vicorum, prætextati, Ludos Compitalitios facerent: Lareisque compitaleis, bis anno, vernis floribus, & æstivis ornarent.

Per regiones quoque singulas, Curatores II. & totidem Denunciatores instituit.

Illorum munus erat: procurare, apud Principem, commoda Regionum; decus elegantiamque viarum, & Vicorum Vrbis. Curare etiam ne à privatis novisque ædificijs interrumpereutur. Horum verò, quidquid ulli regioni tàm publicè, quàm privatim accideret, denunciare.

COHORTES ET EXCVBIÆ INCENDIARIÆ.

Adversùs incendia, excubias nocturnas, vigilumque cohorteis VII. ex Libertinis scriptis, constituit: ut binis Regionibus singulæ præessent.

TEMPLA INSTAVRATA.

Ædeis sacras, vetustate collapsas, aut incendio absumtas, refecit. & inter hæc, Iovis FERETRII Templum;

Templum; atque in eo opima spolia Cossi CORNELII LENTVLI, quæ ille Cōsul TOLVMNIO, Veientum regi, detraxerat; restituit.

Cæteras Ædeis, opulentissimis donis adornavit. ita ut in Cellam CAPITOLINI IOVIS, XVI. Millia pondo auri; gemmasque ac margaritas, usque ad Quingenties H. S. unâ donatione contulisse prodatur.

MODESTA AVGVSTI VOTA.

Inter hæc, ut pravas filiorum suorum spes; nimiâ generis sui fiduciâ sese efferentium, cohiberet: TIBERIVM, Tribunitiæ potestatis collegam, in quinquennium, cooptavit. Populumque edicto increpuit; quòd quùm ambo prætextati adhuc essent; LVCIVS, CAIVM fratrem Consulem, populi eiusdem suffragijs, designandum curásset. Precatus insuper; *Ne umquam magno reip. incommodo accideret, ut filij sui Consules ante XX. annum crearentur.*

HERODIS AVLA DISSIDIIS LABORAT.

HERODIS verò Aulâ miris animorum motibus, odiorumque, & calumniarum, ac suspicionū tempestatibus, percellebatur. Dum hinc ANTIPATER, fratribus, consanguineis, MARIAMMES filijs, simulatâ etiam ergà eos benivolentiâ, malignissimè insidiaretur. Hi verò ægriùs in dies ferrent; se loco suo motos, & tantum-non in ordinem redactos, deterioribus cedere; & pristinâ Patris gratiâ excidisse.

Huc accedebat non insolens regiarum nuruum inter se æmulatio. quòd GLAPHYRA ALEXANDRO nupta; BERENICEN, SALOMES filiam, ARISTOBVLI coniugem, sibi honore æquari dedignaretur.

PHERORAS etiam, regis frater, insano ancillæ privatæ amore amens; & regiarum filiarum connubia fastidiens; regem ab se abalienárat.

SALOMES CALVMNIÆ. EIVS ET PHERORÆ EXSILIVM.

SALOME verò exploratis, per filiam, adolescentum arcanis colloquijs; & odiosis in Patrem, in uxores regias, earumque filios, minis; sinistras usque in regis animo suspiciones exacerbabat.

Sed hanc de-subito, cum PHERORA, rex ab Aulâ ablegavit; postquàm ALEXANDER filius commotior ad eum accessisset; & se ab ijs indignâ obtrectatione, & turpi suspicione impletum esse significásset. Patrem scilicet ipsum, Glaphyren, coniugē ipsius, in oculis ferre, & insanū in modū deperire.

Et quùm deinde, SALOME, ob nuptias SYLLÆI Arabis, viri callidi & ætate florentis, (qui OBODÆ, Arabum regis, negotia illic procurabat) appetitas; &, quòd ille in Iudæorum religionem abire, & adcenseri nollet, infectas; à fratre Pherorâ, & regijs uxoribus, intemperantiæ, & fœdæ cum eodem cōsuetudinis insimularetur; factum est; ut HERODES puellam, quam Pheroras, domesticæ muherculæ illecebris victus, recusárat: & ipse rex filio SALOMES, è COSTABARO, erat collocaturus: mutatâ sententiâ, eiusdem Pheroræ filio, in Tetrarchiam successuro; adiectâ c. talentûm dote, nuptum traderet; & prioris offensæ veniam Patri eius condonaret.

Sed neque hîc stetére domesticæ turbæ: immò ab turpibus initijs, ad gravissimas calamitates, provectæ.

ALEXANDER IN CRIMEN VENEFICII ET PARICIDII VOCATVR. ET IPSE vicissim adversarios criminatur.

Treis Eunuchos, qui formæ gratiâ HERODI in delicijs erant, à poculis, ab epulis, & à cubiculo: Quorum etiam operâ in serijs regni negotijs ille uti solitus: quidam ad regem detulerat, magnâ pecuniæ vi ab ALEXANDRO esse corruptos. Id illi tormentis subiecti, sine alterius facinoris conscientiâ, fassi sunt.

Sed ministris, in gratiam ANTIPATRI, acriùs inter quæstiones sævientibus, necessitate victi, adiecérunt: ALEXANDRVM, quasi *inveteratum, contrà parentem odium alere*; ipsosque, ut regem qui ætati suæ fucum comâ adscititiâ faceret; *contemtum desererent*, esse adhortatum. *Sibi, qui omnia ad dominationem invadendā instructa haberet; potiùs adhererent.*

Rex in omnem suspicandi occasionem effusus, neminique fidens, calumniatoribus audendi fenestram aperuit. Et hominis sævitiam, formidine mistam, ANTIPATER accendebat.

ALEXANDER, falsis criminibus, aut indicijs oppressus, in vincula conijcitur: eiusque honoratiores amici, ne temerè ad vincula damnatus ille censeretur; in quæstionem, & eculeum dantur.

Ille, neque cedere, neque inficias ire, obstinatus; quò Patrem, nimis credulum, & facilem, exasperaret magis, aut pudefaceret; sive, cum totâ regiâ, magnis calamitatibus involveret. ne pluribus tormentis opus esset; missis quattuor libellis, contestatus est.

Structas in regis caput insidias; quarum & PHERORAS, & fidissimi ipsius amici essent conscij.

SALOMEN, tacitâ nocte obrepentem, secum invito congredi voluisse.

Eò omnium domesticorum regis, studia, conatusq; tendere; ut ipso sublato, per meram licentiam omnia susq; deq; miscerent.

In idem conspirásse, PTOLEMÆVM, procuratorem; & Sapinium; quos sibi præ cæteris ipse maximè fideles existimásset.

MISERA REGIÆ FACIES.

Hoc quasi classico, videre erat, homines pridem inter se coniunctissimos, quasi tabie quadam in sese vicissim efferati. Neque exspectato veritatis examine, sed supplicio iudicium prævertente, alios vinciri, alios enecari: alios, qui nihil lætius exspectarēt, moram ipsam, quàm mali repræsentationem, molestiùs ferre.

Ita ut subitò, pristina regiæ felicitas, ingenti mæstitiâ aut torpore fœdaretur.

Neque ipsum regem, eo rerum motu, vitæ non tæderet;

tæderet; qui nemini se credere auderet: & futuri exitûs exspectatio, pro tormento esset.

Cui irruens in se strictо gladio filius, in horásque obversaretur: & dum noctes atque dies nihil aliud volutat; ab insaniâ minimùm abesset.

In hâc animi anxietate regem versari, & generum' in vinculis detineri; per litteras edoctus ARCHELAVS CAPPADOX: tàm de filiâ, eiusque marito sollicitus; quàm regem adeò perplexis consilijs involutum miseratus: ad eum proficisci constituerat.

Quem quùm ita adfectum offendisset: neque temeritatis, aut nimiæ credulitatis importunitùs arguere vellet, quasi ex æquo ipse, & rectè omnia fecisset; indignationem de-industriâ in generum convertit. & diremto coniugio, ne filiæ quidem se parciturum ostendit; *si sceleris conscia, indicium sibi non fecisset.*

Rex, ex Paterni adfectûs memoriâ, ad misericordiam inflexus; ubi hominem, consocerum, pro se læso tàm graviter in generum excandescere perspexit; contrà rogavit: *Ne nimium iræ indulgeret; nére, ob iuvenis erratum, coniugium dirimeret.*

Tum Cappadox, mitiore HERODE usus, crimina in amicos eius, & præcipuè in regis fratrem transferre cæpit.

Atque adeò PHERORAS, eodem deprecatore usus; sed priùs se eorum omnium malorum, quibus regia fuerat perturbata, caussam, & auctorem confessus; in regis gratiam redijt.

Et ipse Cappadox, rebus dexterè & feliciter expeditis: cum bonâ regis gratiâ, & amplis muneribus, dimissus, suasit HERODI; propterea quod ijs de rebus ad Cæsarem scripsisset, Romam adiret. Sed quùm simul Antiochiam usque iter fecissent; ibique HERODES, TITO, Syriæ præsidi, ARCHELAVM reconciliásset; in Iudæam reversus est.

BELLVM ARABICVM CONTRA SYLLÆVM, ET LATRONES.

Illo autem absente, & Romam cogitante, bellum Arabicum hoc initio exortū est. Trachonitæ, paucis ante annis, ad pristinam latrociniorum licentiam reversi, rebellárant. & à ducibus, quos HERODES, tum Romæ absens, in regni limitibus cum præsidio collocárat, perdomiti; atque adeò XL. è suis principum captivitate territi, patriâ relictâ, in Arabiam profugerant.

Illis SYLLÆVS, nuptiarum SALOMES repulsâ irritatus, munitum quemdam locum, quem incolerent, concessit. unde illi non Iudæam modò, sed totam Cœle-Syriam excursionibus infestarent; & in tuta receptacula prædas abigerent.

Illos, qui sub tutelâ Arabum essent, quùm HERODES ulcisci non posset: neque tamen iniuriæ molem sustineret acceptæ: in Trachonitidem cum copijs ingressus, eorum necessarios promiscuâ cæde interfecit. Quâ clade illi magis exasperati; & memores legis: *Quæ cædem domesticorum, inultam non sinit*; totam HERODIS ditionem agendo ferendoque evastârunt.

Rex re ad præsides, SATVRNINVM & VOLVMNIVM, à CÆSARE in Syriam missos, delatâ; latrones ad supplicium depoposcit. Quo illi audito, maiores manus cogunt: & repentino incursu omnia perturbant: agros vicosque passim populati, & promiscuâ cæde in obvios debacchati.

Rex itaque ab Arabe latrones sibi dedi postulat: & LX. (al. D. talenta) quæ Obodæ, per Syllæum, commodaverat; ceu mutuum creditum, & præstituto tempore cessum, repetebat.

Syllæus, qui deiecto Obodâ, regni resper se administrabat: latrones quidem in Arabiâ degere inficiatus est. pecuniæ verò, de quâ apud præsides disceptabatur, solutionem prolatabat.

Tandem quùm ex præsidum auctoritate ita cōvenisset: *Vt intrà XXX. dies, & debitum redderetur; & perfugæ, ex utroq; regno, restituerentur.* apud HERODEM quidem nemo Arabum inventus est, qui ullâ de caussâ isthùc ad se profugisset. Arabs verò, latrones Iudæos ad se recepisse, convictus est.

At tempore termini, qui pensioni præstitutus erat, exacto: Syllæus, qui conventis stare nollet; Romam profectus est.

Et HERODES, ius suum persequens, & præsidum indulgentiâ fretus; collecto exercitu, Arabiam invasit. castellum, in quod se latrones receperant, primo impetu cepit: & munitionem, quæ Ræpta dicebatur, evertit, soloque æquavit.

Quumque Arabes, duce NACEBO, ad opem socijs ferendam adcurrissent; circiter V. & XX. ex suis, cum duce, in prœlio, amissis; in fugam sunt compulsi.

Eo pacto rex latrones ultus, coërcendis in posterum eo loci latrocinijs, III. Idumæorum Millia in Trachonem deduxit.

Et ad præsides, qui tum in Phœniciâ erant; perscripsit: quæ in contumaceis absque ullo alio regionis, aut incolarum detrimento, statuisset.

SYLLÆVS ROMÆ HERODEM ACCVSAT.

SYLLÆVS, qui iam Romæ in Cæsaris notitiam insinuárat; his auditis, & in malus per nuncios exaggeratis, mutatâ veste, atratus, extemplò ad Cæsarem adijt.

Adflictæ Arabiæ, & regni per HERODEM evastati statum deplorat. Ad bis Mille & quingentos, Arabum optimateis; & in ijs NACEBVM, amicum sibi & cognatum, cecidisse. " Opes magnas quas ad arcem Ræptā depositas habuisset; ab exercitu HERODIS immaniter esse direptas. " Eaque ab illo facta, per OBODÆ regis contemtum, qui nec copias in promtu; nec ducem, se absente, idoneum haberet.

Addebat ille: Se iter tàm longinquum nō fuisse adgressurum; nisi CÆSARI, publicam omnium pacem curæ esse credidisset. quam, se domi præsente, ne HERODES quidem, nisi suo malo, violare ausus esset.

CÆSARIS CREDVLITAS, ET IN HERODEM INDIGNATIO.

CÆSAR, ijs querelis commotus, quùm obiter percontando, tum ex amicis HERODIS, qui illic adcrant; tum ex ijs, qui ex Syriâ recens advenerant; hoc saltim cognovisset: HERODEM, *extrà regni sui fineis, exercitum eduxisse*; neque ulteriùs in eius expeditionis caussam inquireret; magis etiam iratus, minaceis ad HERODEM litteras misit;

Hactenus se illo, tamquam amico, usum; posthàc pro subiecto & cliente habiturum.

Arabes quoque SYLLÆI, qui eâdem de re scripserat, litteris elati, & CÆSARIS offensâ freti, neque latrones, qui effugerant; dedere voluérunt: neque pecuniam mutuam exsolvere: neque pro pascuis, quæ ab eodem Herode conduxerant, quidquam numerare.

Quin & Trachonitæ, cum Arabicis latronibus coniuncti; impetu in Idumæorum præsidia facto, miris modis in eos sæviebant.

HERODES, in quo, offenso iam Cæsare, minus minusque aut fiduciæ, aut audaciæ esset; ea omnia licet ægrè, ferre cogebatur. quòd Cæsar eius legatos, quos ad caussam pro se agendam miserat, primùm ne admisisset quidem: & iterùm adventanteis, infecto negotio, dimisisset. Quùm intereà SYLLÆVS, præsens, CÆSARI, plus æquo credulo, quidvis persuaderet: & iam-tum ad maiora adspiraret.

SYLLÆVS VICISSIM ACCVSATVR.

Postquàm enim OBODÆ iam mortuo, in regnû Arabiæ, Æneas, qui commune regum nomen, ARETÆ, mox induit; successisset: SYLLÆVS, illo per calumnias pulso, principatum sibi vindicare; & pecuniâ in Aulicos profusè distributâ; & factâ Cæsari magnorum munerum pollicitatione; usurpare moliebatur. quòd hunc ARETÆ infensum esse sciret; qui se inconsulto, regnum illud adijsset.

Misit nihilo minus & ARETAS litteras ad Cæsarem, cum amplis muneribus; & in cæteris, auream coronam, quæ multis talentis æstimaretur. Syllæumque accusavit;

Qui servorum nequissimus, OBODAM (quo vivo, regni regimen susceperat) veneno sustulisset. "Quique Arabum coniuges adulterijs infamaret: & ingenti ære alieno conflato; viam sibi ad occupandum regnum, muniret.

(Sed ne hos quidem legatos Cæsar audire dignatus est; & spretis muneribus, re infectâ abire passus est.)

Atque ita res in Iudæâ iuxtà, atque in Arabiâ turbabant; dum regum alter, Principatu, nondum stabili, suos coërcere non posset: & Herodes, veritus, ne iustâ etiam sui defensione Cæsarem magis irritaret, iniurias omneis, licet molestè, devorare cogeretur.

3946. Ab V. C. 747. Ab Act. pug. 25.	DEC. LÆLIO BALBO, & C. ANTISTIO VETERE, Consulibus.	4.

BELLEROPHONTEVS TIBERII, abiturientis, morbus.

Quùm CAIVS, Princeps iuventutis, prætextam posuisset; & LVCIVS eodem maturitatis procederet; TIBERIVS, cui tot prospera in dies ex voto adfluerent; duobus Consulatibus, totidemque triumphis, ovatione & curru honoratus: ætate & valetudine integer. statuit repentè secedere, & ab Aulâ se quam-longissimè amovere. Dubium, *Vxorisne tædio*; (quam neque ob comperta adulteria criminati, aut dimittere audebat; neque ob fastum domi perferre ulteriùs poterat.)

An; *ut vitatæ assiduitatis fastidio, auctoritatem suâ absentiâ tueretur; eamq; si quando sui indiguisset Resp. augeret.*

(Opinati sunt alij; Adultis iam Augusti liberis, loco, & quasi possessione usurpati à se, secundi gradûs, sponte suâ cessisse.)

In præsentiâ verò, *honorum satietatem, ac laborum requietem*, prætendens; commeatum ab Augusto petijt. Animo ita obfirmato; ut neque matri LIVIÆ suppliciter precanti: neque vitrico, deseri se in Senatu querenti; quidquam concesserit. quin & ijs pertinaciùs retinentibus, cibo se per quatriduum abstinuerit.

Factâ tandem abeundi potestate; relictis Romæ Vxore IVLIA, & DRVSO, ex AGRIPPINA, filio; confestim Ostiam descendit; prosequenteis vix verbo consolatus, & paucos admodùm in digressu osculatus.

TIBERIVS RHODI DEGIT.

Ab Ostiâ, oram Campaniæ legens, nuntio de Augusti imbecillitate accepto; paullisper substitit. Sed increbescente de se rumore; quòd ad rei maioris occasionem diutiùs illic commoraretur; quamvis adversis tempestatibus, Rhodum enavigavit. amœnitate & salubritate insulæ iam inde captus, quùm ad eam ab Armeniâ rediens adpulisset.

Hic modicis contentus ædibus, genus vitæ civile admodùm instituit: sine lictore, aut viatore, Gymnasium frequentans: mutuaque cum Græculis officia, propè ex æquo, usurpans.

COHORTES PRÆTORIÆ.

Intereà Augustus, quùm Istriam provinciam Italiæ adiecisset; eam in XV. Regiones, flumi-

nibus,

nibus, montibus, populisque distinxit.

Quamque crescente in dies potentiâ atque Imperij magnitudine, odia simul & invidiam augeri intelligeret; cohorteis prætorias novem suæ custodiæ adlegit. Ita tamen, ut numquam plureis, quàm treis, simul in urbe esse passus sit; casque, sine castris, per hospitia dispersas. Reliquas in æstivis, & hibernis, circà finitima opida dimittere adsueverat.

Et quò plures partem reip. administrandæ caperent; nova officia excogitavit. *Curationem operum publicorum: viarum & aquarum; Alvei Tiberis: frumenti quoq. populo dividundi.* Triumviratum præterea, legendo Senatui; & alterum, recognoscendis Equitum turmis; quoties opus esset. (Quâ de re, suprà.)

3947. Ab V. C. 748. Ab Aċt. pug. 26. | *AVGVSTVS postquàm, XII. Consulatum, per XVII. à proximo Consulatu annos, sæpius oblatum, recusasset: hoc demum anno, etiam ultrò eumdem petijt.* | 3.

Vt scilicet amplissimo præditus magistratu, CAIVM filium, tirocinio suo in forum deduceret: posteàque ibi, ex more, prætexiâ, *Principem Iuventutis* nuncuparet. Collega AVGVSTO datus, L. CORNELIVS SVLLA.

CAIVS AVGVSTI F. PRINCEPS Iuventutis, in Asiam missus.

CAIVS autem filius, sumtâ iam virili togâ, Clypeis, hastisque puris aureis, ab Equestri ordine donatus; & *Princeps Iuventutis* appellatus est.

Eumdem Augustus, mòx Consulem designatum, circùm provincias & exercitus, cum Imperio Proconsulari, dimisit. Adhibitisque, qui ætatem eius, haud satis maturam, regerent; M. LOLLIO, & P. SVLPITIO QVIRINO, in Asiam proficisci iubet.

Eam PHRAHATES nonnihil commoverat: occupatâque Armeniâ insolentiùs se gerebat. Indignatus se litteris AVGVSTI, PHRAHATEM tantùm, omisso, *Regis Regum*, titulo; salutari.

SIMVLTAS INTER TIBERIVM ET CAIVM.

CAIVS, itinere in Syriam instituto, TIBERIVM, vitricum suum, Rhodi convenit: eique, uti natu maiori, omnem honorem detulit.

Sed TIBERIVS, (ut auctor est SVETONIVS) quùm ad eumdem, privignum suum, Orienti præpositum, visurus, in Samum traiecisset, animo à se alieniore sensit. Sic tamen, ut ille M. LOLLIVM, comitem eius & rectorem; tamquam pravitatis & discordiarum, C. CÆSARI, erga se, auctorem incusaret: & è diverso, SVLPITIVM QVIRINVM, laudatis in se eiusdem officijs, magnâ in commeodatione haberet.

ARABIA LVSTRATA. AFRICÆ VTRIMQVE ET ANTIQVITVS CIRCVMNAvigatæ argumenta.

Cæterùm CAIVS in Asiâ variè inconstanterque se gessit; laudine propior, an culpæ! incertum.

Ex Syria in Arabicam expeditionem profecturus; DIONYSIVM ALEXANDRINVM, (eum qui Periegesim, de situ orbis terrarum, scripsit) ut singula per otium pleniùs exactiusque cognosceret, & inspiceret; cognitaque in commentarios redigeret; præmisit. Ipse Arabiam eminùs tantùm prospexit; & inde gloriam, an laureolam! petijt.

In Arabico Sinu res gerenti signa navium, ex Hispaniensibus naufragijs, agnita feruntur. Vnde, vel ex eo tempore, ex Hispaniâ in Orientem navigationes patuisse constet.

Sic & longè-anteà, HANNO, florente opibus & mercimonijs Carthagine, à Gadibus, ad Arabicum usque Sinum, Africam circumvectus esse proditur.

Et contrà, CORNELII Nepotis ætate; EVDOXVS quidam, qui PTOLEMÆVM LATHYRVM, Ægypti regem, fugerat; Arabico Sinu egressus, Gadeis esse pervectus.

AVGVSTVS intereà Romæ, exstructis in Campo Martio sedilibus ligneis; Athletas exhibuit. Item navale prœlium, cavato circà Tiberim solo. Et mòx aquam in Circum Flaminium induxit, in quâ XXX. Crocodili telis concisi fiot.

NVMEROSA PROLES CRISPINI FÆSVLANI.

Iisdem Consulib. CRISPINVS HILARVS, ex ingenuâ plebe Fæsulanus; cum liberis novem, (quo in numero, filiæ duæ fuerint) Nepotibus XXVII. Pronepotibus XXIX. Neptibus IX. prælatâ Pompâ, in Capitolio immolâsse memoratur.

EVRYCLIS LACONIS, PERFIDIA ET IMPOSTVRA.

Intereà dum HERODES denuò legatos, ad CÆSAREM, & in his NICOLAVM DAMASCENVM, misisset; siquid fortè æquius per amicos ab eodem impetrare posset; EVRYCLES quidam, Lacedæmonius; vir domi nobilis; sed pravo ingenio, & adulationis artificio exercitatus; in eiusdem regis amicitiam hospitiumque insinuârat.

Quumque is pari fraude filios regis; & in his præcipuè, Alexandrum (cuius cum socero, ARCHELAO, amicitiam ipsi intercedere; & GLAPHYRAM, eius filiam, obsequijs colere, simulabat) sibi devinxisset: Et hic, multa de matris casu, de Patris iniuriâ, odio, & alienatione; aliaque eius generis, tanquam in amici sinum deposuisset; homo perfidus,

primùm ANTIPATRO fratri; deinde Patri HERODI, eadem omnia (quæ non modò insidiarum, sed paricidij etiam, in adolescente offenso, cupiditatem, præferrent, & arguerent) exquisitis verborum fucis & ambagibus, patefecit. Et implacabilem Patri iram in filium concitavit.

Hospes ille, multis à rege talentis donatus, ad ARCHELAVM se contulit: Et præclaram se operam, in genero ALEXANDRO, in Patris gratiam reducendo, posuisse commentus, ab eodem etiam pecuniam abstulit. Sed in patriam reversus, quùm ibi paribus præstigijs uteretur; in exsilium expulsus malè perijt.

HERODES SVSPICIONIBVS INDVLGET, ET TORMENTIS VERITATEM ELICERE TENTAT.

HERODES, in omnem suspicionem effusus, pronas delatoribus, & filiorum Alexandri atque Aristobuli, criminatoribus, aureis ultrò præbebat. Ab alijs, veró suspectis; veritatem, eorum quæ deferrentur, quæstione & tormentis, eliciebat.

Duo eius satellites, IVCVNDVS & TYRANNVS, robore & corporum proceritate anteà grati; sed, ob offensam, regiâ pulsi; inter equites, Alexandri stipatores, fuerant adsciti, & pecunijs muneribusque honorati. Hi in suspicionem, & ad quæstionem vocati; post toleratos diu cruciatus, tandem fassi erant; *Se ab Alexandro solicitatos; ut Patrem inter venandum, dum feras persequitur, confoderent.* Eâ fini lanceas sibi à Venatorum præfecto; & arma, ALEXANDRI famulis, præbita.

Pôst hos, præfectus arcis, Alexandrij, corripitur, & ad examen datur: qui Iuvenes intrà castellum recipere; & pecuniam regiam, ibidem depositam, ijs tradere, esset pollicitus.

Quæ quùm ille pernegaret; filius eiusdem, prolatis in medium litteris, quæ manu ALEXANDRI ad præfectum eâdem de re essent perscriptæ; vera esse pervicit. Licet ALEXANDER, id totum DIOPHANTO, scribæ, imitandi characteris perito; & ANTIPATRI malitiæ, adsignaret.

HERODES, iam quasi de insidijs certus; eos, qui torti fuerant & confessi, apud Hierichuntem, in populi concionem produxit; ut palam filios accusarent. Quo facto, ijdem illicò lapidibus sunt obruti.

Iamque concitum vulgus, pœnâ consimili in ALEXANDRVM fratremque ferri & sævire parabat; nisi HERODES, PHERORÆ & PTOLEMÆI operâ, popularem furorem cohibuisset; & Iuvenes vinctos in custodiam dedidisset. Vt iam non tàm aliorum, quàm suâ ipsorum, opinione, pro condemnatis haberentur.

FILII VINCTI SE PVRGANT.

Fratres ita vincti, quùm iussi essent separatim scripto prodere; *Quid & quantum in Patrem essent, moliti*; in hanc sententiam scripserunt: *Se neque insidias in Patrem umquam cogitâsse; nedum patrâsse. Conatos tantùm fugam; quibus, diutiùs in istiusmodi solicitudine, & suspicione, vivere, grave & durum esset.*

Et commodùm, sub idem tempus, è Cappadociâ, MELA, unus è regijs Dynastis, ab ARCHELAO legatus, in aulam advenerat. Coràm quo sistere se iussus ALEXANDER; & de tentatâ fugâ interrogatus; Ad ARCHELAVM, socerum, respondit, *sese fugâ recipere constituisse: qui pollicitus esset Romam ipsos esse missurum. Cætera innoxios; neque duriùs quidquam in parentem, aut à pietate abhorrens, machinatos.*

Confictа magnam partem adversariorum in se crimina: qui Satellitibus, alijsque, incautiùs tortis, veritate nondùm liquidâ, mortem adproperâssent: & per idoneos homines, vulgum in eos temerè concitâssent.

CONIVGALIS FIDES.

His dictis, quùm ipse, & MELA ad GLAPHYRAM deducti essent; ex quâ de insidijs, in Patrem paratis, inquireretur: mulier vinctum maritum conspicata, non sine plangore ita ingemuit; ut qui aderant, lacrymas non tenerent; neque mandatis exponendis sufficerent.

Tandem à Ptolemæo, cui fuerat commissus; Iuvenis rogatus; *An uxor consilij conscia esset? Qui possit*, inquit, *non esse, vitâ mihi carior, & communium liberorum parens!*

Ad quòd quùm mulier exclamâsset; *Nullius se esse mali consciam: Sed si id saluti eius conducibile existimaret; se vel cum vita perniciem mentiri esse paratam; & nihil, factum infectùmve, inficiaturam.*

ALEXANDER verò mòx subiecit: *Nihil se umquam impium animo præsumsisse, neque uxorem mali ullius esse consciam.* Hoc tantum; *Ad ARCHELAVM decedere, unde Romam mitterentur, simul decrevisse.*

HERODES iam-tum ARCHELAVM malevolentiæ ergà se convictum tenere ratus; litteras OLYMPIO & VOLVMNIO tradidit: iussis, inter navigandum, ad Eleusam, Giliciæ opidum, adpellere. & ARCHELAO scripta de novis actis reddere: & cum eodem expostulare; *Quòd regiorum impijs, adolescentum conatibus adiutorem participemque se præbuisset.*

Inde Romam confestim navigarent. Et, si fortè Cæsarem à Nicolao legato placatum offendissent; redderent ei litteras; & argumenta criminum, convincendis Iuvenibus conscripta.

ARCHELAVS quidem ingenuè confessus; *Iuvenes, si ad se venissent, hospitio accipere voluisse* (quòd, id utile & ipsis & Patri existimâsset; Nequid hic duriùs in eos, ob suspiciones & dissidia; consuleret) Neque eos tamen ad Cæsarem fuisse, temerè missurũ; neque ulli malevolentiæ velificaturum.

Ij intereà, quos rex miserat, Romam delati; Cæsari, quem regi reconciliatum invenerant; litteras reddidérunt.

NICOL. DAMASCENVS SYLLÆVM REGIS, ET ARABVM NOMINE, criminatur.

NICOLAVS namque, longè aliâ, quàm initiò proposuerat, viâ, Cæsaris gratiam tentârat. Quùm siquidem Romæ animadvertisset, Arabas, qui eòdem venerant, inter se dissidere; & aliquot ex ijs, omnia SYLLÆI facinora patefecisse: & eo auctore, plerosque ex OBODÆ regis cognatis necatos, ex

tos, ex litteris interceptis, coarguisse; ipse SYLLÆVM (ita petentibus Aretæ legatis,) accusandum suscepit.

Illum regis sui, dominique Obodæ interfectorem; multos ex Arabum optimatibus, qui sibi adversarentur; è medio sustulisse.

"Matronas complureis tàm Romæ, quàm in Patriâ, corrupisse.

Ab eodem, Cæsarem mendacijs circumventum; quem nihil veri, de rebus ab Herode gestis, docuerit.

HERODEM *D. talenta, quæ mutua Arabi, per istum* SYLLÆVM, *dedisset, iure, & ex syngraphâ, quâ pignora etiam, post præstitutum solutionis tempus, capi liceret; frustrà repetijsse.*

Neque hostiliter aut præproperè quidquã egisse; sed priùs Syriæ præsides, SATVRNINVM & VOLVMNIVM, *super eâ re, appellâsse. Coràm quibus,* BERYTI, *quùm* SYLLÆVS, *per* FORTVNAM & GENIVM CÆSARIS *iurâsset; se intrà XXX. dies pecuniam eam, cum perfugis aliquot, repræsentaturum; nihilque eorum stato die præstitisset; præsides iterùm aditi, Herodi, & in Arabiæ fineis cum exercitu proficiscendi, & pignorum capiendi potestatem fecerint.*

Quùm prætereà Trachonitæ latrones, primum XL. deinde plures, metu supplicij in Arabiam confugissent; Syllæum, qui eodem iuramento eos restituere tenebatur; ægrè donatis fovisse, & prædis participasse. Ex quibus Herodes aliquot dûtaxat captivos, sine ullo maiore regionis aut incolarũ incommodo, abduxerit.

Sed quùm vindicem iniuriæ exercitum, subita quadam Arabum manus invasisset; & unus atque alter, ex regijs militibus, cecidisset; Regem tum demum repugnare coactum; XXV. ex hostibus, cum duce NACEBO, *neque eo amplius; in acie occidisse. Quorum numerum adversarius centuplo auxerit; & bis Mille Quingentosque occubuisse falsò retulerit.*

SYLLÆVS DAMNATVS: ET REgnum Aretæ attributum.

AVGVSTVS, rebus ijs certò exploratis: inspectis syngraphis, & præsidum rescriptis; lectisque civitatum de latrocinio querelis; ita mutatus est; ut, SYLLÆO capitis damnato, Herodem in gratiam receperit. Quumque ille in provinciam remissus esset, ut ære ibi alieno dissoluto, supplicium lueret; ARETÆ nihilo minus CÆSAR succensebat; quòd regium nomen decusque, se inconsulto, adijsset.

Et Arabiam quoque ipsam HERODI tradere constituerat; nisi eius litteræ, quas OLYMPVS & VOLVMNIVS attulerant, id consilij mutâssent.

Illi namque, ubi placatum regi esse Cæsarem animadverterunt; litteras ei, uti rex mandârat, reddiderunt, eum argumentis, quibus filios suos apertæ impietatis convicerat. Ijs namque perlectis, visum est; regem iam senem, & à filijs infortunatum, altero regno non onerare.

Admissisque postremò ARETÆ legatis; ijsque hoc tantùm nomine increpitis; *quòd rex eorum, Principatum temerè capessivisset;* munera ab ijs accepit: & illi regnum suâ auctoritate confirmavit.

FILII HERODIS CONDEMNANTVR accusante Patre.

HERODI verò scripsit; *Dolere se eius vicem, qui filios haberet tali ingenio præditos. Si quid illi contrà pietatem ausi essent: ipse in eos, ceu parricidas, animadverteret.*

Si fugam tantùm molliti; leniter, & salvâ pietate, castigaret.

Suadere denique; ut indicto apud Berytum, provinciale Romanorum tribunal, concilio; cum præsidibus, & adhinc rege, ARCHELAO, cæterisque amicis; *quid statuendum sit; ex communi omnium sententiâ, dispiceret.*

HERODES iam quasi laxatis odiorum in filios habenis: & per nuntios, Berytum, convocatis, quotquot visum fuerat Cæsari; præter Archelaum, (quem vel oderat; vel sibi obstaturum metuebat) filios quidem, quos producere statim in Concilium nollet; in Platane, Sidoniorum vico; detineri iussit. Vndè, si fortè vocarentur; eos sisteret.

Ipse verò, coràm CL. Viror. consessu, solus introgressus; & accusatione non tàm pro re natâ miserabili; quàm parenti parum decorâ, usus; multa furoris, ac feritatis indicia, incondito gestu ac sermone, præferebat.

Nam præter potestatem, sibi cum à naturâ, tum à Cæsare in filios datam; *Patriâ lege cautum esse; ut si cui aut à se, aut ab alijs accusato, parentes, in caput, manus imponant; eos, qui circumstent, ceu antestatos, ad pervicaces & immorigeros liberos saxis feriendos, atque ita neci dedendos, teneri.* Id quùm ipsi in patriâ, suoque regno facere expromtum esset; *Iudicum tamen calculos etiam exspectare voluisse. Exemplum ederent ad posteros; neque istiusmodi insidias negligerent.*

Iudices,

Iudices, qui nihil neque gratiæ; neque reconciliationi, Adolescentibus inauditis, loci relictum viderent; Patriam in HERODE potestatem plerique suffragando confirmárunt.

SATVRNINVS tamen, vir consularis, (cum tribus filijs, qui legati Patris aderant) sententiam ita est moderatus; *Vt regis quidem filios damnaret, morte verò adficiendos non censeret.*

Alter autem præsidum, VOLVMNIVS; quem maior pars secuti; capitali pœnâ plectendos apertè pronuntiavit.

HERODES; inde filios Tyrum secum abduxit: ubi ex NICOLAO legato, iam reduce, varianteis amicorum, quos ille Romæ convenerat, de filijs, eorumque supplicio, sententias intellexit: & paullo post Cæsaréam pervénit.

VARIÆ CONIVRATIONES IN REGEM DETECTÆ ET SVPPLICIJS EXPIATÆ: Regiorum filiorum exitus.

Hîc quùm TIRO quidam, regius miles, cuius filius, ALEXANDRO æqualis & amicus esset, multa in vulgum, & coràm rege, de Adolescentum innocentiâ liberè eloqueretur: Neque multitudinem tantùm plebeiam, tum Patris errorem sævitiamque damnare: tum iuvenum (qui ex reginâ uxore suscepti, & omni virtute eximij essent) calamitatem miserari; sed militarem etiam turbam, ducesque ipsos, factû exsecrari, & auctores eius infortunij abominari clamaret: Ille, & milites & duces, qui id factum carperent, aut ægriùs ferrent, nominatim edere iussus est. Eosque omneis rex, unà cum ipso TIRONE, custodiæ tradidit.

Quumque, inter hæc, TRYPHON quidam, tonsor regius, se non semel ab eodem TIRONE, magnis præmijs solicitatum fuisse, regi indicásset; ut inter curandum, fauceis ei novaculâ præcideret: rex eum exemplò corripi, & cum TIRONE, eiusque filio, torqueri iubet.

Filius, ut Patrem sævissimis cruciatibus eximeret, cessantibus tormentis, fassus est: *Inter eos convenisse: ut Tiro, cui facilis ad regem aditus esset; manu eum suâ interficeret.*

Rex tum, nullo loco veniæ relicto, Trecentos militum duces, unà cum ijs, quos dixi, Tonsore indice; & Tirone filioque, in concionem producit: omneisque palàm excogitati in se sceleris accusat. Quos confestim multitudo, raptis ex obvio telis, aut saxis, oppressit.

ALEXANDER verò, & ARISTOBVLVS, Sebasten abducti; gulâ laqueo fractâ, interiérunt. Eorû corpora apud Alexandríum, communi, cum avo materno, alijsque progenitoribus, sepulturâ, sunt recondita.

Hic mutui inter Patrem, filiósque odij, aut calumniarum, exitus.

3948. Ab V. C. 749. Ab Act. pug. 27. | *C. CALVISIO SABINO, & L. PASSIENO RVFO, Consulibus.* | 2.

AVGVSTVS, quoniam ob hominum frequentiam, iudiciorumque multitudinem, duo Fora non sufficerent; Tertium, quod exstruere cœperat, necdum perfectâ MARTIS VLTORIS Æde; publicavit. Cautumque est; *ut separatim in eo publica Iudicia, & sortitiones Iudicum fierent.*

CAIVS interea in Syriam ingressus, quòd Iudæâ prætervectus, apud Hierosolyma in Templo non supplicásset; velut peregrinarum religionum contemtor, ab AVGVSTO laudatus est.

FEDVS CAIJ CVM PHRAHATE.

PHRAHATES, cognito eius in Syriam adventu; non perinde ob metum ab AVGVSTO; quàm fidei popularium, quos nimiâ crudelitate exacerbaverat, diffisus; SARASPADEM, ex filijs natu maximum, qui amicitiam fedusque cum CAIO (redditâ, quam occupaverat, Armeniâ) coniungeret; illo præmisit.

CAIVS, adolescentem humaniter acceptum, æquato utriusque partis numero, in Insulam, Euphrate circumfusam, ad colloquium invitat. Ita ut citeriorem ripam Romanus; ulteriorem Parthicus obtineret exercitus.

Vbi de conditionibus peractum est; prior Parthus, ut fiduciam ostenderet; in citeriore ripâ apud CAIVM: hic posterior; apud regium Iuvenem, in hostico, epulatus est.

Parthus, inter vina, M. LOLLII perfidiam, & plena subdoli animi consilia, CAIO detexit. Quæ ille præ iracundiâ, cuius impotens erat; evulgavit: & LOLLIO suâ amicitiâ interdixit. (PLINIVS, hunc, sexennio pòst, veneni haustu, mortem præoccupâsse scribit.)

SARASPADES autem, quem Pater iterùm, ad fedus cum CAIO confirmandum, miserat; cuncta venerantium officia AVGVSTO delaturus; Armeniâ cedens, fratres treis legitimos; PHRAHATEN, CEROSPADEM, & VONONEM; duasque ipsorum coniuges, unà cum liberis; ex ARSACIDARVM gente omneis; CAIO obsides dedit. Sed hi omnes ex versuto THERMVSÆ, Pellicis regiæ, consilio, Romam missi esse traduntur.

THERMVSÆ ANCILLÆ ASTVS, ET AMBITIO.

Hæc Italici generis ancilla, inter alia munera, ab AVGVSTO, superioribus annis, ad PHRAHATEM missa fuerat. Eamque Parthus, tum ob formæ venustatem; tum illecebris, obsequioque muliebri captus; primùm pro concubinâ; & postquàm ex eâdem illegitimum filium PHRAHATACEM procreásset; legitimæ etiam uxoris loco habuit.

Ea igitur,

Ea igitur, ut filio suo regni successionem, deiectis legitimis, præoccuparet; alios regis liberos, in obsidatum, Romam mittendos persuaserat. Neque fraus paucis pòst annis, successu caruit.

PHRAHATACES namque, initâ, cum incestuosâ matre, in Patris sui cædem, conspiratione; eoque peremto, regno potitus est. Cæterùm posteà à proceribus regno deiectus, & trucidatus.

IOANNIS BAPTISTÆ ORTVS.

ZACHARIAS Sacerdos, ex Leviticâ Abiæ familiâ, vicarius, dum vicem, sive Ephemeriam suam, sacris in Templo Hierosolymitano administrandis, obiret; promissum ab Angelo GABRIELE accepit, de nasciturо sibi, ex ELISABETHA, coniuge, iam effœtâ & sterili, filio: qui IOANNES audiret.

Erant autem illæ XXIV. Sacerdorum Vices, antiquitùs ab DAVIDE rege institutæ. Et sub Machabæis, post Templū, quod ANTIOCHVS EPIPHANES profanârat, repurgatum; ceu postliminiò restitutæ.

Earumque singulæ, plus quinque hominum sacrorum Millia habebant, qui statis diebus in Templo ministrarent; Victimas cæderent; Libamina offerrent, &c.

IOANNES itaque (BAPTISTA) conceptus est, ijs, quos diximus Coss. Octavo Kal. Octob. Tempore Solennis Ieiunij. Olympiad. 194. anno primo. Anno AVGVSTI, à Triumviratu inito, XXXIX.

ZACHARIÆ verò tum Adolendi Incensi munus sorte obtigisse traditur; quùm ab Angelo est salutatus. Et quod minorem divino promisso fidem tribueret, mutus pro tempore factus est.

HERODIS NEPOTES; EORVMQVE CONIVGIA.

HERODES verò rex, suos, ex filijs, ALEXANDRO & ARISTOBVLO, (quos iam-tum interficiendos, ANTIPATRO, ut diximus, maximè instigante, curârat) Nepotes; sedulò liberaliterque in Aulâ educebat.

ALEXANDER, è GLAPHYRA Cappadoce, duos mares; TIGRANEM & ALEXANDRVM: ARISTOBVLVS autem, è BERENICE, SALOMES filiâ, treis itidem mares, AGRIPPAM, HERODEM, & ARISTOBVLVM: & duas filias; HERODIADEM & N. susceperant. Vid. inst. Genealog.

Ijs iam adultis, Avus uxores despondit. TIGRANI maiori, PHERORÆ fratris sui: & AGRIPPÆ minori, ipsius ANTIPATRI; Filias. Ac vicissim, ANTIPATRI filio, ARISTOBVLI filiam N. Et alteram huiusdem filiam, Herodiadem; HERODI, filio suo; quem ex alterâ MARIAMME, Pontificis SIMONIS filiâ, progenuerat.

Hæc connubia rex, pupillorum solitudinem miseratus, procuravit. Simul, ut istiusmodi adfinitate, ANTIPATRI, è filijs maximi, & heredis futuri, caritatem ergà eos invitaret. & quod concordiæ mutuæ, pacisque caussâ; Nepotes cum Neptibus coniungi, cupiebat.

Cæterùm ANTIPATER longè alia volvens, & suspicans, qui posteros fratrum suorum, ALEXANDRI & ARISTOBVLI, potestatis, aut regni Paterni socios, participesve habere nollet; Patrem precibus inflexit; ut ipsi, ARISTOBVLI; & filio suo, PHERORÆ filiam, ducere pertineret.

Regi illi, qui IX. (aut X.) eodem tempore uxores habuerit; copiosa fuit suboles. quæ tamen intrà C. plus minus annos, paucis exceptis, tota perijt; & regnis, hic, ibi, excidit.

Seriem totius generis hanc ferè ex IOSEPHO & alijs collectam, damus.

HERODIS

HERODIS MAGNI PROGENIES.

HERODES Magnus, Antipatri Ascalonitę F. gente Idumęus: ritu, Iudæus Proselytus. x. habuit Vxores: & ex ijs VIII. fecundas, ac matres. Ex quibus

- Prima fuit DORIS, (al. DOSITHEA; & DORCAS) plebeia; & privata. Ex quâ genitus
  - ANTIPATER. Cui nupsit N. ANTIGONI, qui proximus ante Herodem rex fuerat; Filia. (PETAVIO autem; est, MARIAMME, Aristobuli Filia, HERODIADIS & AGRIPPÆ maioris soror.)
- 2. MARIAMME, Hyrcani regis & Pontificis Filia, (Veriùs Neptis, ex Alexandrâ filiâ, quę Alexandro, Aristobuli Patrui Filio, nupserat.) Hinc nati
  - 1. ALEXANDER. Is ex GLAPHYRA, ARCHELAI Cappadocis Filia sustulit. (Eadem Glaphyra, postea nupsit Iubæ, Mauritaniæ regi, & deinde Archelao, ipsius Alexandri fratri)
    - TIGRANEM: qui apud Armenios regnans, sine liberis obijt.
    - ALEXANDRVM: qui genuit
      - Tigranē, Armeniæ reg. Et hic
        - ALEXANDRVM, qui Iotapen, Antiochi Comageni regis F. duxit; & rex fuit Lesidis in Ciliciâ.
    - (Hæc progenies, mox ab initio à patrijs Iudæorum ritibus, ad Græcorum religionem transijt: & peregrè perijt.)
  - 2. ARISTOBVLVS: cui ex Bernice Salomes regiæ sororis; & Costabari Arabis, Filia; Nati sunt
    - 1. AGRIPPA Maior: (qui & HERODES, Actor. 12. dictus) ex Cypro, Selampsus & Phasaë-li Filiâ, genuit
      - AGRIPPAM: qui rex Chalcidis, post Herodem patruum. (Vltimus Herodiadarum Regum, B. Paullum audijsse putatur. Actor. c. 25. & 26.)
      - DRVSVM: qui pubes mortuus est.
      - BERNICEN: quæ Herodi patruo, Chalcidis regi nupsit. (Actor. 24.)
      - MARIAMMEN: quæ desponsa Iulio Archelao, Chelciæ Filio.
      - DRVSILLAM: quæ desponsa Epiphani, filio Antiochi Comageni; nupsit Felici præsidi.
      - (Hic idem Agrippa, post Philippum, Tetrarcha; & rex totius Iudææ, à CLAVDIO Imper. constitutus, adiectâ Abilâ, Lysaniæ ditione. Et post exsilium mortemque Herodis Antipæ Galilæa & Peræa accessére. Idem, Cæsareæ ab Angelo divinitùs percussus, (Actor. 12.) quùm spectaculis, & sacrilegæ populi acclamationi interesset.)
    - 2. HERODES, Chalcidis rex. Cui nati ex MARIAMME, Iosephi & Olympiadis Filia.
      - ARISTOBVLVS, qui ex Salome, Herodiadis Filia (auctore Iosepho) genuit
        - Herodem.
        - Agrippam.
        - Aristobulum.
      - (Hic Herodes à vermibus corrosus, postquàm IACOBVM maiorem interfecisset; & PETRVM vinxisset. Quod alij AGRIPPÆ fratri adtignant.)
        - (Huic videtur Nero Imperator, Armeniæ Minoris Principatum concessisse.)
        - (Hic alij, Herodem alterum filium adijciunt, qui itidem rex fuerit Chalcidis.)
        - Ex altera Vxore, quæ fuerit Bernice, fratris sui Agrippæ filia; Nati dicuntur.
          - Bernicianus, & Hyrcanus.
    - 3. ARISTOBVLVS. Cui ex Iotape, Sampsigerami, Emesenorum regis, Filia, nata est
      - Iotape surda.

HERODES

HERODES Magnus, Antipatri Ascalonitę F. gente Idumæus, ritu, Iudæus Proselytus. x. habuit Vxores: & ex ijs VIII. fecundas, ac matres. Ex quibus,

- 2ª. MARIAMME, Hyrcani regis & Pontificis Filia, (Veriùs Neptis, ex Alexandrâ filiâ, quę Alexandro, Aristobuli Patrui Filio, nupserat.) Hinc nati
  - (3. HERODES, natu minimus, Romæ, sine liberis, obijsse traditur.)
    - 4. HERODIAS: Vxor Philippi Tetrarchæ. (Eam videtur Ioseph. facere, Aretæ, Arabum regis, filiam. Et eamdem priùs nupsisse Herodi, regis Magni, ex Mariamme, alterâ, Simonis Pontif. natâ, Filio. Vnde nata filia,
      - SALOME. Quam vult Iosep. nupsisse Philippo, illi Tetrarchæ. Quo sine liberis defuncto, iterùm nupserit Archelao, Herodis (qui frater Agrippæ maioris) Filio. Vnde nati 3 filij. de quibus suprà.
    - (Ipsa certè Herodias, post natam filiam, (sive ea Salome, sive alia puella saltatricula sit) relicto, & superstite marito, non sine patriæ legis contemtu; in contuberniū se dedidit alteri Herodi, Antipæ; Tetrarchæ Galilææ, consanguineo fratri mariti. Quod ob crimen increpiti à Ioanne Baptistâ.)
    - His Aristobuli liberis quidam adijciunt, Mariammen alteram filiam; quæ nupserit Antipatro, Herodis ipsius, & Doridis F.
  - 4. SALAMPSO, quæ ex Phasaëlo, regis, ex cognomine Phasaë lo fratre, Nepote, consobrino seu Patrueli suo, suscepit
    - 1. ANTIPATRVM: (Cui vult Serar. Cypron illam, Herodis, ex Mariamme, filiam nupsisse. Ex qua nata Cypros altera.)
    - 2. (HERODEM, & Alexandrum, qui sine liberis mortui.) Alexandram, quæ TIMIO, Cyprio Viro, nupta. & ἄπαιδ.
    - 3. CYPRON: quæ nupsit Agrippæ Maiori, Aristobuli filio. Vnde nati 5. Liberi. de quibus suprà.
  - 5. Cypros, quæ nupta Antipatro, regis, ex Salome sorore, & Costabaro Nepoti, suscepit.
    - Cypron: quæ nupsit Alexæ Selcio, Alexæ Filio; undè altera
      - Cypros.
- 3. Fuit MARIAMME, altera, SIMONIS Pōtif. filia. Ex quâ natus,
  - HERODES: cui vult Ioseph. Herodiadem, Aristobuli filiam nupsisse, & ex ea genuisse Salomen. (Certum tamen est, Herodi alte si prioribus nuptijs iunctam fuisse, Aretæ, Arabum regis, filiam. quam repudiatam ad Patrem remiserit.) Vid. infr. in Antipâ.)
  - (Hunc Pater testamento, quod Romam ad Augustum misit; si ANTIPATER, Doridis Filius, priorè vita excessisset; regni sui successorem declarârat. Sed cognitâ matris in se fraude; ex tabulis expunxit.)
- 4. MALTHACE, (al. Marthaca) Samaritis. Ex quâ Nati,
  - 2. ANTIPAS, (qui & Herodes simpliciter, natu omnium minimus.) Tetrarcha Galilææ & Perææ. Ioan. Baptistam capite truncavit; & Dom. CHRISTO capto insultavit. (Vulpes ab eodem dictus.) Prior huius uxor, Aretæ, Arabum regis, filia. Deinde Herodias adultera. Cum quâ Lugduni unà exsul; & indè in Hispaniam fugiens, perijt. Eiusque Tetrarchia donata Agrippæ maiori.)
  - 1. ARCHELAVS, maior, (Herodes Palæstinus, Dioni.) Is in Iudæâ, pòst Patrem, ex testamento, & Cæsaris Augusti voluntate, regnavit. Ipsoq; itidem Viennam, in exsiliū, relegato; & Iudæâ in provinciæ formam redactâ, Syriæque attributa; missi sunt prætores, seu præsides, COPONIVS, PILATVS, &c.
  - (Nupserat isti Archelao priùs Mariamme, quam reiecit. deinde incestis nuptijs, Alexandri, fratris viduam, Glaphyren, sibi inauspicatò adscivit.)
  - 3. Olympias: Quam uxorem sibi coniunxit IOSEPHVS, regis frater, sive veriùs Patruelis. Vndè nata
    - MARIAMME; Vxor Herodis, Aristobuli F. Ex quo nati, qui suprà.
- 5. CLEOPATRA, Hierosolymitana. Vndè
  - HERODES: Cuius uxor Salome, ut vult Ioseph.
  - PHILIPPVS: Batanææ, Ituræe, Trachonitidis, &c. Tetrarcha. (Maritus Herodiadis. iuxtà Euangelistas. secundùm Ioseph. Salomes, eiusdem filiæ.)
- 6. PALLAS undè natus
  - PHASAELVS
- 7. PHÆDRA. indè nata
  - ROXANE
- 8. ELPIS. indè nata
  - SALOME

Præter has omneis, duæ aliæ; Vna fratris filia; & altera Consobrina, N. N. steriles fuére. Ex istis duabus. Gorionides, unam facit, Herodiphilē. quasi, Herodis amicam. Α'δηλα

PHARISÆORVM OBSTINATIO.

Quùm sub id tempus, quo ANTIPATER, sublatis æmulis, gratiâ, aut simulato obsequio, plurimùm ferè solus,apud regem Patrem pollebat;tota pænè Iudæorum gens fidem suam regi, Cæsaríque iureiurando obstrinxisset: PHARISÆI; qui in cæteris,exactiorem diuinæ legis cognitionem & cultũ sibi vindicabant, (*genus hominum astutum, & arrogãs,* (teste Iosepho) *& summis potestatibus, prætextu pietatis, subinde infestum*) numero, ad sexies Mille, animis obstinârant, *sacramentum non dicere.*

Quo nomine quùm à rege HERODE multati essent; & pro ipsis, tamquam caris DEO capitibus, PHERORÆ uxor, multam persoluisset; illi, ceu quoddam gratiæ pretium; &, uti futurorum, ex diuinis (ut præferebant) colloquijs, præsagi, vanissimè prædixerant: DEO ita placitum. "*Vt regnum ab* HERODE, *eiúsque progenie, in* PHERORAM *maritum, communeísque liberos, aliquandò transferatur.*

DOMESTICÆ IN REGIA HERODIS SIMVLTATES.

Ea quùm ad regem, per SALOMEN,permanâssent; multi, ex Pharisæis, in crimine deprehensi, cum domesticis conscijs, morte multati sunt,

Ipse fratri PHERORÆ; ut mulierem,recẽtis conspirationis participem; quæque non modò marito suo auctor fuisset,ut regiarum virginum cõditionem sperneret: sed rupris etiam naturæ legibus, occulta inter fratres sereret dissidia; longè à se ablegaret, imperauit.

PHERORAS,vehementi regis oratione perculsus; aiebat tamen;se, *Et fraternæ pietatis iura persanctè culturum; & nequaquam à coniugali fide ac caritate discessurũ. Qui emori mallet; quàm caræ uxoris contubernio carere.*

Rex irâ in fratrem suppressâ, satis habuit pro tempore, ANTIPATRO,eiusque matri,domesticâ PHERORÆ cõsuetudine interdicere: & frequentia, suspectaque regiarum mulierum conuenticula inhibere.

Quod illi omnes palàm facturos polliciti; conuiuia nihilo minus inter se clanculùm muritabant. & ANTIPATER, in primis, atque ipse PHERORAS,inter se concordes,cõsilia in regis perniciem moliebantur.

ANTIPATER ROMAM ITERVM mittitur,cum Patris testamento.

Veritus nihilo minus ANTIPATER; ne ulteriùs serpendo, Patris odia in se quoque redundarent; Amicis, qui Romæ degebant, subornatis, Patrẽ per litteras admonendum curat: *Vt quàm-maturrimè se, filium, ad* CÆSAREM *dimitteret.*

Eum itáque rex,cum amplissimis muneribus, & tabulis Testamenti, (quo ANTIPATRVM ipsum, à morte suâ regem; aut, siquid illi priùs humaniùs accidisset; HERODEM, filiâ SIMONIS, Pontificis, progenitum; declarabat) Romam transmisit.

SYLLÆVS ITERVM ROMÆ ACCVSATVR.

Venerat eódem fortè, sub idem tempus, SYLLÆVS ille Arabs, (qui priora Cæsaris mãdata neglexisse; aut pœnas euasisse putetur.)

Illum ANTIPATER, eorumdem criminũ, quibus anteà per NICOLAVM fuerat traductus; reum apud CÆSAREM egit.

Accessit adhæc, ARETÆ accusatio; quæ illi multorum summæ dignitatis hominum, & in ijs SOHEMI, viri magni cædem, Petræ perpetratam, obiectaret.

Præterea, quùm idem SYLLÆVS, quemdam ex regio satellitio, CORINTHVM, Arabẽ origine, cuius fidei rex HERODES plurimum tribuebat, pecunijs corruptum, eò induxisset; ut regis sui cædem polliceretur. eaque res per Fabatum, Cæsaris procuratorem, regi indicata esset: Corinthus,cum duobus Arabibus, Syllæi amicis, (qui propositi facinoris exactores, vel etiam adiutores, aduenerant) tormentis adhibitis de facinore cõuicti; & vincti, à SATVRNINO (apud quem delati fuerant) Romam(ubi amplius aut iudicarentur, aut punirentur) sunt transmissi.

PHERORAS, quòd ab amore coniugis disiungi non posset; in Tetrarchiam suam, ex Aulâ, ablegatus; eam quidem iniuriam æquo satis animo accepit; sed iusiurandum in decessu adiecit: *Se, viuo fratre illuc non esse reuersurum.* Adeò, ut à fratre, iam ægrotante,& quasi moribundo,ad mandata quędam acci-

dam accipienda accitus; præ sacramenti religione venire recusârit.

PHERORÆ EXITVS.

Ipse rex contrà iam convalescens, adfectu nihil remisso, ad PHERORAM, quùm in morbum gravem incidisset; vel invocatus, visere non est gravatus. Et corpore mortui Hierosolymam transportato; publico id luctu, & magnificâ sepultura honoravit: & vulgarê, de præbito fratri veneno, suspicionem, facilè à se amovit.

Hunc ille vitæ exitum sortitus; unus ex auctoribus cædis filiorum regiorum, ALEXANDRI & ARISTOBVLI. Sed pœna sceleris, ex PHERORÆ interitu exorsa, in ANTIPATRVM auctorem, DEO ita fratricidij ultionem reposcente, transijt.

PATRIS IN ANTIPATRVM ODIA.
ET DE VENENO INQVISITIO.

Quùm namque PHERORA mortuo, ex Taphnitis duobus, eiusdem liberis, cognovisset rex, fratrem veneno ab uxore petitū obijsse; ex ancillis DORIDIS, & suspectarum mulierum, ad torméta raptis, arcana omnia, occvlta earum inter se convivia & conventicula; & quos ipse frater privatos, cum ANTIPATRO sermones clam habuisset; odiūque ergà se filij; & sparsas passim de ipsius sævitie, & longævitate querelas; extorsit. Et mòx DORIDEM, ANTIPATRI matrem, in aperto malitiæ crimine deprehensam; & ornamétis, quæ illi donârat; spoliatam, è regiâ eiecit.

Tum postquàm ex ANTIPATRO quodam Samaritâ, filij cognominis procuratore, intellexisset; venenum illud ex Ægypto missum à THEVDIONE, DORIDIS fratre, ANTIPATRI avunculo; & PHERORÆ traditum; quo (filio Romæ absente, & propterea minus suspecto) Patrem ex convento tolleret. Idque penes PHERORÆ uxorem esse, quæ à marito adservandum accepisset. Mulier de veneno per regem rogata; fassa quidem est: Sed dum ad id coràm adferendū properare simulat; ut tormenta præveniret, è tecto se præcipitem dedit.

Cæterùm casus letalis non fuit. Et postquàm se recollégit, rege incolumitatem, si vera promeret, & ipsi & familiæ pollicente, hæc addidit:

Venenum ex Ægypto, ab ANTIPHILO, ex fratris medici officinâ, adlatum; sed ab ANTIPATRO in regis perniciem cōparatum.

Id THEVDIONEM, domum ipsius intulisse; seque à PHERORA acceptum adservâsse.

Qumque ille in morbum incidisset; & tu, inquit, ô rex, officiosè ad eum visendum curandumque venisses; commotus ille tuâ ergà se benivolentiâ, & ad parem pietatem inflexus; Se ab ANTIPATRO circumventum indoluit; qui pestiferis consilijs, & veneficis ministerijs, Patrem suum, fratremque ipsius, appetere ausus esset.

Et sine morâ; ne, instante vitæ termino, parricidiali animo & facinore maneis maiorum contaminaret; néve ultricem eius sceleris conscientiam ad inferos deferret; venenum properè, & coràm adferri, & ipso inspectante, concremari iussit. Ex quo paullum, in Pyxide, quàm vides, in dubios casus, mihi reservarim.

Vocata quoque est in partem criminis ex fratrum confessione, tamquam arcanorum omnium particeps, licet egregiè conscientiam dissimularet; MARIAMME, summi Pontificis filia.

Quâ etiam abiectâ; rex filium eius HERODEM, quem heredem regni, ANTIPATRO succidaneum, declarârat; è testamenti tabulis dispunxit. Et socero ipsi, SIMONI, Boëthi Filio, sacerdotium abrogavit; eique MATHIAM, THEOPHILI Hierosolymitani Fil. subrogavit.

PONTIFICVM IN IVDÆIS SVCCESSIO ET SERIES.

Haud abs re facturus videor (quoniam HERODES hic, regno, quod ad se minimè pertinebat, non contentus; ius etiam in summum Pontificatum sibi vindicans; Pontifices, nequaquam ex generis sacerdotalis successione, neque vitæ perpetuitate; (exemplo fortè-an à prioribus Syriæ Tyrannis sumto;) constituit) si breviter seriem eorumdem ab origine Pontificum, de quibus sparsim egimus; & subsecutam in ijs eligendis varietatem, pertexere, & sub unum conspectum dare coner.

AARONE, postquàm summum Dei sacerdotium, in Deserto, ann. 39. gessisset, defuncto; mòx, & continenter, filij succesêre. Eorumque posteritati idem honos mansit perpetuus: neque vel regibus ipsis, alio genere oriundis, permissus. Fuérunt autem universi, à primo AARONE, ad Phanasum (al. Dinasum) usque, (quem sub belli Iudaici exitum, seditiosi, Pontificem ordinârunt) LXXXIII. (Ioseph.) al. 84.

Ex his XIII. sacris præfuérunt, ex eo usque tēpore, quo primùm MOYSES, in Deserto, erexit DEO Tabernaculum; dum Salomon Hierosolymis

Templum ædificâsset.

Duorum verò AARONIS filiorum, ELEAZARI & I. THAMARI, posteri; continuatâ serie eam dignitatem sustinuêrunt: hâc serie.

ELEAZARUS, AARONIS F. PHINEES F. ABIUD (al. Abisuë) F. BUCHUS (al. Bocci) F. OZIS F. ZARAIAS F. MERAIOTH F. AMARIAS F. (*Hi IX. cum Heli, sub Iudicibus, per ann. 395. floruêre.*)

Posteà ex domo ITHAMARI, in Pontificatum successêre hi:

1. HELIS (qui & Iudex populi fuit.)

(Opinantur quidam & Samuelem, post Helis mortem, non modò populo iura dixisse; sed Pontificatu etiam perfunctum esse.)

2. ACHITOB F. (veriùs Nepos, ex Phinée, illo, qui captâ Arcâ à Philisthæis in acie cæsus.)

3. ACHIMELECUS (al. Achias) F.

4. ABIATHARUS F. (Hi tres postremi, sub Samuele, Saule & Davide, annis 80. suum quisque munus administrârunt.

Et sub istis XIII. quos iam generatim commemoravi, Pontificibus, Reip. apud Iudæos administratio, primò penes Optimateis fuit: Deinde ad Iudices; & postremò ad reges transiit.)

Tempus autem ex quo Hebræi, duce Moyse, ex Ægypto demigrârunt, usque ad Templum à Salomone rege constructum; Iose. putat, annot. DCXII. Veriùs (3. reg. 6.) CDLXXX.

BARUCHUS (al. Sadoc) ex Eleazari iterùm stirpe, pòst necem Abimeleci, unà cum Abiatharo, illius filio, Pontifex fuisse censeatur. Et deinde solus, deiecto per Salomonem Abiatharo. atque adeò primus, Templo recèns exstructo.

Post istos XIII. Pontifices, partim ex Eleazari, partim ex Ithamari stirpe prosatos; alij XIIX. sunt consecuti. qui à tempore Salomonis regis sibi usq; & usque successêre, dum Nabuchodonosor, Babyloniorum rex, Templum incendit; & unà cum totâ gente, Iosedechum quoque Pontificem, in Babylonem abduxit.

Fuêre autem, præter SADOCUM, hi:

ACHIMAAZ, SADOCI F. sub ROBOAMO. AZARIAS F. sub ABIA.

IORAM (al. Ioannam) F. sub IOSAPHAT.

ISUS (al. AZARIAS) F. sub IORAM.

AXIORAMUS (al. Amarias) F. sub Ochosiâ.

(Hic alij Ioiadâ interponunt: dubiû, an Amariç F.)

PEDAIAS, Ioiadæ fortè F. sub Ioâ.

SUDEAS (al. Sedechias) F. sub Amasiâ.

(Hic fortean idem cû Ioiada sacerdote, qui Ioam regem Iudæ innixit; diciturque Pontifex, 4. reg. c. 12. Vixitque, teste Iof. annos CXXX. Huius filius, Zacharias Propheta, lapidibus ab eodem rege, oppressus.)

IOEL (al. Inlus, & Azarias) Sudéæ F.

IOATHAN, F. qui & Azarias dictus restitit Oziæ regi, incensum adolenti.

URIAS (al. Achitob) F. sub Achazo rege Iudæ.

NERIAS (al. Maraioth) Ioathæ F. sub Ezechiâ.

ODEAS, F. (al. Sadoc, & Osaias, & Eliachim) sub Manasse, & Iudithâ.

SELLUM, F. qui & Mesollam, sub Amone.

HELCIAS, F. sub Iosia rege, deperditum hâctenus Deuteronomij Librum invénit.

(Hic ab alijs interponitur Azarias, sub Ioakimo.)

SARAIAS, F. sub Sedechjâ. Interfectus in Reblathâ à Nabuchodonosore.

IOSEDEC F. in captivitate Babylonicâ Patri successit.

Horum XIIX. Pontificatus, sub Regibus, (teste Ioseph.) explevit universè tempus CDLXVI. annor. mensium VI. & X. dierum.

Pòst LXX. captivitatis Babylonicæ annum, quùm CYRUS Persa, remissis è Babylone in patriam Iudæis, Templum denuò condere permisisset:

IESUS, (al. IOSUE) IOSEDECI F. summum sacerdotium capessivit.

Hic, eiusque posteri, XV. universè, usque ad Antiochum Eupatorem, Syriæ regem, popularem an Aristocraticum! reip. statum, per annos CDXIII. administrârunt, hâc serie.

IESUS iste, Iosedeci F. redux è Babylone in patriam, cum ZOROBABELE Templum reficere cæpit.

IOACIMUS, F. (Eum putant quidam, qui tẽpore Iudithæ, Eliachim dictus est.)

ELIASIBUS F. IOIAE (al. IOIADAS II. F.)

IONATHAS Filius (qui Iosepho Ioannes al. Ianneus.)

IADDUS, F. qui & IEDDA, & ANU, ALEXANDRUM M. victorem Hierosolymis accepit, ab eodem cultus: & eodem cum eo anno mortuus.

ONIAS, I. F. SIMON IUSTUS F.

ELEAZARUS, ONIÆ F. (Is ad PTOLEM. PHILADELPHUM, regem Ægypti, Biblia, unà cum LXX. Interprr. traditur misisse.)

MANASSES, Iaddi Pontif. F. ONIAS, II. SIMONIS Iusti F. (Is Ptolemæo Euergetæ tributa solvere detrectavit, sed non impunè.)

SIMON II. ONIÆ II. F. SIMONIS I. N.

ONIAS III. Simonis II. F.

(Ad hunc ARIEUS, rex Lacedæmonius, Legationem misit. Vid. Lib. Machabæor. PLUT. & PAUSAN.)

IESUS, qui & IASON, ONIÆ frater, Simonis, II. F. ab Antiocho Epiphane creatus:

Et seditione concitâ primus, ab eodem rege abdicatus est:

Et Pontificatus, qui câtenus perpetuus, ad tempus dari cæptus.

ONIAS IV. qui & Menelaus, Simonis II. F. Iasonis frater: ab eodem Epiphane creatus, & pòst necatus.

(Liber Machab. fratrem facit Simonis cuiusdam Beniamitæ, qui Oniam III. accusârat apud Seleucum, Syriæ regem, & seditionem moverat.)

LYSIMACHUS, MENELAI frater. (Alij hunc prætereunt. vel eo amoto, MENELAUM tradunt ad Pontificatum rediisse.)

Ceterum Antiochus rex postquã ONIAM, cognomine Menelaum, vitâ simul sacerdotioq; apud Berytũ, privâsset; & filiũ eius à successione repulisset; Ipse, per Lysiam, ducem suum, (veriùs, Demetrius

trius rex, Seleuci, (qui frater Epiphanis) filius) Alcimum (qui Ioseph. Iacimus, siue Ioacimus) Pontificem cõstituit. Ex posteris quidem Leui;sed non ex Aaronicâ Eleazari,aut Ithamari familiâ.

(Huius odio, ONIAS, ONIÆ III. Pontificis F. ad Ptolemæum Philometorem confugit; & Templum alterũ, Hierosolymitano æmulũ, in Heliopoli Ægypti. cõdidit; eique ceu Põtifex præfectus est.)

Alcimus,Pseudo-Pontifex,post trienniũ in Pontificatu exactum, mortuus, successorem nõ habuit: sed ciuitas per septennium Pontifice caruit.

Deinde postquam Assamonæorum familiæ, Iudaicæ gentis Principatus,accessit; Sacerdotiũ etiam ab ijsdem, qui tũ Maccabæi dicti, administrari cœpit. Et auspice Mathatiâ, Patre, bella aduersùs Macedonas, Asiæ & Syriæ reges, pro libertate, & diuinis legibus, posteri gesserũt. Ex Tribu quidem Leuitica, & vice Ioaribi;sed non ex Aaronicâ Eleazari familiâ.

IVDAS, Maccabæus,Matathiæ F. à populo lectus, (Viuente adhuc Alcimo) regionem omni idolorũ impietate expurgauit. Reges Syriæ Antiochos,Epiphanem & Eupatorem; & Demetrium, Seleuci Fil. fæeris armis exercuit & uicit. Ann. ut volunt. 3.

IONATHAS, frater, anno Principatus IX. Pontifex ab eodem populo declaratus est.

SIMON frater, in Principatum Pontificatumque succedit, iam quasi hereditarium.

(Hic abstulit iugum gentium ab Israële, arce Sionis receptâ.)

IOANNES Hyrcanus, filius.

ARISTOBVLVS, F. qui primus ad stolam Pontificiam regium diadema nomenque adiecit.

Et quod Sadducæus esset; Sacerdotis nomen, ceu vile, aspernatus est.

ALEXANDER Iannæus frater. Rex & sacerdos. Sadducæus, Pharisæorum hostis.

Is moriens Alexandræ uxori, regnum, & ius arbitriumque deligendi Pontificis permisit. Illa autem id maiori filio, addixit.

HYRCANVS, II. F. post matrẽ rex & Põtifex simul.

ARISTOBVLVS, frater minor, matre mortuâ, & bello concitato, Hyrcanum fratrem, Pontificem, victum, ad priuatam vitam redegit: & sibi regnum cum sacerdotio vindicauit.

HYRCANVS, II. frater, à Pompeio Magno,captis iam Hierosolymis, restituitur: & Aristobulus cum liberis vinctus Romam abducitur.

ANTIGONVS, Aristobuli F. capto à Parthis Hyrcano, per eosdem rex cõstitutus est. Is urbe à Sosio, M. Antonij duce, & Herode Ascalonitâ,Antipatri filio,rege aduersario, expugnatâ, captus, & Antiochiæ, iussu Antonij, pœnâ capitali adfectus est.

In eo desijt sceptrum,& Assamonæorũ cognatio.

HERODIS autem accepto à Romanis; & ab Augusto, pòst Actiacam victoriam, cõfirmato regno; deinceps non ex Assamonæo genere Põtifices creare, suæ ignobilitatis cõscius, curæ habuit;sed quibusvis, qui ex sacerdotum ordine essent, etiam obscuris, eam dignitatem cõcessit. Ab eius regni initio,ad excidiũ Templi, XXIIX. Pontifices,numerat Iosep.

ANAELVS, (al. Ananolus) Leuites Babylonius,ab Herode substitutus, & remotus.

ARISTOBVLVS, Alexandræ, quæ Hyrcani regis & Pontificis fuerat, Filius; & Mariammes, Herodis uxoris, frater. Eo per fraudem necato,

ANAELVS,iterùm,ab eodẽ rege datus,& remotus.

IESVS, PHABETIS, F. alienigena,ab eodem datus, & remotus.

SIMON Boëthus, (seu Boethi F.) Alexandrinus, alienigena, socer regis; datus, & remotus.

MATHIAS, Theophili F. Hierosolymites, ab eodem datus. (Is quùm noctu somniasset se cũ muliere rem habuisse; postero die Ieiunij,

IOSEPHVS, Elimi F. cognatus, pro eo,sacerdotali munere functus est.)

IOAZARVS, Simonis Boëthi F. Mariammes,alterius regiæ uxoris, frater, ab eodem datus. (Sub eo (ut quidam volunt) natus, IESVS CHRISTVS.)

Idem ab Archelao rege, Herodis F. & successore, remotus

ELEAZARVS, frater, ab eodem Archelao factus & remotus

IESVS, Siæ F. ab eodem datus & remotus.

IOAZARVS iterùm ab Archelao factus: Sed post relegationem Archelai, à Quirino, Proconf. Syriæ, remotus; imperante tum adhuc Augusto.

ANNA, siue Ananus, Sethi F. à Quirino datus; sed à Valerio Grato, Iudææ procuratore, iam Tiberio imperante, remotus.

ISMAELVS, Fabi F. ab eodem Valerio datus & remotus

ELEAZARVS, Annæ F. ab eodẽ datus & remotus.

SIMON, Camithi F. ab eodem datus & remotus.

IOSEPHVS Caiafas, Annæ Pont. gener, ab eodem Valerio datus. (Sub eo CHRISTVS Dom. passus est.)

IONATHAS, Annæ Pont. F. à Vitellio, Syriæ Proconf. datus; imperante iam Caio. Sed ab Agrippâ Herode, rege Iudææ, (al. Chalcidis) remotus.

THEOPHILVS, Annæ Pont. F. ab eodem Agrippâ datus; & imperante CLAVDIO, remotus.

SIMON, Boethi Pont. F. Canthara cognomẽto, ab eodem Agrippâ datus & remotus

MATTHIAS, Annę Põt. F. ab eodem dat. & rem.

ÆLIONEVS, (al. Mathias Elinæus) Simonis Cãtharæ, (Al. Cithæi) F. ab Agrippâ Herode, rege datus; & ab Agrippâ II. fratre, rege Chalcidis, remotus, CLAVDIO imperante. Et SIMON CANTHARA iterum substitutus.

IOSEPHVS, Camyti (al. Camæi) F. ab Agrippâ, rege Chalcidicæ, datus & remotus; NERONE imperante.

ANANIAS, Nebedæi (al. Annæ) F. ab eodem Agrippâ dat. & rem.

(Hunc B. Paullus parietem dealbatum vocauit. Actor. 23.)

ISMAELVS, Siæ F. (Alij confundũt cum IESV Gamalielis Filio) ab eodem Agrippâ datus. & Romæ obses retentus.

IOSEPHVS Cabus, Simonis Canthatæ F. ab eodem rege dat. & remot.

ANNA, siue Annanus, Annæ Pont. F. ab eodem rege dat. & rem.

(Hic Iacobũ minorem,fratrẽ Domini,interfecit.)

IESVS, Damnęi, (al. Mnasæ) F. ab eodem rege dat. & rem.

IESVS, Gamalielis F. ab eodem dat. & rem.

MATTHIAS; Theophili F. ab eodem dat. (& rem. Sub eo inceptum bellum Iudæorum contrà Romanos)

PHANNIAS, (al. Phanassus, & Phineus, & Phetrut) Phenielis (al. Samuelis) F. homo rusticus & alienigena; & forte, populo tumultuante, factus Pontifex. Sub eo Hierosolymâ à Tito captâ & incensâ, bellumque terminatum. *Hæc ferè ex Iosepho, & alijs.*

Ab HERODIS Principatu, (inquit Ioseph.) usq; in diem, quâ sub TITO VESPASIANI F. Vrbs deflagravit; universè XXIIX. numero Pontificatum gessere. Eorumque sacerdotij tempus C. & VII. annis comprehensum est. De his hactenus;

NOVÆ IN REGIA TVRBÆ, DOLO ANTIPATRI.

Inter cætera Herodis turbamenta, & alterna regiæ familiæ crimina, venit Româ Bathyllus, Antipatri filij libertus. Qui ad eculeū datus, fassus est, se venenum (virus erat aspidum) adtulisse, quod solis patroni sui, matri, & patruo Pheroræ, concredere iussus esset.

Vt si prius, de quo diximus, invalidum esset, aut parùm efficax; hoc posteriore senem adgrederentur.

Accessit & alterum maligni, in Antipatro, animi specimen. Litteræ ad regem, ab amicis, qui Romæ erant; sed Antipatri instinctu & dolo, perscriptæ. quibus alteri fratres, consanguinei, Archelaus & Philippus, regis ex Cleopatrâ Hierosolymitide filij (qui tūc excellenti ingenio adolescentes Romæ studijs liberalibus operam dabant; quorumque tamquam spei suæ imminenteis Antipater oderat; & procul removere, aut è medio tollere cupiebat) his nominibus accusabantur.

Quòd Patrem crebris apud exteros maledictis carperent: De eius sævitiâ, & iniquâ Alexandri Aristobulique fratrum nece, quererentur; & se domum à Patre revocari molestè ferrent. Propterea quòd se nempe, fraterni interitûs mox auctarium fore, putarent.

Ipse intereà Antipater Romæ, cum Syllæo Arabe contendens; & Principum virorum amicitias colens, magnis se sumtibus, & ære alieno onerabat: ut coemtis, quæ in falsarios erogaret, ornamentis & cimelijs, ad CC. talenta Patri expensum retulerit. Ignarus interim eorum omnium; *quæ domi contrà se patefacta essent; &, quo in cardine fortunæ, fatumq; eius, tum verterentur.*

3949. Ab V. C. 750. Ab Act. pug. 28. | *Consecuti sunt Consules, L. CORNELIVS LENTVLVS, Flamen Martialis: (Hunc DION, CN. POMPEII MAGNI ex filiâ Nepotem, refert AVGVSTO fecisse insidias. Et LIVIÆ uxoris consilio ab AVGVSTO liberatum, & Consulē factum.) Et M. VALERIVS MESSALLINVS COTTA, (MESSALLÆ CORVINI Oratoris filius.)* | I.

GALBÆ IMPER. ORTVS.

Sub ijs natus SER. SVLPITIVS GALBA, qui LXXI. pòst annis in Imperium Neroni successit. Cui puero adhuc, se salutanti, Augustus (alij, Tiberio id tribuunt) dixisse traditur; *Et tu, fili, aliquando imperium degustabis.* Nec omen vanum: Ille namque VII. modò mensib, totidemque diebus, imperavit.

TIBERIVS REDITVM PETIT, NEC IMPETRAT.

TIBERIVS, cui ultimus Tribunitiæ potestatis, in quinquennium acceptæ, hic annus erat; confessus tandem per litteras; nihil aliud suo se è Româ *secessu devitare voluisse; quàm æmulationis cum Principibus Roman. CAIO & LVCIO, suspicionem.* Petijt; ut sibi deinceps eâ ex parte securo; *Illis iam ætate corroboratis, & secundum à Patre locum facilè tuentibus; necessitudines suas revisere permitteretur, quarum desiderio teneri agnosceret.*

Eo non impetrato; ultrò etiam ab Augusto admonitus est; *Omnem suorum curam missam faceret; quos invitos tàm cupidè nuper reliquisset.*

CAII NEPOTIS, ET L. FRATRIS EXITVS.

CAIVS intereà temporis Armeniam ingressus, prosperè initio rem gesserat. Mòx in colloquio, cū hoste, circà Artageram opidum, ab Addone præfecto, circùm tempora capite vulneratus est. Verum Addon urbe expugnatâ, à militibus discerptus est: & Armenia deìn per vim recepta.

CAIVS, quùm ex eo tempore, uti corpus minus ex vulnere habile; ita animum quoque reip. regendæ minus idoneum habere cæpisset; ab Augusto postulavit; ut sibi privato vitam deinceps agere liceret.

Et quorumdam improborum cōsuetudine, qui adulatione vitia eius alerent; eò iam perductus erat: *ut in remoto Orbis angulo consenescere, quàm Romam redire, ibiq; in luce versari mallet.*

Is biennio minus, post Lucium fratrem, qui Massiliæ morbo consumtus erat; quùm tādem animum ad reditum in Italiam adiecisset; Limyræ, urbe Lyciæ, fato defunctus est; non sine veneni, aut doli, à Liviâ, Tiberij matre, suspicione. *Vt vacuâ iam Augusti domo, omnia in Tiberium privignum inciderent.*

PROCVL

PROCVL HINC, PROCVL ESTE PROFANI.

B. Virgo Maria, Ioacimi & Annæ filia, (cuius ortum & ſtirpem, Vid. ſuprà, ad Ann. O. Cond. 3936.) à trimatu, ex parentum voto, in Templum, Hieroſolymis, illata, Deoqve conſecrata, in Cellâ, haud procul à Sanctis Sanctorum, xi. illic annos exegerat. Quùm itaque ea iam xv. ætatis annum attigiſſet; ex ſacerdotum conſilio, delectus eſt Virgini in Sponſum, ſeu maritum, vir iuſtus, Iosephvs, contribulis, ex regia Davidis ſtirpe oriundus; licet opificio faber.

Sed divinâ interim providentiâ, mariti nomine, fidiſſimus cuſtos iuxtà ac teſtis, inæſtimabilis in eâdem B. Maria, Virginitatis, præparabatur.

IOSEPHI AVTEM GENEALOGIA, SIC TRADITVR (ex Damasceno.)

Mathan, de ſtirpe Salomonis regis, filij Davidis; ex uxore ſuâ N. (quam Eſtham quidam dixére) gen. { Iacobum. Qui Heli, fratre uterino, mortuo, ſemen ſuſcitavit; & gen. { Ioſephum, virum B. Mariæ Virginis. Qui proinde Heli, & Iacobi filius dicatur; uni naturalis, è ſtirpe Salomonis: alteri legitimus, ex ſtirpe Nathanis. Et ipſe, B. Virgini, heredi unicæ, Patruelis, aut amitinus.

Levi, ex ſtirpe Nathanis, filij eiuſdem Davidis, genuit { Melchi, qui mortuo Mathane, ex ipſius uxore, iam Iacobi matre, gen. { Heli; qui ſine liberis obijt. frater uterinus Iacobi; Vid. inf.

{ Pantherem. qui gen. { Barpantherem. & is gen. { Ioacimum; qui ex Anna gen. { B. Mariam Virg. Iesv matrem.

(Epiphan. vult { Pantherem, genuiſſe { Iacobum cognomento Pantherem; & hunc, { Ioſephum, Virginis Mariæ Sponſum.)

Eman. Sa. Not. Ex eâdem uxore genuiſſe Mathan quidem, Iacobum: Mathat verò Heli. Deinde Iacobum ex uxore Heli, ſine liberis defuncti, genuiſſe Ioſephum. Natura quidem, ſuum: at ex lege, Heli filium.

Item, qui fuit Heli. ſcil. gener (ſecundum quoſdam, qui Heli dicunt eſſe Ioachim, Patrem Mariæ, qui Eliachim & Heli dictus ſit.)

Francisc. autem Lvcas, Brug. Mathan, inquit, potiùs fuerit avus Paternus B. Mariæ, quàm Maternus. Hoc eſt; Fuerit Pater Ioacimi potiùs, quam Annæ: Et Iacob, Pater Ioſephi, fuerit frater Ioacimi, Patris Mariæ. Atque ita Mathan avus fuerit ſimul & Iosepho & Mariæ; proavus autem D. Iesv.

Aeproinde omnes, quos B. Matthævs in genealogiâ enumerat, (excepto Iosepho, eiuſque Patre Iacobo) veri fuerint, ac proprij progenitores, ſive maiores, coniunctè, & Mariæ, & Iesv; ex quibus ipſe ſecundùm carnem natus ſit. Vtque à Salomone origo, perpetuâ ſuccedentium ſerie, ducatur.

Apud B. Lucam c. 3. Ioſeph dicitur fuiſſe filius Heli, idque uxoris reſpectu; cuius genealogia condebatur, ſub mariti nomine. Vt præſtabilius ſit intelligere, hunc Heli, Patrem Annæ, avum fuiſſe Mariæ. Cuius filius, Ioſephus, dicatur, uti maritus, Mariæ, quæ neptis ſit Heli. Et ipſe viciſſim ſuo modo Nepos: Atque adeò per affinitatem, & more nominandi inter Iudæos recepto, filius.

Atque Iacob, naturâ Pater ſit Ioſephi; Heli verò, iure affinitatis, & coniugij conſuetudine.

Et quùm B. Lucas B. Mariæ genealogiam ex latere materno; Matthæus autem ex paterno deſcripſerit: atque adeò utraque ex Davide ducatur; hæc quidem per Salomonem; illa per Nathanem: Tum Iesvs duplici nomine, Davidis fuiſſe filius; omniúque iure in regnum Davidis ſuccedere potuiſſe, declaretur.

retur. Sic ille. Et B. Augustin. Quùm, teste Apostolo, Christus secundum carnem ex semine sit Davidis; haud dubium, quin ipsa Maria, mater, de stirpe Davidis consanguinitatem duxerit. Et quoniam neque eius sacerdotale pe[illegible]tur, (cognata Elisabethæ, de filiabus [illegible]) certò credendum, carnem Christi ex utroque genere, regum & Sacerdotum, esse propagatam. In quibus personis mystica olim Vnctio, sive Chrisma; unde CHRISTI nomen. Super hâc tàm difficili quæstione, obiter pro re natâ, consultus Exim. Dom. Mathias Navæus, Theologus; & noster, ad D. Petri apud Duacenseis Parochus; hæc, quæ ita sentiret, subiecit:

Verumtamen ijsdem ferè suppositis, Quòd nimirum uterque Euangelista naturalem CHRISTI Genealogiam texat: Matthæus quidem per lineam B. Virginis Paternam: Lucas verò, per maternam, sive per progenitores B. Annæ, quodque Heli, Heliachim & Ioachim, eadem apud Hebræos nomina fuerint: Non minus convenienter dici videtur: Heli apud Lucam, sive Ioachim, fuisse ipsum B. Virginis Patrem: fratrem autem Germanum Iacobi, qui Pater est B. Ioseph; ex eodem Patre Mathan. Adeoque Ioseph & Virginem fuisse Patrueles, sive duorum fratrum liberos, ex communi eodemque avo paterno. Ita nempe, ut Matthæus descendat, à Mathan, ad Iacob, & Ioseph sponsum Virginis. Lucas verò à Matbat, Patre naturali B. Annæ, ad Heli, sive Ioachim, eius maritum, & B. Virginis Patrem. Quia B. Anna, utpote mulier, genealogiæ seriem ingredi non debebat. Propter quam caussam neque Matthæus descendit à Mathan, per Ioacbim, ad Virginem: Sed per Iacob, ad Ioseph eius sponsum. Qui proinde Ioseph dicitur fuisse Heli, (Luc. 3.) sive Ioachim; tamquam scilicet gener soceri.

Id idem Navéus latiùs declarare & probare nititur oratione XII. inter Encomia B. Iosephi. Quem Vide.

Genebr. lib. 2. Chron. Ioachim Pater B. Virginis Mariæ, Heli etiam dictus Lucæ 3. per apocopen, à tempore captiv. Babyloniæ usitatam. Et qui Ioachim vocabantur, indifferenter, ob significationis πωρώτις, Eliachim quoque dicti. Sic rex Ioachim, 4. reg. 23. Eliachim. Et sacerdos sub Iudithâ, c. 4. Eliachim. & c. 15. Ioacbim. In Genealogia Matthæi Iacob verus Pater Iosephi, viri Mariæ. Lucæ autem Ioseph dicitur fuisse Eli, scilicet filius generi, (beau-fils.) Hæc inter se pius Lector conciliet.

B. VIRGO MARIA AB ANGELO SALUTATUR; ET DIVINITUS FOETUM CONCIPIT.

B. Virgo Maria, ita desponsa, & parentibus reddita, ut eam domum suam è Templo reducerent; & quæ futuris nuptijs necessaria adpararent; dum in domo Paterna; (vel, (ut alijs placet) apud Iosephum, cui Virginis sibi desponsæ custodia à sacerdotibus credita fuisset) aliquamdiu cōmorata esset;

Sexto, post Ioannis Baptistæ, in Elisabethæ utero, conceptum, mense; misit Deus Gabrielem Angelum, ceu Paranymphum quemdam, Nazarethum, Galilææ opidum, ad eamdem Virginem Mariam; Iosepho, quem dixi, viro è regia stirpe Davidis oriundo, desponsam.

Ad quam rerum cælestium contemplationi pro tempore intentiorem ille intrgressus; & novo salutationis genere adfatus,

Ave, inquit *ô gratia plena: Dominus tibi propitius adsit, & faveat; quæ eidem carissima, & laudatissimi inter cæteras omnis ævi mulieres nominis sis futura, (In sponsam, & matrem Dei delecta.)*

Virgo autem ad subitum Angeli adspectum, ingressumque, nonnihil expavescens, & animo turbata; dum secum tacita versaret, *Quid sibi vellet tam nova, tamque magnifica salutatio!*

Neque Angelum lateret; quid turbaretur; quidve illa secum agitaret:

Timorem ponere, iussit; quæ gratiam apud Deum & eximium favorem consecuta esset. quæque mòx in utero suo fœtum esset conceptura, & filium paritura; cui nomen IESV imponeret. quique populo suo totique adeò hominum generi, salutem esset adlaturus.

Is, licet humili, & loco, & matre natus, omni divinarum virtutū genere tam præstans futurus; & humanâ conditione sublimior; ut passim Excelsi Dei filius audiat, & celebretur.

Cui Pater cælestis solium regale Davidis, progenitoris sui, sit daturus: atque ipse super veros Israelitas, sive Iacobi posteros, in æternum, & nullo fine, regnaturus.

Virgo, ad hæc neque diffidens, neque vanum aliquid animo præsumens, tantùm de percaro Virginitatis thesauro, & quo se adstrinxerat, voto, solicita; modum rei gerendæ, non minus prudenter, quàm verecundè, inquirens:

Quonam, inquit, *pacto fieri possit; ut filium pariam! Quæ ita viro sim desponsa, & cum eo convivam; ut mihi nulla cū eo cōnubij, sit, aut esse possit, cōsuetudo! Et utrique castitas cordi sit, quam propriam ac perpetuā nobis esse cupiamus, uti vovimus.*

Angelus, ut hunc scrupulum ex Virginis animo eximeret, respondit:

Partum

Partum istum à communi naturæ ordine alienum quidem; sed à cœlesti opifice perficiendum. Neque hoc sancto divinæ naturæ, cum humanâ, coitu, pudicitiam eius violatum; sed potiùs consecratum iri.

Patrem cœlestem decrevisse, novo & admirabili modo filium suum, ab æterno ex se genitum, rursùs ex ipsâ progignere.

Sanctus scilicet Spiritus, inquit, *in te, ô Virgo, cœlitùs illabetur; & in tuo utero, veluti officinâ cœlesti, tàm arcanum & novum, sacri fœtûs opificium peraget & vicem maritalis complexûs, Altissimus immensâ suæ virtute totam te obumbrabit. Ideóque, quod ex te, Sancti Spiritûs opificio conceptum, nascetur, & corpus humanum de tuæ substantiâ carnis adsumet; Sanctum erit. ut non modò Virginis hominisque; sed DEI etiam filius vocetur: Ex quo verè bis natus sit; semel ante principium, ab æterno æternus; & nunc in tempore, ex matre, mortali homine, homo mortalis.*

Cœlestis intereà nuntius, ut trepidantem Virginem, & simul tanti sacramenti veritatem, magis magisque confirmaret; eiusque adsensum, certiore fiducia eliceret; exemplum recens è proximo adduxit.

Ecce, inquit, *Elisabeta, cognata tua, anus deplorata tamdiu sterilitatis, & ætate iam æquo provectior; præter omnem spem, & naturæ vireis, filium concepit. Et hic mensis est à conceptu sextus, ei, quæ etiam antè quàm senesceret, vulgò sterilis habita fuisset.*

Hoc ita visum esse Deo; ut intelligant omnes, nihil esse tàm arduum aut incredibile apud homines; quod divina potestas, *si voluerit; non præstet, & efficiat.*

Tunc illa nihil cunctata, paucis respondit: quæ summam animi modestiam, cum singulari fiducia ac pietate coniunctam, testarentur. Offerens se Domino, infimam omnium Ancillam, ad omne obsequiū: & ad eius, quod promittebatur ab Angelo, mysterij ministerium, corpore animoq; paratam.

ADMIRANDVS D. IESV CHRISTI, Σωτῆρος, adsumtâ humanitate, conceptus.

Et simul cum dicto, *Verbum Patris in uterum Virginis delapsum est. ut uno eodémque momento,* CHRISTVS, *in unâ eâdémque* personâ, *ex duabus* naturis *unus; idémque &* Deus & homo *perfectus, in casto Virginis utero conciperetur, formaretur, & animaretur.*

Ac peracto paucorum vitæ annorum curriculo, suâ ipse morte, mortale & damnatum hominum genus, in pristinam Patris sui gratiam; & in immortalis vitæ gradum, (unde piaculari primævorum parentum culpâ exciderat) restitueret.

(Hæc, ut putat BARONIVS, gesta, Coss. CORNELIO LENTVLO, ET VALERIO MESSALLINO. IX. Kalend. April. eâdem die, quâ primus homo, ADAMVS, à Deo formatus creditur.)

MARIA VISIT AD ELISABETHAM, MVTVVM INTER SE colloquium.

MARIA verò, quoniam ex Angeli, qui iam digressus erat, sermone didicerat, ELISABETAM, cognatam suam, sextum iam mensem esse gravidam; relictis (parentum, an Iosephi sponsi?) ædibus, profecta est in mōtanam Iudææ regionem: & magnâ cum celeritate pervenit in civitatē Hebronem, Sacerdotalem & antiquissimam, Leviticæ & Aaronicæ Caathi familiæ, attributam: (quæ & aliàs Cariath-arbe) ubi ZACHARIAS Sacerdos cum Coniuge, sub id tempus, degebat. Et ingressa eius domum, salutem & gratulationem cognatæ modestissimè est impertita.

Ibi, quùm ex mutua congratulatione, divini spiritûs vis in utráque exuberâsset, in hanc ferè sententiam inter se sunt collocutæ. Et ELISABETA quidem, cui ad salutem Virginis, infans in utero exsultaverat; iam divino numine repleta, ingenti voce exclamavit; & ipsissimis ANGELI Paranymphi verbis animi sui gaudium auspicata;

O felix, inquit, *Virgo, quæ inter omneis*

omni

omni ævo laudatas mulieres, primum laudis & gratiæ locum adepta sis. Et sacer simul castissimi uteri tui fructus, gentium omnium laudibus, per universum orbem, Hominum Servator, prædicetur.

At quónam meo merito isthæc mihi felicitas obtigit? ut futura Domini mei mater *ultrò ad me accesserit. Cuius adventum haud dubio argumento perçepi. simulatque enim vox salutationis tuæ ad aureis meas accidit; infans in utero meo subsultavit; & gaudium mecum, reverentiámque testatus est.*

Eo certè nomine felix es, ô Virgo, quod penè incredibilibus ANGELI *promissis non sis diffisa. Nec dubium quin cętera, quę ille* DOMINI *sui verbis tibi pollicitus est, eâdem fide in te præstentur, & perficiantur.*

Haud mora; MARIA, spiritu sacro adflata, sibi non temperavit; quin hymno Eucharistico, in Dei laudem prorumperet;

Cuius bonitati, tanti in humili ancillâ, beneficij magnitudo esset tribuenda. Cui tot Prophetarum de MESSIA *; de filio Dei, ex Virgine nascituro, oracula; & facta Abrahæ eiúsque posteris, progenitoribus suis, eâdem de re promissa, nunc tandem perficere visum esset.*

Neque illa diutiùs treis menseis ibi commorata, & amicis obsequijs operata; appetente cognatæ partu; domum suam, ad Sponsum, reversa est.

ORTVS IOANNIS BAPTISTÆ.

Quumque legitimum tempus, quo fœtum ederet, Elisabetæ advenisset; filium peperit. Eiusq; rei rumore per vicinos & cognatos sparso, pro ingenti Dei misericordiâ, *Ex sterili, masculæ prolis matrem esse factam*; complures adcurrérunt, puerperæ patrique gratulaturi.

Iamque octavus à partu dies venerat, quo ex legis præscripto, puer erat circumcidendus; nomenque et imponendum: quùm & propinqui, qui eius officij causâ accesserant, suspicati id Patrem, qui tum elinguis erat, ita velle; paterno nomine puerū, ZACHARIAM, appellandum iudicarent.

Mater contrà, Sancti Spiritûs adflatu edocta, IOANNEM, (*à gratia*) vocandum esse contendebat. *(Qui præco scilicet novæ legis, carnalem hactenus in Israëlitis Dei cultum; in gratiam spiritalem commutaret.)*

Et mox Pater, nutu, de nomine filij, consultus; nomine IOANNIS in pugillareis tabellas inscripto, uxoris sententiam confirmavit. Simul cum scripto, ipsi, qui hactenus ob promissi, sibi ab Angelo facti, diffidentiam, mutus fuerat; linguæ vinculum solutùm est. Nec aliundè redditi sermonis facultatem auspicatus, quàm à laudibus DEI; cuius gratuitâ munificentiâ tantum sibi beneficium gaudiumque obtigisset.

Hæc omnia, subito, non per cognatos tantùm ac vicinos; verùm per universam etiam illam montanæ Iudææ regionem, rumore longè latéque ita sparsa sunt; ut non solùm admiratio, sed stupor quidam & horror, ex tot, tamque insolitis miraculis, conceptus, omnium animos incesseret. Et tacitis apud se quisque mentibus eadem contemplati; ex ijs ceu præludijs, puerum, cuius conceptus, & nativitas iam-tum admirandis prodigijs fuisset insignita; ad res summas à DEO delectum augurarentur, & inter se iactarent. In quo verè DEI manus virtutem cœlestem exsereret; & ex ipso in parenteis redundaret.

Nam & ZACHARIAS, pius senex, divino spiritu instinctus, in Hymnum erupit; eaque fatidico pectore, & Prophetarum priorum exemplo, exprompsit; ac defuturâ generis humani per MESSIAM (cuius Ante-cursor, filius ipsius esset futurus) antiquitùs promissum, liberatione, tam liquidè præcinuit, quasi iam essent re ipsâ exituque comprobata.

AVSTERA IOANNIS BAPT. VITA.

Puer autem, prodigiosè natus, quemadmodum per ætatem corpore adolescebat, ita per divini numinis adflatum, firmitate etiam spiritûs & robore, in dies magis magísque, augebatur.

Nec se diu in parentum ædibus continuit; sed ab ipsâ statim pueritiâ, ex promiscuâ hominum frequentiâ subduxit. Vino & siecrâ abstinuit: locis desertis, & inter feras, locustis ac melle silvestri, victitans: pilis camelinis vestitus; & Zonâ pelliceâ præcinctus.

Ibi ad multos annos latitavit, & siluit; donec præstituto tempore in publicum prodiret; & Israëlitis cum Baptismate pænitentiam annuntiaret; & DOMINI sui, MESSIÆ, & iam nati, paullopòst se venturi, Notorem ac præcursorem ageret.

ANTIPATER ROMA, SED INAVSPICATO, REDIT AD PATREM. Accusatur & condemnatur.

Rex intereà HERODES, quùm ad eum ANTIPATER F. Româ litteras, misisset, quibus & se brevi in Patriam esse rediturum; & quàm honorificè à CÆSARE dimissus esset, significârat: insidiatorem vitæ suæ iam manibus tenere desiderans; pari

callidıtate,

calliditate, itáque dissimulatâ, rescripsit; *Reditum ad se maturaret: ne quid ipsi per longiorem absentiam, quod nollet, accideret. Posse per eumdem, matris offensionem, novâ gratiâ, componi.*

Ille primum de morte Pheroræ nuntium Tarenti acceperat. hoc unum dolens, quòd patruus, morte præventus, propinandi Patri suo veneni munus non expléisset.

Patris verò epistolam in Ciliciâ accepit: & ad Celenderim, eius regionis opidum, delatus, quùm amicorum, ex materni casûs cogitatione, variarent sententiæ; tandem ab ijs, qui repetendæ patriæ cupidiores essent, quàm quid Antipatro conducibile, prudenter expenderent; persuasus; navigare pergit: & in Sebastum, Cæsareæ portum, adpulsus est.

Ibi tristis ab amicis solitudo, & infortunij præsagium. Quem priùs namque, quùm Romam discederet, votis faustisque acclamationibus clarissimè fuerat prosecuti; nunc eumdem vicissim diris, fraterni sanguinis ultricibus, taciti; sed datâ aperti odij libertate, devovebant.

QVINCTILIVS VARVS, IVDÆÆ PRÆSES.

Et fortè per idem ferè tempus. Qvinctilivs Varvs, Satvrnino succidaneus, præses in Syriam venerat: & Hierosolymis agebat, ab Herode in consilium de rebus agendis adhibitus.

Antipater, rerum, quæ agerentur, inscius, & superveniens; amicorum comitatu per ianitores excluso, in regiam nihilo minus cum purpurâ ingressus est.

Sed postquàm Pater eum à complexu suo cum acerbâ, & fratricidij perpetrati, & parricidij cogitati exprobratione, reppulisset; & Varvm criminis cognitorem iudicemque in crastinum diem denuntiâsset; ipse inopinato malo, velut fulmine ictus, & attonitus, recessit. Et à matre, uxoreque, quas obvias habuerat, de omnibus edoctus, ad subeundi iudicij aleam se audacter comparabat.

Rex postridie cum Varo, adscitis in consessum utriusque amicis, in tribunali considens, cognatos suos, sororemque Salomen, & arcanorum conscios, aut indices, & per tormenta vera fassos, arcessit.

Antipater verò, quùm intro admissus, pronus ad Patris pedes accidisset, eumque orâsset; *Ne quid de se praiudicaret; sed integram sibi defensionem servaret:*

Rex plura loqui non passus, cum lamentabili oratione suam in procreandis fovendisque liberis infelicitatem deploravit: tum Antipatri, quem indulgentissimè habuerat, & dignioribus antelatum, regni sui heredem declarârat; præ cæteris ingratum, sanguinariumque ingenium ingenti cum animi sensusque acerbitate exaggeravit: Et criminum argumenta indiciaque per Nicolavm, ex amicis fidum, exponi iussit.

Qui, post frivolam Antipatri scelerum, quæ ipsi obijciebantur, excusationem; & spectatæ, scilicet, in Patrem pietatis obedientiæque commemorationem; tàm atroci usus est criminatione: ut cuncta regni maleficia; & fratrum eius consanguineorum maximè interitum ei adscriberet. *quos per calumnias leto dedendos curâsset.* Et alteris superstitibus, quasi successionis paternæ captatoribus, scelestissimè insidiari non desisset. Et qui Patri venenum parâsset; multo minus à fratribus, si supervixissent, parcem vim esset abstenturus.

Hic ad veneni probationem, Varvs, iusso respondere Antipatro, & nihil ampliùs elocuto; quàm, *Deum innocentiæ suæ esse testem*; venenum præsentaneum petit; & uni ex capitedamnatis bibendum dedit.

Eoque confestim enecto; pauca cum Herode in aurem collocutus, quæ eo in consessu gesta erant, Cæsari perscripsit, & postero die discessit; Antiochiamque, Syriæ regiam, profectus est. Herodes quoque, Antipatro in custodiam tradito, domesticæ cladis nuntios ad Cæsarem misit.

Et quùm nova Antipatri calumnia, (quam per litteras Româ missas, & operâ cuiusdam Acmes (quæ gente Iudæa, Liviæ Augustæ erat liberta) procuratas, in Salomen, regiam sororem, quasi fratris illa vitæ clam insidiaretur, struxerat) detecta esset: Rex novo & vehementiore animi mærore saucius, de filio Romam ad Cæsarem ablegando cogitabat, apud quem parricidij caussam diceret.

Sed veritus, ne amicorum, quos illic habebat, ope, periculo eriperetur; & nova in se, regnúmve suum consilia moliretur; ipsum in vinculis artiùs habuit. vix ultrà cunctatus, quin exemplò de eo, omnium caussâ, supplicium sumeret. nisi gravi mòx morbo impeditus fuisset.

TESTAMENTVM, ET LEGATA HERODIS IAM MORIBVNDI.

Et Litteras quidem tum de Acmes perfidiâ; tum de ementitis in Salomen calumnijs, ad Cæsarem misit. Morbo autem ingravescente, testamentum mutavit: & expuncto Antipatri nomine, Antipam, ex natis minimum, regem scripsit. Archelao & Philippo, qui natu maiores erant, ob recentem Antipatri criminationem adhuc suspectis, & præteritis.

Cæsari, M. eiusque uxori Liviæ, & liberis, amicis ac libertis, D. talenta legavit.

Suis quoque filijs ac nepotibus, pecunias, agros & reditus distribuit: & Salomen, perpetuâ in se, ut putabat, fide ac benivolentiâ spectatam, egregiè ditavit.

Desperatâ deinde salute, iàm septuagenarius, irâ & amarore efferebatur; contemptûs, & sinistræ de se in vulgum existimationis, impatiens. Quam opinionem, quorumdam Sophistarum, patriæ legis interpretum, concitatâ Iudæorum, qui se ipsis in disciplinam dederant, Iuventute; seditio, confirmavit.

SEDITIOS

SEDITIOSI PLECTVNTVR.

Illi, multis in rebus, præsertim operibus, à patriâ consuetudine abhorrentibus, regis pietatem desiderabant. Et rumore, de eodem exstincto, increbescente, Aquilam Auream, quam suprà maiorem Templi Portam rex olim dedicaverat, ex alto detractam, securibus frustratim concidebant. quùm dux regiæ cohortis, validâ cum manu adcurrit; & reliquis facilè disiectis, circiter XL. iuvenes, cum duobus magistris, facinoris autoribus, comprehendit, & ad regem perduxit.

Quibus vinctis, & Hierichuntem transmissis, quùm ille primórum concilium advocâsset; & iniuriam tot suis in gentem universam beneficijs indignè relatam, deploraret; in cæteros, qui factum exsecrarentur, & supplicio mulctandum censerent, mitior; MATHIÆ Pontifici, quem ei consilio adsinem fuisse putaret; sacerdotium abrogavit: & IOAZARVM, uxoris MARIAMNES alterius fratrem, sufficit. Et seditionis auctores sociosque, tanquam sacrilegos, flammis vivos exussit: alios carnificibus obtruncandos dedit.

GRAVIS REGIS MORBVS, ET DIRVM FACINVS.

At morbus ille in rege, varijs doloribus adflicto, usque & usque recrudescebat. Cui lento calore viscera intùs torrerentur: fames cibis continenter suggestis vix sedaretur: venter & intestina torminibus distenderentur: pedes & inguina pellucente pituitâ, & intercutis vitio, intumescerent: & verenda iam putrefacta vermiculis scatérent; non sine molestâ fœdâque tentigine, & odore teterrimo.

Huc accedebant: creber difficilisque anhelitus; & inter suspiria, acerba membrorum omnium contractio. Vt iam constans, inter pios prudenteisque viros, opinio esset; *regem DEO, iustissimas lesa tot modis pietatis, pœnas expendere.*

Ille nihilo minus, inter tot cruciatus, vitæ cupidus, transmisso Iordane, aquis calidis, apud Callirhoën, se fovendum; & de medicorum consilio, in solium, oleo repletum, immergendum curavit.

Ibi quùm corpore dissoluto, animam propè effundere visus esset; & exorto familiarium ploratu excitatus, conclamatam sibi salutem intelligeret: militibus quinquagenas drachmas, ceu donativum, extemplò distribui iussit. Non minore in amicos ducesque liberalitate usus.

Hierichuntem indè regressus, & atrâ bili percitus, pænè ipsi morti minitans, eò immanitatis est prolapsus; ut facinus animo conciperet, longè atrocissimum.

Quùm namque è totâ ditione nobilissimi Iudæorum, severo edicto evocati, ad eum convenissent; innoxijs iuxtà ac sontibus infensus, universos in Hippodromo conclusit. Et accitis ad se, sorore SALOME, eiusque marito ALEXA; *Ferendam sibi dixit fati & sortis humanæ necessitatem. Sed illud permolestum fore; Si extremo luctûs honore, qui regibus debeatur, carendum sit:* Aut si Iudæi, quem viventem pessimè oderint, *mortuo sibi festis gaudijs insultent.*

Rogare itaque, ut, simul animam efflârit; omneis, qui in custodiâ haberentur, militibus undique circumdatos, iaculis & promiscuâ cæde contrucidarent. Atque ita Iudæa omnis, morti ipsius, vel invita, præ carissimorum sibi capitum desiderio, illacrymaret.

Intereà, quùm litteræ Româ, à legatis, quos ad Cæsarem miserat, supervênissent; quibus nuntiabatur; ACMEN, ob operam ANTIPATRO præstitam, ab irato Cæsare occisam esse: & liberum de ANTIPATRO statuendi arbitrium ipsi relinqui. sive in exsilium expellere, sive capite plectere mallet. Paullulùm eo nuntio recreatus, & mòx gravioribus iterùm doloribus repetitus; dum arreptò cultello, quo mâlum in speciem dissecaret; fatum anticipare conatus, & ad se feriendum dexteram sustollens, ab ACHIABO (consobrino, sive nepote) prohibitus est.

ANTIPATRI EXITVS; ET MOX HERODIS PATRIS.

ANTIPATER verò, ubi strepitû trepidantis aulæ è propinquo persensit; Patrem verè vitam finisse ratus, & lætus, custodes promissâ pecuniâ sollicitare cæperat; ut se solverent, missumque facerent.

Sed commentariensis mòx eius conatus regi renuntiat. & missis unà satellitibus ab irato Patre filium, sine morâ, occidere; mortuumque, in Hyrcanio, obscuro funere, sepelire iussus est.

Rex autem correcto iterùm testamento, ARCHELAVM, natu maximum, regni successorem; & ANTIPAM Galilææ; ac PHILIPPVM Trachonitidis finitimique tractûs, Tetrarchas instituit. Et quinto pòst filij ANTIPATRI interitum die, trimestri ferè post CHRISTI Natalem, & Infanticidium, mortuus est, & in Herodio conditus. Anno IV. & XXX. ab ANTIGONI, Asamonæi, nece; & VII. ac XXX. (al. XL.) ex eo tépore, quo rex à Romanis fuerat declaratus.

SALOMES ET ALEXÆ IN CAPTIVOS CLEMENTIA.

SALOME soror, (cui Iamniam, Azotum, & Phasaëlida, urbeis nobileis, legárat, & magnam argenti copiam attribuerat) eiusque coniux ALEXAS, morte regis apud milites celata, vinctos illos homines & in Circo conclusos, (quos ille neci, ceu Piaculareis victimas destinárat) absolverunt: & suas quemque domos dimisérunt. quasi id rex mutato consilio iussisset. Quo certè beneficio universam gentem sibi devinxerunt.

Hæc à nobis anticipato aliquantulùm tépore pertexta sunt; ut res gestas, regnumq; Herodis, ipsius morte, quæ trimestri post CHRISTI Domini natalem contigit, terminaremus. Nunc ad extremum institutæ nobis scriptionis actum, hoc est, ad salutiferum SERVATORIS Nostri ortum, veniamus.

EDICTVM

EDICTUM AUGUSTI. DESCRIPTIO ORBIS TERRÆ.

AUGUSTUS CÆSAR, qui tum pleraſque orbis terræ regiones obtinebat; & rebus undique pacatis, latiſſimè Romanū imperiū administrabat: provincias omneis, quæ idem imperiū agnoſcebant, publico edicto cenſeri iuſſerat. miſſis quoquoverſum xx. viris, qui capitum fortunarumque ſummam, quæ universè in provincijs, & in Imperio eſſet, cognoſcerent: & iuſtam inde in ærarium, diuturnis bellis exhauſtum, partē inferrent. Vt nulli denique poſſeſſio ſua, agris diſtributis, deinceps haberetur incerta.

Ad eam igitur profeſſionem in Syriâ peragendam, ex Cæſaris auctoritate, & Senatûſconſulto, miſſus eſt CYRENIUS, ſive P. SULPITIUS QUIRINUS, eius provinciç, (quæ & Palęſtinam cum Iudæâ complectabatur) cum Proconſulari poteſtate præſes.

Hæcautem Deſcriptio prima ab eo præſide facta eſſe in Iudæâ ſcribitur; non quòd tunc primùm cenſi fuerint Iudæi, vel Romanis facti vectigales:

(Quùm multo-antè, Coss. CICERONE & ANTONIO, POMPEIUS M. ab ijs, captis Hieroſolymis, quos bello domuerat tributum exegerit. Et idem, civilis, Adverſum IUL. CÆSAREM, belli tempore, à regibus, Dynaſtis, & Tetrarchis Aſiæ totius & Syriæ, ingenteis pecunias corraſiſſe prodatur. GABINIUS deinde & CASSIUS, cæteriq;, qui ſucceſſerunt, Syriæ præſides; tributa Iudæis graviſſima imperârint.

Et certè annis plus minus, XXX. antè, quàm ANTIPATER, HERODIS pater, Iudææ procurator à Romanis inſtitutus eſſet; Iudæos Romanis tributa pependiſſe teſtatum eſt. Neque, quamvis ea provincia HERODI, eiuſq; ſucceſſoribus, cum regum titulo ac dignitate, à Romanis conceſſa eſſet; Iudæi, vel eorum nomine, reges ipſi, tributum ſolvere iiſdem deſiêrunt.)

Sed prima dicitur Deſcriptio; quòd & altera ſub eodem præſide facta ſit; dum more Romano, populus quolibet luſtro cenſeretur. quam IOSEPHUS innuere videtur novennio pòſt, eſſe factam; & cum primâ confundere.

IOSEPHUS CUM B. VIRGINE MARIA BETHLEHEMUM PROFICISCITUR. DOMINI CHRISTI ortus, & miracula.

Quùm igitur ad hoc CÆSARIS Edictum, à QUIRINO promulgatum, omnes, in ſuam quiſque Tribum ac civitatem proficiſci, & ex more nomina profiteri iuberentur; IOSEPHUS quoque, qui Nazarethi ignobili & exiguo Galilææ opido, habitabat quidem; ſed è progenie ac regiâ ſtirpe DAVIDIS genus duceret; Bethlehemum profectus eſt: Iudææ civitatem, ciuſdem DAVIDIS regis (è cuius ſemine promiſſus erat CHRISTUS) ortu & cunabulis nobilitatam. Vt unà cum MARIA Virgine, deſponsâ ſibi uxore, & contribuli, (quæ gravida, & iam partui erat vicina) ſuo loco cenſeretur.

Accidit autem, ut, dum pauxillum ibi moræ traherent, legitimo menſium tempore evoluto, maturum pariendi tempus appeteret.

Et quoniam in publico diverſorio, propter hoſpitum novorum frequentiam, non erat alius ſecurior futuræ puerperę locus; delecta eſt in ſuburbano opiduli urbe ſpelunca; & ſtabulum, ſive præſepe in rupe exciſum. (Alij putant, ſtabulum ipſi diverſorio adhæſiſſe, intra urbis muros, ubi B. Virgo, *Filium peperit ſibi unicum*, (ſibi, cęterîſque mortalibus æternæ hereditatis & ſalutis conſortibus) primogenitum. cui nec anteceſſerat ullum exemplum, neque conſecutum eſt.) Id contigit anno iam præcipiti, VIII. Kal. Iannua. Medinoctio.)

Ipſa mater infantulum, recèns ex ſe editum; & quidem ſuis ipſa manibus, nutrix & obſtetrix, *faſciolis involvit, & in præſepe reclinavit.*

Cæterùm hac naſcendi humilitas, quàm plena fuerit magnificentia, videamus.

Erat haud procul à Bethlehemo, Turris ADER, regiò, ob agros compaſcuos gręgibus pecorum abundans. ibique paſtores nocturnas pro gręgibus ſuis agitabant excubias. Quùm ecce de-ſubito Gabriel (ut probabile eſt) Angelus, è ſublimi, verticibus eorum imminens, novâ & admirabili luce, quæ repentè circumfulſerat, præſtrictos, & ingenti pavore correptos; blandè & in hanc ferè ſententiam, adfatus eſt: & pavorem deponere iuſſit.

PASTORIBUS ORTUS SERVATORIS DEI, ANNUNTIATUR.

Lætiſſima ſe rei nuntium adveniſſe; & inauditum hactenus gaudium adportare. quod non ipſis tantùm, ſed toti Iſraelitarum genti futurum eſſet. MESSIAS ille, inquit, *& Servator, CHRISTUS DOMINUS, tot prophetarum oraculis promiſſus, & tamdiu exſpectatus, hâc ipsâ nocte, in Bethlehemo, civitate DAVIDIS, natus eſt; & vobis, quidem. cæteriſq; omnibus natus eſt. Ite, & inquirite.*

Signum, quo agnoſci poſſit; hoc vobis edo. Ingreſſi in ſpeluncam, ſive diverſorium; Invenietis infantulum, faſcijs obvolutum, & in præſepe reclinatum,

Simul autem cum dicto Angeli, audita eſt ingens multitudo, cœleſtis militię, (*Angelorum; qui Forti ad prælia Domino miniſtri ſemper adparent*) Qui modulatione quâdam cœleſti & inenarrabili, DEO laudes, & puero recèns nato Natalitium carmē concinerent. Et tum immenſam eius erga genus humanum caritatem prędicarent; tum hominibus ipſis gratularentur, quibus tanta felicitas divinitùs contigiſſet. Idque hoc ferè argumento:

Vniverſam huius negotij, tam ſublimis ac ſalutaris, gloriam, uni DEO, qui in excelſis habitat; & è cœlo mortalibus, quos condidit, miro conſilio proſpicit; in ſolidum deberi.

In terris verò, nihil aliud magis optandum, quàm PACEM; quæ peccatis abolitis DEO nos reconciliet; & mutuâ nos caritate conglutinet. Idque non ex meritis hominum; ſed ex liberâ & gratuitâ DEI voluntate, atque pio adfectu. qui bonam mentem

 ac volun-

ac voluntatem in caris sibi animis ingeneret; & promoveat.

Digressis in cœlum Angelis, pastores inter se collocuti, & invicem exhortati; ut iuxta Angeli monita, in Bethlehemum proficiscerentur: & quod auribus factum acceperant, coram oculis usurparent; properè eò ijdem contendérunt.

Et ingressi in diversorium, repererunt MARIAM puerperam; IOSEPHVM virginei partûs testem; & PVERVM fascijs obvinctum, atque in præsepi repositum.

PASTORES NATIVITATIS, ET EVANGELII PRÆCONES.

Illi postquam oculis testibus compererunt haud esse vana, quæ Angelus nuntiârat; non sunt veriti evulgare; & apud alios, quod audierant & viderant de orto pueilo; alijsque, quæ eò pertinerent, passim prædicare.

Et hæc simplicium Pastorum vox, non modò fidem apud multos invenit; sed & admirationem excitavit.

B. quoque VIRGO, in quâ prudentia cum humilitate & modestiâ certaret, tacita secum, novam divini consilij rationem, ex ijs, quæ priùs, quæque nunc acciderant, contemplata, & in animo, conservans in penitissimis cordis sui medullis omnia recondebat: Evangelicæ veritatis, in posterum, proma-conda.

CHRISTVS PVER CIRCVMCIDITVR.

3950. AbV. C. 751. Ab Act. pug. 28. An. 2. Olymp. 194. Anno Augusti à Trium-vir. 41. Et à nece Iul. Cæsaris 42.	*Posteaquam verò octavus à partu dies advenisset, quo ex lege Mosaicâ infans masculus circumcidi iubetur, CHRISTVS DOM. humani generis redemtor, licet ab omni peccati contagione immunis; quoniam tamen à Patre in similitudinem carnis, peccato obnoxia, missus esset, omnia mundi peccata suâ morte aboliturus; non dedignatus est, legi (cui non solvenda, sed adimplendæ venerat) obsecundare.*	Annus post natum CHRISTVM primus iniens.

Octavo itaque die, qui in ipsas Ianuarij Kal. novi anni auspices, incidit; AVGVSTO XIII. & PLAVTIO SILVANO, Consulatum ineuntibus; eo ipso, quo natus est loco, de more, circumciditur.

Eique nomen IESVS, quod ab Angelo antequam in utero conciperetur, fuerat præsignificatum; imponitur. Ex quo gratissimo SERVATORIS vocabulo, mortales admonerentur; Hunc illum esse; *Qui veram salutem omnibus esset adlaturus, Eosq́, sanguine suo*, (quem circumsectâ membri tenelli cuticulâ iam tum spargere, & quasi DEO PATRI libare auspicabatur) *vetusto Diaboli, Mundi, & Carnis iugo exemtos, in solidam libertatem, atque adeò immortalitatem adserturus.*

NON ABS

NON ABS RE VISVM EST, HIS II. HISTORIÆ VNIVERSÆ TOMIS SVBIVNGERE HANC SCRIPTORVM Græcorum, Latinorum, & exterorum Chronologiam. quâ singulorum ætates, quibus vixére aut floruêre, designantur. Donec per otium eadem limatiora demus.

Ann. ab Orbe C. — Ann. ant. Nat. Chr.

2520. 1428.
Cadmus, Thebarum conditor, regno ibi constituto, primus ex Phœnice litteras in Græciam intulit.

2547. 1401.
Minos Europæ F. rex Cretæ, leges incolis præscribit.

2583. 1365.
Phemencë prophetis prima, agitata adflatu Apollinis, Delphis versus Hexametros effudit. Euseb.

Clem. Alexand. inventionem Hexametri carminis vetustiorem facit. A feminâ tamen inventum scribit.

2591. 1357.
Eumolpus Thrax, qui Erechtheo Athen. regi bellum fecit, mysteriorum inventor. Eorum tamen inventionem alij Eumolpo, qui ab illo quintus, sive abnepos, tribuunt. qui & Templum in Eleusine ædificarit.

2674. 1274.
Debora è tribu Nephthali, prophetis, & Iudex Israëlitarum.

2680. 1268.
Orpheus claret: cuius discipulus Musæus, Eumolpi F. (al. Orphei) Euseb.

2698. 1253.
Euander. 60. ferè annis ante bellum Troianum, ex Arcadiâ in Latium venit, Carmentę F. Quæ à Græcis Themis dicta, vates, & Latinorum Characterum repertrix.

2699. 1249.
Minos Lycasti Cretensium regis F. Minois primi, nepos: quùm avi exemplo leges correxisset, eas promulgat.

Anno consequenti, Thamyris Thrax, Philammonis F. poëta insignis floret, à Musis, ut volunt, excæcatus.

2779. 1169.
Mopsus vates & rex in Ciliciâ.

2860. 1088.
David propheta, Musicus doctissimus.

2870. 1078.
Zoroaster Magus.

3024. 924.
Lycurgus fert Spartanis leges, annis 150. ante I. Olympiadem: regnante Agesilao, ex Agidarum familia.

3038. 910.
Homerum ante Romam condit. floruisse, annis 160. Agell. & Herodotus. Aristoteles verò, eum natum in Ionicâ migratione, anno 2879. eoque modo antiquiorem annis 160. Philochorus apud Diog. Laert. floruisse annis 180. post Troiam captam. qui esset mundi 2947. distatq; ab hoc anno annis 90. Vell. ante annos 950. floruisse, & ante annos 1100. natum, loquens de consulatu Vinicij, 3971. Atque ita natus esset circa ann. 2971. & floruisset circa ann. 3021. Videtur veriùs paullo antè I. Olympiadem floruisse. Scripsit autem, quùm historiâ Troiana ferè in fabulam abijsset.

Elias propheta, cuius discipulus Eliseus.

3072. 876.
Ionas propheta Ninivitis futuram cladem prædicit.

3143. 805.
Hesiodus poëta. Alij ex stylo conijciunt eum aut Homero æqualem, aut superiorem fuisse.

3152. 796.
Hoseas propheta, annis 70. docet.

Ioël propheta videtur Amosum prophetam ætate præcessisse.

Amos propheta.

3160. 788
Thales musicus eximius & legislator, paullo pòst tempora Hesiodi. Strab. Alius à Thalete Milesio, qui annis 120. posterior.

3176. 772.
Ars sculpendi marmoris inventa. Plin.

3183. 765.
Eumelus poëta, ex nobili familiâ Bacchiadar. apud Corinthios, Bugoniam sive de Apibus, scripsit. A[illegible]us poëta, qui Æthiopidem, & Ilij excidium scripsit. Euseb.

3185. 763.
Abaris Scytha Philosophus in Græciam venit.

3188. 760.
Aminocles Corinthius Naupegus insignis.

3192. 756.
Esaias propheta ex regio sanguine, docuit annis ferè 90.

Cynæthon Lacedæmon. poëta celebris Telegoniam scripsit.

Alius fuit Cynæthus, Chius poëta, qui rhapsodias Homeri collegit, & alio tempore vixit.

Anno ab Orbe C. | Ann. ant. Nat. Chr.

3199. 749.
Micha propheta. cuius auditores anno primo regis Ioiakim in vivis.

3227. 711.
Nahum propheta.

3246. 702.
Neoptolemus poëta Parianus, quem ad verbum expressit Horat. epistolà ad Pisones.

3267. 681.
Tyrtæus poëta, dux Spartanis missus ab Atheniensibus.

3270. 618.
Anacreon Teius poëta Lyr.
Archilochus poëta, sub Tullio Hostilio. Cic. sub Romulo claruisse putat.

3274. 674.
Terpander musicus Citharœdus apud Spartanos.

3284. 664.
Alcman Lacedæm. poëta Lyricus, sub Ardye patre Alyattis.

3287. 661.
Arion Methymnæus, musicus.

3296. 650.
Pittacus poëta.

3308. 640.
Habacuc propheta.

3310. 638.
Thales Milesius Examij F. philosophus & astronomus.

3318. 630.
Stesichorus poëta Lyr. nascitur.
Mimnermus poëta floret.
Anno consequenti, Ieremias propheta suum ministerium inchoat, docetque annos circiter 50. Huic σύγχρονος Sophonias propheta.

3326. 622.
Dracon Archon Atheniensis, Atheniensibus præscribit leges æquo severiores.

3339. 609.
Vrias propheta, templi & urbis excidium prædicit: à rege Ioiakim trucidatus.
Anaximander Milesius philosophus nascitur anno 2. Olymp. 42. moritur anno 2. Olymp. 58. vixit annos 64.

3341. 607.
Sappho & Prinna feminæ, poëtæ claræ.

3343. 605.
Anaximenes philosophus nascitur Olymp. 43. moritur, quando Sardes pòst captæ. Vixit annis 60.
Baruch vaticinia Hieremiæ publicè populo prælegit. Hieremiæ 36.

3347. 601.
Daniel somnium regi Nebudcadnezari de 4. monarchijs in statuâ quâdam præfiguratis, exponit: tantáque fuit sapientiâ, ut sanctissimis viris Nohæ & Iobo ab Ezechiele compararetur.

3349. 599.
Ezechiel propheta abductus cum rege Iechoniâ in Babylonem, prophetiæ suæ initium facit anno 30 ab initio Nabopollassaris; à quo nova epocha deducebatur.

Ann. ab Orbe C. | Ann. ant. Nat. Chr.

3356. 592.
Æsopus Apologorum auctor, floret anno 3. Olymp. 46. Vitam suam ipse scripsit.
Solon, Archon Atheniens. seditionibus Atheniensium sedatis, & Draconis legibus sublatis, novis legibus remp. temperavit.

3358. 590.
Anacharsis Scytha Athenis peregrinatur.
Anno consequenti, Epimenides Athenas lustravit: & sexta dies Thargelionis posteà solennis lustrationibus fuit.
Tragœdiæ hoc anno primùm in Græciâ actæ.

3370. 578.
Onomacritus poëta Atheniens. floret, cuius quædam poëmata supersunt.
Sibylla Cumæa floret 50. Olymp.
Pythagoras post 50. Olympiadem, in Italiâ floruit ferè ad 70. Olympiadem. ann. 80. longè posterior Numâ.

3378. 570.
Anacreon poëta Lyr. floret. Al. referunt ad an. 3270.

3380. 568.
Pittacus Mitylenæus philosophus, & belli dux insignis moritur.

3386. 562.
Æsopus de saxo apud Delphos deijcitur.
Anno consequenti, Abaris, qui è Scythiâ in Græciam venerat, simulacrum Palladij Troiani ex ossibus Pelopis fecisse dicitur,

3392. 556.
Ibycus poëta Lyricus floret, & in Samum insulam venit, Crœso Lydis imperante.
Anno consequenti, Stesichorus poëta, moritur. Et anno altero consequenti, Simonides poëta, qui artem reminiscendi invenit; quique de imperio Cambysis & Darij scripsit; floret: vixit ad 78. usque Olympiadem.
Chilon, unus de 7. Sapientibus, apud Lacedæmonios Ephorus.

3402. 546.
Lasus, F. Charbini Hermionensis, primus de musicis scripsit, & dithyrambum in certamen adduxit.
Anno consequenti Anaximenes moritur, captis iam Sardibus.

3407. 541.
Anaximander primus apud Græcos obliquitatem Zodiaci demonstravit.

3410. 538.
Theognis Megarensis, ex eâ, quæ Atticæ propinqua, poëta, meminit Simonidis; & Onomacriti: vixit ultra Persica tempora.
Xenophanes, physicus & poëta.
Hipponax poëta, amarus & dicax.

3413. 535.
Zaleucus, Pythagoræus, Locrensibus leges præscripsit.
Anno consequenti, Phocylides poëta

3415. 533.
Cleostratus Astronomus Octoaëteridem Atheniensibus in anno observando proposuit, anno 2. Olym-

Ann. ab Orbe C. | Ann. ant. Nat. Chr.

2. Olympiadis 61.

3430. 518.

Pindarus poëta nascitur.

Hecatæus historicus claret.

3437. 511.

Libri Sibyllini ad Tarquinium regem adlati, 9. numero, ab ignotâ feminâ. ex quibus tres integri reservati, reliquis exustis.

Anno seq. Phrynichus poëta claret.

3446. 502.

Heraclitus Ephesius, philosophus cognomine σκοτεινὸς, floret.

3450. 498.

Anaxagoras Clazomenius philosophus nascitur.

3454. 494.

Æschylus Tragicus, floret; & in pugnâ Marathoniâ adversus Persas fortiter pugnat: quam pugnam Tragœdia, Persa, repræsentavit. Moritur anno ætatis 65. Anno 1. Olymp. 78.

Anno seq. Hellanicus historicus nascitur.

Sophocles poëta, prætore Atheniensium Philippo, natus est, florente tum Pindaro.

3461. 487.

Pantasis poëta floret.

Anno seq. Chionides poëta Comicus, antiquæ Comœdiæ, floret. Et

Dinolochus Syracusanus, Epicharmi F. vel discipulus.

3466. 482.

Herodotus historicus nascitur.

Protagoras, qui primus appellatus est Sophista, floret: eius libri ob impietatem ab Atheniens. exusti.

Anno sequenti, Choerilus poëta floret, qui bellum Xerxis Epico carmine scripsit. immeritò risus ab Horatio. meminit, & laudat Iosep. contra Appionem.

3470. 478.

Charon Lampsacenus historicus floret.

Euripides nascitur.

3478. 470.

Democritus, ut quidem volunt, nascitur.

Anno seq. Sophocles Tragicus primùm commissione fabulæ certavit.

3481. 467.

Socrates nascitur Athenis. mortuus anno ætatis 70. Anno 1. Olymp. 95.

3490. 458.

Democritus Abderita floret.

3492. 456.

Lysias rhetor nascitur.

Anno sequenti, Empedocles & Parmenides florent; sed hic illum ætate antecedit.

3496. 452.

Aristarchus circa hæc tempora floret, æqualis Euripidi.

3498. 450.

Ion poëta Tragicus & Lyricus Tragœdias docet.

3505. 442.

Charondas leges prescribit Thurijs, quo tempore Zaleucus Locrensibus leges ferebat. uterque Pythagorei existimati.

Melissus Samius philos. floret.

Ann. ab Orbe C. | Ann. ant. Nat. Chr.

3513. 435.

Aristophanis Comœdia, Acharnes, acta Athenis.

Anno seq. Phryichus Comicus poëta hâc Olymp. 86. vincit.

Isocrates nascitur, quinquennio ante bellum Peloponnesiacum; minor Lysiâ annis 22. Obijt paucis diebus post prœlium ad Chæroneam. vixit annos 98.

3518. 430.

Meton, Pausaniæ F. Athenis aquilex & Astronomus, Enneadecaëteridem promulgat.

Aristomenes Comicus innotescit Olympiade 87.

3520. 428.

Eupolis poëta floret.

Anno seq. Pericles dux & orator Atheniniensis moritur.

Altero anno seq. Plato philosophorum, ut volunt, Deus nascitur. Moritur anno 1. Olymp. 108. annum agens ætatis 80. Annis 6. Isocrate minor.

3523. 425.

Gorgias Syracusanus rhetor, qui centum minas à discipulis exigebat.

3526. 422.

Thucydides, Olori F. historicus & dux Athen.

3528. 420.

Haggæus propheta. Zacharias propheta.

3534. 414.

Xenocrates philos. nascitur.

Anno seq. Diagoras physicus floret, Atheniensibus invisus.

3538. 410.

Diocles Syracusanis leges præscribit.

Anno seq. Xenophon sui temporis historiam scribit annor. 48. ab hoc anno exorsus, ubi Thucydides desierat. Theopompus etiam huius temporis historiam conscripsit libris 12.

3545. 403.

Euripides moritur in itinere ad Archelaum regem, à canibus laceratus.

Antimachus poëta floret.

3546. 402.

Democritus philosophus moritur.

Ephorus historicus tunc floruisse videtur

3549. 399.

Euclides Mathematic. floret, quem Plato audivit.

Anno seq. Socrates, de læsâ pietate & corruptelâ iuventutis accusatus, capite damnatur.

Ctesias medicus Artaxerxis, historiam Persicam deduxit à Nino usque ad 3. ann. Olymp. 95.

3551. 397.

Esras propheta, & dux Israëlitarum ex Perside.

Astydamas Tragicus poëta, vixit ann. 60.

3553. 395.

Sophocles Sophoclis F. primam Tragœdiam Athenis edit.

Anno seq. Zeuxis pictor insignis, cum Parrhasio certans vincitur.

3556. 392.

Theopompus historicus hoc anno desinnit, qui annor. 17. historiam scripserat, exorsus ubi Thucydides desierat.

Anno ab Orbe C. | Ann. ant. Nat. Chr.

3560. 388.
Archytas Tarentinus, Pythagoréus, familiaris Platoni, floret.

3563. 385.
Callisthenes historicus, suas historias ab Antalcidéâ pace inchoat, & ad bellum sacrum per annos 30. deducit.

Anno seq. Eudoxus Cnidius, insignis Astronomus, apud Nectanebum regem Ægypti versatur. Vixit 103. annos.

Altero anno Nehemias Vates, ex stirpe Davidis regis, Hierosolymam instaurat.

3566. 382.
Aristoteles Philos. Stagiræ nascitur patre Nicomacho, ex Hippocratis familiâ. Triennio pôst Demosthenes Orator natus est.

3574. 374.
Eubulus, Poëta Comicus floret.

Hermeas Methymnæus historicus, Siciliæ historiam hoc anno terminat.

3580. 368.
Duris Samius historiographus ab hoc an. incipit.

3582. 366.
Aristoteles octodecennis, Athenis, 20. annis operam Platoni dedit.

3584. 364.
Scholas insigneis eo tépore habuêre Isocrates rhetor, Anaximenes, Plato, Aristippus, Xenophon, &c.

Anno seq. Eudoxus ille Astronomus, quùm in Ægypto rationem motûs Lunaris didicisset, octaeteridem Harpaléam, emendat & novam proponit.

3587. 361.
Anaximenes historicus, qui res Græcorum ab ortu Deorum, usque ad Mantineam pugnam, 12. voluminibus complexus erat, desinit.

Philistus etiam Dionysij historiam terminat.

3589. 359.
Athanas Syracusius res à Dione gestas ab hoc anno incipit, easque 33. voluminibus descibit.

Dionysiodorus & Anaxis, ambo Boeotici scriptores, hoc eodem anno desinunt.

Anno seq. Theopompus Chius ab hoc anno initium sumit suæ historiæ utriusque Dionysij, quam libris 48. persecutus est.

3593. 355.
Callisthenes historias Græcorum decem libris complexus, hîc desinit.

Demophilus F. Ephori, belli sacri historiam ab hoc anno orditur.

Diyllus Atheniensis, historiam Græcię & Siciliæ hinc incipit, & libris 27. continuat.

3602. 346.
Platoni mortuo succedit Speusippus, ex sorore nepos, qui scholæ Platonicæ 8. annis præfuit.

3609. 339.
Epicurus Philos. nascitur.

Ephorus historicus, qui res Græcorum & Barbaror. ab Heraclidar. reditu, per annos 770. libris 30. descripsit, definit in obsidione Perinthi per Philippum. & Diyllus Athen. continuat ad obitū Philippi.

3611. 337.
Speusippo mortuo succedit Xenocrates ann. 25. qui venditus ab Atheniensibus, à Demetrio Phaleréo redemptus est.

3614. 334.
Sosicles Syracusanus Tragicus moritur. Diogenes Corinthi notus Maronites Philos. & Eresius, Aristotelis discip. innotescunt. Anno seq. Aristoteles mortuo Philippo Athenas redit, & ann. 12. in Lycéo scholas habet.

3620. 328.
Callippus Cyzicenus Mathematicus annum Metonicum emendavit.

3622. 326.
Crates Thebanus Philos. Cynicus floret.

Callisthenes, Aristotelis ex sorore nepos, ab Alexandro occiditur.

3624. 324.
Calanus Indorum sophista, iam 73. annor. cum valetudine tentaretur, vivus se ipse cremavit.

Anno seq. Demetrius Phaleréus inclarescit, & reip. admovetur.

3627. 321.
Diogenes Cynicus philosop. eodem die mortuus Corinthi, quo Alexander Babylone.

3634. 314.
Aristoxenus musicus & philosophus, Aristotelis discipulus, floret. Anno seq. Xenocrati mortuo, succedit Polemo, in scholâ Platenicâ.

3638. 310.
Epicurus aperit scholā Mitylenę, dein Lampsaci.

3643. 305.
Dinarchus orator Athenis, Chalcidem abit.

3647. 301.
C. Flavius scriba, ædilis, civile ius evulgat, & fastos in Albo proponit.

3649. 299.
Megasthenes historicus, res Indicas scripsit.

Anno seq. Arcesilas philos. floret.

Diallus (fort. Dayllus) Atheniens. historias horum temporū l. 26. conscripsit. Et Psaon Platęensis.

3662. 286.
Theophrastus philos. moritur. eius scholæ præficitur Straton Lampsacenus.

3665. 283.
Menander Comicus poëta moritur an. ætat. 50.

Apud Ptolemęum Philadelphum florent Alexādriæ: Aratus astronomus, Apollonius, Theocritus, Lycophrō, Nicāder, Philicus, Homerus Iunior, poëtæ. à numero Pleiades dicti. Item Aristarchus Grāmaticus, Conon, Hipparchus, Mathematici.

An. seq. Sostratus Cnidius, architectus insignis, Pharum in Ægypto facit Isthmum & Peninsulam.

3670. 278.
Aristarchus mathematicus Samijs præscripsit periodum lunarem ad formam Callippicam.

3672. 276.
Callimachus poëta Cyrenensis, floret sub Philadelpho usque ad tempora Euergetæ.

3674. 274.
Eratosthenes Cyrenæus historicus, philosophus, & astronomus nascitur.

3678. 270.
Straton Lampsacenus philos. Philadelphi olim preceptor, moritur. scholam eius in se recipit Lycon Troadensis, regitque ann. 42.

An. seq. Epicurus moritur, natus ann. 72.

3681.

Ann. ab Orbe C. | Ann. ant. Nat. Chr.

3681. 267.
Pt. Philadelphus, copiosæ bibliothecæ, per Iudæos, qui in Ægypto erant, sacra Biblia in Græcum sermonem translata, adiecit.

Et Berosus apud Babylonios memoriam rerum gestarum ad annos 480. conservavit (qui fortè anni Nabonassarei, apud Babylonios usitati) post 9. annos historiam Antiocho dedicavit.

3683. 265.
Arcesilas philos. moritur. succedit Lacydes novæ Academiæ princeps.

3690. 258.
Zeno Stoicus, octogenarius, familiaris Antigono regi Macedoniæ.

3693. 255.
Erasistratus medicus floret.

3703. 255.
Syracides venit in Ægyptum, an. 38. Philadelphi. Alij aliter.

3709. 239.
Lacydes philosop. moritur an. 4. Olymp. 134. quùm scholæ præfuisset ann. 26. Anno seq. Livius Tragœdiarum scriptor, primam fabulam exhibuit. post Sophoclis & Euripidis mortem ann. ampliùs 160. & post Menandri mortem ann. 52. Agell.

3711. 237.
Natus Ennius poëta, Rudijs, an. ætat. 34. traductus Romam à Catone Quæstore.

3718. 230
Glycon philos. moritur anno ætat. 74.

3720. 228.
Cn. Nævius poëta primam fabulam ad populum dedit. Agell.

3727. 221.
Conon periodum Callippicam Aristarchi hoc anno emendat, & fastos edit.

3725. 237.
Archagathus Lysaniæ F. ex Peloponneso Romã venit, & medicinam profitetur. Plin. l. 29. c. 1.

3737. 211.
Carneades philos. nascitur. Moritur an. æt. 85.

3742. 206.
Chrysippus philos. Stoicus moritur, natus 73. annos. discipulus Cleanthis, qui medius fuit inter Zenonem & Chrysippum.

3746. 202.
Nævius, Comicus, Romã pulsus, moritur Vticæ in Africà.

3750. 198.
Aristophanes Byzantius Grammaticus, Callimachi discipulus, floret.

Plautus poëta Comicus, ex Vmbrià Sarsinas, moritur Romæ.

3771. 177.
Statius Cæcilius Comicus floret: Mediolanensis, Ennij poëtæ contubernalis.

3781. 167.
Crates Mallotes, Aristarchi æqualis, studium Grãmaticę Romæ intulit. Suet.

Ennius poëta moritur, maior septuagenario.

3783. 161.
Polybius historicus Romam venit.

Menodotus Corinthius, res Grecas 13. lib. descripsit. Sosilus Iliensis, acta Hannibalis libris 7.

3784. 164.
Terentij Andria acta ludis Megalensibus, &c. deinceps.

3789. 159.
Romæ Sen. Conf. factum, ut M. Pomponius Prætor animadverteret, curaretque, ut si è Rep. fideque suà videretur, uti Romæ Philos., & Rhet. ne essent.

3791. 157.
Terentius Com. annos natus 35. moritur in Arcadià, præ dolore amissarum fabularum.

3794. 154.
Aristarchus Gram. Alexandrinus, origine Samothrax, floret.

Anno seq. Pacuvius Brundisinus Tragicus floret: mortuus Tarenti nonagenarius.

3810. 138.
Crassus orator, Ciceroni laudatus, nascitur. bienio pòst; L. Accius Tragicus, tum annum ætatis agebat 33.

3821. 127.
Carneades phil. quùm vixisset ann. 85. moritur anno 4. Olymp. 162.

3827. 121.
Polybius histor. moritur, annis ante Ciceronem natum 17.

3844. 104.
M. Tullius Cicero nascitur. & ferè septimestri pòst, Pompeius magnus.

3847. 101.
Turpilius Comicus moritur senex Sinuessæ.

Annò seq. Archias poëta Romam venit, Cicerone puero.

3850. 98.
C. Iul. Cæsar nascitur. Bienio pòst, Castor Chronographus sub Deiotaro rege, qui χρονικὰ ἀγνοήματα scripsit.

3855. 93.
Lucretius poëta nascitur.
Hortensius orator claret.
Cœlius mediocris orator.

3859. 89.
Plotius Gallus, primus Romæ Rhetoricam Latinè docuit.

3862. 86.
Philo philos. pulsus Atheois, Romam venit: cui Cicero erudiendum se dedit.

Anno seq. Moloni Rhodio operam dedit, auctori caussarum & magistro. Altero seq. Salustius histor. nascitur.

3865. 83.
Diodorus Stoicus, cęcus, servo prælegente in philosophià diligenter versatus, & Geometriæ munere functus: quem Cicero domi suæ audivit.

3871. 77.
Antiochus nobilis Athenis philos. cui operam dedit Cicero. Anno seq. Apollonius rhetor floret.

3880. 68.
Virgilius Maro nascitur.

3885. 63.
Antipater Sidonius poëta, victoriam M. Terentij Luculli de Bessis celebrat.

Horatius Venusinus poëta nascitur. Anno seq. Apollodorus Pergameous Græcus orator floret.

Altero,

Altero, Augustus Cæsar nascitur.

3890. 58.

Diodorus Siculus venit ad Ptolemæum Dionysium, nondum regem.

Anno seq. Messala Corvinus orator, & T. Livius historicus, nascuntur.

3893. 57.

M. Calidius orator claret.

3897. 51.

Curio orator claret. fax belli civilis.

Anno sequenti, Lucretius poëta, amatorio Luciliæ coniugis poculo in furorem actus mortem sibi conscivit.

Altero anno, Q. Hortensius orator moritur.

3897. 41.

Ovidius poëta nascitur, diebus 262. ante mortem Ciceronis.

3920. 28.

Catullus poeta moritur.

Cornelius Gallus, poeta apud Augustum gratiosus, Pollionis amicus, Tibulli & Virgilij. Paullopòst ab Augusto interfici iussus, quùm Ægypto præfuisset, sive ipse sibi manus intulit.

3926. 22.

Quinctilius poeta Cremonensis, moritur, Horatio & Virgilio familiaris.

3934. 14.

Æmilius Marcer Veronensis poeta moritur. scripserat Ophio-& Ornitho-goniam, & Botanicam. Fuit & alius Macer, qui Paralipomena de bello Troiano scripsit.

3936. 12.

L. Cæstius Smyrnæus, floret: qui Latinè Rhetoricam Romæ docuit.

3946. 6.

Horatius poeta, & Mecænas, mortui.

3944. 4.

Verrius Flaccus, floret; & fastos ordinat.

Biennio pòst, M. Porcius Latro, orator, tædio febris quartanæ se interficit.

3948. Alijs est 3950.

IESVS CHRISTVS: Filius Dei D. N. nascitur Sapientia Patris, & omnis Boni fons.

Reliqua petantur ex Genebr. vel alijs.

FINIS TOMI SECVNDI.

IN HOC SECVNDO TOMO ERRATA, LEVIORIS LICET MOMENTI, & operarum Typographicarum incuriâ, commissa; sic emenda.

Pag. Versu.
1. 8. Vltimus; REGES.
2. In ipso Titulo, Thebanos. Euscidium.
In medio 2. col. obscerent.
3. In med. Lampsaceni.
4. In med. 2. col Oraculi fide
7. 8. amnis ripa Post pacis cōditiones. in med. obvij cū infulis
9. 18. regni sui
8. col. 2. Bactra.
13. 28 à fin. din, & iam.
15. 14. col. 2. à fin. γυναικωνῖτιν.
21. 15. Macedonia.
28. 20. sustulerit.
32. 31. à fin. bacchabundum.
33. 24. multaret.
35. 15. recordatione fecit.
36. 32. col. 2. annuo vectigal.
37. 8. principum Asiæ
39. 14. col. 2. à fin adsilsit.
44. 24. col 2 à fin fiscali.
Ibid. συνάγχην.
49. 18. à fin. Polysperchonti.
50. 9 SELEVCVS.
51. ultim. 2 col. lubidini.
73. 5. depulso.
19. à fin auctoratis.
14. col. 2. lubidinis.
86. 16. Samothraciam.
9 à fin. Meleagrû (qui fratres Cassandri. Et Antipatrum, qui fratris Cassandri F. fuisse perhibentur.
24. col. 2 κεραυνὸς.
88. 26. col. 2. Aimylio.
94. 5. Sallentinis.
99. 3. CXL. scribe. circiter XLIX. Mill. & D.
108. 16 Antigonus Gonatas. (ita dictus à Gonis, Thessaliæ urbe, ubi educatus)
124. 28 à fin. 2. col. qui in prov.
128. 19. à fin 2. col Acarnanum
130. 15 à fin. Dele, A Romania.
132. In med. ob dissolutum, aut
152. 30. iudicarentur.
148. 13. à fin. adfuturas.
155. 21. col. 2. dele, In, littore.
. . . .

Pag. Versu.
161. 16 ad heros.
16. à fin. Aufidum.
164. 10. col. 2. lascivire.
167. 5. col 2. Illustrati.
170. 1. ijs potissim præsidium Terent.
7. c. 2. FVLVII-equitibus; T. Mi.
31. summus magistratus.
171. 7. col. 2. prospere rul.
174. 23. col. 2. à fin. Consules, ipse.
171 In med. col. 2. Nec hostes mor.
178 18. à fine deserere.
178. 23 tum mutat.
sub fin. inf. Mitrique.
186. 7. col. 2. Tradenda.
194 10. col. 2. à fi per tot annos
201. 27 In Tarentinos.
204. 14. col. 2. Nihil nisi.
200. 10 col. 2. à fin. eastructis.
213. 21. à fin. æstimatum iri.
214 6. ad primum.
In med. col 2 Quùm verò Afri-
221. 5. Dele; regem suum bell.
235. In med. Cos. Sulpitius.
2,8. 8 col. 2. Lemniscosque.
251. 15. à fin. rettulit.
255. 3. iounimenta.
263. 7. exsequenti.
286. 19. col. 2 Indicto
278 24. dimissus; vanâ exsp. supervenerat, implevit.
274. 2 col. 2 ad pugnam.
13. quàm, quum.
277. 31 Phocæam.
282. à fin col. 2 cessisse eas.
287. 21. aberant. Dele, sunt.
302. in med col. 2. Insulso.
305. 4. col. 2. Dedititij.
306. In med. col. 2. DEMETRIVS.
309. 14. col. 2. Induxérunt.
311. ultim quam Gracch.
318. 9 col. 2. vulgatam.
327. 12 rediérunt. Decim-
2 col 2. Redeuntes legati, in
337. 6. à fin deposita erat Ni-

Pag. Versu.
ciam mittit. alterum, Asclepiodot.
344. 17. col. 2. à fin P. SCIPIO is erat Afric.
350. ultim. legationes.
370. 1. Galbæ
380. 3. Antiochus.
380. 16. à fin. libris Sibyll.
385. in med Otij impatiens,
387. 13. à fin. col 2. servitus,
391. 8. col. 2. regum ol
402. 3. pater, regn.
403. 3 col. 2. legibus, principesque.
414. 12. Philellen.
415. 19. evenit.
417. 20. col. 2. capta vix res
426. 9. Marsos
429. 14. Ostiam
7. à fin ad Sullam.
432. 5 col. 2. in Pontum.
449. 13. à fin. col. 2 bella fractos
456. 21, Æduos.
28. col 2. triumphavit.
463. 12. à fin. col. 2 Ædui, abis
471. 6 quam si maint.
8. à fin. col. 2. multisque occisis.
475. 20. saluberrimas.
476. 2. ducis: reliquas
10. à fin. col. 2. perpetuis.
477. 19. à fin. col 2. Cotta.
478. 13. à fin. in Hispaniam.
432. 24. col. 2. altera ex 12. legionibus.
27. maleficio.
13. à fin. antè gesta erant.
436. 19. col. 2 expeditiones
418. 15. col. 2 Thurium
505. 22. fore impedimento.
511. 5. impendisset.
513. 7. col. 2. à fin. ex equo.
414. 22. col. 2. Neque amplius
520. 5. col 2. à fi naturâ persp.
522. 7 col. 2. à fi Imperatoreq;
516. in med col 2. percrebuerat
25. à fin. Brutum
515. 10 à fin. prætes satellis.
518. 3. col 2. agnitus.
519. 4. à fin. col. 2. Quo loco reg.

Pag. Versu
540. 1. solidam adiecit.
545. 15 decreta LX
12. col. 2. consulatum
546 1. simulans.
550. 20 col 3. Expeditione.
554. 22. à fin. Titinnium.
556. 16 quòd ea loco.
520. 12. à fin cuiusius consul.
558. Hic observa errorem typographi in summis marginum, bis 558. & 559. item 560. 61.
567. 21. innitirura.
570. in med. col. 2. conducibile esse
575. 33. Principes per crim. & conv. alter. se dilacerant.
16 publ. & priv. se dilacerabant.
24. col. 2. à fin. imperio orbis
577. 17. col. 2 à fin. V. millia Nav.
580. in med. col. 2. convivia muritamne.
584. 18. à fi. col 2. (al. ecclxxv.) in Ægypto regnavit. L. ann.
585. 9. à fin. col. 2 in Ægypto
589. 4. E quibus L. pro
593. 3 col. 2. Rheno terminaretur.
In med. col. 2. ad Sigesamam.
596. 6. (quos magnâ io vulg.
599. 14. colu. 2. à fin. ad alteras nuptias.
600. 21 tam arte, quàm.
603. 18. & si abarm.
604. 15 à fin. ob nuptiam
618. 87. à fin. pod. publ. cura.
612. 1. in med. col. 2. peccatum Licinij rap.
617. in med. col. 2. ex ijs furens
618 6 à quo
619. penult. à fin. col. 2. Esquo liberam
620. 2 viveret.
622. 15 à fin. dum viveret.
621. 6. fin col. 2. permitteret
626. 3 & Isthamati.

Τῷ Θεῷ Μεγαλομεγίστῳ δόξα εἰς αἰῶνας.